6387

FR. ANTONIJ
IRIBARREN
BILBILITANI,
E SACRO PRÆDICATORVM
ORDINE
IN THEOLOGIA MAGISTRI, EIVSDEM IN CÆSARAVGVSTANA Vniversitate Doctoris, & Sacræ Paginæ Moderatoris, apud Apostolicum Hispaniarum Legati Tribunal Theologi, in Archiepiscopatu Cæsaraugustano Synodalis Examinatoris, in Collegio D. Vincentij Ferrerij, Rectoris bis & Studiorum Regentis, Regij Conventus Prædicatorum Cæsar-Augustæ filij & pro sua Aragoniæ Provintia Generalis Diffinitoris.

CVRSVS THEOLOGICVS MORALIS.

CONTINENS

TRACTATVS DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE; tùm speculativè, tùm practicè, pro Studentium Diarijs conferentijs, & exercitijs vssu digestos.

SACRATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ,
SVB TITVLO TOTO ORBE CELEBERRIMO
DEL PILAR.
SVPLICI VENERATIONE CONSECRATVS.

CÆSAR-AVGVSTÆ:

Apud PETRUM CARRERAS, Typog. Anno 1704.

25.923

TRACTATUS
DE
LAUDABILI
PIETATE,
E SACRO PRÆDICATORUM
ORDINE
IN THEOLOGICA FACULTATE PARISIENSI
Publicæ Disputationi exposita

CURSUS
THEOLOGICUS MORALIS,
CONTINENS
TRACTATUS DE CONSCIENTIA, ET SPECIE
Medulas Theologiæ complectentes

SACRATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ
SUB TITULO TOTO ORBE CELEBERRIMO
DEL PILAR.
SYDEREI VENERATIONE CONSECRATUS

Apud PETRUM LAMY, ... Typ. ... 1704

FVLGENTIORI TOTIVS ORBIS radiantiſsimæ Auroræ: Lucidiori Hiſpaniarum matutinæ Stellæ: Splendidiori Aragonum primordio radio: Clariſsimo Cæſarauguſtæ Benebolo Soli: Sacratiſsimæ namque

MARIÆ VIRGINI;

QVÆ EX DIUINA DISPENSATIONE IN TERRA NOSTRA dignata eſt apparere ſupra ſacram ſuam marmoream Columnam ab alto miſſam, illamque cum eius toto Orbe Celeberrima Imagine, vſque ad finem mundi firmiter ſtabilibit, fœliciſsimo Cæſarauguſtæ in loco; ibique primitias ſui Cultus dicavit, in carne mortali dum adhuc viveret.

AD te (ò Columnata Deipara) naturali pondere pergit, tamquam ad ſuum Centrum, in quo fœliciter requieſcat, hiccine de Sacramentis Liber; ſed quid mirum quod Liber iſte de Sacramentis, tendat quaſi innato pondere ad te, cùm vnuſquiſq; ſuum ſimilem quærat; & *tu ſis liber quem vidit Ioannes in dextera ſedentis in Throno ſignatum ſigillis ſeptem*, ait Ricardus à S. Laurentio, lib. 12. de Laud. U. Mariæ, quæ ſigilla iuxta Petrum Damia. Serm. de S. Luca Evang. *ſunt ſeptem Sacramenta*: eſt etiam Liber littera *Columnizata*, vt rectè advertit Vierius Ualer. *verb. Liber*: vt ſic Sacramenta Columnata in Libro, à Mariano Sacramentali Libro Columnato trahantur, potiuſquam ab alio Uirgineo, Libro Sacramentorum.

Ad te igitur ob maiorem ſimilitudinem, ſua pro clivitate, feſtinat Liber hic de Sacramentis, Regina Columnata, & Benerata in Cæſar-Auguſtana Civitate, ſemper fœliciſsima, ob tuam peculiarem tutelam, & quia adhuc in Corpore mortali degens, ſuper Columna marmorea, ſeu Pilari Apoſtolo D. Iacobo Maiori apparere dignata es, vt tenet incon cuſa traditio, toto Orbe Chriſtiano Solemniſsima, & conteſtata.

Primó à Cultu inhibi tibi exhibito, & pereniter retento, ſtabilitis Aris per ſæcula: Concurſo Orbis ad te ipſam, & à ſtupendis, iugiſque miraculorum ad tuæ invocationem patratione.

Secun-

Secundò contestant Summi Pontifices: namCalixtus III. tuam admirabilem Apparitionem sic Bullat: *Beata Maria, antequam ad Cœlum assumeretur... B Iacobo Maiori in Columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen B. Mariæ de Pilari assumpsit, ac ibi quamplurima, & insuita miracula Divina permissione dietim fiunt. In sua Bulla edita 23. Septemb. ann. 1456.*

Et Clemens X. tuam Festivitatem, à Cæsarauguſtanis summo iubilo concelebratam sic exornat: *In die 12. Octobris, in qua celebratur solemnitas Apparitionis, vt Vulgo vocant Sanctissimæ Virginis Mariæ, fiat Processio Generalis cum eadem Solemnitate, qua celebratur Processio Corporis Christi: In sua Bulla vnionis Ecclesiarum de Pilari, & Salvatoris edita Febuar. ann. 1675.*

Tertiò contestant Reges. Ioannes enim II. Capellam Sanctæ Mariæ de Pilari, magnificat dicens; illud mirabile: *Quòd in vita ipsius Beatæ, & Gloriosæ Virginis, eiusque iussu à B. Iacobo Maiore Apostolo constructa, & ædificata extitit: in cuius Capite ipsa B. Virgo Pilare marmoreum, quod sibi à Cœlo transmissum habuerat, & supra quod eidem B. Iacobo Apostolo apparuit, firmari, & collocari iussit. In Privileg. apud P. Murillo infundat. Capellæ S. Mariæ de Pilari, fol. 18.*

Ferdinandus II. etiam eandem Basilicam dilaudans, ait: *Sanè ex Catholicis neminem latere existimamus, apud Vrbem Cæsarauguſtanam quandam esse mirificæ devotionis sacram, & antiquissimam Ædem, sive Templum celebre purissimæ, ac Immaculatæ Virgini Deigenitrici dicatum, sub vocabulo B Mariæ de Pilari, innumeris, & assiduis miraculis præfulgentem. In Privileg. apud eundem Murillo citat.*

Quartò: Eminentiss. Cardinalis Baronius explicans Canonem Synodi Antiochenæ, inquit: *Præscribit (Canon) modum, quo Sacræ Effigies, & Imagines Iesu Christi.. necnon, & Sanctorum collocentur, & statuantur, quasi trophea quædam Sacræ nostræ Religionis, in cippo, vel Columna: Quemadmodum antiquissima, & celeberrima illa Dei Genitricis Imago, quæ dicitur* del Pilar *in Hispaniar. Tom. 1. sub ann. 57. num 113. fol. 480.*

Purpuratus D. Aguirre tuum in Pilari Adventum, sic propugnat: *Apparitio Deiparæ suprà Columnam, facta Iacobo apud Cæsarauguſtam prædicanti, & erectio illius Oratorij in honorem eiusdem adhuc viventis... est traditio valdè antiqua, Pontificum, ac Regum privilegijs firmata à multis sæculis; & plurimorum gravium scriptorum Libris à longo tempore comprobata: quàm proindè nemo refutare sine temeritate, aut impietate aliqua possit. Tom. 1. Concil Hispan. num. 94 fol. 152.*

Quintò: Sacra Rota eandem traditionem facit Authenticam. Coram

D. Bichio

D. Bichio asserit: *Ad probandam antiquam Cathedralitatem huius Ecclesiæ* (B. Mariæ de Pilari) *expenditur antiquissima traditio, tàm Historicorum, quàm Scriptorum, qui aiunt; istam Ecclesiam à D. Iacobo Apostolo ædificatam fuisse, decis.* 640. *num.* 3. *& seqq.* Coram D. Coccino, sic concludenter decidit. *Traditum B. Iacobum Apostolũ iussu Deiparæ Virginis, super Columna, seu Pilare quodam marmoreo inter Angelorum cantus visibiliter apparentis, præfactam Ecclesiam construxisse. Decis.* 1867. *num.* 18. *& seqq.*

Sextò Catholici Authores: & primò Historiagraphi, Flavius Lucius Dextrus, Synchronus, & D. Hyeronimo Charus, Iacobi tuam Marianam Traditionem refert, ibi: *S. Iacobus Apostolus Zebedei filius peragratis Vrbibus Hispaniæ, Templum, vel Oratorium B. Virginis, ex eius iussu, præsentiaque super Columna, Cæsaraugustæ erexit. In Chron. ad ann. Christi* 36. *num.* 2.

P. Thomas Maluenda, Pilarensem hanc tuam Apparitionem, sic illustrat: *Perenni, & Constantissima Ecclesiarum Hispaniæ Traditione exploratissimum apud omnes habetur, S. Iacobo Apostolo Zebedei, ad ripam amnis Iberi oranti, Beatissimam Mariam Virginem, adhuc eo tempore Hierosolimis in humanis agentem, super Columnam Iaspideam, ingenti miraculo conspicuam, se præbuisse videndam atque eidem Apostolo clarè iussisse, vt eo ipso loco in honorem ipsius Dei Genitricis Sacram Ædem construeret. Tom.* 1. *de Antechrist. lib.* 4. *cap.* 5. *fol.* 203.

Hyeronimus Zurita differens de Columnæ Cæsarauguſtanæ inconcussa stabilitate, ait: *Immò constet, hanc solam sub diuturna Maurorum dominatione, reliquis Sacris Ædibus pœnitus excisis, aut depopulatis, velut Sacram Aram, profugij portum, Atitistitumque Sedem fuisse servatam In indicibus, pag.* 13. *ann.* 889 *apud Rot. Coram D. Coccin.*

Secundò: Scholastici. Eximius Suarez de tua in Columna seu Pilari apparitione, ait: *Quis ergo audebit huic Traditioni (nempè Pilarensi) contradicere; aut quomodo aliæ Ecclesiasticæ Traditiones inconcussè cõservari poterunt, si huic fides non adhibeatur.* Multa, & mira prosequitur. *Tom.* 6. *de Relig. lib.* 2. *de dieb. Fest. cap* 15. *&* 16.

Cornelius A Lapide: *In Comment. ad Acta Apost. cap.* 12. *num* 6. *fol.* 201. & Ioannes Stephanus Durantus. *De Ritib. Ecclesiast. Cathol. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. *eandem* Traditionem, & tuam apparitionem disertissimè affirmant cum alijs pluribus Scriptoribus Hispanis, & exteris, quos missos facimus brevitati Consulentes, & quia præiacta hucusque præspicua, & concludentia testimonia infallibilem, tuæ Columnatæ Traditioni, conferunt authoritatem. Quippè, *Traditiones à Maioribus confirmatas esse irrefragabiles, docet ex Basilio Magno Sacra Ro-*

tà; & de Cæsaraugustana Signatissimé decidit: *Traditio ista corroboratur, quasi sit de fide, taliter quod non esset tentus pro Catholico, qui de hoc dubitaret. Decis. cit. coram D Coccin.*

Sed quamvis tuus Sacratissimus, *in carne mortali adventus* Hispaniam, & Cæsaraugustanam Civitatem, satis comprobatus sit existentia tàm Benerabilissimæ Traditionis, in gratiam cordium, tua mirifica devotione, flamantium, libet pauca referre de his, quæ de tuo Cæsaraugustano & Pilarensi sacello scribit V. Virgo Maria à Iesu, *alias de Agreda* gloria, & ornamentum Seraphicæ Religionis, cui nostris temporibus dignasti, non solum tuum benignissimum adventum, sed etiam modum, & circunstantias illius manifestare; quæ omnia in Mist. Civit. Dei, 3. p. lib. 7. cap. 17. num. 347. sic suo Hispano idiomate exarat.

Quiero Madre mia (verba sunt Christi) *que vais à Zaragoça, donde està aora* (loquitur de Apostolo Iacobo Maiori) *y le ordeneis q̃ buelva à Jerusalem, y antes que parta de aquella Ciudad, edifique en ella vn Templo, en honra, y titulo de vuestro Nombre, donde seais venerada, y invocada, para beneficio de aquel Reyno, y beneplacito mio y de nuestra Beatissima Trinidad.* Admitiô la Gran Reyna del Cielo esta obediencia de su Hijo Santissimo: Y luego por mandado del mismo Señor, grande numero de Angeles, que le acompañavan, formaron vn Trono Real de vna refulgentissima Nube, y la pusieron en él, como à Reyna, y Señora de todo lo Criado. Christo Nuestro Señor con los demàs Angeles, se subiò à los Cielos, dandole su bendicion, y la Purissima Madre, en manos de Serafines, acompañada de seis mil Angeles, con los demàs partiò â Zaragoça, en España, *en Alma, y cuerpo mortal.*

Llegaron à Zaragoça, quando se acercava la media noche: El felicissimo Apostol San-Tiago estava con sus Discipulos fuera de la Ciudad, arrimado al muro, à las margenes del Rio Ebro, para ponerse en oracion, se avia apartado dellos algun espacio competente, quedando los Discipulos, algunos durmiendo, y otros orando, como su Maestro; todos estavan admirados de la novedad que les venia: Alargòse vn poco la Procesion de los Angeles con la musica, que no solo San-Tiago la pudiesse oìr de lexos, sino tambien los Discipulos, con que se despertaron los que dormian, y todos fueron llenos de suavidad interior, con celestial consuelo, que les ocupó, y casi enmudeció, dexandolos suspensos, y derramando lagrimas de alegria, reconociendo en el ayre grandissima luz, mas que si fuera medio dia, aunque no se estendia vniversalmente, mas se viô en algun espacio como vn grande globo; con esta admiracion, y nuevo gozo estuvieron sin moverse hasta que los llamô su Maestro, con estos maravillosos efectos que sintieron; ordenó el Señor

ñor estuviessen prevenidos, y atentos à lo que en aquel grande Misterio se les manifestasse.

Los Santos Angeles pusieron el Trono de su grande Reyna, y Señora à la vista del Apostol, que estava en altissima oracion, y mas que los Discipulos sentia la musica, y percibia la luz; traian los Angeles consigo prevenida vna pequeña Columna de marmol, ò jaspe, y de otra materia diferente avian formado vna Imagen, no grande, de la Reyna del Cielo: Esta Imagen traian otros Angeles, con grande veneracion, y todo se avia prevenido aquella noche, con la potencia que estos divinos Espiritus obran en las cosas que la tienen. Manifestósele â San-Tiago desde la Nube, la Reyna del Cielo, donde estava rodeada de los Coros de los Angeles, todos con admirable hermosura, y refulgencia, aunq̃ la Gran Señora los excedia en todo à todos; el dichoso Apostol se postrò en tierra, y con profunda reverẽcia adorò à la Madre de su Criador, y Redemptor, y viô juntamẽte la Imagen, y Columna ôPilar en manos de algunos Angeles: la Piadosissima Reyna le diô la Bendicion en nombre de su Piadosissimo Hijo, y dixo á Jacobo:

Siervo del Altissimo. Bendito seas de su Diestra, él os lleve, y manifieste la Gloria de su Divino Rostro, y todos los Angeles respondieron, *Amen*. Prosiguiò la Reyna del Cielo, y dixo: *Hijo mio Jacobo: este Lugar te ha señalado el Altissimo, y todo Poderoso Dios del Cielo, para que en la tierra le consagres, y dediques en él vn Templo, y Casa de Oracion, donde debaxo del titulo de mi Nombre, quiere que el suyo sea ensalçado, y engrandecido; y que los Tesoros de su Divina Diestra se comuniquen franqueando liberalmente sus antiguas misericordias à todos los Fieles. y que por mi intercession las alcançen, si las pidieren con verdadera Fè, y piadosa devocion: Y yo en nombre del todo Poderoso, les prometo grandes favores de dulçura, y verdadera proteccion, y amparo; porque este ha de ser Templo, y Casa mia, mi propria herencia, y possession; y en testimonio desta verdad, y promessa, quedarà aqui esta Columna, y colocada mi propria Imagen; que en este Lugar donde edificareis mi Templo, perseverarà, y durarà con la Santa Fè, hasta la fin del Mundo. Dareis luego principio à esta Casa del Señor; y aviendo hecho este servicio, partireis luego à Jerusalem, donde mi Hijo Santissimo quiere le ofrezcais el Sacrificio de vuestra Vida en el mismo Lugar que dió la suya, para la Redempcion humana.*

Dió fin la Gran Reyna à su razonamiento, mandando á los Santos Angeles, que colocassen la Columna, y sobre ella la Santa Imagen en el mismo Lugar que oy está; y assi lo executaron en vn momento, y luego se erigió la Columna, y se assentò la Sagrada Imagen sobre ella.

Los

Los Sagrados Angeles, y Santo Apoſtol reconocieron aquel Lugar, y Titulo por Caſa de Dios, Puerta del Cielo, y Tierra Santa, y Conſagrada en Templo para gloria del Altiſsimo, y Invocacion de ſu Santiſsima Madre; en Fè de eſto dieron culto, y Adoracion à la Divinidad. San-Tiago ſe poſtrò en tierra, y los Angeles con muchos Canticos celebraron los primeros con el miſmo Apoſtol la nueva, y primera Dedicacion del Templo, que ſe inſtituyó en el Orbe, deſpues de la Redempcion humana, y en nombre de la Gran Reyna del Cielo, y tierra.

Dió humildes gracias nueſtro Apoſtol à MARIA Santiſsima, y le pidiò el amparo del Reyno de Eſpaña con especial proteccion, y mucho mas de aquel Lugar conſagrado à ſu Devocion, y Nombre. Todo ſe le ofreciò la Divina Madre, y dandole de nuevo ſu Bendicion, la bolvieron los Angeles à Jeruſalem con el miſmo orden que la avian traido. Y à peticion ſuya, ordenò el Altiſsimo, que para guardar aquel Santuario, quedaſſe vn Angel Santo encargado de ſu Cuſtodia, deſde aquel dia, haſta aora perſevera en aquel Miniſterio, y lo continuará quanto alli durare la Imagen Sagrada, y la Columna.

Paſſada la Viſion de MARIA Santiſsima, llamò San-Tiago à ſus Diſcipulos, que de la muſica, y reſplandor eſtavan abſortos, aunque no oyeron, ni vieron otra coſa. El Gran Maeſtro les diò noticia de lo que convenia, para que le ayudaſſen en la edificacion del Sagrado Templo, con que puſo mano, y diligencia, y antes de partir de Zaragoça, acabò la pequeña Capilla, donde eſtà la Santa Imagen, y Columna, con favor, y aſsiſtencia de los Angeles. Deſpues con el tiempo los Catolicos edificaron el ſumptuoſo Templo, y lo demàs, que adorna, y acompaña aquel tan celebrado Santuario.

Hucuſque illa illuminata, & V. Virgo Maria de Agreda: in quibus verbis claret (ò Præclara Maria de Pilari) tua Pietas, tua tutella, & tua mirifica venebolentia erga Cæſarauguſtanam Vrbem, Iberos, Celtiberos, Noſtraſque totas Hiſpanias: Vtinam hic Liber, tibi in ſignum gratitudinis dicatus, perficiatur tuo placido fronte: vt gratia Sacramentorum in illo exorata, & explanata irrigando animas, illas fecundet, & in Cœlum perducat ad tuos deoſculandos Sacratiſsimos pedes in ſæcula. Amen.

Columnata Virgo Angelorum Regina,

Humilis ſervus

Ad pedes tantæ Matris, & Auxiliatricis proſtatus

Petrus Carreras.

REVERENDISSIMI P.M.Fr.FRANCISCI SALvador Gilaberte, Sacri Ordinis Regalis,& Militaris B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Vniversitate Cæsarauguſtana Sacræ Theologiæ & Philoſophiæ Doctoris,& huius pro Angelica Schola publici interpretis & in ſuo Collegio D. Petri Nolaſco Studiorum Regentis, operis iudicium.

MOrem gerens Illuſtriſ. D.D. Laurentio Armengual del Pino, Epiſcopo Dionyſienſi, Auxiliario Cæsarauguſtano,&c. Opus Morale *tamquàm ex commodo lecturus aperui, deindè guſtare incipiens tanta dulcedine me tenuit, & traxit, vt illud ſine vlla dilatione perlegerim.* Author eius eſt RR.P.M. Frater Antonius Iribarren, inclyti Ordinis Prædicatorum, in Auguſta noſtra Academia Theologiæ Doctor, Sacræ Paginæ plauſibilis Moderator, pluribuſque Voluminibus, quibus Philoſophiam Angelicam illuſtravit, luſtravitque Sacram Scripturam, in lucem editis, commendatiſſimus Magiſter: ſive enim ipſum voce audias, ad graviſsima confluentium vndique Conſulta, reſponſa exhibentem, ſive ſcripto legas tum Philoſophiam, tum Theologiam triplicem, Scholaſticam, Moralem, & Poſitivam locupletantem, non ſolum omnibus ad exemplar Apoſtoli omnia factum, ſed inſtar omnium, ſingulis & in ſingulis fateberis hominem excultiſsimum. *Nihil enim* (liceat mihi, quod de Ariſtone Plinius Nepos, ſuo ſcribit Severo, ſeverius, veriuſque de Antonio noſtro proferre) *Nihil*, inquam, *eſt illo gravius, ſanctius, doctius, vt mihi non vnus Liber, ſed litteræ ipſæ, omneſque bonæ artes, in vno ſummum periculum adire videantur. Quàm peritus ille privati iuris, & publici? Quantùm rerum? Quantùm exemplorum? Quantùm antiquitatis tenet? Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ipſe docere non poſſit. Mihi certè, quoties aliquod abditum quæro, theſaurus eſt.* Hæc parcè dixerim de Authore, quicum mihi omnes neceſsitudines intercedunt, ne ſterili ſtylo decantatiſſimum eius nomen offendam, eiuſque modeſtiam, ſuo rubore offundam.

Senec. ad Lucil.

Plinius lib. 1. Epiſt. 22.

Vt ergo meo muneri faciam ſatis, quid ſentiam hocce ſuper opere, mihi ad Cenſuram commiſſo, paucis aperiam, omni aſſentatione procul pulsâ. Et imprimis Operis ſubſtantia, planè & plenè conſonat Sanctiſſimo Noſtro Magiſtro, qui ſi in omnibus audit, & quidem audit Doctor Angelicus; in turbidis Moralis Theologiæ rebus, nuncupari ſanè poteſt, debetque penè divinus, teſte Eminentiſſimo Caietano. Quis enim verius, tutiuſque dixerit, quæ divinæ voluntati placeant, quæ diſpliceant, quám divinæ ipſius Voluntatis Interpres? Quis meliùs de Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ediſſerat, quàm qui ab Authore ipſo Sacramentorum eo vivæ vocis oraculo: *benè ſcripſiſti de me Thoma*, Cœlo, ſoloque ſtupentibus, plauditur, prædicatur, extollitur?

Eminentiſſi. Caiet. apud Bancel tom. 1. Theolog. Moralis D. Tho. in præfat. ad Lectorem.

Iam verò, quod Operis ſtylum ſpectat, argutus, nervoſus, ſolidiſſimus eſt, iuxtà ac clariſsimus, & qui decet graviſſimum primi ſubſelij Theologum, & Scriptorem; vt merito arrogare ſibi poſsit illud Sidonij: *Dictavi quæpiam hortando, laudando plurima, aliqua ſuadendo, mœrendo pauca, iocandoque nonnulla; & ſi me vſpiàm lectitaviſti, in aliquos concitatiorem, ſcias volo, Chriſti dextera opitulante, me nunquam toleraturum animi ſervitutem, compertiſſimum tenens, bipartitam ſuper iis moribus hominum eſſe cenſuram, nam vt timidi me temerarium, ita conſtantes liberum appellant: inter quæ ipſe decerno, ſatis illius iacere perſonam, cuius neceſſe eſt latere ſententiam.*

Sidonius Apollin. lib. 7. Epiſt. 18.

Denique, operis diſpoſitio mirabilis eſt, & peropportuna, inſtituendis ſignanter Scholaſticis, in hoc Archiepiſcopatu Cæsarauguſtano, ad publica certamina pro

Beneficijs Curatis adipiſcendis, fæpè numero, & ſemper numero non exiguo confluentibus: nam poſt Aſſertiones Theologicas, quam plurimis rationum ponderibus nervosè, & ſeverè trutinatas, intimas vſque rerum particularium fibras ſcrutatur, omneſque ferè Quæſtiones ad praxim pertinentes, ipſis factis, & exemplis ita luculenter exponit, prudenter decidit, roboratque, vt perfectè ſapientibus, & inſipientibus debitum ſolvat.

Gratulor ergo Authori amiciſſimo, quod Operi tot numeris abſoluto, in lucem evulgando, nulli labori pepercerit, conſtantiſſimeque incubuerit: *Nam ſatis habeo deliberatum* (iuxta præceptum Sidonis) *ſicut adhibendam in conſcriptione diligentiam, ita tenendam in editione conſtantiam.* Mihi ergo religio ſit de Magiſtro noſtro ita cenſere cum eodem Sidonio: *Nemo Tè eelſius ſcripſerit, nemo antiquius, etiam ſi placeat recentia loqui; quandoquidem ſermonum copiâ impletur antè, nunc rerum, non reliquiſti, cur venenato morſu ſeuere; atque ideo Tè, in poſterum conſuli vtilitas, audiri voluptas, legi authoritas erit.* Hoc meum iudicium, ſalvo ſemper meliori, &c. Cæſarauguſtæ: in hoc Collegio Sanctiſ. P. N. Petri Nolaſco, die 22. Ianuarij, Anno reparatæ ſalutis 1704.

Sidonius lib. 8. Epiſt. 1.

Idem lib. 4. Epi. 22.

Frater Franciſcus Salvador Gilaberte.

NOS DON LAVRENTIVS ARMENGVAL DEL PINO, EPISCOPVS DIONyſienſis, Sufraganeus Cæſarauguſtanus, Generalis Viſitator, atque in ſpiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis, pro Excellentiſſimo D. D. Antonio Ybañes de la Riba Herrera, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano; Tenore præſentium facultatem impartimur RR. P. Fr. Antonio Iribarren, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro, eiuſdem in Vniverſitate Cæſarauguſtana Doctori, & Sacræ Paginæ moderatori, huius Archiepiſcopatus Synodali Examinatori, vt poſſit in lucem edere Librum à ſe compoſitum, cuius titulus eſt: *Curſus Theologici Moralis, Tomus Primus*, quatenùs ex præſcripto noſtro, reviſſus & approbatus extat à RR. P. Magiſtro Fr. Franciſco Salvador Gilaberte, Sacri Ordinis Regalis & Militaris B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in eadem Vniverſitate Phyloſophiæ & Theologiæ Doctore & Cathedratico, & in Collegio Sancti Petri Nolaſco ſtudiorum Regente. Datis Cæſarauguſtæ, die vigeſima tertia Ianuarij, Anni milleſimi ſeptingenteſimi quarti.

Laur. Epiſc. Dionyſienſis, Vic. Gñlis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis,

D. Emmanuel Monzon & Lamata, Not.

APPRO-

APPROBATIO R. P. Fr. IOSEPHI NVñO, Lectoris Iubilati Ordinis Minimorum, Propositionum Fidei in Aragoniæ Inquisitione Censoris, & Ordinarij Iudicis, Examinatoris Synodalis Archiepiscopatus Cæsar-Augustani, & Ex-Provincialis.

PRæclarum hoc opus de Sacramentis, Theologicum, & Metaphysicum, mihi à Per illustri D. D. Antonio Blanco & Gomez, Regente Regiam Cancellariam huius Regni, & Sacri, Regij, & Supremi Consilij Coronæ Aragonum Honorario, Sancti Officij Consultore, ad censoriam Crysim commissum, prius in lucem editum per R.P. Magistrum Fr. Ioannem Baptistam Gonet, Ordinis præclarissimi Prædicatorum, & nunc in gratiam oppositorum ad beneficia curata cum novis speciebus, & additionibus subtilissimis (vt assolet) per RR.P. Fratrem Antonium Iribarren Magistrū numeralē sui Ordinis, Sacræ Scripturæ Cathedræ, in Cæsaraugustana Academia moderatorē, huius Diœcesis Synodalem Examinatorem, prælo mandatum; iterum, atque iterum perlegi, & cum attenta reflexione recolui, & in omnibus resolutionibus, argumentis, & ratiocinationibus, stylo, claritate, & methodo, Doctrinam Angeli Aquinatis inveni, sed quid mirum, si in Cathedra, in argumentis, in consultationibus, in defensionibus conclusionum, ab incunabulis litterarijs, semper in suis doctrinis, taliter sui Patris, & Magistri Divi Thomæ fundamenta apparuerunt, quod sine arrogantia, nec labe superbiæ pronuntiare valeat illud Christi ad Philippum: *Qui videt me, videt & Patrem.* Et ad omnes, qui sectare Doctrinam Divi Thomæ cupiunt, quod idem Dominus in eodem capite: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* In substantia, omnia, quæ in hoc Volumine continentur, theses, argumenta, & resolutiones, traddita per Magistrum Gonet, Angelici Magistri sunt, sed induta, ornata cum novis accidentibus subtilitatum tradduntur à RR.P. Magistro Iribarren, vt cum Casiodoro dicam: *Cùm multa trahas ab antiquis, meruisti placere de proprijs.* Considero Doctrinam Divi Thomæ in ipso, & in Magistro Gonet esse Lucem, sed in Magistro Iribarren esse eandem Lucem Solem; quia vt testatur ipse Angelicus Magister: *Illa Lux fuit Solis quantum ad hoc quod iam erat substantia Solis, & habebat Virtutem illuminativam in communi, sed postmodum data est ei specialis, & determinata Virtus, ad particulares effectus.* In Divo Thoma, & Magistro Gonet, est Lux cum Virtute illuminandi professores scientiarum in communi; sed in Magistro Iribarren, est specialis illuminatio, ad illustrandos oppositores ad particulares regendas Parrochias. Cumque totà doctrina in substantia de Sacramentis institutis à Christo Domino, sit Angelici Doctoris, nihil securius. Non approbo, sed suppono approbatam ab ipso Sacramentorum Authore, vt testatur Clemens VIII. ad Neapolitanos ita scribens: *Cuius doctrinæ tantum fuit tributum, vt Christianæ eruditionis suæ, divinum etiam illud habeat testimonium: Benè de me Thoma scripsisti.* Quòd testimonium est in breviario Romano, & in breviario Ordinis Prædicatorum, approbato ab ipso Summo Pontifice. In tota Theologia, Doctrina Divi Thomæ, est Lux illuminans totam Ecclesiam, vt testatur idem breviarium: *Alma mater Ecclesia Christi fundata sanguine, sceptra conscendit grandia novi Doctoris Lumine.* Sed specialiter in rebus pertinentibus ad Sacramenta novæ legis, ex beneplacito divinæ Voluntatis pendentibus, vt testatur idem Clemens VIII. nam illum appellat: *Divinæ Voluntatis Angelicum interpretem.* Et cum Tridentina Synodus fuerit congregata principaliter, ad errores Lutheri condemnandos, specialiter contra Sacramenta novæ legis pugnantes; iuxta Angelici Magistri doctrinam hæreses illius pestiferi Hæresiarchæ á Patribus damnatæ sunt; ita Beatus Pius V.

Ioannis cap. 14.

Casiodorus tit. 3. Epistola. Epist. 5.

D. Tho. 1. p. q. 67. art. 4. ad 2.

Clemens VIII. in sua prim. Epist. ad Neapolitanos pro S. Thom. in patronum dando.

per

Pius V. in sua Bulla pro festo S. T. per hæc verba: *Omnipotentis Dei providentia factum est, vt Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, multæ hæreses convictæ, & confussæ dissiparentur, quod & antea sæpè, & liquido nuper in Sacris Concilij Tridentini decretis apparuit.* Quód confirmo testimonio Cardinalis Baronij sic scribentis: *Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir Sanctissimus, atque eruditissimus, Theologorum præconijs celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ à Sanctis Patribus, in Sacrosancto Æcumenico Tridentino Concilio considentibus fuerit acclamatum.* Consequenter ad hæc non prætermittam, quod plures Scriptores tradunt, in laudem & commendationem tanti Magistri doctrinæ, vtpote dignum, quod ab omnibus, qui sunt verè Thomistæ, memoriæ mandetur. Concilium Tridentinum, decretum, quod habetur in Sess. 22. Can. 2. de institutione Apostolorum in Sacerdotes, in vltima Cœna, suspendit, eo quod vnus Episcoporum putabat, esse contra doctrinam Divæ Thomæ, quo audito, exclamavit Præses: *Consulatur Divus Thomas*, & postea maturé consulto, omnes Patres viderunt Angelicum Magistrum resolutorié scripsisse huiusmodi decretum in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 3. ad 2. & communi omnium voce ab omnibus, vt dogma fidei diffinitum fuit. Leo. X. in Bulla, quæ incipit: *Exurgat Deus*, doctrinæ Divi Thomæ adiutorio, plures errores Lutheri damnat. Sic enim in substantia, doctrinæ Authoris est Divi Thomæ, inoffenso pede, vt pote sine labe erroris suspitionis per omnes Scolas, & Collegia oppositorum, plausibiliter currere debet. Censeo opus esse prælo, & luce dignum, nihilque continere oppositum iuri Regio. Sic sentio, & subscribo, in hoc Conventu Divæ Mariæ à Victoria. Die 16. Ianuarij, Anno 1704.

Didacus de Paiva in Serm. S. Thom.

Leo. X.

Fr. Iosephus Nuño.

IMPRIMATVR.

Blanco, Regens.

FA-

FACVLTAS ORDINIS.

NOS Fr. ANTONINVS CLOCHE, SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR, AC Totius Ordinis Prædicatorum, humilis Magister Generalis & servus.

CVM vti nobis exponitur, Admodum R. Pater Magister Fr. Antonius Iribarren, in Vniversitate Cæsarauguſtana, publicus Sacræ Scripturæ Interpres, Provintiæ noſtræ Aragoniæ, Curſum Theologiæ Moralis, in varios Tomos diſtributum compoſuerit, illumque prælo ſubijcere deſideret. Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate Officij, quantum in nobis eſt, & ſervatis alias ſervandis, paternè indulgemus, dummodo ab Admodum RR. PP. Mag. Fratre Didaco Felici Abarca, & Fratre Gregorio Ybañez, præfatæ Provintiæ, luce dignus iudicetur, eorumque cenſorio, in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. In quorum fidem, &c. Datt. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 16. Iunij, Anno 1703.

Fr. Antoninus Cloche,
Mag. Ord.

Regiſtr. fol. 29. Fr. Thomas Ripoll, Magiſter & Socius.

RR. A. PP. MAGISTRORVM Fr. DIDACI FELICIS ABARCA, STVDIORVM Regij Conventus Prædicatorum Cæsarauguſtæ, quondam Gimnaſiarchæ, & Archiepiſcopatus Cæsarauguſtani Synodalis Examinatoris, & Fr. Gregorij Ybañez, eiuſdem Examinatoris, & poſt varias præfecturas, Collegij Divi Vincentij Cæsarauguſtæ, Rectoris bis, & Studiorum Regentis, & apud Sacrum Inquiſitionis Tribunal Qualificatoris, operis cenſura.

REverendiſſimi P. N. Magiſtri Generalis Fr. Antonini Cloche, ſpeciali Commiſſione & iuſſu, Librum hunc perlegimus, cuius titulus: *Curſus Theologici Moralis, Tomus Primus*, & Author R. A. P. M. Fr. Antonius Iribarren, in Vniverſitate Cæsarauguſtana Theologiæ Doctor, & Sacræ Paginæ moderator, & in Archiepiſcopatu Cæsarauguſtano Examinator Synodalis. Excepimus igitur obvijs vlnis, opus deſideratum diu, in quo lineatim inſpectis atque per otium ponderatis eius doctrinis, omnes fideles, vtiles, ſolidas & ſtabiles indicavimus, in quibus nec invidus oculus, aliquid vel minimum ſuſpectum capere, nec maledicus quantumvis mordax, quid non firmum poterit reperire. Sed quomodo in doctrina ſana aberrare poſſet à ſcopo, qui per plurium annorum curricula, in Ordine noſtro, & extra, Theologiæ incudem, ſtudio quaſi ferreo tundens, ſemper veritatem exoptans, ſapientiæ fuit indefeſſus amator? Non enim ex rivulis cœno plenis, ſed ex limpidiſſimo Angelici noſtri Doctoris fonte, doctrinæ haurivit limphas; qui ergo doctrinæ practicæ ſitim cupiunt extinguere, de huiuſmodi aqua bibant. Si qui autem animum habent tædio affectum, & variâ ingentemque molem Librorum Moraliũ faſtidiũt, & delectari cupiunt, in Tractatibus his, Quæſtionibus, Difficultatibus & Caſibus, quibus Author opus diggeſsit, verſentur, vbi quemadmodum in Beroaldo altero, Beyerlincho fidem dante, *vivam quandam ac eloquentem invenient Bibliothecam.* Monſtravit ſatis hucuſque Author, ſtudij & calami perpetuus cultor, ditiſsimas ſuæ eruditionis venas, in varijs Libris, tum prædicabilibus, tum Scholaſticis, præcipuè in integro & completo Phyloſophiæ Curſu, quæ omnia typis excuſsit & elucidavit; & vt ſperamus, adhuc plura ſui ingenij monumenta luci dabit; ſed ſuper hæc, in opere Morali hoc, levavit ſe ſuprà ſe, vt legentibus in vniverſum manifeſtè conſtabit. Dignus ergo eſt Author, vt ei facultas deprecata præſtetur, vt vivat famæ, vivat Ordini noſtro, & vivat æternitati, ita vt cum Naſſone nobis proferre liceat. *Famaque poſt cineres, maior venit & mihi nomen.* Hoc iudicium noſtrum, ſalvo, &c. In hoc Regio Præd. Conventu Cæsarauguſtæ, die 25. Ianuarij, Anni 1704.

Fr. Didacus Felix Abarca, Mag. *Fr. Gregorius Ybañez, Mag.*

OPERIS PROBATIO FAMILIARIS RR. PP. MAGISTRORVM Fr. HYERONIMI de Matama, in celeberrima Salmanticenſi Vniverſitate, Primarij Sacræ Theologiæ Moderatorij Iubilati, & Fr. Raymundi Coſta, Primarij etiam Iubilati Theologiæ Profeſſoris, in Vniverſitate Barcinonenſi, quondam Aragoniæ Provintiæ Præſulis, vterque ex Sacro Prædicatorum Ordine.

LIcèt Author ingenue poſsit fateri, quod plauſus ſuos maximopere habèt exoſſos; apponit tamen hic, duas Epiſtolas Familiares, duplicis vnerandi viri ſui Ordinis, primæ claſsis & notæ, ſtudium ſeum & genium commendantes. Prima eſt RR.P. Mag. Fr. Hyeronimi Matama, quæ idiomate noſtro vulgari, profert hæc: M R. P. M. y muy Señor mio. Honrame V.P.M.R. con la ſuya de 23. de Mayo, cuyo contenido fue para mi de eſpecial veneracion, que amo ſus prendas, y eſtimo ſus empleos. He leído repetidas vezes el Curſo Philoſofico, y ſiempre con deleyte, y me parece faltava à la Religion vn Eſcrito de eſtas calidades. Si tuviera poder, le hiziera leer en toda la Religion; muchos Curſos ay Philoſoficos de la Religion, pero ninguno que llegue à la claridad, brevedad, ſutileza, limpieza, ſegura opinabilidad en la linea Thomiſtica, como el de V. P. M. R. funda los principios, elige los Textos mas claros, propone los fundamentos mas fuertes de los contrarios, y los diſuelve, proporcionando altamente las noticias, à las capacidades tiernas de la juventud. Eſte juizio tengo hecho, ſin adulacion alguna, de lo impreſſo; y me prometo, que eſſa pluma correrà muy ſegura las lineas de lo que dictare. Por lo trabajado, rindo a V. P. M. R. repetidas gracias; y le pido, como hijo de N. P. Santo Domingo, continue, ò en perficionar el Curſo Theologo del P. M. Sierra, ſacando los Tomos, que le correſponden à la 2. 2. y los de 3. p. del Miſterio entero de la Encarnacion, y Vita Chriſti; y la parte Sacramental de Penitencia, Extrema-Vncion, Orden, y Matrimonio, no arandoſe à determinados Tomos, ſino dando à las materias lo que pidieren, aunque con aquel eſtilo, laconiſmo, ſuſtancia, y brevedad, que lo haze el P.M. Sierra. O V. P. M. R. eliga el rumbo Theologico que le pareciere mas apto, para emplear las noticias, en defenſa de la verdadera Eſcuela Thomiſtica. Eſto repreſento al alto juizio de V. P. M. R. eſtando ſiempre à ſu dictamen, venerando ſu perſona, y pidiendo à Dios la proſpere en toda felicidad, para credito de la Religion. S. Eſtevan de Salamanca, y Junio à 2. de 1702.

M. R. P. M.

Siervo el mas reconocido de V. P. M. R.

Q. S. M. B.

Fr. Geronimo de Matama.

SECVNDA EST EIVSDEM RR. P. MAGISTRI, SEQVENTIS THENORIS.

MVY R. P. M. Duplicados alborozos logrè con la de V.P.M.R. de 19. del corriente; el vno ſabiendo de ſu ſalud; el otro teniendo noticia de ſus glorioſos empleos, en credito de la Religion, y de la Doctrina. No ha llegado à mis manos el Libro de los Sermones, y fuera para mi de eſpecial complacencia averlos viſto; que de vena, y mineral tan rico, no ſe ſacan terrones, ſino precioſidades. Advierto lo que V. P. M. R. es ſervido expreſſarme, y con el favor que me haze, tengo de dezir mi ſentir: El Curſo de Artes, para leido en las Aulas, es quanto ſe puede deſear, claro, conciſſo, y limpio, porque ha dotado Dios à V. P. M. R. de feliciſſima pluma, que expreſſa los conceptos, y ordena las noticias con notable primor. Pero Theologia no ſe eſcrive para ſolos muchachos, ſino para Doctos, y indoctos, para ſabios, y no ſabios: Y aſsi requiere mas eminencia, mas profundidad en el

fun-

fundar, y viveza en impugnar lo falso, y lo novelero. Por lo q tual me pareciera conveniente, que V.P.M.R. no se precisase à dos Tomos, sino à quantos pidieren los Tratados que escrive, y las materias que trata, que son tan graves, y tan proficuas. Necesita la Doctrina de vn Curso Theologo Moral entero, y este no se puede concluir en dos Tomos, sino es que brando, y confundiendo los puntos, y las noticias. Mire V.P.M.R. el Curso Moral de los PP. Salmanticenses, y mire el Tomillo de Sacramentis, y verá quan limitado està. A V.P.M.R. le ha escogido N. P. S. Domingo, para que ilustre la Religion; pues corra la pluma, y explique su sabiduria, y no se estreche à las breves margenes de dos Tomos, sino à quantos fueren necessarios, para llenar, y concluir las materias. No fuera el M. Fr. Domingo de Soto tan eminente, y profundo Sacramentario, si huviera abreviado el Quarto de las Sentencias à vn Tomo, y no le huviera dilatado à quantos puntos Morales entonces se controvertian con profundidad, y viveza. En fin P.M. à mi me parece glorioso el empleo, felicissimo el trabajo, utilissimo el assunto, y que de este genero en este siglo ay poco en la Religion: por lo qual consagrese V.P.M.R. à hazer cabal esta Obra, que serà singular beneficio del publico: Y todos pidiremos à Dios, que le conserve la vida, y le assista con sus especiales auxilios, para lustre de la Doctrina, y bien de la Iglesia. S. Estevan de Salamanca, y Diziembre à 29. de 1702.

Siervo el mas afecto à V. P. M. R.

Q. S. M. B.

Fr. Geronimo de Matama.

TERTIA EST RR. P. MAG. Fr. RAYMVNDI COSTA, QVÆ SIC HABET.

REcibì los quadernos del Curso Moral con singularissima estimacion, y no respondì puntual, porque les quise registrar antes, y solo devo ceñir mi sentir á dezir, que es Obra de V.P.M.R. ello es de lo delicado, claro, succinto, profundo, y docto, de quanto he visto, Dios se lo pague, que solo puede su Divina Magestad, ser la condigna remuneracion; lo mismo serà de la Obra de Sermones, que he leido con gran gusto, y ha de arrinconar à todos los Sermones latinos antiguos, porque les falta el filis de estos; esso si que es emplear bien el tiempo, sea Dios el fin, y el mayor lustre del habito, de que no dudo, que bien assegurado tiene V.P.M.R. el premio. Vea si puede ser de algun provecho, mi vtilidad en su servicio, y estè cierto, que ninguno en este mundo le es mas amigo, ni mas venerador de sus prendas, y nadie le servirà con mas fineza que yo; me encomiendo en las Oraciones de V. P. M. R. cuya persona guarde Nuestro Señor quanto deseo, con las felicidades que se mereze. Barcelona à 10. de Março de 1702.

B. L. M. de V.P.M.R.

Su mas seguro servidor, y amigo de coraçon,

Fr. Raymundo Costa.

NO-

NOTATIVNCVLA, PRO ERRATIS, A LECTORIBVS VEL emmendandis, vel indulgendis.

IN Libris typis excuſſis, errata ſunt indiſpenſabilia, quamvis linceis oculis, in primis exemplaribus perluſtrentur, in opere hoc, irrepſerunt plura, & aliqua gravia & intolerabilia, partim ob abſentiam meam, partim ob Typographorum incuriam, quo factum fuit, non ſine dolore ingenti, vt Liber mendoſiſſimus evaderet; ſed vt ingenuè pandam veritatem, profero cauſam ſpecialorem. Portum egreditur navis, & dum inſtabiles æquoris vndas tranſvadat, multiplices cæli, & ſali experitur fortunas, dum fluctus evigilant, dormientibus ventis, & gurgites alterno niſſu, acriter colluctantur, & exardeſcentium procellarum pugnam, tonitrua velut marcialis clangor, faciunt intenſius recaleſcere, quo fit, vt luce ammiſſa, ea lignea domus, præceps inter ſcopulos frequenter ruat. Non aliter in opellæ huius paginis, quaſi in vaſis papiri, mare nigrum attramenti percurrebam, & quia inſufflavit neſcio quiſnam contrarius ventus, navicula operiebatur fluctibus, & dum eſſent calamus, & potentiæ laborantes in remigando, intraverunt aquæ vſque ad animam meam; ſed licet tempeſtas non me demerſerit, ignoravi ſæpiùs, viam per quam ſpargitur lux, & lumen oculorum meorum, multoties non erat mecum. In hac palpabili vmbra, plures ſcopuli & offenſionis petræ, tabulas mentis leſſerunt; ne mireris ergo, ſi hic cadens & ibi ſurgens paupercula navis, in hoc mari magno & ſpatioſo manibus, toties erraret in invio; errata igitur ſunt plura, ſed ecce abſurdiora.

Fol. 15. col. 1. lin. 53. licitum, *lege* validum. fol. 107. col. 1. lin. 2. muereri, *lege* conſecrari. fol. 109. col. 1. lin. 3. conſecrativam, *leg.* conſecrabilem, ibi lin. 25. erat. *leg.* orat. col. 2. lin. 4. Lætus, *leg.* Ieſus, lin. 14. illud, *leg.* iſtud. fol. 106. col. 1. lin. 32. imoeratus, *leg.* immolatus. fol. 157. col. 1. lin. 15. vſuis, *leg.* novis. fol. 158. col. 1. lin. 26. minuendo, *leg.* immundo. fol. 159. col. 2. lin. 13. peccatori mortaliter, *leg.* peccatori occulto peccare mortaliter. fol. 160. col. 2. lin. 55. maius, *leg.* minus. fol. 161. col. 1. lin. 39. articula, *leg.* oſſicula. col. 2. lin. 1. more, *leg.* inore. fol. 163. col. 1. lin. 2. niſi aliquod, *leg.* aliquod peccatum. lin. 42. vt cauſa, *leg.* & cœco. à fol. 168. col. 1. lin. 55. aſſerit, *leg.* aſſerit Lugo. col. 2. lin. 17. par magna, *leg.* permagna. fol. 170. col. 2. lin. 40. mortis, *leg.* vomitus. fol. 172. col. 2. lin. penult. Sacerdotis, *leg.* Sacerdote. fol. 335. col. 2. lin. 17. dormi, *leg.* dormiens. fol. 346. col. 1. lin. 19. valnere, *leg.* vulnere. lin. 45. ſeronita, *leg.* ſerotina. f. 348. col. 2. lin. 39. lidinem, *leg.* libidinem. *Alia paſſim invenies optimè Lector, his minora, diſſimula, indulge & emmenda, iam enim tibi, lapſuum aliqualem rationem expoſui.*

RA-

RATIO,
ET INTENTVM OPERIS.

CVM Sol Angelicus Thomas noſter, vbique terrarum fulgeret, etiam in hac Vniverſitate Cæſarauguſtana ab eius exordio fulſit, & doctrina illius, in ore plurium venerabilium Magiſtrorum ſtetit; ſtetit quidem, quia neſcio quò fato, varia temporum intercapedine, Sol Thomas prolixum Solſtitium efformavit; ſed en iterum Sol exoritur, doctrina eius, Cœli opere mirabilitèr inſtaurata. Accedit ad Scholam magnæ multitudinis concurſus, vt Thomæ lucem exambiret, & ipſo illuminante per Magiſtrorum curam, in brevi diſcipuli conſumati, expleverunt tempora multa; extabant enim plurimi, ad publicum magiſterium idonei, ſed cùm Cathedræ Vniverſitatis pauciſſimæ eſſent, cum numero Studentium collatæ, decreverunt ipſi, vt alius ſic, alius ſic iret; aliqua ergo Diſcipulorum Angelici Doctoris ſeparata portione, pro Cathedris inſequendis, reſidua, quæ maior erat, & bona, Congregationem quandam formavit, intra Collegium celebre, Ordinis Prædicatorum Sanctī Vincentij Ferrerij Cæſarauguſtæ, à quo etiam, ſpeciale Collegij nomen accepit; & pro ſtudijs Theologiæ Sacræ firmitèr ſtabiliendis, ordinatiſſimas effecit ſanctiones, quarum hæc eſt ſumma: quod nemo niſi qualitatibus morum, & ſtudij præditus admittatur, prævio examine ſufficientiæ, approbato ab omnibus, qui ad certum numerum reducuntur, & diverſis gremijs, & claſsibus conſtat; omnes tamen eiſdem legibus indiviſé ſubiecti, quó ad litterarias exercitationes, & obedientiam vnico capiti; conferentijs, argumentis, & lectionibus, quæ per ſortem cuilibet aſſignantur, eo fervore infatigabilitèr inſiſtentes, vt nulli labori parcant, nec diarias diſputationes per ſpatium quatuor horarum manè, & veſperè durantes, niſi gravi perurgente cauſa ſuſpendant, & ex huiuſmodi aſſidua exercitatione, increvit adeó fructus, vt in pleriſque curatorum oppoſitionibus, vſque ad ſexaginta quatuor extiterint concurrentes, de quo pluries teſtis ocularis ego fui, non ſine interiori animi alacritate gratias ſummas agens Deo, & Angelico Thomæ, Doctori, atque Ductori noſtro.

Cùm autem præcipuum horum ſtudium, licèt in re ſcholaſtica ſint verſatiſſimi, in eo ſitum ſit, vt Moralem Theologiam, diſputatorio, & illativo modo diſcant, quia hic ſuæ precipuæ intentionis eſt ſcopus, nec in Congregatione ſic efformata, poſſet facilitér ſcribi, tot rerū difuſſa congeries,

ries, vt idea insequeretur certa, & ad contemplationem lucraretur tempus, Authorem sibi elegerunt Magistrum Gonet ex Ordine nostro, in vltimo suorum operum Libro, & ad tot, vel tot eius paginas, lectiones, & argumenta reducunt. Verum cùm Liber hic, pro vniversali rerum notitia non sit satis, cùm solum de Sacramentis agat, & desiderium eorum progrediatur vlterius, repetitis precibus postularunt à me, vt â prædicto Authore auferendo aliqua non necessaria, superadderem illi plura, quæ desunt, tam in quæstionibus ab ipso scriptis, quam in alijs, de quibus ille non egit.

Hæc meditatus sum pluriés cum corde meo, laborem hunc, viribus, & occupationibus meis, imparem omninó cognoscens; sed cúm ego intensissimo erga Studentium promotionem amore flagrem, pro exilitate mea ipsos coadiuvare decerno, præcipué illos, qui quotidie oculos pulsant, & aures, in quorum aspectu, & auditu, maximopere delector. Vt ergo, quò fieri possit ordine, opus incipiat, prosequatur, & consumetur, ipsum scribam duobus tomis partitum. Primus, suppositis aliquibus generalibus, & necessarijs præambulis, continebit Tractatum de Sacramentis in communi, & in particulari, quibusdam alijs adiectis, & doctrina Magistri Gonet, in illo quò ad substantiam inserta, parumpêr addita, vel variata, quia Collegæ prædicti, iam hoc firmitér, & solidè sciunt, & sic in re ista, non percurrent semitam, quam ignorant, cui tractatus de censuris superaddetur. Secundus, Tractatum de Præceptis Decalogi, & quidquid ad rem hanc pertinet, comprehendet; vt autem scribam hominũ istorũ stilo, materiæ erunt morales, forma scholastica, complementumque, casus, circa hæc sæpiùs occurrentes, ad proprias sedes, & difficultates reducti, quin varios Authores consulere sit opus, vt modo faciunt pro quolibet istorum; Nec ipsos turmatim in opere citabo, præter aliquos paucos, & primæ notæ. Tum quia, præcipué ago de intrinseca veritatum ratione. Tum quia Authorum prolixa citatio, sæpiús claritatem lectionis perturbat. Vtinam Omnipotens Deus, qui de tenebris lucem fecit splendescere, de vmbris ignorantiæ meæ, patentes veritates pandat, vt Angelici Doctoris sapientia, mentes illustret, & præcipué, vt tanquam lumen indeficiens, luceat his omnibus, qui in domo sunt.

QVÆSTIO PRIMA,

PRÆAMBVLA,

DE PRINCIPIJS GENERALIBVS DICENDORVM.

ARTICVLUS PRIMVS.

DE ESSENTIA, ET DIVISSIONE MORALITATIS.

SATIS arduam aggredimur materiam, in qua totius rei moralis, intendimus explicare notitiam, non quidem prolixa molle, quám nec legentes, nec ego posſimus ſufferre, ſed compendioſé, atque illatione intelligibili, Authorum doctrinam breviando, confuſſamque, & variam diffuſsionem relinquendo; & quidem tractatuum horum altitudo, & nobilitas, ex eo convincitur, quod illorum notitia, pro his, quibus ex munere competit animas dirigere, de ipſiſque curare, eſt neceſſaria ſimpliciter, pro reliquis autem omnibus, valdé vtilis, & proficua. Ratio pro omnibus eſt: nam ad æternam fœlicitatem, neceſſarium eſt finem noſcere, mediaque ad eius aſſecutionem applicare, qui enim finem ignorat, in illum non tendit, nec ipſum iam cognitum poteſt conſequi, ſine mediorum notitia; ſed vtrumque hoc, Theologia moralis præſtat: ergo, &c. Probatur minor: nam illa de fine, & beatitudine, quæ eſt verus hominis finis agit; deindé de humanis actibus, & eorum bonitate, & malitia, de habitibus, legibus, virtutibus, & gratia, quæ ad beatitudinis aſſecutionem conducunt: ergo Theologia moralis, de fine & medijs confert notitiam.

Conſtat deindé, neceſsitas ſimplicitér notitiæ moralis, pro Magiſtris animarum ductoribus: Nam vt prima veritas teſtatur, cœcus, ſi cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt: ergo vt Magiſtri, non vt cœci, & viam ignorantes, procedant, debent habere rei moralis notitiam; quare Thales Philoſophus, á muliercula fuit deriſus, quia oculis in cœlum erectis, vt de aſtris diſſereret, quæ in proſpectu erant, non videns, nec vbi pedem figebat advertens, incidit in foveam. Vnde aſſeruit Xenophon de Socrate primo indagatoré moralitatis lib. 1. de dictis, & factis eius: Illos, qui rebus naturalibus contemplandis vacabant, & non potiús moralibus, ſtolidos vocabat.

De reliquis omnibus, id ipſum conſtat: quia notitia Theologiæ moralis, homines viam æternæ fœlicitatis docet; vnde ait Euſebius lib. 11. Præparat. quod notitia rei moralis, ſingulos homines probos conſtituit, domos integrat, ad rectam gubernationem reducit, ac populos denique, diverſis regendi modis inſtruit; cui aſſentitur Lactantius lib. 3. divin. inſtit. cap. 7. dicens: quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, firmandiſque moribus, periculo maiori peccatur, maiorem diligentiam neceſſe eſt adhiberi, vt ſciamus, quomodo nos opportet vivere; de quo magnus Parens Auguſt. lib. 8. de Civ. Dei cap. 3. & 8. de Trinit. cap. 30.

Nec his obſtat: quód res morales, vel conſiderantur in communi, & ſic minús ſunt vtiles, quia

actio-

actiones in particularibus sunt, vt ait D. Thomas in prologo 2. 2. Vel in particulari & sic nequeunt, certó sciri, tum ob earum pené infinitam multitudinem. Túm quia contingentia, & incertitudine plenæ sunt. Respondeo, quod res morales, non debent sciri puré generalitér, quia sic vtiles non sunt, sed vt materias determinatas concernunt, & etiam in individuo, quia habita notitia specifica principiorum, illa scientificé ad singularem materiam applicantur, quod licét videatur difficilé consequi, studio tamen, & labore, potest facilé vinci.

Cúm igitur iuxta doctrinam hanc, ex principijs generalitér cognitis, ad singularia descensus fiat, ideó priusquam ad speciales materias deveniamus, opportet doctrinalitér examinare generalia principia, quæ sunt omnium dicendorum fundamenta; & primó occurrit notitia moralitatis. Pro quo sciendum est: quod nomen *morale* á more, vel consuetudine derivatur, vt ait D. Thomas, quia proprium est hominis, vt suis actionibus, morem introducat; moralitas autem, solúm tribuitur actibus liberis, qui sunt regulabiles per rationem. Vnde obiectum dicitur morale, quia attingitur per actus morales, & virtus moralis appellatur, quia est principium moralis actionis.

Vt autem actio humana moralis sit, non sufficit, quod sit libera, sed requiritur quod sit deliberata, quia solúm hæc est capax regulationis: Vnde pro eodem sumitur actio humana apud D. Thomam, ac deliberata; actiones enim indeliberatæ, licét sint actiones hominis, non autem humanæ, quia non subduntur perfecto dominio libertatis: Vnde motus primó primi, intellectús & voluntatis, non sunt digni laude, vel vituperio, quia cum perfecta libertate, seu deliberatione non fiunt.

In actionibus autem humanis, solus homo proprié operatur propter finem, quia ipse solúm agit ex proposito, & intentione, ad distinctionem agentium, quæ ratione carent, nam licét ferantur ad finem, proprié non agunt propter illum. In actionibus vero beatificis, licét liberæ non sint, homo propter finem agit, quia illæ eminentér continent, perfectionem actionum deliberatarum.

Finis autem, propter quem agit homo, est *cuius gratia aliquid fit*, hoc est, cuius amore, & bonitate, operatur voluntas; & alius dicitur propter quem, seu cuius gratia, vt sanitas respectu Medici, alius dicitur finis cui, vt infirmus respectu sanitatis: Alius dicitur finis vltimus, qui ad alium non ordinatur, & si est in omni genere, dicitur vltimus simplicitér, vt Deus, & si est in determinato genere, dicitur vltimus secundúm quid, vt victoria respectu belli; alius dicitur non vltimus, qui ordinatur ad alium finem, vt purgatio in ordine ad sanitatem.

Rursús finis, alius est proximus, qui immediaté intenditur est ab operante, & alius remotus, qui intenditur, mediante alio: alius finis *qui* nempé res ipsa possessa, vt pecunia respectu avari; alius finis *quo*, nempé ipsa assequtio rei, vt possessio pecuniæ; alius finis operis, sicut finis ambulationis est ambulare; alius finis operantis, vt finis ambulantis, est orare in aliquo loco: Alius finis principalis, qui primarió intenditur; alius secundarius, qui secundarió intenditur, vt finis primarius orantis, est laudare Deum, & finis secundarius, est percipere fructus beneficij.

Circa hanc divisionem; sciendum est: quód actus morales, sumunt speciem essentialem, ab obiecto & fine proximo operationis, quia hoc primum respicitur á voluntate deliberata; loquimur autem de specificatione morali, quia physica species, sumitur ab entitate; vnde species moralis, advenit entitati actús, tanquám accidens, sicut statua advenit accidentalitér ligno, & sic subiectum moralitatis, est actus humanus deliberatus, in sua specie, & libertate physica constitutus.

In omni actione humana, actio est propter finem verum, vel apparentem, quia finis est voluntatis obiectum, si autem actio est bona, agit propter finem verum, qui est Deus; & si est mala, propter finem apparentem: & non semper voluntas agit propter finem formalitér, sed sufficit si agat propter finem virtualitér, nempé ex primaria intentione non retractata, vt qui pergit Romam ad videndum Papam, non semper actu cogitat de hoc, & tamen movetur virtualitér ab illo fine.

Quando autem homo mortalitér peccat, ponit finem vltimum in creatura, quia illius actionis, aliquis debet esse finis, & ille nequit esse Deus. Nec ideó homo est Hæreticus; quia solúm aufert á Deo rationem finis practicé, non autem speculativé. In peccato autem veniali, finis est Deus, non quá ratione illud malum est, sed quatenús habet rationem boni negativé, quia in ipso actu peccandi, includitur voluntas non avertendi á Deo.

Subiectum, & principium actionis humanæ, sunt potentiæ animæ rationalis, quia istæ conveniunt homini, vt homo est, quæ potentiæ, aliæ sunt partis intellectivæ, aliæ partis sensitivæ, & aliæ partis locomotivæ, quarum naturam, & proprietates, explicabimus infrá. Nunc advertere sufficiat, quod intellectus, itá appellatur, quatenús quiescit in principijs; & dicitur ratio, quatenús ab vno procedit ad aliud.

Ratio autem, alia dicitur superior, quæ intendit rebus æternis consulendis; alia inferior, quæ intendit rebus temporalibus. Ad primam pertinet sapientia; ad secundam veró scientia: vnde iudicare temporalia per æterna, pertinet ad rationem superiorem; iudicare veró æterna per temporalia, pertinet ad rationem inferiorem. Eadem autem potentia, dicitur speculativa, quatenús meditatur veritatem, & dicitur practica, quatenús tendit ad opus,

& in hac est quidem habitus, qui dicitur Synderesis, ad attingenda principia practica per se nota, vt *quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

Ex quibus habetur: quód ex ratione practica,& voluntate, constituitur liberum arbitrium,quia voluntas, solúm dicit simplicem appetitum, & ad libertatem,vlteriús requiritur collatio extremorum: vnde D. Thomas diffinit liberum arbitrium sic: *Facultas voluntatis, & rationis, se habens indifferentér ad vtrumque*: Vnde actio moralis, est actio humana deliberata, regulata per rationem,& legem, quæ difinitio, ex dictis satis constat.

ARTICVLVS II.

De essentia, & divissione Virtutis.

SEcundúm fundamentum necessarió sciendum, ad intelligentiam rei moralis, est natura, & differentia virtutum, quæ sunt principia, á quibus eliciũtur actiones rectæ morales. Virtus ergó in cõmuni diffinitur sic. *Bona qualitas mentis,quá rectè vivitur, & quá nullus malè vtitur*; vnde virtus nullo modo concurrere potest,ad actum moralitér malum, quód si quis superbiat de sua virtute,tunc virtus,non concurrit per modum principij,sed per modum obiecti pravi vsus,vt dum quis eleemosynam confert, ob inanem gloriam.

Subiectum virtutum,sunt potentiæ animæ,quas rectificant, & etiam appetitus sensitivus, vt subditus rationi, quia sic participat eius imperium; vnde in irascibili residet fortitudò; in membris exterioribus corporis,virtus non subiectatur, quia illa ad nutum rationi obediunt,in quo ab appetitu sensitivo differunt; nec vires apprehensivæ sunt virtutis subiectum,quia non eliciunt actum perfectum, sed sunt dispositiones ad actum consumandum intrá intellectum: Vnde triplex datur subiectum virtutis, nempé intellectus,voluntas, & appetitus; loquimur de virtute simplicitér, quia virtus intellectualis,dicitur talis secundúm quid. Fides, & prudentia,residentin intellectu, charitas, spes,& Iustitia,in voluntate, fortitudo in appetitu irascibili, & in concupiscibili temperantia.

Dividitur primó virtus in acquisitam, quæ habetur per proprios actus,& infussam, quæ infunditur á Deo: Acquisita dividitur in cardinales, quia cardinem, & ostium præbent alijs inferioribus, & illæ sunt Iustitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia, & in particulares, quæ ad istas tendunt, & hæ, aliæ sunt exemplares, quia sunt exempla á nobis imitanda, vt virtutes Dei: aliæ politicæ, quæ conducùnt ad moderaté vivendum, aliæ purgatoriæ,quæ humana relinquunt, & ad divina trãseunt, aliæ purgati animi,quæ suam perfectionem habent, vt sunt virtutes Beatorum.

Huiusmodi virtutes,versantur circá media, ad distinctionem Theologicarum, quæ respiciunt finem;dantur etiam Uirtutes morales infussæ,correspondentes numero Cardinalium, quia intentio finis supernaturalis,requirit rectam electionem,quorum primum, fit á Theologicis, secundúm á moralibus infusis, quæ ex altiori motivo,attingunt materiam virtutis acquisitæ, quandó vehementes insurgunt tentationes; & sic dicitur in Psal. *Altissimum posuisti refugium tuum.* Tandem dantur dona Spiritus Sancti, quæ sunt superiora virtutibus moralibus, & inferiora Theologicis.

Quatuor autem proprietates assignat D. Thomas in virtutibus. Prima est,quod consistant in medio, quia sunt regula, & mensura actionum, denominatione sumpta á perpendiculo inter vtramque lancem; medium autem earum,est secundúm rationem, quod convenit omnibus virtutibus,& non secundúm rem, quod est speciale Iustitiæ. Solúm autem virtutes morales admittunt medium, non autem Theologicæ: Deus enim, potest sine modo attingi, licét admittat medium per accidens, ex parte operantis.

Secunda proprietas virtutum est connexió. nam ad benè operandum,requiritur recta electio, & ordinatio mediorum, & hæc rectam intentionem; primum fit per prudentiam, secundúm per alias virtutes; hanc autem connexionem habent virtutes,solúm in statu perfecto, quia tunc datur habitus efficax, & firmus, omnes virtutes exigendi, ex defectu enim vnius deficiùnt aliæ, nam si quis inclinatur ad Iustitiam, & castitate caret, tunc propter luxuriam á Iustitia deficiet, & sic de alijs. Virtutes etiam morales in statu elevationis, connectuntur cum charitate, & si manent sine illa, non sunt perfectæ,sicut fides & spes sine charitate, non sunt perfectæ, & formatæ. Fides potest esse sine spe, quia est prior illa, non autem spes sine fide, quia hæc est fundamentum illius; charitas veró,nequit esse sine fide, & spe, quia ad perfectam amicitiam requiritur, amicum cognoscere, & auxilium eius sperare.

Tertia proprietas virtutum est æqualitas, vel inæqualitas; æqualitas essentialis, sumitur ex obiecto, & accidentalis ex circumstantijs intensionis, &c. Virtutes infussæ, perfectiores sunt acquisitis, & inter illas,perfectior est charitas,sicut inter morales prudentia, quia perfectiús, & proximiús perficit rationem, & inter Iustitias, perfectior est legalis, quia respicit ius commune, & distributiva perfectior commutativa; Religio veró, & pœnitentia,sunt his perfectiores, quia respiciunt ius divinum.

Quarta proprietas virtutum est duratio. In inferno nullá virtus manet, quia damnati perpetró averruntur á Deo. Fides, & spes, non manent in beatis, quia obiectum est visum, & possessum, & quod videt quis quid sperat? vt ait Paulus. Charitas

verò in beatis manet, nunquàm enim excidit, quia eius obiectum, quód est summum bonum, non variatur. Virtutes morales manent in patria, quó ad formale earum, licét non quó ad materiale, quia ibi nullas frenant passiones, sed solúm rationem rectificant, in quó consistit earum esse formale.

Veniamus nunc, ad virtutes in particulari, & quidem de Theologicis, & de Religione, agemus in primo præcepto, nunc de Cardinalibus. Prima est prudentia, quæ est recta ratio agibilium; eius partes integrales sunt, memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, & cautio, partes verò subiectivæ sunt; prudentia monastica, quá quis regit se ipsum, & poliarchica, quá gubernatur multitudo, & hæc alia est regnativa, quæ residet in Rege, alia politica, quá homines se ipsos regunt; alia Economica quá administratur familia, alia militaris, quá reguntur milites. Regnativa, alia est monarchica, quá vnus præest multitudini, alia Aristocratica, quá pauci præsunt, alia democratica, quá multi gubernant. Partes potentiales Prudentiæ sunt, Eubulia ad rectificandum, consilium & synesis, ad iudicandum leges, & gnome ad iudicandum secundum rationem rectam, quando deficit lex, & hæc dicitur Epyqueya.

Prudentiæ opponitur per defectum vitium imprudentiæ, & per excessum prudentia carnis, astutia ad fallendum, dolus, qui est executio astutiæ, fraus, quæ est factiva dolositatis, & mensura minor Iusto, solicitudo nimia præsentium, & futurorum cum parva fiducia providentiæ Dei. Alia opponuntur illi indirecté, nempé oblivio, præcipitatio, hebetudo, inconsideratio, & negligentia.

Secunda virtus est Iustitia, quæ generalitér sumpta, significat omnem virtutem, quæ nos Iustos facit; quare dixit Christus: Oportet nos implere omnem Iustitiam; specialitér verò est: constans voluntas reddendi vnicuique ius suum. Ius autem, aliud est naturale, adæquatum ex natura sua, aliud positivum adæquatum ex condicto privato, vel publico. Partes subiectivæ Iustitiæ sunt tres, nempé Iustitia commutativa partis ad partem, distributiva totiús ad partes; & legalis partium ad totum. Prima tribuit æqualitatem secundum rem; secunda verò secundúm merita, tertia secundum legem. Partes potentiales Iustitiæ sunt hæc, Religio, Pœnitentia, pietas, obsservantia, & gratitudo, vindicativa, veritas, amicitia, & liberalitas.

Religio est: Virtus, quá reddimus cultum Deo, eius actus interiores sunt, devotio, & oratio, exteriores verò adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adiuratio, & assumptio divini nominis per laudem. Adoratio, alia est Latria, quá colimus Deum, alia dulia, quá colimus Sanctos, alia hyperdulia, quá colimus Beatam Virginem. Sacrificium est, quó aliquid offerimus Deo, in signum excellentiæ, aliud est cruentum, quód fit per effusionem sanguinis, aliud incruentum, sinè sanguinis effusione. Vocatur hostia, quia fiebat circá ostium, vel contra hostes; dicitur victima, quia erat pro victoria, vel de agno victo; holocaustum, quia igne consumebatur, libamen, quod fiebat de liquoribus, Immolatio de fructibus terræ, & tandem placenta, quæ fiebat de pane cocto.

Pœnitentia est: quá dolemus de culpis: Pietas, quá honoramus Parentes: Obsservantia, quá obedimus Superioribus: Gratitudo, quá gratulamur de beneficijs: Vindicatio, quá punimus mala: Veritas, quá dicimus verum: Amicitia, quá associamur alijs: Liberalitas, quá bona expendimus. Horum opposita sunt sequentia, iustitiæ nullum vitium opponitur per excessum, per defectum verò, opponitur iniustitia; Iustiriæ legali opponitur illegalitas; distributivæ, acceptio personarum, & commutativæ, omnia peccata, quæ proximo inferunt damnum, vt homicidium, contumelia, convitium, improperium, furtum, rapina, fraus, vsura, de quibus suis locis agemus.

Religioni opponitur per excessum superstitio, & per defectum Irreligiositas, vt dicetur in primo præcepto; pœnitentiæ opponitur per defectum impœnitentia, & per excessum pœnitentia indiscreta; pietati opponitur per defectum impietas, & per excessum, nimius amor Parentum; obsservantiæ opponitur per defectum inobsservantia, & per excessum nimius cultus dignitatis Personarum; obedientiæ opponitur per defectum inobedientia, & per excessum vitium innominatum; gratitudini opponitur per defectum ingratitudo, & per excessum, vitium innominatum; vindicationi opponitur per defectum remissio, & per excessum crudelitas; veritati opponitur per defectum mendatium, & per excessum vitium innominatum; amicitiæ opponitur per defectum litigium, & per excessum adulatio; & tandem liberalitati opponitur per defectum avaritia, & per excessum prodigalitas.

Tertia virtus cardinalis est fortitudo, & est virtus coerciva timoris, & audatiæ moderativa in periculis; eius actus sunt aggredi, & sustinere, & hic secundus est præcipuus, nam qui sustinet, habet pericula in re, & qui aggreditur in spe. Uirtutes fortitudini annexæ, sunt magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseverantia; vitia opposita, timiditas, & audatia. Magnanimitati opponitur per defectum pusilanimitas, & per excessum præsumptio, ambitio, inanis gloria, & superbia, cuius septem sunt filiæ, nempé inobedientia, iactantia, hypocrisis, pertinatia, discordia, contentio, & præsumptio novitatum. Magnificentiæ opponitur per defectum parvificientia, & per excessum consumptio. Patientiæ opponitur per defectum impatientia, & per excessum vitium inominatum; & tandem perseverantiæ opponitur per defectum mollities, & per excessum pertinatia.

Vlti-

Ultima virtus Cardinalis est temperantia, quæ moderatur delectationes appetitus, cuius partes subiectivæ sunt abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia: partes verò potentiales sunt continentia, mansuetudo, clementia, & modestia, cuius species sunt quinque nempé humilitas, studiositas, modestia morum, Eutropelia, & modestia cultus, quarum materiæ ex nominibus constant. Abstinentiæ opponitur gula, cuius filiæ sunt quinque, scilicét inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquiũ, & hebetudo mentis. Sobrietati opponitur ebrietas, & castitati luxuria, cuius filiæ, sunt octo, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus huius sæculi, & horror futuri. Pudicitiæ opponitur impudicitia, continentiæ incontinentia. Mansuetudini opponitur ira, cuius filiæ sunt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor inordinatus, indignatio, & blasphemia, & per defectũ opponitur ei lentitudo. Clementiæ opponitur per excessum lenitas, & per defectum crudelitas, vel atrocitas.

Modestiæ opponitur immodestia, humilitati opponitur per excessum superbia, & per defectum nimia abiectio sui, studiositati opponitur per excessum curiositas, & per defectum negligentia; Eutropeliæ opponitur per excessũ scurrilitas in ludis, & per defectum austeritas, duritia, vel agrestitas, modestiæ morum opponitur externa indecentia in motibus corporis; & tandem modestiæ cultus, opponitur per excessum luxus, & per defectum sordiditas, & ad hoc reducitur ordinatio virtutum á D. Thoma tradita, & nunc necessariò præmittenda.

ARTICVLVS III.

De natura, & divisione peccatorum.

TErtiúm fundamentum necessariò sciendum ad intelligentiam rei moralis, est notitia essentiæ, & divisionis peccati. Difinitur ergo peccatum sic: *transgresio divinæ legis.* Vel cum D. Augustino: *Dictum, factum, vel concupitum contrá legem Dei æternam.* Dicitur vitium, quatenús constituit habitum, peccatum verò quatenús nominat actum. Aliud autem est commissionis, quód consistit in facere malum, & est violatio præcepti negativi, vt iuramentum; aliud est omissionis, quód est non facere bonum, & est fractio præcepti affirmativi, vt non audire missam.

Rursús peccatum, aliud est originale, quod contraximus voluntate Adami; aliud mortale, quod est transgresio divinæ legis in re gravi, aliud veniale, quod est transgressio in re levi, & hoc aliquando est tale ex genere suo, vt verbum otiosum, aliquando ex imperfectione actus, cúm non adest plena deliberatio, & tandem ex parvitate materiæ, vt non auditio vltimi Evangelij Missæ. Sed sciendum: quod septem vitia, quæ á vulgo appellantur mortalia, non semper mortalia sunt, & ità vocantur, id est capitalia, quia sunt caput, & radix, ex qua alia peccata nascuntur, vt ex superbia nascitur elatio mentis, &c. & sic de alijs. Vnde regula generalis est, quod id, quod fit contrá Deum, proximum, vel se ipsum in re gravi, est peccatum mortale, aliás erit veniale.

Deindé peccatum, aliud est carnale, quod præcipué fistit in carne, vt gula, luxuria; aliud spirituale, quod fistit in mente, vt invidia, & hoc gravius est, quia plus avertit á Deo; aliud est peccatum contrá Deum, quod opponitur virtutibus ad Deum disponentibus, vt oppositæ fidei, spei, charitati, & religioni; aliud contrá proximum, vt homicidium, aliud contrá se ipsum, vt gula; aliud est peccatum oris, vt contumelia, aliud cordis, vt odium, aliud operis, vt homicidium.

Gravitas peccatorum, sumitur ex dignitate virtutum, quibus opponuntur, & ex parte offensæ, vt occisio Regis gravior est, quám occisio plebei; ex parte autem maiestatis divinæ offensæ, peccatum mortale est infinitum, quia personam infinitam lædit. Peccatum comissum contra duo præcepta, est vnum tantum, si habet eandem materiam, vt non auditio missæ in die Sancti Petri in dominica incidente, vtriusque enim materia, est virtus Religionis; aliud tamen esset, si materia esset diversa, tunc enim essent duo peccata.

Ille, qui voluntariè præstat occasionem peccati, peccat, sicut qui se somno traddit & ideó non audit Missam. Quomodó autem imputetur culpa? non est præsentis instituti; sed dicitur: quod culpa imputatur, quia voluntariè apposuit causam, tunc moralitér perseverantem. Actus primó primi, præcedentes voluntatis consensum, non sunt peccata, quia sine deliberatione fiunt. Si repræsentatio turpis procedit ex opere honesto, vt ex auditione confessionum, vel studio, non est peccatum, si absit consensus, nec ideó est opus relinquendum, quia repræsentatio oriatur, bené verò si procedat ex opere turpi, vt est collocutio familiaris cum mulieribus, ex qua repræsentatio consurgit.

Ex triplici causá, opus excusatur á culpa, nempé ex involuntario, ex metu, & ex ignorantia. Voluntarium est: quod est á principio intrinseco cum cognitione finis; aliud est voluntarium in se, quod ratione sui oritur á voluntate, vt furtum, aliud voluntarium in causa, vt cúm quis se voluntariè inebriat, homicidium ex ebrietate secutum, est voluntarium in causá; si autem voluntas postquam dedit causam, illam rectatat, antequám sequatur effectus, iste non imputatur ad culpam, bene verò ad pœnam, quia hæc solúm respicit actus exteriores.

Metus est: captivitas voluntatis ad faciendum opus, quod nõ faceret, si in purá libertate maneret; & est duplex, vnus cadens in virum constantem, vt

quan-

quandó vir constans, illum superare non potest & vocatur metus iustus, & gravis, alius est cadens in virum inconstantem, & vocatur metus levis. Metus non causat involuntarium absolutè, sed secundùm quid, scilicèt mixtum ex involuntario, vt cùm homo metu tempestatis proijcit merces in mari. Gravis tunc cognoscitur, quandó grave damnum timetur aut persona faciens est potens, & patiès debilis, ad quod debet attendi, quando mulieres dicunt se ob metum in matrimonium, aut stuprum consensisse. Nec est idem facere actum cum metu, ac facere ex metu; primum enim dicit puram concomitantiam, secundum verò influxum; quaré Martyres voluntariè mortui sunt, licèt cum metu mortem fuerint aggressi: Et similitèr actus attritionis est voluntarius, quia metus pœnarum non influit formalitèr in fugam mali, quod timetur. Concupiscentia, ait D. Thomas, non aufert voluntarium, imó auget, quia facit voluntatem fortiùs inclinari, licèt aliquando per accidens voluntarium auferat, vt contingit in ardenter amantibus, quibus vsus rationis penè absorbetur.

Ignorantia est: carentia scientiæ, & alia est antecedens, quæ præcedit actum voluntatis, alia concomitans, sine qua etiam peccatum fieret, & alia consequens voluntatis actum. Concomitans non aufert voluntarium, vt cùm quis occidit inimicum putans esse feram, quia etiam si cognosceret, occideret; vnde operatur cum ignorantia, sed non ex ignorantia. Ignorantia antecedens rerum, quas nec scimus, nec tenemur scire, causat involuntarium; ignorantia verò consequens, causat voluntarium simplicitèr, & involuntarium secundùm quid. Ignorans sui officij leges, mortaliter peccat, quia se exponit periculo errandi; sufficiè tamen, si sciat communiter occurrentia, & de cæteris dubitet, ponendo moralem diligentiam ad eorum notitiam.

Aliud extat caput, ex quo mensuratur gravitas peccatorum, nempé circumstantia, quæ est accidens quodam actionis humanæ. Circumstantiæ autem aliæ sunt generales, vt odium Dei, quód reperitur in omni peccato, & hæc confitendæ non sunt; aliæ mutantes speciem, vt furtum in loco sacro, quod fit sacrilegium, & hæ confiteri debent, quia specialem deformitatem dicunt. Aliæ sunt notabiliter aggravantes, vt furtum mille aureorum, de quibus probabile est, non deberi confiteri; sed verius est oppositum, ne varietur confessoris iudicium, vt debitum apponat peccato remedium; aliæ sunt circumstantiæ minuentes speciem, quæ non debent confiteri, vt si mulier consensit communi suasione, nisi taliter minuant, quod substantiam varient, vt si non adsit plena deliberatio.

Nec confitendæ sunt circumstantiæ impertinentes, vt si peccasti hora quarta, vel quinta, vel tali die, nisi forte esset specialitèr sanctus, vt feria sexta in Parasceve, vel similibus, quia speciali deformitate vestitur. Nec confitendæ sunt actiones partiales, quæ ordinantur ad eundem finem, vt si committis homicidium, non est necesse dicere, quód sumpsisti gladium; & similitèr in fornicatione, non sunt explicanda oscula, &c. nisi sint extraordinaria, quia continentur in actu principali confessio; & similitèr si confessor certó cognoscit conditionem pœnitentis, vt quod sit vxoratus, non est necesse dicere, quod adulterium comisit.

Circumstantiæ autem peccatorum, sunt hæ; *quis; quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* *Quis* denotat personam, vt si est Deo sacrata, *quid* qualitatem, vt furtum, *vbi* locum, vt si est sacer, vel non *quibus auxilijs*, instrumenta peccati, *cur* finem extrinsecum, vt largire eleemosynam ob inanem gloriam, *quomodo* modum, vt si furtum fuit rapina, *quando* tempus, quibus additur quantum continuum, vt si fuit in peccato præmeditatum tempus, & quantum discretum, id est numerus peccatorum.

ARTICVLVS IV.

De essentia, & divisionibus conscientiæ.

DVÆ sunt præcipuæ regulæ humanorum actuum, alia intrinseca, quæ est conscientia, & alia extrinseca, quæ est lex, quarum notitia est valde necessaria. Conscientia ergo in communi est: *Dictamen rationis, dictans quid hic & nunc sit faciendum, vel omittendum*; quæ est quintuplex. Prima dicitur recta, quæ dictat quod bonum est. Secunda erronea, quæ dictat, quod non est verum. Tertia opinativa, quæ dictat assensum vnius partis, cum formidine alterius. Quarta dubia, qua homo in nullam partem se vertit, sed manet suspensus. Quinta scrupulosa, quæ dictat assensum vnius partis cum formidine orta ex levibus inditijs.

Tenetur homo conformari, non solum conscientiæ rectæ, sed etiam erroneæ, si est invincibilis, & si est vincibilis debet deponi, & contrarium facere, est peccatum, iuxta qualitatem materiæ: & dicitur invincibilis, quando nequit vinci per humanam diligentiam, nec homini occurrit, quód sit error, & si occurrit, & non interrogat sapientes, imputatur ei, quod si non habet cui interroget, quod difficile est, pœniteat de suo errore, tunc enim opera secuta, non sunt voluntaria in causa.

Conscientia opinativa, seu probabilis potest sequi, alias probabilis non esset, & etiam quia Deus impossibilia non iubet, & non semper potest haberi certitudo de bonitate actionis; quæ autem opinio in praxi debeat sequi; in hoc stat moralitatis scopus. Ad quod sciendum, quod securitas, & probabilitas opinionum, á distinctis principijs desumuntur; securitas enim sumitur á remotione periculi, & probabilitas á fundamentis probativis; quare opinio minus probabilis, potest esse securior,

& é contra. Verbi gratia hominem teneri ad confeſsionem ſtatim vt labitur in mortale, ſecurius eſt, ſed non probabiliùs, & ſimilitér Sacerdotem teneri ad recitandum matutinas ante celebrationem, eſt ſententia minús ſecura, & magis probabilis.

Nunc ergo loquimur, non de probabilitate ſpeculativa, ſed practica, quæ intenditur in re morali, cuius fundamenta, alia ſunt intrinſeca, nempé ratio, & diſcurſus; alia extrinſeca, nempé auctoritas Doctorum. Vt opinio ſit probabilis ab intrinſeco, inſpiciendum eſt, primo lex, ſeu ius commune Reipublicæ. Secundo conſuetudo, quæ reducitur ad legem. Tertio poſſeſsio, vel præſcriptio legum. Quarto neceſsitas vrgens. Quinto damna ſubſecuta, & ſubſequenda. Sexto gravitas materiæ. Septimo non inculcare rationes ſpeculativas, niſi condiantur ſali prudentiæ, & ex his probabilitas intrinſeca conſurgit.

Similitér etiam, ad probabilitatem extrinſecam, ſunt attendenda ſequentia. Primum authoritas clasica. Secundum vitæ probitas, quia vt ait D. Thomas, Iuſtus rectiús iudicat. Tertium antiquitas, & ſequela Doctorum, quód ſi ſint Moderni, ſi alias ſint iuſti, & Sapientes, probabilitatem fundant, imó vnus gravis notæ, probabilitatem facit, niſi contra communem ſenſum iudicet, quia regularitér, plus ſapiunt omnes, quám vnus.

His poſitis dicendum eſt: quód opinio non probabilis practicé, non poteſt ſequi, quia opponitur rationi practicæ, contrá quam non licet agere; ſed ex opinionibus æqué probabilibus, quælibet ſequi poteſt, quia in fundamentis non differunt. Opinio autem magis tuta, non ſemper debet ſequi, dummodó ſequatur probabilis, quia nemo tenetur operari maius bonum, ſed ſufficit, ſi bonum operetur; & ſimilitér, poteſt quis deponere opinionem ſuam, & ſequi alienam, licét propria videatur probabilior, quia ſua fundamenta, poſſunt ab alijs facilé ſolvi, quod maximé verum eſt in ſcrupuloſis, de quibus poſteá dicemus.

Statuendum ergo eſt, iuxta dicta, tanquám certum, quod nequit ſequi opinio probabilis, relicta probabiliori. Conſtat primó, aliás via cœli, non eſſet ſtricta, ſed lata, contra dictum Chriſti. Secundó, quia latior eſſet via curationis animarum, quám corporum, quia his applicantur medicamenta probabiliora. Tertió, quia in concurſu opinionis probabilioris, operans iuxta minus probabilem libertati faventem, periculo frangendi præceptum ſe exponit, quia non habet certitudinem moralem, de rectitudine operationis.

Et ſi dicas: quod qui probabiliter incedit, certó incedit, hoc non valet, nam hæc certitudo nullibi habetur, nec ex ratione, nec ex Doctoribus. Et ſi dicatur, quod ex Doctoribus; falſum eſt, vt ait Lactantius, ne trahamur authoritate cuiuſdam, ſed veritati accedamus. Secundó, quia multitudo Doctorum, non extrahit opinionem, á linea minus probabilis, & ſic non cauſat moralem certitudinem. Tertió, quia iudicium de formidine, non tollit formidinem, hæc enim eſt contradictio.

Tandem, opinio minus probabilis, comparata cum probabiliori, improbabilis eſt ſicut tepidum comparatum calido, eſt frigidum, & Angeli comparati ad Deum ſunt materialis, vt ait D. Thomas. Vnde operari iuxta minus probabile, eſt operari improbabilitér comparativé. Secundó, nam qui facit opus, de quo probabilitér iudicat, diſplicere amico, illum contemnit. Nec obſtat, quód ſententia aſſerens, poſſe ſequi opinionem minus probabilem, eſt magis probabilis, & ſic operamur iuxta probabiliorem opinionem. Sed reſpondetur, quod eſt magis probabilis ſecundùm ſe, non veró in concurſu probabilioris, in quo conſiſtit difficultas.

Nunc in praxi dicimus, quód circa materiã & formãSacramentorum debet ſequi opinio magis tuta præcipué poſt Decretum Innocentij XI. Diſcipulus poteſt ſequi opinionem Magiſtri litterati, & Confeſſor, opinionem probabilem Pœnitentis, quia hic eſt reus, & aliás recté diſpoſitus. Advocatus nequit defendere cauſam iniuſtam, vt faveat reo, licét ipſum poſsit patrocinare. Iudex poteſt ſequi opinionem magis piam in favorem rei, & ſi opiniones ſunt æqué probabiles, ex facto teſtibus, &c. ſi cauſa eſt civilis, debet componere partes, & ſi eſt criminalis, faveat reo, & idem eſt, ſi ſunt æqué probabiles ex parte iuris. Medicus nequit vti medicinâ dubia, relictâ certâ, niſi ſciat non eſſe nocivam, & in æqualitate opinionum, quamlibet poteſt ſequi, ſed illa eſt probabilior, quæ longa experientia conſtat.

Circá conſcientiam dubiam, loquimur de dubia practicé, circá rem faciendam hic, & nunc, & ſi vna pars eſt in poſſeſsione, circá illam, debet intellectus determinari, quia in dubijs melior eſt conditio poſsidentis ſuam libertatem. Si quis dubitat, an fecerit votum ieiunandi, debet credere, quód non, quia in poſſeſsione libertatis exiſtit, & vt quis dicatur, libertatem poſsidere, ſufficit, quód pro illo ſtet præſumptio in foro exteriori, vt ſi Prælatus eſt in poſſeſsione officij, debetur illi obedientia, vſque dum contrarium probetur.

Vltima conſcientia dicitur ſcrupuloſa, & non eſt ſermo de ſcrupulo Samaritanorum, vt eſt in pluribus, circá res parvas, & non circá magnas, vt faciebat Samaritana, quæ verebatur loqui cum Chriſto, & non verbatur de ſua luxuria; nec loquimur de ſcrupulo, iuxtá errorem vulgi, qui viros timoratos, ſcrupuloſos appellat, ſed loquimur de ſcrupulo, qui eſt anxietas orta ex levibus inditijs, vt ait Pſalm. *Trepidaverunt timore, vbi non erat timor*, & hic dicitur, ſcrupulus puſillorum. Licité ergo operatur quis, contrá conſcientiam ſcrupuloſam,

imó ità operari debet, vt deponatur ſcrupulus.

Ex varijs autem cauſis, oriuntur ſcrupuli, nempé ex melancolia, ignorantia, vel inſtigatione Dœmonis, turbantis animam; ex nimia pœnitentia, aut ex permiſsione Dei, animam purgantis. Vt autem Confeſſor remedium apponat, cauſam ſcrupuli attendat, ſi enim naſcitur ex melancolia, conſilietur licitam diverſionem, ſi ex nimio ieiunio, quód id non fiat, niſi prudenti conſilio, & ſi ſcrupuloſus peritus eſt, ſibi conſilietur, quod conſilietur alijs, & hæc eſt generalis regula: quotiés opus comparatum ad legem, non eſt evidentér malum, ſignum eſt eſſe ſcrupuloſum.

Remedia ergo particularia, ex parte pœnitentis, ſunt ſequentia. Primó devota oratio, qua exigat á Deo curari; Secundó in omnibus obedire ſuperiori; Tertió conſilijs ſanis acquieſcere; Quartó contrá ſcrupulos conſtantér operari: Similitér ex parte Confeſſoris, alia dantur remedia. Primó, Pœnitentem benigné tractare; Secundó de ſcrupulis non loqui; Tertió dubia in piam partem interpretare; Quartó brevitér reſpondere, aliás ſcrupulorum puteus, nunquám exhauriri poterit.

ARTICVLVS V.

De Legibus.

SEcunda regula humanorum actuum, quæ eſt extrinſeca, dicitur lex, ratione cuius imputantur ad culpam, quia ſi non eſſet lex, neque eſſet prævaricatio. Diffinitur autem lex á D. Thoma ſic: *Ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata.* Alia eſt lex æterna, quá Deus gubernat omnia, iuxta illud: *Legem ponebat aquis*; alia naturalis, quæ ineſt á naturá, iuxtá illud Pauli: *Naturalitér quæ legis ſunt, faciunt*: alia eſt poſitiva, quæ ab aliquo eſt poſita, alia divina, quæ ponitur á Deo, alia humana, quæ ponitur ab hominibus; alia civilis, quæ ponitur ad regimen civium per Principem ſæcularem, alia Canonica, quæ ponitur ad regimen Eccleſiæ per Principes Eccleſiaſticos.

Vt autem obliget lex, debet has conditiones habere, honeſta, poſsibilis, neceſſaria, vtilis, & manifeſta; actus legis ſunt, vetare, punire, & permitere. Authoritas ponendi leges, eſt in habentibus poteſtatem iuriſdictionis, vel poteſtatem dominativam, vt in Patribus, & Dominis, & horum præcepta poſſunt etiam obligare ſub mortali, iuxtá qualitatem materiæ. Prælatæ Monialium, poſſunt aliquid præcipere, vt Matres Familiæ, ratione poteſtatis Economicæ.

Obligatio legum, ceſat per abrogationem, vel præſcriptionem, quæ eſt conſuetudo legitimé introducta, ad quod ſufficit, quód per decem annos non ſit in vſu; & ſi eſt Eccleſiaſtica, per quadraginta. Indicatur autem lex derogata, ſi Legislator videt quod quis operatur contrá illam, & permittit; excuſatur autem aliquis ab impletione legis, per ignorantiam, vel metum, cadentem in virum conſtantem, vt ſuprá diximus. Leges Superiorum, obligant ad mortale ſi materia eſt gravis, & tunc talis cenſetur, quando multúm conducit ad bonum commune, ideoqué poteſt Prælatus prohibere ludum, quia hoc conducit ad votum paupertatis, & hoc intelligitur, quando datur abuſſus, & ludus exceſsivus eſt, nam ob recreationem honeſtam, eſt actus virtutis Eutropeliæ.

Vnde, Religioſi non excuſantur ab obligatione præceptorum, licét iudicent, quód ſint de re levi, quia ſemper eſt materia gravis, iuxtá finem Prælati, ſicut ſervare temporalia in communitate, eſt gravis materia, licét cuilibet particulari videatur levis: Similitér materia, quæ ex ſe levis eſt, poteſt fieri gravis, ratione circumſtantiæ, vt ſuper eam cadat præceptum, ſicut ob contemptum, vel ſcandalum; ratione primi, Conſtitutiones Noſtri Ordinis, obligantes ſolum ad pœnam, obligant ad culpam, ſi ob contemptum tranſgrediuntur; ratione ſecundi, poteſt prohiberi ſub mortali, familiaris locutio Monialium, quia licét non cauſet ſcandalum, cauſat tamen gravem notam, & eſt occaſio, vt regularis obſervantia ruat, de quo alibi agemus.

Ex hucuſque dictis patet, quód vt obliget lex, requiritur, quód ſit promulgata, & acceptata á Populo; ſed hoc ſecundúm non tenet in legibus Pontificjis, quia non pendent ab acceptatione, cúm ponantur per iuriſdictionem immediaté á Deo acceptam. Nemo obligatur ad leges ante ſeptenium, quia tunc regularitér, vſus rationis incipit. Lex naturalis poteſt aliquid vetare, ſub pœna mortis ob commune bonum. Legislatores ſuperiorem non habentes, tenentur ad obſervantiam ſuarum legum, quo ad vim directivam, qua regulatur ratio, ſed non quo ad vim coactivam, qua infligitur pœna.

Circa legem naturalem, & divinam, poteſt dari rationabilis interpretatio, non tamen epyqueia quia in illis legibus, nihil enmendabile datur. Nec datur conſuetudo contra ius naturale, & divinum, nec contra ius gentium; ſi conſuetudo eſt immemorialis, & legitimé introducta, non tollitur per legem novam, dicentem, non obſtante quacumque conſuetudine, niſi ſpecialitér derogetur. Licitum eſt interponere præces, ad revocationem legum, & etiam non obſervare eas, vſque dum Legislator, mentem ſuam aperiat.

Diſpenſatio eſt; *Iuris relaxatio cum cognitione cauſæ, ab eo qui poteſt.* Privillegium non eſt proprié diſpenſatio, ſed eſt quaſi diſpenſatio. Superior implicité diſpenſat, quando ſcientér operatur contra legem, vt quando Epiſcopus dat beneficium illegitimo. Cauſæ diſpenſandi ſunt ſequentes. Prima, mu-

tatio

tatio temporum, Secunda, vtilitas communis, Tertia, conditio Personarum, Quarta, necessitas, pietas, & successus rerum; si aliqua circumstantia tacetur in petitione dispensationis matrimonij, & illud non dum est factum, subrreptitia est, secus si iam sit factum. Pontifex supplet defectum tacurnitatis, cùm dispensat motu proprio, si non ponatur falsitas in narrativa. Gratia facta, non spirat per mortem concedentis, benè verò gratia facienda. Pontifex dispensare potest, in his, quæ sunt de iure naturali, & divino, si pendent á voluntate humaná, quia potest destruere fundamentum, v. gr. in voto.

Hæc sunt generalia, totiús rei moralis fundamenta, ex quibus fluunt tractatus singuli, sicut rivuli á fonte; modo autem puré doctrinalitér afferuntur, quia licét de quolibet istorum, integrum possemus contexere tractatum, sicut authores faciunt lato calamo, atque diffusso, quia tamen, quæ adducuntur hic, transcendentia sunt, & passim atque sparsim occurrunt, illa ex professo, suis locis pertractanda relinquimus, ne semel actum, rursús inutilitér reagamus, nauseam enim repetitionis rerum earundem, specialitér vitare intendimus.

His ergo præiactis, modo sequitur iuxta superius adductam promissionem nostram, doctrinam inserere Tomi Quinti Magistri Gonet, quæ de Sacramentis in communi, & in particulari agit; Licét enim mens mea, esset á Decalogi præceptis incipere, iuxta ordinem scribendi Angelici Doctoris, illa modo postpono, vt studentibus meis satisfaciam, illi enim tractatus hosce, tantispér additos & expolitos, vel potiús á rebus non necessarijs, nec multum vtilibus expoliatos, ardenter primo scire desiderant.

Sed tamen, quia in comprehendendo non æquales sunt omnium mentes, nec omnes possunt æqué, profunda difficultatum flumina transuadare, vt doctrinam auribus omnium accommodem, ne si nesciero virtutem vocis, sim eis quibus loquor barbarus, ita rem agam, vt in cuiuslibet tractatus, & quæstionis vestibulo, doctrinæ summam proponam, vt qui non nimio pollent ingenij acumine, hoc sint contenti, quod veritatum substantiam degustent, nec vlteriús ad altiora progrediantur; pro alijs verò, qui peritiores sunt, in sequentibus, super doctrinam istam proponentur dubia, rationes, argumenta & casus, quæ ad pleniorem instructionem exoptantur, vt ita omnes proportionatas accipiant species, nec sint fraudati á desiderio suo. Doctrinam ergo M. Gonet, sic vel sui aliter dispositam, sequentibus quæstionibus proponemus.

QVÆSTIO SECVNDA,

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Doctrinæ Summa.

OMNIA quæ de Sacramentis in communi seu in genere, dicenda se offerunt sunt, eorum essentia, necessitas, causa & effectus; circa essentiam ergo Sacramentorum, sic diffinitur Sacramentum physicé sumptum: *Artefactum quodam, constans ex rebus & verbis, divina institutione determinatis*; metaphysicé vero sic: *Signum rei sacræ, sanctificantis nos*; quaré aqua benedicta Sacramentũ non est, quia hæc non est signum sanctificãs animam. Quomodo autem Sacramentum, manifestet gratiam, cùm hæc sit occulta? Dicatur: quód gratia interior, manifestatur per accidens, nempé per signa sensibilia, sicut in pœnitentia, contritio interior, manifestatur per confessionem sensibilem.

Sed est notandum: quód significatio Sacramenti, ad plura se extendit. Primó enim significat causam nostræ iustificationis, quæ est passio Christi, vt præterita, & sic dicitur, signum rememorativum. Secundó formam iustificantem, quæ est gratia præsens, & sic est signũ demonstrativum. Tertió finem iustificationis, nempé gloriam futuram, & hoc modo est signum prænuntiativum. Nec ideo dicitur Sacramentum, signum æquivocum, quia plures res significat, quia illas significat cum ordine, ad constituendum vnum totum; sicut homo significat animam & corpus, pro vt ex eis constituitur natura humana.

Hoc autem signum, in quo essentia Sacramenti consistit, debet esse sensibile; & ratio est: quia hoc naturale est homini, quód per res sensibiles cognoscat spirituales. Nec obstat: quód ait D. Ioann. nempé quod Deus in spiritu adorari debet. Resp. enim, quod hoc dicitur, quia res sensibiles, non deserviunt per se ad cultum Dei, sed quatenús ad spirituales ordinantur, in quibus consistit regnum Dei. Hæc autem res sensibiles, debent esse determinatæ,

quia

quia noſtra iuſtificatio pendet á Deo, á quo debent media ad finem determinari. Nec ideo via gratiæ eſt difficilis;quia res neceſſariæ ad vſum Sacramentorum, poſſunt faciliter conſequi.

Deinde, præter ſignificationem, requiruntur verba ad Sacramenta, quia per verba, conceptus ſignificamus; & ita conformamur cum Chriſto,qui eſt verbum Patris; ſed quomodo verba rationalia, & res naturales, quæ ſunt diverſi generis, poſſunt vnum facere Sacramentum? Reſp. quód hoc eſt, quatenús vniuntur in ſignificando, quia per verba, completur ſignificatio rerum: verba autem, debent eſſe determinata, quia habent rationem formæ, quæ debet eſſe determinata, in quolibet toto.

Nec huic opponitur, quód pro diverſitate nationum, varientur verba; illa enim variatio, eſt puré materialis, & quo ad ſonum, non vero quo ad ſubſtantialem ſignificationem; nec apud nos, poteſt hæc variatio ſubſtantialis ſine culpa fieri, bene vero accidentalis variatio, vt in truncate proferentibus, quia forma non conſiſtit in ſono, ſed in ſignificatione formali.

Circa neceſsitatem Sacramentorum, hæc, ex pluribus congruentijs deducitur. Prima, vt homines modo humano,cognoſcant ſpiritualia per ſenſibilia. Secunda, vt percipiant remedium, ex ipſis rebus ſenſibilibus, quæ fuerunt cauſa damni. Tertia, quia ſua propenſione ſenſibili ducti, aliciuntur ad ſpiritualia; ſed tamen in ſtatu innocentiæ, non fuerunt neceſſaria Sacramenta ſenſibilia, quia anima, perfectè dominabatur corpori,nec poterat per ſenſibilia perfici. Nec obſtat: quód homo tunc egebat gratia. R. enim,quod illa non erat per ſigna ſenſibilia conferenda, ob rationem dictam, vnde matrimonium tunc, non fuit vt Sacramentum inſtitutum, ſed in officium naturæ. Sed ante Paſsionem Chriſti, neceſſaria fuerunt Sacramenta, vt ſigna gratiæ, Redemptoris futuri; quia cum paſsio fuerit cauſa finalis Sacramentorum, non petit præcedentiam in executione, ſed ſolúm in intencione. Bene verũ eſt:quód Sacramẽta noſtra poſt Chriſtũ, valde differunt á Sacramẽtis antiq; legis,quia noſtra ſignificant Chriſtum præſentem & gratiam clarè,illãq;cauſant ex opere aperato, quód non cõvenit Sacramentis antiquis; nec hoc inducit mutationem in Deo,quia ad ipſum pertinet ſpecialis providentia rerum immutativa,pro temporum diverſitate.

Infertur ex his: quod Sacramenta noſtra, excedunt antiqua in perfectione, quia noſtra ſunt realia, & antiqua, ſolúm erant figuralia. Sed eſt notandum: quód in quolibet Sacramento,tria reperiuntur, nempé res tantúm, & eſt quod ſignificatur & non ſignificat; Sacramentum tantum, quód ſignificat & non ſignificatur, & res & Sacramentum ſimul, quód ſignificatur & ſignificat. Exemplum eſt, in Sacramento Euchariſtiæ, in quo, res tantúm, eſt gratia cibativa, Sacramentum tantúm, ſpecies panis & vini, & res & Sacramentum ſimul, Chriſtus contentus ſub ſpeciebus,& idem de alijs, & in penitentia,ait D. Thom. quód res & Sacramentum ſimul, eſt renovatio interior.

Sequitur nunc effectus Sacramentorum, qui eſt duplex; primus eſt gratia, quæ eſt effectus generalis omnium, ſecundús eſt caracter,qui eſt effectus ſpecialis aliquorum Sacramentorum. Omnia ergo Sacramenta cauſant gratiã,tanquám inſtrumenta divinæ virtutis, elevantis illa. Nec eſt inconveniens, quód cauſare gratiam, quód eſt proprium Dei, creaturæ conveniat; Deus enim cauſat principalitér, & Sacramenta ſolum inſtrumentalitér. An autem gratiam phyſicé cauſent? Reſp. affirmativé, hoc enim poteſt fieri per virtutem ſpiritualem elevantem, in rebus corporeis, tranſeunter receptam, vt infrá dicetur.

Sed tamen,licét omnia Sacramenta cauſent gratiam, non tamen omnia primam gratiam cauſant, ſed ſolum Sacramenta mortuorum, quæ ita dicuntur, quia animã ſupponũt mortuam per culpam,vt pœnitentia & baptiſmus, alia autem Sacramenta, quæ dicuntur vivorum,quia ſupponunt primã gratiam, ſolúm cauſant gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ. Sed an aliquando Sacramenta vivorum, primam gratiam cauſare poſsint? Difficultas eſt ſatis iucunda,ſed illa eſt inferiús examinãda. Gratia autem Sacramentalis, addit aliquid ſuprá iuſtificantem, quia hæc, ordinat actus generalitér, & gratia Sacramentalis, ordinat ſpecialitér, ſecundúm chriſtianæ religionis ritus.

Secundús effectus, illeque ſpecialis aliquorum Sacramentorum, eſt caracter; quia Sacramenta, non ſolúm rectificant animam, delendo culpam, quod fit per gratiam, ſed etiam ſignando in ordine ad cultum Dei, quód fit per characterem, ſicut milites in exercitu,ſuis ſignis diſtinguuntur; ſed non omnia Sacramenta imprimunt characterem, ſed ſolum tria, nempé baptiſmus, confirmatio, & ordo, ideoque reiterari non poſſunt. Eſt autem character: ſignum indelebile animæ impreſſum. Sed quomodo gratia,quæ eſt perfectior poteſt amiti, & non character? Dicatur: hoc ideo eſſe; quia gratia eſt habitus accomodatus cum anima mutabili; character veró derivatur á Sacerdotio Chriſti, quód æternum eſt.

Deinde eſt ſciendum de Sacramentis eorum cauſa, quæ eſt Deus, quia ipſe ſolus eſt cauſa noſtræ iuſtificationis, quæ eſt Sacramentorum finis. Hæc autem cauſalitas, tribuitur Chriſto vt Deo, & vt homini, ſed diverſimode,nam vt Deus, cauſat Sacramenta per poteſtatem authoritatis, & vt homo, per poteſtatem excellentiæ, in merito paſsionis fundatam; quám tamen potuit Chriſtus communicare homini puro, vt dicetur infrá, licét de facto nulli communicaverit. Mali miniſtri Sacramẽta diſpẽſant,quia ſolúm vt inſtrumẽta agunt.

Nec

Nec obstat, quod nemo dat quod non habet, & ipsi non habent gratiam; nam hoc intelligitur de dante authoritate propria, Sacerdos autem Sacramenta conficit, vt instrumentum Dei.

Minister autem, Sacramenta conferens in mortali, peccat mortalitér, quia non conformatur cum Domino, qui sanctus est, quód præcipué verúm est, si est minister solemnitatis, & Sacramentum conficit, non autem si est minister necessitatis, vt mulier baptizans, & si non conficit Sacramentum, vt Sacerdos communicans alios; An autem prædicare in peccato mortali, sit mortale? Resp. negativé, quia illud non est exercitium sacrum, nec exigit consecrationem ministri.

Vltimó requiritur ad Sacramenta, determinata intentio, quia sic determinatur materia, quæ aliás indifferens erat ad alios vsus, vt patet in aqua, respectu baptismi. Et si dicas: quód sic, nemó erit certus de Sacramento quód suscipit, quia illi de intentione ministri nón constat. R. quód sufficit, si exprimatur per verba Ecclesiæ, de quibus suscipiens sit certus. Intentio autem, non sufficit, quód sit habitualis, quia hæc potest in somnis haberi; nec requiritur actualis, quia potest contingere diversio, sed sufficit intentio virtualis; per hoc quod anteá intendatur fieri, quód Ecclesia facit, nec retractetur postea; & hæc est generalis doctrina Sacramentorum in communi; circa quam notare debes, quód cum proximé dixi: verba posse accidentalitér sine culpa variari, hoc non est, quia sit in manu nostra, hæc accidentalis variatio vllo modo, sed quia aliquando, absque culpa evenit, vt in proferentibus truncaté, quód ampliús explicabitur infrá. Modo ad difficultates deveniamus.

ARTICVLVS I.

De essentia, & necessitate Sacramentorum.

Prima difficultas. An Sacramentum sit in genere signi vel causæ? Resp. quód Sacramentum est in genere signi, & etiam in genere causæ, non stricté, sed laté sumptæ, abstrahentis á physica & morali, sed meliús dicitur esse in genere signi. Prima pars est D. Thom. 3. p. q. 60. art. 1. & constat ex D. August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 5. vbi ait: Sacramentum est sacrum signum; & idem habet D. Bern. Serm. de cœn. Domini. Ratio D. Thom. est hæc: quia omnia quæ dicunt ordinem ad aliquid, possunt ab eo denominari; quapropter aliquid dicitur sanum formalitér á sanitate animalis, vel effectivé, á virtute conservandi sanitatem, vt medicina, vel significativé vt est sanitatis signum, vt vrina: ergo similitér per ordinem ad sanctitatem, aliquid dicitur sanctum, quia est sanctitatis forma vt gratia, vel quia est effectivum, vel significativum sanctitatis, quæ sanctitas reperitur in Sacramentis. Secunda pars, nempé quod Sacramenta sint etiam in genere causæ, constat ex D. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. Tertia pars prob. Ratio generica, in omnibus speciebus reperitur; sed causare instrumentalitér physicé sanctitatem, non convenit omni Sacramento, vt patet in Sacramentis legis antiquæ: ergo causalitas physica stricta, non est de ratione Sacramenti in communi. Prob. de causalitate lata, ex ratione oppositá; nam hæc lata causalitas, omni Sacramento convenit; siquidem etiam Sacramenta veteris legis, gratiam moralitér causabant, movendo Deum ad gratiæ collationem, licét vim productivam illius, non continerent. Præterquam, quod vt ait D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. Sacramenta proprié dicuntur, illa quæ adhibebantur Dei cultoribus, ad aliquam consecrationem; vnde omnia Sacramenta, important causalitatem laté, id est formalitér sacrativã, non autem proprié effectivam.

Vltima pars prob. nam ex ratione signi & causæ, prior vt vidimus, proprié convenit omni Sacramento, tám novæ, quám antiquæ legis, non autem secunda, insuper illa, est prior secundúm rationem & hæc posterior: ergo Sacramentum, convenientiús dicitur esse in genere signi, quám causæ pat. cons. nám convenientiús dicitur genus, quód omni speciei convenit; & ideó D. Thom. hic ponit Sacramentum in genere signi, simplicitér & absoluté. Et si dicas: quód signum est in genere relationis, & causa in genere qualitatis, quia addit significationi virtutem effectivam, & sic Sacramentum, nequit esse in vtroq; genere, nám genera non subalternata, nequeunt habere easdem differentias.

Hoc tangitur á D. Thom. q. 62. art. 1. arg. 1. & respondet ibi, quód ambo genera faciunt vnum, quia ordinantur ad aliquid sacrum per modum signi, & per modum causæ; & expressiús q. 60. art. 6. ad 2. quód illa sunt diversa genera in esse naturæ, sunt tamen vnum in ratione significandi; nihil enim prohibet, aliqua esse plura in vno genere, & vnum in alio, sicut ens reale & rationis, sunt plura in esse entis, & vnum in esse scibilis, quód præcipué est verum in composito artificiali, quale est Sacramentum, habens vnitatem diminutam, sicut in moneta, materia & forma æris & sigillatio, quæ diversa genera sunt in esse entis, sunt vnum, in ratione valoris.

Sed Arguitur. Sacramentum in communi, nec est signum naturale, nec ad placitum. Non primúm, quia illa ex quibus constat, non significant gratiam naturalitér; Non secundúm, quia signum ad placitum, est formalitér ens rationis; & Sacramentum est aliquid reale: ergo Sacramentum nullo modo est signum pat. cons. quia nullum aliud signum datur, nisi naturale, vel ad placitum. Resp. quód Sacramenta, sunt signum ad placitum, & cum dicitur, quod hoc signum est ens rationis, dist. est ens rationis formalitér, conc. absoluté, neg. explicatur: in concreto accidentali, aliud est pro quo

ſupponit, nempé materia, ſeu ſubiectum, aliud veró per quod formalitér conſtituitur, ſcilicét forma accidentalis; hoc ſecundum, non prædicatur abſoluté de concreto, benè veró primum; non enim dicitur abſoluté, cathedra eſt figura, benè veró, cathedra eſt lignùm; cúm ergó ſignum ad placitum, quale eſt Sacramentum, ſit concretum accidentale, dicens in recto ſignificationem, quæ eſt relatio rationis, hæc non prædicatur abſoluté de illo, ſed ſolúm materia, quæ aliquid reale eſt, licét poſsit dici, quód Sacramentum eſt ens rationis, cum addito, nempé, pro formali.

Dices: hoc modo, Sacramenta non eſſent, niſi dependenter, ab operatione intellectus, ſicut omnia entia rationis; ſed hoc eſt falſum; illa enim permanentér ſunt in Eccléſia, ſuppoſita inſtitutione Chriſti: ergo ſolutio non eſt vera. Reſp. diſt. mai. non eſſent actu & formalitér conc. fundamentalitér, nego. Sed cur exiſtente ſolo fundamento, detur in Sacramento abſoluta denominatio? Dico: quód hoc eſt peculiare in ente rationis, quód exiſtente fundamento denominetur, quia illud, parum diſtat ab eſſe, & quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, vt videre eſt in vocibus in libro clauſo, quæ ducunt ad rerum cognitionem, licét tunc non habeant actualem ſignificationem, ſed ſolúm fundamentum proximum illius.

Maneat ergo, quód Sacramenta ſunt in genere ſigni ad placitum, & non naturalis; hoc conſtat ex eo, quód Sacramenta, non ſignificant gratiam ex natura ſua, ſed ex libera inſtitutione Dei, qui ſicut aſſumpſit pro Sacramentis, has res ſenſibiles, potuit aſſumere aliás, & in hoc, eſſentia ſigni ad placitum conſiſtit. Nec obſtat: quód hæc verba: ego te abſolvo á peccatis tuis, ſecluſa inſtitutione divina, ſignificant ſolutionem peccatorum. Reſp. enim, diſt. ant. ſignificant ſpeculativé & popularitér, conc. practicé, & Sacramentalitér, neg. hanc enim ſecundam ſignificationem, habent ab inſtitutione divina, determinante verba, vt ſint forma Sacramenti pœnitentiæ.

Hæc doctrina eſt D. Thom. 3. p. q. 64. art. 2. ad 2. vbi ait: quód res ſenſibiles, aptitudinem quandam habent, ad ſignificandum ſpirituales effectus, ex ſui natura, ſed iſta aptitudo, determinatur ad ſpecialem ſignificationem, ex inſtitutione divina; vnde aſſerunt communitér Theologi, quód licét in Sacramentis, præcedat ex natura rei, quædam aptitudo proportionalis, vt inſtitutio ſit aptior, & convenientior, ſed tamen ſignificatio completa, & determinata Sacramentorum, eſt ad placitum, ex inſtitutione divina; ita vt nec de potentia abſoluta Dei, poſsint inſtitui Sacramenta, quæ ſint naturalia ſigna; de quo Prado q. 60. dub. 2. §. 2.

Contra vltimam partem reſolutionis obſtat: quód eſſe cauſam gratiæ, eſt quid perfectiús in Sacramentis, & ſic hoc intimiús eſt, rationi generice Sacramenti. Reſp. quód cauſare gratiam, eſt quid nobiliús materialitér, illam veró ſignificare, eſt formalitér perfectiús; nam perfectio medij, ſumitur á fine, ſignificatio autem reſpicit pro fine, honorem & reverentiam Dei, qui eſt perfectior finis, quám ſalus noſtra, quæ eſt finis vis cauſativæ Sacramentorum, & ideo in eorum quidditate generica, intimiús ingreditur ratio ſigni, quám ratio cauſæ.

Infertur ex his, quód Sacramenta noſtra, & antiqua, non conveniunt vnivocé, ſic D. Thom. in 4. diſt. 1. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 3. ad 5. vbi ait: Sacramentum, non dividitur per Sacramenta veteris & novæ legis, ſicut genus per ſpecies, ſed ſicut analogum in ſuas partes, vt ſanum in habens ſanitatem, & ſignans eam, Sacramentum autem ſimplicitér eſt, quód cauſat ſanctitatem, quód autem ſignat tantúm, non eſt Sacramentum, niſi ſecundúm quid. Hoc explicatur dicendo; quód attenta ratione completa Sacramenti, quæ conſtat ex ratione formali & materiali, ambo Sacramenta conveniunt analogicé, licét inadæquaté, & in ratione formali ſignificationis, conveniant vnivocé. Exemplum eſt in cathedra lignea & picta, quæ licét in ratione completa conveniant analogicé, quia lignea, præter accidentia, habet ſubſtantiam cathedræ, & eſt apta ad ſeſsionem, quód picta non habet, in ratione autem incompleta & formali, quæ eſt figura, conveniunt vnivocé.

Hinc deducitur ratio: nam Sacramenta legis novæ, ſunt talia ſimplicitér, & non ſolúm ſunt ſignum, ſed etiam cauſa gratiæ, antiqua veró hæc non habent: ergo in ratione adæquata Sacramenti, vnivocé non conveniunt, pat. conſ. quia extrema participantia inæqualitér rationem communem, analogicé conveniunt in illa, ant. quo ad 1. partem conſtat ex auct. adducta D. Thom. & infrá conſtabit, agendo de cauſalitate Sacramentorum; quo ad 2. partem patet, nam ideó Sacramenta antiqua, vocantur á D. Paulo, infirma & egena elementa, & inſuper vmbra futurorum; quæ omnia, denominationem imperfectam & ſecúndúm quid exprimunt.

Si objicias: quod religio antiqua, & noſtra, vnivocé conveniunt, & ſimilitér fides, & ſacrificium: ergo etiam Sacramenta. Neg. conſ. quia fides, religio & Sacrificium, in antiqua, & nova lege, reſpiciunt idem obiectum vnivocé; Sacramenta veró, non habent eundem modum cauſandi gratiam, vt proximé vidimus, vel ſi in aliquo conveniunt vnivocé, eſt in ratione inadæquata ſigni. Sed eſt notandum, quod propter illam analogiam, non dicuntur Sacramenta antiqua, metaphoricé talia, quia analoga proportionalitatis, participant intrinſecé rationem communem, licét vnum dicat habitudinem ad aliud, vt patet in ratione entis, reſpectu Dei, & creaturæ.

Secunda difficultas. Quám rem ſacram, ſignificent

cent Sacramenta ? Dico 1. Sacramentum significat perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam, in actuali vsu Sacramenti conferendam. Prima pars constat ex Trident. Sess.13. cap.3. vbi dicitur:quód Sacramentum est, invisibilis gratiæ, visibilis forma, & D. Thom. q.60. art.2. ad 3. ait : solùm esse Sacramenta, quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ. Ratio est : quia Sacramentum, solum á Deo potest institui, vel ab alio ex eius commisione; sed si ad Sacramentum sufficeret, significare sanctitatem imperfectam, etiam Ecclesia posset Sacramenta instituere propria authoritate, sicut instituit ceremonias, imperfectam sanctitatem significantes : ergo hæc significatio, ad Sacramenta non sufficit. Explicatur : Sacramentum, ita debet sanctitatem significare, vt differat ab illis, quæ Sacramenta non sunt ; siquidem hoc est proprium differentiæ essentialis rei ; sed plura quæ non sunt Sacramenta, significant sanctitatem imperfectam & legalem ; in lege enim veteri, plures ceremoniæ, illam significabant; quare dixit Paulus ad Hæbr.9. hostiæ offeruntur, quæ non possunt, iuxta conscientiam perfectam facere servientem, & idem est in lege nostra, de prima tõsura, de signo crucis, & de aqua benedicta, quæ omnia Sacramenta non sunt, & sanctitatem imperfectam significant : ergo hæc significatio, ad Sacramentum non sufficit.

Secunda pars, nempé quod Sacramenta significent gratiam, in actuali vsu conferendam. Prob. Tùm, quia Sacramentum est signum practicum gratiæ, quod non esset, si non significaret gratiam, in vsu actuali conferendam. Tùm : quia si sufficeret ad Sacramentum, puré significare gratiam, non conferendam in vsu, nulla esset ratio, cur sacrificia legis antiquæ, non essent proprié Sacramenta, cum etiam significarent gratiam, conferendam per Christum, in lege Evangelica ; conseq. est falsum, vt patet ex D. Thom. 1. 2. q.101. art.4. ad 2. & in 4. dist.1. q.1. art.1. quæstiunc. 1. ad 3. ait: Quamvis serpens æneus, esset signum rei sacræ sacrantis, non tamen in quantum sacrans est actu, quia non ad hoc adhibebatur, vt aliquis sanctificationis effectus perciperetur: ergo Sacramenta nostra, gratiam significant, in actuali vsu collatam.

Sed obstat contra hoc 1. nam Concil. Florent. in Decreto vnionis, ait: Quód Sacramenta antiqua, gratiam non causabant, sed solum illam per Passionem Christi dandam figurabant: ergo non vt dandam in actuali vsu, quia particula *solum*, exclusiva est. 2. D.Tho. hic art.2.ad 1. ait, quód sanctitas significatur á Sacramentis, per modum causæ formalis, vel finalis, & sic non semper eam significant, vt præsentem actu, per modum causæ formalis.3.quia gratia, aliquando non confertur in actuali vsu Sacramenti, vt patet in eo qui ficte, & cum affectu ad peccatum, recipit baptismum.

Resp. ad 1. quód sensus Concilij est, quod gratia erat danda in virtute Passionis Christi, & sic particula *solum*, non excludit præsentiam ipsius gratiæ, sed tantum excludit, vim effectivam illius, á Sacramentis legis antiquæ. Ad 2.quód D.Thom. intelligit, quod Sacramenta significant gratiam, per modum formæ, in ordine ad subiectum, quod Sacramentum susçipit, sed per modum causæ finalis, in ordine ad legem antiquam ; vnde licét hoc secundo modo, significent gratiam in genere causæ finalis, sed primo, modo illam significant vt præsentem, & in genere causæ formalis. Ad 3. quód Sacramenta conferunt gratiam per se, in eorum vsu, si subiectum est dispositum ; si autem dispositum non est, gratiam non recipit, sed hoc est per accidens, & ex defectu subiecti, non autem ex defectu significationis Sacramenti.

Dico secundó : Sacramenta, principaliùs significant gratiam formalitér sanctificantem, quám Passionem Christi & gloriam. Diximus supra: Sacramenta significare Passionem Christi præteritam, gratiam præsentem, & gloriam futuram, quod habetur apud D.Thom. 3.p. q.60. art.3.& expressiùs opusc. de Eucharistia, de qua ibi ait, quód per illam, recolitur memoria Passionis Christi, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ, nobis pignus datur; & D. Paulus de Eucharistia, ait, quod mortem Domini annuntiat, & D.Ioannes quod per illam, Deus manet in nobis, & vivimus in æternum, in quibus continentur tria prædicta, nempé Passio Christi, gratia & gloria.

Nunc dicimus, quód ex his tribus, gratia principaliùs significatur, per Sacramenta, constat ex D. Thom. loc. cit. vbi ait : Quód Sacramentum proprié dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem ; & in 4. dist.1. q. 1. art.1. quæstiunc. 1. ad 4. dicit de Sacramentis : significant effectum sanctificationis quam faciunt, & hæc significatio, est eis principalis. Ratio est : nam id ad quod aliquid est primario institutum, est eius principale significatum ; sed Sacramenta primario instituta sunt, ad nostram sanctificationem, quæ per gratiam fit : ergo hæc, est significatum principale illorum. Explicatur : Sacramenta sunt primario instituta, ad sanctificationem nostram ; sed ad hoc principaliùs concurrit gratia : ergo hæc principalitér significatur, prob. min. in qualibet re, priùs est intimum & intrinsecum, quam extrinsecum, sed gratia concurrit ad sanctificandum intrinsecé, quia est sanctitatis forma, Passio autem Christi, concurrit vt causa efficiens, & gloria vt causa finalis: ergo, &c.

Sed tamen, licét significatio Passionis Christi & gloriæ, non sit essentialis Sacramentis, est tamen integralis. Prob. de Passione, quia sanctificatio significata per Sacramenta, est medicinalis, & pro vt sic respicit Christi Passionem, quæ est totiús mundi medicina. Prob. de gloria : quia gratia sanctificans,

cans, ordinatur ad sanctificationem consumatam, tanquam ad finem, & hæc, in gloria consequitur. Dices: si Sacramenta nostra, non significant principalitér Christi Passionem, in quo differunt á Sacramentis antiquis? Resp. quód licét ambo Sacramenta, gratiam principalitér significent, nostra autem, illam significant modo perfectiori, vt collatam exercité per Christum præsentem, antiqua verò, vt conferendam, per Christum futurum significabant, & in hoc stat eorum differentia.

Arguitur contra hoc: causa principalis sanctitatis Sacramentorum, est gloria, quia finis, movet agens: ergo illa, principaliús significatur. Prob. cons. nam idem ordo servatur in significando, ac in causando: ergo, &c. Resp. quód gloria est principalior quam gratia, ordine dignitatis& in se, non verò respectu nostri, hoc enim modo, principalior est gratia, quæ est nostræ sanctificationis forma. sicut quia sanitas,est in animali formalitér & intrinsecé, & extrinsecé in alijs, significatur principalitér sanitas animalis, per hoc nomen sanum.

Dices 1. saltim in Sacramento Eucharistiæ, non significatur principalitér gratia, cum hæc non explicetur per verba, sed Corpus Christi: ergo hoc & non gratia, est eius principale significatum. Secundó, Eucharistia non consistit in vsu, sed in materiæ consecratione: ergo eius principale significatum, est Corpus Christi. Resp. quód ex his solum sequitur, Eucharistiam non significare gratiam, quo ad actum sanctificandi, sed quo ad vim sanctificativam, quatenús Christus per gratiam cibativam sustentat animam. Vndé verba consecrationis, non significant Christum absoluté, sed vt contentum sub speciebus, & vt gratiam cibativam causat.

Nec sufficit ad hoc, Eucharistiam continere gratiam, quo ad rationem genericam Sacramenti; quia ratio specifica, non debet cum generica opponi, sed illi conformari, & sic Eucharistia, tám genericé, quám specificé, significat principalitér gratiam cibativam; aliás non conveniret vnivocé, cum alijs Sacramentis, licét illa hoc habeat speciale, quód continet Christum vt gratiæ authorem, quód alia Sacramenta non habent. Nec obstat: quód D. Thom. ait: Quæst. 78. art. 5. quód Eucharistia significat tantum transubstantiationem, in qua principalitér importatur Corpus Christi. Non inquam obstat, nam licét in transubstantiatione absoluté sumpta, importetur Corpus Christi principalitér, non verò in illa, sumpta per modum alimenti spiritualis reficientis animam, & hoc secundo modo, significatur in Eucharistia transubstantiatio.

Tertia difficultas. Vtrum Sacramentum, semper sit aliqua res, vel signum sensibile? Resp. affirmativé cum D. Thom. hic art. 4. Ratio est: nam congruum est divinæ sapientiæ, quæ omnia suavitér disponit, vt vnicuique rei, secundúm modum suum provideat, est autem homini connaturale, vt per sensibilia spiritualia cognoscat. Túm, quia cum homo constet corpore, & anima, debet corde credere, & corpore per sensibilia signa, fidem protestare. Túm, quia ille, corpore & anima, Deum ofendit, & sic in vtroque debuit sanari, vt ait Nazianz. Orat. de Baptismo. Túm denique, quia in hoc maximé lucet Omnipotentia Dei, disponens, vt res sensibiles, quæ homini attulerunt damnum, illi etiam afferant remedium; & vt sic homo, qui per superbiam, noluit subici spiritui supremo, per humilitatem, rebus sensibilibus subijciatur.

Accedit his: quód Deus homines, puerorum instar pertractat, vt dicitur Deuter. 1. portavit te Dominus, vt solet homo gestare parvulum filium suum, sicut enim cum inter nos & parvulos, contentio suboritur, nostras vires non attendimus, sed illorum imbecillitati accommodamur, illis conformia loquimur, & ea facimus, quæ puerorum emendationi conducunt, sic etiam Deus, humana & sensibilia nobis dedit signa, nostræ conditioni & vtilitati maximé attendens. Vndé asseruit Chrysostomus, hom. 83. in Matth. si incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset, sed quoniam anima, corpori conserta est, in sensibilibus, intelligibilia tibi præbet.

Si opponas: Caracter Baptismatis, Corpus Christi in Eucharistia, & contritio interior in pœnitentia, sunt res & Sacramentum simul; sed non sunt aliquid sensibile: ergo hoc non requiritur ad Sacramentum. Resp. quód hæc omnia, licét non sint sensibilia per se, bené verò per aliud, nempé caracter per ablutionem, Christus ratione specierum, & contritio per confessionem. Sic habet D. Thom. hic art. 4. ad 1. vbi ait: Quædam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodamodo Sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia; & expresé hoc asserit de charactere & corpore Christi, in 4 dist. 1. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3. caracter Baptismatis, & Corpus Christi verum, non dicuntur Sacramenta, nisi secundum quod coniunguntur signis sensibilibus, & idem ait de contritione, hic q. 84. art. 1. ad 1.

Maior difficultas est: An ratio signi sensibilis, ita sit essentialis Sacramento, vt nec Deus de possibili, instituere possit Sacramenta, in signis spiritualibus, & insensibilibus? Aliqui affirmant cum Nuño & Ioan. á S. Thom. Sed verius est oppositum, quód tenet Arauxo, Serra, & Prado. Ratio est: quia Sacramenta, sunt instituta ex Dei libera voluntate: ergo sicut assumpsit, & elevavit materiam sensibilem, potuit etiam rem spiritualem elevare, vt media illa, gratiam conferret. Prob. conseq. Túm, quia in hoc, nulla invenitur repugnantia. Túm, quia vt ait D. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 1. Deus potest vti interiori motu hominis, tanquam instrumento ad miracula facienda; & sic eodem vti potest, ad gratiam

tiam causandam. Tùm, quia licét Angelis de facto, Deus gratiam dederit, sine Sacramentis, potuit tamen, per insensibilia signa coferre, quibus nihil deficeret ad rationem Sacramẽti, cũ essent signa practica ex institutione Dei causativa gratiæ, in actuali vsu conferendæ: ergo, &c. Bené verum est, quod illa Sacramenta si talia essent, non essent eiusdem rationis cum nostris, cum non essent signa humana, nec hominis conditioni accommodata.

Si dicas: De ratione signi est, quod sit sensibile, vt ex diffinitione signi allata á D. August. constat; ait enim, lib. 2. de Doct. Christiana: signum est, quód præter speciem, quám ingerit sensibus, facit aliud in cognitionem venire: ergo res insensibilis, non est signum, nec Sacramentum. Resp. quód illa diffinitio, est de signo secundum primam impositionem, & hoc modo, institutum est primo & principalitér ad significandam rem sensibilem, quód non obstat, vt detur signum spirituale & insensibile; sic D. Thom. hic art. 4. ad 1. Dices: etiam de potentia absoluta, nequit dari Sacramentum, quód sit signum naturale: ergo nec quod sit insensibile, cúm vtrumque, æqué illi repugnet. Resp. nego conseq. quia nulla creatura, potest naturalitér causare, nec significare gratiam, sed ex institutione Dei, vt ait D. T. hic art. 5. ad 2. & ideo implicat, Sacramentum esse signum naturale; materia verò Sacramenti, assumitur ex libera voluntate Dei, quæ sicut assumpsit res sensibiles, etiam assumere potuit, si voluisset, res spirituales.

Quarta difficultas. Vtrúm Sacramenta, debeant constare rebus & verbis á Deo determinatis? R. affirmativé cum D. T. hic, art. 5. & 6. Prob. de rebus: quia in Sacramentis, & est cultus Dei, & sanctificatio nostra; sed licét homo determinet res, vt ordinantur ad Dei cultum, non verò vt ordinantur ad sanctificationem nostram; hoc enim solúm potestati Dei subijcitur, qui sicut sanctificat, etiam res ad nos sanctificandum determinat, vt aquam in Baptismo, & etiam actus, vt ablutio, & sic de alijs respectivé: ergo, &c. Sed est notandum, quód non eodem modo, Deus determinavit rem, vel materiam pro Sacramentis; nam in quibusdam, determinavit illam in specie infima, vt aquam in Baptismo, & oleum in vnctione; in alijs verò, solúm in genere determinavit, vt in pœnitentia, confessionem dolorosam, sivé per contritionem, sivé per attritionem, quæ specie differunt.

Sed oppones: In Sacramento Matrimonij, Christus non determinavit materiam, nam si aliqua esset, maximé consensus; sed hic non est, quia ante Tridentinum, licitum erat Matrimonium clandestinum, & post illud nullum est, & materia determinata á Christo, mutari non potest: ergo, &c. Resp. quód datur præambulum Sacramenti, vt in pœnitentia, subiectio ad legitimum Sacerdotem, & datur substantia Sacramenti, vt confessio & dolor. Dico igitur: Quód licét Ecclesia mutare possit præãbula Sacramenti vt in pœnitentia, subiectionẽ ad hunc Sacerdotem vel illum, nequit tamen substantiam Sacramenti mutare, & simile contingit in Matrimonio; mutata enim fuit post Concilium, habilitas personæ, non verò Sacramenti substantia.

Dices: Consensus est de iure naturali: ergo nequit ab Ecclesia mutari, vel si mutatur, iam pendet ab institutione humana, determinatio materiæ. Resp. quód licét ius naturale positivum, nequeat mutari, bené verò negativum & indifferens, & huius secundi generis est, habilitas personarum, ad Matrimonium contrahendum; cuius mutatio solúm materialis est, integra manente Sacramenti materia, formalitér sumpta; nec illa materialis mutatio, dignitati Sacramenti præiudicat; nam ad Ecclesiam pertinet, cuilibet contractui, certas conditiones apponere vel auferre, pro conditione temporum & personarum, vt ait Trident. Sess. 21. cap. 2. & ita fecit in Matrimonio, propter plura inconvenientia, quæ ex Matrimonijs clandestinis oriebantur.

Prob. etiam, quód ad Sacramenta verba requirantur, ex dicto August. sæpiús repetito: accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; & vlteriús, ex his congruentijs adductis á D. T. Prima: quia sic explicatur vnio Verbi cum humanitate, per vnionem verborum, cum natura sensibili. Secunda: quia ita proportionantur Sacramenta cum corpore & anima, ex quibus componitur homo. Tertia: quia verba expressiús significant quam res, & ideo dixit August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 3. quód inter homines, verba obtinuerunt principatum significandi. Quarta: quia res sensibiles, significant gratiam, vt determinatæ per verba; aqua enim Baptismi, quæ ex se indifferens est, ad significandam ablutionem, vel refrigerationem, per hæc verba, ego te baptizo, determinatur ad significandam munditiam spiritualem.

Dices: si in Sacramento, significatio est forma, quomodó potest dari alia forma, nempé verba? Resp. 1. quód verba sunt, forma partialis; & ipsa cum rebus, se habent, vt materia respectu significationis, quæ forma totalis est; sicut in homine, forma & materia, se habent quasi materia respectu humanitatis, quæ est forma totalis. Præterquam quod vnitas artificialis, qualis reperitur in Sacramẽtis, cúm sit talis secundúm quid, potest componi ex duplici forma, quarum vna determinet alteram, vt patet in domo, cuius vltima forma, est figura, ad quã cæteræ formæ artificiales vltimaté ordinantur, & idem dicitur in summulis de propositione, cuius vnitas est secundúm quid, & ideo habet duplicem formam, nempé copulam & prædicatum, & hoc ordinatur ad illam. Vndé asserit D. Thom. hic art. 6. ad 2. quód ex rebus & verbis, fit quodamodó vnum, in Sacramentis, sicut ex forma & mate-

ria, in quantum scilicét per verba, perficitur significatio rerum, vbi particula, *quodammodo*, vnitatem imperfectam significat.

Deducitur ex his: quód ad Sacramenta, requiruntur verba determinata, quia illa habent rationem formæ determinantis res, & ideo si res sunt, determinatæ, multo magis verba, sed eorum determinatio debet esse substantialis, quo ad significationem, licét aliquando quo ad sonum variari possint: sic ait D. Thom. hic, art. 7. ad 3. Ex quo obiter annotare libet, quám temere concionatores aliqui tempestatis nostræ, verba scripturæ sacræ contorquent, vel alijs extraneis immiscent; audiant Ang. D. hic, art. 8. ad 1. sic dicentem: Ad verba sacræ scripturæ, non licét aliquid apponere, quantum ad sensum, sed quantum ad expositionem sacræ scripturæ, multa verba eis á Doctoribus apponuntur; & rationem dedit, art. 5. ad 1. nam iuditio Spiritus Sancti, determinatum est, quibus similitudinibus, in certis scripturæ locis, res spirituales significẽtur, nec hoc subditur cuiuscũq; capricio.

Sed quia huiusmodi pernicioſus abusus, negotium est grave satis, pro eius emmendatione, duplex breve, sed pretiosum, accipé documentum. Primúm est Caiet. sup. loc. vltimo citatum, vbi ait: Adverte quam præsumptuosa, iniuriosa ac sacrilega sit eorum solertia, qui proprias, aut Poetarum similitudines, tanquám spiritualium simulachra interprætantur, scribunt, aut prædicant; vsurpant enim officium Spiritus Sancti, cuius iudicio, res aliquæ institutæ sunt, in figuram aliorum. Secundúm est M. Prado, qui cum Soto, hæc ait: Admonendi sunt sacrorum expositores, & concionatores, ne signis profanis, temere vtantur ad sacros sensus exprimendos, in quo non nulli, plurimum oblectantur ::: qui in Rosa fragrante, mysteria scripturæ sacræ, sub profanissima imagine, sæcularium aulicorumque, ac mulierum aures profanant; de quo ego plura dicerem, nisi hunc dolorem amaré flebilem cogitando, atramentum redderet atram mentem.

Quinta difficultas. An Sacramenta, constent ex rebus & verbis, tanquam partibus essentialibus? Resp. quód Sacramenta novæ legis, constant ex rebus vt materia, & ex verbis vt forma, tanquam ex partibus intrinsecis, & essentialibus. Prima pars, prob. ex Concil. Florent. in Decreto vnionis, vbi ait: Omnia Sacramenta, tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conficientis Sacramentum, cúm intentione faciendi, quód facit Ecclesia; & idem ait D. Thom. hic art. 6. ad 2. Ratio sumitur ex eodem in art. 7. quia materia est quæ determinatur, & forma quæ determinat, sicut in rebus naturalibus constat; sed res sensibiles in Sacramentis, determinantur per verba ad vnum artefactum, quód est gratiæ signum, vt diximus de aqua Baptismi, determinata per verba, ad significandam spiritualem ablutionem: ergo, &c.

Dices: quód materia & forma debent simul coexistere, quód non habent res & verba, nam in Baptismo, v. gr. ablutio verba præcedit, & etiam verba possunt præcedere ablutionem. Contra est: nam licét in compositis physicis substantialibus, materia & forma, simul physicé coexistant, non autem in compositis artificialibus, præcipué successivis; vt patet in propositione, cuius subiectum & prædicatum, non proferuntur in eodem momento; & similitér in numero quaternario, vltima vnitas quæ est forma, non coexistit simul, cum prioribus vnitatibus, quæ sunt materia; sed Sacramentum, est totum artificiale & successivum: ergo eius materia & forma, non coexistunt simul physicé; sed ad summum moralitér, ratione ordinis & propinquitatis inter se.

Dices iterum: Quód Sacramentum Pœnitentiæ, componitur ex solis verbis, nempé ex confessione & absolutione; & etiam Matrimonium, potest fieri per verba designantia consensum, sine rebus & etiam per nutus sine verbis, vt cum absentes contrahunt. Resp. ex D. Thom. vbi proximé, quód sub rebus comprehenduntur, etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, & alia huiusmodi, quia in his, est eadem ratio significandi & in rebus, & sic se habet confessio in pœnitentia, & consensus in Matrimonio, quatenús significant confusé, per modum rei determinabilis & informis; & insuper etiam nutus, habent rationem verborum, saltim virtualitér & æquivalentér, quód in Sacramento Matrimonij peculiare est, nam verbis, vel signis, aut nutibus, perficitur humanus contractus; in alijs autem Sacramentis, loco verborum, non possunt apponi nutus, signa vel scriptura, quia hæc non instituit Christus, pro illorum forma.

Ratio autem, cur possint summi verba pro rebus, vel é contra, hæc est: quia in omni Sacramento, illa pars dicitur res, quæ per aliam est complebilis & determinabilis, & illa dicitur verbum, quæ aliam determinat; cum autem in pœnitentia, confessio, licét verbum sit, determinetur per absolutionem, ad significandam gratiam remissivam, illa habet rationem rei, & insuper in Matrimonio, licét nutus & signa sint res, quia tamen nutus vnius, complent & determinant nutus alteriús, ideo habent rationem verborum, virtualitér saltim, & æquivalentér.

Secunda pars, nempé quod res & verba, sint partes essentiales & intrinsecæ Sacramentorum, constat ex D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 2. vbi ait: verba & res, sunt de essentia Sacramenti; & infrá, quæst. 90. art. 2. in corp. ait: Quodlibet Sacramentum, distingui in materiam & formam, sicut in partes essentiæ. Ratio pro omnibus Sacramentis est, nam id componit intrinsecé & essentialitér Sa-

cra-

cramentum, quód illud constituit in ratione significativi; sed hoc faciunt res & verba, quia non sufficit forma sola, ad significandam gratiam sine materia, nec sola materia sine forma: ergo vtraque est pars essentialis intrinseca Sacramenti. Undé ait D. Thom. q. 27. de verit. art. 4. ad 10. Uirtus Sacramenti, non consistit in materia & forma tantum, sed in materia & forma simul.

Prob. specialitér de Sacramento Eucharistiæ, de quo negant Coninchus Vazquez & alij: Eucharistia constituitur formalitér, signum sensibile gratiæ, per verba: ergo hæc sunt forma intrinseca illius, prob. ant. Tùm, quia aliás species, & Corpus Christi sine verbis, essent absolutè Sacramentum, quód est falsum. Tùm, quia seclusis verbis, non magis significant gratiam species consecratæ, quàm non consecratæ; sicut seclusis verbis in Baptismo, aqua non magis significat lotionem spiritualem, quàm materialem: ergo, &c. Dices: quód hoc modo, respectus specierum ad verba, erit forma, quód est falsum, nam talis modus, est insensibilis. Contra est: licét ille modus, quo ad suam entitatem in recto, sit insensibilis, est tamen sensibilis, vt connotat verba sensibilia, per quæ producitur; sed hoc sufficit ad Sacramentum, vt patet in contritione, quæ etiam est sensibilis, vt connotat confessionem: ergo, &c.

Arguitur. Sacramentum Eucharistiæ, est aliquid permanens: ergo verba transeuntia, nequeunt esse illius forma, pat. cons. nam forma debet proportionari, cum toto constituto per ipsam. Respondeti potest, quód Eucharistia in facto esse, modo quo est permanens, non constituitur ex verbis transeuntibus, sed solum in fieri, & ideo verba, non debent in facto esse remanere; sicut privatio requisita ad fieri entis naturalis, non remanet in illo in facto esse. Secundó, resp. melius: Quód licét verba, sint formalitér transeuntia, sunt tamen virtualitér permanentia, & ideo possunt constituere Sacramentum permanens; sicut ab anima rationali, virtualitér corporea, constituitur corpus.

Eadem dicimus: quód licét res successiva, non possit esse forma physica rei permanentis, potest tamen esse forma moralis, secundùm prudentum æstimationem, & ex voluntate instituentis; cumque Eucharistia, sicut alia Sacramenta, sit compositum morale, pendens á Christi institutione, ideo eius forma, non debet informare physicé, sed solum moralitér, quæ informatio, non repugnat rei successivæ, respectu compositi permanentis.

Dices adhuc 1. si verba sunt causa effectiva Sacramenti, quomodo possunt esse causa formalis intrinseca? Secundó, quód sic vna forma, esset intrinseca pluribus compositis, vt cum consecrantur plures hostiæ, per eandem formam verborum. Resp. ad 1. quód verba, sunt causa efficiens & formalis, sub diversa ratione; sunt causa efficiens, quatenùs causant præsentiam Christi sub speciebus: & sunt causa formalis, vt determinant species, vt significent Christum, per modum cibi & potus. Vel dicatur: quód licét eadem causa, non possit esse efficiens & forma physica, benè verò forma moralis, modo quo proximè dicebamus.

Ad 2. quód licét in eo casu, forma sit vna & indivisibilis formalitér, est tamen multiplex virtualitér, sicut cum quis baptizat plures, sub hac eadem forma verborum: ego vos baptizo, quæ virtualitér multiplex est. Si dicas: quód forma eadem formalitér, etsi virtualitér multiplex, nequit esse in pluribus compositis. Resp. quód non potest esse formalitér in illis, benè verò virtualitér, & ad hoc sufficit, quód modi determinationis hostiarum, formalitér multiplicentur, vt patet in eodem exemplo de pluribus baptizatis, per eandem formam verborum. Vel dicatur: quód eadem forma, nequit esse physicè in pluribus, benè verò moralitér, vt nuper diximus.

Sexta difficultas. Quæ mutatio materiæ, vel formæ, destruat valorem Sacramenti? Suprá me dixisse memini, in summa doctrinæ, quód variatio substantialis verborum, nequit sine culpa fieri, benè verò accidentalis & quo ad sonum, vt in truncate proferentibus; quód videtur insinuari á D.T. q. 60. art. 7. ad 1. & in terminis affertur á Prado eadem quæst. dub. 14. §. 2. num. 13. his verbis: Similia exempla mutationis accidentalis, habemus in detractione, quando non benè pronuntiantur vltimæ syllabæ, vt si loco de ly *meum*, dicatur *meun*, vel loco de ly *calix*, dicatur *calis*, valet enim consecratio; imò aliquando sine omni peccato, potest hæc variatio contingere, quia Hispani, ægre proferimus *m* in fine, & *t* post *s*, vt admonet Soto. Hæc ipse. Undé sensus meus in supradictis, solùm fuit asserere, quód mutatio adeò accidentalis, vt purum sonum variet, nec formam destruit, nec culpam infert, vt patet in ipso exemplo de balbis & proferentibus truncate, quia hic defectus, naturalis est, & non moralis, nec vllo modo sensi, quód sit in manu nostra, verba accidentalitér variare; hoc dico, propter quendam scrupulum subortum; nunc ad resolutionem venio.

Dicendum est: quód mutatio substantialis materiæ vel formæ, reddit invalidum Sacramentum, non verò mutatio purè accidentalis. Ita D. Thom. loc. cit. art. 8. Ratio generalis est: quia cum materia & forma, sint partes intrinsecæ compositi, illis essentialitér variatis, nequit totum consistere. Prob. specialitér de Sacramentis: quia hæc sunt composita artificialia, iuxta proportionem, compositorum naturalium, sed hæc non subsistunt, variatis partibus substantialitér, benè verò accidentalitér variatis, nam essentiæ rerum, ab accidentibus non pendent: ergo hoc ipsum de Sacramentis dicendum est.

Deducitur hinc: quód si in Eucharistia, loco panis

nis tritícei, ponitur hordeaceus, non fit Sacramentum, quia materia ſubſtantialitér variatur; bené veró, ſi aliqua parva grana ordei, ſint mixta tritico, quia hæc varatio accidentalis eſt; & idem eſt de aqua roſacea, in qua nequit fieri Baptiſmus, quia ſubſtantialitér variatur aqua; poteſt autem fieri in aqua calida, quæ ſolúm accidentalitér variat aquam. Hoc idem proportionalitér eſt dicendum, de verbis formæ, ſi enim variatio illorum, non mutet legitimum ſenſum, erit Sacramentum validum, vt ſi in Baptiſmo dicatur: Ego te baptizo, in nomine Patris ingeniti, Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti; & idem eſt, de diminutione, vt ſi in conſecratione hoſtiæ omititur ly *enim*, dicendo: *Hoc eſt corpus meum.*

Deducitur ſecundò: quód ſi Sacerdos verba proferat corrupté, vel lapſu linguæ, vel imperitia, ſi corruptio talis eſt, vt auferat ſenſum locutionis, Sacramentum non eſt validum; bené veró, ſi ſenſum non aufert. Sed quando corruptio notabilis eſt, ad mutandum ſenſum? Dicatur: quód licét interſit parum, quód additio, vel corruptio fiat in principio, vel fine, quia vtroque modo, ſenſus poteſt ſervari & deſtrui, tamen vt additio in fine deſtruat ſenſum, debet eſſe determinatio propoſitionis præcedentis, & facere vnum cum prædicato illius, nam ſi ſit propoſitio nova, poteſt ſervari veritas Sacramenti; exemplum ponit D. Thom. in illo, qui baptizat, addendo formæ nomen B. Virginis, nam ſi intendit addere quartam perſonam, Sacramentum non conficit, bené veró, ſi ſolúm intendat auxilium Virginis implorare; & interdum, etſi in ſecunda propoſitione contineatur error, ſervatur forma Sacramenti, vt ſi quis dicat: Hoc eſt corpus meum, quód eſt phantaſticum, per modum duplicis propoſitionis; aliud autem eſſet, ſi diceretur per modum propoſitionis ſimplicis ſic: Hoc eſt corpus meum phantaſticum; tunc enim, tota propoſitio eſt falſa, niſi terminetur in *meum*, ex intentione proferentis.

Deducitur 3. quód ſi interruptio verborum talis ſit, vt iuxta hominum vſſum, non cenſeatur eadem oratio, non ſubſiſtit Sacramentum, bené veró, ſi cenſeatur eadem; nam in priori caſu, non manet integer ſenſus formæ, bené veró in poſteriori. Sed quanta interruptio ſufficiat, vt eadem oratio non maneat? Relinquitur prudentum iudicio; ſed tamen, ſi diſcontinuatio eſt inter ſillabas eiuſdem dictionis, minor duratio tollit ſenſum, quám ſi fiat inter duas dictiones; exemplum primi, ſi quis dicat: Hoc eſt *cor*; & quieſcat ſpatium notabile, & deindé ſubiungat: *pus* meum; exemplum ſecundi, ſi dicat: ego te baptizo, quieſcat & alia verba miſceat, & poſtea proſequatur: in nomine Patris, &c.

Maius dubium eſt: An Miniſter intendens introducere novum ritum, verba quomodolibet addendo, vel minuendo, ſenſu non ablato, & ſervata intentione faciendi, quód Eccleſia facit, Sacramentum conficiat? Reſp. affirmativé ſic ſentit Prado, Salmantic. & alij plures, & conſtat. Túm ex celebri deciſ. Zachariæ Papæ, quæ habetur in cap. retulerunt de conſecrat. diſt. 4. Túm, quia in eo caſu, apponuntur omnia neceſſaria ad Sacramenti valorem, nempé materia, forma, & intentio Miniſtri, conformantis ſe, cum intentione generali Eccleſiæ. Túm, quia ſi Sacerdos Latinus conſecrat in fermentato, intendendo hunc ritum introducere, verum Sacramentum facit, vt omnes fatentur: ergo intentio introducendi novum ritum, non eſt contra valorem Sacramenti, ſi adſint alia requiſita.

Sed obſtat contra hoc: Quód Miniſter ſic conficiens Sacramentum, habet intentionem oppoſitam intentioni Eccleſiæ, quæ intendit illum errorem excludere: ergo Sacramentum non facit. Reſp. quód illa intentio Miniſtri, ſolúm materialitér opponitur intentioni Eccleſiæ, non autem formalitér; intentio oppoſita materialitér, eſt habere errorem, non habendo illum vt talem, ſed vt veritatem, & hæc cum intentione Eccleſiæ non pugnat; intentio veró formalitér oppoſita, eſt quæ cognoſcens privatum errorem, vt talem, vult illum introducere in Eccleſia, & hæc non compatitur cum Eccleſiæ intentione. Dices: vt Miniſter generalem intentionem Eccleſiæ ſervet, debet intendere virtualitér, oppoſitum errori ſuo, quód nequit fieri in illo caſu, nam cum intentione formali vniús, nequit dari virtualis intentio ſui oppoſiti; ergo, &c. Reſp. quód in prædicto caſu, Miniſter non intendit ſuum errorem, reduplicativé vt error eſt, ſed vt veritas exiſtimata ab ipſo, & ideo poteſt habere intentionem virtualem, oppoſitam ſuo errori, reduplicativé vt eſt error.

Sed eſt notándum, circa totam reſolutionem, quód omnia quæ diximus de variatione accidentali, ex parte materiæ, vel formæ, vel Miniſtri Sacramentorum, vera ſunt, quo ad valorem Sacramenti, ita vt factum teneat, non veró de illo, vt ritè & ſine peccato fiat; nam talis mutatio, eſt variatio rei ſacræ, & contra virtutem religionis, oppoſita decori, & decentiæ Sacramentorum, & contra Eccleſiæ conſuetudinem & mandatum; & aliquando poteſt eſſe mortale, pro dignitate Sacramenti, & gravitate variationis, ſi autem levis res ſit, vel deliberatio deſit, ſolúm erit veniale; quæ materiarum differentia, ex prudentium arbitrio debet iudicari.

Septima difficultas. De neceſsitate Sacramentorum; & quidem certum eſt, Sacramenta eſſe homini ad ſalutem neceſſaria; de quo, D. Thom. hic q. 61. art. 1. tres rationes aſsignat. Prima, quia hæc eſt conditio humanæ naturæ, vt per ſenſibilia, ſpiritualia cognoſcat. Secunda, quia ſic conſequitur hominis humiliatio, cum enim ſe ad ſenſibilia per culpam ſubiecerit, rebus ſenſibilibus in Sacramentis ſubijcitur, vt inveniat remedium, in rebus á quibus accepit damnum. Tertia: quia non eſſet homi-

mini durum, totalitér abstrahi á sensibilibus, quibus erat affectus. Si dicas: quomodo dixit Christus Paulo, quód ad eius salutem, sufficiebat gratia? Resp. gratiam sufficere, ad animæ salutem, sed Deus consuluit modo convenienti naturæ humanæ, illam sanando per media sensibilia, quæ sunt nostræ conditioni connaturalia. Sed difficultas est, de necessitate Sacramentorum, respectu statuum naturæ humanæ.

Dico primó: in statu innocentiæ, non fuerunt necessaria Sacramenta, nec necessaria fuissent, si status ille perseverasset; sic D. Thom. loc. cit. a. 2. Ratio est: quia in eo statu, homo erat recté dispositus, ex parte intellectus & voluntatis, vt acciperet á Deo immediaté spiritualem perfectionem; quia tám Adamus in statu innocentiæ, quám eius posteri, eo non peccante, haberent gratiam & scientiam per modum naturæ, hoc enim exigebat rectitudo primi status, & ideo ait D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. quód primus homo fuit creatus in gratia, vnde dicitur in Ecclesiast. quód Deus fecit hominẽ rectum: ergo nõ egebant Sacramẽtis sensibilibus, pat. cons. quia Sacramenta, solúm sunt necessaria, ad homines sanctificandos, & instruendos circa supernaturalia, quorum neutrum, tunc haberet locum, ob rationem dictam. Præterquam quod Sacramenta, sunt peccatorum medicinæ, & sic non essent necessaria, peccato non existente, non enim opus est valentibus medicus, vt dixit Christus

Sed oppones 1. quia in eo statu, fuit Matrimonium Adami & Evæ, de quo ait Paulus, quód est magnum Sacramentum. Secundó: quia in illo statu, homines intelligerent, modo sibi proportionato, quód fit per sensibilia signa. Resp. ad 1. quód Matrimonium in statu innocentiæ, vocatur Sacramentum lato modo, quatenús erat in officium naturæ, non veró proprié, vt ordinatur ad hominis sanctificationem. Ad 2. quód modus cognoscendi per sensibilia, est proportionatus homini, si aliás eius statui non repugnet, qualitér in statu innocentiæ repugnaret. Exemplum est in modo intelligendi post resurrectionem, qui non fiet per signa sensibilia, quia hoc illi statui repugnat.

Nec obstat: quód in eo statu, essent signa vocalia, & imagines sensibiles. Resp. enim, quód illa signa, non ducerent ad cognitionem gratiæ sanctificantis, sed hæc cognosceretur, per species infusas cum ipsa; sensibilia enim, essent tunc homini subordinata, quia illi repugnaret illis subijci. Si dicas: quód tunc magis subordinaretur Deo, quám rebus sensibilibus, sicut fuit subordinatus, in prohibitione ligni vitæ, quód arbor sensibilis erat. Resp. quód hominem subijci Deo in vsu rei sensibilis, manendo superiorem ad illam, statui innocentiæ non repugnat, & sic factum fuit, in prohibitione ligni vitæ, repugnat autem illo statui, sic subijci Deo, vt etiam rei sensibili subijciatur, & hoc contingeret, si tunc fuissent instituta Sacramenta.

Dico secundó: In statu legis naturæ, fuerunt vera Sacramenta prò parvulis & adultis. Constat ex D. Thom. hic art. 3. vbi ait: Quód ante Christi adventum, necesse fuit quædam Sacramenta institui; & D. August. lib. 5. contra Iulian. cap. 9. dicit: non est credendum, ante datam circumcisionem, famulos Dei, quando quidem illis inerat mediatoris fides, nullo eius Sacramento, opitulatos esse parvulis suis. Ratio est: quia Deus in illo statu, providit parvulis remedium culpæ originalis, vult enim voluntate antecedenti, omnes homines salvos fieri; sed tale remedium, verum erat Sacramentum. Tùm, quia erat signum sensibile gratiæ, vt eorum conditioni accommodaretur, & parvulos, visibili consortio credentium aggregabat. Tùm, quia remedium illud, non erat solùm actus interior fidei, hic enim ex natura sua non iustificat, sicut modo videtur, nec ex institutione Dei, quia hoc rationabiliùs dici potest de sensibilibús signis: ergo, &c.

Hæc etiam ratio procedit de adultis, quibus Deus in illo statu, debebat præbere remedium, contra actualia peccata, ratione voluntatis antecedentis, qua eorum salutem vult, quæ consistit in præparandis medijs, tám naturalibus, quám gratuitis, ad finem supernaturalem, vt ait D. Thom. in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. vnde ait, ibidem art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. ante legem scriptam, erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quód ordinabatur ad delectionem originalis peccati; & similitér pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis: ergo fuit in lege naturæ, institutum aliquod sensibile remedium, pro peccatis actualibus adultorum. Nec obstat, quód de hoc in scriptura non fit mentio; nam vt ait August. loc. cit. hoc aliqua iusta causa tacetur, quám ignoramus.

Dices: Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, vt dicemus infrá; sed hoc non habebant in lege naturæ, quia non iustificabant ex meritis Christi, positis in rerum natura: ergo in eo statu, nulla fuerunt Sacramenta. Resp. quód illa Sacramenta, non conferebant gratiam activé, bené veró passivé, id est conferebant gratiam illa suscipientibus, solúm ex virtute Dei causantis gratiam, sed non ex virtute ipsorum Sacramentorum, in quo á Sacramentis novæ legis differunt, hæc enim, etiam activé gratiam conferunt, quia supponunt Passionem Christi iam factam, á qua recipiunt virtutem activé causativam.

Si dicas: quód saltim de pœnitentia, hoc non est verum, & quia hæc pertinet ad Sacramenta novæ legis, & quia non designatur tempus obligans in lege naturæ ad eius receptionem. Resp. quód in ea lege, non erat Sacramentum Pœnitentiæ, eodem modo factum ac modo, nempé per vocalem confessionem, bené veró per ceremonias alteriús ra-

tionis á nostris, in remissionem peccati actualis; tempus autem in quo tunc obligabat, erat instans necessitas, sicut etiam modo, cuius determinatio pendebat á particulari iudicio prudentum, vel ab Ecclesia, sicut etiam nunc hæc, tempus annuæ confessionis determinat.

Dices: Sacramenta sunt signa practica gratiæ: ergo solúm á Deo, qui est gratiæ Author, determinari possunt quo ad materiam, etiam in lege naturæ. Resp. quód illa solúm á Deo possunt determinari formalitér & principalitér, sed tamen possunt determinari ab homine ministerialitér, ex instinctu particulari Dei, præcipué, quando sunt ita imperfecta, vt non determinentur á Deo in particulari, sed solúm in communi; modo quo si Papa concederet alicui indulgentiam, super imagines, quas designaret ipse recipiens, tunc non ille sed Pontifex, indulgentiam concederet, & ita contigit in lege naturæ, quoad designationem rerum sensibilium; quare ait D. Thom. hic q.60. art.5. ad 3. sicut in statu legis naturæ, homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu, movebantur ad Deum, colendum; ita etiam ex interiori instinctu, determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus, ad Dei cultum vterentur.

Dico tertió: Necessarium fuit post Adventum Christi, esse aliqua Sacramenta, in nova lege; sic D. Thom. hic art.4. & constat ex D. Aug. lib.19. contra Faust. cap.13. vbi ait: Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora. Ratio est: quia sicut antiqui salvati sunt, per fidem Christi venturi, ita & nos, per fidem Christi nati & Passi: ergo Sacramenta fuerunt necessaria post Christum. Prob. conseq. quia iuxta Augustum dictum, loco citato, res aliter annuntiatur facienda & aliter facta: ergo in lege nova fuerunt necessaria Sacramenta, ab antiquis distincta; ex quo patet, Sacramentorum nostrorum excessus, quia res dum actu est, perfectior est, quã vt futura.

Sed dices 1. veniente veritate, cessat figura: ergo post Adventum Christi, qui veritas est, non fuerunt necessaria signa sensibilia Sacramentorum. Secundó: quia hoc videtur arguere mutationem in Deo, si statuit modo Sacramenta, ab antiquis distincta. Resp. ad 1. quód status legis gratiæ, est medius, inter statum antiquum & statum gloriæ, & ideo licét in gloria, quando veritas, facie ad faciem conspiciatur, non dentur Sacramenta, bené veró modo, quando per speculum in ænigmaté cognoscimus, vt ait Paulus. Ad 2. quód illa non est mutatio Dei, sed providentia conveniens, pro figuranda gratia, vt futura, & vt præferti, sicut Pater Familias non mutatur, licét res diversas præcipiat servis, in hyeme & in æstate. Sic D. Thom. hic art. 4. ad 1. & 3.

Deducitur primó ex dictis, quód cum dicitur in diffinitione Sacramenti, quód est signum rei sacræ, sanctificantis nos, intelligitur de signo stabili, & permanentér instituto; sicut etiam Religio, stabilis est & permanens, cui signa stabilia debent correspondere; & sic dicitur de Sacramentis antiquis, quód erant perpetuo ritu servanda. Vndé, nec verba dicta Magdalenæ, nec dicta Paralitico, nec lotio pedum Apostolorum, Sacramenta fuerunt, quia non erant stabilia & permanentia signa; & ideo asserit D. Thom. in 4. dist. 17. q.3. art. 1. Sacramenta, sunt quædam protestationes fidei; vnde sicut fides est vna, ita & Ecclesiæ, debent persevare eadem Sacramenta.

Deducitur 2. quód numerus septenarius Sacramentorum, est recté traditus ab Ecclesia; hoc est de fide, diffinitum in Trident. Sess. 7. can. 1. & habetur in D. Thom. hic q.65. art.1. cuius præcipua congruentia, formatur ab ipso ex eo, quód finis Sacramentorum, est vita supernaturalis animæ, cum similitudine ad corporolem vitam; in vita autem corporali, dantur septem exercitia, cui totidem in vita supernaturali correspondent Sacramenta, nempé generationi Baptismus animam regenerans, nutritioni confirmatio roborans, alimento Eucharistia cibans, medicamento, pœnitentia sanans, & extrema vnctio languorem auferens; regimini ordo potestatem præbens; propagationi reipublicæ Matrimonium speciem multiplicans; sic adæquatur cum officijs naturalis vitæ, vita supernaturalis præstita á septem Sacramentis.

Dices: si vna est virtus divinitatis & Christi Passio, ad quid tot Sacramenta distincta? Resp. hoc ideo esse, vt agens principale, per diversa instrumenta, diversimodé gratiam distribuat, secundúm operum congruentiam. Si dicas: quare pro luxuria vitanda, instituitur Matrimonium, & non pro alijs peccatis gravioribus? Resp. quód duplici causa. Prima, quia per concupiscentiam, non solúm vitiatur persona, sed etiam natura; secunda, quia propensio ad luxuriam vehemens est, fere rationem absorbens, & ideo speciale illi remedium adhibetur, per Sacramentum Matrimonij.

ARTICVLVS II.

De effectibus Sacramentorum.

Prima difficultas. An Sacramenta novæ legis, causent gratiam ex opere operato? Hos terminos increpant hæretici dicentes: Quód opus operatũ, est in Grammatica barbarismus, nam summitur passivé, & opus activé debet significari; & dicunt sensum esse, quód Sacramenta gratiam conferunt, sine fide & bono motu cordis, & sine dispositione suscipientis. Sed hic est error pessimus, quem finxit Calvinus; & in primis, terminos illos non esse novos constat, nam habentur in Trident.

Sess.

Sess.7. can.8. vbi dicitur: Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta, non conferre gratiam, ex opere operato, sed solúm fidem divinæ promissionis, ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

Nec interest, quód ille loquendi modus, videatur Grammaticæ oppositus, nam vt ait August. sup. Psalm. 138. meliús est, vt nos reprehendant Grammatici, quám vt non intelligant populi. Termini ergo explicantur sic: causare ex opere operantis, est quando habetur gratia, iuxta mensuram dispositionis, vel meriti suscipientis illam, vt cum quis elicit contritionem vt quatuor, & recipit gratiam vt quatuor; causare gratiam ex opere operato, est ex opere, quód iam operatum est á Christo, cuius virtus continetur in Sacramentis; & sic ista, ex virtute, quám habent ex Passione Christi, gratiam conferunt his quibus applicantur, dum tamen illi, obicem non ponant.

Dico ergo: Sacramenta novæ legis, non solúm sunt signa excitativa fidei, sed veré gratiam causant, ex opere operato, non ponentibus obicem. Prima pars, diffinitur in Trident. Sess. 7. can.6. vbi dicitur: Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non continere gratiam, quám significant, aut gratiam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint, acceptæ per fidem gratiæ, anathema sit; & idem habetur in Concil. Florent. in Decret. vnionis, vbi ponitur differentia, inter Sacramenta novæ & antiquæ legis, per hoc quod ista gratiam solum significant, illa verò conferunt & causant. Ratio est: quia si Sacramenta novæ legis solúm essent signa externa fidem excitantia, non esset discrimen inter Baptismum Christi & Ioannis, siquidem etiam hic signum erat divinæ promissionis, dum Ioannes baptizabat in remissionem peccatorum, consequens est contra textum Luc.3. in quo dicitur: ego baptizo vos aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu Sancto: ergo, &c.

Secundò, id constat ab incovenientibus quæ sequuntur 1. quód sic Baptismus, non posset conferri parvulis, quia carent vsu rationis, & ad fidem excitari non possunt. Secundó: quód aliás, non esset maior vis in nostris Sacramentis, quám in antiquis, quód contrariatur dicto Pauli, qui hæc vocat, infirma & egena elementa. Tertió: quód sic eodem modo proficerent Sacramenta, meditata & audita, ac recepta, quia etiam eo modo fidem excitarent. Quartó: quód Sacramenta collata, in lingua quám non capit suscipiens, essent inefficacia, quia non intellecta, fidem excitare non possent; sed hæc omnia sunt absurda vitanda: ergo, &c.

Secunda pars, nempé quod Sacramenta novæ legis, causant gratiam, ex opere operato, non ponentibus obicem, constat ex auct. Trid. suprá allata; & insuper ex cap. 3. Ioann. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c. vbi Spiritu Sancto tribuitur regeneratio, vt causæ principali; & consequentér, etiam aquæ vt instrumento; & patet, nam regeneratio per aquam, confertur parvulis in Baptismo; sed non ex opere operantis, quia in illis, nulla dispositio, vel meritum reperitur; nec ex merito conferentis, vel Ministri, quia iste aliquando malus est, & in administratione peccat: ergo confertur gratia ex opere operato.

De alijs Sacramentis, id ipsum constat. De Confirmatione enim dicitur Act. 8. quód confert Spiritum Sanctum, per impositionem manuum. De Eucharistia, Ioan. 6. qui manducat hunc panem, vivet in æternum. De Pœnitentia, Ioan.20. quorum remiseritis peccata, remituntur eis. De Extrema-Vnctione, Iacob.5. si in peccatis fuerit, remittentur ei. De Ordine 2. ad Tim.1. resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; & de Matrimonio, licét non constet expresé in scrip. habetur in Trident. Sess. 24. & de omnibus simul ex eo convincitur: nam congruum erat, quód in lege gratiæ, quám Christus instituit, essent nobiliora Sacramenta, quæ causarent gratiam, quám antiqua Sacramenta significabant.

Arguitur: ex aliquibus scripturæ testimonijs. Primúm est: D. Pauli ad Ephes. 5. vbi dicitur de Baptismo, quód mundat animam per lavacrum in verbo vitæ, hoc autem est fides, vel eius excitatio. Secundúm: ad Rom.1. dicitur, quód Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti, vbi designatur salus per fidem Evangelij; & consequentér idem dicendum, de fide Sacramentorum. Tertiúm: nam 1. Petr.3. dicitur, quód Baptisma salvos facit, quód est conscientiæ bonæ interrogatio, per Resurrectionem Iesu Christi. His suadere tentant hæretici, Sacramenta solum esse sensibiles excitationes fidei; sed facilé diluuntur. Ad 1. Resp. quód per verbum vitæ, intelligitur verbum, quód dat virtutem aquæ, iuxta dictum August. accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, quia tale verbum, est imago Verbi divini, quód dicitur virtus Dei. Ad 2. quód verbum Evangelij, non est puré concionatorium, sed etiam consecratorium, quo Sacramenta constituuntur, quæ sunt divinæ virtutis instrumenta, causativa gratiæ. Ad 3. quód interrogatio conscientiæ bonæ, non est sola fides, sed sanctificatio animæ, quæ nullam operationem aggreditur, nisi Deo interrogato, id est videndo operationem, esse Deo placituram.

Nec his obstat August. dictum tract.80. in Ioan. vbi dicit: non ait, mundi estis propter Baptisma meum, sed propter verbum, quód locutus sum vobis. Resp. enim, quód ibi non est sermo, de verbo concionatorio, sed consecratorio, quia nempé in Baptismo, nihil proficeret ablutio exterior, si verba consecratoria non adiungerentur, vndé subdit August. quod verbum facit, non quia dicitur, sed quia creditur, quia non sanctificat quia dicitur, id est secundúm exteriorem sonum vocis, sed secundúm

dùm sensum verborum, qui fide tenetur; sic D. T. q.60. art.7. ad 1.

Dices adhuc duo 1.quód hæc sensibilia causantia gratiam, mentem averterent á Deo, & ad res viles converterent. Secundó: quód si hæc gratiam causarent ex opere operato, non exigerent dispositionem in suscipiente, quod falsum est. Resp. ad 1. quód cum Deus sit causa principalis gratiæ, per conversionem ad Sacramenta, quæ instrumenta sunt gratiæ productiva, non avertimur á Deo, sed illi vnimur, quia Sacramenta vt rem Christo cohærentem confideramus. Ad 2. quód causare ex opere operato, non excludit opus operantis absolutè, vt falso asseruit Calvinus, sed illud excludit solum, vt principium á quo habeant Sacramenta vim causativam, hæc enim, solum á Passione & meritis Christi procedit.

Secunda difficultas. An Sacramenta novæ legis, causent physicé instrumentalitér gratiam? Pro hujus difficultatis resolutione, Theologi vtriusque Scholæ maximé insudant, sed res mihi nunquam gravis est visa, vt ex dicendis constabit. Pro cuius decisione recolenda sunt, quæ dicuntur in physica, de divisione causæ in principalem, quæ agit per virtutem propriam, & instrumentalem, quæ agit in virtute alterius; rursus in causam physicam, quæ per virtutem realem attingit effectum & in moralem, quæ per virtutem realem non agit, sed ex pacto præcepto vel consilio, vt qui facit homicidium, est eius causa physica, & consulens illud, est causa moralis.

Dico igitur: quód Sacramenta novæ legis, causant physicé instrumentalitér gratiam. Sic habetur expressé apud D. Thom. 3.p. q. 62. art. 1. in corp. & 1. 2. q.112. art.1. ad 2. ex quibus locis, deducitur sequens ratio: Sacramenta novæ legis, nobiliori modo debent gratiam causare, quàm Sacramenta legis veteris; sed id non haberent, nisi gratiam physicé causarent: ergo, &c. mai. est certa, alias ambo Sacramenta non distinguerentur. Prob. min. quia causalitas moralis, non excedit rationem signi; sed hæc etiam dabatur in Sacramentis antiquis, quæ Christum futurum significabant: ergo, &c.

Dices: quód differentia inter Sacramenta nostra & antiqua, oritur ex eo, quod nostra causant gratiam, vt præsentem & antiqua vt futuram; sed ambo, moralitér causant. Contra est: quia præteritum & futurum, pertinent ad differentiam temporis tantum: ergo ex his nequit summi distinctio, in efficientia Sacramentorum. Et vrgetur: Concilia & PP. recognoscent excessum in Sacramentis novis, supra vetera in ratione efficientiæ; sed præteritum, & futurum, non sunt de linea efficiendi, sed de linea durationis: ergo ex his non sumitur Sacramentorum differentia.

Secundó prob. Sacramentum Pœnitentiæ, veré & physicé gratiam producit: ergo etiam alia Sacramenta, cons. pat. nam de omnibus est eadem ratio. Prob. anteced. eo modo pœnitentia gratiam producit, quo Sacerdos absolvit, iuxta dictum Christi: quorum remiseritis peccata, &c. sed Sacerdos veré & physicé absolvit; aliás non posset veré sententiam proferre, sicut nec solvitur debitum, quando exhibetur chirographum vt alter solvat: ergo, &c. Et vrgetur: Sacramentum Pœnitentiæ, se habet per modum iudicij, sed in alijs Tribunalibus, Iudex per se absolvit reum, nec id imperat ab alio: ergo pariter &c.

Ultimó prob. quia statuta causalitate physica gratiæ in Sacramentis, meliús salvantur dicta Sanctorum asserentium, quod Sacramenta se habent instar vteri virginalis, vt ait D. Leo, instar seminis, vt ait Nissenus, & instar securis & humanitatis Christi, vt ait D. Thom. hæc enim omnia, physicam efficientiam important: ergo hæc causalitas physica, est in Sacramentis ponenda; quibus consonat dictum Christi: nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto: ergo sicut Spiritui Sancto tribuitur physicé principalitér, productio gratiæ regenerativæ, ita aquæ Baptismi, physicé instrumentalitér tribuetur.

His additur primó, quód Sacramenta vocantur vasa gratiæ, sic ait D. Bonav. in quarto dist. 1. art. 1. q.3. quód non esset verum, si essent pura signa & chirographa, ad quorum præsentiam, Deus gratiam exhiberet; ramus enim, qui est purum signum vini, non dicitur vas continens vinum; nec chirographum, dicitur vas continens pecuniam. Secundó: nam August. sæpé clamat, præcipué tract. 80. in Ioan. quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Hæc enim admiratio, sine fundamento esset, si Sacramenta, physicé gratiam non continerent; sicut inutilitér miraretur quis dicendo: quæ est tanta virtus rami significantis vinum, vel chirographi, vt ad eius præsentiam pecuniæ solvantur? Eo quod ista, solum moralitér causant suos effectus; & consequentér Sacramenta nostra, debent physicé gratiam causare.

Et si inquiras: in quo huiusmodi causalitas physica gratiæ in Sacramentis consistat? Resp. non consistere, in producendo dispositionem ad gratiam, nec vnionem illius cum anima, sed in motione á Deo ipsis impressa. Primùm patet: quia in natura, non datur dispositio ad gratiam, & licét Sacramenta, quæ imprimunt characterem, habeant eius qualitatem supernaturalem, character tamè gratiam non inducit, nec cum ea connectitur. Secundùm constat: quia si vnio cum gratia, potest produci á re corporea & naturali, etiam gratia ipsa poterit produci, cum etiam vnio spiritualis sit; sed contrarij productionem gratiæ negant: ergo malé concedunt productionem vnionis. Tertiùm, de motione impressa á Deo, ex solutione argumentorum constabit.

Argu-

Arguitur contra resolutionem: nulla datur virtus in Sacramentis, media qua, gratiam physicé causent: ergo non causant illam. Prob. ant. nam illa virtus non est corporea, quia sic non posset producere effectum spiritualem, qualis est gratia, nec est spiritualis, nam hæc, nequit recipi in subiecto corporeo, quale est Sacramentum, nam omne receptum, proportionatur recipienti: ergo, &c. Hoc argum. multis ab hinc sæculis, ab Ang. D. manet solutum, & præcipué, 3.p. q.62. art.1. ad 2. & art. 4. ad 1. ait enim virtutem illam, á Deo Sacramentis derivatam, esse spiritualem.

Et cum dicitur: quód spirituale, nequit recipi in re corporea. Resp. hoc esse verum, si recipitur permanentér; tunc enim subiecto commensuratur, non veró si recipitur transeunter, vt contingit in Sacramentis. Si dicas: accidens corporeum, nequit recipi in spiritu: ergo nec accidens spirituale in corpore. Nego conseq. nam spiritus cum superior sit ad corpus, potest illud perficere & elevare; corpus autem cum inferius sit, nequit elevare spiritum & finis ob quæm illa virtus, recipitur in Sacramentis corporeis est, vt illa elevet ad gratiam producendam. Sed in quo consistat, hæc spiritualis virtus? Audivi nuper á quodam Thomista, quód consistit in ipsa virtute Dei, gratiam producente. Sed hoc falsum est. Primó: quia aliás frustra laborarent Theologi, examinando, quomodo virtus Sacramentorum gratiam producat, quia de virtute Dei, nullus dubitat gratiam producere. Secundó: quia in nostra sententia, virtus elevativa, debet recipi in Sacramẽto intrinsecé, vt illud potẽs reddatur; virtus autem ipsa Dei, nec recipitur, nec recipere potest. Nec satisfacit quod ipse dicebat, nempé recipi in Sacramento partem virtutis Dei, & illa dicitur virtus quæ, licét non recipiatur virtus sub qua.

Nam præterquám quod valdé durum est, aliquam partem virtutis Dei recipi in alio; sequuntur ex hoc plura inconvenientia, in sententia Thomistarum vitanda, nempé fieri iustificationem per condonationem extrinsecam, per hoc quod anima, esset intrinseca homini; & rursus posset quis beatificari, per actionem extrinsecam Dei illi vnitam, per hoc solum, quód intellectus esset intrinsecus, quæ omnia sunt falsa; quód si per virtutem quæ, intelligatur motio passiva Sacramenti, in hoc sumus conformes, sed illa non est ipsa Dei virtus, sed motio virtuosa in Sacramento recepta, vt ait D. Thom. art.4. citato.

Dices: potentia materialis, v. gr. visiva, etiam ex vi elevationis, nequit attingere spiritum: ergo nec Sacramentum materiale, potest attingere gratiam spiritualem; cum eadem intersit vtrobique distantia. Nego conseq. nam visus est potentia vitalis, quæ nequit agere instrumentalitér, nam instrumentum agit, vt puré motum, & potentia vitalis, agit vt movens se, cuius contrarium in Sacramentis contingit. Si dicas: non repugnat actionem vitalem, esse instrumentalem, vt patet in actione consecrativa Sacerdotis, quæ est vitalis, & operatur vt instrumentum Christi. Resp. quód actio Sacerdotis, & habet quod sit vitalis prolatio, & hoc modo instrumentalis non est, sed principalitér ab eo procedit, & habet quod sit confectiva Corporis Christi ex pane, & sic est instrumentalis; vndé actio vitalis formalitér vt talis, nequit esse instrumentalis.

Si autem, totum argumentum ab initio positum, facilitér velis dissolvere, potest responderi: quód virtus elevativa Sacramentorum, quæ spiritualis est, recipitur in illis, non formalitér, vt sunt materialia & corporea, sed quatenús sunt ens creatum, dicens potentiam obedientialem ad Deum, quæ rebus creatis convenit, sub generali ratione entis & substantiæ, & non præcisé sub ratione corporis, & sic vincitur distantia, quæ reperitur inter accidens spirituale, & subiectum corporeum, quia hoc non recipit, formalitér vt corporeum est.

Aliter arguitur: quód Baptismus ficte receptus, non causat physicé gratiam, nam illam causat recedente fictione, quando est præteritum Sacramentum, & id quod non est, nequit physicé causare: ergo idem de alijs Sacramentis est dicendum, quia causalitas omnium, eiusdem rationis est. Resp. quód licét fictione recedẽte, Baptismus nõ sit in se, permanent tamen in sui virtute, nempé in charactere, qui tunc á Deo elevatur ad causandam gratiam illam, quám debebat producere in instanti receptionis, si non fuisset impedimentum. Sic ait D. Thom. in 4. dist.4. q.3. art.2. quæstiunc.3. dicens: in Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa, disponens ad gratiam, & ideo cum fictio, non auferat characterẽ, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedẽte fictione, effectum suum consequitur. Exemplum est in captivo, dante prætium pro libertate sua, cum iniuria Domini, quæm verbis offendit, tunc enim libertatem non consequitur, sed postea, exhibita satisfactione, licét prætium, iam sit consumptum.

Dices: character non est medium, ad causandam gratiam, quia quando hæc datur simul cum charactere, non producitur per illum: ergo, &c. Resp. quód quando datur gratia & character, Sacramentum influit formalitér, & sic non est necesse, recurrere ad influxum virtualem, quando autem non adest Sacramentum, vt in casu fictionis in Baptismo, tunc recedente fictione, causat gratiam per characterem, tanquam per virtutem á se relictam, sicut mortuo patre producitur proles, per virtutem relictam in semine; sic ait D.T.3.p.q.69.art.9.& 10.

Doctrina hæc, satis argumentum soluit, de Sacramentis, quæ imprimunt characterem, quæ dum

sunt præterita in illo tanquam in sui virtute manent; sed de alijs Sacramentis, non imprimentibus characterem, specialis difficultas est, quomodo recedente fictione gratiam causent? Ad quod dicitur 1. quód Sacramenta characterem non imprimentia, si ficte suscipiuntur, recedente fictione, in eo casu extraordinario, non causant physicé gratiam, quia nec tunc sunt in aliqua sui virtute, nec immediaté antea fuerunt.

Vel potest secundó probabilitér dici, quód etiam Sacramenta, quæ characterem non imprimunt, gratiam causant fictione recedente, Eucharistia excepta. De hac patet, aliás Sacerdos, in mortali per totã vitã celebrans, & in mortis articulo contritus, ingentem reciperet gratiæ cumulũ, & eo esset sanctior, quo plura sacrilegia commisit, quód absurdissimum est: vndé D. Thom. loco proximé citato in sententiarijs, ait: In Eucharistia non imprimitur character, cuius virtute, possit aliquis virtutem Sacramenti percipere, fictione recedente. De alijs Sacramentis constat: nam congruum est pietati Dei, vt in eius acceptatione maneant, vt gratiam causent sublatis impedimentis, sicut id asserit D. Thom. de Resurrectione Christi, quæ iam præterita, causa est nostræ Resurrectionis, quia virtus divina, præsentialitér attingit omnia loca & tempora; elige ex his duabus solutionibus quam volueris, de illis enim, infrá redibit sermo.

Tertia difficultas. Quando Sacramenta causent gratiam? Ratio dubitandi est: nam vel Sacramenta causant dum sunt, & cum sint in tempore, nequeunt causare gratiam, quæ fit in instanti; vel causant quando terminatur vsus illorum, & tunc non sunt, & sic nequeunt operari: ergo in nullo tempore causant. Propter hanc rationem dubitandi, varié discurrunt Theologi; sed substantia doctrinæ, ad sequentia reducitur; ad quod sciendum: quód in Sacramentis duplex est, causalitas gratiæ, vna incohata & in fieri, qua Deus movet materiam & formã Sacramentorum, in ordine ad instans productionis gratiæ, altera completa & in facto esse, quæ est instans vltimum, in quo gratia producitur.

Dico ergo: quód causalitas incohata, & in fieri respectu gratiæ convenit Sacramentis, toto tempore, quo durat vsus eorum; causalitas verò completa, convenit illis in instanti extrinseco terminativo illorum. Prima pars patet: nam vis productiva gratiæ in Sacramentis, consistit in verbis, hæc autem sunt oratio, vt quantitas discreta, quæ tempore mensuratur; & ratio est: nam supposito, quod Deus assumit Sacramenta, vt instrumenta ad conferendam gratiam, toto tempore, quo durat actio naturalis, durat motio Dei; sed in causis successivé applicatis, toto tempore quo durat motus, dicitur quod agunt, sicut quandiu durat alteratio, dicitur rem generari, & sic de alijs: ergo idem est dicendum de Sacramentis.

Secunda pars, nempé quod causalitas completa, fiat in instanti extrinseco terminativo. Prob. nam D. Thom. 3. p. q. 75. art. 7. probat conversionem panis in Corpus Christi fieri in instanti. Primó: ex parte formæ, quia hæc fit in instanti, & non successi, pit magis & minús; Secundó: ex parte subiecti, quód in instanti recipit vltimam dispositionem ad formam. Tertió: ex parte agentis, quia agitur in virtute infinita Dei; sed omnes istæ rationes militant in Sacramentis: ergo, &c. Et vrgetur: nam idem D. T. 1. 2. q. 113. art. 7. eisdem rationibus probat, iustificationem fieri in instanti; sed gratia collata per Sacramenta, eiusdem rationis est, ac collata extra illa: ergo, &c. Quód autem gratia causetur in instanti extrinseco. Prob. Sacramenta non conferunt gratiam, vsque ad vltimum instans; sed non habent instans intrinsecum, sed extrinsecum desitionis: ergo, &c. mai. pat. ex D. Thom. sæpiús asserente, quód virtus productiva gratiæ communicatur Sacramento, quando est in suo termino, & complemento, quia tunc completur verborum significatio, sic ait 4. ad Ambaldum, dist. 8. art. 5. Prob. min. ablutio & prolatio verborum in Baptismo, v. gr. sunt res successivæ; sed istæ non desinunt in instanti intrinseco, sed in extrinseco, quatenús verificatur, nunc non sunt, & immediaté antea erant, vt dicitur in Philosophia: ergo, &c.

Nec obstat: quód opportet assignare aliquod instans, in quo sit verum dicere: nunc est completum Sacramentum. Non inquam obstat: quia in successivis, non est necesse totum existere, sed aliquam partem, vt dicatur quod est, sicut dies dicitur esse, quando est aliquid illiús, licét simul non sint eius partes: ergo sufficit sic existere Sacramentum, vt causet, aliás si in medio locutionis nõ verificatur esse Sacramentum, quia deest aliquid illius, nec in fine erit Sacramentum, quia syllabæ antecedentes iam transierunt, & sic nunquam erit Sacramentum, quód est absurdum.

Ad rationem dubitandi in initio positam. Resp. quód Sacramenta causant dum non sunt, quia immediaté antea fuerunt, qui modus essendi, licét pro rebus permanentibus, quæ agunt vt quod, non sufficiat, benè verò pro successivis, quæ agunt vt quo. Vel secundó dicatur: quód res non existens in se, vel in sui virtute nequit causare, benè verò, si in sui virtute existat, qualitér in Sacramentis contingit, quia in vltimo instanti extrinseco terminativo, remanet in termino, virtus productiva gratiæ.

Sed dices 1. quia hoc modo, Sacramentum non elevatur ad producendam gratiam, sed solum in illo mutato esse in quo recipitur, & non in Sacramento. Secundó: quia si Sacramentum præteritum, potest causare gratiam, etiam id poterit Sacramentum futurũ, cum eadem sit ratio vtriusq; cont. est falsum: ergo, &c. Resp. ad 1. quód Sacramentum, recipit virtutem productivam gratiæ, licét non in se

ipso,

ipso, bené veró in aliquo sui, pertinente ad illud per modum termini, nempé in mutato esse, quód terminat Sacramentum, sicut punctum terminat lineam.

Secundó potest dici: quód illud mutatum esse, habet vim productivam gratiæ, ratione motus Sacramentalis, quæm terminat, & ideo sufficit, quód mutatum esse attingat gratiam, vt totus Sacramentalis motus, illam producat. Ad 2. dicatur: quód res futura, non existit, nec in se, nec in aliquo termino á se producto, & ideo nequit assumi vt instrumentum ad producendum, cuius contrarium contingit in Sacramento præterito, quód manet virtualitér in termino á se producto. Sed dices: virtus quæ est in termino, nempé gratia, est effectus Sacramenti: ergo non sufficit existere in termino, vt Sacramentum sit causa cons. pat. aliás confunderetur, ratio causæ & effectus.

Ad hanc replicam quæ difficilis est, dicitur: quód sicut causalitas differt ab effectu, licét causa producat effectum derivando causalitatem, vt lux distinguitur ab effectu Solis, & virtus seminis ab animali generato, sic virtus fluens Sacramentorum, distinguitur á gratia producta, vndé licét videatur, talem virtutem á Sacramento causari, re vera tamen est, id quo causat gratiam realitér distinctam, quod habetur apud D. Thom. 3. p. q. 62. art. 3. ad 2. & art. 4. ad 4. vndé in vltimo instãti extrinseco terminativo, est gratia causata per virtutem Sacramenti, ab ea distinctam.

Dices adhuc: si illud instans, solùm extrinsecé pertinet ad Sacramentum, ante illud fuit totum Sacramentum; ex quo sequitur, posse conferri gratiam animæ, in statu separationis á corpore, nam potest esse idem instans extrinsecum Sacramenti, & separationis animæ; consequens est falsum: ergo &c. Resp. nego sequellam, nam in eo casu, anima separata, non reciperet gratiam. Primó: ob incapacitatem subiecti, sicut in naturalibus; non resultaret forma ex vi alterationis, si materia destrueretur, anima autem solum est capax recipiendi gratiam, vt coniuncta corpori. Secundó: quia in eo casu, Sacramentum non haberet esse completum; quia ei deficeret vltimum mutatum esse, ex defectu hominis, in quo debebat subiectari.

Quarta difficultas. Vtrúm omnia Sacramenta, possint causare primam gratiam? Vocamus primam gratiam, illã quæ á peccato mundat & iustificat, secundam veró, augmentum ipsius gratiæ iam habitæ, prima autem gratia, duplicitér causari potest, vel per se, hoc est ex institutione Sacramenti, vel per accidens, & ratione subiecti, & eodem modo gratia secunda causari potest; & quidem certum est, Baptismum & pœnitentiam, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, quia supponunt animam mortuam per peccatum, causare per se primam gratiam, quia ad hoc instituta sunt; vndé difficultas est, de alijs quinque Sacramentis, quæ dicuntur vivorum, quia gratiam supponunt.

Dicendum est: quód Sacramenta vivorum, non causant primam gratiam per se, & ex ratione specifica, per accidens autem possunt illam causare. Prima pars constat, nam vt ait Tridentinum Sess. 7. can. 6. Sacramenta continent gratiam quam significant; Sacramenta autem vivorum, per se, non significant gratiam primam, nec possunt per se daré suum effectum, nisi subiecto habenti gratiam, quia per hoc á Sacramentis mortuorum differunt. Dices: quód si hæc Sacramenta gratiam augent, etiam possunt eam producere, nam augens formam, potest producere illam, vt patet in igne.

Sed contra est: nam non semper augens formam, illam potest primo producere, vt patet in cibo, qui auget vivens, & illud non primo producit; quód si ignis augens calorem, illum producere potest, hoc est, quia est causa principalis, in qua augens formam potest producere illam; Sacramenta veró, sunt solum causæ instrumentales. Si dicas: hoc modo non posse dici absoluté, Sacramẽta esse causã gratiæ, sicut nec id dicitur de operibus nostris, quia solum gratiam secundam, seu augmentum promerentur. Resp. quód Sacramenta dicuntur causæ gratiæ absoluté, licét non gratiæ secundum determinatam rationem, primæ, vel secundæ.

Exemplum est, in natura philosophica, de qua dicitur, quód in sui communitate, est causa motus, vel quietis disiunctivé, sed non copulativé, quia nec vnum nec alterum, determinaté causat, sed ab hoc præscindit & secundum diversitatem subiectorum determinatur; idem ergo de Sacramentis dicitur, quód gratiam causant, præscindendo á prima, vel secunda, & per hoc differunt ab operibus nostris, quæ determinaté causant augmentum gratiæ, nec secundum se sunt indifferentes, vt causent gratiam primam, imó illis ex se hoc repugnat.

Si dicas; quód D. Thom. hic q. 79. art. 3. ait de Eucharistia, quód eius virtus, secundúm se, habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata, quod videtur indicare, causalitatem per se primæ gratiæ. Resp. quód sensus D. Thom. est, quód virtus Eucharistiæ in abstracto, vt ambit ea quæ dicit per se, & per accidens, potest causaré gratiã primã, & sic per se causat augmentũ gratiæ & per accidens primam gratiam; vnde particula *secundum se*, non est idem ac per se, sed idem est, ac in abstracto & absoluté.

Secunda pars, de causalitate primæ gratiæ per accidens. Prob. ex D. T. 3. p. q. 72. art. 7. ad 7. vbi ait de confirmatione: Quód si aliquis adultus, non perfectè contritus accedat, dummodó non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequetur remissionem peccatorum, & idem ait de Eucharistia, q. 79. art. 3. & ratio est: quia Sacramenta conferunt gratiam, non ponentibus obicem;

sed

sed in tali casu, non ponitur obex primæ gratiæ, quia ignorantia circūstantiæ á peccato excusat, præcipué cum plené sciri non potest, vt est cognitio contritionis: ergo, &c.

Dices: quód tunc datur obex, nempé præcedens peccatum, ratione cuius homo est spiritualitér mortuus, sicut carens vita & calore, nequit cibum convertere in se. Sed contra: quia tunc non datur obex positivus, sed puré negativus. Túm, quia per Sacramentum, fit homo ex atrito contritus, & sic peccatum non manet formalitér, nec virtualitér. Túm, quia meritum Christi, sine nostro applicat Sacramenta, & Deus non petit nos esse in gratia, sed quod ad id ponamus diligentiam. Nec est idem de cibo, qui causat vitam per conversionem in vivens, ad quod requiritur calor; in Eucharistia autem, non convertimus Christum in nos, sed nos convertimur in Christū, iuxta eius dictū ad August. nec te me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me; sic D. Thom. 3.p. q.73. art.3. ad. 2.

Secundó prob. Sacramenta mortuorum possunt aliquando causare per accidens gratiam secundam: ergo etiam Sacramenta vivorum, possunt causare primam. Cons. pat. á paritate, ant. etiam constat in casu, quo quis accedat ad pœnitentiam, cum contritione perfecta, tunc enim, iam supponitur gratia producta ante Sacramentum. Sed dices: hanc consequentiam non tenere, nam qui potest maius, potest minus, & sic Sacramenta vivorum, quæ per se & directé, petunt producere primā gratiam, possunt per accidens producere secundam, quæ est quid minús; at qui potest minús, non potest maius, & ita Sacramenta mortuorum, quæ petunt producere gratiam secundam, quæ est minús, non possunt producere primam, quæ est maius.

Resp. quód ratio nostra, procedit á notioribus, & communitér admissis, vt est, quód Sacramenta mortuorum, possunt causare per accidens gratiam secundam, ex quo infertur, quo Sacramenta vivorum, possunt causare primam. Uel dicatur: quód licét ex parte effectus, maius sit gratiam producere, quám augere, sed ex parte causæ principalis, æqué sunt ambo facilia, nam vt ait August. Epist. 3. ad Volus. in rebus mirabilitér factis, tota ratio facti, est potentia facientis; vndé arguimus, quód si Sacramenta mortuorum, possunt causare per accidens gratiam secundam, etiam Sacramenta vivorum, possunt per accidens causare primam.

Sed arguitur: Nam hæc gratia communicata per accidens, non esset eiusdem rationis cum ea, quæ datur de facto: ergo illa non causatur, pat. cons. nam non datur alia gratia, præter illam, quæ de facto datur, sicut natura divina, cuius est, participatio, vnica est. Prob. antec. gratia quæ datur de facto, facit filium adoptivum; sed illa gratia causata per accidens, non faceret hoc, sicut nec natura divina communicata per accidens Spiritui Sancto, illum facit filium naturalem: ergo, &c. Resp. quód licét illa gratia prima communicetur per accidens á Sacramento, communicatur tamen per se á Deo, & ab eius intentione, & ideo constituit filium adoptivum; natura verò divina, nullo modo communicatur per se, ex vi actionis voluntatis, & ideo Spiritum Sanctum, non reddit filium naturalem.

Quinta difficultas. Quid addat gratia Sacramentalis, suprá gratiam habitualem? Supponimus: gratiam Sacramentalem, aliquid addere suprá gratiam habitualem, cuius ratio est: quia iustificatus extra Sacramenta, habet gratiam habitualem, & non Sacramentalem, quód signum est, hanc aliquid addere suprá illam. Dubium est, quid sit additum hoc? Aliqui dicunt, solum esse respectum ad Sacramentum, cum gratia habitualis, á solo Deo causetur; alij asserunt, esse habitum distinctum, cuilibet Sacramento proportionatum, ita vt in Baptismo, sit regenerativus, in confirmatione roborativus, &c. alij dicunt esse aliquem modum distinctum.

Dicendum est: quód gratia Sacramentalis, addit suprá habitualem, ius ad specialia auxilia, necessaria ad exercendas Sacramentales actiones; sic D. T. hic q.62. art. 2. in corp. vbi ait: Gratia Sacramentalis, addit suprá gratiam communitér dictam, & super virtutes, & dona, quodam divinum auxilium, ad consequendum Sacramenti finem; & in solut. ad 1. ait: quód gratia virtutum & donorum, sufficientér perficit essentiam & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ, sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur Sacramentalis gratia; & idem ait, q.72. art.7.ad 3.

Sed qui nam sint, huiusmodi speciales effectus, pro quibus requiruntur auxilia, ad quæ ius præbet Sacramentalis gratia? Hic non assignatur á D. T. sed colligitur ex ipso, q. 27. de verit. art. 5. ad 12. qui effectus, sic Sacramentis aptantur. In Baptismo, præter gratiam habitualem, confertur ius ad auxilia, quibus iuvatur homo, ad suscipienda alia Sacramenta; in confirmatione, præter augmentum gratiæ, confertur ius ad auxilia, per quæ inclinatur homo, ad fidem profitendam constanter; in Eucharistia, præter gratiæ augmentum, datur auxilium ad actus charitatis, quibus anima nutritur; in pœnitentia, præter remissionem peccatorum actualium, dantur auxilia ad satisfaciendum peccata præterita, & vitanda futura; in Extrema-Vnctione, præter augmentum gratiæ, dantur auxilia, ad vincendas tentationes; In ordine, datur augmentum gratiæ, & ius ad auxilia pro bono vsu officij suscepti; & in matrimonio augmentum gratiæ, & auxilia ad frenandam libidinem.

Secundó prob. ab exclusione aliarum sententiarum; illud enim additum gratiæ Sacramentalis, suprá habitualem, nec est conetatio Sacramenti, nec

habi-

habitus distinctus, nec aliquis modus. Non primùm: quia sic, non esset magis proprius effectus confirmationis, robur ad fidem protestandam, quàm Baptismi & pœnitentiæ, cum hæc tria, conferant gratiam sanctificantem, cum omnibus virtutibus, & donis. Non secundùm: nam extensio ad actus speciales vitæ Christianæ, propter quàm gratia Sacramentali requiritur, novam difficultatem suprà gratiam sanctificantem non addit, & sic novum habitum non requirit, nec talis habitus possibilis est, cum solum detur vnica gratia, naturam divinam participans, quæ est radix omnium virtutum & donorum, sicut vna anima, omnes operationes & potentias naturales radicat.

Nec obstat: quòd D. Thom. loc. cit. q. 72. ait: quòd id quod superadditur speciale, per gratiam Sacramentalem, non est eiusdem speciei cum gratia. Resp. enim hoc suadere, quòd auxilia specialitèr collata ad effectus Sacramentorum, inter se differunt specie, sicut etiam actus ad quos dantur, sed respectu gratiæ, solùm accidentalitèr differunt; sicut demonstrationes eiusdem scientiæ, & earum actus, differunt specie inter se, non autem in ordine ad habitum; ex his patet vltimum dictum, nempè quod superadditum per gratiam Sacramentalem, non sit specialis modus. Tùm, quia de illo D. Thom. non facit mentionem. Tùm, quia necessariùs non est ad actiones Sacramentales eliciendas, ad hoc enim sufficit gratia habitualis, cum virtutibus, & donis eam commitantibus, & ius ad auxilia specialia, ad tales actiones requisita.

Sed notanter dicimus, ius ad auxilia, & non auxilia ipsa, quia gratia Sacramentalis, confertur in susceptione Sacramenti; auxilium autem, cum sit aliquid transiens, solùm datur, quando actio Sacramentalis, exercenda est; vndè ait D. Thom. q. 22. citata, quòd gratia Sacramentalis, addit suprà gratiam gratum facientem communitèr sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum, quibus verbis indicatur claré, non auxilium ipsum, sed ius ad tale auxilium recipiendum, vt ipsum influat in actum, tempore opportuno.

Arguitur, quia D. Thom. hic art. 2. ad 3. ait: Quòd gratia Sacramentalis, se habet ad gratiam communitèr dictam, sicut species ad genus; sed species addit aliquid intrinsecum generi: ergo, &c. Resp. sensum D. Thom. esse quod sicut species addit aliquid suprà genus, etiam gratia Sacramentalis, addit aliquid gratiæ sanctificanti, nempè ius ad auxilia specialia, effectibus suis proportionata; non autem intendit, quòd sicut species addit suprà genus perfectionem intrinsecam, hoc ipsum addat gratia Sacramentalis, suprà habitualem gratiam.

Dices 1. qui habet gratiam Sacramentalem, potest ad libitum illa vti, sed si solum adderet auxilia actualia, id non posset, ad hoc enim requireba-

tur, quòd auxilia essent per modum habitus: ergo, &c. Secundò auxilia specialia pro vno Sacramento, debent plus proportionari, cum gratia per ipsum collata, quàm cum altera, sed nisi illa aliquid intrinsecum addat, nequit hæc maior proportio salvari: ergo, &c. Resp. ad 1. quòd vt quis pro suo libito, possit vti gratia Sacramentali, sufficit quod habeat ius ad auxilia totiès recipienda, quoties fuerit opus, pro consequendo fine Sacramenti. Ad 2. quòd vt gratia Sacramentalis, eam proportionem habeat, sufficit quòd conferatur, ad actum sibi propriùm, in vno Sacramento præ alio, pro vt particularis effectus exposcit, vt ait D. Thom. loc. cit.

Hinc infertur 1. quòd licèt Deus his qui Sacramenta non suscipiunt, auxilia non subtrahat, quibus ad operandum iuventur, illis autem qui Sacramenta suscipiunt, assistit titulo specialis, ratione iuris specialis, collati á gratia Sacramentali, ad auxilia necessaria, pro actibus specialibus Sacramentorum. Secundò infertur: quòd gratiæ Sacramentales, quodammodò distinguuntur specificè, non quidem physicè, aut ratione gratiæ habitualis, quia hæc specificè immultiplicabilis est, sed tantùm moralitèr, ratione diversi iuris ad auxilia specie diversa.

Si inquiratur an gratiæ Sacramentales, possint extra Sacramenta conferri? Resp. affirmativè, quòd traditur á D. Thom. q. 72. art. 2. ad 1. vbi loquendo de confirmatione, ait: Contulit Apostolis rem huius Sacramenti, id est plenitudinem Spiritus Sancti, sine Sacramento; & post pauca: non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, vbi sensibilia signa, miraculosè exhibebantur divinitus; & & expressiùs, art. 4. ad 1. quia Deus potest effectum Sacramenti, sine Sacramento conferre. Ratio est: quia Deus, suam virtutem Sacramentis non alligavit, vt eorum effectum conferret, vt ait D. Thom. q. 64. art. 7. in corp. ergo sicut potest aliquando, per Angelos conferre Sacramenta, quæ per homines confert, quia virtus sua non est alligata Ministris, idem de Sacramentis, respectu suorum effectuum dicendum est.

Sexta difficultas. De characterè Sacramentali; & quidem certum est, vt diximus, aliqua Sacramenta characterem imprimere, vt sunt Baptismus, confirmatio & ordo: quia sic in militia Christi, homines, per insignia distinguuntur, sicut in militia Regis per militaria signa, sic D. Thom. 3. p. q. 63. art. 1. Si dicas: hinc oppositum convinci, quia milites non insigniuntur aliquo sigillo. Resp. quòd hoc speciale est Sacerdotis Christi, ex quo aliquid intrinsecum in Ministros derivatur; sicut amicitia humana, nihil ponit intrinsecum in obiecto, benè verò amicitia Dei.

Sed an vnctio Regum, imprimat characterem? Quidam Parisiensis Doct. Vesianus, ausus fuit hoc affirmare, de vnctione Regis Galliæ spiritu adula-

tionis ductus. Sed hoc falsissimum est, aliis daretur octavum Sacramentum, per illam vnctionem constitutum; & vlteriús quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, reiterari non possunt, illa autem Regum vnctio, sæpiús fuit iterata, vt Carolus Magnus, á Stephano, & Leone Summis Pontificibus fuit vnctus; demumque id habetur expressé, apud D. Thom. in 4. dist. 23 & dist. 24. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3.

Supposito autem, quód character & gratia sunt effectus Sacramentorum, dubitatur: quis nam ex his, sit effectus principalis? Resp. quód gratia est effectus primariús & principalis, character veró, minús principalis & secundarius. Constat ex D. Thom. 3. p. q. 62. in introductione, vbi ait: Considerandum est de effectu Sacramentorum, & primó de effectu eorum principali, qui est gratia, secundó, de effectu eorum secundario, qui est character; & ratio est: nam priús est effectus, qui præstatur á gratia, quám á charactere quia illa sanctificat animam, quod non habet character. Et si dicas: quomodó, si character est effectus secundarius gratiæ, cõmunicatur sæpiús sine gratia, vt in ordinato in peccato mortali, siquidem effectus secundariú, supponit primarium? Resp. quód effectus secundariús essentialis supponit primarium, vt extensio localis supponit quantitatem, character veró, solum est effectus secundarius connaturalitér secutus ad gratiam, sed non essentialitér.

Deinde potest probabilitér dici: quód hoc est speciale Sacramenti ordinis, quod eius principalis effectus est character, quia illud Sacramentum, non ordinatur ad sanctificandam personam, sed Ecclesiam pro cuius bono consecratur Minister; quare dixit D. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. quód ordo non datur in remedium vnius personæ, sed totiús Ecclesiæ; & quod ille, potestatem principalitér importat, & ideo character ponitur in diffinitione ordinis, & non in diffinitione Baptismi; vndé ordo principaliús confert characterem, & gratiam ex consequenti.

Præcipua difficultas de charactere est: ad quam speciem qualitatis pertinet character? Resp. quód pertinet ad secundam speciem, vt potentia spiritualis physica instrumentalis. Prob. ratione D. Thom. 3. p. q. 63. art. 2. character est signum impressum Ministris ad Dei cultum destinatis; sed divinus cultus, consistit in recipiendo divina, vel in tradendo alijs, quæ omnia sunt de genere potentiæ, nam recipere est potentia activa, & tradere est activa: ergo, &c. Nec obstat: quód etiam Sacramenta antiqua Ministros destinabant, sine potentia characteris; nam destinatio de qua loquitur D. Thom. est perfectiva, quæ datur in Sacramentis nostris, & non in antiquis.

Et vrgetur: Illud est de linea potentiæ, quo ablato, aufertur actus; sed ablato charactere aufertur actus recipiendi, & agendi sacra: ergo, &c. mai. est certa. Prob. min. quia ablato charactere Baptismi, nequeunt alia recipi Sacramenta, & ablato charactere ordinis, non possunt exerceri actiones sacræ: ergo, &c. quód comprobatur á D. Thom. in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. vbi ait: quód character facit hominem participativum divinarum operationum, & ideo est quædam potentia, qua potest in actiones hierarchicas, quæ sunt ministrationes, & receptiones Sacramentorum. Secundó prob. quia character datur ad posse simplicitér, ille non potest intendi, nec remitti, confertur proportionaté ad potentias naturales; non efficit bonum simplicitér, & est indelebilis sed omnia hæc, sunt prædicata potentiæ physicæ: ergo, &c. Nec obstat, quód Deus adest ex pacto, vt character effectum supernaturalem producat, quód solum est potentia moralis. Dicitur enim: quód hæc est potentia moralis antecedenter ex meritis Christi & etiam concomitantér, quia est in subiecto libere agente, & consequentér, quia illi potest superaddi potestas moralis iurisdictionis, essentialitér tamen, character est potentia physica, sicut idem proportionalitér, de potentia naturali possumus discurrere.

Sed arguitur: Signum potestatis, non est ipsa potestas, sicut corona non est potestas regia; sed character est signum potestatis, vt asseritur á Concilio Sess. 7. can. 9. ergo ille non potestas. Resp. quód character intrinsecé, est simul potestas, & signum configurativum Sacerdotio Christi, in quo assimilantur fideles, & ab infidelibus differunt; extrinsecé veró in ordine ad Sacramentum externum, potest dici signum potestatis; vndé asserit D. Thom. loc. cit. per comparationem ad exteriús signum, ipsa spiritualis potentia dicitur signum, in quantum homo, per eam determinatur ad actiones spirituales.

Dices: potentia passiva, in se recipit formam; sed character Baptismi, in se non recipit alia Sacramenta, quia hæc recipiuntur in corpore, nec recipit gratiam, quia hæc recipitur in anima: ergo, &c. Resp. quód maior est vera, de potentia passiva principali, non de instrumentali qualis est character. Vel secundó: quód potentia passiva, non semper debet recipere, sed subiectum ad receptionem disponere, vt mollities disponit ceram ad receptionem sigilli, quód ipsa mollities, non recipit in se, & simile quid in charactere Baptismi contingit, qui disponit hominem, vt Sacramenta & gratiam recipiat.

Dubitari etiam solet: quodnam sit subiectum characteris? Resp. subiectum illius esse intellectum; ratio summitur ex D. Thom. loc. cit. 3. p. art. 4. nam character, est potestas ad cultum Dei ordinata, per modum protestationis fidei; sed fides est in intellectu: ergo etiam character. Dices: hinc oppositum inferri, quia cultus Dei, fit per religionem, quæ est in voluntate. Contra est: quia character

non

non præstat cultum Dei determinatè bené; sed præscindit á bené, vel malé, sed licét bené exhibere cultum, pertineat ad religionem, præcisivé autem, pertinet ad fidem: ergo, &c.

Sed oppones: Dispositio & forma, sunt in eodem subiecto; sed character est dispositio ad gratiam, vt ait D. Thom. loc. cit. ex sententiarijs: ergo recipitur in anima, quæ est gratiæ subiectum. Resp. 1. nego mai. nam bonitas imaginativæ, est dispositio ad scientiam, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 4. ad 3. & scientia est in intellectu; item contritio, quæ est in voluntate, est dispositio ad gratiam, quæ est in anima; vndé maior solum est vera, quando dispositio postea fit perfectio, vt dispositio ad scientiam fit scientia; character autem, nunquam fit gratia, sed differt per essentiam ab illa, & ideo est in diverso subiecto: sic D. Tho. in 4. dist. 4. q. 2. art. 3.

Secundó dicatur: quód character, non est dispositio physica gratiæ, sed solúm moralis, nam D. Thom. vocat characterem dispositionem congruitatis, & constat; nam character manet sine gratia, vt in eo, qui ordinatur cum peccato, & similitér gratia sine charactere, vt in illo, qui cum Baptismo in voto, vltimo disponitur ad gratiam, dicitur autem character dispositio moralis, & solius congruitatis, quia congruum est, vt qui characterem confert, det gratiam ex consequenti, vt exercitium characteris, religiosè fiat.

ARTICVLVS III.

De institutione, & Ministro Sacramentorum.

Prima difficultas. Vtrúm Christus potuerit communicare Ministris, potestatem instituendi Sacramenta? Suppono, quód omnia Sacramenta novæ legis, fuerunt instituta immediatè á Christo; sic habetur apud Trident. Sess. 7. can. 1. & constat ex D. Paul. 1. ad cor. 1. sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, vbi Apostoli, non dicuntur institutores, sed dispensatores, vel Ministri Sacramentorum. Licét autem, de hoc non detur ratio demonstrativa, quia ex voluntate Dei libera pendet; sed tamen D. T. hic q. 64. art. 4. tres congruentias adducit. Prima: ne fideles ponerent spem in homine, si hic fuisset Sacramentorum institutior. Secunda: ne in Ecclesia oriretur divisio, propter diversa Sacramenta, & vnus diceret: ego sum Pauli, ego autem Apollo, &c. Tertió: ne darentur in Ecclesia multa capita, quæ statuerent leges.

His addi potest, quód institutio á Christo facta, dignitatem Sacramentorum suadet, aliás nostra Sacramenta, essent antiquis inferiora; quæ omnia, hac alia ratione roborantur, nam sicut creatio mundi, præsupponitur operationi causarum secundarum, & cum hæc non potuerint illum creare, nec possunt mutare, aut invertere; sic etiam Ecclesiæ fundatio, præsupponitur operationi Ministrorum; cum autem Ecclesia, per fidem & Sacramenta fundetur, horum institutio, ab operatione Ministrorum non procedit, sed præsupponitur facta á Christo, qui est Ecclesiæ fundator; sic affertur á D. Thom. in suppl. 3. p. q. 6. art. 6. in corp.

Difficultas ergo est: Vtrúm Christus potuerit communicare Ministris, potestatem instituendi Sacramenta. Resp. quód Christus non potuit communicare Ministris, omnem suam potestatem, nec potestatem excellentiæ cum omni eminentia, cũ quæ fuit in ipso, bené veró absolutè & simplicitér. Totum colligitur ex D. Thom. 3. p. q. 64. art. 4. & 1. pars constat, ex ipso dicente: quód in Christo datur potestas authoritatis, quæ convenit illi, secundum quod Deus, & illa nulli creaturæ potest communicari, sicut nec divina essentia communicari potest.

Secunda pars prob. nam eminentia potestatis Christi, includit infinitam dignitatem meritoriam, ratione cuius potest satisfacere ex iustitia, pro culpa mortali, & insuper est instrumentum coniunctum divinitatis; sed hæc omnia puræ creaturæ repugnant, cum conveniant Christo ratione vnionis hipostaticæ: ergo, &c. quæ omnia comprobantur á D. Thom. 4. ad Anib. dist. 5. art. 3. vbi ait: quód Christo aliquid conveniebat triplicitér; vno modo ratione divinitatis, & hoc hominibus communicari non potuit; alio modo ratione vnionis cum natura divina, quód etiam communicari non potuit, tertio ratione humanitatis absolutè, & huiusmodi potuit alijs communicari.

Ex quo deducitur, ratio tertiæ partis, quæ principalior est: id quod convenit Christo vt homini, potest alteri homini communicari; sed potestas excellentiæ ad Sacramenta instituenda, convenit Christo vt homini: ergo, &c. Mai. est certa, prob. min. ex D. Thom. loc. 3. p. relato, vbi ait: aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo, & talem potestatem potuit Ministris communicare, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus; quód constat etiam, ex August. tract. 8. in Ioan. vbi ait: potuit Christus, si vellet dare potestatem alicui servo suo, vt daret Baptismum tanquam vice sua.

Dices: quód hoc modo, posset homo mereri alteri de condigno, primam gratiam, & etiam satisfacere de condigno pro peccato. Sed contra est: nam licét non possit quis, mereri de condigno gratiam, bené verò, ex suppositione gratiæ Dei; sed hoc solum modo mereretur in eo casu: ergo, &c. Prob. mai. nam dignitas gratiæ capitalis Christi, ex se non est infinita, nec connexa essentialiter cum persona Verbi: ergo potuit hæc conferri alteri homini.

mini. Nec id esset satisfacere condigne, nam gratia illa expelleret peccatum, solum ratione oppositionis cum illo, non verò ratione valoris, hoc enim proprium Christi est, nec potest ad purum hominem derivari.

Explicantur hæc omnia: potest homo constitui caput morale aliorum in ordine culpæ, illisque demereri, vt contingit in Adamo: ergo etiam potest constitui caput aliorum in ordine gratiæ, illisque cooperari ad effectum gratiæ per Sacramenta. Conf. prob. ex Paul ad Rom. 5. dicente: si vnius delicto mors regnavit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ accipientes, in vita regnabunt; per vnum Iesum Christum; vndé ait D. Thom. 3. p. q. 19. art. 4. quód sicut peccatum Adæ ad alios derivatur, ita meritum Christi, se extendit ad eius membra.

Sed arguitur: Potestas excellentiæ Christi, meretur iustificationem impij, vt ait Concil. Sess. 6. cap. 7. sed hanc non potest mereri purus homo, non enim potest condigne satisfacere pro mortali, aliás non rectè probarent Sancti PP. necessitatem Incarnationis: ergo, &c. Resp. ex dictis, nos non ponere potestatem excellentiæ in puro homine, sub ea eminentia, qua ponitur in Christo, sed alio modo inferiori; modo quo calor est in igne, modo intensiori, & in aqua modo remissiori; vnde dicatur: quód ad iustificationem alterius, requiritur potestas authoritatis, quæ producit opus, adæquans in valore offensam, quód creaturæ puræ repugnat, nam in casu nostro, solum mereretur gratiam, per modũ formæ incompossibilis, cum peccato, vt diximus.

Dices: maius opus est iustificatio impij, quàm creare Cœlum & terram, vt ait D. Thom. cum August. 1. 2. q. 113. art. 9. sed virtus creativa, etiam instrumentalis, & ministerialis, nequit communicari creaturæ: ergo nec vis iustificativa. Resp. quód iustificatio est maius opus, ex parte facti, quàm creatio, quia terminatur ad bonum æternum participationis Dei; creatio verò, est opus maius ex parte modi, quia operatur ex nihilo, quód solius Dei est proprium, qui potest vincere infinitam distantiam, quæ reperitur inter nihil & aliquid; vndé potest pura creatura instrumentalitér gratiam mereri, non verò potest creare, nec instrumentalitér.

Instabis: ideo creatura, nec instrumentalitér creare potest, quia inter nihil & ens, datur infinita distantia, solùm vincibilis per potentiam infinitam; sed eadem distantia datur inter gratiam & peccatum, cum hoc sit simplicitér infinitum: ergo pura creatura, nequit etiam instrumentalitér gratiam mereri alteri. Hoc argumento, vidi quosdam in manuscriptis, ad oppositum convictos, sed immerito. Resp. enim, quód creatura instituens Sacramenta, nec attingeret gratiam ex parte termini ad quem, nec peccatum ex parte termini á quo, vt infinita; non gratiam, quia non terminatur ad eam per modum satisfactionis, sed solum per modum formæ incompossibilis; non peccatum, quia solum destrueretur in ratione malitiæ, quomodo finitum est, licét indirectè, etiam in ratione offensæ destrueretur, quia illa in malitia fundatur, & ablato fundamento, aufertur forma; vndé patet disparitas de termino creationis, qui omninodé infinitus est, nec á pura creatura est attingibilis.

Secunda difficultas. Quinam sint Ministri Sacramentorum? Resp. quód de lege ordinaria, soli homines sunt Ministri Sacramentorum, & non Angeli; possunt tamen isti de potentia absoluta, Sacramenta ministrare, ita D. Thom. 3. p. q. 64. art. 7. Prima pars constat, ex illo ad Hebr. 5. omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur; vndé ait Chrisost. lib. 3. de Sacerdotio: His qui terram incolunt, commissum est, vt ea quæ in Cœlis sunt dispensent, his datum est, vt potestatem habeant, quàm Deus, neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Ratio autem á priori, licét non sit alia, nisi voluntas Dei & Christi; datur autem triplex congruentia. Prima: quia tota virtus Sacramentorum, derivatur á Passione Christi, quæ convenit illi vt est homo, cui homines & non Angeli conformantur. Secunda: nam conveniens, non est, vt principalis Minister, sit inferior in natura minús principali; Christus autem, qui principalis est Sacramentorum author, in quantum homo, est paulominus ab Angelis minoratus. Tertia: quia sicut pro Sacramentis, requiritur materia naturalis, vt aqua in Baptismo, & panis in Eucharistia, ita etiam requiritur naturalis locutio, quæ ab Angelis nequit effornari.

Secunda pars prob. ex D. Thom. loco citato; nam sicut Deus, virtutem suam non alligavit Sacramentis, ita illam non alligavit Ministris: ergo sicut potest sine Sacramentis, eorum effectum conferre, ita sine Ecclesiæ Ministris, potuit Angelis tribuere virtutem, Sacramenta ministrandi. Hoc autem intelligitur, vt ait D. Thom. de Angelis bonis; qui sunt nuncij veritatis, & sic ministerium Sacramentale, quód perficeretur ab ipsis, esset ratum habendum; si autem Dæmones, qui sunt spiritus mendacij, aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum; & quo ad Angelos bonos id comprobat D. Thom. quia per ipsos, dicuntur quædam Templa, Angelico ministerio consecrata; sic apud Cæsaraugustam nostram, Templum Beatissimæ Virginis de el Pilar, consecratum fuit ab Angelis D. Iacobi coadiutoribus, ex quo nomen Angelicæ Cameræ sortitum fuit; & simile contigit in Templo S. Michaelis, apud montem Garganum, & de alio D. Dionisij propé Parisios ædificato; & sic proportionalitér, etiam Angeli, possunt esse Sacramentorum Ministri.

Hoc ipsum, quód de Angelis dicimus, etiam de animabus beatis, dicendum est: quod nempé in ca-

su

su extraordinario, possunt esse Sacramentorum Ministri. Constat ex D. Thom. loc. cit. ad 2. & ratio est: quia homo licét comprehensor & beatus, retinet characterem, qui indelebilis est, & aliás potest ponere omnia necessaria ad valorem Sacramenti, nempé materiam, formam & intentionem: ergo potest Sacramentum conficere, reassumpto miraculosé corpore, absque alio miraculo novo. Nec obstat, quód ille non esset viator, nec nobiscum conversaretur; nam licét hæc conditio requiratur, vt quis sit Minister ordinarius Sacramentorum, non autem vt sit extraordinarius Minister, qualis tunc esset anima beata, corpori miraculosé reunita.

Sed an aliquando Angeli, vel animæ beatæ, ministraverint Sacramenta? Resp. affirmativé, quód satis ex historijs constat; nam S. Onuphrius, ab Angelis Eucharistiam accepit, vt refert Marulus, lib. 1. cap. 10. & idem refertur de B. Agnete de monte Politiano, & de B. Chatarina Senensi; & de B. Alano de Rupe, ex ordine nostro, dicitur quod ipse Dominus Iesus ter illi sacram porrexit sinaxim, pro eo interveniente B. Virgine, vt á scrupulis vexantibus liberaretur; & aliud stupendum valdé, legimus de Patriarcha Dominico, qui quadam die miraculosé consumavit Missam, in qua Virgo Maria, partem Hostæ & Sanguinis Christi accipiens, Dominico communicavit, in signum summæ & singularissimæ amicitiæ, tanquam sponsa cum sponso eumq; adiuvit, ad vestes Ecclesiæ deponendum; quæ omnia, ex probatissimis authoribus, refert Prado.

Sed arguitur: Sacramenta essentialitér constant rebus & verbis; sed Angeli in corporibus assumptis, non proferunt vera verba, vt ait D. Thom. 1. p. q. 51. art. 3. ad 4. solúm enim, sono in aere formant, qui non sunt veræ voces, cum non sint á principio intrinseco vitæ: ergo Angeli non possunt esse Sacramentorum Ministri Propter hoc argumentum sentiunt aliqui, quód tale Sacramentum ab Angelo confectum, non esset eiusdem rationis cum nostro, sicut nec verba ab ipso prolata, essent vera verba. Sed melius dicitur: quód licét illa verba pro ata ab Angelo, essent diversa á verbis nostris, illa tamen diversitas, puré materialis esset, & se haberet per accidens ad rationem signi sensibilis, cum illa haberent eandem virtutem productivam gratiæ, sicut voces nostræ, quarum determinatio ad Sacramenta, non sumitur ex prolatione vitali, sed ex formali significatione, quæ in vocibus Angelorum reperiretur.

Instabis aliter, contra dictum de animabus Beatis: nam Christus designans ministros Sacramentorum, solum viatores alloquebatur, & sic hoc sine fundamento, ad Beatos & comprehensores extenditur. Resp. quod Christus designando Ministros, solúm loquebatur ad viatores, quia solum illi erant præsentes, non verò, quia status viæ, esset conditio indispensabilis, ad Sacramenta ministranda. Dices: Beati solum pertinent ad Ecclesiam militantem: ergo nequeunt esse Sacramentorum Ministri. Resp. quód hoc probat, beatos non posse Sacramenta recipere, non autem illa, non posse ministrare. Si dicas: quód ministrare, quid nobiliús est quam recipere. Resp. hoc verum esse, sed ideo beati Sacramenta recipere nequeunt, quia non sunt in statu merendi, nec recipiendi, vel augendi gratiam, cum illa sit in termino aumenti & consummationis, quód tamen ad ministrationem Sacramentorum non obstat.

Sed contra hæc scrupulus pungit: si Beati Sacramenta recipere nequeunt, quia nec mereri possunt nec gratiam augere, quomodo de Beatissima Cœli Regina proximé diximus, quód Eucharistiam sumpsit & simul cum Patriarcha Dominico communicavit? Resp. quód sumptio illa Eucharistiæ, non habuit pro effectu in Virgine Beata gratiæ augmentum, quód in Beatis non habet locum, habuit tamen velut effectum, spiritualem quandam dulcedinem & complacentiam, de Sacramento á filio suo instituto, sicut in simili dicitur de Christo sumente Eucharistiam, cuius effectus non fuit gratiæ augmentum; sed delectatio quædam de Sacramenti institutione; vel etiam inebriatio per dulcedinem bonitatis divinæ iuxta dictum Psalmi: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & expressiús in canticis: comedité amici, & inebriamini charissimi; & simile quid in casu illo, potest Beatissimæ Virgini accomodari; cuius doctrinæ substantia, affertur á D. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. ad 2. & q. 81. art. 1. ad 3.

Dices adhuc: quód si aliquis Summus Pontifex resurgeret, non haberet potestatem iurisdictionis, aliás darentur in Ecclesia duo capita: ergo nec haberet potestatem ordinis. Resp. quód Pontifex resuscitatus, non haberet potestatem iurisdictionis, quia illa obstaret Ecclesiæ paci; sed tamen conficere posset Sacramenta, quæ iurisdictionem non exigunt. Præterquam, quod casus ille, metaphysicus est, & ideo ad Deum, sic miraculosé operantem pertineret, non mittere Beatos, nisi cum ea potestate, quæ esset requisita, ad Sacramẽta conficienda.

Si inquiras: an Sacerdos damnatus, possit Sacramenta conficere? Resp. quód licét ille in corpore & anima in inferno esset, & haberet potestatem, Deus exercitium illius impediret; nec hoc sine fundamento asseritur; nam cum damnatus, in termino miseriæ sit, congruum est, vt Deus illi, exercitium potestatis impediat; sicut aliquando cum Dæmone facit, negando concursum ad plura ad quæ potestatem habet. Potest etiã probabilitér dici, quód si damnatus miraculosé resurgeret, & apud nos esset, Sacramenta validé ministrare posset, sicut hoc affirmat D. T. de hæreticis, & Paganis, hic art. 5.

Tertia difficultas. An ministrans Sacramenta in peccato mortali, peccet mortalitér? Et quidem certum est, quód Sacramenta sunt valida, etsi á Ministro peccatore confecta, dummodó hic apponat omnia, ad valorem Sacramenti requisita. Hoc est de fide diffinitum in Trident. Sess 7. can. 12. & habetur in D. Thom. hic art. 5. & ratio est: quia Ministri operantur, vt instrumenta Dei, & parum refert infectio instrumenti, ad rectitudinem effectus; qua propter medicus infirmus, potest alium sanare, & sigillum plumbeum, æqué imprimit imaginem in cera, sicut aureum, & fistula ferrea, æqualitér aquam fundit sicut aurea, sicut agricola, immundis manibus recté seminat: ergo idem est dicendum de malis Ministris, quo ad valorem Sacramenti quód conficiunt; quare dixit August. tract. 5. in Ioan. quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?

Nec obstat dictum Ecclesiastici 34. ab immundo quid mundabitur? & ideo in Levitico dicitur: quód habens maculam, non offerat panes Deo. Resp. enim, quod cum illa mundatio, á Ministro solum instrumentalitér fiat, sufficit quod causa principalis nempé Christus, munditiam habeat; quód si in lege antiqua prohibebatur maculatis panes offerre, hoc intelligitur, quo ad decentiam, non verò quo ad essentiam, & valorem Sacramenti, hæc enim non destruitur per Ministri defectum; & ideo ait August, loc. cit. superbus Minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum, purus fluvius transit, & venit ad fertilem terram.

Et adeo est verum, quód peccatum Ministri, non tollit valorem Sacramenti, vt licét ille sit hæreticus, vel quilibet infidelis, validum Sacramentum conficit, si adhibet omnia requisita ad Sacramenti valorem; sic diffinitur in Trident. loc. cit. can. 4. & affertur á D. Thom. art. 9. quód suadetur eadem ratione: nam Minister agit vt instrumentum Christi: ergo sicut non requiritur Ministri Sanctitas, ad Sacramenti valorem, ita nec fides Ministri requiritur. Si dicas: quód Christus influit gratiam per Ministros, vt per sui membra; infideles autem eius membra non sunt. R. quód Christus operatur per Ministros bonos, vt per membra viventia, sibi coniuncta, per malos autem, vt per membra præcisa & separata; sicut artifex operatur per manum, vt per instrumentum vnitum, & per securim, tanquam per separatum; sic D. Thom art. 5. ad 2.

Dices: si infideles illi, sunt ab Ecclesia separati, quomodo possunt Sacramenta ministrare? Resp. quód potestas ministrandi Sacramenta, pertinet ad characterem qui indelibilis est; & sic per hoc, quód quis ab Ecclesia separatur per excomunicationem, non amittit potestatem conferendi Sacramenta, sed privatur vsu illius, & ideo Sacramentum validum confert, sed tamen peccat conferendo, & similitér ille, qui ab eo accipit Sacramentum, & sic non percipit rem Sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur; sic D. Tho. art. 9. ad 3. vndé Sacramenta ab hæreticis collata, gratiam non conferunt, & ideo ab Ecclesia prohibentur; & in hoc sensu, ait D. Thom. quód hæreticus, nequit á peccatis absolvere, hoc est quo ad effectum gratiæ, quia peniteti deficit dolor cum fictus accedat, & quia Ministro hæretico, deficit iurisdictio, quæ requiritur vltra potestatem characteris.

His positis, ad præcipuum quæsitum. Resp. quód minister solemnitatis, ad hoc specialitér consecratus, mortalitér peccat, si cum conscientia peccati mortalis Sacramenta ministrat. Vocatur Minister solemnitatis, vel ex officio, qui ratione consecrationis, habet officium Sacramenta conficiendi, vt Sacerdos celebrans, absolvens vel baptizans, Minister autem necessitatis, qui Sacramentum confert, non ex officio, sed vt necessitati succurrat, vt mulier baptizans. Prob. ergo dictum nostrum ex D. Thom. hic art. 6. nam Eccles. 10. dicitur: Secundúm iudicem populi, ita & Ministri: ergo cum Deus sit sanctus, etiam Ministri debent esse sancti, vt suo Domino conformentur, & sic dicitur in Levitico: sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Deinde in Deuter. 10. dicitur: iustè quod iustum est exequeris: ergo cum Sacramenta sint sancta, debent sancte & iuste tractari. Nec obstat; hoc esse præceptum veteris legis; quia tractare sancte res sanctas, est de iure naturali, quód immutari non potest; & vlteriús, quia si culpa erat accedere cum macula ad Sacramenta antiqua, quanto magis erit accedere ad nostra, quæ sunt antiquis perfectiora? Quare dixit Chrisostoma hom. 60. ad pop. Antiochen. quo non opportet igitur esse puriorem, tali fruentem Sacrificio?

Explicantur hæc: tunc aliquis peccat in agendo, quando non operatur vt opportet, vt ait Phil. 2. Ethic. sed opportet Ministros Sacramentorum esse sanctos, vt ita suo Domino conformentur, & dignos se exhibeant Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: ergo, &c. Quód autem in peccato mortali ministrare, ex genere suo sit mortale constat: nam pertinet ad irreverentiam Dei, in re gravissima, qualis est Sacramentorum administratio; & quo gravius fuerit peccatum in quo est Minister, eo gravius peccat ministrando Sacramenta, nam plús opponitur sanctitati quám accepit in sua consecratione, & similitér gravius peccat, quo excellentius Sacramentum ministrat, quia lædit rem excellentiorem.

Diximus in resolutione, hoc intelligi de Ministro solemnitatis, & specialitér ad ministranda Sacramenta, ex officio consecrato, nam si deficiunt hæc, peccatum mortale non committitur; ex defectu primi, non peccat mortalitér mulier, vel laicus

in

in necessitate baptizans, nec etiam Sacerdos, hoc faciens sine solemnitate, cuius rationem dat D. T. art. 6. ad 3. nam tunc non se exhibet formaliter, vt Ministrum Ecclesiæ, sed per accidens subvenit necessitati occurrenti; ex defectu secundi, contrahentes matrimonium in peccato mortali, licét mortaliter peccent, ex indebita dispositione recipiendi Sacramentum, non autem ex eius administratione, nam licét sint matrimonij Ministri, non tamen sunt ad hoc, per specialem consecrationem deputati.

Sed arguitur, D. Thom. art. 5. ad 3. arti: quód bonitas Ministri, solum requiritur ad Sacramentum, secundum quandam decentiam; sed non servare, quæ solum pertinet ad decentiam, non est mortale, vt dicitur in Clement. 1. de celebr. Missar. ergo nec est mortale ministrare Sacramentum, sine bonitate Ministri. Resp. quód licét status gratiæ in Ministro, solum requiratur ad decentiam ex opere operato, est tamen necessaria simpliciter, ex opere operantis, qui specialitér ex officio consecratur, & debet in sanctitate conformari, cum principali Sacramentorum authore; sicut hac ratione, locus, vestes & ceremoniæ Sacramentorum sunt sacræ, & magis requiritur sanctitas, ex parte Ministri, iuxta dictum D. Dionysij, de Cœl. Hier. cap. 3. omnium divinorum divinissimum, est Dei cooperatorem fieri.

Si dicas: gratia Sacramentalis, á qua oritur sanctitas Sacramentorum, in suscipiente recipitur, in quo dispositionem requirit; & tamen recipiens pœnitentiam cum sola attritione, & in statu peccati mortalis quod commisit, mortaliter nō peccat, nec venialiter: ergo nec Sacramentum ministrans. Resp. nego conseq. nam ministrans Sacramentum, se habet vt agens respectu gratiæ, suscipiens autem vt patiens; cum autem agens nobiliús sit, exigit maiorem dispositionem; hac enim ratione, potest quis in somnis baptizari, si antea intentionem habuit, & nequit in somnis Sacramentum conficere, quia primum est pati & secundúm, agere opus sanctum; & hoc secundúm, quid maius est; idem ergo in præsenti dicimus.

Dices adhuc: quód etiam opera charitatis, & religionis sunt sancta, vt audire sacrū & similia; & tamen non requirunt sanctitatem in operante; & cōsequentér idem de Sacramentis est dicendum. Respondet D. T. q. 64. art. 6. ad 1. quód opera charitatis, non sunt aliqua consecratione sanctificata, & ideo homo, qui se exhibet Deo Ministrum in operibus charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur, si verò sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur; sed Sacramenta in se ipsis, sanctificationem quandam habent, per misticam consecrationem, & ideo præexigitur in Ministro sanctitas iustitiæ, vt congruat suo ministerio, & ideo incongruè agit, si in peccato existens, ad tale ministerium accedat.

Sed contra totam doctrinam, instat paritas de Ministro necessitatis, qui etiam est Minister Christi, ab eo institutus, & tenetur cum Domino conformari, & tamen ministrando in mortali, non peccat mortaliter: ergo nec peccabit Minister solemnitatis. Resp. quód Minister necessitatis, est institutus á Christo, non quidem per se, sed ex accidenti, quia ad hunc finem non est specialitér deputatus, vt patet in muliere, baptizante in casu necessitatis; & si fit argumentum de Sacerdote consecrato & deputato; dicatur: quód etiam ille in casu necessitatis, baptizando in peccato mortali, non peccat mortaliter, quia tunc, non tàm vt Minister se gerit, quàm necessitati succurrit, vt vidimus cum D. Thom.

Quarta difficultas. Vtrúm ad valorem Sacramenti, requiratur intentio Ministri? Resp. affirmativé, quæ veritas est de fide, & colligitur ex Trident. Sess. 7. can. 11. vbi contrarium asserentes, ex communicatione damnantur; & idem habetur apud Florent. Sess. vlt. vbi dicit: omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quód facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Quód ab inconvenientibus suadetur: nam si non esset requisita ad conficienda Sacramenta intentio Ministri, sed sufficeret á casu verba proferre, super materiam debitam, mulier abluens corpus infantis, ob munditiam corporalem, dicendo: ego te abluo, &c. veré baptizaret; & similitér Sacerdos legens inmensa, scripturam in qua continentur verba consecrationis, veré consecraret mensæ panem; sed hæc sunt absurda, & ridicula: ergo non sufficit verba á casu proferre sine intentione, vt Sacramentum fiat.

Ratio etiam D. Thom. q. 64. art. 8. id efficaciter suadet: nam id quod est indifferens ad plura, debet per aliquid determinari ad vnum; sed ea quæ in Sacramentis aguntur, sunt indifferentia ad multa, vt ablutio Baptismi, potest ordinari ad munditiam corporalem, ad sanitatem, & ad multa alia: ergo debet per intentionem determinari, ad Sacramentum conficiendum. Nec sufficit ad hoc intentio D. i; nam si Minister aliam intentionem oppositam haberet, Sacramentum non conficeret, & sic debet habere intentionem propriam, similem intentioni Dei.

Dices: si procurator obligaret actu publico principalem, obligatio teneret etsi ipse haberet intentionem contrariam: ergo sufficit quod Minister, habeat intentionem Dei. Resp. nego conseq. & ratio est: quia Minister operatur, vt instrumentum animatum Dei, & sic debet se movere & iudicare modo humano per propriam intentionem; in obligatione autem, procuratori est tradita mera executio, & ideo per principale agens, regulatur intentio

tio obligationis, ſtando in verbis quibus celebrantur contractus, præcipuè cum in his, non attendatur intentio, ſed verba.

Si dicas: quòd non requiſita intentione Miniſtri, meliùs cognoſceretur, Deum eſſe principale agens. Reſp. quòd indè ſequeretur abſurdum maius, nempè Deum non aſſumere inſtrumenta ſe moventia, & animata, vt quibuſdam conferant Sacramenta, & quibuſdam negent; nec ideo tollitur á Deo, ratio principalis agentis, ſicut cum martellus facit clavum, non excluditur virtus artificis, vt principalis agentis; vndè aſſeruit Damaſcenus, lib. 4. fid. cap. 14. quòd cum dicitur, ſola virtute Spiritus Sancti, fit converſio panis, non excluditur virtus inſtrumentalis Sacerdotis.

Sed reſtat, ſolvere inſtantiam hæreticorum: nam Baptiſmus collatus á puero Athanaſio, ludente cum alijs pueris, eſt declaratus validus, ab Alexandro Patriarcha, Alexandrino, vt referunt plures apud Prado, & in puero, non datur intentio. Reſp. quòd aliquid poteſt fieri per iocum, vel cum quis fingit ſe facere quod non facit, qualitér fit in comedijs, cum aliquis fingit ſe lugere & non luget, & per hanc fictionem. Sacramentum nequit fieri; vel hoc veré faciendo, licét per iocum, & hoc ſecundo modo conficiebat puer Athanaſius Baptiſmum, ideoque talis Baptiſmus collatus ab ipſo, fuit declaratus validus. Nec congruentiæ deſunt, ad ſuadendum hoc. Prima, quia interrogatus quomodo id faceret? Reſpondit, ſe voluiſſe facere, quòd viderat Epiſcopum feciſſe. Secunda, quia ſolos cathecumenos baptizabat, non autem baptizatos, quaſi advertens, non poſſe Baptiſmum iterari. Tertia, quia licét communitér authores, Athanaſium puerum appellent, eſt tamen certum, quòd iam factus erat, quaſi annorum duodecim; quæ omnia probant, ipſum intentionem habuiſſe, conficiendi Sacramentum.

Sed obſtat contra hoc, id quod accidit in Baptiſmo S. Gineſij, qui in comedia quam ex officio repræſentabat, fuit baptizatus á ſocio, & ſic evaſit Chriſtianus & Martyr, vt habetur in Martyrologio, die 25. Auguſti; & ſimile refertur de Ardaleone, die 14. Aprilis; ex quibus conſtat, quòd etſi Miniſter, Sacramentum ficte tradat, & illud velit illudere, confici poteſt validè. Ad hoc dicunt aliqui cum Belarmino, Sanctum Gineſium, non fuiſſe baptizatum á ſocio, ſed á veró Sacerdote Chriſtiano. Sed hoc eſt incredibile. Tùm, quia Sacerdos Chriſtianus, non cooperaretur ioco, in re tam gravi. Tùm, quia in præſentia Diocletiani Imperatoris, acerrimi hoſtis Chriſtianorum, id non auderet exequi. Quare alij dicunt, Gineſium fuiſſe á ſocio baptizatum, qui habuit intentionem faciendi quod Chriſtiani faciunt, licét per iocum, ſicut in ſimili de Athanaſio diximus, & hoc comprobat Angeli teſtimonium, qui Gineſio dixit, per aquam illam fuiſſe mundatum.

Inſtat Lugo: quòd nec Chriſtiani ipſi, in ſcena id facientes, haberent intentionem faciendi quod Eccleſia facit, quanto minùs Gentilis? Sed Reſp. hoc eſſe contra ipsũ, quia ideo Chriſtiani id non facierét, ne Sacramentum irriderent; vndè ex contrario, gentiles magis irriderent noſtra Sacramenta, intendendo facere, quod Chriſtiani; ſicut plus peccaret Sacerdos, qui veré conſecraret, ad conculcandam Hoſtiam, quàm ſi ſolum fictè conſecraret. Præterquam, quod cum Gineſij converſio, fuerit valdè miraculoſa, etiam plura fuerunt in illa reperta, præter conſuetum ordinem rerum; & idem de Ardaleone dicimus.

Sed adverſus hæc omnia, ſunt adhuc inſtantiæ ſequentis. Prima: quia ſine intentione Miniſtri, ponitur materia & forma Sacramenti, & conſequentér, etiam Sacramentum ponitur. Secunda: quia valor Sacramentorum, non pendet á ſanctitate Miniſtri, vt vidimus: ergo nec ab eius intentione pendet. Tertia: quia Sacramentum, poteſt conferre effectus, quos non intendunt Miniſtri, vt Baptiſmus collatus ab hæretico, characterem & gratiam confert, quòd hæreticus non intendit. Quarta: nam Epiſcopi, proteſtantur, ſe non habere intentionem ordinandi, habentes impedimentum, & tamẽ ſi adſit aliquis, veré ordinatur, quia iura, illum ab ordine ſuſpendunt. Quinta: quia non requiſita intentione Miniſtri, faciliùs quietatur animus recipientium Sacramentum, ſicut ex oppoſito, multa exoriuntur dubia, & anxietates plures, cum nemini conſtet, de intentione Miniſtri.

Sed reſp. ad 1. quòd abſque intentione Miniſtri, ponerentur res & verba, ſolùm materialitér & in eſſe entis, non veró formalitér, nam ad hoc requiritur, quòd Miniſter hoc intendat, ſaltim implicitè, intendendo facere quod facit Eccleſia. Nec eadem ratio eſt, de alijs artefactis, nam hæc ſolum dicunt formam & materiam; Sacramenta veró, præter hoc important rationem ſigni practici gratiæ, quòd pendet ab intentione Miniſtri Eccleſiæ, operantis modo humano, vt inſtrumentum animatum Chriſti. Ad 2. Reſp. eodem modo, quòd nempè malitia Miniſtri, non inficit cauſam principalem; defectus autem intentionis, aliquomodo cauſam principalem imperficeret, quia illa non operaretur per inſtrumenta rationalia & humana, quæ ad rem adeo dignam, nobiliori modo debent influere, quòd fit operando ex intentione, & non temere & á caſu.

Ad 3. quòd hæreticus Sacramenta conferens, licèt illos effectus non intendat explicitè, & formalitér, benè veró implicitè & virtualitér, nam vult Sacramentum legitimè miniſtratum, quòd eſt cauſa gratiæ & characteris, & qui vult cauſam, vult effectum implicitè & virtualitér. Ad 4. quòd illa proteſtatio Epiſcoporum, ad terrorem fit; ſed tamen ſi facta diligentia ſufficienti, nullus inhabilis ad ordines appareat, intentionem habet, vel habere

bere tenetur, ordinandi omnes quos præsentes habet; de quo aliquid attingemus infrá. Ad 5. quód vt quietetur animus suscipientium Sacramenta, sufficit quod illi habeant certitudinem moralem dé valore Sacramenti, quæ habetur ex eo, quod verbis exprimatur Ecclesiæ intentio, nisi contrarium explicetur exteriús á Ministro, vel á suscipiente Sacramentum; sic D. Thom. q.64. art. 8. ad 2. pro cuius explicatione, sequens apponitur difficultas.

Quinta difficultas. An ad valorem Sacramenti, sufficiat in Ministro, intentio faciendi actum externum, vel etiam requiratur intentio mentalis, faciendi actum vt Sacramentalem? Notandum: quód intentio Ministri conferentis Sacramentum, alia est publica, sive Ecclesiæ, quæ per verba exprimitur, & inseparabilis est ab ipsis serio prolatis, quæ fertur ad Sacramentum materialitér, seu quo ad materiam & formam, & quo ad integritatem sensibilem, per quam audientes, vel videntes certificantur; alia est intentio mentalis & privata, quæ non percipitur exteriús, nec solum cogitat, serio agere rem externam, sed est intentio faciendi Sacramentum formalitér; difficultas est: an sufficiat intentio prima, vel an requiratur secunda.

Resp. quód ad valorem Sacramentorum, non sufficit in Ministro, intentio faciendi actum externum, sed insuper requiritur intentio mentalis, faciendi illum, quatenús Sacramentum est. Constat 1. ex repetitis Conciliorum dictis, quibus asseritur, quód ad valorem Sacramenti, requiritur in Ministro, intentio faciendi, quód Ecclesia facit; Ecclesia autem, non solum verba serio exteriús profert, sed vult conficere ceremoniam sacram: ergo idipsum intendere debet Minister; quód expressé habetur in Trident. Sess. 14. cap. 6. & can. 9. vbi dicitur: quód non perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, si Sacerdoti, animus serio agendi, & vere absolvendi desit, vbi verbum *animus*, intentionem mentalem exprimit, vltra exteriorem verborum prolationem.

Ratio etiã idipsum suadet: nã Minister operari potest, & etiam verba proferre, vel nomine proprio, vel nomine Christi; ablutio enim & prolatio verborũ in Baptismo, v.g. ex se sunt indifferẽtes, vt quolibet modo ponantur; & alias actio exterior, etiam est indifferens, vt sit aliquid naturale, vel Sacramentale: ergo vt ponantur tanquam Sacramentale, debent determinari ab intentione mentali Ministri, nomine Christi operantis. Explicatur in Sacramentorum institutione; nam in Sacramento Pœnitentiæ, Sacerdotes á Christo constituti sunt iudices, dicendo: quorum remiseritis peccata, &c. sententia autem valida non est, si á iudice profertur, sine intentione interiori, nec sine ista debitum remittitur, etsi exteriús sententia proferatur: ergo illa intentio, requiritur ad Sacramentum.

Dices: hinc oppositum sequi, nam valida est sententia, exteriús á iudice prolata, quamvis interiús aliud intendat. Contra est: nam iuxta vnanimem Theologorum sensum, nullus actus in foro conscientiæ iudicatur validus, si fit sine interiori consensu, licét iudicetur validus in foro externo; vndé quando constat de interna fictione, matrimonium, professio, & omnes alij contractus, declarantur invalidi: ergo etiam invalidum est Sacramentũ, deficiente in Ministro interiori intentione; quare Cardin. de Lugo, vocat sententiam contrariam, ab omnibus Theologis, omnino exclusam & derelictam; quód præcipué robur accipit, post decretum Alexandri VIII. in quo propos. 28 decernitur nostra sententia, vt videbitur infrá.

Sed contra Resolutionem, obstat principalitér auctoritas D. Thom. 3.p. q.64. art.8. ad 2. vbi sentire videtur oppositum, ait enim: Alij meliús dicunt, quód Minister Sacramenti, agit in personæ totiús Ecclesiæ, cuius est Minister; in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriús exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum; quibus verbis asserere videtur, non requiri in Ministro intentionem mentalem Sacramentum conficiendi, sed solum apponendi materiam & proferendi verba, in quo intentio Ecclesiæ consistit; & expressiús hoc ait, in 4. dist. 6. q. 4. art 2. quæstiunc. 1. ad 2. dicens: in Baptismo, & in alijs Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta.

Propter has auctoritates, attribunt aliqui D. Thom. opinionem dicentem, non requiri ad valorem Sacramenti, intentionem mentalem Ministri; sed immerito sic iudicant, nam ex varijs eius testimonijs, aperté nostra & vera resolutio constat. Primó ex art. 10. illius quæst. in corp. vbi ait: intentio Ministri, potest perverti dupliciter, vno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis, non intendit Sacramentum conferre, sed derisorié aliquid agere, & talis perversitas, tollit veritatem Sacramenti, præcipué cum suam intentionem exteriús manifestat. Secundó, nam, q.68. art. 7. ad 2. ait: si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; & consequentér, idem est dicendum de Ministro, cui deficeret intentio, cum vtriusque sit eadem ratio; & idem expressé ait in 4. dist. 11. quæst 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1. & pluribus alijs locis, apud Prado citatis, & videndis.

Restat solvere argumentum, ex auctoritatibus Ang. Præcep. desumptum, in quibus videtur insinuari oppositum; ad quod resp. 1. quód D. Tho. non loquitur, de perfectione Sacramenti, quo ad rem, sed quo ad humanam certitudinem de illius valore, ad hanc enim, sufficiunt verba Ministri serio prolata, intentionem Ecclesiæ exprimentia, &

quo hæc sit recta verborum interpretatio constat, nam illa prefert D. Thom. vt relata ad argumentum, quód probare intendebat, non requiri ad Sacramentum, mentalem intentionem Ministri, quia alias suscipientes Sacramenta, non essent certi de eorum valore, quia illis intentio Ministri non est nota; cui satisfacit D. Thom. dicendo, sufficere intentionem Ecclesiæ, expressam per verba Ministri, vt suscipiens Sacramentum, sit moralitér certus de illius valore; vndé advertit rectè Cayetanus: non intendit author, quód hæc sufficiant ad perfectionem Sacramenti simplicitér, sed ad perfectionem eius, secundum humanam certitudinem.

Nec obstat, quód D. Thom. in titulo illius articuli inquirit de perfectione Sacramenti simplicitér: ergo de hac eadem loquitur in solutione, & non solum quo ad humanam certitudinem. Resp. quód licét titulus de perfectione simplicitér loquatur, sed tamen, iuxta subiectam materiam argumenti, cui debet conferri solutio, satis colligitur ille sensus, quia cum tota difficultas, esset de anxietate, quæ oritur ex eo, quod ignoramus actus internos Ministri, in sensu formali respondet D. Thom. dicendo: quód sumus certi, per verba exprimentia Ecclesiæ intentionem, cui moralitér est certum Ministrum concordare, & sic iudicandum est, dum modo signa externa contraria non appareant.

Vel secundo responderi potest, quod intentio mentalis, alia est expressa, qua quis vult explicité, & in actu signato conficere Sacramentum; alia verò implicita & quasi confusa, qua quis implicité vult Sacramentum conficere, hoc ipso quod in actu exercito operetur, vt Minister Christi, & Ecclesiæ; dicimus ergo, quód prima intentio, non est necessaria, secunda verò est sufficiens, vt de valore Sacramenti certissimus & hoc intendit D. Thom. in auct. prædicta. Dices: argumentum non loquitur de intentione actuali: ergo nec de ista loquitur solutio. Secundó, D. Thom. refert opinionem dicentium requiri intentionem mentalem; sed nullus dicit requiri intentionem expressam: ergo de ista non loquitur D. Thom.

Resp. ad 1. quód aliud est intentio actualis, aliud verò explicita, nam actualis potest esse implicita, vel explicita, & etiam explicita, potest esse formalis, vel virtualis; vndé D. Thom. ait, non esse necessariam intentionem expressam formalem, vel virtualem, & affirmat requiri ad Sacramenti valorem, intentionem saltim virtualem, aut explicitam, aut implicitam & confusam. Ad 2. nego min. de quo nulla potest afferri probatio; cum plures tempore D. Thom. affirmarent, requiri intentionem expressam. Tertió, respondetur ad totam substantiam argumenti, quód intentio Ministri, potest esse de fine proprio & essentiali Sacramenti, etsi hæc desit, vel adsit contraria, non perficitur Sacramentum, vel potest esse quo ad effectum Sacramenti, & hæc potest suppleri ex Ecclesiæ intentione, quód satis aperté colligitur, ex D. Thom. in solut. illius argumenti secundi, vbi ait: quód mentalis intentio Ministri, potest in Baptismo á Christo suppleri, quantum ad vltimum effectum qui est iustificatio á peccatis, sed non quantum ad effectum, qui est res & Sacramentum simul, nempé character, qui nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum; vndé non manet dubium, de mente Ang. D. circa resolutionem difficultatis.

Sexta difficultas est. Qualis debeat esse intentio, ad Sacramenta conficienda? Certum est, quód non requiritur intendi finem proximum, nec remotum Sacramenti, vt hoc sit validum; quód constat ex D. Thom. hic art. 10. in corp. dicente: potest perverti intentio Ministri, quantúm ad id quod sequitur Sacramentum, vt si Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, vt abutatur ea, vel si intendat conficere Corpus Christi, vt eo vtatur ad veneficia, & quia priús non pendet á posteriori, indé est, quod talis intentionis perversitas, veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse Minister ex tali intentione, gravitér peccat.

Expressiúsque, rationem assignat S. D. ibi solut. ad 1. dicens: quód intentio Ecclesiæ recta est, & quantum ad Sacramenti perfectionem, & quantum ad Sacramenti vsum, sed prima rectitudo perficit Sacramentum, secunda operatur ad meritum; & ideo Minister, qui conformat intentionem suam Ecclesiæ, quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem Sacramentum, sed non est sibi ad meritum; & idem ait in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1. & 3.

Sed ad quodnam obiectum, debeat intentio terminari? Dicatur: quód ad faciendum, id quod Ecclesia facit, quód in eo consistit, vt sicut ex parte principij, aliquæ actiones, fiunt nomine proprio & aliæ nomine Christi, quæ moralitér Christi reputantur, vt scriptura tribuitur brachio, ita ex parte facti, ablutio v.gr. in esse naturæ, correspondet Ministro, vt operanti nomine proprio, & eadem, vt pars Sacramenti, & vt ceremonia religiosa, vel sub alia ratione explicita, vel implicita, correspondet illi, vt operanti nomine Christi; vndé ait D. Thom. loc. cit. ad 3. quód perversa intentio, pervertit opus intendentis, non autem opus alteriús; quod explicat exemplo eleemosynæ, quæ prava intentione defertur á Ministro, & tamen rectè mandatur á Domino.

Sed circa intentionis qualitatem, adhuc est dubium, & est notandum: quód intentio alia est interpretativa, quæ solúm in causa est volita, vt si Sacerdos inebriari solitus, aquam in ebrietate aspergat vt baptizet, vel proferat verba vt consecret; alia habitualis, quando præcessit voluntas, & nullo modo manet, quando Sacramentum conficitur, alia actualis, quæ extat eodem tempore quo fit actio; &

alia

alia virtualis, quando præcesſit actualis intentio, quæ non manet in ſe, ſed in aliquo á ſe relicto; duæ primæ non ſufficiunt, tertia non requiritur, ſed ſufficit quarta.

Prob. de intentione interpretativa, quia illa minima intentio eſt, & ſic non ſufficit ad opus tám magnum, vt eſt Sacramenti confectio. Prob. de habituali, quia ad Sacramentum conficiendum, requiritur actus humanus deliberatus, & ea quæ ex habitu fiunt, non dicuntur fieri deliberaté, ſicut dormientes, & amentes, multa agunt ex habitu, & non operantur deliberaté. Nec obſtat, quód D. Thom. hic art. 8. ad 3. ait: quód intentio habitualis, ſufficit ad perfectionem Sacramenti; nam per intentionem habitualem, intelligit virtualem, vt ait Caiet. & Coninch, nam loquitur de intentione, quæ remanet ex virtute primæ intentionis, vt patet ex eius verbis ſtatim citandis, hæc autem intentio, virtualis eſt. Prob. de intentione actuali, quia nimis rigidum eſſet, ad hoc obligare Miniſtros, præcipué cum timorati viri, non curent de actuali intentione: Prob. de intentione virtuali, ex D. T. loco citato, dicente: cùm Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere, quod facit Eccleſia, ſi poſtea in exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum; & ratio eſt: nam vt intentio ſit ſufficiens, requiritur quod ſit humana & deliberata; ſed ad hoc ſatis eſt, quod illa ſit virtualis, ſicut hac ratione, ſufficit attentio virtualis, vt oratio ſit meritoria, & etiam ad meritum, ſufficit virtuale charitatis imperium, & in modo agendi humano, ſufficit virtualis permanentia intentionis, vt ait D. T. 1. 2. q. 1. art. 6. ad 3. ergo, &c.

Sed arguitur, ad probandum ſufficere intentionem interpretativam: quia vt opus ſit meritorium, ſufficit actus charitatis non retractatus, quamvis multo tempore præcedens. Secundó: nam ſi quis ex nunc, vult celebrare Miſſas pro aliquo, ſufficit quod poſtea non retractetur, vt ſatisfaciat. Tertió: ſi quis multo antea tempore, deſideraret Baptiſmum, & poſtea etiam dormiens baptizaretur, maneret baptizatus. Quartó: nam ſimilis intentio, ſufficit ad peccatum, vt dicitur de omiſione ſacri, contingente in ſomno: ergo idem eſt dicendum, de intentione ad conficiendum Sacramentum.

Difficultas huius argumenti, conſiſtit in ſciendo, an actus longiſsimo tempore præteritus, ſufficiat vt conſtituat intentionem virtualem? Aliqui affirmant; ſed hoc falſum eſt. Primó: nã ad intentionẽ virtualẽ requiritur, actum talitér præceſsiſſe, vt moveat mẽbra, vt Miniſter vadat ad Eccleſiam, vel præparet ſe, ita vt tota illa actio ſit actus humanus, in virtute deliberationis præcedentis. Secundó: quia ad intentionem virtualem, requiritur quod actus præcedens, moralitér influat, qui influxus, ſicut non fit per habitum, nec fit per volitionem remotam, cuius virtus limitata eſt.

Reſp. igitur ad 1. quód finis ſupernaturalis, eſt elevatiſsimus & vniverſaliſsimus, cui omnia naturalia & ſupernaturalia deſervire poſſunt, nam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, vndé ex vi vnius actus charitatis, omnia quæ poſſunt ab homine fieri, manent ſubordinata illi fini, operationes verò Sacramentales, reſpiciunt particulares fines, & ideo egent ſpeciali intentione dirigente, vt exerceantur nomine Chriſti. Ad 2. dicatur: quód pro varietate negotiorum, intentio virtualis ſolet multũ durare, & in hoc ſenſu poteſt admitti, quod pro applicandis Miſsis, cenſetur virtualis volitio; quæ non multum diu præceſsit; ad Sacramentum autem, requiritur volitio præcedens proximé, vt ait D. Thom. in prædicto, art. 8. ad 3.

Ad 3. dicitur: quód ad recipiendum, non tantum requiritur, ſicut ad agendum, & ideo quis poteſt recipere Sacramentum, ex vi præteritæ intentionis, non autem poteſt Sacramentum conficere, de quo D. Thom. q. 68. art. 7. Ad 4. Reſp. quód peccatum cum ſit de genere mali, conſurgit ex quocumque defectu, & ideo ad illud, ſufficit voluntarium in cauſa, cuius contrarium reperitur in Sacramento, quód eſt de genere boni, & ex integra cauſa conſurgit. Sic D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 5. ad 1. Vel ſecundó, quód actio adeo excellẽs, vt eſt Sacramentorum confectio, non poteſt exerceri per libertatem ita minimam, vt eſt interpretativa, nec conſonum eſt rationi, Chriſtum, id in Sacramentorum inſtitutione voluiſſe.

ARTICVLVS IV.

Praxis doctrinæ huius Quæſtionis.

Caſus primus, circa determinationem verborum in Sacramentis. Si quidam ſine verbis expreſsis, ſolum per literas apud ipſum ſignificantes, verba exprimeret, vt ſi conſecrando diceret. H. E. E. C. M. Sacramentum faceret nec ne? Reſp. quód deſtrueret ſubſtantiam Sacramenti. Ratio eſt: quia non ſufficit quod verba ſignificent apud aliquem particularem, ſed apud omnes eius linguæ habentes vſſum, debent verba, ſolemnem retinere ſignificationem; non tamen ea debet eſſe determinatio materialis & quo ad ſonum vocis, alias ſolum eſſent valida Sacramenta, per verba illius linguæ, in qua Chriſtus illa inſtituit; requiruntur ergo verba determinata, quo ad ſenſum verborum, qui fide tenetur, & hic ſenſus, eſt idem apud omnes; ſic D. Thom. q. 60. art. 7. ad 1.

Nec inferas: ergo poſſunt Sacramenta perfici, per verba linguæ vulgaris, vel partim in vna lingua, & partim in alia, cum omnium idem ſit ſenſus. Reſp. quód per talia verba, conficeretur validum Sacramentum, ſed committeretur culpa, non ſervando leges Eccleſiæ, in re graviſsima; & cum

Eccle-

Ecclesia non consueverit Sacramenta ministrare in vulgari lingua, ex genere suo mortalitér peccaret, qui verba in lingua vulgari proferret. Sic D. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. Ab hac generali doctrina, debet excipi duplex casus, nempé, quando conficitur Matrimonium, quód fit per verba linguæ illius Provintiæ, quia regulariter, contrahentes linguam latinam ignorant; & similitér, quando in casu necessitatis, confertur Baptismus, alaico vel fœmina, nescientibus latine loqui.

Nec obstat: quód omnium linguarum, idem sit sensus; nam vt ait D. Thom. loc. cit. ad 2. solum debent assummi voces, quæ principaliús & communiús vtuntur, apud homines illius linguæ; sicut hac ratione assumitur res sensibilis, cuius vsus communior est, ad actum significantem effectum Sacramenti, vt aqua in baptismo. Si dicas: quód hoc modo, Sacramentum non erit valídum, sine vocibus communibus, sicut nec Baptismus validus est, sine communi aqua. Resp. quód res, eædem sunt apud omnes nationes, vt sunt aqua & panis, & solum accidentalitér variantur; verba autem, non sunt eadem apud omnes, quo ad significationem, cuius determinatio á republica pendet, qua suppositá, Ecclesia obligat, vti verbis á Christo institutis formalitér, sed ab illa determinatis accidentalitér, quo ad idiomata diversa.

Casus secundus, circa idem in proferendis Sacramentorum formis, quidam accidentalitér variabat verba, quæritur an mortalitér peccaret? Resp. quód si mutatio substantialis esset, certum est, quod peccaret mortalitér, quia Sacramentum faceret nullum; si autem variaret accidentalitér verba, etsi Sacramentum validum foret, culpam tamen mortalem committeret; ratio est: quia iniuriam faceret rei dignissimæ & excellentissimæ, qualia sunt Sacramenta, in quibus debent dari verba firma & stabilia, iuxta modum & vsum ab Ecclesia statutum, & sic contrarium faciens, peccatum mortale committeret, nisi variatio esset levissima, vel sine plena advertentia facta, tunc enim esset veniale.

Dices: solúm illa mutatio est peccaminosa, quæ opponitur valori Sacramenti; mutatio autem puré accidentalis verborum, non opponitur Sacramenti valori. Resp. quód non solum committitur culpa, ex ablatione valoris Sacramenti, sed etiam ex fractione præcepti, vel consuetudinis Ecclesiæ; quód patet, nam qui aquam in vino non infunderet in calice, Sacramenti valorem nõ auferret, & tamẽ mortalitér peccaret; & similitér peccaret mortalitér Sacerdos Latinus, si consecraret in pane fermentato, licét non destrueret valorem Sacramenti, eo quod in vtroque casu, operaretur contra præceptum Ecclesiæ in re gravissima; & idem dicitur de variatione accidentali verborum. Nec dicas: hanc esse materiam parvam, nam licét parva sit physicé, & in esse entis, sed moralitér est magna, sicut patet in ipso exemplo infusionis modicissimæ aquæ in calice.

Quid autem dici deberet, si Minister ad verba formæ, aliqua verba ex devotione superadderet? Resp. quód etiam peccaret, plus vel minús gravitér, iuxta qualitatem materiæ & advertentiæ; sed tamen quo ad valorem Sacramenti, si talis superaddito, substantialem sensum tolleret, Sacramentum nullum fieret, vt si in consecratione panis diceretur: hoc est corpus meum de Cœlo sumptum; si autem non tolleret substantiam sensus, Sacramentum validum foret, vt si in absolutione diceretur: ego te abluo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Deus te adiuvet, quia hoc additum, non aufert á verbis substantialem sensum.

Si dicas: quód hoc videtur opponi Decreto Innoc. XI. qui in 1. propos. asserit, quod in materia & forma Sacramentorum, debet sequi opinio tutior; & tutius est, nihil verbis addere, etiam accidentalitér sine sensus variatione. Resp. quód sensus propositionis est, quod debet sequi opinio tutior, quando datur duplex opinio, & vna est tutior altera, secus quando non dantur opiniones, sed materia est certa; exemplum est: tutior est contritio supernaturalis ad pœnitentiam, quám sola attritio, sed tamen cum non sit opinabile, sed certum, sufficere attritionem cum Sacramento, ad iustificandum, hoc secundúm, in illo Decreto non reprobatur; & idem est de mutatione accidentali verborum, de qua est certum, non auferre Sacramenti valorem, & sic hoc asserere, non opponitur Decreto Innocentij.

Casus tertius, circa idem. Quidam Sacerdos, pronuntiabat verba, quæ sunt forma Sacramentorum, iuxta modum & praxim Ecclesiæ, sed erroneé iudicabat, aliqua verba esse de essentia formæ, quæ re vera non sunt, vel é contra iudicabat, non esse de essentia, quæ re vera sunt; quæritur: An validum Sacramentum conficeret? Resp. affirmativé. Ratio est: quia vt fiat Sacramentum validum, sufficit quod forma, debitæ materiæ applicetur, per verba á Christo instituta, cum vera intentione, & per legitimum Ministrum; sed hæc omnia concurrunt, etiam stante errore particulari Ministri, circa essentiam formæ: ergo tunc fit Sacramentum validum.

Si opponas: quód in Sacramento Matrimonij, error substantialis, reddit Sacramentum invalidum & nullum; ergo etiam error Sacerdotis, circa formam Sacramenti, reddit invalidum Sacramentum. Resp. neg. conseq. & dispar est, quia in Matrimonio, error substantialis, opponitur consensui contrahentium, quia nihil potest esse volitum, quin sit prægnitum; cum autem consensus, requiratur essentialitér ad valorem Matrimonij, ideo ablato consensu per errorem, non fit validum Matrimonium; error autem Ministri circa verba formæ, cogitando aliqua debere admitti, vel excludi, non

au-

aufert quod ipſe habeat intentionem veram, faciendi quód Chriſtus & Eccleſia faciunt, & ideo per illum, valor Sacramenti non tollitur.

Explicatur hoc, in Miniſtro hæretico, de quo diximus ſuprá, valida Sacramenta conferre, dummodo debitam formam, & materiam ſeruet, licét in illo detur error particularis de veritate Sacramenti, eo quód licét hoc, verum non ſit ſubiectivé, & reſpectu ſui intellectus, eſt tamen verum obiectivé, ſecundúm Eccleſiæ intentionem, quod ad Sacramentum ſufficit, nam Miniſter in perſona Eccleſiæ agit, ex cuius fide ſuppletur defectus fidei in Miniſtro repertus; idem ergo dicimus de errore particulari Miniſtri circa verba formæ, qui valorem Sacramenti non deſtruit; ſi enim Eccleſia ſupplet defectum fidei in Miniſtro hæretico, quare in catholico defectum ſcientiæ, non poterit ſupplere? quód in ſubſtantia deſumitur ex D. Thom. 3. p. q. 64. art. 9. ad 1.

Caſus quartus, circa intentionem Miniſtri. Parrochus quidam, vel ex malitia, vel quia Hebræus erat (vtrumque enim temporibus noſtris contigiſſe refertur) Sacramentum Baptiſmi omnibus ſine intentione conferebat; quæritur an in eo caſu Deus ſuppleret intentionis defectum, & conferret ſine verò Sacramento effectum illius? Reſp. quód quantum ad primum effectum, qui eſt res & Sacramentum ſimul, ſcilicét quantum ad characterem, certum eſt non poſſe ſuppleri, quia character nunquam imprimitur niſi per Sacramentum; ſic ait D. Tho. 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. caſus autem loquitur, quantum ad vltimum effectum gratiæ.

Reſp. negativé. Ratio eſt: quia Baptiſmus collatus ſine debita materia & forma, validus non eſt: ergo nec ſine intentione collatus, cum hæc tria ad perfectionem Sacramenti requirantur; vt habetur in Florentan Decreto vnionis. Deindé, hoc conſtat ex verbis Chriſti; niſi quis renatus, &c. ex quibus infertur, per Baptiſmum collatum, ſine intentione Miniſtri, vitam æternam non conſequi, quibus aſſentitur Aug. Epiſt. 28. ad Hyer. quód verum non eſſet, ſi intentio Miniſtri, á Deo poſſet ſuppleri; & D. Thom. quodlib. 6. art. 4. ait: quód pueri non habentes vſum rationis, cum non poſsint habere dilectionem Dei, in qua conſiſtit Baptiſmus flaminis, ſalvari non poſſunt, niſi per Baptiſmum aquæ, vel ſanguinis: ergo, &c.

Sed oppones auctoritates D. Thom. prima eſt ex loco citato, 3. p. vbi ait, quód defectus intentionis, poteſt ſuppleri in adultis, per eorum devotionem, quantum ad vltimum effectum, qui eſt iuſtificatio á peccatis; ſecunda eſt, ex 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 2. vbi dicit: pie credi poteſt, quód quantum ad vltimos effectus Sacramentorum, ſummus Sacerdos ſuppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Eccleſiæ imminere poſſet; ex quibus videtur inferri, Deũ ſupplere intentionem Miniſtri, quo ad vltimum effectum Sacramenti. Reſp. ad 1. quód licét D. Thom. loquatur de parvulis & adultis, & de vtroque effectu, nempé gratia & charactere, ſolúm approbat illam ſententiam, quo ad effectum gratiæ in adultis, qui per devotionem ſuppletur, & extra Sacramentum iuſtificari poſſunt, quo ad alia verò, refertur ſed non approbatur. Ad 2. dicatur: quód D. Thom. non ait Deum poſſe ſupplere intentionem Miniſtri, & verum Sacramentum facere, ſed quod poteſt pie credi hoc ita fieri, quo ad effectum gratiæ, conferendo auxilia, ad actus contritionis eliciendos, per quos gratia conſequeretur.

Dices quód nemo poteſt defraudari ſalute, propter alterius malitiam; vt ait Chryſoſt. hom. 85. in Ioan. cum ergo parvuli non haberent culpam, non debebant per malitiam Miniſtri, non habentis intentionem defraudari gratia: Reſp. quód ſi parvulus in eo caſu nullitatis Baptiſmi, privatur ſalute, hoc per Dei ſapientiam diſponitur, in pœnam peccati originalis, ſicut ſi miniſtraretur adulto Sacramentum Pœnitentiæ, ſine intentione Miniſtri, hoc eſſet pœna peccatorum actualium; & Deo non imputatur Miniſtri perverſitas; præterquam quód ſi quis accedit ad Sacramentum, affectu ingenuo & fidéli, ad Dei providentiam ſpectabit, illi de remedio providere, conferendo ei auxilia neceſſaria ad contritionem, vel periculum ſuum manifeſtando, vt damnum reparetur, quod inſinuat D. Thom. in ſecundo loco citato.

Sed contra totam reſolutionem dubitabis: quomodo dicimus quod gratia, quæ eſt effectus Baptiſmi, nequit conferri, ſine intentione Miniſtri, cum tamen Deus gratiam Sacramentalem, extra Sacramenta conferre poſsit, vt fert communis Theologorum opinio, quám poſuimus ſuprá? Reſp. aliud eſſe Baptiſmum aquæ, & eius effectum vltimum, qui eſt gratia, poſſe conferri extra illum, & ſuppleri per aliud, & hoc eſt verum, in adultis enim ſuppletur effectus Baptiſmi aquæ, per Baptiſmum flaminis, vel ſanguinis, & etiam in parvulis pro Chriſto mortuis, eius paſsionem imitantibus, per Baptiſmum ſanguinis; aliud autem eſt, quod cum Baptiſmus aquæ confertur á Miniſtro, poſsit abſque huius intentione, validum Sacramentum fieri & gratia Sacramentalis conferri, & hoc negamus in caſu poſsito, & in hoc ſenſu debet intelligi, doctrina ſuprá allata, fol. 27. colum. 2. quód in ſubſtantia deſumitur ex D. Thom. 4. ad Anibald. diſt. 4. art. 4.

Caſus quintus, circa idem: Quidam Parrochus miniſtrando Baptiſmum, cogitavit baptizare puerum cùm eſſet puella, & ſimilitér conſecrando, verba protulit ſuper duas hoſtias cogitando eſſe vnam; quæritur; an valide conficeret Sacramentum? Eſt idem ac inquirire an error circa determinatam perſonam ſuſcipientem Sacramentum, vel etiam circa determinatam materiam, deſtruat Sacramenti

valorem? Certum est, intentionem Ministri, debere esse, circa personam & materiam determinatam. Tùm, quia formæ Sacramentorum, efficiunt quod significant, efficiunt autem circa personam,& materiam determinatam, nam actiones sunt circa singularia. Tùm, quia hoc indicat forma Baptismi, & pœnitentiæ, in qua dicitur: ego te baptizo, ego te abluo, quibus verbis determinatur persona, & similitér in consecratione, forma pronomine demonstrativo vtens, ostendit, quod materia consecranda, debet esse coram Sacerdote; dubium est, si in casu prædicto, error Ministri circa personam,vel materiam determinatam, reddat Sacramentum invalidum?

Resp. quód hoc ex intentione Ministri pendet; nam si alligavit intentionem suam, ad certam personam vel materiam,& aliud supponitur loco istorum, non fit validum Sacramentum, quia ipse intendit non conferre Sacramentum, nisi tali individuo, vel illud facere in tali materia; si autem non sic alligat intentionem, re vera Sacramentum conficit, nam ad hoc se extendit formalitér intentio; regularitér enim censendum est, Ministrum suam intentionem, sic non alligare, quia abuteretur potestate, ordinata ad omnium petentium salutem,& exponeretur periculo frustrandi Sacramentum.

Undé Minister, vt rectè & prudentér operetur, debet suam intentionem,non sic restringere & alligare, sed illam ad præsentem materiam, vel personam dirigere,quæcumque illa sit,dummodo sit capax Sacramenti, absque vlla implicita limitatione, non faciendi Sacramentum, si sit altera persona, vel materia; ex quo habetur, quód absolvens Petrum, cogitans esse Paulum, vel virum cogitando esse fœminam, vere absolveret, si intentionem non alligaret, & similitér consecrans duas hostias,cogitans esse vnam, vere consecraret, si non restringeret intentionem, quæ restrictio per se loquendo sacrilegium esset, propter rationem proximé dictam.

Dices:in Matrimonio,error personæ est substantialis, & irritum reddit Matrimonium iure naturæ: ergo idem est dicendum de alijs Sacramentis. Neg. conseq. nam in Matrimonio,contrahentes alligant intentionem suam,ad individuam personam in particulari. Tùm propter magnum onus quod suscipiunt,per vinculum cohabitationis perpetuæ. Tùm, quia ibi fit tradditio corporum in individuo. Tùm, quia hoc maximé conducit ad retinendam individuam vitæ consuetudinem, per quod Matrimonium diffinitur, ideoque error circa personam in particulari,Matrimonij validitatem tollit, quód in alijs Sacramentis non contingit.

Nec obstat: quód possit reperiri altera vxor æquè bona; nam hæc æqualitas, nequit certo cognosci & prævideri ab hominibus, cum ex pluribus circumstantijs pendeat, quod coniugi placeat, vel displiceat, & ideo in re tanti momenti,alligatur iuditium & intentio, ad particulatem personam. Si dicas iterum: quód etiam per Baptismum,fit introitus perpetuus ad Ecclesiam, & in illo non alligatur intentio Ministri, ad personam determinatam: ergo si ex vinculo perpetuo Matrimonij, colligitur errorem circa personam determinatam, eius valorem auferre, etiam hoc in Baptismo continget. Resp. neg. conseq. Primó: quia Baptismus, non est contractus inter duas personas, sicut Matrimonium, sed est Sacramentum, quo fiunt membra, & filij Dei, omnes credere volentes, & indifferentér extenditur ad omnes. Secundó: nam consensus est causa Matrimonij, quám impedit error, & qui impedit causam, impedit effectum: intentio autem non est causa effectiva Sacramenti, sed dirigit elementum materiale ad suum effectum, & ideo dispar est ratio vtriusque; sic D. Thom. in 4. dist. 30. q.1. art.1. ad 3.

Resolutio hæc patitur exceptionem, interveniente gravissima causa, propter quam Minister,deberet suam intentionem alligare, quando scilicét timetur, quod introduceretur ad Baptismum, aliquis iam baptizatus, quod paucis ab hinc diebus, apud nos contigisse audivimus; vel etiam cum Episcopus in ordinum collatione, intentionem restringit ad solos approbatos, & impedimento carentes, ad frenandam audaciam aliquorum, ne temere, & absque canonicis requisitis, ad sacros ordines accedant;licét hunc stilum Lugo non approbet, asserens quod protestationes Episcopi, ad terrorem fiunt, alias plura suborirentur dubia, de Sacramenti valore.

Sed quid faciendum, si hoc eveniat in praxi, vt nuper narratum est mihi,de quodam ordinato ignorantér, de quatuor minoribus ordinibus, cum solum facultatem haberet sui Episcopi, recipiendi duos?Respondet ipse Lugo,quod si tale accidit,exploretur Episcopi intentio, qualis fuerit, & si sciri non potest, consulatur ordinato, vt iterum sub conditione ordinetur, ne maneat cum dubio invaliditatis Sacramenti. Sed tamen, vt ait Prado,Episcopi obsecrandi sunt, ne sic intentionem alligent, nec faciant protestationem excludendi aliquem,sed intentionē habeāt,circa omnes qui præsentes adsūt.

Casus sextus, de Ministro Sacramentorum. Parrochus quidam vocatus fuit, vt audiret confessionem, cuiusdam in articulo mortis existentis, ipse tam n Minister, in statu peccati mortalis existebat. Quæritur, an peccaret mortalitér, Sacramentum pœnitentiæ ministrando? Resp. quód in nullo casu, Minister Sacramenti pœnitentiæ, potest á mortali excusari, si in peccato mortali existens illud ministret. Ratio est: quia absolutio non potest præstari, nisi á Ministro formalitér vt consecrato, & sic consecrationem & sanctitatem Sacramenti offendit, si in peccato mortali ministrat. Si dicas: quód ministrans Baptismum in peccato mortali,

non

non peccat mortalitér : ergo nec ministrans pœnitentiam. Nego conseq. quia pœnitentia, non est tantæ necessitatis, sicut Baptismus, & sic ministrans Baptismum, in casu necessitatis, in peccato mortali, excusatur á mortali, non autem ministrans pœnitentiam ; sic D. Thom. q.64. art.6. ad 3.

His additur : quód defectus absolutionis, potest per contritionem suppleri, & ideo illa non est tam necessaria sicut Baptismus. Et si dicas: quód etiam Baptismi effectus, per contritionem suppleri potest. Resp. hoc esse verum in adultis, sed non in parvulis, de quibus loquitur casus necessitatis Baptismi, qui raro in adultis reperiri potest ; sic habet expressé D. Thom. q.67. art.3. ad 3. dicens: potest enim per contritionem, suppleri defectus Sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat á tota pœna, nec etiam pueris adhibetur, & ideo non est simile de Baptismo, cuius defectus, per nihil aliud suppleri potest ; & vlteriús constat, non dari paritatem in vtroque Sacramento ; nam in nullo casu potest laicus Sacramentalitér absolvere, & tamen in casu necessitatis, ipse, & etiam fœmina, possunt baptizare.

Sed opponit Vazquez, quód in casu vrgentis periculi mortis, in quo non datur contritionis tempus, hæc doctrina non tenet, nec religio erga Deum tantum videtur obligare, vt proximi vtilitati non consulatur. Resp. quód tunc potest impleri præceptum misericordiæ, ministrando Sacramentum indigenti, & etiam præceptum religionis, illud administrando in statu gratiæ, eliciendo actum contritionis, qui potest fieri in instanti, & ad hoc tunc tenetur Sacerdos ; vndé sicut moribundus non habens copiam confessoris, peccaret mortalitér non eliciendo actum contritionis, ad quod tenetur, & in brevi morula elicere potest, idem proportionalitér de Ministro pœnitentiæ dicendum est.

Dices: quód si resolutio esset vera, Parrochus in eo casu, pœnitentiam ministrando peccaret, quia est in peccato mortali, & etiam non ministrando peccaret, quia tenetur ex officio, & sic maneret perplexus, quód est absurdum. Respondet D. Thom. q.64. art.6. ad 3. quód ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simplicitér, si ex officio ei incumbat Sacramenta dispensare, quia potest pœnitere de peccato, & licité ministrare ; non est autem inconveniens, quód sit perplexus, suppositio quodam, scilicét quod velit remanere in peccato, á quo potest liberari per actum contritionis, qui licét sit difficilis ex viribus naturæ, est tamen facilis ex auxilio gratiæ, quæ hominé in instanti emendat.

Inquires : an præcisé audire confessionem in peccato mortali, cum animo confitendi, vel habendi actum contritionis, ante quam conferatur absolutio, sit peccatum mortale ? Resp. affirmativé, nam totum illud exercitium, á principio vsque ad finem, est aliquid pertinens ad Sacramentum ; vndé sicut in alijs Sacramentis, non solúm prolatio formæ, sed etiam ablutio, vnctio & alia huiusmodi, petunt statum gratiæ, idem de auditione confessionis dicendum est. Nec obstat: quód dum minister puré audit confessionem, non se habet activé sed passivé, & sic ille non est actus strictè iudicialis, nec actio propria confessarij ; non inquam obstat, nam licét audire confessiones, non sit Sacramenti confectio, sed ordinatur proximé ad hoc, sicut auditio testium apud iudices, ordinatur ad proferendam sententiam, & Minister consecratus, non solúm mortalitér peccat, si existens in mortali exercet actionem Sacramenti factivam, sed etiam eius applicativam, vel ad illius confectionem proximé ordinatam. Præterquam quod Minister, etiam dum confessiones audit, activé se gerit, quo ad iudicium de idoneitate recipientis Sacramentum, licét non quo ad ipsam absolutionem, & expletionem actus; sic habet D. Thom. in supplem. 3.p. q.17. art.3.

Casus septimus, circa idem. Quidam Sacerdos ministravit fidelibus Sacram Eucharistiam, cum ipse in peccato mortali existeret. Quæritur, an in huiusmodi actione, committeret peccatum mortale ? Resp. affirmativé ; sic sentiunt Soto & Prado, cum pluribus citatis ab ipso; constat ex D. Thom. in 4. dist. 24. q.1. art.3. quæstiunc. 5. vbi ait : immundis, nec simbola, id est Sacramentalia signa tangere fas est ; vndé quando tangunt res sacras, quasi suo officio vtentes, peccant mortalitér ; secus esset si quis in aliqua necessitate, aliquod sacrũ contingeret, vel exequeretur, in illo casu in quo etiam laicis licerét, sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si Corpus Christi in terra proiectum colligeret; hæc D. Thom.

Huius autem ratio est: nam exercere in peccato mortali, actionem ad quam Minister ex officio consecratur, & in qua gerit personam Christi, cui debetur in sanctitate conformari, est peccatum mortale, vt suprá vidimus ; sed Sacerdos conferendo alijs hostias antea consecratas, exequitur actionem ad quam speciali consecratione destinatur : ergo si hoc in peccato mortali facit, mortalitér peccat. Nec obstat: quód hæc, non est actio Sacramenti confectiva ; nam est proximé applicativa illius, quæ etiam sancte debet exerceri, vt nuper dicebamus; & quidem mirum est, quód authores sic respondentes, quorum vnus est Anton. á Spirit. Sancto asserant, quód ministrare Eucharistiam, sine superpelliceo, est peccatum mortale, quod nimis strictum est, & alias dicant, non esse peccatum mortale, ministrare in peccato mortali, cum in hoc maior inferatur iniuria venerabili Sacramento, vt ex se patet.

Dices: si hoc esset verum, qui existens in peccato mortali, confiteretur publicé fidem coram tirano, peccaret mortalitér, & etiam coniuges sic peccarent, si Sacramento vterentur in peccato mortali, quia abutuntur gratia collata ipsis, pro illis actio-

ni-

nibus; consequens est falsum: ergo, &c. Resp. quód vt Minister peccet mortalitér, exercendo actum ad quæm specialitér consecratur, requiritur vel quod Sacramenta conficiat, vel quod sit actio Sacramentalis, ordinata ad sanctificandum alios, quorum neutrum reperitur, nec in confirmato publicé confitente fidem, nec in coniugibus, Matrimonio vtentibus, & ideo has actiones in peccato mortali exercere, peccatum mortale non est.

Nec obstat 1. quód D. Thom. q. 64. art. 6. ait, existentem in peccato, ideo peccare ministrando Sacramentum, quia facit Sacramentum sanctum, quod non facit distribuendo hostias iam consecratas. Secundó, nam sequeretur, quód si Christo existẽte in mundo, illum tangeret aliquis peccator, etiam peccaret, quod falsum est. Resp. quód illa ratio D. Thom. pro adstruenda gratia & sanctitate Ministri, est ratio partialis & sufficiens, non autem adæquata & totalis, vndé illa deficiente, altera extat, nempé quod sancte, debet Minister vti Sacramento, vel illud accipiendo, vel conferendo alijs. Ad 2. quód ille contactus Christi, non esset contactus Sacramenti, nec eius dispensatio, & ideo non petit æqualẽ puritatem sicut Sacramẽti distributio.

Desumitur hæc doctrina ex D. Thom. q. 80. art. 4. ad 1. vbi ait: quód Christus in propria specie, non se exhibebat tangendum hominibus, in signum spiritualis vnionis ad ipsum, sicut exhibetur summendus in hoc Sacramento, & ideo peccatores eum in propria specie tangentes, non incurrebant crimen falsitatis circa divina, sicut peccatores summentes hoc Sacramentum; & præterea Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati, & ideo convenientér, se peccatoribus, tangendum exhibebat; sed remota similitudine carnis peccati per gloriam Resurrectionis, se tangere prohibuit á muliere, quæ defectum fidei, circa ipsum patiebatur, secundùm illud Ioan. 20. noli me tangere; & ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur á contactu huius Sacramenti; hæc D. Thom. cuius aurea verba sic laté attingimus, quia mirabilitér nostram doctrinam comprobant.

Casus octavus, circa idem. Minister quidam Sacramentorum, cui aliquando evenit in mortali ministrare peccati conscius, desiderabat digne ministrare, & quærebat: si forte in posterum in peccatum mortale rueret, & esset in casu administrandi Sacramenta, quomodo se deberet disponere, vt Sacramentum ministraret, quin novum peccatum in ministratione committeret? Aliquid de hoc tetigimus in casu sexto; nunc directé respondemus: Ministrum in tali casu, per se teneri ad contritionem veram, vel probabilitér existimatam, non veró ad confessionem actualem peccatorum, excepta Eucharistia. Prima pars patet: quia vt talis Minister, digne conficiat Sacramentum, requiritur per se, quod sit in statu gratiæ, ad quam disponit contritio, & sic requiritur hæc in Ministro existente in peccato mortali, vt Sacramentum conficiat digne.

Quód autem sufficiat contritio probabilitér existimata, quamvis re vera non sit contritus, constat: quia nemo potest certo scire se habere gratiam, vel vltimam dispositionem ad illam; & sic si non sufficeret contritio existimata, nunquam posset homo qui mortalitér peccavit, tuta conscientia ministrare Sacramẽta, confessione non præmissa, quod verũ non est. Diximus contritionẽ existimatam requiri; non enim sufficit attritio sola, quia hæc sine pœnitentia in re suscepta, non iustificat, nec gratiam confert; & cum ad digne ministrandum Sacramentum, debeat Minister probabilitér iudicare se esse in gratia, qui solam attritionem habet, hoc probabilitér non iudicat, & indignum se exhibet Ministrum.

Si dicas: attritio sufficit ad recipienda aliqua Sacramenta: ergo etiam ad ministranda. Resp. quód quia Baptismus & pœnitentia, per se non supponunt in suscipiente primam gratiam, sed eam conferunt & ideo dispositio ad illa Sacramẽta recipienda, est attritio supernaturalis; Minister autem non est dignus ad sanctificandum alios, si in se sanctus non est; vndé ait D. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. vt subtiliores & clariores essentiæ, repletæ influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens, ad similitudinem Solis, in alia corpora invehunt; sic in omni divino, non est audendum, alijs dux esse, nisi secundum omnem habitum suum, factus Dei firmissimus, & Deo similimus; quibus verbis probat, requiri vitæ sanctitatem, ad officium sacrum exercendum.

Deinde, quód non requiratur actualis confessio in Ministro existente in peccato mortali, patet; quia per se loquendo, nullum datur præceptum divinum, vel humanum, prædmittendi confessionem in tali casu, & sic non requiritur confessio in re, sed sufficit in voto, quæ in contritione continetur. Excipitur vt diximus, Sacramentum Eucharistiæ, ad cuius ministrationem, si Minister est in mortali, per se requiritur prævia confessio, vt enim ait Paulus, debet homo se probare, vt Corpus & Sanguinem Domini summat, quód ex dignitate & excellentia summa huius Sacramenti comprobatur, de quo agitur tanquam in proprio loco in tract. de Euchar. super q. 80. D. Thom. art. 3. 4. & 5.

Et si inquiris: an Minister in peccato mortali existens, & se per contritionem non disponens duplex peccatum committat, aliud ministrando, & aliud non conferendo? De Sacerdote in mortali celebrante, certum est committere duplex peccatum, vnum quia indigne Sacramentum conficit, & aliud quia indigne summit; sed tamen, illud duplex peccatum sufficientér explicatur in confessione dicendo, se in peccato mortali celebrasse; sed aliquan-

quando potest contingere, quod Sacerdos peccet conficiendo Eucharistiam in mortali, & si postea contritionem habeat ante sumptionem, in hac non peccet, & hoc debet in confessione explicari; in ministratione veró aliorum Sacramentorum, per omisionem contritionis, non committitur peccatum distinctum, á sacrilegio indignæ administrationis, quia non tenetur Minister conteri, nisi per accidens & ratione administrationis. Sic sentit Nuño & Prado.

Infertur ex his: quód semper ac requiritur novi Sacramenti administratio, novum peccatum committitur vt qui plures confessiones audit in peccato mortali, quia facit plures actiones sacrilegas, moralitér discontinuatas; sicut si quis per totum diem, plures actus luxuriæ committeret, plura peccata faceret; licét si numerus explicari non potest, sufficiat dicere tempus quo fuit ad ad ministrãdum paratus, quia sic dicitur peccatorum numerus, eo modo quo sunt in memoria & in conscientia.

Casus nonus, circa idem. Quidam studiosus nimis, interrogabat sic: si forte accideret, quod diabolus in specie visibili alicui appareret, & illi Sacramentum pœnitentiæ ministraret, vel etiam Baptismum alicui puero, vel adulto conferret, quid esset de hoc sentiendum, esset ne Sacramentum validum? Quo ad Sacramentum pœnitentiæ, sic accidisse refertur, cum quadam D. Vincentij Ferrerij sorore; sed de hoc & alijs dicitur, quod si ministrarentur á diabolo, invalida Sacramenta essent; constat ex D. Thom. q.64. art. 7. vbi ait: si dœmones qui sunt spiritus mendacij, aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Ratio autem assignatur á D. Thom. in 4. dist. 5. q.2. art.3.quæstiunc.1. nam inter Ministrum Sacramentorum, & Christum, debet esse aliqua conventio; sed nulla talis conventio est inter Christum & diabolum, nam vt dicitur 2. ad Corint. 6. quæ conventio Chtisti, ad Belial? ergo, &c. & vlterius id probat specialitér: nam si diabolus baptizare se fingeret, semper esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad Sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi, quia non esset probabile, quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio; & solut. ad 2. ait: omnibus hominibus, concessa est baptizandi potestas, propter necessitatem Sacramenti, vt omnibus possit de facili adesse baptizans, sed diaboli conversatio, non est cum hominibus; vndé non iuvaret ad necessitatem Sacramenti, si sibi potestas illa concederetur.

Quid autem dicendum esset, in casu quod certissima revelatione constaret, dœmonem in corpore assumpto, habuisse legitimam intentionem, & veram formam & materiam apposuisse? Resp. quód tale Sacramentum collatum ab ipso, non esset validum iudicandum. Túm, quia deesset legitimus Sacramenti Minister, qui solum est homo, vel Angelus bonus. Túm, quia nunquam credendum est, quod Deus, qui spiritus veritatis est, vtatur dœmone, qui est pater mendacij, tanquam instrumento ad homines sanctificandos. Túm, quia vt eleganter, ait D.Thom. 2. 2. q.95. art.4. dœmon qui intendit perditionem hominum, etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere, ad hoc quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nocivum; & addit, quod Christus dixit diabolo: obmutesce, quamvis vera fateretur, vt nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, & si vera loqui videatur; & sic Sacramento á dœmone collato, non debebat adhiberi assensus.

Sed dices: quód August. tract. 5. in Ioan. cap. 1. ait: quód talis est Baptismus, qualis est ille, in cuius potestate datur; sed dœmon Baptismum conferens, illum daret in nomine Trinitatis: ergo esset Sacramentum validum. Resp. quód dictum Aug. est verum, quando datur verus Baptismus, qui nequit dari á diabolo, nunquam enim credendum est, sapientiam Dei tali instrumento vti, propter rationes dictas. Et si dicas: quód non requiritur similitudo, nec conventio cum Deo, ad ministranda Sacramenta, mali enim illa valide ministrant, & Deo non assimilantur Respondeo: quód mali non assimilantur Deo in bonitate, bené veró in imagine naturæ divinæ, & etiam quo ad naturam assumptam, & sunt gtatiæ capaces, quæ omnia dœmoni repugnant.

Quid autem esset dicendum, si aliquis acciperet Sacramentum ab aliquo beato, vt si quis nunc á D.Petro absolveretur? Aliqui dicunt, quód deberet talia peccata confiteri iterum Sacerdoti mortali, licét maneret iustificatus, per absolutionem collatam á D.Petro, quia maneret cum onere confitendi, Ministris Ecclesiæ visibilis, quod videtur colligi ex Trident. Sess.14.cap.2. nam nomine propij Sacerdotis, intelligitur viator, nisi constet expressé de divina dispensatione, quæ in dubio non debet præsumi. Sed alijs videtur oppositum probabile, quod scilicét, non teneretur iterum confiteri, nam beati ex vi præsentis institutionis, possunt Sacramenta ministrare, & Concilium loquitur de Ministris, quos regularitér possumus adire, & miraculo non egent, vt veniant ad nos.

Casus decimus, circa idem. Quidam Parrochus scrupulis vexabatur, eo quod plura legit de Sacramentorum administratione, quæ animum turbabant, memoriamque confundebant, desiderabat autem scire, quænam observare deberet, ad rectam sui muneris executionem? Resp. quód talis, & similitér omnes alij, sequentia scire tenentur. Primó enim requiritur in Ministro potestas ad Sacramentum conferendum, quæ aliquando est potestas or-

dinis, vt ordo Sacerdotalis ad Eucharistiam conficiendam, aliquando est potestas iurisdictionis, quæ requiritur ad Sacramentalem absolutionem; sed quæ & qualis potestas requiratur, ad Sacramentorũ validam, & licitam administrationem, ex dicendis, circa quodlibet eorum in particulari constabit.

Secundó requiritur, vt á Ministro licité conferatur Sacramentum, quod adhibeat materiam & formam, quæ ad essentiam Sacramenti necessaria sunt. Vndé Minister, vtens materia vel forma nulla, peccat mortalitér, vt fatentur omnes; & etiam mortalitér peccat, si extra casum necessitatis, vtatur materia dubia vel probabili, omissa certa, etiam si hoc faciat, sequendo opinionem speculativé probabilem, vt si in forma Baptismi diceret: ego te baptizo, in nomine genitoris & geniti, &c. vel in forma consecrationis calicis, ommitteret illa verba: qui pro vobis & pro multis, &c. Túm, quia in re gravissima, operaretur contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ præcepti vim habet. Túm, quia sine vrgenti causa, exponeretur periculo irritandi Sacramentum, quod est grave peccatum & hæc doctrina comprobata manet, ex Decreto Innocent. XI. propos. 1. infrá apponenda.

Tertió debet Minister in Sacramentis conferendis, servare ceremonias, ab Ecclesia statutas, & nihil substantiale, vel accidentale immutare; sed quandò hæc obligatio, sit sub mortali, vel veniali, ex iudicio prudenti pendet, ex quo rei gravitas, vel levitas iudicanda est. Quarto tenetur Minister, non ministrare Sacramenta, peccatori publico indigne petenti, vel publicé, vel occultè. Ratio est: quia Ministro incumbit obligatio admittendi dignos, & excludendi indignos, cum debeat se gerere, tanquam fidelis & prudens dispensator, nec sanctum debet canibus dare, nec margaritas ante porcos mittere. Vndé sicut peccaret, non collocando Eucharistiam in loco decenti, etiam graviter peccat, si peccatori immundo illam confert. Si autem peccator occultus est, & occulte Sacramenta petit, non debet illa conferre Minister, propter rationes proximé attactas; excipitur casus, cum peccator, solum ex confessione est cognitus, nam hic non debet á Sacramentis expelli, nec potest Minister, vti notitia in confessione habita, ne illa reddatur odiosa.

Quartó tenetur Minister, non ministrare Sacramenta, excomunicatis denuntiatis, & manifestis Clerici percusoribus, quousque illi absolvantur, vel præsumatur verosimilitér esse absolutos, quód est apud omnes certum, & ideo mortalitér peccabit Minister, talibus Sacramenta conferens, & insuper incurret excomunicationem minorem, & interdictus manet ab ingressu Ecclesiæ; si autem illi, á Pontifice fuerint excomunicati & denuntiati, incurret excomunicationem maiorem, Papæ reservatam, & idem est si ministrat hæreticis, vel eorum fautoribus; sed alijs excomunicatis, qui nec sunt denuntiati, nec manifesti percusores Clerici, non obligatur Minister Sacramenta denegare, ex vi censuræ, sed solum ex generali ratione, nempé quia indebitè accedunt ad Sacramenta. Demum tenetur Minister, Sacramentorum administrationem, non simulare ex nulla causa, quæcumque illa sit; ita habetur in Decret. Innocent. XI. propos. 65. quæ infrá adducetur.

Casus vndecimus, circa idem. Quidam Clericus, tempore quo extitit in ordine Subdiaconatus & Diaconatus, solemnitér exercebat officia, his ordinibus correspondentia, & in eis ministrabat in statu peccati mortalis. Quæritur: an mortale peccatum committeret? Uarie respondent auctores; aliqui dicunt excusari á mortali, quia illæ actiones, non sunt Sacramentales, nec Sacramentum perficientes, nec etiam perfectè sacræ; sic sentit Soto, Serra, & Diana cum alijs; sed Suarez ait, quód consuetudo exercendi hæc officia in peccato mortali, est peccatũ mortale, quia hoc virtualitér arguit contemptũ. Vazquez, ait: quòd Subdiaconus & Diaconus solemnitér ministrantes in mortali, nec venia litér peccant, quia nullum est præceptũ obligans ad horum ministrorum internam sanctitatẽ & alias, extare præceptum divinũ, efficacitér non probatur.

His tamen non obstantibus, dicendum est: Subdiaconos & Diaconos mortalitér peccare, si in suis officijs solemnitér ministrẽt, in statu peccati mortalis. Cõstat de omnibus, ex ratione sæpiús adducta, nẽpé quia illi per ordines suos, ad sua ministeria specialitér consecrantur, quám consecrationem offendunt, in mortali ministrantes, quia cum Domini sanctitate non conformãtur. Deinde cõstat de Diaconis specialitér, ex D. Paul. 1. ad Tim. 3. vbi ait: Diaconos similitér pudicos, habentes mysterium fidei in conscientia pura, & sic ministrent nullum crimen habentes; qua propter in Levitico præcipiebatur Levitis sub pœna mortis, ne aliqua immunditia affecti, accederent ad altare, vt significaretur sanctitas ministrorum, qui venerabili sacrificio Missæ deserviunt. Vndé refertur in speculo exemplorum, de quodam Diacono coram Carolo Magno, solemnitér in peccato mortali ministrante, quòd fuit á venenosa aranea ter morsus, & tandem occisus.

Nec facile est percipere, qua probabilitatis specie, possint á peccato excusari actiones illæ, quæ secundum statum præsentis Ecclesiæ, sunt anexæ ordini sacro, si in peccato mortali exercentur; & hoc ipsum vlteriús convincitur ex eo, quod excomunicatus vel suspensus, has actiones exercens, fit irregularis, quod evidens signum est, Ecclesiam illas pro sacris reputare, easque specialem consecrationem exigere atque mortalis peccati exclusionem, vt sic Ministri, Christo & Ecclesiæ in sanctitate conformentur; hanc doctrinam, loquendo de Diacono, veriorem cogito, quia hic est supremus Minister, qui proximé cooperatur Sacerdoti in

Missæ

Missæ venerabili Sacrificio.

Per hoc solvitur, id quod opponi poterat, nempé, quod si hoc est verum, etiam constituti in minoribus ordinibus, peccarent mortalitér, si actiones suas in mortali exercerent, quia etiam ad hunc finem, specialitér per characterem consecrantur. Resp. enim 1. quód licét omnes ordines, sacri sint in se, & etiam sacrent personam, cum sint Sacramentum, sed tamen illi ordines dicuntur specialitér sacri, qui habent actum, circa materiam consecratam, & sic solum Sacerdotium, Diaconatus & Subdiaconatus, dicuntur specialitér sacri, & ideo illis continentia indicitur, vt sancti & mundi sint, qui sancta tractant, quod non reperitur in minoribus ordinibus; sic D.T. in sup. 3.p. q.37.art.3. & q.36.art.5. Secundó dicatur: quód instrumentum, cooperatur principali agenti, & quo huius actio fuerit nobilior, eget etiam instrumentis nobilioribus; cum autem suprema operatio Sacerdotis sit consecrario, etiam instrumenta quibus vtitur, nempé Subdiaconus & Diaconus, debent esse nobiliora & sanctiora; inferiores autem Ministri, vt sunt in minoribus ordinibus constituti, solúm cooperantur Sacerdoti, in his quæ sunt præparatoria Sacramenti, vt Lectores in Catheciſmo, & exorcistæ in exorciſmo, & ideo isti, sanctitatem non petunt ad ministrandum, hæc habet D. T. 3.p. q.71. art.4.

Ex dictis resolvitur: quód Episcopi in mortali oleum consecrantes, peccant mortalitér, non autem quando templa, vasa, vestes, vel Virgines benedicunt. Ratio primi est: quia in illis actionibus, conficiunt materiam Sacramenti, & exercent actionem, ad eorum potestatem in summo gradu pertinentem, & sic graviſsimam iniuriam inferunt rei sacræ, ministrantes indigné. Ratio secundi est: quia actiones illæ, non pertinent ad potestatem ordinis in summo gradu, de iure divino, sed solum de iure Ecclesiastico, & ideo illas in peccato mortali exercere, non est peccatum mortale.

Casus duodecimus, circa idem. Prædicator quidam, officium concionandi exercebat, & quidem frequentér, cum ipse in statu peccati mortalis existeret: quæritur, an sic se Ministrum sacri Evangelij exhibendo, peccaret mortalitér? Resp. quód si prædicator, sit peccator publicus, mortalitér peccat prædicando, non autem si est peccator occultus. Prima pars constat, nam per peccatum publicum scandalizat audientes, & impedimentum ponit sacræ doctrinæ, nam vt ait D. Greg. cuius vita despicitur, necesse est vt eius prædicatio contemnatur; & in hoc sensu intelligendus est D. Thom. si quandoque asserit, esse mortale peccatum, prædicare in peccato mortali, id enim insinuare videtur, in 4. dist. 19. q.2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. & etiam 2. 2. q. 187. art. 1. hoc enim de peccato publico intelligitur.

Quód autem, si est peccatum occultum, non peccet quis in mortali prædicando, constat, quia vt vidimus suprá, cum D.Thom. huiusmodi opera charitatis, non pertinent ad specialem consecrationem Ministri, potest enim prædicandi officium committi Ministro, etiam sacris ordinibus non initiato, vt concesit Greg. 13. Religiosis Societatis Iesu, dicens: Vobis insuper concedentes, vt etiam Clerici vestri, prima tantum tonsura insigniti, pro vt hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum, vbique populo prædicare; vndé nec officium hoc est actus ordinis, nec sacri, nec non sacri, nec qui illud in peccato mortali occulto exercet, scripturæ sacræ, ponit directum impedimentum & proximum; sicut enim pictor vel sculptor, possunt formare imaginem excitantem devotionem, licét illi maximi sint peccatores, ita de prædicatoribus, qui male in occulto vivunt & rectè prædicant discurrendum est.

Quid autem dicendum, de alio singulari concionatorum vitio, qui prurientes auribus sensus demulcent? Non vacat modo, per otium de hoc pertractare, quæ res, certé graviſsima est, de qua suprá, aliquid iam tetigimus; modo dico: quód si huiusmodi vocum cadentia, & consonantia, ad illum dirigatur finem, vt audientes fortius á veritatibus atrahantur, honestari poterit; si autem fiat, vt concionator auram popularem captet, & se ipsum vt finem inspiciat, & plausus conciliare intendat, peccatum mortale committit, finem pervertendo sacræ doctrinæ, quod malum vt graviſsimum, á Sanctis Patribus, & Magistris eruditiſsimis deploratur.

Hoc vnicum audiant, huiusmodi prædicatores Angelici Doctoris dictum, quod mihi dum hæc scribo, præter spem, in præclaris suis operibus occurrit obvium. Asserit enim, 3.p. q.46.art.12. quód Ministri crucifigentes Christum, non purum hominem crucifixerunt, sed Deo intulerunt præsumptiones, cuius rei, hoc mirandum apponit exemplum. Pone Principem loqui per verbum, & hoc formari per literas in charta aliqua, & dirigi Civitatibus, & aliquis inobediens chartam disrumpat, ad mortis sententiam deducetur, non tanquam chartam disrumpens, sed tanquam verbum imperiale disrumpens; hoc etiam appropriare possumus concionatoribus, vana & curiosa prædicantibus, sacrum sugestum vertentes in profanum theatrum, verbum enim scriptum, seu Scripturam Sacram dilacerant & corrumpunt, & vitium speciale committunt, contra ipsam Verbi sapientiam. Prædicemus omnes Christum crucifixum, vt faciebat Paulus, licét quibusdam, stulta eius videretur prædicatio, quæ secundum Dei virtutem, & sapientiam, verba formabat.

Casus tertius decimus, circa idem. Curatus quidam, Sacramenta aliquando, sub conditione ministrabat; quæritur: an conditione impleta, verum conficeret Sacramentum? Resp. quód si talis mi-

nis-

niſtratio eſſet ſub conditione præterita, vel præſenti; & illa vere ſit poſita, validum Sacramentum fit, ſi non eſt poſita, nihil fit. Ratio eſt: quia intentio conditionata, poſita conditione, tranſit in abſolutam; ex quo etiam patet ſecunda pars, quia ſi conditio non ponitur, deficit abſoluta intentio, & ſic Sacramentum non fit. Sed eſt notandum, quód ponere conditionem de præterito, vel præſenti, pro conficiendis Sacramentis, ſi extat cauſa rationabilis, nullum peccatum eſt, ſi autem deſit, eſt mortale, quia exponitur periculo faciendi Sacramentum invalidum. Undé poteſt quis, puerum de quo dubitat eſſe baptizatum, iterum ſub conditione baptizare, & parvulum de cuius diſpoſitione dubitat, ſub conditione abſolvere, imó ſic debet fieri in his caſibus & ſimilibus, vt rectè Sacramentum miniſtretur.

Dices: quód licét Sacramentum miniſtretur, ſub conditione præſenti, vel præterita ſine cauſa, nulla fit iniuria recipienti, nam ſi conditio non verificatur, nec reciperet Sacramentum abſoluté collatum, ſi autem verificatur, recipit Sacramenti fructum: ergo hæc miniſtratio, non eſt abſoluté neganda. Reſp. quód licét talis modus miniſtrandi, ſub conditione ſine cauſa, nullam iniuriam faceret recipienti, ſed tamen iniuriam maximam irrogaret dignitati Sacramenti, quod ex ſe petit abſoluté miniſtrari, quando non datur cauſa rationabilis, vt miniſtretur ſub conditione. Hoc limitant aliqui dicendo, quod ſi Miniſter, certo ſciret conditionem eſſe in re poſitam, non ſe exponeret periculo fruſtrandi Sacramentum; ſed re vera non careret culpa, Sacramentum miniſtrare ſub conditione, ſine cauſa, quia vt diximus, eius dignitas petit abſoluté miniſtrari.

Maior difficultas huius caſus eſt: an ſi talis Parrochus Sacramenta conferret, ſub conditione de futuro, dicendo: abſolvo vel baptizo te, ſub conditione quod cras reſtituas, valida Sacramenta faceret? Reſp. negativé. Ratio eſt: quia in eo caſu, nec Sacramentum ponitur in eſſe, dum ponuntur eius materia & forma, quia Miniſter non intendit illud, pro eo tempore conficere, nec etiam ponitur poſtea, tempore quo impletur conditio, quia tunc, iam non ſunt materia & forma: ergo tale Sacramentum non eſt validum, pat. conſ. nam Sacramenta ſunt ſigna practica, gratiæ effectiva, & ſic nequeunt eſſe ſuſpenſa, & effectum expectantia, quouſque conditio ponatur.

Sed dices 1. quód ſi conditio eſt neceſſario futura, reputatur vt præſens, & ſic in eo caſu validé conficietur Sacramentum. Secundó: quód Sacramentum eſt ens morale, cuius materia & forma, ſufficit quod antea ſint poſitæ, & adhuc durare cenſeantur, vt cum quis confitetur antea, & paulo poſt abſolvitur, & ſic etiam ſufficiet quod materia & forma, poſtea ſe incipiant informare. Tertió: quód promiſsio ſub conditione de futuro facta, verificata conditione, tranſit in abſolutam: ergo idem de Sacramento dicendum eſt. Reſp. ad 1. quód licét aliqui, illud ſentiant ob rationem ibi attactam; ſed re vera Sacramenta collata, ſub conditione neceſſaria, non ſunt veré talia, ſicut ſi dicis: ego te baptizo, ſi Sol eras oriatur, in rigore, non vis Baptiſmum conferre, ſed eius effectum ſuſpendere, ſicut ſi dicas: confero tibi librum, ſi mane oriatur Sol, in re non confertur liber; aliud eſſet ſi apponeretur conditio, ad exprimendam certitudinem intentionis, vtſi dicatur: tám certo te baptizo, ſicut certum eſt Solem oriturum, ſed hæc intentio non eſt proprié conditionata, de qua loquimur in præſenti.

Ad 2. quód cum Sacramenta, habeant eſſe ab inſtitutione Chriſti, & non á voluntate Miniſtri, non eſt in huius poteſtate, illorum effectum ſuſpendere pro ſuo arbitrio; nec eſt idem de abſolutione, ſupponente materiam antea; quia in poteſtate Miniſtri eſt, vt poſita vna parte Sacramenti, maneat altera, aliquandiu ſuſpenſa, antequam Sacramentum habeat perfectum eſſe, ſed non eſt in eius poteſtate, vt Sacramentum ſuſpenſum maneat, vtraque parte exiſtente. Ad 3. neg. conſeq. nam contractus promiſsionis, pendet á lege naturali, & á lege civili, quæ ſtatuunt, illum habere vim, ſi purificetur conditio; Sacramenti autem valor, pendet ab inſtitutione Chriſti, qui noluit, illud fieri dependenter á conditione futura, nec quod hac poſita, Sacramenta redderentur abſoluta.

Hinc fit: quód Sacramentum Matrimonij, ab hac generali doctrina excipiendum eſt, nam cum ſit verus contractus, poteſt celebrari ſub conditione de futuro, á qua in ſuo eſſe dependeat; Chriſtus enim in Matrimonio, non mutavit naturam contractus, ſed elevavit ad eſſe Sacramenti; cumque eius materia & forma, non ſolum ſint actiones externæ, ſed interior conſenſus qui exteriús exprimitur, poteſt non habere perfectum eſſe, vſque dum ponatur aliqua conditio, & reddi abſolutum, poſtquam contrahentes cognoverint, conditionem eſſe completam, non quia per hoc, aliquid phyſicum adveniat Sacramento, ſed quia perficitur in eſſe morali in ratione contractus.

Si dicas: quód hoc modo, etiam Sacramentum pœnitentiæ, poterit conferri, ſub conditione de futuro, quia actus interni pœnitentis, ſunt eius partes, ſicut dicitur de Matrimonio. Reſp. quód actus pœnitentis, nequeunt poni, ſub conditione de futuro contingenti, nam dolor & propoſitum, debent eſſe abſoluta, ridiculum enim eſſet dicere: dolco de peccatis & propono emendationem, ſi ampliús non fuero tentatus, cuius contrarium contingit in contractu Matrimonij, ob rationem dictam. Dices: cur abſolutio á cenſuris fit validé, ſub conditione de futuro contingenti, v. gr. ſi reſtitueris intra tot

dies,

dies, & absolutio á peccatis, non poterit similitér conferri? Resp. quód absolutio á censuris, habet suam vim á voluntate absolventis, & sufficit exterior prolatio verborum, vt voluntas interior cognoscatur modo humano; absolutio autem Sacramentalis, consistit in verbis externis, & vim habet á Christi institutione, qui noluit Sacramentum validum fieri, dependentér á conditione de futuro.

Casus quartus decimus, de subiecto Sacramentorum. Petebat quis aliquando, sibi Sacramenta conferri, á Ministro quem certo sciebat, in statu peccati mortalis administraturum: Quæritur, an sic petens, mortalitér peccaret? Ratio dubitandi affertur á D. Thom. q.64. art.6. in secundo argumento, nam qui communicat alteri in peccato, est etiam peccati reus; nam non solùm digni sunt morte, qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, vt ait D. Paulus, sed mali peccant ministrando Sacramenta vt vidimus: ergo etiam peccant, qui ab eis Sacramenta petunt. Pro huius responsione D. Thom. duas propositiones adducit. Prima est: quód á Ministro malo tolerato ab Ecclesia, licet petere Sacramenta. Secunda: quód non licet petere, á Ministro malo non tolerato.

Prima propositio constat ex Nicol. 1. cap. scisciitantibus 15. q.8. vbi ait: Summite ab omni Sacerdote intrepidé Christi mysteria, & idem ait Lucius 3. cap. vestra, dicens: á Clericis quanquam fornicarijs, quandiu tolerantur, & non habent operis evidentiam, licité divina mysteria audiuntur, & alia recipiuntur Ecclesiastica Sacramenta. Hoc ipsum patet ex August. Epist. 154. licité posse vti iuramento illius, quem scio iuraturum per falsos Deos, vt cum Christiani fœdus habent cum Barbaris, & petunt iuramento firmari; sicut licet petere mutuum ab eo, quem cognosco mutuaturum esse sub vsuris, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. quia possum vti alterius malo, in bonum meum: si ergo licet hoc, propter paruum lucrum temporale mihi proueniens, quanto magis ob spirituale bonum, ex Sacramentis derivatum?

Secunda propositio D. T. patet: quia Ecclesia obligat sub mortali, non communicare in sacris, cum Ministris non toleratis: ergo sicut isti mortalitér peccant, se ingerendo & ministrando, ita etiam peccabunt ipsis communicantes, Sacramenta petendo. Sed hoc intelligitur, extra casum extremæ necessitatis, si enim necessitas sit extrema, potest hoc fieri. Sic D. Thom. in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quæstiunc. 5. dicens: malus Minister, si sit præcisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens Sacramentum, nisi in necessitate, in qua posset etiam á Pagano, vel á Iudæo suscipere, quia Ecclesia, non aufert facultatem á malis Ministris, vt in casu necessitatis conferant Sacramenta, quæ fideles tenentur ex præcepto diuino recipere, alias huic fieret iniuria, & vsurparetur diuina potestas.

Ad rationem dubitandi, resp. cum D. Thom. loc. cit. in solutione illius argumenti, vbi ait: Quód ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit illa á Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Minister Ecclesiæ, & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam Ministrum exhibet.

Maior difficultas est, in hoc casu: an requirantur aliquæ conditiones, vt licité petantur & recipiantur Sacramenta, á Ministris malis toleratis? Resp. quód licét circa hoc, varij sint apud Authores sentiendi modi, sed omnes reducuntur ad hoc: quód Minister malus, á quo licet Sacramenta petere, debet esse paratus ad conferendum, & ad id ex officio teneri. Vndé, qui malum Ministrum paratum, inducit in casu necessitatis, & etiam extra hunc casum, illum qui habet animarum curam, vtitur iure suo, & nulli facit iniuriam; & quamvis ex hoc summat Minister occasionem peccandi, id tamen non intenditur á petente, sed solum accipere, quod sibi debetur, & potest sine peccato exequi, si Minister pœnitere vult.

Si dicas: quód licét Minister sit paratus ad ministrandum, nequit hoc exequi, si est in statu peccati mortalis, quin mortalitér peccet, & ideo nequit ab eo peti ministratio, sicut á muliere, nequit peti sui corporis copia, quamvis ad hoc sit exposita, quia id nequit sine peccato exerceri. Resp. quód est dispar ratio: nam luxuria, est ab intrinseco mala, quæ sine peccato nequit fieri, & ideo non potest actio inhonesta ab alio peti; Sacramenti autem ministratio, potest recté fieri, quod si fit male, oritur á pravitate Ministri, ad quam non concurrit, petens ab eo Sacramentum, sed illá vtitur ad suum spirituale bonum, sicut patet in exemplo posito, de petente mutuum sub vsuris, ab vsurario.

Casus quintus decimus, circa idem. Quidam puer ad Sacram Eucharistiam recipiendam accessit, solum eo fine, vt hostiam manducaret, quin eius sacra mysteria cognosceret, nec de his cogitaret. Quæritur: an reciperet validé Sacramentum? Resp. quód in eo casu, puer ille, solum materialitér Sacramentum accepit; sicut illud reciperet demens, vel furiosus, illud tamen formalitér non recepit, ratio est: quia vt sic reciperet, debebat habere intentionem recipiendi, quám tamen puer non habuit, quia illa sumptio fuit puré materialis & naturalis manducatio. Undé ait D. Thom. 3. p. q.80. art.9. ad 3. quód eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt vsum rationis, vndé talibus, non sunt sacra mysteria danda.

Nec obstat 1. quód ait D. Dionis. lib.2. de Eccles. hierar. quód baptizatis, est sacra communio danda. Secundó: quód pueri in illo casu, nullam

culpam committunt, quæ posit esse impedimentum & obex gratiæ. Resp. ad 1. quód D. Dionis. loquitur de Baptismo adultorum, nec ideo infertur, pueris posse Eucharistiam conferri; nec ex huius privatione, patiuntur detrimentum vitæ, iuxta dictum Christi; nisi manducaveritis carnem filij hominis,&c. non habebitis vitam; quia in Baptismo,fit aliquis particeps Eucharistiæ spiritualitér, sed tamen corporalitér, nequit fieri particeps, sine devotione Sacramenti, quæ in puero non datur. Ad 2. quód Sacramentum præstat suum effectum, quando subiectum obicem non ponit, sed ad hoc requiritur illud formalitér summi; pueri autem solum summunt, pura comestione naturali, sicut quando mures sacras formas corrodunt.

Sed quia eadem est ratio de pueris & amentibus vt vidimus,iterum quæri potest:an si quis in amentiam incidit, & hac perseverante, ad articulum mortis devenit,tunc extrema vnctio posit illi ministrari? Resp. cum D. Thom. loc. cit. quód illi qui non habent vsum rationis,aut nunquam illum habuerunt, sed sic permanserunt á nativitate, & talibus non est Sacramentum hoc conferendum, quia in eis nullo modo præcesit huius Sacramenti devotio;aut non semper caurerunt vsu rationis, & tunc, si priús,quando erant cõpotes suæ mentis, apparuit in eis devotio Sacramenti, debet eis in articulo mortis exhiberi, nisi timeatur periculum vomitus, aut expuitionis. Vndé in Concil. Cartag. dicitur: Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum Sacerdos venit,oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & hæc quæ de Eucharistia & pœnitentia dicuntur, etiam extremæ vnctioni accommodantur; hic sunt casus præcipui, qui de Sacramentis in genere, possunt circumferri.

Reflexiones, suprà doctrinam tradditam. Maximopere desidero,quod præsens opus tersum prodeat & expolitum, & ideo suprá, dicta hucusque, sequentes facio reflexiones. Prima: quód magna pars doctrinæ nostræ, comprobationem accipit, ex Decretis Summorum Pontificum, qui nuper aliquas propositiones circa res morales damnarunt. Prima est Innocentij XI. & ordine prima, in qua dicitur: Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum vtendum non est, in collatione Baptismi,ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Secunda propositio est ipsius Pontificis 29. in ordine dicens: Vrgens metus gravis, est causa iusta, Sacramentorum administrationem simulandi. Tertia est ab Alexandro VIII. damnata, & in ordine 28. dicens: valet Baptismus collatus á Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo, apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia; hæc propositiones damnantur,circa Sacramenta in genere, & conformitér ad hoc, doctrina traddita debet explicari; de istis propositionibus & omnibus alijs,Deo dante, in fine operum explicationem proponemus, & ideo hic annotatione illarum contenti sumus.

Secunda reflexio est: quód in suprá dictis, fol. 15. col. 1. dicitur: Licitum erat Matrimonium clandestinum, ante Tridentinum, debet dicere, validum, quia nec tunc,tale Matrimonium erat licitum, sed sub gravissimis pœnis interdictum. Rursus, fol. 24. col. 1. dicitur: Quód Eucharistia gratiam non causat recedente fictione, quia characterem non imprimit, sed hæc est ratio respectu comparationis cum Baptismo, vt constat ex authoritate D. Thom. ibi posita, comparativé autem ad alia Sacramenta, datur ratió altera, ne Eucharistia gratiam causet recedente fictione, scilicét quod Sacerdos,in articulo mortis contritus, & Eucharistiam suscipiens, eo evaderet sanctior, quo in vita plura commisit sacrilegia, sicut attingitur in loco prædicto.

Reflexio tertia. Quando res de qua tracto, est expressé ab Ang. D. discussa, in eius sententiam feror sicut debeo; sed tamen, si resolutio non est ab omnibus auctoribus admissa, & oppositum potest probabilitér sustineri, ex determinatione mea, contrariam non reprobo, nec improbabilem iudico, sed vnumquemque relinquo abundantem in suo sensu, v. gr. dum dixi quod ministrare hostias consecratas in peccato mortali, est peccatum mortale, oppositum sentientes non censeo; sed cum Thomistis, & ad Thomistas loquor, & idem est de alijs resolutionibus huius generis; mens enim mea est,á prolixa citatione authorum abstinere, vt ab initio dixi, & eum sensum exprimere, qui apud nostros iudicatur verior & probabilior;quibus præsenti quæstioni de Sacramentis in genere finem damus, & hucusque tradditus stilus,erit á nobis in dicendis prosequendus.

QUÆ-

QVÆSTIO TERTIA,

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

Doctrinæ Summa.

LICET Sacramentum Eucharistiæ, sit primum ordine dignitatis, Baptismi autem, Sacramentum, est primum ordine receptionis, quia est aliorum Sacramentorum ianua; Metaphysicé autem diffinitur sic: Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ regenerativæ; vel physicé sic: ablutio exterior corporis, sub præscripta verborum forma; vndé Baptismus consistit essentialitér in ablutione exteriori, quæ significat interius animæ lavacrum, vt ait August. Nec obstat, quod ablutio est transiens, quia illa permanet virtualitér in charactere, & hoc modo potest constituere Sacramentum permanens. Baptismus institutus fuit in Baptismo Christi, quia tunc habuit efficatiam, ex passione quam figurabat.

Materia Baptismi, alia est proxima, quæ est ablutio, alia remota, quæ est aqua naturalis, quia illa est principium vitæ, & maximé abundat pro Sacramento necessario; licét autem vino & oleo possit fieri lotio, isti & similes liquores, non sunt materia, quia illis non fit vsualis lotio. Nec obstat, quód aqua in Baptismo miscetur oleo; nam illa mixtio, non destruit speciem aquæ, sicut nec aqua balneorem & aliæ similes. Forma Baptismi sunt illa verba: ego te baptizo, in nomine Patris, &c. quia illis explicatur causa principalis quæ est Trinitas, & instrumentalis quæ est Minister.

Triplex autem datur Baptismus, nempé fluminis, qui fit per aquam; flaminis qui fit per contritionem, & per desiderium recipiendi Baptismum, & sanguinis qui fit per martyrium, & tertius perfectior est, quia in executione imitatur passionem Christi, alij autem, solum in figura. Nec obstat: quód Baptismus aquæ imprimit characterem, & non Baptismus sanguinis; hoc enim solum facit, quod ille excedat in ratione Sacramenti, sed nõ quo ad effectum, quia sic Baptismus sanguinis perfectior est. Baptismus autem iterari non potest, quia imprimit characterem.

Minister solemnitatis in Baptismo, est solus Parrochus; sed Minister necessitatis, est quilibet homo, & etiam mulier, cum alter Minister non reperitur, quia ob necessitatem summam Baptismi, á quolibet potest conferri; quando autem Baptismo deficit solemnitas, postea solum dicantur deprecationes ad solemnem ritum pertinentes, sed Baptismus iterum non repetatur, dum certo scitur esse rite collatum; si autem de hoc sit dubium prudens, Baptismus potest sub conditione iterari. Requiritur etiam ad Baptismum patrinus, qui infantem elevet, nam ibi fit generatio spiritualis, & aliquis debet substituere locum patris, & etiam in adultis hoc requiritur, licét non quo ad effectum elevationis, sed quo ad instructionem spiritualem; ex parte suscipientis requiritur intentio, vel propria si est adultus, vel Ecclesiæ si est parvulus, nam voluntas est principium novæ vitæ.

Pueri Hebræorum, non debent invitis parentibus baptizari. Túm, quia non habent aliam voluntatem nisi parentum. Túm, quia exponuntur periculo recedendi á fide, per suasionem illorum; aliud est si sunt adulti, quia tunc iam habent voluntatem propriam; puer autem dum est in ventre matris, nequit baptizari, quia nec est á matre distinctus, nec est lotioni aptus. Nec obstat: quód in ventre contrahit culpam; nam ibi est capax culpæ, per vnionem animæ ad corpus, non autem est capax lotionis; quod si puer aliquam partem manifestet, potest in illa baptizari, sumendo partem pro toto; furiosi autem & amentes sic nati, possunt baptizari, quia id nequit cognosci, si autem postea rationem amnittunt, etiam baptizari possunt, si antea voluntatem habuerunt recipiendi Baptismum.

Effectus Baptismi, plures sunt. Primus dimmittere peccata, secundus remitere pœnam; tertius auferre pœnalitates vitæ, quartus conferre gratiam & virtutes, quintus imprimere characterem, & vltimus aperire ianuam Cœli; & licét quo ad regenerationem, effectus sint æquales in omnibus, non veró quo ad alia, præcipué in adultis, in quibus datur propria dispositio; fictio autem impedit Baptismi effectum, quia interior animus, contrariatur operationi externæ, & ablata fictione, sequitur effectus, sicut ablato impedimento, descendit lapis deorsum, de quo agemus infrá.

Post

Post Sacramentum Baptismi, sequitur Sacramentum Confirmationis, quod metaphysicé diffinitur sic: Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ roborativæ: physicé autem: Vnctio exterior corporis sub præscripta verborum forma; illud fuit institutum á Christo, in missione Spiritus Sancti, qui Apostolos roboravit in fide; eius materia, est oleum mixtum balsamo, quia ibi datur gratia quæ est vnctio, & bonus odor, vt convivamus alijs; forma verò, sunt verba, per quæ designatur, fortitudo ad defensionem fidei, quæ etiam designatur in alapa confirmato collata.

In hoc Sacramento imprimitur character, quo designatur homo ad pugnam spiritualem; nec sufficit ad hoc character Baptismi, quia hic deservit ad primam vitam; confirmatio verò, ad fortitudinem perfectæ ætatis, sed tamen character confirmationis, supponit characterem Baptismi, sicut augmentum naturale, supponit generationem. Vndé confirmatio, debet omnibus conferri, vt roborentur in fide, & ideo confertur in fronte, quæ est pars manifesta, vt designetur, quod confessio fidei, debet esse manifesta & animosa.

Confirmatus, debet habere patrinum, sicut in Baptismo, quia ille, non dum est ad pugnam instructus. Minister huius Sacramenti, est solus Episcopus, nam vltimum complementum ædificij pertinet ad superiorem artificem, sicut licét scriptura firmetur á secretario, præcipua tamen signatura illius, fit á Principe; vndé licét Baptismus quo scribimur in libro fidei, possit ab omnibus conferri, confirmatio verò, qua sigillamur veluti Epistola Dei, vt ait Paulus, solum ab Episcopo conferri potest.

ARTICVLVS I.

De Sacramento Baptismi.

Prima difficultas; de essentia & institutione Baptismi; & primo dubitatur an consistat in ablutione? Ratio dubitandi est: quia Sacramentum consistit in eo, in quo perficitur sanctificatio; ablutio autem, non sanctificatur per Baptismum. Deindé quia potest esse ablutio exterior corporis, absque Baptismo, vt si quis baptizaret se ipsum, vel alium invitum, vel iam baptizatum, vel sine intentione, vel cum aqua non naturali: Tertió, nam ablutio est transiens, & Baptismus est permanens: ergo Baptismus non consistit in ablutione.

Uera tamen resolutio D. Thom. 3. p. q. 66. art. 1. est: Quód Baptismus in ablutione consistit, ibi enim ait: quód in Baptismo, res tantum est gratia regenerativa, res & Sacramentum simul, est character, & Sacramẽtum, est ablutio perquam perficitur sanctificatio, quia per illam, applicatur aqua homini; ex quo patet ad 1. rationem, non enim dicitur quod ablutio sanctificetur vt quod, sed tantum vt quo, quia nempé est id, quo applicatur sanctitas homini media aqua. Uel dicatur: quód sanctitas Baptismi, est in anima tanquam in subiecto, & in ablutione tanquam in causa, sicut sanitas est in medicina tanquam in causa, & in animali tanquam in subiecto.

Ad 2. dicitur: quód ablutio Baptismi, debet esse Sacramentum, & in casibus ibi positis, Sacramentum non est, & ideo talis ablutio Baptismum non constituit; vel dicatur: quód in omnibus illis casibus, Minister falsó profert formam, si se ipsum baptizat, vel sine aqua naturali, vel sine intentione, & ideo non facit Sacramentum. Ad 3. quód licét ablutio sit transiens, character autem & sanctificatio interior, sunt permanentia, & in his manet virtualitér ablutio, vt possit constituere Baptismum permanens, sicut suprá dicebamus de verbis transeuntibus, ex quibus constant Sacramenta permanentia.

Dubitatur vlteriús: quando Christus instituit Baptismum? Resp. quód ante passionem, quando in Iordane á Ioanne baptizatus est. Constat ex pluribus Scripturæ testimonijs, & præcipué Ioann. 3. Uenit Iesus cum Discipulis suis & baptizabat; & Ioan. 4. cognovit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod plures Discipulos facit, & baptizat; & est congruentia: nam alia Sacramenta, nequeunt recipi sine Baptismo, qui est ianua illorum; constat autem ex Evangelijs, quod Apostoli receperunt Eucharistiam, & ordines sacros ante passionem: ergo priús erant baptizati, & Baptismus institutus.

Sed dices: si Sacramenta habent efficaciam á Passione Christi, quomodo ante istam, Baptismus potuit efficaciam habere? Resp. D. Thom. ad 1. quód etiam ante Passionem Christi, Baptismus habebat efficaciam ab illa, in quantum eam præfigurabat; aliter tamen, quam Sacramenta antiqua, nam hæc, erant signa puré figuralia, Baptismus autem habebat á Christo virtutem iustificandi, per quam etiam Passio salutifera fuit, & vt causa finalis tunc influebat. Uel dicatur: quód in Christo vivente iam erat passio inchoata. Túm, quia omnes eius pœnalitates, erant quædam passio, & dispositio ad vltimam & consummatam passionem. Túm, quia in primo instanti conceptionis, Christu, præceptum patiendi acceptavit, & vt ait D. Paul. ad Hebr. 10. in illa voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi.

Dices: quód D. August. ait tract. 15. in Ioann. quód ex latere Christi Sacramenta fluxerunt: ergo ante Christi mortem, nullum erat Sacramentum, nec Baptismus. Resp. quód quædam Sacramenta fluxerunt ex latere Christi, quo ad perfectionem, & etiam quo ad initium, vt sunt Confirmatio, Pœnitẽtia, Extrema-Vnctio, & Matrimonium; sed alia tria, nempé Baptismus, Eucharistia, & ordo, fluxerunt de latere Christi, solum quo ad perfectionem, & vlti-

vltimam consumationem, initium autem habuerunt an Passionem Christi.

Deinde constat resolutio : nam Christus suis manibus baptizavit aliquos ; nam de Beato Petro Apostolo, id asserit Enodius, & Clem. Alexandr. & Euthimius ait, quod Christus baptizavit Beatissimam Virginem ; & idipsum ait D. Vicentius Ferrerius. Ser. fer. 6. post Dom. in Pass. & etiam de Ioanne Baptista : ergo ante Christi Passionem, Baptismus fuit institutus. Sed dices: quomodo Virgini Matri poterat Baptismus conferri, si á Conceptione sua fuit libera ab originali, nec Baptismus aliquid habebat mundandum ? Resp. quód sanctificatis á Conceptione erunt, vt B. Virgini, vel ab vtero vt Ioanni, non confertur per Baptismũ gratia regenerativa, & remissiva originalis, quo ad efficaciam, hoc autem est per accidens, sicut cum quis accedit ad pœnitentiam perfecte contritus, non remittuntur ei peccata actualia, quia iam prius erant remissa; sic D. T. in suppl. 3. p. q. 10. art. 1.

Si inquiras : Quæm ergo effectum habet Baptismus in B. Virgine & in alijs sanctificatis in vtero ? Resp. quód multiplicem effectum producit. Primus est, acquisitio characteris, quo annumerentur populo Dei, & ad percipienda divina Sacramenta deputentur. Secundus, quod per Baptismi perceptionem, conformantur etiam corporalitér cum Passione Christi. Tertius, quod per Baptismum, acquirunt meritum obedientiæ, nam præceptum Baptismi, omnibus impositum est, & ab omnibus debet impleri, nisi articulus necessitatis hoc impediat ; quod dixi, propter quandam dubitationem, mihi nuper propositam, circa effectum Baptismi Virginis Sacræ; quæ doctrina tradditur á D. T. 3. p. q. 68. art. 1. ad 3 & in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3.

Demum, quod Baptismus in Jordane fuerit institutus, quando Christus á Ioanne fuit baptizatus; constat ex D. August. ser. 3. Dom. infra oct. Epiph. vbi ait : Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua, & lib. 2. in Luc. cap. vlt. dicit : Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, Baptismus ius haberet; quod etiam congruentiæ suadent, nam in Jordane, apertum est Cœlum, per quod Baptismi effectus indicatur, ille enim clavis est, Cœlum aperiens, & etiam fuit Pater in voce, Filius in persona propria, & Spiritus Sanctus in columba, quæ exprimunt Trinitatis fidem, quæ in Baptismo profitetur. Si dicas: quód illa aqua Jordanis, non continuatur cum alia aqua, & sic ei non præbet vim sanctificativam. Resp. quód non continuatur quo ad locum, sed quo ad similitudinem speciei, vnde ait D. August. serm. de Epiph. quæ de Salvatoris Baptismate benedictio fluxit, tanquam fluvius spiritualis, vniversorum fontium venas implevit.

Secunda difficultas ; quando præceptum Baptismi, obligare incepit? Resp. quód hoc habuit post Resurrectionem, cum Christus Discipulis promulgavit legem Baptismi, dicens : docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Sic D. T. 3. p. q. 66. art. 2. ad 2. dicens : ante Passionem suam, Baptismum institutum, non posuit sub præcepto, sed voluit ad eius exercitium homines assuefieri; post Passionem vero & Resurrectionem, sub præcepto necessitatem Baptismi imposuit, dicens: euntes docete omnes gentes. Et si dicitur: quód præceptũ Baptismi, positum est Ioan. 3. dicendo: nisi quis renatus, &c. Respondet D. Thom. quod illud magis videtur pertinere ad tempus futurum, quam ad præsens; Christus enim vt ait M. Soto, se habuit instar medici, qui prius salutiferum conficit vnguentum, cum virtute sanandi, & postea præcipit ægrotis, vt vtantur illo, in tempore opportuno.

Ratio assignatur á D. Thom. loc. cit. nam tunc præceptum Baptismi obligare cœpit, quando Baptismus suam perfectionem habuit ; sed hanc habuit post mortem, & Resurrectionem Christi : ergo tunc eius obligatio incepit. Prob. min. vna ex perfectionibus Baptismi, est configurare nos morti & Resurrectioni Christi, vt ait D. Paul. ad Rom. 6. consepulti enim sumus cum illo, per Baptismum in mortẽ vt quomodo Christus surrexit á mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus ; sed ante Christi mortem & Resurrectionem, non poterat hominem secum in his configurare: ergo, &c.

Nec valet dicere : quód Christus moriturus dixit : consumatum est, quasi tunc esset consumata lex antiqua, & inceperit nova. Non inquam valet: nam illa consumatio, refertur ad mortem Christi, sed non vt præcissam á Resurrectione, sed vt illam includente ; sicut enim iustificatio nostra, est mutatio includens duos terminos, nempe recessum á peccato, & accessum ad gratiam, ita Christi resurrectio & eius mors, integrant vnum motum nostræ redemptionis, nempe Christi mortem, qua est destructum peccatum, vt terminum á quo, & eius resurrectionem, qua est consumata vita spiritualis animæ, vt terminum ad quæm.

Sed oppones : Apostoli, etiam post Christi Resurrectionem observaverunt circumcisionem, & alias ceremonias legales, vt de Paulo dicitur: Act. 16. quód Timothæum circumcidit ; & idem dicitur ad Galat. 2. de Petro quæm Paulus reprehendit, quia circumcisionis ceremonias videbatur approbare: ergo Baptismi obligatio, post Christi Resurrectionem non incepit, alias Apostoli, legales ceremonias non observassent. Propter hoc argumentum, asseruit D. Hyer. quód á morte Christi, legalia omnia, non solum fuerunt mortua sed etiam mortifera, ita vt mortaliter peccarent observantes ea ; Apostoli autem, post resurrectionem Christi, non servaverunt legalia secundum veritatem, sed

quadam pia simulatione,ne Iudæos scandalizarent, & eorum conversionem impedirent.

Hoc videtur aliquibus,nimis durum, quod nempe Apostoli vterentur simulatione, in rebus pertinentibus ad fidelium salutem, & hoc videtur insinuari á D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 4. ad 1. quare meliús. Resp. cum D. Aug. inter quæm & Hyeronimum, de hac re, magna est dissertatio; quod ante Resurrectionem Christi, vsque ad promulgationem Evangelij, legalia erant mortua, quia non habebant vim obligandi, sed non erant mortifera, quia conversi ad Christum ex Iudæis, poterant illa observare,dummodo in eis spem non ponerent, nec reputarent necessaria ad salutem; de quo Ang. D. in loc. cit. Epist. ad Galat. lect.3. hanc elegantem ex D. Aug. congruentiam affert: quod nempe,sicut corpora mortua, aliquando servantur ante sepulturam, ita legalia, quæ non poterant servari vt viva post mortem Christi, servabantur vt mortua, & per hoc ostendebatur, quod mater sinagoga, cum honore ad tumulum erat deducenda, ne si statim esset reiecta,cogitarent homines, illam fuisse legem abominabilem, sicut erat in Gentilibus, cultus idolorum.

Ex his patet,quid sit dicendum,de circumcisione Timothæi per Paulum,quia ille erat ex matre Iudæa genitus, & noluit Spiritus Sanctus, vt illis qui ex Iudæis convertebantur, statim prohiberetur legalium observatio, sicut prohibebantur conversis ex Gentilibus, gentilitatis ritus, qui repudiabatur tanquam omnino illicitus, vt aliqua differentia inter Iudæorum, & gentilium ritus ostenderetur.Sed quid de reprehensione Petri, & de peccato quod præstitit illi motivum? Hoc fuit mihi aliquando á viro satis erudito interrogatum, in quadam amicabili confabulatione, circa quam varie versabamur;sed responsio tradditur á D.T.locis prædictis;dicit enim,quod Petrus veré peccavit,& Paulus illum etiam vere & non simulatorié reprehendit, sed non peccavit Petrus,ad tempus legalia servando, quia hoc licebat illi, tanquam ex Iudæis converso, sed peccabat in hoc,quod circa legalium observantiam, nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Iudæos, ita quod ex hoc, sequeretur Gentilium scandalum; sic D.Thom. 1. 2. citato ad 2. & 2. 2. q.43. art.6. ad 2.

Tertia difficultas; de materia Baptismi; & circa eam dubitatur:an aqua sit materia Baptismi? R. affirmativé cum D. T. loc. cit. art. 3. quæ veritas catholica est, statuta á Trident. Sess. 6. Can. 2. de quo afferuntur á D. Thom. quatuor congruentiæ satis pulchræ; sed primam & vltimam attingemus. Prima est: quia Baptismus,est spiritualis regeneratio,ad quam maximé conducit aqua, sicut naturalis generatio,in animalibus & plantis,ab aqua procedit; quare aliqui Philosophi dixerunt, aquam esse omnium rerum principium,& in exordio mundi, omnia ex aquis sunt facta & tunc spiritus domini,ferebatur super aquas; vnde in aqua Baptismi,reparatio correspondet creationi.

Alt ra D. Thom. congruentia est: quia Baptismus,est Sacramentum maximé necessarium: ergo debet habere pro materia remota aquam, quæ propter sui communitatem, potest inveniri facilitér. His congruentijs alteram addit Mag. Soto: nam vt ait Paul.ad Galat. 4. professores antiquæ legis, erant in timore servientes, & ideo per instrumētum ferreum,aut lapidēum,circumcisionem exercebant; nos autem,vt idem ait ad Rom.8. non accepimus spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, & ideo suavissimo Sacramento ex aqua confecto, debuimus regenerari.

Dices: quód Ioannes dixit de Christo, Mat. 3. ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne, & consequentér, non solum aqua est Baptismi materia. Respondet D. Thom. loc. cit. ad 1. quód ibi per ignem,intelligitur Spiritus Sanctus, qui super Discipulos, in igneis linguis apparuit; vel potest etiam intelligi per ignem, tribulatio quæ peccata purgat; vel tandem, quia baptizati in Spiritu Sancto, consumabuntur per ignem, in extremo iudicio, quando separabantur boni á malis, iuxta ipsum textum in quo dicitur: Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Sed circa hanc materiam Baptismi dubitat D. Thom. an illa sit quælibet aqua? Et respondet: quod in qualibet aqua, dum modo species aquæ, non dissolvatur,potest fieri Baptismus, non autem si species dissolvitur. Ad cognoscendum autem,si species aquæ dissolvitur, assignat D. Thom. duas regulas. Prima est: quælibet transmutatio facta per artem, sive miscendo sive alterando aquam, eius speciem non solvit, quia ars, nunquam facit formam substantialem. Secunda: transmutatio quæ fit per naturam aliquando solvit speciem aquæ, vt aqua conversa in liquorem vuæ, est vinum, aliquando non solvit, vt in aqua calefacta á sole, vel mixta cum partibus terreis.

Hinc deducuntur plura. Primum: quód quando parva quantitas aquæ,miscetur liquori,alterius speciei á quo absumitur,illa non est materia; vnde nec in luto,nec in aqua vino mixta, potest Baptismus fieri. Si dicas:quód Stephanus Secundus,permisit quibusdam Monachis Galliæ, baptizare in vino, si non reperiebatur aqua, & periclitabatur infans.Resp. quód tale factum,omnino est fictum, vel si forte est verum, sensus est, quod sic baptizanti ex ignorantia, nulla imputatur culpa, si postea infans,in tali Baptismo permaneat, hæc enim sunt eadem Pontificis verba, ex quo non infertur, Baptismum in vino confici posse.

Secundó deducitur: quod in liquore carnium, quandoque poterit Baptismus fieri, si ille plus habet

bet de substantia aquæ, sic sentit D. Thom. 3. p. q. 66. art. 4. ad 2. si autem liquor, plus habet de aliena substantia, nequit in illo fieri Baptismus, nisi subtilitér extrahatur aqua, tunc enim poterit in hac fieri. Tertió deducitur: quód in nive gelu & glacie non resolutis potest fieri Baptismus, quia illa sunt aqua substantialitér, & facilitér eliquantur, ex contactu corporum; & licet aliqui sentiant oppositum, in praxi autem instante necessitate, nulla est sententiarum varietas propter rationem dictam.

Quartó deducitur: quód in aqua resoluta ex sale, nequit fieri Baptismus; quia sal, est mixtum diversæ naturæ ab aqua, vt enim ait Arist. de sens. & sensat. sal quædam terræ species est. Nec obstat, quod in aqua maris, quæ salsa est, potest fieri Baptismus; nam aqua maris, non est substantialitér sal, sed dum ex ea, id quod est aqua evaporatur, per calorem solis conficitur sal, & concrescit, sicut etiam sacarum liquescit in aqua, & consumpta aqua concrescit, nec ideo sacarum est Baptismi materia, quia est diversæ rationis ab aqua.

Quintó deducitur: quód in aqua rosacea, nequit fieri Baptismus; sic ait D. Thom. loc. cit. ad 5. nam illa, non est de specie aquæ, sed est liquor ex rosa resolutus; vnde manet: quód solum aqua naturalis, suam speciem non mutans, est Baptismi materia. Sed an sufficiat, quælibet minima quantitas aquæ? Resp. quód ea quantitas requiritur, quæ sit ad lavandum apta; vnde non est putandus validus Baptismus, collatus á fœmina, signando frontem pueri, cum digito aqua madefacto. Nec obstat: quód quælibet minima particula panis, validé consecratur; hoc enim est, quia in illa servatur panis essentia, sed in gutula aquæ, non servatur essentia lotionis, vnde non est eadem ratio.

Sed est notandum: quód quoties datur opinio probabilis de veritate aquæ, deficiente aqua vera in casu necessitatis, potest quis imo sub mortali tenetur illa materia probabili vti, & etiam dubia, sub conditione expressa vel in terna, si apta materia est, quia tenetur in casu necessitatis vrgentis, proximo adhibere remedium, non solum certum, sed etiam probabile vel dubium; sed extra casum necessitatis, nequit tali materia vti, quia cessante necessitate, magna irreverentia fieret Sacramento; si autem quis in casu necessitatis, vtatur materia probabili vel dubia, si postea fieri potest, reiteretur Baptismus sub conditione, cum materia certa.

Quarta difficultas; de forma Baptismi, circa quod varij sunt hæreticorum errores, & illis omissis; hoc est certum de fide, quod hæc est forma Baptismi: ego te baptizo, in nomine Patris, &c. de hoc non datur alia ratio, nisi voluntas Dei, & Christi instituentis, vt constat ex cap. 28. Mat. baptizantes eos, in nomine Patris, &c. & huius congruentiam assignat D. Thom. loc. cit. art. 5. nam Baptismus, consecratur per suam formam, & ideo debet significari causa principalis consecrationis, quæ est Sancta Trinitas, & causa instrumentalis, quæ est Minister, quæ habentur in verbis prædictis.

Dices: hinc sequi, in formis omnium Sacramentorum, exprimendas esse illas causas sanctitatis, quia omnia Sacramenta sanctificantur. Resp. quód non in omnibus Sacramentis, est eadem ratio institutionis; & pro Baptismo assignat D. Thom. specialem rationem, in 4. dist. 3. q. 1. nam forma completiva rei, est media inter materiam quam perficit, & causam efficientem á qua producitur, & cum medium sapiat naturam extremorum, ideo forma Baptismi, exprimit efficiens principale á quo habet efficaciam, & materiam, quæ est actus ablutionis.

Sed quia potest semper instari, á paritate aliorum Sacramentorum, sunt etiam aliæ congruentiæ rationes. Prima, quia cum Baptismus sit ianua Sacramentorum, debet eius forma, explicare principium, á quo habet efficaciam. Secunda, vt in initio ingressus Ecclesiæ, cognoscat homo se recipere aliquid divinum; & tandem, nam vt ait D. Fulgentius, cap. 9. de fide ad Donatum: Salvator docuit baptizare, in nomine Patris, & Filij, &c. vt sicut Trinitatis opere, initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, divinæ adoptionis gratia, frui mereremur; sic enim, in nomine Trinitatis regenerantur, qui in nomine eiusdem fuerunt creati.

Plura circa formam Baptismi, discutiuntur ab auctoribus; primo circa expressionem Ministri, per pronomen ego, quæ recté fit, vt designetur ipsa actio abluendi; nec ideo ipsi tribuitur sanctificatio, quia operatur vt instrumentum Dei, cui actio tribuitur; sed non requiritur explicité explicari, quia hæc particula, ego, in antecedentibus intelligi potest, nam iuxta Grammaticos, in verbis primæ & secundæ personæ, intelligitur nominativus certus, & sic idem est, baptizo, ac ego te baptizo; vnde sufficit quod ly, ego, implicité explicetur in prima persona baptizo, sic enim, iam significatur actus abluendi.

Sed an sufficiat dicere, baptizet te Christus? aliqui negant; sed oppositum est verius. Tùm, quia factum refertur in confirmatione Constantini, in qua S. Silvester dixit, signat te Deus, &c. & in forma comuni extremæ vnctionis dicitur: Indulgeat tibi Deus, si enim expressio Ministri, sufficit ad Baptismum, cur non sufficiet expressio principalis agentis? Cui consonant verba Ioan. 1. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Nec obstat: quód per illa verba, nec Christus nec Deus, baptizant in nomine Patris & Filij, quia sunt idem cum illis. Resp. enim, quód sicut Princeps elemosynam conferens medio servo, etiam ipse confert, sic in eo casu Deus & Christus, medio Ministro baptizant.

Dubitatur autem: an actus baptizandi, debeat exprimi in forma? Resp. affirmativé, & sic habetur in Concil. Florent. Sess. vlt. cuius ratio non est

alia,

alia, nisi institutio Christi, in qua ponitur vsus, & applicatio Sacramenti. Nec est eadem ratio de Eucharistia, in qua non debet dici, ego consecro, nam Sacramentum Eucharistiæ, non consistit in vsu, sed in consecratione, cuius contrarium in Baptismo contingit. Nec obstat: quód docens alium, non debet dicere ego docco, & sic nec debet dicere exercité, baptizo. Resp. enim, quód ablutio, est indifferens ad plura, & sic debet determinari, exprimendo á quo, & propter quid fiat, quod non sit dicendo, in nomine, &c. quia omnia in Dei nomine facere debemus, & ideo debet exprimi actus ipse baptizandi.

Dubitabis autem: an etiam persona baptizata exprimi debeat? Resp. illam explicari debere, vel formalitér, vel equivalentér; constat ex institutione Christi dicentis: baptizantes eos, & ratio summitur ex natura Sacramenti, quod consistit in vsu & applicatione materiæ ad subiectum; vnde si hoc non exprimitur, non satis explicatur actus, sicut idem patet in pœnitentia, vbi dicitur: absolvo te, & in confirmatione: consigno te. Si dicas: quód baptizandus, multoties verba non intelligit. Resp. quód verba non proferuntur, sola causa significandi, sed causa efficiendi, & ideo parum interest, quod non intelligantur á suscipiente, sicut etiam dicitur ad insensibilia: exorzizo te creatura salis.

Alia est dubitatio. Aliqui dicunt de particula, in necessariam esse, quia secundum proprietatem latini sermonis habet quandam vim, & energiam invocandi Deum; vnde aiunt, quod qui illam ommiteret, gravitér peccaret, & Baptismū periculo nullitatis exponeret, licét æquivalentér, idem sit sub nomine, ac in nomine. Rationem afferunt, ex D. T. in 4. dist. 3. q. 1. nam notitiam habemus de Deo & Trinitate per fidem, & ideo dicitur in nomine, quasi fidem proestando. Sed re vera, omisio talis particulæ *in*, sine scandalo nec contemptu, esset solum veniale peccatatum, nec id variaret sensum formæ; si autem quis diceret, in nominibus, non faceret Sacramentum, quia vnitatem essentiæ non profiteretur; benè veró si diceret: in nomine Patris, & in nomine Filij, &c. quia tunc, idem commune nomen repetit.

Sed an sufficiant nomina æquivalentia personis, scilicét in nomine genitoris, & geniti, & amoris? Hoc tangitur á D. Thom. loc. cit. ad 7. ad quod respondet negative dicendo: Nec in alijs nominibus, perficitur Sacramentum; & rationem reddit 4. ad Anibald. dist. 3. q. vnic. vbi ait: quód genitor, cum sit nomen verbale, non significat personam vt subsistentem, sed magis per modum actus, & Christus instituit Baptismum, illis vocibus quæ significant personas; si autem ordo personarum invertitur, vt si dicitur: in nomine Spiritus Sancti, Patris & Filij, validus est Baptismus, quia sensus substantialis, non variatur per hoc. Quid autem dicendum, de Baptismo in nomine Trinitatis collato? Resp. quód esset invalidus, quia per nomen Trinitatis, exprimitur personarum numerus, non autem ipsæ personæ; sic D. Thom. in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.

Maior difficultas est: an sit validus Baptismus collatus in nomine Christi? Ratio dubitandi est: quia Act. 8. dicitur: quód baptizabantur viri & mulieres, in nomine Christi. Rem tangit D. T. loc. cit. art. 6. & negativé respondet; & rationem assignat, quia forma Baptismi, pendet ab institutione Dei, & ideo si omittitur aliquid de institutione, caret efficatia; sed Deus & Christus, instituerunt Baptismum, sub verbis exprimentibus Trinitatem: ergo nequit fieri nomine Christi.

Neque obstat: quód in nomine vnius personæ, intelligitur alia, iuxta dictum Christi: qui videt me, videt & Patrem meum. Non inquam obstat: quia sicut ad Sacramentum, requiritur sensibilis materia, etiam requiritur sensibilis forma: ergo non sufficit intellectus vel fides Trinitatis, nisi exprimatur verbis; vnde in Baptismo Christi, per quæm noster sanctificatus est, affuit Trinitas in sensibilibus signis, Pater in voce, Filius in humana natura, & Spiritus Sanctus in columba.

Ad rationem contrariam. Resp. quód tunc collatus fuit Baptismus nomine Christi, ex speciali revelatione Dei, vt sic nomen Christi, quod erat Iudæis odiosum, honorabile redderetur. Nec inde infertur, formam tunc fuisse variatam, sed ad summum materialitér, formalitér autem eadem est, sicut qui ex privilegio ieiunant in Quadragesima edendo lacticinia, formam ieiunij servant, & sic etiam Apostoli, baptizantes in nomine Christi ex dispensatione, servabant formam Baptismi; & iuxta hoc exponendum est, dictum Nicolai Papæ, dicentis: quód baptizatus in nomine Christi, non debet rebaptizari; dicitur enim, quod loquitur ex suppositione, quod ex Dei privilegio, sic Baptismus conficeretur.

Tandem dubitatur: an in casu necessitatis, valeat Baptismus sine verbis? Casus est, si mutus abluat, & mancus verba formæ proferat? Resp. negativé, quia debet fieri invocatio Trinitatis per verba, vnde ait August. detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Nec est idem de Matrimonio, quod potest fieri sine verbis, vt cum mutus contrahit, vel puella præ verecundia tacet; nam in hoc Sacramento, non datur Trinitatis invocatio nec ablutio, & ideo ad contractum, sufficit tacere, nam qui tacet consentit; cuius contrarium in Baptismo contingit; vnde sicut hic nō fit sine aqua materiali, ita nec fit sine formalibus verbis. Sic D. T. 3. p. q. 67. art 6. ad 3.

Quinta difficultas; an Baptismus possit iterari? Resp. negativé cum D. Thom. 3. p. q. 66. art. 9. cui consonat Trident. Sess. 5. Can. 9. quæ veritas

de

de fide est, de quo D. Thom. optimas rationes assignat. Prima est: quia Baptismus est spiritualis regeneratio in nobis autem, non est nisi vna generatio; vnde August. tract. 11. in Ioan. ait: Intellige nativitatam spiritus, sicut Nicodemus intellexit nativitatem carnis; quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec Baptismus. Secunda ratio est: quia per Baptismum comorimur Christo, & resurgimus in novitatem vitæ, Christus autem semel mortuus est.

Sed dices: etiam pœnitentia, habet virtutem á Passione Christi, & illa iteratur. Resp. quód specialitas Baptismi, non consistit in efficacia, sumpta ex morte & Passione Christi; hoc enim omni Sacramento commune est, sed consistit in repræsentatione; Baptismus enim, consepelit cum Christo, hominem baptizatum, iuxta dictum Pauli: consepulti estis cum Christo, quod tamen pœnitentia non habet. Dices: etiam Eucharistia, est repræsentatio mortis Christi, nam in illa, vt ait D. Thom. recolitur memoria Passionis, & illa reiteratur. Resp. quód Eucharistia repræsentat Christum mortuum, per modum alimenti, Baptismus autem illum repræsentat, in quantum homo commoritur Christo, & quia homo semel nascitur, & multoties cibatur, ideo Eucharistia reiteratur, & non Baptismus. Sic D. Thom. loc. cit. ad 5.

Tertia ratio D. Thom. est: quia Baptismus imprimit characterem, qui indelebilis est, & datur cum quadã consecratione, quæ non iteratur, sicut nec repetuntur characteres militares. Nec obstat: quód in prima institutione Baptismi, non poterat iterari, & nõ est notũ quod tunc imprimeret characterẽ. R. enim: quód licet character, forte non fuerit cognitus in Ecclesiæ initio, quo ad nomẽ, bené veró, quo ad rem significatam, pro vt dicit consecrationem personæ, ad aliquod exequendum munus, & talis consecratio, non erat iterabilis, quám consecrationem, postea Ecclesia vocavit characterem.

Vltima ratio D. Thom. est: quia Baptismus, est remedium originalis culpæ, vnde sicut peccatum originale iterari non potest, nec Baptismus potest iterari; cui consonat dictum Paul. ad Rom. 5. sicut per vnius delictum, in omnes homines, in condemnationem, sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem. His rationibus iungitur alia á D. Thom. in 4. sent. adducta: quia per Baptismum remittitur culpa, & pœna totalitér, vnde si ille posset iterari, hæc facilitas veniæ, esset incentivum delinquendi, quod absurdum est.

Nec obstat: quód idem inconveniens sequitur in pœnitentia, quæ culpam remittit, & tamen iteratur, quin hoc præstet facilitatem peccandi. Resp. enim: quód in pœnitentia non remittitur pœna, nisi iuxta proportionem doloris: præterquam, quod non est ad sensum gravamen parvi momenti, aperire alteri occulta cordis secreta, quorum neutrum in Baptismo reperitur; vndé ex reiteratione pœnitentiæ, non sequitur inconveniens, quod sequeretur ex Baptismi reiteratione.

An autem Baptismus iterari possit, cum de eius valore dubitatur? Dicitur: quód si dubium est rationabile, potest reiterari sub conditione; est autem rationabile dubium, cum ex coniecturis vel motivis, animus non est moralitér certus; dubium autem, vel potest esse iuris, cum materia, vel forma non est certa, vel facti quando ignoratur, an alicui fuerit applicatum in particulari; & vt auferatur dubium, sufficit quod aliquis fidedignus id affirmet, & idem est de pueris expositis, afferentibus scedulam Baptismi; & si quis cum hac certitudine morali, Baptismum iteraret, peccaret mortalitér iniuriam faciens Sacramento, illud debitæ materiæ non applicando, sicut peccaret consecrans hostiam, de qua moralitér constaret, esse consecratam.

Sed valdé notandum est: quód pueri, de quibus moralitér constat, esse á laicis, vel obstetricibus baptizatos, non debent rebaptizari; sic ait D. T. 3. p. q. 67. art. 3. ad 1. & contrarium vocatur á M. Soto, immane sacrilegium; vnde Sacerdos debet facere diligentem inquisitionem, cum puer ad Ecclesiam affertur, an sit baptizatus vel non, & si constet de Baptismo collato, ablutionem solemnitér non conferat, vt enim ait Prado, hoc fit sepius ex ignorantia, cum magna Sacramenti iniuria, & de sic operantibus ait: quód sine sacrilegio facere non possunt, & maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores, irregularitatem vocãt.

Aliqui probabilitér hoc limitant dicendo: quód in locis, vbi experientia constat, obstetrices á Dœmone seduci, & eius nomine baptizare, potest reiterari Baptismus; hoc absolutè reprobari non potest; sed casus apud nos rarissimus est, vbi fides, & ritus catholicus viget, aliud esset in regionibus infectis hæresi, vbi daretur periculum; nam hæretici, licet apponant legitimam formam, & materiam, quia tamen ipsi mali sunt, & Baptismum non reputant ad salutem necessarium, parum curant de modo illum conferendi; quare refertur, quod hæretici in Anglia, filios nobilium baptizare solent, cum aqua rosacea, vel solum aspergendo vestes, ne aqua corpori aspersa, illos molestet, vel etiam prædicando ex sede formam Baptismi, magnificentiæ causa, alium iubent facere lavacrum; de quibus si constet, Baptismus est absolutè repetendus, cum fuerit invalidus; in regione autem nostra, si constet moralitér de collatione Baptismi, nullatenús reiteretur, sed sufficit si dicantur consuetæ ab Ecclesia deprecationes; sic D. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. ad 3.

Sexta difficultas; vtrum ritus, quo Baptismus confertur, sit conveniens? Circa quod Vviclef, sacras Ecclesiæ ceremonias irridet, & illas blasphemo ausu contemptibiles vocat; certum autem est,

ceremonias sacras, fidem & religionem servare, sicut cortex arborem, vagina gladium, & folia fructus, & ita decernitur á Trident. Sess. 6. de Sacram. Can. 13. Rationes autem ceremoniarum Baptismi, traddit D. Thom. Tum, quia per illas, excitatur devotio fidelium ad res Sacras. Tum, quia si ablutio simplex fieret, illam communem ablutionem reputarent. Tum, quia fideles non eruditi, per ceremonias, quasi per picturas instruuntur. Tum, quia per istas, vis dœmonis reprimitur, ne impediat Sacramentorum effectum.

Dico igitur: quód ritus & ceremoniæ Baptismi, rectè assignantur ab Ecclesia; quod non aliter probatur, nisi ceremonias explicando. Prima ceremonia est tempus & hoc pro solemni Baptismo, est Vigilia Paschæ, cum fit memoria Dominicæ Resurrectionis, cui conformamur per Baptismum, vt dicitur ad Rom. 6. insuper Vigilia Pentecostes, cum incipit celebrari adventus Spiritus Sancti, qui sociatur Baptismum, vt ait Ioan. nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto. Hoc tamen tempus, modo non servatur, nec in parvulis nec adultis; licet conveniens esset, in Insulis, vbi denuo plantatur fides, ita fieri quantum posset, sicut ob antiquitatis reverentiam, modo fit apud Romanam Curiam.

Secunda ceremonia est locus; & quidem iure divino, nullus destinatur specialis locus, & ideo olim, in fontibus & domibus privatis, ministrabatur Baptismus; sed modo ex vsu Ecclesiæ, sunt certa loca, extra quæ non est licitum solemnitér baptizare, & illa vocantur Baptisteria, quæ sunt in introitu Templi, de quibus dixit S. Cirillus: primum ingressi estis, in porticum domus Baptisterij Ab hoc loco, excipiuntur casus necessitatis, & etiã filij Regum, & Principum qui liberi sunt, vt ad Ecclesiam deferantur; sed tamen cum isti in domibus, vel oratorijs baptizantur, tunc etiam fiant omnes Ecclesiæ ceremoniæ, quia in his cum nemine dispensatur. Sed quid intelligatur nomine Principum? Aliqui volunt, quod intelliguntur Hispaniæ Magnates, Potentatus, Duces & Marchiones. Sed oppositum est verum; nam in rituali Pauli V. solum de Regibus, & Magnis Principibus fit mentio, nec privilegium adeo speciale, debet ad cæteros extendi; sic sentit Prado cum Suarez, Glossa, & alijs.

Tertia ceremonia est vnctio, & hæc est duplex; vna ante Baptismum, & illa fit oleo sancto, quod vocatur cathecumenorum, quo vngimur inter pectus & scapulas, vt significetur in pectore, dilectio Spiritus Sancti, & in scapulis obedientia ad fidem, & fortitudo in laboribus; secunda vnctio, fit crismate in vertice capitis, vt purgentur sensus, & de fide ratio reddatur; in confirmatione autem, fit vnctio in fronte, ad manifestandam constantiam, ad externam confessionem fidei, vt dicetur infrá. Quarta ceremonia est, vestis candida, in signum Resurrectionis glorioſæ, & novitatis vitæ, & tandem alia ceremonia est, cereus accensus indicans veritatem doctrinæ fidei. Aliæ sunt ceremoniæ minutiores, sed mysteria varia continentes, nempé respiratio Sacerdotis, ad expulsionem dœmonis, sal in ore, significans sapientiam præservantem á culpa, & saliva in nasu & auribus, designans doctrinam fidei, de quibus eleganter disserit Ang. D. 3. p. q. 66. art. 10. & q. 71. art. 3. & ideo in earum prolixa explicatione non immoramur.

Septima difficultas: an pueri Iudæorum, debeant baptizari invitis parentibus? Dubium est, de non habentibus vsum rationis, quorum parentes, subditi sunt Christianis Principibus, si illi sunt infideles; nam hæretici, subiecti Ecclesiæ ratione Baptismi, possunt cogi, vt filios baptizent. Resp. de infidelibus negativé, cum D. Thom. 3 p. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12. & id duplici ér probat 1. quia Ecclesiæ consuetudo, maximam habet authoritatem; illa autem nunquam consuevit baptizare pueros infidelium, invitis parentibus, licet plures fuerint Principes, vt Constantinus & Theodosius, & sic apud Romam Pontifex, nullum infidelium puerum baptizari præcipit: ergo, &c.

Secunda ratio est: quia pueros ita baptizare, repugnat iustitiæ naturali; filius enim est aliquid Patris, dum est intra matris vterum, & extra illum continetur sub cura patrum, tanquam in ventre spirituali, quandiu non habet vsum rationis: ergo contra iusticiam est filios baptizare, patribus renuentibus. Et vrgetur: nam potestas civilis & politica, non privat infideles, dominio reali super suas res, vt sunt domi aut agri ergo nec aufert potestatem super filios, cum hi magis sint patri coniuncti, quám temporales opes.

His accedit: quód Baptismus ille, cederet in detrimentum fidei; si enim pueri vsu rationis carentes susciperent Baptismum, dum pervenirent ad perfectam ætatem, possent á parentibus facile suaderi, vt relinquerent fidem, quám susceperunt ignoranter, quod absurdum est. Præterea: nam iura sæpé statuunt, infideles non posse cogi ad suscipiendam fidem, & eadem ratio currit de eo etone illorum, vt filij vsu rationis carentes, suscipiant Baptismum.

Hæc autem communis & vera doctrina, in aliquibus casibus, patitur exceptionem. Primus est: si filij auferuntur ab infidelibus, vel emuntur á Christianis, tunc enim baptizari possunt, quia parentes, solum retinent ius radicale suprá illos, & non actualem vsum, & cum sint extra eorum curam & conversationem, non possunt facile seduci. Secundus est: si puero certo immineat mors, quia illi maximum confertur spirituale beneficium, nec est periculum seductionis á patre. Tertius, cum pater pueri, est servus & captivus, quia tunc, nec

ipse

ipse nec filius, est sui iuris, sed Dominus. Quartus, si vnus parentum consentiat, quia iusta voluntas vnius, est præferenda resistentiæ alterius, in favorem fidei, & prolis.

Sed arguitur: Præceptum superioris debet servari, etiam repugnante inferiori Domino, sed baptizare pueros est præceptum Dei, & Patres dissentire, est voluntas inferior: ergo præceptum Dei servari debet. Resp. quód mai. est vera, quando superius dominium obligat absolutè, non verò si obliget, salvis iuribus inferioris, & hoc secundo modo, obligat præceptum Baptismi, salvo iure parentum; modo quo lex tributorum, non obligat exemptos, nisi expressa privilegia illorum derogando, voluit autem Deus, servari in baptizandis pueris, ius naturale patris, & ideo huic nequit inferri violentia.

Dices: si aliquid præcipit consul, & aliud Rex, est obediendum Regi superiori, vt ait August. lib. 2. de natura boni: ergo pariter in nostro casu. Resp. eodem modo, quod hoc est verum, si præceptum Regis est absolutum, non autem si tale sit, vt velit ius inferioris servare. Si dicas: vndé infertur, Deum sic præcepisse Baptismum, servato iure naturali parentum? Resp. hoc deduci ex perfectione fidei nostræ, cui nulla vis potest inferri, & etiam quia Christus suasit fidem, quæ operatur per dilectionem, cui opponitur metus & coactio; cogeretur autem fides pueri, si baptizaretur invitis patribus, quia ille quandiu non habet vsum rationis, non differt á bruto, vt ait D. Thom. & ordinatur ad Deum per rationem parentum, & sic nequit baptizari invitis patribus.

Instabis 1. maius est vinculum matrimonij, quám patriæ potestatis, & illud propter infidelitatem aufertur, & consequentér, etiam vinculum patriæ potestatis. Secundó potestas defendendi inocentes, convenit Principi, puer autem innocens est, & ex privatione Baptismi, maximum damnum patitur. Tertió Princeps potest privare subditum, dominio quod habet, quando illo abutitur; pater autem abutitur dominio filij, repugnando vt Baptismum recipiat, quia opponitur honori Dei, & filiorum saluti: ergo, &c.

Resp. ad 1. quód non est eadem ratio de Matrimonio, quia quilibet coniugum est sui iuris, & sic potest separari ob infidelitatem alterius; puer autem carens vsu rationis, nec habet ius, nec libertatem propriam, sed solum quando est adultus, & de hoc currit argumentum, sed non de illo. Ad 2. quód Principi convenit potestas defendendi innocentes, contra damnum in rebus iure naturæ debitis, sicut posset defendere puerum, quæm pater vellet occidere, non autem contra damnum, in rebus supernaturalibus illi inductum.

Nec obstat: quód damnum hoc maius est. Resp. enim quod licet sit maius, ipsius tamen reparatio supponit naturale ius parentum in filios, cuius Princeps non est Dominus. Ad 3. dist. mai. quando dominium inferius, abutitur iure naturæ conc. quando abutitur iure supernaturali, vt est lex Baptismi, nego; potestas enim civilis, est puré naturalis, & ideo non potest ad legem supernaturalem extendi, quia illa pendet á potestate superiori Dei, qui salvis naturæ iuribus, voluit obligare ad receptionem Baptismi. Sed est notandum: quód si Baptismus puero conferretur invitis parentibus, esset validus, appositâ debita forma, materia & intentione.

Octava difficultas; an Baptismus fictè susceptus, producat suum effectum, recedente fictione? Nota, quod aliquis dicitur fictus, quando eius voluntas contradicit Baptismo, vel eius effectui, quod iuxta D. Thom. fit quatuor modis, vel cum quis accedit non credens, cum Baptismus sit Sacramentum fidei, vel quia contemnit Sacramentum, vel quia illud non celebrat cum ritu Ecclesiæ, vel quia illud suscipit indevotè, sed tamen fictio summitur in præsenti, pro affectu peccati mortalis, vel sine dispositione sufficienti ad gratiam invincibiliter ignorata, tunc enim datur Sacramentum cum charactere, informe tamen & absque gratiæ infusione, alijs enim tribus modis, Sacramentum non datur, quia extat dispositio contraria substantiæ Baptismi.

Dico igitur: quód Baptismus recedente fictione, confert suum effectum; sic expressé D. Aug. lib. 1. de Baptis. cap. 12. vbi ait: Qui fictus accesserat, fit vt non denuo baptizetur, sed tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio, veraci confessione recesserit. Idemque habet ex ipso D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. Sequenti ratione ductus: quando aliquid producitur, simul cum forma recipit eius effectum, nisi detur impedimentum, quo ablato effectus producitur, sicut corpus grave, movetur impedimento ablato: ergo idem est dicendum de Baptismo, cuius effectus impeditur per fictionem, & hac ablata producitur.

Explicatur hoc: mortuo patre, producitur filius, quia pater virtualitér remansit in virtute seminis; sed etiam Baptismus fictè receptus, manet in virtute characteris: ergo, &c. Sed tamen character, non est in rigore forma, quia nec anima est, nec gratia dimanat ab illo, sed est accomodatio quædam, vt auferatur impedimentum & gratia resultet. Vrgetur: cuilibet culpæ in via potest dari remedium; sed remedium peccati originalis, est Baptismus: ergo cum fictè acceptus illud non remittat, fictione recedente, deberet Baptismus iterari, quod absurdum est.

Nec valet si dicas: quód hoc modo, pœnitentia tolleret peccatum originale, quia illa aufert fictionem, ad quod sequitur gratia Baptismi. Resp. enim, quod peccatum originale, aufertur per se á Baptismo,

mo, sed per accidens & concomitanter aufertur per pœnitentiam, quatenús per istam confertur gratia, quæ tollendo fictionem, ex consequenti aufert peccatum originale; quód habetur apud D. Thom. loc. cit. ad 2. vbi ait: quód ad effectum Baptismi consequendum, concurrit Baptismus, vt causa per se agens, & pœnitentia vt causa per accidens, id est, vt removens prohibens.

Si dicas: quód semel remissum, non remanet aliter remitendum, & sic originale remissum per accidens á pœnitentia, non potest alio modo á Baptismo remitti. Resp. quód peccatum, nunquam remittitur per accidens, nisi in ordine ad Sacramentum, per quod remittitur per se, hoc enim exigit suavis providentia Dei, cum autem originale peccatum, solum respiciat Baptismum, vt causam remissivam per se, solum cum ordine ad Baptismum remittitur á pœnitentia. Nec obstat: quód pœnitentia sit prior Baptismo, & sic Baptismus supponit peccatum remissum. Resp. enim, quod est prior in genere causæ materialis dispositivæ subiecti, Baptismus veró, est prior in genere causæ formalis, & finalis.

Sed dices: quando aufertur fictio, datur gratia correspondens pœnitentiæ, vel novus etiam gradus, respondens Baptismo præterito? Resp. dari gradum distinctum gratiæ, respondentem vtrique Sacramento; nam tunc dantur duæ causæ gratiæ, nempé Baptismus, & Pœnitentia, nec causalitas vnius impedit aliam, & subiectum est capax vtriusque. Nec sequitur hinc, hominem reportare commodum ex fictione; non inquam sequitur, quia ex tempore Baptismi, vsque ad pœnitentiam, est filius diaboli, & opera eius sunt mortua, quod non esset si fictio non fuisset; & hinc magis comendatur pœnitentia & largitas Dei, qui contulit vim Baptismo, vt ablato obice, operetur ita, ac si tunc conferretur.

Si inquiras: an ablata fictione, Baptismus etiam remittat venialia sibi præcedentia? Resp. affirmativé: nam licet non sit ita certum redire effectum Baptismi, quo ad remissionem venialium, quia non est per se medium ad hoc, sed tamen supposito, quod ablato obice possit operari quin existat, non est ratio, cur limitetur ad vnum effectum, & non ad alium; præcipué cum gratia illa sit regenerativa, & auferat omne impedimentum perfectæ & novæ vitæ, & consequenter gratia per ipsum collata fictione recedente, aufert etiam maculam peccati venialis.

An autem omnibus Sacramentis conveniat, quod ablato obicé, suum effectum conferant? Resp. hoc esse probabile de omnibus, Eucharistia excepta; congruum enim est, quod Sacramenta, quæ sunt opera Dei, maneant in eius acceptatione, vt effectum conferant ablato impedimento, quod præcipué est verum, de Sacramentis imprimentibus characterem, in quo virtualiter manent, & cum non possint iterari, inconveniens est, quod homo per totam vitam, privetur fructu eorum. De Eucharistia patet oppositum, quia ob sui excellentiam petit maximam, cautelam in recipiente; & vlteriús quia sic Sacerdos per totam vitam in mortali celebrans, & in morte contritus, reciperet ingentem gratiam, & fieret repente sanctissimus, quod absurdum est, de quo suprá tetigimus aliquid, agendo de causalitate gratiæ in Sacramentis.

Quænam autem peccata remittantur per Baptismum, ablata fictione? Res est á Tneologis laté discusa, & forte infrá attingenda. Nunc breviter dicitur: quód peccata commissa, ante vel simul cum Baptismo fictè susceptо, non remittuntur per pœnitentiam, sed per Baptismum ablata fictione. Primum patet: quia peccata ante Baptismum commissa, non dum cadunt sub iurisdictione Ecclesiæ, & sic ad pœnitentiam non pertinent. Secundúm constat expresé ex D. T. art. 10. ad 2. vbi ait: quód fictio tollitur per Baptismum, & de illa est eadem ratio, nam si illa non præsuponit Baptismum, non cadit sub Ecclesiæ potestate. Tertiúm patet ex D. T. ibi ad 3. vbi ait: quód peccata sequentia Baptismum, fictè susceptum, per pœnitentiam remittuntur; & ratio est, quia illa, iam sunt potestati, & clavibus Ecclesiæ subiecta.

Si opponas: quód Baptismus, in eo casu, iam supponit gratiam, auferentem fictionem, & sic ille fictionem non tollit. Resp. quód supponit gratiam inadæquaté, & vt est effectus Sacramenti pœnitentiæ, non autem adæquaté, & vt est effectus ipsius Baptismi; cum enim gratia illa fictionem auferens, sit effectus Baptismi, vt regenerativa, & pœnitentiæ vt remissiva, solum supponitur vt proveniens á pœnitentia vt remissiva fictionis, non autem vt remissiva peccatorum, quæ committuntur ante ipsum Baptismum, hoc enim Baptismi peculiare est, nec ad id pœnitentia se extendit.

Nona difficultas: Quomodo Baptismus sanguinis, vel martyrium, suppleat vicem Baptismi aquæ? Diximus suprá, triplicem esse Baptismum, nempé fluminis seu aquæ, flaminis seu desiderij, & sanguinis, sive martyrij. De primo patet ex verbis Ioan. nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. de secundo, Act. 1. baptizabimini Spiritu Sancto; de tertio Luc. 12. Baptismo habeo baptizari. Nec ista multiplicitas, tollit vnitatem fidei & Baptismi; nam vt ait D. Thom. hic art. 11. alia duo baptismata, includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet ex Passione Christi, & ex Spiritu Sancto, & ideo non tollitur vnitas Baptismatis. Nec obstat: quód alia Sacramenta, non habent aliquid, quod suppleat vicem eorum. Resp. enim, quod illa non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus, & ideo non supplentur per aliud, sicut Baptismus per interiorem pœnitentiam, vel per martyrium suppletur.

Inter

Inter hæc autem Baptismata, plures differentiæ dantur. Prima, quod solus Baptismus aquæ, dicitur simplicitér talis, alia veró analogicé, & secundum quid, & sic, vt pœnitentia interior, vel martyrium gratiam causent, debent includere saltim implicité & virtualitér, votum Baptismi aquæ. Secunda, quod Baptismus aquæ, est Sacramentum, non autem alia. Tertia, quod Baptismus aquæ, iterari non potest, bené veró contritio, & etiam Martyrium, si forte Martyr rediret ad vitam. Quarta, quod Baptismus flaminis, non remittit totam pœnam, sed iuxta perfectionē contritionis, bené veró Baptismus, aquæ & martyrium. Quinta, quod contritio, est tantum pro adultis, Baptismus autem aquæ & martyrium, etiam pro parvulis sunt. Vltima: quód Baptismus fluminis, est in præcepto, vt medium necessarium ad salutem, Baptismus autem sanguinis, solum in præcepto est, in casu necessitatis ad defendendam fidem.

Respondetur igitur principali quæsito. Quód martyrium sive Baptismus sanguinis, iustificat parvulos, & etiam adultos, ex opere operato. Prob. de parvulis ex D. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. quæstiunc. 3. vbi ait: sicut in Baptismo aquæ, liberatur homo, ab omni culpa præcedente & pœna, ita in Baptismo sanguinis; & solut. ad 1. ait: quód Baptismus sanguinis, non habet hoc tantum ex opere operantis, sed ex intentione Passionis Christi. Hoc etiam suadetur in martyribus innocentibus, ab Herode occisis pro Christo, quos Ecclesia vt Sanctos colit. Vndé asserit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. quód martyrij gloriam, quám in alijs propria voluntas meretur, illi parvuli occisi, per Dei gratiam sunt assecuti, nam effusio sanguinis propter Christum, vicem gerit Baptismatis; & alios plures refert Prado, parvulos occisos pro Christo, q. 66. dub. 12. §. 6. num. 63.

Verum quidem est, quód in infantibus his, non est tám perfecta, & completa aureola martyrij, sicut in adultis, sic D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 12. vbi ait ex D. Bernardo: quód tria sunt genera martyrum, nempé voluntate non nece, vt Ioannes, voluntate & nece, vt Stephanus, nece & non voluntate vt innocentes; & secundum hoc, inquit, sicut non pertingunt perfectam rationem martyrij, sed aliquid martyrij habent, quia passi sunt pro Christo, ita aureolam non habent secundum perfectam rationem, sed in quantum gaudent, se in obsequium Christi occisos esse; sicut enim voluntas Adami obfuit illis, vt nascendo contraherent culpam, ita voluntas & meritum Christi, eis profuit vt renascendo assequerentur iustitiam.

Sed an pueri in maternis vteris mortui pro Christo, sint veré Martyres? Resp. affirmativé; & ratio est: nam infantes illi, possunt in vtero materno occidi pro Christo in odium fidei, quod sufficit ad rationem martyrij. Nec obstat: quód puer in ventre materno inclusus, non est quid distinctum á matre; nam re vera, quid distinctum est, quia distinctam animam habet, sive mater interficiatur simul cum illo, sive non. Nec iterum obstat: quód Trident. ait, nempé quod iustificatio nequit fieri, sine lavacro regenerationis, aut eius voto; nam Concilium loquitur de adultis; vel si forte loquitur de parvulis, sermo est de illa iustificatione, quæ fit per media ordinaria, & sic non excluditur martyrium, quod medium extraordinarium est, in parvulis, in quibus non est Baptismus aquæ, nec votum illius.

Prob. etiam resolutio de adultis, ex D. August. lib. 13. de Civ. Dei, cap. 8. vbi ait: quicumque non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis; & idem ait D. Thom. hic art. 12. in corp. & in loco relato ex sententiarijs. Deinde: quia martyrium pro Christo passum iustificat parvulos: ergo etiam adultos. Prob. conseq. Túm, quia de vtrisque est eadem ratio, dum tamen adulti, non habeant affectum ad peccatum, sed sint attriti de peccatis commissis. Túm, quia omnibus patientibus pro Christo, promittitur vita æterna, vt constat Mat. 10. qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Demum prob. quia martyrium, remittit adultis totam pœnam, ex opere operato: ergo etiam culpam, quia vtriusque est eadem ratio. Prob. anteced. quia si non remitteret totam pœnam, nisi ex opere operātis, illam non remitteret infalibilitér; non enim est infalibile, martyrem habere actum dilectionis, & contritionis, nec tám intensum, vt requiritur ad remissionem totius pœnæ, cū in non martyribus, possit intensior reperiri; sed tota pœna remittitur infalibilitér per martyrium, vt fatetur fides & Ecclesia; quare dixit August. iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: ergo, &c. Vndé ait D. Thom. 4. ad Anibald. dist. 4. q. vnic. art. 4. ad 3. Baptismus sanguinis, non habet supplere effectum Baptismi fluminis, ex opere operante, sed ex imitatione Passionis Christi.

Sed arguitur, illa verba Christi: nisi quis renatus fuerit, &c. sunt lex generalis pro omnibus: ergo cum in Scriptura, nullam exceptionem habeat, sine fundamento dicitur, martyrium absque Baptismo iustificare. Resp. quód talis lex, habet in Scriptura exceptionem, vt patet ex verbis adductis: quī me confessus fuerit, &c. quæ confessio, non solum fit verbo, sed etiam facto, & sic dicitur de innocentibus, quod fidem, non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Dices: martyrium, est actus virtutis fortitudinis; sed hæc non datur in parvulis, carentibus vsu rationis: ergo martyrium illos non iustificat. Resp. ex hoc solum sequi, quod martyrium

ium non datur in parvulis, vt procedit á virtute fortitudinis, datur tamen, vt est realis imitatio Passionis Christi. Vndé ait D. Thom. loco cit. 2. 2. sicut in pueris baptizatis, per gratiam Baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita in occisis propter Christum, meritum martyrij Christi, operatur ad palmam martyrij consequendam.

Nec sequitur ex hoc, martyrium esse Sacramentum; nam licet causet gratiam, vt signum sensibile practicum, non tamen hoc habet ex divina institutione; vndé ait D. Thom. hic art. 11. ad 2. quód Baptismus flaminis & sanguinis, conveniunt cum Baptismo aquæ, non quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum Baptismatis, & ideo non sunt Sacramenta. Præterquamquod martyrium, non physicé sicut Sacramenta, sed solum moralitér gratiam causat, ex virtute Passionis Christi, quám realitér repræsentat, congruum enim est martyrium habere hoc privilegium, & quia est opus maximé arduum, & quia est perfecta imitatio Christi, & actus perfectissimæ charitatis.

Dices: ex hoc sequitur quod adultus, qui actum charitatis non elicit, per martyrium non iustificabitur, cum asserat Paulus: si traddidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Resp. quód licet martyrium, non supponat charitatem antecedentem, vt causam operis, inducit tamen charitatem consequentem, vt operis effectum, quia nempé illam secum trahit, ita vt martyr, nunquam sine charitate decedat, nam ex privilegio Dei, infunditur gratia & charitas, coniuncta cum sanguinis effusione, & sic intelligendum est dictum D. Pauli, quod colligitur ex loc. cit. D. Thom. in 2. 2. art. 2. ad 2. Si dicas adhuc: quód præceptum charitatis obligat in articulo mortis sub mortali: ergo qui rapitur ad martyrium, peccabit mortalitér, si actum charitatis non elicit, & sic gratiam non recipiet, si solam attritionem habet. Resp. quód sententia asserens, requiri vt dispositionẽ ad martyrium attritionem, saltim existimatam contritionem, est securior in praxi, sed tamen nõ datur de hoc fundamentum efficax. Vndé potest etiam probabiliter dici: quód licet præceptum dilectionis, obliget per se in articulo mortis, per accidens tamen, cum quis rapitur ad martyrium, non obligat. Túm, quia ex vi operis, maxima Dei ostenditur dilectio, iuxta dictum Christi: maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam, ponat quis pro amicis suis. Túm, quia sicut martyrium in eo casu, defectum Baptisti aquæ suppleret, etiam defectum contritionis, & dilectionis Dei supplere posset.

Decima difficultas: De Ministro & Patrino Baptismi. Angel. D. hic q. 67. optime hanc rem pertractat, cuius doctrinam, hic summatim perstringemus; & circa Ministrum, dicendum est: quód solus Sacerdos, & non Diaconus, est Minister solemnitatis in Baptismo; Minister autem necessitatis, quilibet est, sive laicus, sive mulier, sive baptizatus, sive non. Prima pars constat, ex Concil. Florent. in Decret. Eugenij, vbi dicitur: quód Minister ordinarius Baptismi, est solus Sacerdos; cui ex officio competit baptizare, & de Diacono, ait Clemens, lib. 3. institut. quód fas est, offerre sacrificium vel baptizare. Ratio vtriusque est: quia ad solos Sacerdotes pertinet, admitere fideles ad Rempublicam Christi: ergo ad illos pertinet solemniter baptizare, conf. pat. nam Baptismus est Ecclesiæ ianua, per quam homines fiunt domestici Dei. Prob. anteced. nam illi admittunt cives ad rempublicam, qui in istam habent potestatem, soli autem Sacerdotes, potestatem habent in rempublicam Christianam, quia soli illi potestatem habent in corpus Christi naturale, ex qua derivatur potestas in corpus Christi misticum: ergo, &c.

Dices: quód Christus simul iniunxit officium prædicandi, & baptizandi, dum dixit: doceté omnes gentes, baptizantes eos, & ad Diaconos pertinet prædicare, & sic etiam pertinebit solemnitér baptizare. Resp. quód ad Diaconos pertinet prædicare per modum cathecizantis, non autem per modum exponentis, hoc enim proprium est Episcopi, cuius officium est, docere & perficere; vndé etiam ad Diaconos, non pertinet solemnitér baptizare. Si dicas 1. ergo solum ad Episcopum pertinet baptizare solemniter, sicut & docere, cum eisdem verbis iuncta sit vtraque potestas vt vidimus. Secundó, quod anumerare in populo, solum ad Principem pertinet, & solus Episcopus, in Christi republica Princeps est.

Resp. ad 1. quód officium docendi, est Episcopis iunctum, vt per ipsos exercendum, officium autem baptizandi, vt exercendum per alios; vndé ait Paulus, non misit me Christus baptizare, sed Evangelizare, quia in Baptismo non operatur sapientia Ministri, sicut in docendo, sed per hoc non excluditur, quod Episcopi possint baptizare, quia quod potest inferior potestas, etiam superior potest. Ad 2. quód in qualibet republica, ad minores Principes pertinet disponere de infimo populo, & ad summos Principes, de maioribus disponere, & cum per Baptismum, constituatur aliquis in gradu infimo populi christiani, ideo baptizare, pertinet ad minores Ecclesiæ Principes, qui sunt Presbyteri.

Secunda pars, de Ministro necessitatis, diffinitur in Concil. Florent. citato; & ratio non est aliunde sumenda, nisi ex voluntate Christi, & ex maxima necessitate Baptismi, ad salutem consequendam; vndé ait D. Thom. hic art. 5. sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem Sacramenti, sufficit quæcumque vera & naturalis aqua, ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumq; homo; & ex hac

ea-

eadē ratione probatur, quod sive laicus, sive mulier, sive baptizatus, sive non, sunt Ministri necessitatis Baptismi. Dices 1. quód vt ait Aug. in regeneratione Baptismi, aqua habet locum matris, & baptizans officium patris, & hoc nequit mulieri convenire. Secundó: quód non baptizatus, non pertinet ad Ecclesiam, & sic nequit esse Minister Ecclesiæ ad Baptismum conferendum.

Resp. ad 1. quód in generatione naturali, cum fœmina operetur ex virtute suæ naturæ nequit esse principium activum, bené veró in generatione spirituali, in qua operatur vt instrumentum Christi, & in eius virtute. Ad 2. quód licet non baptizatus, ad Ecclesiam non pertineat, re vel Sacramento, pertinet tamen ad illam, intentione & similitudine actus, quatenús intendit facere quod Ecclesia, cuius formam & ritum, servat in baptizando, & sic operatur vt Christi Minister. Nec dicas: quód non baptizatus, nequit Sacramenta suscipere, & sic non potest conferre, quia hoc maius est. Resp. enim, quod alia Sacramenta, non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus, & ideo non conceditur non baptizatis, alia Sacramenta suscipere, bené veró Sacramentum conferre.

Sed notandum est: quód licet quilibet sit Minister necessitatis in Baptismo, servari tamen debet hic ordo, vt mulier non baptizet in præsentia viri, nisi iste baptizare nolit, nec laicus in præsentia clerici, nec iste in præsentia Sacerdotis, hic autem baptizare potest in præsentia Episcopi, quia ad illius officium pertinet; sed non ad omnem Sacerdotem vt cumque, sed ad illum qui habet potestatem iurisdictionis, in illum qui baptizandus est; decet enim, vt ius admittendi homines ad Ecclesiam, sit pœnes eius pastores. Vndé qui extra casum necessitatis vrgentis baptizat, si non est proprius Sacerdos, vel habet huius comissionem, peccat mortaliter.

Quale autem peccatum sit, ordinem ministrandi invertere? His verbis respondet Catechismus Pij U Neque hoc munus, ita omnibus promiscué permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Ministrorum statuere, maximé deceat; mulier enim si mares adsint, laicus item præsente Clerico, túm Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem, sibi sumrnere non debent, in hoc autem, debet esse gradualis latitudo, in parva vel magna ordinis perversione, ita vt aliquando sit mortale, aliquando veniale grave, aliquando leve, vt in alijs præceptis constat, quod ex necessitate vel periculo, & alijs circumstantijs occurrentibus debet pensari, vt ait Mag. Soto.

Circa secundam partem de Patrino Baptismi, dicendum est, illum requiri, vt baptizatum levet é Sacro fonte, sic D. Thom. hic art. 7. quód testatur perpetua Ecclesiæ consuetudo; & insuper; quia regeneratio spiritualis in Baptismo, similis est naturali generationi, iuxta dictum D. Pet. sicut modo geniti infantes: ergo sicut in naturali generatione, puer recenter natus, eget nutrice & pedagogo, etiam in Baptismo, eget susceptore & Patrino. Verúm tamen est, quod hoc non requiritur, ex necessitate Sacramenti, sed ad eius solemnitatem, sicut etiam nutrix & pedagogus, non requiruntur ad substantiam generationis, sed ad facilem partum, & convenientem pueri educationem.

Si inquiras: quinam possint esse patrini in Baptismo? Resp. quód ad rationem patrini, requiruntur hæc 1. quód sit baptizatus, nam qui Ecclesiæ non est natus, nequit alium in Ecclesia levare, licet baptizare possit vt vidimus, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans. Secundó: quód non sit hæreticus, quia hic non est aptus ad instruendum in doctrina fidei; vndé in terris hæreticorum, si catholicus non invenitur, tenetur Parrochus, sine patrino baptizare. Tertió: non debent esse parentes ipsius pueri, quia generatio spiritualis, est distincta á carnali, & sic distinctos debet habere patres. Quartó: quód non sit Religiosus, quia hic, Deo & sibi vacare debet, & non instructioni aliorum; & licet aliqui oppositum sentiant probabilitér de mendicantibus, sed nostrum dictum est verius, & constat ex Rituali Pauli Quinti, vbi omnes Religiosi excluduntur absolutè, ab officio Patrini in Baptismo; cætera item de hoc, & de cognatione spirituali quam causat, commodius attinguntur in tract. de Matrimonio, ad quæm illa reservamus.

Vndecima difficultas: Vtrúm Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem? Loquimur excluso privilegio, nam ex speciali privilegio, Deus aliquos in vtero matris sanctificavit & mundavit ab originali, vt patet in Ieremia & Baptista, & etiam martyrium potest supplere vicem Baptismi in parvulis & adultis, vt vidimus; & quidem certum est, pueros, etiam á fidelibus natos, non esse sanctos in vtero matris, sed Baptismo indigere, vt mundentur ab originali, quod constat ex Paulo asserente: eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, & David ait: in peccatis concepit me mater mea, quod laté probatur in tract. de peccato originali, vbi ostenditur infectio parvulorum, ab Adamo descendentium; quod etiam constat ex dicto Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quæ propositio est vniversalis, omnes comprehendens.

Nec obstat: quód etiam dicitur: nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam, & tamen hæc propositio, non comprehendit parvulos. Resp. enim, quód parvuli sunt capaces regenerationis, quæ fit per Baptismum, non vero nutritionis, quæ fit per Eucharistiam, quia hæc supponit gratiam per quotidiana peccata deperditā, quod in parvulis non invenitur, & ideo diversa est vtriusque ratio. Nec iterum obstat: quód D. Paul,

1. ad cor.7. v.14. filios fidelium vocat sanctos, & sic isti, Baptismo non egent. Resp. quód Paulus loquitur de filijs natis, ex vno coniuge fideli, & alio infideli, qui aliquando sanctificantur per Baptismum, propter curam parentis fidelis,ex quo habent spem illum recipiendi, quæ interpretatio est D. Hyer. & August.

Dicendum est ergo:quód deficiente opportunitate baptizandi parvulos, non sufficit ad eorum salutem,Baptismus in voto parentum, vel aliorum, etiam cum externo aliquo signo,& invocatione Trinitatis. Contrarium sensit Cayetanus, cuius commentarius, iussu Pij V. fuit expunctus. Resolutio nostra,constat ex D. Ambr. qui explicans illa verba, nisi quis renatus, &c. ait: nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate præventum; & D. August. lib.1. de peccator. meritis, cap.27. ait quód parvuli, non incipiunt de ovibus esse,nisi per Baptismum & illo non accepto peribunt. Nec valet dicere, ibi loqui de Baptismo in voto proprio in adultis, vel in voto parentum,in parvulis; nam contra est D. August. ibi cap. 12. dicens esse tribuendum ad occultum iudicium Dei,quod aliquis parvulus ad Baptismum & salutem perveniat, & alius non; vnde ait: S. Prosper carm. de ingratis, cap. 30. multos sanctis genitoribus ortos, nullo salvari potuisse studio suorum.

Ratio etiam suadet hoc: nam datur lex communis de recipiendo Baptismo, contenta in illis verbis:nisi quis renatus fuerit,&c.ergo nisi detur speciale privilegium, nemo eximitur ab ea; sed tale privilegium, non constat dari in parvulis,ad quorum Baptismum non datur opportunitas ergo,&c. min. constat, nam illud privilegium nec ex Dei revelatione, nec ex sacris litteris colligitur. Vndé asseruit D. August. lib.3. de orig. animæ: noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, pervenire posse,ad originalium peccatorum indulgentiam, si vis esse catholicus. Sed tamen,licet debeamus fateri, quod parvuli extra Baptismum & martyrium, ex Dei speciali privilegio salvari possunt,quia divina virtus nullis legibus alligatur; nequit tamen de aliquo in particulari hoc defendi, sine temeritate, secluſa Dei revelatione, vt enim ait D. Thom. in 4. dist.6. q.1. art.1. quæstiunc.2.ad 3. ea quæ fiunt præter legem communem, non fiunt principaliter, ad subveniendum vni personæ, sed ad insinuationem & commendationem gratiæ.

Sed oppones: stante præcepto circumcisionis in lege antiqua, & necessitate vrgente, ante diem octavum nativitatis pueri, sufficiebat ad eius salutem, fides parentum,applicata per aliquod sensibile signum: ergo idem de Baptismo dicendum est in lege nostra, conseq. pat. á paritate. Resp. neg. conseq. nam in lege veteri, prohibuit Deus circumcidi pueros ante octavum diem, & ideo pro eorum periculo ante octavum diem,reliquit remedium legis naturæ; Baptismum autem instituit pro parvulis,ita vt statim ac nascuntur,possit illis applicari, & ideo nullum aliud reliquit eis remedium. Si dicas: quód fides antiqua,non fuit maioris vigoris quam nostra, & sic ista, poterit præstare quod illa.

Resp. quód in ratione fidei, efficacior est nostra fides, quám antiqua, quia nostra explicita est, circa Mysteria Trinitatis & Incarnationis, antiqua verò, tantum implicita erat, sed tamen in ratione Sacramenti, hæc aliquomodo superabat fidem nostram, quia nempé applicata parvulo, ad eius salutem sufficiebat, quod fides nostra non habet. Nec sequitur ex hoc, parvulos in lege nostra, esse peioris conditionis, quám in antiqua, in qua eis, de remedio providebatur ante diem octavum,quod non habent in nostra. Non inquam sequitur, quia in lege nostra, plures salvantur, cum sit per totum orbem diffusa,& vlteriús,Baptismus,gratiam vberiorem præstat, & statim introducit ad gloriam, quod in lege antiqua non erat, & ideo non mirum, quod in lege nostra, requiratur aliquid plus,nempe Baptismus.

Dices adhuc duo 1. quód Deus vult voluntate antecedenti omnes homines salvos fieri, quod verum non esset,si parvulis qui baptizari non possunt, nullum providisset remedium. Secundó: quód in casu necessitatis, pro salute adultorum sufficit votum Baptismi, & consequentér, etiam sufficiet pro parvulis (qui sunt imbeciliores. Resp. quód Deus omnibus dat media,ad salutem sufficientia, id est præparat & offert in communi,non autem in particulari confert, vt daré correlativum est ad recipere, negatio enim horum mediorum,aliquando expedit ad ostensionem iustitiæ Dei, & vindictam originalis peccati, sic sentit D. August. lib. 2. de dono persev & cum ipso D. Thom. 1.p. q.23. art. 5. ad 3. & in 4. dist 6. q.1. art.1. quæstiunc.1. ad 1. de quo tract. de Prædestinatione latè agitur.

Ad 2. neg. conseq. disparitas desumitur ex D. Thom. in 4. dist.4. q.3. art.3.ad 3. dicente: quamvis puerorum ætas, sit magis miserabilis, tamen opportet si salvari debeant,quod in eis,aliqua causa salutis sit;& quia per proprium motum liberi arbitrij, salvari non possunt, opportet quod per Sacramentum Baptismi salventur, plus enim valet adulto fides propria, quám parvulo fides aliena, & vlteriús ait:quód enim aliquando fides aliena puero ad salutem sufficiebat, cum aliqua protestatione, hoc erat in quantum illa protestatio, habebat vim Sacramenti, quám nunc habet Baptismus aquæ, & 3.p. q. 73.art.3.ait: ante susceptionem Baptismi non habent pueri aliquo modo Baptismum in voto, sed soli adulti, vndé rem Sacramenti non possunt percipere, sine perceptione Sacramenti.

Deducitur ex his, quod etiam in adultis, Baptismus in re vel in voto, est medium ad salutem ne-

necessarium; constat ex testimonijs supradictis, quæ tám de parvulis, quám de adultis convincunt; & vlteriús; nam nullus salutem consequi potest, quin Christo incorporetur, vt membrum eius, quod habetur per Baptismum. Quód autem in adultis sufficiat Baptismus in voto, constat ex dicto Theologorum asserentium, quod adultus eliciens actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, statim gratiam consequitur. Sed dubium est: an huiusmodi Baptismi votum, requiratur quod sit explicitum, hoc est desiderium, seu propositum ad Baptismum in particulari terminatum, vel sufficiat implicitum, id est voluntas servandi totam Christi legem, in qua Baptismus, implicité & virtualitér continetur? Vtraque pars, suos habet patronos; sed probabilius est, requiri post promulgationem Evangelij, votum explicitum Baptismi, ad iustificationem & salutem, modo quo requiritur fides explicita Mysterij Trinitatis, & Incarnationis, quæ in Baptismo profitentur; de quo agit D. T. 2. 2. q.2. art.7. & 8.

Duodecima difficultas: De circumcisione; circa quam dubitatur: an alicui liceat se circumcidere, ad imitationem Christi, vel causa mortificationis? Aliqui affirmant, & hoc Abassinos Æthiopes exequi referunt, qui Christiani sunt. Sed oppositum vt verum tenendum est, & constat: nam circumcisio, vel suscipitur formalitér, vt cæremonia legalis, vel materialitér vt lædit corpus, & imitatur Christum; sed nullo ex his modis licita est; non primo: nam vt ait D. Thom. in 4. dist. 1. q.2 art.5. quæstiunc. 3. ad 3. legalia suo tempore facta, fuerunt bona, tempore autem non suo observata, sunt facta mala, & ideo bona intentione fieri non possunt benè; nec secundo modo licet: nam illa imitatio Christi, non est honor illius, sed cultus superstitiosus & vanus, aliás etiam liceret perforare manus & pedes, ad Christi imitationem, quod stultum est. Vlteriús hoc constat, quia circumcisio scandalum esset fidelium, nam illam exercentes, viderentur iudaizare; quare circumcisio Æthiopum, damnata est Romæ, á Congregatione S. Inquisitionis, anno 1637. quæ intolerabilem esse decrevit.

Dubitatio spetialis est: si circumcisio in veteri lege, instituta fuit ad auferendum peccatum originale, quomodo pro fœminis non fuit imposita? Propter hoc dicunt aliqui, etiam mulieres fuisse circumcisas; sed hoc, vt ait Prado merum commentum est. Lex enim circumcisionis, solum viris imposita fuit, vt constat ex cap. 17. & 34. Genes. & rationem assignat hic D. Thom. art. 2. ad 4. nam circumcisio fuit instituta vt signum fidei Abrahæ, & ideo solum maribus competebat, nam peccatum originale, contra quod erat circumcisio, trahitur á patre & non á matre, vt dicitur 1. 2. q. 81. art.5. ad 1. Baptismus verò, continet virtutem Christi, qui est causa vniversalis salutis omnium, & vlteriús, nam per circumcisionem, aggregabantur antiqui fidelium collegio; viri autem sunt capita familiarum, & ideo sufficiebat viros circumcidere; vt protestatio & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus eorum, per tale circumcisionis signaculum.

Si dicas: quód si circumcisio, non fuit instituta pro fœminis, istæ manerent remedio destituræ. Resp. quód sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri iustificabat pueros, & adultos, ita etiam hoc faciebat data circumcisione. Vel dicatur: quód licet fœminæ caruerint remedio circumcisionis contra peccatum originale, sed tamen loco illius habuerunt præsentationem in Templo, per quam iustificabantur; & tandem dicitur: quód regularitér parentes fideles, pro parvulis natis, præcipué in periculo existentibus, aliquas præces Deo fundebant, vel etiam adhibebant benedictionem, quæ erant quasi signaculum fidei, & pro viris & fœminis inserviebant. Alia de circumcisione singularem difficultatem non habent, pro quibus vid. D. Thom. hic q.70. & 1. 2. q.102. art. 5. ad 1.

ARTICULVS II.

Praxis doctrinæ præcedentis.

Casus primus: Circa materiam Baptismi. Puer quidam recenter natus, in periculo erat mortis positus; cumque aqua ad illum baptizandum, prompte non inveniretur, & hyems esset portionem gelu sumsit. Sacerdos, & cum illa Baptismum sub conditione confecit. Quæritur: an rectè fecisset, in tali materia Baptismum ministrando? Resp. quód si pueri vita locum daret, vt gelu liquefieret, id Minister expectare debebat sin autem, poterat gelu ipso, Baptismum sub conditione ministrare. Ratio primi est: quia aqua ex gelu vel nive procedens, est apta materia Baptismi vt communitér Doctores sentiunt, & habetur ex D. Thom. 3.p. q.66. art. 4. in corp. vbi ait: in qualibet aqua qualiterumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri Baptismus; aqua autem, ex gelu vel nive resultans, non amittit aquæ speciem, & ideo in illa, Baptismus fieri potest.

Ratio secundi: quia hoc sentiunt probabilitér plures, cum Hurtado, & Leandro, ex eo ducti, quod aqua ex gelu & nive procedens, est substantialitér aqua, & per illam potest fieri lotio, præcipué in eo casu, in quo debet salus spiritualis pueri meliori modo quo possit procurari; licet Baptismus cum tali materia, solum deberet sub conditione ministrari; quia certum non est, sed dubium, nivem & gelu, esse materiam certam Baptismi. Dices: quod hæc potest esse materia, liquefacta tamen non verò in proprio esse manens, sicut vinum ex vba expressum, est materia Eucharistiæ, non verò intra

ipsa grana. Resp. quód est diversa ratio. Túm, quia vinum in granis vuæ, non est aptum ad bibendum, sicut nix & gelu sunt apta ad lavandum. Túm, quia hæc per contactũ corporis, ex eius calore, facile liquefiunt, & ideo possunt conficere lavacrum, sicut vua si per contactum exprimitur, est apta ad potionem.

Si dicas: ex aqua quæ ex sale resultat, potest Baptismus confici, vt sentiunt plures cum Henriquez; & tamen nequit confici in ipso sale: ergo licet fieri posit Baptismus, in aqua ex gelu & nive producta, nequit tamen confici in ipso gelu & nive. Resp. quód licet hoc admitamus, quod Prado cum pluribus negat, datur magna disparitas: nam sal concretum, non est substantialitér aqua, nec differt solum ab aqua in qualitate salsedinis; vt enim ait D. Hilar. cap. 4. in Mat. sal est in se vno, continens aquæ & ignis elementum, & hoc ex duobus est vnum, cui assentitur Phil. de sens. & sensat. dicens: sal, quædam terræ species est, & ibi D. Thom. lect. 10. ait: nec hoc debet videri mirum, quia sal, est quædam species terræ, sicut & alumen vel sulphur; vndé & quidam montes inveniuntur de sale; & sic constat vtriusque differentia.

Casus secundus, circa idem. Infans quidam ab vtero matris egressus, incipiebat mori, nec erat illi Baptismus collatus, & cum aqua non haberetur facile, puteus propé erat, sine instrumento, vt extraheretur aqua; his visis, homo quidam ibi assistens, infantem in puteo proiecit, & formam Baptismi pronuntiavit. Quæritur: An talis Baptismus, fuisset validus, & licitus? Resp. ad 1. quód ille Baptismus validus fuit. Tú n, quia ibi reperiuntur omnia ad Baptismum necessaria, nempé materia, forma, Minist r, & intentio. Túm, quia aqua in Baptismo, potest applicari per ablutionem, aspersionem & immersionem, in casu autem prædicto, per immersionem applicatur, & sic validum conficitur Sacramentum. Túm, quia si puer casu laberetur in aquam, é manibus Sacerdotis, formam pronuntiantis, validus Baptismus fieret, & sic idem est in nostro casu, quia in vtroque, immersioni non succedit emersio, seu elevatio. Notat tamen Prado cum Serra, quod quia sententia opposita probabilis est, & plurium Doctorum innititur suffragijs, prudens consilium esset, si talis casus accideret, puerum baptizare sub cõditione, si forte superstes esset.

Dices: quód in tali Baptismo, non datur vera lotio, cum puer ab aqua non extrahatur, & sic, non fit validum Sacramentum. Resp. quód licet regulariter in lotione Baptismi, immersioni succedat emersio, seu extractio ab aqua, hæc tamen non requiritur essentialiter ad rationem lotionis, sed sufficit quod aqua per corpus fluat, vt patet cum quis, aquæ de tecto fluenti, submittit puerum abluendum & verba formæ profert, tunc enim vetó dicitur abluere, & simile quid, contingit in casu nostro.

Ad 2. quæsitum resp. quód talis modus conferendi Baptismum, illicitus esset, nec posset sine peccato mortali fieri. Ratio est: quia licet intentio Ministri in prædicto casu, ordinaretur ad salutem spiritualem pueri, actio autem illa, ex natura sua, ordinatur ad eius occisionem, quod licitum non est, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Hoc aliqui limitare intendunt 1. quando minima est acceleratio mortis; tunc enim non censetur homicidium, quia minimum pro nihilo reputatur; sic sentit Soto. Secundó, si mors infalibilitér instat, nec potest puero aliter applicari remedium, ita Lesius; quod Diana, non reputat improbabile, licet dicat difficile esse.

Dices: puero cui mors imminet, licité confertur Baptismus per ablutionem, licet ex hoc mors acceleretur: ergo idem dicendum est, de Baptismo per immersionem in casu posito. Resp. neg. conseq. disparitas est; quia Baptismus per modum ablutionis, non ordinatur ex natura sua ad occidendum, sed ad lavandum, licet per accidens sequatur mors, Baptismus autem, per modum immersionis, vel proiectionis, ex se ordinatur ad occisionem pueri, quæ licita non est, & ideo dispar est vtriusque ratio. Si inquiras circa hoc: an immersio in aqua, sit de necessitate Baptismi? Respondet D. Thom. q. 66. art. 7. negativé, per se enim solum requiritur ablutio, quæ potest fieri per immersionem, aspersionem, vel effusionem. Nec obstat: quód in immersione, repræsentatur mors Christi, cui commorimur per Baptismum. Resp. quód licet hoc significetur expressiús in immersione, in qualibet autem ablutione etiam significatur, quia corpus, vel aliqua pars eius, supponitur aquæ, sicut corpus Christi, sub terra positum fuit.

Casus tertius, circa idem. Quidam adultus Baptismum suscepit, & aquæ lotio, solum tetigit capillos capitis eius. Quæritur: an talis Baptismus fuerit validus? Negant quam plurimi cum Rodriguez, Silvio Bonacina, & alijs apud Prado citatis, ex eoque moventur, quod capilli sunt excrementum hominis, & non eius pars, & sic ex eorum lotione, nequit homo sanctificari. Sed tamen M. Soto, sic difficultatem soluit: Crediderim esse Baptismum, quia capilli suo modo, partes sunt capitis, nam licet sint eius excrementa, vivunt tamen sine sensu, quandoquidem crescunt; non tamen scrupulosum hominem condemnarem, si sub conditione eiusmodi baptizatum rebaptizaret; vndé communis sententia est, talem Baptismum esse validum, pro qua Leander quindecim authores refert, quos sequitur ipse.

Hoc potest suaderi, quia vt dicunt communitér authores nostri, in tract. de anima, capilli informantur ab anima, secundum gradum vegetativum; sed ab hac opinione speculativa abstinendo, idipsum constat: nam etsi capilli anima non informentur,

tur, pertinent ad veritatem corporis; vndé Christus, resurrectionem suasit dicendo: capillus de capite vestro non peribit, & sapienter dixit, de capite vestro, quia saltim debent ablui capilli residentes in capite, nec sufficit lavare extrema capillorum, comæ pendentis. His assentitur D. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. vbi ait: capilli & vngues, sunt in homine, ad custodiam aliarum partium, vndé sunt de secunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima. Deindé: quia capilli in capite, se habent sicut pellis in ove, & pennæ in ave, ovis autem vel avis veré madefiunt, si pellis vel pennæ, sunt madefactæ, & consequentér, idem de capillis ablutis dicendum est.

Quód autem talis Baptismus debeat iterari sub conditione, constat; nam Baptismus, Sacerdotium, & Episcopatus, ob eorum necessitatem, & damnum irreparabile, ex eorum invaliditate secutum, debent certa via, quantum fieri possit ministrari; valor autem Baptismi collati in solis capillis, non est omnino certus, nam plures authores primæ notæ, sentiunt oppositum vt vidimus, & ex iteratione talis Baptismi sub conditione, nulla fit iniuria Sacramento, sed operatur prudentér via tutiori. Hoc autem non probat, quod talis reiterario obliget, sed solum permittitur pro scrupulosis, & tantum convincit, quod illa licita est.

Et si petas: an infans ex vtero matris egressus, posit in casu necessitatis, positus intra pellem, quám medici secundinam vocant, ablui & baptizari? Resp. affirmativé. Nec obstat: quód infans baptizari non potest positus intra corium. Resp. enim, quód est diversa ratio: nam pellis illa secundina, est quasi pars infantis, quod tamen de corio dici non potest. Aliqui hoc limitant, si secundina sit porosa, per quam aqua carnem pueri penetrare possit; ita Bonacina & Candidus; alij autem cum Serra, hoc absolutè admittunt, dum infans necessitate transacta, iterum sub conditione baptizetur; ex quibus infertur: quod asperso solius vestis, Baptismus non est, quia indumentum corporis, non est corpus, & ad Baptismum requiritur, aliquam corporis partem lavari, vt sic verificetur, quod aqua corpus tangit & cor abluit, sic D. Thom. q. 68. art. 11. Nec obstat, quód cap. 2. & 4. Act. Apost. legitur, multa millia hominum fuisse baptizata eodem die, quod solum per vestium ablutionem fieri potest. Dicitur enim, quód non est credendum ita temere fuisse aspersionem factam, sed transeundo baptizandi, bini & bini coram Ministro, vt certo ictu super singulos fieret ablutio sub illa forma: ego te, vel vos baptizo, in nomine Patris &c.

Casus quartus, circa idem: ablutus fuit quidam in casu necessitatis, in aliqua parte corporis, nempé in manu vel pede; quæritur an talis Baptismus fuerit validus? Casus est vulgaris & regularitér contingens obstetricibus partui assistentibus, qui vt aiunt inversus accidit, solum manu vel pede infantis apparente, in quibus aqua sumpta, obstetrix ipsa facit ablutionem. Talem Baptismum validum esse, affirmat Victoria, Panormitanus, & alij plures; negant tamen Soto, Suarez, Valentia, Nuño, & Aversa. Sed tutior & probabilior resolutio, sumitur ex D. Thom. asserente, quod Baptismus ministratus per capitis ablutionem, est validus & certus, nec sub conditione reiterandus, in qualibet veró alia parte, dubio non caret, & ideo prudentér reiteratur sub conditione & hoc aliquando obligat.

Prior pars affertur ab ipso Ang. D. 3. p. q. 66. art. 7. ad 3. vbi ait: principalis pars corporis, præcipué quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores & exteriores, & ideo si totum corpus, aqua non possit perfundi, propter aquæ parvitatem, vel propter aliquam aliam causam, opportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ. Deindé, vtramque partem affert, q. 68. art. 11. ad 4. dicens: expectanda est, totalis egressio pueri ex vtero ad Baptismum, nisi mors immineat; si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit, & videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente, quia tamen in nulla exteriorum partium, integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem, sit baptizandus sub hac forma: si non est baptizatus, ego te baptizo. Hæc D. Thom. & idem habet, in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. quibus tota resolutio efficacitér comprobatur.

Hanc solidam & communem doctrinam, Granadus sic reducit ad praxim: advertendum est in hac re, quæ est tanti momenti ad salutem æternam, aliud esse quid speculativé sit probabilius, & videatur verum, aliud veró, quid in praxi securum sit; & quidem, cum materia Baptismi, sit ablutio corporis humani, illa erit omnino certa & indubitata materia, quæ sufficit vt corpus, absolutè & simplicitér dicatur ablutum; cum autem caput, sit præcipua pars hominis, in qua residet sensus, & maximé elucet rationis vis, nemo dubitat, quin abluto capite, homo dicatur ablutus absolutè, ac proinde talis Baptismus, nullatenús iterari posset, quod notaverat D. Thom. in 4. dist. 3. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 2. dicens: ideo si fit caput aspersum aqua, in totum corpus aspersio reputatur; sicut etiam Iuristæ dicunt, quod vbi caput hominis iacet, reputatur ac si totus homo, sepultus esset ibidem, non sic autem est de alijs partibus.

Insuper addit: quód attinet ad reliquas partes, licet si totum corpus capite excepto lavaretur, non videatur posse dubitari, de talis Baptismi veritate,

cum

cum ea sit propositima ablutio corporis humani, nihilominus, nulla alia pars, v.gr. pes, brachium, pectus & similes, videntur sufficere, vt Baptismus sit indubitatus. Primó, quia ita sentiunt graves Doctores & non pauci, & Catheciſmus Pij V. admonet, præcipuè lavandum esse caput. Secundó: quia ratio propter quam authores, indubitatum reputant Baptismum, dum caput abluitur est, quia ibi vigent sensus, & ea veluti gerit, totius corporis vices; sed nulla alia corporis pars, id habet: ergo Baptismus in illis exercitus, non est omnino certus; quamvis ergo in casu necessitatis, licitum sit in prædictis partibus baptizare, adhuc sub conditione iterari potest & debet, ne homo suæ salutis remedio destituatur, ex quibus, allata doctrina practicè suadetur.

Casus quintus, circa idem. Puer quidam in vtero materno existebat, cuius vitæ periculum, satis ab assistentibus cognoscebatur: Quæritur, an sic intra vterum maternum existens baptizari posset? Resp. negativè cum D. Thom. q. 68. art. 11. Ratio sumitur ex D. August. Epist. 57. ad Dardan. vbi ait: nemo renascitur, nisi primo nascatur; & constat ex diffinitione Baptismi, est enim ablutio corporis; infantis autem corpus ante nativitatem, ablutionis capax non est. Nec obstat: quód infantes in vtero, capaces sunt contrahendi culpam originalem, & sic ibi debent habere remedium ex dono Christi, nempè ex Baptismo. Resp. quód peccatum contrahitur ex vnione animæ ad corpus, quám pueri in vtero habent; Baptismus autem requirit ablutionem, cuius corpus non natum capax non est; sed tamen capax est terminandi actionem Dei, apud quem vivit, vt privilegio gratiæ sanctificetur, vt patet in sanctificatis in vtero, & sic Deus, sine remedio pueros in vtero non relinquit, licet non omnibus applicet in particulari.

Nec obstat iterum: quód puer in vtero existens, est quasi pars matris, & sic hac baptizata, etiam baptizatur puer. Non inquam obstat: nam Baptismus matris, non pertinet ad infantem, & quia vtriusque anima distincta est, & quia corpus pueri animati, iam est formatum, & á corpore matris diversum, & sic dicitur in Concil. Neocesar. cap. 6. quód Baptismus mulieris prægnantis, non communicatur, nec prodest filio; sic D. Thom. loc. cit. ad 2. Maius dubium est in hoc casu: an mater ex partus doloribus morti vicina, posset aperiri, vt puer sactum Baptismum acciperet, licet ex hoc mors matris breviretur? Resp. negativè cum D. Thom. ibi ad 3. quia non sunt facienda mala vt veniant bona, & ideo non debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum; si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in vtero, debet aperiri, vt puer baptizetur; sic factum legitur cum S. Raymundo Nonnato, qui vocatur sic, quia ex mortuæ matris latere, fuit in lucem eductus; quare consilio medicorum fit, quod statim dum mater expiraverit, ligniculo aliquo conservetur apertum os, ne infanti obturetur, respirationis via.

Si dicas: mater potest voluntarié in apertionem consentire vt servetur infans, & sic ipsi scienti & volenti, non fit iniuria. Resp. quód hoc est verum, quando consentiens est dominus rei de qua cedit, secus si non ita contingit: modo quo vir nequit cedere vxoris corpus, vt alteri iungatur, quia huius dominus non est; & cum mater domina non sit suæ vitæ, nequit illam cedere, vt filius conservetur. Dices: quód vita spiritualis pueri, maius bonum est, quám sit mala, mors corporalis matris, & sic illa debet anteponi, vt baptizetur puer. Resp. quód maius bonum, debet anteponi minori malo, quando id potest consequi sine peccató, non autem si peccatum committitur, sicut ob conversionem monium peccatorum, nequit committi mendatium, licet hoc sit minus malum. & sic nequit præponi vita spiritualis pueri, cum damno occisionis matris, quæ est intrinsecé mala, & peccaminosa.

Quid autem dicendum si mater gravida, esset iure ad mortem damnata, posset tunc aperiri, vt puer baptizaretur? Resp. negativé, hæc est certa & communis sententia; tunc enim differendum esset supplicium vsque ad partum, & suadet ratio; quód si propter Baptismum fœtus, reideretur mater, vix posset hæc occisio fieri, sine fœtus morte ante Baptismum, quia maius periculum imminet proli, si mater interficiatur, quám ipsa vivente, & sic practicé & moralitér, semper est differendum supplicium, vsque ad partum. Sic sentit Soto, Covarruvias, Victoria, Bonacina & alij. Circa quod, Doctores duplicem solent apponere limitationem. Prima: si ex dilatione mortis matris, immineat malum Reipublicæ, quia tunc posset vterus aperiri ex iusta causa, & authoritate publica; ita Filiucius. Secunda: si immineret matri & proli infirmitas letalis, tunc posset servato iuris ordine secari prius, si daretur spes vt proles baptizaretur, quia tunc non operatur contra aliquod ius; sic sentit Suarez, Palaus, Coninch. & Diana.

Casus sextus, circa idem: Mulier quæ virgo reputabatur & honesta, erat occultè gravida; cumque illi mors in gravi infirmitate immineret facultatem conferre noluit Confessario suo, vt post mortem eius aperiretur, vt infans in vtero existens Baptismum reciperet, cum esset moraliter certum, quod extraheretur vivus. Quæritur: quid de hoc sentiendum, quidque faciendum in casu prædicto? Resp. quód si ipsa esset in bona fide, quod talem facultatem non debebat conferre ob infamiam inde secuturam, nec Confessor speraret, suasionibus suis, illã ad oppositum convicturum, eam in sua bona fide relinquat; si autem Confessor hoc sciret extra confessionem, post mortem matris, potest eius apertionem procurare, coram persona tacita, & prudenti, vt

in-

infans extraheretur, & Baptismum reciperet. Hoc videtur colligi ex doctrina Cayetani, Reginaldi, & aliorum, asserentium, quod non est peccatum mortale detractionis, crimen occultum proximi manifestare, vni vel duabus personis prudentibus, & tacitis; quibus fundamentum præbet D.T.2. 2. q. 73. art.2.in corp. vbi ait: Contingit quandoque, quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud, hoc autem non est detrahere, per se & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens; & si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis, propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantijs observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio; & consequenter, idem discurrendum est in præsenti casu, manifestando peccatum occultum matris, non animo detrahendi, sed ob bonum spirituale prolis.

Sed tamen, si Sacerdos, solum per confessionem notitiam habuit prædicti criminis, nullatenus potest illud sine facultate mulieris manifestare, aliás frangeret sacrum confessionis sigillum: Sed maior difficultas circa, hoc est: an talis mulier, teneretur confessori facultatem conferre, & illa denegata, incapax esset absolutionis? Aliqui tenent cum Moya probabiliter, mulierem ad hoc non teneri, & quod confessor in eo casu, potest illam absolvere; eo quod baptizare infantem, cum periculo famæ vel vitæ, non obligat; sed oppositum verum est, præcipue in casu, quod inter duas personas timoratas, & tacitas, potest servari secretum; cui assentire videtur D. T. in 3.dist.29.q.1.art. 8. quæstiunc. 2. ad 2. dicens: cum scimus fratrem posse liberari, per mortem corporis á morte animæ, sine periculo animæ nostræ, tunc tradere animam pro fratribus, non est perfectionis, sed necessitatis.

Dices: quód mulier illa, mallet apud plures, crimen suum evulgari, quam apud illas duas personas prudentes, quæ pluribus æquivalent, & præcipué, cum fam i, & præceptum illam servandi etiam post mortem obliget. Resp. quod hoc est per accidens, vt mulieri ex hoc rubor accrescat, nam per se potest illis communicari secretum, cum non fiat animo detrahendi, sed vt puer Baptismum recipiat, quod comprobatur ex verbis adductis D.T. Præterquam quod in hoc, mulier esset irrationabiliter invita, nam cum ob culpam suam famam amiserit, per hoc quo dammodo iuri suo renũtiavit, & sibi imputari debet, quod per crimen commissum, in eas angustias devenerit: exemplũ est in complice peccati, de quo probabile est, posse manifestari, ad confessionis integritatem, quin hoc eius famam ledat, & quia id non fit animo detrahendi, & quia ipse aliquomodo renuntiavit iuri suo, dum se complicem peccati fecit; idem ergo in præsenti casu, proportionaliter discurrendum est, & quidem si ratio aliquorum, sentientium oppositum resolutioni nostræ, probaret aliquid, etiam convinceret, quod puella vt honesta reputata, & in occulto gravida, potionem summere posset ad abortum procurandum, vt infamiam vitaret, quod improbabile est, & vt refert Candidus, & Diana, damnatum est á Congregatio. S. Officij. Maior constat, quia non alia ratione, ducuntur oppositi authores ad assertionem suam, nisi quia matris fama debebat conservari post eius mortem; sed non minus, imó magis debet conservari ipsa vivente; maior enim rubor illi accresceret ex culpa manifesta, quam post eius mortem redundaret: ergo poterat abortum procurare, vt servaret famam illæsam, quod absurdum est, & damnatum ab Innocent.XI.prop.34.

Casus septimus, de Ministro Baptismi. Natus fuit quidam puer, cum evidenti vitæ periculo, cum solum duæ personæ essent præsentes, quarum vna muta erat, & altera manca, vel brachijs destituta. Quæritur: an in huiusmodi extrema necessitate, posset ab vtroque Baptismus conferri, ita vt mancus verba proferret, & mutus ablutionem faceret? De hoc aliquid supra tetigimus, nunc autem fusius doctrinam attingemus. Resp. ergo: quod in nullo eventu, Baptismus est validus, si vnus abluat, & alter proferat verba formæ. Sic tenet expresse D. T. in 4.dist.6.q.2.art.1.quæstiunc.1.ad 3. dicens: similiter non erit Baptismus, si vnus sit mancus, & alius mutus, vno proferente verba, & alio immergente, quia ipsa verba formæ ostendunt, quod ab eodem debet fieri immersio, & verborum pronuntiatio; & idem habet, 3.p.q.66.art.5.ad 4. & q.67.art.6. ad 3. ait: neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque qui immergit, & ideo, si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens, neque enim poterit dici, ego te baptizo, cum ipse non immergat, neque nos te baptizamus, cum neuter baptizet; si enim duo sint, quorum vnus, vnam partem libri scribat, & alius aliam, non erit propria locutio: nos scripsimus librum istum, sed synedochica in quantum totum ponitur pro parte.

Ratio autem resolutionis est: quia Baptismus non est validus, nisi forma illius verificetur, nam Sacramenta novæ legis, efficiunt quod significant: in prædicto autem casu, non verificatur, quod qui loquitur, abluit & baptizat: nam latine, falsa est illa forma: ego te baptizo, vel nos te baptizamus, cum re vera, ille qui verba profert, non baptizet; vnde ex praxi Ecclesiæ constat, ministrum debere esse vnum, á quo procedat locutio, & ablutio. Nec obstat Cayetanus oppositum asserens, ex eo quod Christus, qui vnus est, potest partialiter vti pluribus instrumentis, modo quo duo, iudices delegati, iunguntur ad iudicandum simul, ita quod neuter sine alio iudicare possit.

Resp. enim, quod non est eadem ratio, nam ibi vterque iudex partialiter iudicat; mancus autem, nec

partialitér baptizat, quia baptismus pro ablutione supponit, cuius nec partem ipse facit; & idem dicendum est, de pluribus Sacerdotibus, in die ordinum simul consecrantibus, nam singuli eorum totum faciunt, eodem modo, ac si vnus tantum consecraret. Sic D.T.3.p.q.82.art.2. Nec etiam in casu prædicto posset baptismus conferri, secundum formam Grecorum: Baptizetur servus Christi, &c. quia hæc solum significat actionem lavandi, vt receptam in passo, non vero vt progredientem ab agente, & de hac secunda, procedit ratio D.T. respectu cuius efficax est.

Nec iterum obstat, quod solet obijci, de matrimonio, & pœnitentia, in quibus non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt nutus; nam in his Sacramentis, materia non est proprius actus ministri, ex eius intentione determinandus, sed in matrimonio, materia est tradditio, & forma, acceptatio mutua, exterius expressa; pœnitentia vero, per modum iudicij excercetur, in quo confessio, non á iudice, sed á reo fieri debet; sed tamen in hoc, & alijs Sacramentis, ipse minister, debet exercere totam actionem, quæ est materia Sacramenti, & determinatur per verba formæ, & ideo oportet, vt idem ipse qui actionem exercet, suis verbis, & intentione suum actum informet, nec potest per alterius verba determinari, quod est omni Sacramento commune, vnde ex hac parte, instantia militat in nostrum favorem.

Iterum opponit Vazquez, contra exemplum de libro scripto, quo vtitur D. T. nam illæ actiones sunt homogeneæ, & cuilibet debent convenire; ablutio autem, & prolatio verborum, sunt diversæ rationis, & ideo cuilibet convenire non debent; sed hoc non habet vim. Tum: quia si Christus vellet, posset sic instituere Baptismum, vt validus esset, abluente vno, & alio verba proferente, & tunc actiones, etiam essent etherogeneæ. Tum, quia si vnus faceret statuam per sculturam, & alter illam coloribus pingeret, actiones essent ætherogeneæ. & tamen neutri tota tribueretur, & consequenter differentia illa, per accidens est ad intentum nostrum.

Uerum quidem est, vt ait ipse Cayetanus, quod mancus posset aliquando abluere, nempe si poneretur super eius caput vas aquæ, quam inclinando caput, effunderet super baptizandū, proferendo verba, & in hoc posset mutus adiuvare, sustinendo vas in capite manci ne caderet, vel ponendo manus muti aqua plenas, quæ vicem vasis supplerent, ita vero, quod motus capitis manci, esset effusivus aquæ. Aliter idipsum ait Aversa, nempé, si ille qui habet linguam & non brachia, summeret aquam in ore, & aspergeret baptizandum, dicendo verba immediatè antea vel post, quia non requiritur simultas physica, sed sufficit continuatio successiva, iuxta prudentum æstimationem; in vtroque prædicto casu. Baptismus validus foret, cum idem ablueret, & verba proferret, non verò si vnus abluat, & alter verba proferat.

Sed restat contra hoc, difficultas á D. Thom. proposita, nam difficilius est, quod vnum agens agat in plura, quám quod plures agant simul in vnum; sed vnus homo, potest simul plures baptizare: ergo multo magis plures, possunt simul vnum baptizare. Respondet D. Thom. quód in casu necessitatis, potest vnus baptizare plures, sub hac forma: ego vos baptizo; nec per hoc variatur forma Ecclesiæ, quia plurale, non est nisi singulare geminatum; & Mat. vlt. pluralitér dicitur: Baptizantes eos; nec est idem de baptizante & baptizato, quia Christus qui principalitér baptizat, est vnus, sed per Baptismum, multi efficiuntur vnum in Christo. Hoc modo baptizati leguntur infantuli cuiusdam Comitis Bataviæ, tot enim mater in lucem protulit vno partu, quot sunt in anno dies, quibus omnibus, Episcopus simul Baptismum contulit, sicut refertur in Analibus Holandiæ.

Casus octavus, circa idem. Si plures vnum baptizarent, vtendo forma consueta, ita vt vnusquisque abluat, verba proferat, legitimamque intentionem habeat, quid esset de hoc sentiendum? Resp. quód ambo, Sacramentum validè conficerent, licet peccarent. Resolutio est D. Thom. 3. p. q. 67. art. 6. in corp. vbi ait: si vterque diceret: ego te baptizo, in nomine Patris, &c. vterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret; quod posset contingere in eo casu, in quo contentiosé, vterque aliquem baptizare conaretur, & tunc manifestum est, quod ille qui prius verba proferret, daret Baptismi Sacramentum, alius verò, nihil faceret; & si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator; si autem omnino simul, ambo verba proferrent, & hominē immergerent vel aspergerēt, essent puniendi, de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione Baptismi.

Ratio omnium istorum, facilis est: quód enim illicitè agerent, constat, quia sine vlla convenientia vel necessitate baptizarent, contra vsum Ecclesiæ statuentis, quod vnus solus baptizet. Insuper, quod Sacramentum faceret, qui prius verba proferret, patet. nam apponeret omnia essentialia ad Sacramenti valorem, nempé materiam, formam & intentionem; ac demum, eadem ratione probatur, quod ambo baptizarent, si simul verba proferrent & abluerent, modo quo ordinati, simul cum Episcopo consecrantes, idem Sacramentum conficiunt. Si autem inquiratur: an in eo casu, Baptismus á duobus collatus, esset vnus? Resp. D. Thom. ibidem: nec tradderent aliud, & aliud Sacramentum, sed Christus qui est vnus, interius baptizans, vnum Sacramentum per vtrumque conferret; quod constat. Tùm á paritate plurium Sacerdotum consecrantium, qui vnicum Eucharistiæ,

Sa-

Sacramentum conficiunt. Tùm, quia tunc vnica esset ablutio, ob vnitatem subiecti, etsi vnus abluere vnam partem & alius aliam, & sic vnus esset Baptismus, nam hic, pro ablutione supponit.

Nec obstat: quód tunc esset pluralitas numerica, verborum, formarum & actionum. Resp. quód illa diversitas, puré materialis est, nam subiectum ablutionis, est vnum, & etiam est vnus Christus principalitér baptizans, sicut patet in eodem exemplo plurium Sacerdotum consecrantium. Et si dicitur: quód D. Thom. q. 66. art. 5. ad 4. ait: quód plures non possunt simul vnum baptizare, quia actus multiplicatur, secundum multiplicationem agentium. Resp. quód D. Thom. non agit, de Baptismo collato sub hac forma: ego te baptizo, sed sub hac alia: nos te baptizamus, & de hoc asserit, quod cum quilibet baptizans perfectè agat, nequeunt plures, simul baptizare sub illa forma: Nos te baptizamus, quia per hoc denotatur actum provenire ab illis, non totalitér sed partialitér.

Sed notandum est: quód in casu prædicto, Baptismus validus foret, nisi esset impedimentum ex parte intentionis, si enim singuli haberent intentionem, ab intentione alterius pendentem, nullus Sacramentum faceret, quia non est in eorum potestate, Sacramenti effectum suspendere; si autem singuli haberent intentionem baptizandi, alijs non baptizantibus, vel etiam non baptizandi, alijs baptizantibus, nihil ab eis fieret, quia essent sicut propositiones se falsificantes; si verò singuli nollent Sacramentum conferre, sed relinquere vellent postremo, hic solus baptizaret, & alij peccarent, & quia operarentur contra communem Ecclesiæ consuetudinem, & quia baptizarent sacrilege sine intentione, hominem capacem Baptismi.

Casus nonus, de forma Baptismi. Baptizarunt duo simul infantem, modo quo in casu præcedenti, contingere posse retulimus, sub hac forma: Nos te baptizamus; quæritur: quid de tali Baptismo sentiendum foret? Præter dicta proximè, sciendum est modo ad resolutionem nostram, quod verba illa, triplicitér summi possunt. Primó ita vt ablutio, forma, & intentio, exprimant vnum Ministrum, sed propter dignitatem personæ, vtitur plurali pro singulari, dicendo: *Nos*, & sic validus esset Baptismus, quia id fert communis vsus, vt excellentes personæ, vtantur plurali pro singulari; sed tamen non careret culpa, huiusmodi voce plurali vti, authoritate privata, quia hoc in ministrandis Sacramentis Ecclesia non vtitur, licet Pontificis authoritate, id posset introduci. Secundó accipi possunt illæ voces complexivé, vt æquivalcant his: ego & tu baptizamus, & ita denotantur duæ causæ partiales. Tertió summi possunt complexivé, denotando duas causas totales.

Resp. igitur: quód Baptismus collatus sub hac forma: Nos te baptizamus, invalidus est. Siç tenet D. Thom. q. 67. art. 6. vbi ait: considerandum, quod ex tali forma, nos te baptizamus, exprimitur quod plures conveniant, ad vnum Baptismum conferendum, quod quidem videtur esse contra rationem ministerij; homo enim non baptizat, nisi vt Minister Christi, & vicem eius gerens, vndé sicut vnus est Christus, ita oportet esse vnum Ministrum, qui Christum repræsentet, propter quod Apostolus dicit: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Hanc doctrinam explicat M. Soto, assignando differentiam, in præsenti casu, quando plures baptizant dicendo: Nos te baptizamus, & quando omnes dicunt: ego te baptizo; nam cum fit hoc secundo modo, vterque est totalis Minister, ab altero non pendens, licet illi accidentalitér vniatur. & sic nec iuvat, nec obest; cũ autem primo modo fit, dicendo complexivé: *Baptizamus* intentiones mutuo pendent, quasi vna alteram postulet, & hoc est, esse duos Ministros partiales, & Christi vnitati oppositi.

Si dicas: quód in Matrimonio, duo sunt Ministri, nempé contrahentes, quin hoc opponatur vnitati Christi. Resp. diversum quid esse in vtroque Sacramento. Primó, quia in Matrimonio contracto inter duos, meliús designatur vnio Verbi Divini, cum humana natura, nam eiusdem ad se ipsum, non datur vnio, sed identitas, & sic Matrimonium, duos habet Ministros, quod in Baptismo non reperitur. Secundó, quia Matrimonium, habe rationem contractus, qui exigit celebrari inter duos, Baptismus autem est Sacramentum regenerationis, & cuilibet Ministro contulit Deus, vt esset integer & totus, Minister ablutionis corporalis, & prolationis verborum, quibus spiritualem ablutionem conferret.

Nec obstat his, quod ait Cayetanus oppositum tenens, nempé, quod illa propositio: Nos baptizamus, resoluitur in istas: ego baptizo, & iste baptizat. Resp. enim, quod hoc potest duplicitér accipi, primo vt secunda exponens, intendatur accidentalitér, ac si diceretur: ego baptizo, & iste currit, & sic idem sentiendum de illa forma, ac de illa in qua ponitur aliquid impertinens, vt si dicitur: ego te baptizo, & adstantes consentiunt, in nomine Patris, &c. quód sensum formæ non variat, vt ait D. Thom. q. 60. art. 8. Secundó, intendendo per se propositionem secundam, tanquam si dicatur, quod ambo simul, ministrant Sacramentum Baptismi, & per hoc vitiaretur forma, & re vera sic baptizare, periculosum esset, atque adeo peccatum, & ideo qui sic baptizaretur, in dubio esset sub conditione rebaptizandus; sic sentit M. Soto, & Serra.

Occasione huius, brevitér examinandæ veniunt aliquæ Baptismi formulæ, vt cognoscatur quænam aptæ, quænam ineptæ sint. Primo, forma hæc: ego te baptizo, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, recta est, quia sic iudicavit Zacharias Papa, &

in

in cap.retulerunt habetur;sentit D.T.3.p.q.60.art. 7.ad 3. nam ignorantia latinitatis, & ministri probitas, hoc convincunt; & idem dicendum de hac forma:ego te Baptizo in nomine Pater, & Filius,& Spiritus Sanctus, ob eandem rationem.Secundo,est recta forma, dicendo: ego te baptizo in nomine Patris, Filij, Spiritus Sancti, omissa particula,& nam ex pluribus locutionibus Theologiæ, constat,quod ablatio particulæ copulativæ,sensum non mutat;si autem dicitur:ego te baptizo, in nomine Patris,& Filij, & gratiæ Spiritus Sancti, forma inepta est,quia gratia non est Spiritus Sanctus, sed effectus illius;quare refertur,quændam Archiepiscopum Beticæ præcepisse, quod sic baptizati, iterum baptizarentur.

Casus decimus, de Ministro Baptismi. Obstetrix quædam infantem baptizatura, ita terrebatur, vt præ turbatione, linteum assumpserit pro aqua, sed notato errore, aquam sumpsit, & infantem abluit formam proferendo; postea rem totam Parrocho indicavit; quæritur, an infans ille, iterum baptizandus foret? Hoc petit vt explicemus, quomodo se gerere debeat Parrochus,cum ex informatione sibi facta, dubitat Baptismum in casu necessitatis,privatim collatum á mulieribus, á laicis vel obstetricibus, validum fuisse? pro quo sequentem adijcimus doctrinam. Quisquis scit, aliquæm esse legitimé baptizatum, & iterum baptizat, sacrilegij gravis, & irregularitatis reus est, quia character impressus, excludit omnem efficaciam posterioris Baptismi; tunc autem quis, sufficienter est certus de Baptismi valore, quando in oppositum, nulla est prudens coniectura, licet insurgant scrupuli leves.

Vlteriús: Parrochus est reus crudelissimæ impietatis, si sciens aliquæm veré baptizatum non esse, iterum non baptizat; & ratio est: nam ille ex officio suo,tenetur Parrochianis suis, salutem æternam procurare; qua propter debet accurate inquirere de valore Baptismi,á laicis in necessitate collati, vt secundum iudicium á se formatum de remedio provideat; quare de Parrochis peritis & prudentibus refertur,quod diligentér inquirunt,vtrum obstetrix longo vsu perita & probata,quando baptismum confert,sit sobria,non distracta,non anxia, quam aquam sumpserit, quam partem corporis abluerit,& quam formam verborum fuerit prolata; & si in his punctis, non deprehendunt deffectum, omittunt repetitionem baptismi,si autem defectum inveniunt repetunt illum.

Sed duo notanda sunt circa hoc:Primum: quod valori Baptismi ab obstetricibus collati,debet faciliú assentiri,vt ille non repetatur,quam si conferatur ab alijs mulieribus; nam obstetrices ex longo vsu,& praxi,facilius & expeditius id exequntur, & certius potest credi valor Baptismi,collati ab ipsis. Secundum:quod Parrochus maximé curet, vt mulieres,quæ ex officio obstetricantur,formam baptismi sciant,non quidem in latina lingaa, sed in vernacula,quia istam callent,& non illam,& huius verba facilius pronunciant.Sed an huiusmodi mulieres teneantur sub mortali,scire Baptismi formam? Negat Suarez,tum,quia non tenentur ex munere suo, ad procurandam salutem animæ,sed ad coadiuvandum narivitati corporali.Tum, quia rarissimé evenit,non adesse aliquem alium, á quo possit infans baptizari,& propter rarissimum eventum, non debet talis obligatio obstetricibus imponi.

Oppositum autem verum est,& apud Authores commune; & est ratio: quia obstetrices assumunt officium,in cuius exercitio,eveniunt casus extremæ necessitatis,& illæ facillimé possunt se preparare vt infanti opem ferant, & ideo tenentur ad sciendum Baptismi formam, quod præcipué verum est, in parvis oppidis,& domibus rusticorum, vbi non facilé inveniuntur,qui formam sciant: & sic animarum Pastores,debent esse soliciti,vt tales mulieres, probé sciant,quæ sunt de Baptismi substantia.Quapropter, in quibusdam Diœcesibus dantur peculiares leges, ne ad hoc officium admittantur, nisi illæ quæ satis fuerint instructæ & sic decernitur in Conc.Provin.Mediol.5. obstetrices, nisi edoctæ de forma Baptismi,non admitantur ad eiusmodi munus;vnde,in Diocæsi Treverensi,quando illud munus suscipiunt, faciunt iuramentum procurandi salutem spiritualem infantium, & matris.

Doctrina ergo pro casus propositi praxi,reducitur ad hoc:quód si Presbyter qui baptizavit, vel vnus testis,omni exceptione maior,vel etiam mulier quæ vidisse testatur,affirment puerum vel adultum fuisse baptizatum, credendum est; quod non solum in foro conscientiæ, sed etiam in exteriori foro, verum tenet, quia iuxta sententiam communem, in his quæ alteri non præiudicant, vnico teste plena fit probatio; sic ait Farinacius in Prax. Criminal. q.63. num.26. & loquendo de Baptismo, Castrus Palaus, tom.4. tract.19. punct.13. num.9. & glossa cap.cum itaque de consecrat. dist.4. Sed circa hoc rectè notat Uazquez: quód periculum repetendi Baptismum, quod videtur esse contra religionem, minorem obligationem inducit, vt á repetitione abstineamus, quám periculum salutis proximi, & ita maior ratio habenda est huius vtilitatis proximi, quám religionis debitæ Sacramento, cum in remedium illius vt in finem, omnia Sacramenta,vt media instituta sint.

Quænam autem sint regulæ,quas Parrochus, & eius coadiutores servare debent, in extrema necessitate baptizandorum, vt sine anxietate agant,quod charitas christiana dictat in eo temporis puncto? Illæ ad sequentes reduci possunt. Prima est: quod Parrochi recordentur,sententiam suspensionis poni in Can.Quicumque,dist.4. de consecr. contra Sacerdotem, cuius omissione aliquis sine Baptismo

moritur. Secundó: quód si ille sit solus in populo Sacerdos, & moneatur, parvulum recenter natum extreme periclitari, nec sit aliquis qui sciat modum baptizandi, casulam deponat, & ad sucurrendum parvulo currat, licet iam forte consecraverit, & Baptismo peracto, redeat ad sacrificium perficiendum. Tertió: si accedens ad locum, dubitetur si mulier sit editura prolem vivam, dicat obstetrici, vt quam primum attingat aliquod corporis membrum, aqua tingat dicendo verba formæ; quod si postea vivus prodeat sed debilis, Parrochus ipse, Baptismum repetat conditionatum, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. Sed quid faciet Parrochus, si puer sine Baptismo, & mater ex partu, æqué periclitantur? Resp. quód puero debet priùs opem ferre, nam pœnitentia in matre, non est tantæ necessitatis, sicut Baptismus in puero, & illa per contritionem suppleri potest.

Casus vndecimus, circa idem. Parrochus quidam vocatus est, ad Baptizandum domi infantem, extremé periclitantem, accedit ibi, sed quia partus semestris erat, nequibat cognosci sexus, an fuerit masculinus, an fœmeninus? Quare illi nomen imposuit vnius sancti & vnius sanctæ; quæritur, an fuerit rectè operatus? Hic casus á Gobato adducitur, qui re vera magis curiositatis quam vtilitatis affert; nã vt ipse respondet, facilitér dubitationi Parrochi poterat occurri, dicendo in forma Baptismi; Creatura Dei, ego te baptizo, in nomine Patris, &c. Sed supposito, quod hoc ita contigerit, dicitur: quód talis Parrochus rectè se gesit, quia nihil egit contra vniversalem Ecclesiæ morem, in duplicati nomini impositione, scimus enim quod plures viri, adiunctum habent nomini p. oprio, nomen Mariæ; in Religione enim nostra, Generalis Magister, quidam fuit olim, qui vocabatur Hypolitus Maria Becaria; & rursus alius Vicarius Generalis, Petrus Maria Passerinus.

Sed tamen viri cordati, non conveniunt circa hoc; Uivaldus enim ait: quód si sexus nequit cognosci; imponatur infanti nomen viri, quia in dubio, præsumitur sexus masculinus; alij autem per oppositum sentiunt, quia plures nascuntur puellæ quam pueri, & illæ sunt imperfectiores his; cum autem natura humana, sit valdé corrupta, in casu dubij, potius est præsumendus fœmineus sexus quam virilis. Sed his non obstantibus, non imprudenter, in dubio præsumitur potius pro virili sexu, quám pro fœmineo. Túm, quia fœmina, est mas occasionatus, vt ait D. Thom. 1. p. q. 99. art. 2. ad 1. Túm, quia natura, semper tendit ad perfectiora, & plures fœminæ, converteruntur in mares, quam mares in fœminas, nam quælibet res, facile vertitur ad naturam suam. Vndé licet Sacerdos ille, imponendo duplex nomen non erasset; sed etiam egisset rectè dando nomen viri solius, & propter rationes proximé dictas, & quia illud, per vnius litteræ variationem, si opus esset postea nomen mutare, posset in fœmeninum verti, sicut ex Ioanne, Ioanna, ex Antonio, Antonia.

Sed quid faciendum, si mulier baptizata vt talis, ætate crescente fuerit in virum conversa? Resp. quód si Minister illam baptizans, alligavit intentionem sexui, debebat iterum baptizari, quia in Ministro defecit intentio, quæ necessaria est ad Sacramenti valorem; si autem intentionem, non alligavit ad sexum, sed habuit intentionem communem, faciendi quod Ecclesia facit, quod facere sic tenetur, vt suprá dicebamus, opus non erat Baptismum iterare, quia error ille Ministri, puré speculativus erat, qui nihil obstat ad Sacramenti valorem. In prædicto igitur casu, tantum necessarium erat, mutare nomen fœminæ in nomen viri, & hoc sentiunt aliqui, debere ab Episcopo fieri; sed re vera sufficiebat admonere Parrochum, & Patrinos, vt vitaretur nominis confusio; & ita videtur insinuari, L. vnic. codic. de mutat. nomin.

Nunc passim se offert, circa impositionem nominis baptizatis, eventus ille nostri Apostolici Patris D. Uincentij Ferrerij; cum enim Patrini de nomine imponendo infanti discordarent, Sacerdos vt litem terminaret dixit: Vincentius vocetur, quod illi statim approbarunt. Rectè quidem Sacerdos egit; nam licet parentes, soleant esse authores nominis imponendi, & Patrini sint tantum interpretes voluntatis eorum; sed tamen Minister, videtur esse aptus, ad dirimendum litigium de nomine; & hoc aliquando non sine prodigio evenisse audivimus; cum enim matrona quædam, obtulisset S. Raymundo de Peñafort, Ordinis nostri, fœtum quæm portabat in vtero, eius nomine insignire, si masculus esset, evenit sic; sed oblita postea, tempore Baptismi conficiendi, aliud pro infante nomen dedit, quod cum vir magnæ authoritatis occurreret, dixit: Raymundus etiam debet appellari & factum est ita, & hoc perveniente ad matris notitiam, cognovit oblivionem suam, fuisse mirabilitér emmendatam.

An autem pueris in Baptismo, liceat imponere nomen alicuius nondum appositi Beatorum catalogo? Affirmat Gobatus, de quodam volente imponere nomen filio, Petrus Canisius, ob prodigium, illius venerabilis viri, é Societate orti, cuius invocatione, matris extitit fœlix partus; Parrochus tali nomini restitit, sicut & ego resisterem, quia multis ab hinc sæculis, receptum est in Ecclesia, vt non nisi nomina sacra, baptizandis imponantur. Nec obstat: quód ait ille author, nempé quod in Hispania, multi vocantur Hurtado, Garcia, Gomez; hoc enim ego non probo, sicut nec approbare possum, consuetudinem aliquarum regionum, quæ nomina imponunt veteris testamenti, vt sunt Daniel, Ieremias, Abraham, &c. Túm, quia in lege gratiæ, abundans & ferè innumerabilis est sanctorum

copia, pro nominibus imponendis. Tùm, quia non est conveniens, vt cum Iudæis, nec in nominibus conformemur, sed cum lege Christi, quæ tot eximos edidit sanctos.

Casus duodecimus, de necessitate Baptismi. Puer quidam quinquenis, occulta manu de parentum rapiebatur aspectu, & ad occulta domus loca portabatur; parentes anxietate pleni, rem ad Parrochum deferunt; inquirit ipse, an ab aliquo familiarium, maleficium suspicaretur? negant illi, sed fatentur timidos esse, ne in Sacramentis á puero susceptis, aliquid esset nullitatis, tandemque memorantur, nondum ipsum Baptismum suscepisse, ob expectationem cuiusdam optimatis, qui eum ex sacro fonte deberet levare; celebratur Baptismus privatim, & puer atrociora experiebatur tormenta; confectis tandem Baptismi ceremonijs, puer quietus & illesus permansit. Quæritur: quid de hoc facto sentiendum? Sic Roverius refert, circa quod est dubium: an exorcismi in Baptismo sint adhibendi? Resp. affirmativé cum D. Thom. 3.p. q.71. art. 3. cuius rationem affert, ex eo quod per exorcismos, excluditur duplex impedimentum gratiæ recipiendæ, quorum vnum est extrinsecum, nam dœmones homini salutem impedire conantur, & hoc excluditur per exuflationes, quibus potestas dœmonis pellitur; aliud impedimentum, est intrinsecum, quia homo ex infectione peccati originalis, habet sensus præclusos, ad percipienda salutis mysteria, & ideo vngitur saliva in nasu & auribus, vt ad hæc aperiantur sensus; & ex horum defectu, orta fuit sensuum turbatio in casu prædicto.

Huic casui, affines sunt alij, quos hic summatim perstringo. Extitit quidam puer, qui vagiens in cunis, motu continuo capitis & oculorum, indicabat se horrida spectacula videre, & ætate crescente, dixit esse ante se nigrum hominem, qui die noctuque illum terribiliter minabatur; deducitur res ad ordinarium, & puerum iam sexenem, iterum baptizari permisit, licet esset satis certus, quod Baptismus fuerit rite á Parrocho ministratus, & hoc ita facto, puer quietus & serenus remansit. De hoc eventu, sic potest formari iudicium; ordinarius ille, non potuit rationabiliter dubitare de valore Baptismi, testimonio sibi præstito per Parrochum & patrinos; sed tamen scrupulum non inanem iniecit, illa circumstantia extraordinaria terroris in puero, vt sic operaretur Baptismum permittendo, quo tranquilitas consecuta est.

Simile quid, refert Gobatus de alio, qui vsque ad sexagesimum annum, huiusmodi fuit passus dœmonum terrores, nec in Sacramentis percipiendis quietem experiebatur; quæ circumstantiæ rectè perpensæ, ipsum impulerunt authorem, vt occultissimam Baptismi repetitionem sub conditione constituaretur; ex eo motus, quod per informationes sibi factas, optimé novit, talem hominem baptizatum fuisse ab obstetrice, ferè quotidie ebrietate madente, & consilium probavit eventus, nam Baptismo ritè illi collato, omnes anxietates & tenebræ diffugerunt, infusa securitatis luce; quæ omnia satis commendant Baptismi necessitatem, sine quo, nec salus esse potest, nec animarum quies.

Cum autem spectacula huiusmodi, evenerint ex defectu ritæ administrationis Baptismi, dubium est, quanta sit obligatio servandi ceremonias, & ritus pro Baptismo ab Ecclesia præscriptos? Resp. quód per se loquendo, id obligat sub mortali; imó asserit Nuño, suspectum esse de hæresi, qui hoc sine causa omittit. Ratio est: quia res est gravissima, præceptum antiquissimum de his observandis. Per accidens autem fieri potest, vt omissio ceremoniæ sit solum peccatum veniale, vel etiam nullum peccatum. Veniale quidem, cum solum ommittitur ceremonia parva, & non notabilis; nullum veró, quando ceremoniæ, ex iusta causa ommittuntur, vt fit in articulo mortis, baptizando imminentis.

Sed an quando quis domi baptizatur, sint sacræ ceremoniæ adhibendæ? Resp. quód si immineat periculum mortis infantis, non sunt adhibendæ, nec hæc potest esse Ecclesiæ mens, tunc enim omnis mora, mors est; si autem necessitas Baptismi non vrgeat, nullus absque solemnitate baptizare debet, quod patet. Tùm, quia accessus ad Sacramentum, non debet esse aridus & nudus. Tùm, quia Canones concedentes Baptismum in domo privata, loquuntur de Baptismo simpliciter, quod capi debet cum ritibus, & solemnitatibus. Tùm, quia si alicui datur facultas audiendi sacrum in die festo, in oratorio privato, etiam intelligitur esse data famulis suis, sine quibus nequit sacro interesse, convenientér suo statui, & sic idem dicendum de Baptismo cui ceremoniæ, quasi ancillæ famulantur.

Casus tertiusdecimus, de subiecto Baptismi. Homo quidam valde dives, prolem exoptabat maximé in sexu virili, vt esset opum & bonorum hæres, nec id assecutus est, vsque dum plures annos in matrimonio vixit; natus est igitur infans, & iam pater non meminit præturæ propter gaudium, quod cum in medio hyemis rigore, fuerit mulieris partus, & ingenti gelu cuncta rigerent, puerum per plures dies domi habet, quin ad sacrum Baptismum deferat ad Templum, ne infrigidetur aut ægrotet. Quæritur: an prudens fuerit, hæc parentis resolutio? Casus hic, petit vt explicemus, an Baptismus parvulorum, differri possit & quantum? De quo agit D. Thom: 3.p. q.68. art. 3. & 9. & asserit: laudabilius esse, pueros recenter natos, quam citius fieri possit, commodé baptizari, non expectata ætate perfecta, & huius tres rationes sequentes assignat.

Prima: quia propter imbecillitatem naturæ, facilitér pueri mori possunt, & damnari, & sic vt

hoc

hoc periculum evitetur, debent per Baptismum præveniri. Secunda: propter dœmones repellendos; non enim habent tantam potestatem in pueros baptizatos, & ab originali mundatos, quantam in infectos, nec quo ad nocumenta spiritualia, nec quo ad corporalia. Tertia, quia in pueritia, homo faciliús ad aliqua inducitur & illis adhæret; & omnia hæc frustrarentur, si Baptismus differretur, vsque ad finem vitæ, vel per longum tempus; vndé ait D. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. quód quamvis Baptismus in fine vitæ collatus, plura peccata præterita tolleret, sed pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideo minus esset vtilis; & etiam multis casibus est vita expósita, & posset contingere, vt qui Baptismum in fine vitæ accipere expectaret morte subita præventus, expectatione sua fraudaretur.

Si dicas: quód præceptum recipiendi Baptismum, est affirmativum, & sic solum obligat in tempore necessitatis, & sic D. Martinus, per octo annos mansit cathecumenus, & D. Ambrosius, non dum baptizatus, fuit in Episcopum electus. Resp. quód hoc est verum, de alijs præceptis affirmativis, sed non de præcepto Baptismi, qui necessarius est ad inchoandam vitam spiritualem, & sine illo, non possunt recipi alia Sacramenta; & ideo quam citius debemus Baptismo insigniri; quod si sancti illi, Baptismum distulerunt, hoc fuit ob humilitatis denotionem, quia non reputabant se esse sufficienter dispositos, & ideo exempla eorum, argumentum non faciunt.

Quid autem sentiendum sit, de adultorum Baptismo? Respondet D. Thom. quód in illis oportet differri, vsque ad certum tempus, cùm possit eis subveniri per Baptismi desiderium, quod constat 1. propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, Sacramentum conferens accedentibus ficté. Secundó, propter vtilitatem illorum, vt nempé instruantur plene in rebus fidei, & exercitentur in vita Christiana. Tertió, propter reverentiam Sacramenti, quod suscipitur devotius, in solemnitatibus præcipuis, vt sunt Pascha & Pentecostes; hæc tamen dilatio, patitur exceptionem in duplici casu, primo quando baptizandi, apparent satis idonei, & in fide instructi; secundó, propter infirmitatem, aut mortis periculum; vndé asserit D. Leo: Hi qui in necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis & naufragij vrgentur, omni tempore debent baptizari.

Sed quantum temporis, possit parvulis Baptismus differri? Resp. quód parentes, non tenentur illos baptizare, primo vel secundo nativitatis die; possunt enim si mors non imminet, Baptismum differre in diem octavum, decimum vel duodecimum; & licet Soto asserat, quod si plus differant, mortaliter peccant; Bartholomeus autem Ledesma dicit, hoc esse arbitrio prudentis viri reliquendum; post perfectam autem nativitatem corporalem, nequit certior assignari regula, nisi quod Baptismus, non nimium differatur sine causa, contra Ecclesiæ morem; vndé ait Castrus Palaus: crederem autem, secluså gravi causa, vltra mensem á nativitate, diuturnam esse dilationem, quia est contra communem praxim, & periculo scandali, satis expósita; sed vsus Catholicorum invaluit, per tres vel quatuor dies, Baptismum parvulorum differre, nec vlteriús procrastinare, & sic prudenter fieri asserunt Soto & Serra; ex quibus patet responsio ad casum propósitum.

Casus quartus decimus, circa idem. Nobilis quidam, mare percurrens, sociatus quodam Iudæo, de huius salute animo præcipiti anxius, illum aggressus, minatur ipsum proiecturum in mare, nisi Christum & eius fidem agnoscat; Iudæus autem, sibi necem imminere videns, fatetur sic; nobilis instat, vt Baptismum petat, & Iudæus similiter facit; at ipse aqua perfundit, verbis formæ prolatis, & hoc facto, Iudæum in mare mergit dicens, se animam mittere Deo, ne si Iudæus vivat, facti pœniteat, & damnetur. Factum hoc, á Marchantio refertur, & re vera, sic evenisse dicitur, qui modus operandi, pius fuit, si illius nobilis viri meditetur intentio; sed potiús crudelis est dicendus, quia ille crimen homicidij commisit, & Iudæum periculo damnationis expósuit, tum ob tentationes sub aqua irruentes, tum ob defectum supernaturalis doloris de peccatis, ad quæm illum, nobilis ille vir non excitavit, & sine quo, Baptismus non poterat animam lavare.

Sed dubitari potest: an talis Iudæus, veré fuerit baptizatus? Resp. quód si ille, sucepit ficté Baptismum, vel finxit se velle fieri Christianum, veré baptizatus non fuit; & ratio est: quia ad validam susceptionem Baptismi, requiritur verus consensus, non solum in ablutionem externam, sed in illam vt est ceremonia sacra; si autem veré consensit in Baptismi susceptionem, tanquam in rem sacram, & modo quo Christiani consentiunt in illum, non est de eius valore dubitandum. Nec obstat: quód consenserit per metum, per vim iniustissimam extortum, quod est contrarium consensui, vt statuitur in reg. iuris 116. nam regula illa, est intelligenda, de contractibus humanis, pactis & votis, quæ si ex metu fiunt rescinduntur, vel vt nulla declarantur, vt est matrimonium, professio religiosa, &c. alij veró actus, ab his distincti, nec ex natura sua, nec ex lege, propter metum sunt nulli, sed simpliciter voluntarij, licet involuntarij secundum quid, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6.

Vt autem, hoc innotescat ampliús, sciendum est generalitér: an requiratur intentio in baptizando ad Baptismum suscipiendum, & quænam illa debeat esse? De hoc agit D. Thom. 3. p. q. 68. art. 7.

circa

circa quod dicitur: quód in infantibus, & perpetuò amentibus, nulla requiritur propria voluntas, vel intentio suscipiendi Baptismum, sic sentiunt omnes Catholici, irridentes somnium Lutheranorum dicentium, quod parvuli dum baptizantur, hoc cognoscunt, & exercent actum fidei verum; nam vt ait Innoc. III. cap. Maiores de Baptismo: originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, sine consensu, per vim Sacramenti remmittitur; & idem testatur Trident. Sess. 7. Can. 3. de Baptismo dicens: Si quis dixerit, præstare ommitti parvulorum Baptisma quám eos non actu proprio credentes baptizare, in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

Sed quid de adultorum Baptismo sentiendum? Resp quód si adultus rationis compos, careat omni voluntate, & intentione recipiendi Baptismum, invalidé baptizatur; sic D. Thom. loc. cit. cuius ratio est. Tùm, quia vt ipse ait, q. 69. art. 9. Deus non cogit hominem ad iustitiam, & ideo ad hoc, vt aliquis iustificetur per Baptismum, requiritur quod voluntas hominis, amplectatur Baptismum, & Baptismi effectum. Tùm, quia per Baptismum, acquiritur novitas vitæ, & congruum est, vt hæc acquisitio, fiat per voluntatem illius, qui eam consequitur. Quare reijciendus est Cayetanus dicens: quód ad Baptismum adulti, sufficit voluntas neutra, id est, non habere voluntatem contrariam, sicut non habet Iudæus, qui nunquam aliquid de Baptismo audivit.

Quænam autem debeat esse talis voluntas, seu intentio ad Baptismum recipiendum? Sentio non requiri intentionem, & voluntatem actualem, sed sufficere virtualem, id est, quod illa fuerit præterita, & non retractata. Datur autem differentia inter baptizantem & baptizatum; quia ille qui alterum proposuisset baptizare, & id faceret dormiens, vel amens, Baptismum non conficeret, quia non operaretur modo humano; ille autem qui proposuisset baptizari, validé Baptismum reciperet in somno, nam actio perfectior est, & requiritur quod sit voluntaria de præsenti, dum fit; passio verò, sufficit quod per antecedens propositum sit voluntaria; dummodo non fuerit expressum vel implicitum propositum recipiendi Baptismum solum in vigilia. Et si dicas: si recipiens Baptismum, se habet passivé, ad quid requiritur eius intentio, cùm hæc, solum ex parte agentis requiratur? Resp. D. Thom. prædicta q. 68. art. 7. ad 1. quód in iustificatione, quæ fit in Baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideo requiritur intentio recipiendi, id quod ei datur; baptizatus enim, non est passum meré naturale, sed rationale & liberum, & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed recipiendi libere Sacramentum.

An verò requirantur, aliæ dispositiones in adulto ad Baptismum recipiendum? Resp. quód vt recipiatur validé, nulla alia requiritur dispositio, imò nec fides necessaria est, cum sine ista character imprimatur, sic D. Thom. q. cit. art. 8. & patet in hæreticis, de quibus ipse ait solut. ad 3. quód etiam non habentes rectam fidem, circa alios articulos, possunt illam habere, circa Sacramentum Baptismi, & etiam intentionem illud recipiendi. Nec opponitur his, id quod dicit, 2.2.q.5.art.3. nempé quod hæreticus circa vnum articulum, fidem non habet de alijs articulis; nam ibi solum intendit, non manere in hæretico, habitum fidei infusæ nec actum fidei supernaturalis; sed hic in 3. p. solum ponit in hæretico, rectam fidem circa Baptismum obiectivé, & non rectam, circa alias veritates fidei, & licet ille actus subiectivé, nec sit fidei, nec supernaturalis, hoc parum refert, nam sufficit quod ille habeat intentionem suscipiendi Baptismum, licet nihil credat de fide catholica.

Hæc dispositio sufficit in adulto, ad validam Baptismi susceptionem; vt autem recipiatur licité & fructuosè, vlteriùs requiritur fides, spes, & aliqua pœnitentia de peccatis mortalibus commissis. De fide constat; nam vt ait Paulus, sine fide impossibile est placere Deo, licet in articulo mortis, possit conferri Baptismus adulto, non plenè in fide instructo. De spe etiam patet, nam vt dicitur in Psalm. salvabit eos, quia speraverunt in eo. Tandem de pœnitentia, nam licet hæc non sit necessaria, pro remissione peccati originalis, benè verò pro remissione mortalis; & illa debet fieri per actum, ex supernaturali motivo provenientem; sed non requiritur quod sit contritio, nec vt talis existimata, sed sufficit quod sit attritio in re existens, quia nec ex natura rei, nec ex institutione Christi, datur obligatio eliciendi perfectam contritionem, de quo latè agit M. Prado, hic dub. 5.

Ex dictis resolvi potest, hic duplex casus. Primus est, de quodam puero, qui dum portaretur ad Baptismum, ingenti eiulatu, & inauditis gestibus opponebatur baptizanti, cum terrore præsentium. Ad quod dicitur: quód cum baptizandus, modo extraordinario Baptismo repugnat, illa resistentia despicienda est, quia præsumitur á dœmone proceedens, qui vim facit manibus & pedibus; & forte Angelus bonus, illos excitat clamores, propter aliquæm defectum Ministri, vel etiam quia ipse aliquæm defectū substantialem erat commissurus & disponente Deo, Baptismus differtur in aliud tempus. Secundus casus est: quidam Pater Ordinis nostri, plures apud Indos baptizavit, accedente autem muto & surdo á nativitate, illi negavit Baptismum. Rectè quidem egit; quia ille consensum & intentionem non habet, nec præsumi potest illam habuisse antea, nec vllam rerum supernaturalium notitiam; hoc autem iudicio Episcopi relinquēdum est, vel instruatur breviter, si hoc fieri potest, vt refertur de aliquibus mutis & surdis á nativitate, qui experti sunt idonei, ad Sacramenta suscipienda; si

autem

autem homo ille simul esset cœcus, debebat cum perpetuo amentibus computari, quia nullum actum liberum posset exercere.

Casus quintusdecimus, circa idem; natus fuit olim in Oriente, homo duplex superioribus membris, inferioribus simplex; nam duo habebat capita, duo pectora, quatuor manus, ventrem vnum, pedes duos, & tandiu vixit, vt plures illum videre possent; sic D. Augustinus refert, lib. 16. de Civ. Dei, cap. 8. Rursus ex Plutarcho refertur, quod apud Corinthum, infantem equa edidit, qui in partibus superioribus, á capite vsque ad manus, humanam figuram habebat; cætera verò membra, repræsentabant equum, cum voce pueri recenter nati; pro his & similibus, quæritur: quomodo possint & debeant monstra baptizari? Pro quo dicendum est: quòd monstrum ex virili humano semine non conceptum, nec sub conditione debet baptizari; nam vt ait D. Thom. 1. 2. q. 81. art. 4. si aliquis formaretur miraculosè ex humana carne, non contraheret peccatum originale, quia vis activa, non derivaretur ab Adam, & hoc modo peccatum originale traducitur, vt ait Trident. Sess. 5. Can. 3.

Sed si monstrum conciperetur ex homine & equa, vt forte fuit illud, de quo cum Plutarcho mentionem fecimus; sentiunt aliqui cum Possevino, Leandro, & alijs, posse baptizari sub conditione, nam peccatum originale, traducitur in prolem per semen virile; quod supponitur ibi extitisse; sed ex alia parte, cum semen virile, non sufficiat ad generationem humanam, sine concursu fœminæ, vel activo iuxta aliquos, vel passivo iuxta Arist. & D. Thom. 3. p. q. 31. art. 5. ex semine hominis & equæ, non oriretur homo rationalis, & ideo non esset baptizandus, nisi extarent manifesta indicia, vt nosceretur esse eiusdem speciei cum hominibus; sic tenent Trullench, & Henriquez.

De monstro autem illo, de quo agit D. Augustinus vbi supra, ait M. Soto: quòd si ex præcipuis membris, haberet aliqua geminata, vt duo capita vel pectora, tunc videtur geminandum esse Baptismum, quasi duo essent homines, vel deberent baptizari in plurali dicendo: ego vos baptizo, &c. Datur autem certissima regula, quæ fallere nequit, nempè quod si constet vnicum esse suppositum, simplici forma baptizandum est, si autem fuerint duo, geminandus est Baptismus vel eius forma; sed raro accidere potest, vt duo sint, nisi fuerint duo integra capita & pectora divisa, nam quando caput & pectus vnum est, etsi ex vmbilico alter hominem nascatur, sicut Paludanus se vidisse refert, non nisi vnicum est suppositum; hæc M. Soto.

Si autem certum non est esse duos, vel quia non sunt duo capita distincta, vel propter alia huiusmodi, tunc baptizato priùs vno, potest alter sub conditione baptizari dicendo: Si tu non es baptizatus; ego te baptizo; nec baptizet intentione vaga, quia sic nihil efficiet, sed determinet se ad vnum; sed re vera si intenderet baptizare quæm habet præsentem, sive esset vnus sive duo, non restringendo intentionem, Baptismus validus foret, quæ doctrina, est apud Authores communis; vndè Candidus & Navarro asserunt, quod si monstrum habeat caput ferinum, licet cætera membra sint humana, baptizandum non est, quia est dubium an sit homo, anima rationali præditus; quod si in hoc & simili casu, Parrochus sit dubius, Baptismum conferat sub conditione, si adsit periculum mortis illius, quod si hoc non adest, consulat viros prudentiores, præsertim medicos, qui forte rectius de hoc quam Theologi iudicabunt.

De alijs pluribus monstris facit mentionem Stengelius, lib. de monstris, vt de illo quod apud Belgium natum est, anno 1544. erat enim infans, horribili aspectu, ignitis oculis, ore manibusque bovinis, & in cornu figuram exsectis, dorso pillis caninis hispido, & simiarum faciebus in pectore impressis, oculis leporis in vmbilico afflixis, capitibus caninis, ad vtrumque cubitum, figura pedum cigni, cauda reflexa longitudine dimidiæ vlnæ, sic ortus est ex parentibus honestis & nobilibus, per quatuor horas vixit, & tandem expiravit dicendo: Vigilaté, Dominus Deus vester adventat; Rursus apud Constantiam ortum est monstrum aliud, sine vllo capite, sed oculis in humeris insertis; & Orosius refert, quod natus fuit olim Romæ infans quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor & totidem auribus, & natura virili duplex. Tandem alijs pluribus omissis, anno 1665. in Lituania, repertus est puer ab vrsa educatus, quæm nobilis vir attulit ex venatione, & præsentavit Vilnæ Episcopo, & hic Reginæ, & cum puer septenis esset, nihil loquebatur, sed instar vrsi murmurabat, comedebat herbas optimas ab ipso decerptas, & priùs alebatur carne cruda, quàm respuebat postea; creditum fuit, illum amissum á parentibus in silvis, tandem baptizatus fuit puer sub conditione, & ille aliquando induebat mores humanos, & aliquando relabebatur in ferinos.

Sed notandum, circa hanc monstrorum materiam, vt error auferatur vulgi, quod illa quantumvis brutalia sint & deformia, non indicant, nec levitér, parentum culpam, per bestialem congressum; huiusmodi enim effectus, naturaliter producuntur, si vehemens sit matris imaginatio, & tempore conceptionis, tales vel tales excogitet figuras; de quo datur efficax testimonium, in cap. 30. Gen. vbi dicitur, quod Iacob posuit virgas varias in canalibus, vbi adaquabantur oves, vt in aspectu earũ concipe-rent, & factum est, vt in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa & varia, & diverso colore respersa; & paucis ab hinc annis, apud Civitatem quandam Regionis nostræ, mulier peperit monstrum, serpenti D. Georgij simili-

milimum, quia eius continuam habuit meditationem. Vel etiam altior est causa, Deo sic permittente, propter occulta suæ sapientiæ iudicia, ipse enim scit signa & monstra antequam fiant, de quibus & similibus, potest iudicium formari, quo ad collationem Baptismi, ex doctrina superius adducta.

Pro huius articuli complemento, commemorandum est, quod passim super tetigimus in fine difficultatis quintæ pro casu comunitér occurrente, de pueris expositis, afferentibus scedulam Baptismi, an debeant iterum sub conditione baptizari, vel non? Negativam partem ibi tenuimus cum Prado, & Soto, qui asserit hæc: expositi veró infantuli, si in scriptum ferant fuisse baptizatos, quamvis nomen talis non prodatur, nullatenus sunt rebaptizandi, cuius rationem asignat: nam tunc datur moralis certitudo de Baptismo, nec credendum est, Christianum aliquem mentiri, in re tanti momenti: præcipué, cum in materia Baptismi, & in foro conscientiæ, vnicus testis sufficiat, & in eo casu, regularitér sunt duo testes; nam obstetrices, sciunt baptizare, & non scribere, vndé alius scribit, & alius baptizat. Præterquam, quod infantes exponuntur sæpé, non imminente periculo illorum, nec matris, sed ob paupertatem, vel etiam ad occultandum peccatum, & ad hoc solet vocari Sacerdos qui baptizet, & ad vitandam rebaptizationem testimonium confert de priori Baptismo, sed non subscriptum, vel iuridicum, ne ex circumstantijs manifestentur personæ; sic sentit Antonius á Spiritu Sancto, & plures alij apud Prado.

His non obstantibus, asserunt Salmaticenses, quod tales pueri, debēt iterum sub cōditione rebaptizari, cuius dicti, plures citant Authores, & ex eo moventur, quod licet pueri expositi, testimonium Baptismi portent in scedula, sæpé baptizantur á sæcularibus, vel mulieribus, quæ facilitér turbantur, & in forma proferenda errant; quapropter, apud Civitates aliquas in praxi est, tales pueros iterum sub conditione baptizare, vt ipsi referunt fieri, in Hospitali expositorum Toleti & hoc etiam plures Domini Episcopi, in suis Diœcesibus insserunt exequi, post maturas Theologorum consultationes. Hoc iudico probabile, saltim propter authoritatem tantorū virorū; sed re vera, inter fideles, & catholicos, difficile est credere, testimoniū illud Baptismi collati puero expositi, non esse moraliter verum, & ideo assenti em priori sententiæ, de non iterando Baptismo, nisi claré constaret, non esse rité collatum. Aliud esset in terris, in quibus daretur Iudæorū, vel mulierū sagarū infectio, tunc enim esset dubitatio prudēs de valore testimonij, & Baptismus deberet sub conditione iterari; licet copia talis gentis apud nos non sit frequens, sed rarissimé contingens.

ARTICVLVS III.

De Sacramento Confirmationis.

Prima difficultas: De essentia, & institutione Sacramenti Confimationis; Et quidem certum est, secundum fidem, Confirmationem, esse verum novæ Legis Sacramentum, ab alijs distinctum, quod constat ex Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacramentis, & ex cap. 8. Act. Apost. imponebāt manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, & 2. ad Cor. 1. dicitur: qui confirmat vos in Christo, & qui vnxit vos Deus; Ratio autē asignatur á D. T. ex eo quod vita spiritualis, naturali vitæ conformatur, vndé sicut in naturali, post primum esse, datur robur virium, idem in vita spirituali contingit, cuius esse datur in Baptismo, & robur in Confirmatione; quæ ratio sic explicatur á M. Soto: Quoties in vita spirituali, occurrit nova difficultas, novum etiam requiritur Sacramentum; sed præter difficultatem credendi, quæ vincitur per gratiam Baptismalem, nova difficultas remanet, in profitenda side coram Tyrano persecutore, mortis periculum offerente, quare dixit Paulus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: ergo pro hac difficultate vincenda, requiritur novum auxilium, quod est confirmationis Sacramentum.

Si dicas: Hinc oppositum sequi, nam robur spirituale, debet acquiri per alimentum, sicut robur naturale sic acquiritur. Contra est: nam robur spirituale, non acquiritur per solum alimentum, nam confirmatus, habet robur sicut miles, & athleta Dei, quod fit per Vnctionem Chrismatis, vndé dixit Chrysostomus de Baptista: Ungebatur tanquam fortis athleta. Præterquam, quod placuit bonitati Dei, robur baptizatorum citius perficere, & tempus alimenti, & nutritionis non expectare, vt fecit cum Apostolis in die Pentecostes, Spiritum Sanctum mittendo; quare dicitur ad Ephes. 1. credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, quod Sancti Patres, de Sacramento Confirmationis intelligunt.

Sed obstat contra hoc, primum D. Thom. argumentum: nam Sacramenta, habent efficaciam ab institutione Christi, & non legitur, quando Christus Confirmationem instituit. Hoc petit vt explicemus, tempus quo fuit institutum Sacramentum confirmationis? Ad quod relictis pluribus. Resp. illud fuisse institutum á Christo, in suprema nocte cœnæ, & quia ibi Crisma conficere docuit, & quia tunc eius effectum promisit, & forte propter hoc, Chrisma in die cœnæ consecratur: patet hoc ex Fabiano Papa, Epist. 2. ad Oriental. vbi air: Dominus Iesus, postquam cœnavit, Crisma conficere docuit; & hæc est ratio cur Ecclesia in die cœnæ, novum Crisma consecrat & conficit, & vetus comburit,

burit, & re vera tunc fuit tempus opportunum, cum promissus fuit Spiritus Sanctus, qui vnctio animarum est, vt ait Ecclesia.

Dices: quód si tunc solum operabatur Christus per promisionem: ergo tunc confirmationem non instituit, sed promisit eius institutionem. Resp. quód Christus operatus est per promisionem effectus Sacramenti, sed tamen per actualem institutionem illius, vt ait D. Thom. sol. ad 1. & hoc sufficit vt absoluté, tunc fuerit institutum confirmationis Sacramentum, & ratio est: quia gratia conferenda, est effectus Sacramenti in genere causæ efficientis, & hæc, est extra institutionem, & essentiam rei, quæ formalitér in eius forma, & materia consistit, quæ in nocte cœnæ fuerunt á Christo institutæ.

Explicatur hoc: quia communis Patrum doctrina asserit, Baptismum fuisse á Christo institutum in Iordane, & tamen postea dedit Apostolus, potestatem baptizandi; & similitér Sacramentum Eucharistiæ, fuit institutum in nocte cœnæ, & potestas consecrandi, vsusque illius, postea fuerunt subsecutæ in Apostolis: ergo similitér dicendum est de Confirmatione, quod nempé fuerit instituta, quo ad essentiam & formam, & quasi in actu signato, in nocte cœnæ, licet quo ad effectum gratiæ, vel vsum exercitum illius, postea fuerit, per ministrorum actionem subsecuta. Sed dices: quód Concilium Trid. probat, Sacramentum pœnitentiæ, institutũ fuisse, cũ Christus dixit: accipite Spiritum Sanctum, quia tunc Apostolis collata est potestas remittendi peccata: ergo idem dicendum de Sacramento confirmationis, nempé fuisse institutum, cum data est Ministris potestas, gratiam conferendi per illud.

Resp. neg. conseq. & ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ ante illud tempus, non fuit vllo modo institutum, sed solum promissum; Sacramentum veró confirmationis, non solum fuit promissum in nocte cœnæ, sed re vera institutum, cum determinata materia & forma; deindé: quia Sacramentum Pœnitentiæ, præcipué situm est in absolutione, quæ sine potestate nequit intelligi, quod non contingit in Sacramento Confirmationis. Substantialitér igitur, institutio Sacramenti Confirmationis, fuit in die cœnæ, in qua Dominus docuit Chrisma conficere, & effectum promisit, & formam expressit. Nec obstat, quód id Evangelistæ non declarant; nam vt ait D. Thom. hic art. 4. ad 1. Multa servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communitér propositis, non sunt traddita: quod si aliquando dicunt Sancti Patres, Sacramentum Confirmationis incepisse in adventu Spiritus Sancti super Apostolos, hoc intelligendum est, de inceptione, quo ad visibilem manifestationem, sed non quo ad substantialem institutionem.

Secunda difficultas: De materia Sacrament Confirmationis, & in primis certum est, materiam remotam confirmationis, esse oleum mixtum balsamo, quod constat ex Trident. Sess. 6. Can. 2. Si dicas: quód etiam Florentin. ait: Actus pœnitentis, in quibus comprehenditur satisfactio, esse materiam pœnitentiæ, & tamen hæc non est materia essentialis, & sic idem de Chrismate dicendum est. Resp. quód solum illud est materia essentialis Sacramenti, quod præcedit eius confectionem; satisfactio autem non præcedit, sed subsequitur pœnitentiam, & ideo materia essentialis non est, cuius contrarium in Chrismate contingit. Præterquam, quod Concilium, omnes actus pœnitentis, non vocat absoluté materiam, sed quasi materiam, Chrisma veró, absoluté materiam vocat, & ideo est materia essentialis; de quo D. Thom. hanc rationem affert: nam oleum quod fluens est, significat largitatem gratiæ, & sic dicitur in Psalm. vnxit te Deus oleo letitiæ; deinde balsamum ratione sui odoris, designat suavitatem, quám fideles in alios debent diffundere, iuxta dictum Pauli: Christi bonus odor sumus Deo: ergo illa est conveniens materia confirmationis.

Dices: quód Apostoli, per impositionem manuum confirmabant, vt dicitur Act. 8. sine vnctione olei, nec balsami. Resp. quód illi vtebantur aliquo simili oleo & balsamo, & ideo Spiritus Sanctus venit in igne, qui fert significationem olei, & in linguis, quæ respondent rectæ conversationi, in balsamo designatæ. Vel dicatur: id fuisse concessum Apostolis ex speciali privilegio, quia habuerunt primitias Spiritus Sancti; nec ideo illud Sacramentum, fuit á nostro distinctum, quia materia, solum entitativé erat diversa, sed formalitér vt significans eadem erat, sicut ordinatio Græci, & Latini eadem est formalitér, etsi conferatur per actiones materialitér diversas.

Si dicas: Baptismus, habet pro materia simplicem aquam: ergo etiam confirmatio, quæ perficit illum, habet simplex oleum. Resp. neg. cons. nam Baptismus confert vitam spiritualem simplicitér, & ideo habet pro materia simplicem aquam; confirmatio autem, roborat vitam, & datur ad consequendam plenitudinem Spiritus Sancti, diversimodé operantis, & sic requirit vlteriorem materiam, nempé balsamum; sicut etiam in vita naturali, plus requiritur ad roborandam & solidandam membra, quám ad viventis simplicem productionem.

Constat ex his, proprium effectum confirmationis esse, augmentum gratiæ ad roborandam fidem, & specialia auxilia consequenda, vndé hæc est perfectior gratia Baptismali; nam gratia confirmationis, perficit animam, in ordine ad aliquid altius, quám gratia Baptismi, nempé ad fidem profitendam, & defendendam exteriús. Nec obstat: quód

Bap-

Baptiſmus eſt initium ſpiritualis vitæ, & remittit peccatum originale; hoc enim facit gratiam Baptiſmalem, perfectiorem ſecundum quid, vt enim ait Seneca, quædam initium ab alijs trahunt, & tamen initijs maiora ſunt, quod explicat exemplo radicis & arboris: præterquam, quod Baptiſmus eſt efficacior ad remotionem mali, confirmatio verò, ad augmentum boni, quod eſt perfectius.

Sed eſt notandum: quód oleum pro materia confirmationis, debet eſſe ex olivis expreſſum, quia hoc ſolum proprié dicitur oleum, & in vſus hominum venit, ſicut eadem ratione, aqua naturalis eſt materia Baptiſmi, & vinum de vite eſt materia Euchariſtiæ. Sed eſt dubium, an mixtio balſami cum oleo, ſit de neceſsitate Sacramenti? Reſp. affirmativé, nam materia confirmationis eſt Criſma, quod proprié ſignificat oleum balſamo mixtum, & id aſſerit, Concil. Flor. d cens, quod materia confirmationis, eſt oleum confectum ex oleo, & balſamo.

Dices: quód idem Concil. ait: materiam conſecrationis Calicis, eſſe vinum aqua mixtum, & tamen aqua, non eſt de neceſsitate Sacramenti. Reſp. quód non ait Concilium materiam Euchariſtiæ eſſe vinum aqua mixtum, ſed cui debet miſceri aqua; ſed de materia Confirmationis, ait eſſe criſma confectum ex oleo, & balſamo, quod diverſum eſt, nam potus, ſufficientér ſalvatur in vino ſine aqua, & ideo hæc non eſt eſſentialis Sacramento, roboratu autem, & bonus odor fidelium, non ſalvatur in oleo ſine balſamo, & ideo, diverſa eſt ratio vtriuſque,

Nec obſtat: quód Sancti PP. ſæpé vocant Confirmationem, Sacramentum olei; hic enim loquendi modus, denominationem capit á parte magis præcipua quantitatis, licet etiam balſamum ſit admixtum. Dices: non eſt conveniens aſsignare Sacramentis materiam, quæ raro invenitur, vt eſt balſamum. Reſp. quód Confirmatio non eſt tam neceſſaria ſicut Baptiſmus, & ideo materia eius, non debet tam facile inveniri ſicut aqua. Præterquam, quod balſamum maxime abundat, apud plures regiones, & vt ait Brocardus, in loco vbi B. Virgo, cum Filio & Sponſo fugit ab Herode, eſt hortus balſami largiſsimé fluentis; & Regina Sabá, plantam balſami dedit Salomoni, de qua modo Ægiptus abundat.

An autem Criſma pro Confirmatione, debeat eſſe á ſolo Epiſcopo conſecratum? Reſp. affirmativé; Nam Concilium Florentinum citatum, eodem modo aſſerit, criſma confectum ex oleo & balſamo, eſſe materiam Confirmationis, & debere ab Epiſcopo conſecrari; ſed primum eſt de eſſentia Sacramenti: ergo etiam ſecundum. Si opponas: quod ſimplex Sacerdos ex comiſsione Papæ poteſt Confirmare, quod eſt quid maius: ergo etiam poterit conſecrare criſma, quod eſt minus. Reſp. neg. conſ. nam etiam homo poteſt producere hominem, quod eſt maius, & nō formicam, quæ eſt minus, & ſimilitér Sacerdos poteſt conficere Euchariſtiam, & non poteſt conſecrare Altaria, quod minus eſt. Ratio autem eſt: nam congruum fuit pro dignitate materiæ huius Sacramenti, vt conſecraretur á primis Eccleſiæ Sacerdotibus.

Sed quia ſemper paritas inſtat, de collatione Sacramenti ex comiſsione Papæ. Reſp. quod non eſt eadem ratio de conſecratione criſmatis; & diſparitas eſt: nam conficere criſma, pertinet ad dignitatem Epiſcopalem, quæ nequit extendi ad Sacerdotem ſimplicem; conferre autem Sacramentum, pertinet ad iuriſdictionem, quæ ex comiſsione Papæ poteſt extendi. Nec his obſtat, Bulla, quæ ſolet citari Vrbani II. quæ concedit cuidam Abbati, privilegium conſecrandi criſma; hæc enim Bulla apocrifa eſt, vt ait Prado, vel forté loquitur, privilegium, de criſmate pro Eccleſijs conſecrandis.

Tertia difficultas: De forma Sacramenti Confirmationis. Secundúm fidem catholicam certum eſt, hanc eſſe formam convenientem Sacramenti Confirmationis: Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Amen. Hoc probat D. T. hic art. 4. authoritate Eccleſiæ, quæ vtitur illa forma, quod etiam decernitur in Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. & idipſum ratio ſuadet: nam forma Sacramenti, debet continere quod pertinet ad eius ſpeciem; in hoc autem Sacramento, tria continentur, primum, cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, & continetur in illis verbis: in nomine Patris, &c. Secundúm, ipſum robur ſpirituale collatum per materiam viſibilem, quod tangitur dicendo: confirmo te Chriſmate, &c. Tertiúm, ſignum, quod datur bellatori, ſicut milites decorantur inſignijs ducum, & ad hoc dicitur: conſigno te ſigno crucis, in quo ſigno triumphavit Chriſtus Rex noſter.

Sed inquires: an tota hæc forma eſſentialis ſit, & de neceſsitate Sacramenti? Suarez affirmat & aſſerit hoc eſſe fide, & Nuño dicit, quód oppoſitum eſt temerarium, & ducuntur ex authoritate Concilij Florentini citati. Sed re vera, nulla cenſura dignus iudicari deberet, qui diceret illam formam convenientiſsimam eſſe, & neceſſariam neceſsitate præcepti, non autem eſſentialem, ita vt aliqua eius parte omiſſa, Sacramentum non perficeretur; quod conſtat. Túm, quia forma Græcorum, nempé: ſignaculum donationis Spiritus Sancti Amen, nec in ſenſu æquivalet traditæ, & non eſt de fide, quod non ſit valida. Túm, quia magis eſt determinata á Chriſto forma conſecrationis Calicis, quám forma confirmationis, quia illa, fere tota habetur ex Scriptura & Patribus, hæc verò, ſolum ex vſu Eccleſiæ; & tamen non ſolum, non eſt de fide, omnia verba eſſe de eſſentia conſecrationis Calicis ſed ipſe Suarez, negativæ ſententiæ adhæret, & vix affirmativæ probabilitatem relinquit

ex

ex eo motus, quod á noſtra forma diſentiunt Græci: ergo idem de forma confirmationis diſcurrendum eſt.

Hoc dictum eſt, quantum pertinet ad incautam cenſuram; ſed quantum attinet ad rem ipſam, iudico veram ſententiam D. Thom. & Theologorum aſſerentium, totam illam formam, vel aliam ei ſubſtantialitér æquivàlentẽ, eſſe de eſſentia, quod conſtat á paritate de forma Baptiſmi, & etiam ex dictis, de requiſitis ex parte materiæ confirmationis, nam Eccleſiæ tradditio, æqué eſt certa de materia ac de forma. Præterea, videtur probabile aſſerere quod in prædicta forma, poſſunt diſtingui partes eſſentiales & integrales, ſicut diſtinguuntur in Sacramento pœnitentiæ, & probabile eſt etiam diſtingui, in forma conſecrationis Calicis, & eſt indubitatum, has partes diſtingui, in alijs compoſitis naturalibus, & accidentalibus. Hæc diſtinctio conducit ad ſciendum, quod Græci differunt á nobis, in partibus ſignificativis formæ, ſed non in ſignificatione eſſentiali, ſed integrali, ac pro indé validum perficiunt Sacramentum; Latini veró peccarent mortalitér, ommittentes ſubſtantiam ſuæ formæ, quia Chriſtus commiſit Eccleſiæ, vt determinaret partes, quæ debent integrare formas, & materias Sacramentorum, de quo ampliús dicemus infrá, dum agamus de forma conſecrationis Calicis.

Nunc ſingulæ formæ particulæ, reſtant examinandæ, & in primis de illis verbis, ſigno & conſigno, an ſint de eſſentia? Negant aliqui cum Bellarmino & Henriquez; ſed oppoſitum deducitur ex Concil. Florent. citato, vbi vtrumque ponitur verbum; vndé ſicut ex parte materiæ requiritur oleum, balſamum & benedictio Epiſcopi, & quolibet deficiente, non perficitur Sacramentum, ita ex parte formæ, requiritur ſignatio crucis, confirmatio per Chriſma, & invocatio expreſſa Trinitatis. Nec obſtat: quod in Baptiſmi forma, ſolum ponitur vnus actus, nempé baptizo, & non fit mentio de conſignatione characteris, nec de cruce Chriſti, licet per Baptiſmum commoriamur cum illo, & conſequentér, nec id requiritur in forma confirmationis, quæ debet conformari cum Baptiſmo, ſicut perfectio cum ſuo perfectibili. Reſp. quód non eſt paritas, & optimam rationem aſsignat D. Thom. loc. cit. ad 3. nam Baptiſmus, eſt regeneratio in ſpiritualem vitam, qua homo vivit in ſe ipſo, & ideo in Baptiſmo, non ponitur niſi vnus actus, ad eius ſanctificationem pertinens; confirmatio veró, non ſolum ſanctificat hominem in ſe ipſo, ſed illum exponit exteriori pugnæ, & ideo non ſolum explicatur ſanctificatio interior dicendo: confirmo te, &c. Sed etiam conſignatur homo exterius, quaſi vexillo crucis ad pugnam ſpiritualem, cum dicitur: conſigno te ſigno crucis.

Ex quo deducitur, quod expreſsio crucis, eſt de eſſentia formæ confirmationis. Tùm, quia alias ſine formatione crucis, poſſent verba retinere verum ſenſum. Tùm, quia in Baptiſmo, non ſufficit abluere in exercitio, niſi hoc exprimatur verbis, & ſic idem dicendum de confirmatione. Tùm, & eſt ratio D. Thom. quia in hoc Sacramento, duces belli ſpiritualis, armant Chriſtianos, vt milites ad ſpiritualem pugnam, & ideo debet exprimi crux, quæ eſt ſignum collatum pugnatori. Demum, eſt de eſſentia formæ, invocatio expreſſa trium perſonarum Trinitatis, ad quod eſt congruentia D. T. nam in confirmatione, debet explicari cauſa, conferens animæ plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ tota Trinitas eſt, indiviſſe operans ed extra; & in hoc, confirmationis Sacramentum, debet cum Baptiſmo conformari, in quo explicite fit, trium divinarum perſonarum invocatio.

Quarta difficultas: De Miniſtro confirmationis. Circa quod certum eſt ſolum Epiſcopum eſſe confirmationis Miniſtrum ordinarium, ſic habetur in Trident. Seſſ. 7. Can. 3. de confirmat & idem ait D. Thom. art. 11. cuius pulchram & elegantem aſsignat rationem: nam fideles ſunt ædificium Dei, vt ait Paulus 1. ad Cor. 3. inſuper ſunt Epiſtola Dei, vt dicitur 2. ad Cor. 3. nunc ſic: in quolibet ædificio, licet præparatio materiæ pertineat ad Miniſtros inferiores, vltima verò operis perfectio, pertinet ad ſupremum artificem; inſuper, licet Secretarius ſcribat Epiſtolas Regis, ipſe tamen Rex eas conſignat: ergo ſimilitér, homo qui ædificatur in Baptiſmo, & conſcribitur vt Epiſtola Dei, debet per Epiſcopum compleri, & conſignari in confirmatione.

Dices: ſummitas capitis, quæ eſt pars ſuperior, poteſt vngi á Sacerdote ſimplici in Baptiſmo: ergo etiam frons, quæ eſt inferior pars, poterit vngi in confirmatione. Reſp. quód vnctio per Chriſma, non reſervatur Epiſcopis, ob ſuperioritatem partis vngendæ, ſed propter perfectionem gratiæ quæ confertur; in Baptiſmo enim, ſolum datur gratia regenerativa ſimplicitér, & hoc fit á quolibet Miniſtro; in confirmatione veró, datur gratiæ plenitudo, roborans animã quæ quid perfectius eſt, & ideo perfectiorem Miniſtrum, ad ſui collationem expoſcit.

Nec obſtat, quód dicitur 1. ad Tim. 4. quód gratia data eſt, per impoſitionem manum Presbyteri. Reſp. enim, quód vt D. Thom. notat ibi, non dicitur Presbyteri, ſed Presbyterij, & ita legitur in Biblijs novis, quæ omnino ſunt diverſa, ſic enim non denotatur Presbyter, vt confirmationis Miniſter, ſed modus imponendi manus. Vel etiam dicitur: quód nomine Presbyteri, Epiſcopus intelligitur, quia Presbyter, idem eſt quod ſenior, & ideo Epiſcopi quo ad nomen, vocabantur Presbyteri; quod ſi Ananias Paulum confirmavit manus imponendo, illa non fuit actio confirmativa, ſed ſana-

tiva, vt ait Augustt. iuxta illud: super ægros manus imponent.

Maior difficultas est: an simplex Sacerdos ex Papæ comisione, possit Sacramentum Confirmationis conferre? Resp. id posse committere Papam Sacerdoti simplici, non veró Diacono, etiam Cardinali. Sic tenet D. Thom. q. de confirmat. art. 11. ad 1. asserens: quód id concesit B. Gregorius, vt simplices Sacerdotes, hoc Sacramentum conferrent. Nec valet dicere, quod illos simul cum privilegio constituit Episcopos. Non inquam valet; quia potestas Episcopalis, est indivisibilis, & sic illa collata, nulla fuisset facta dispensatio.

Alij dicunt, quód hoc absoluté non dispensavit Gregor. sed reliquit impunitum, ad evitandum scandalú, vt videtur constare ex verbis ipsius & D. T. Sed hoc etiam falsum est, alias Sanctus, illos Presbyteros fefelisset, quod est absurdum. Deindé, nam Concilium Florentinum, expresé asserit, hanc potestatem, posse de plenitudine potestatis, á Sede Apostolica simplici Sacerdoti committi; vndé licet Authores tale Concilium præcedentes, oppositum senserint probabilitér, sed post illud, tenenda est nostra sententia, tanquam Ecclesiæ sanctio; sic sentit Mag. Soto.

Quód autem hæc potestas non possit committi Diacono, expresé habetur, apud D. Thom. in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. & huius optimam rationem assignat: quia non est conveniens, vt non habens potestatem, suprá Corpus Christi verum, habeat illam suprá eius corpus misticum, quia hæc, ab illa oritur; sed non Sacerdos, non habet potestatem, suprá Corpus Christi verum, & licet possit facere matrimonium, hoc est quià contrahentes sunt Ministri, & etiam Baptismum, ob eius summam necessitatem: ergo nequit illi conferri potestas, suprá corpus misticum, ad conferendum Sacramentum confirmationis, quod valdé perfectum ministerium est.

Sed obstat, contra primam partem: quód sine Ministro á Christo instituto, nequit Sacramentum confici; sed Minister institutus á Christo pro confirmatione, est Episcopus: ergo nullus alius Minister est. Resp. dist. min. Episcopus est Minister ordinarius, conc. extraordinarius, & ex privilegio speciali, neg. hoc enim secundum concedimus simplici Sacerdoti. Dices: quód hæc comisio, nequit á Papa conferri per potestatem ordinis, quia alias etiam Episcopi id possent, nec per potestatem iurisdictionis, quia confirmare, á potestate iurisdictionis non pendet: ergo, &c.

Resp. quód illa comisio, pendet á potestate iurisdictionis; licet enim potestas confirmandi perfecta & completa, vt est in Episcopis, á potestate iurisdictionis non pendeat, bené veró si est imperfecta & incompleta, vt reperiretur in simplici Sacerdote in casu nostro, qui etiam confirmaret per potestatem ordinis, vt connotantem in Papa, potestatem supremæ iurisdictionis. Nec Episcopus, id potest in sua Diœcesi. Tùm, quia hæc est res ardua & dificilis, supremæ potestati Ecclesiæ reservata. Tùm, quia plures asserunt probabiliter, quod consecratio Pontificis, eius potestatem ordinis altius elevat, & ideo ratione huius excellentiæ, ad plura potest extendi, quám potestas ordinis in Episcopo.

Quinta difficultas: De subiecto confirmationis; circa quod dicendum est 1. quód omnes baptizati, sunt capaces huius Sacramenti; cuius ratio est duplex. Prima: quia omnis natus naturalitér, est capax vt roboretur & sic idem est de nato spiritualitér per Baptismum, qui capax est, vt roboretur per confirmationem. Secunda: quia per confirmationem, promovetur homo ad perfectam ætatem; hoc autem est de intentione naturæ, vt omnis qui nascitur, ad perfectum statum perveniat, & consequentér, hoc multo plus erit de intentione Dei, cuius opera sunt perfecta.

Infertur ex hoc 1. quód omnis sexus & ætas, capax est confirmationis; de pueris constat, nam ætas puerilis, non præiudicat animæ, nam vt dicitur, Sap. 4. senectus venerabilis non est diuturna, nec annorum numero computata; de mulieribus patet: quia vt ait Chrisostomus, apud Deum, fœmineus etiam militat sexus; vndé multæ fuerunt mulieres, quæ homines in tormentis sufferendis excesserunt. Vlteriús, etiam potest conferri hoc Sacramentum, statim morituris, licet in eis non expectentur agones, quia hoc est per accidens, & etiam quia in alia vita, maiorem gloriam recipient, propter gratiam huius Sacramenti, nam anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est; sic habet D. Thom. in 4. dist. 7. q. 3. art. 2. & hic q. 72. art. 8. ad 4. quia tamen, non vacat Episcopis, ad singulos pueros morientes accedere, nec hoc Sacramentum est ad salutem necessarium, ideo non solet talibus confirmatio conferri.

Infertur 2. quód character confirmationis, supponit ex necessitate, characterem Baptismi, sic D. Thom. hic art. 6. vndé si confirmaretur aliquis non baptizatus, nihil reciperet & ratio est: quia Baptismus, est principium spiritualis vitæ, & sine principio, nullus datur effectus subsequens; & vlteriús: quia confirmatio correspondet augmento naturali, & Baptismus nativitati; impossibile autem est aliquæm augeri, quin prius sit genitus & natus. Maior autem difficultas est: an possit dari effectus confirmationis, sine effectu Baptismi. Ad quód dico: quód hoc non potest fieri per se, ob rationem dictam; per accidens veró, & miraculosé fieri potest, vt casú quo quis profiteatur fidem, supplente Baptismo flaminis, Baptismum aquæ, & etiam cum præcedit Baptismus fictè susceptus, & postea recipitur Sacramentum confirmationis.; sic D. Thom.

Thom. loco citato ad 3.

Sed oppones 1. quia multi sunt fidem publicé confessi absque Baptismo, & sic effectus confirmationis, potest sine Baptismo haberi. Secundó Apostoli fuerunt confirmati, in Adventu Spiritus Sancti, & de eorum Baptismo, nihil legitur. Tertió in sacris ordinibus, ordo superior, non supponit inferiorem, & si quis superiorem accipit, non iterum reordinatur de inferiori ordine : ergo nec Sacramentum confirmationis, supponit ex necessitate Baptismum; hæc omnia argumenta sibi objcit D. Thom. & resp. solutione ipsius.

Ad 1. Resp. quód virtus Dei, non est alligata Sacramentis, & sic potest Deus absolutè, conferre alicui, spirituale robur, ad confitendum publicé fidem, absque Sacramento confirmationis, sicut potest tribuere effectum gratiæ Baptismi, sine Baptismo in re suscepto, per votum vel desiderium illius. Ad 2. Resp. quód Apostoli fuerunt baptizati, vt constat ex dicto Christi: qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lavet, vt sic Christus haberet baptizatos servos, per quos baptizaret alios.

Nec obstat: quód Spiritus Sanctus venit super Apostolos, & postea D. Petrus, iussit illos baptizari, vt dicitur Act. 10. Resp. enim, quod receperunt effectum confirmationis miraculosé, non autem confirmationis Sacramentum, effectus enim confirmationis, aliquando per accidens reperitur, sine effectu Baptismi, vt vidimus; & in Apostolis; congruum est hoc ita contigisse, miraculoso & extraordinario modo, in testimonium fidei gentium. Ad 3. dicitur: quód Baptismus præstat potentiam passivam, sine qua nulla potentia datur; ordines verò se habent, vt potentiæ activæ, in quibus inferior non supponitur necessario ad superiorem; sic D. Thom. loc. citato ex sententiarijs q. 2.

Sexta difficultas: An detur præceptum recipiendi Sacramentum confirmationis? Resp. quód per se & directé, non datur tale præceptum, licet possit dari per accidens, & indirectè. Prima pars constat ex D. Thom. 3. p. q. 65. art. 4. vbi ait: quód omnia Sacramenta, sunt aliqualitér necessaria ad salutem, quædam verò, quæ cooperantur ad perfectionem salutis, & hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea, possit esse salus, dum non prætermitatur ex contemptu Sacramenti. Nec obstat: quód tenemur esse perfectè Christiani, quod fit per confirmationem; nam solum tenemur esse perfectè Christiani, quo ad sufficientiam, quod fit per Baptismum, sed non quo ad abundantiam, quod fit per confirmationem.

Ratio autem est: quia præceptum obligans sub mortali, non debet statui, sine vrgenti fundamento, nullum autem datur præceptum de confirmatione suscipienda, nec Scriptura nec Patres, nec Pontifices, hoc aliquando asserunt, licet vtilitatem & efficaciam Sacramenti confirmationis defendant; vlteriùs hoc colligitur ex vsu Ecclesiæ, quæ hoc non præcipit, sed solum invitat, tanquam ad bonum & vtile, nec ad eius receptionem, censuris obligat; & demum iure Ecclesiastico, hoc præceptum non est, quia Ecclesia circa necessitatem Sacramentorum, non alterat ius divinum, & cum ius divinum, tale præceptum non imposuerit, nec Ecclesia illud imponit.

Secunda pars, nempé quod aliquando per accidens obliget præceptum confirmationis, patet ex verbis adductis D. Thom. dicentis: dum tamen non prætermitatur ex contemptu Sacramenti; vndé si adsit contemptus, vel scandalum, obligat præceptum confirmationis; sed non sufficit ad contemptum incuria recipiendi, alias omnes qui non curant recipere matrimonium, vel ordinem, hæc Sacramenta contemnerent, quod falsum est; sic D. T. loco citato. solutione ad 3. vndé contéptus cõfirmationis est, si detur scandalum, vel Sacramentum parum æstimetur; & etiam potest per accidens obligare, cum quis est in periculo morali deficiendi á fide, tunc enim eget hoc Sacramento, vt roboretur.

Sed arguitur: Præceptum divinum datur, vt quilibet fidelis, non aggrediatur periculum sine armis, vt ait Paulus ad Ephes. 6. scutum fidei, & galeam salutis assumite; sed sine confirmatione, velle confiteri publicé fidem, est procedere sine armis: ergo, &c. Resp. neg. min. quia licet tunc, fidelis non esset munitus specialibus armis, erat tamen armatus gratia Baptismali, & auxilijs ei correspondentibus, vndé non se periculo exponebat, vel si dabatur periculum imminens cadendi, tunc obligabat confirmatio, sed hoc per accidens erat, vt vidimus in secunda parte conclusionis.

Dices: in vita corporali, per se tenetur homo apponere medium ad augmentum: ergo multo magis in vita spirituali, quæ perfectior est. Resp. neg. cons. nam ad augmentum corporale, solum datur vnicum medium, scilicet nutritio, & ideo debet hæc apponi, vt illud consequatur; ad augmentum verò spirituale, ex hoc ipso quod perfectius est, statuit Deus plura media, & deficiente vno potest aliud apponi; vndé confirmatione deficiente, potest eius effectus consequi per orationem, meritum, exercitia virtutis, & alia huiusmodi.

Sed est notandum: quód licet nullum detur præceptum de confirmatione recipienda, est conveniens, vt conferatur omnibus, vt in vita spirituali perficiantur, & sic datur pueris, & licet antiquitus non daretur ante vsum rationis, modo tamen contrarium est in praxi, vt innocentes prævenientur, antequam peccare possint; vel etiam ob penuriam Episcoporum, qui non possunt certo tempore, per omnia loca duci. De mutis ait D. Tho. quód possunt confirmationem recipere, quia possunt confiteri fidem per nutus, licet non per vocem, & possunt habere in voluntate, propositum fidem

con-

confitendi publicé. Sic tenet in 4. dist.7. q.3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3.

ARTICULVS IV.

Praxis doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de materia confirmationis. Episcopus quidam, dum pueros in magno numero confirmabat & consignabat, vnum vel alterum eorum, vel ex inadvertentia, vel ex nimia festinatione concurrentium, non signavit in fronte, sed in alia corporis parte, & ita reliquit; quæritur: an fuerit rectè operatus? Resp. negativé, quód constat ex Raban. lib.1. de instit. Cleric. cap.31. vbi ait: signatur baptizatus Chrismate in sumitate capitis; per Pontificem verò in fronte. De quo Aug. D. hic art. 6. duas optimas congruentias affert. Prima: quia homo per confirmationem, insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, & hoc debet esse manifestum, inter omnes autem corporis partes, frons patentior est, quæ nunquam obtegitur. Secunda, quia aliquis impeditur á libera confessione fidei, vel propter timorem, vel propter verecundiam, & vtriusque signum manifestatur in fronte, ob proximitatem imaginationis, & quia spiritus directé ascendunt ex corde ad frontem, & sic verecundati erubescunt, & timentes pallescunt, & sic in fronte signatur homo, vt nec propter timorem, nec propter erubescentiam, omittat fidem profiteri. Hæc ratio approbatur á Concil. Florentino dicente: ideo in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus invngitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipué crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia.

Sed an huiusmodi frontis signatio, sit de essentia Sacramenti confirmationis? Negat Victoria, quia in Evangelio non legimus, nisi quod imponebant manus super confirmatos, & idem sentiunt Martinus Ledesma & Filiutius; sed his non obstantibus, ait Soto, id esse de Sacramenti essentia, quia membra vngenda in confirmatione designantur, sicut etiam illa, in quibus debet fieri extrema vnctio, & Nuño ait, quod oppositum est improbabile, & temeritate non caret. Hæc autem censuræ sunt excessivæ, quia nullius Pontificis, vel Concilij muniuntur testimonio, & verba formæ, sine vnctione in fronte possent verificari; quare licet sententiam eorum reputem veram, & D. T. conformem, oppositam verò, vt temerariam non censeo.

Est igitur perfectum confirmationis Sacramentum per frontis vnctionem, & ibi sortitur suum effectum; vndé iterum vngere frontem, vnctione prima peracta, faceret reiterationem sacrilegam, Sacramenti non iterabilis, quamvis paucissima distantia intercederet, inter vtramque vnctionem, quia duæ formæ & duæ materiæ, á Ministro cum debita intentione appositæ, duo Sacramenta conficiunt; eo fore modo, quo tres immersiones cum tribus formis Baptismi, quamvis factæ simul moraliter, non licent; quia in prima illarum, perficeretus Sacramentum, non autem si ad tres immersiones, vnica forma profertur, quia vnicum Sacramentum essent, sicut de facto est; sic habet D. T. q.66. art.8. ad 3.

Si dicas: quód Baptismus in toto corpore confertur, & consequenter etiam confirmatio, quæ perficit illum. Resp. quód in Baptismo, regeneratur homo in vita spirituali, quæ ad totum hominem pertinet, & ideo fit lotio in toto corpore, in confirmatione verò, roboramur ad pugnam, cuius signum in fronte est, vt vidimus. Dices: quód hoc modo debebat vngi cor, in quo residet fortitudo & robur. Resp. quód principium fortitudinis, est in corde, sed signum eius apparet in fronte; vndé Eucharistia, qua homo in se ipso confirmatur, pertinet ad cor, vt ait Psalmus: panis cor hominis confirmet, sed Sacramentum confirmationis, datur in signum fortitudinis ad alios, & ideo exhibetur in fronte, & ideo dicitur Apoc.7. nolite nocere terræ, & mari neque arboribus, quo ad vsque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, & Ezech.3. ecce dedi frontem tuam, duriorem frontibus eorũ.

Casus secundus, circa idem. Quidam Episcopus, dum confirmationis Sacramentum exhibebat, non multum curabat, Chrisma in police dexteræ manus apponere, & illo vngere, sed aliquando id faciebat cum pollice sinistræ, aut etiam cum indice, vel alio digito. Quæritur: an in hoc committeret culpam? Resp. quód vt ait M. Serra, vnctionem fieri immediaté per manum ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, non esse certum, quod sit de necessitate Sacramẽti; etsi multi hoc probabiliter asserant, ducti ex praxi Ecclesiæ, & quia vnctio est manuum impositio, quæ medio instrumento, non verificatur; alij verò dicunt, hoc solum esse præceptum Ecclesiæ, nam si vnctio fit medio aliquo instrumento, verificantur verba formæ, sicut veré scribit, qui calamo scribit.

Vtrumque modum, Suarez & Nuño probabilem reputant, & alij cum ipsis; sed tamen omnino falsum & improbabile est, quod ex secunda opinione deducit Leander, dicens: quód tempore pestis, potest Episcopus confirmare, medio instrumento aliquo; hoc enim est contra omnes Doctores, & contra præceptum Ecclesiæ; siquidem Pontificale Romanum decernit, quod in confirmatione, fiat vnctio, ipso pollice dexteræ manus, Chrismate in tincto, & hoc fuit perpetuo in Ecclesia servatum. Vndé ait Durand. in Ration. lib.6. cap.84. quód pollex Episcopi, ad hoc specialiter consecratur; ex oppositio enim, est periculum nullitatis Sacramenti, si forte est de essentia, quod impediaté manu fiat,

& in ministratione Sacramenti, quod non est tantæ necessitatis sicut Baptismus & pœnitentia, non est cur ad has angustias reducamur, contra Ecclesiæ praxim.

Esset ergo validum Sacramentum, licet alio digito fieret vnctio, nec si ita fiat, Sacramentum est iterandum, nec sub conditione. Sic sentiunt Nuño, & Suarez. Vtrum autem sic confirmare sit mortale, vel veniale peccatum, non est ita certum, quia non constat an talis variatio, sit materia gravis, aut levis; videtur enim parum referre, quod vnctio fiat indice, vel police, aut manu dextra, vel sinistra; & licet hoc esse peccatum mortale, affirment Bonácina, & Filiucius, Layman & alij; sed tamen Diana, Leandro, Dicastillo & Trullench, dicunt esse peccatum, sed non explicant esse mortale; neutrum horum evidenter potest ostendi; licet re vera difficile appareat, quod nulla existente ratione, vel infirmitate, diversus ab Ecclesiæ ritu, in re tam gravi, sit absque scandalo, vel contemptu virtuali, quæ peccatum mortale videntur arguere; hoc ergo alijs iudicandum relinquo.

An veró peccatum, sit in Episcopis, huiusmodi Sacramentum in locis privatis, vt in Palacio suo, vel oratorio extra Ecclesiam conferre? Resp. quód stante iusta causa, nullum peccatum est confirmationem; sic privatim ministrare; nam licet sit decentius illam ministrare in Templo, sed non datur præceptum aliquod, obligans ad hoc, nec consuetudo conferendi illam in Ecclesia vim legis obtinuit. Sic tenet Hurtado, Paludanus, Diana, Bonacina, & Ragucius; vndé ait Silvester, quod confirmatio potest conferri in omni loco honesto etiam extra Ecclesiam, licet Chrisma, solum in Ecclesia confici debeat Nec obstat paritas Baptismi, qui extra Ecclesiam nequit coferri, nisi in casu necessitatis, vel etiam filijs Regum, & Principum, & sic idem de confirmatione sentiendum est. Resp. quód de Baptismo est diversa ratio, quia hoc est in iure prohibitum extra casus prædictos, hoc autem prohibitum, non est de confirmatione; consonum enim est, quod Baptismus per quem Ecclesiæ aditus patet, ad ianuam Templi celebretur, quæ ratio in confirmatione non militat.

Comprobat hoc de confirmationis loco, cuiusdam Episcopi Hispaniæ singulare factum, qui duobus hominibus in supplicio suspendendis, & nondum confirmatis, in ipso carcere, Sacramentum confirmationis contulit; contingit enim aliquando, quod homines aliqui in erroribus hæreticorum nutriti, ob eorum crimina conijciantur in vincula, & ad suspendium damnentur, sed priusquam ad supplicium extrahantur, benignissima Dei sapientia, & gratia providente, & medio Cœlo, & fervore ministrorum assistentium, illi suos errores pravos cognoscant, & detestantur, quibus cum confirmationis deficiat Sacramentum, potest in eo tempore ministrari; qua propter Episcopus ille Hispanus prudenter egisse arbitror, reis in carcere inclusis, Sacramentum confirmationis ministrando, quo munirentur ad mortis postremam luctam.

Casus tertius, de Ministro confirmationis. Extabat Episcopus quidam in regione nostra, qui longissimo tempore confirmationis Sacramentum non contulit, nec ad id ad loca suæ Diœcesis accessit? Quæritur: quid de huiusmodi omissione sentiendum? Casum vidimus & audivimus, & testantibus plurimis, plusquam duodecim millia parvulorum, in paucissimis annis ex illa Diœcesi, sine beneficio Sacramenti confirmationis decesserunt é vitis.

Dico igitur: quód Episcopus tenetur sedulo administrare Sacramentum confirmationis subditis suis, ita vt graviter peccet, si multo tempore, negligenter confirmare ommittat; sic tenet Barbosa & Paulus, quia ex hac omissione, magno fructu spirituali privat oves sibi comissas, vndé tenetur loca suæ Diœcesis circuire, vt hoc Sacramentum conferat; si autem habitualis infirmitas, vel ætas longe illos excuset, debent hoc procurare medio alio Episcopo proximiori, huic solvendo itineris expensas. Quantúm veró temporis dilationis in Sacramento conferendo sufficiat vt defectus, Episcopo imputetur ad culpam? Hoc expresé non difiniunt Doctores, sed dicunt arbitrandum esse iuxta amplitudinem populorum, multitudine negotiorum, & aliarum circumstantiarum occurrentium, semper tamen magis ad frequentiam, quam ad tarditatem inclinantur.

Sed pro generali regula statuenda, prudens cogitarem iudicium, vsum multorum Episcoporum, qui quotanis Sacramentum confirmationis ministrant, quia hæc non videtur dilatio culpabilis, & peccaminosa. Nec ideo præcisé mora longior, trium aut quatuor annorum, vt peccaminosa damnatur, si causa rationabilis intercedit; sed tamen si talis fuerit dilatio, vt differretur per octo, vel decem annos, ministratio huius Sacramenti, non videtur Episcopum, posse á culpa gravi excusari, nisi moralis impossibilitas, ei patrocinetur; ne eveniat id quod nuper audimus, non sine animi nostri dolore, de tot infantibus, sine confirmatione decedentibus. Vt autem Ecclesiarum Antistites, huiusmodi obligationem præ oculis semper habeant, sequens casus frequenter ab ipsis memorandus est.

Matrona quædam, olim rogavit Maurilium Episcopum Andegavensem, vt filio suo confirmationis exhiberet Sacramentum, quia illi mors imminebat; cum autem ipse, Sacraficium celebraret, & in eo tantisper immoraretur, interim puer obijt; sacroque concluso accedit ad ipsum, quem sine confirmationis Sacramento de mortuum miratur, quod ipso irremediabilibus lachrimis deplorat; nec

his animus eius quietus remansit, eiusque negligentiam continuo mente revoluens, patriam & cives relinquit, & in mare proijcit sacrarij claves dicens: nisi has claves, iterum videre meruero, patriam & vrbem á quibus recedo, nunquam repetam, quod cum septem in pœnitendo consumpsisset annos, in visceribus piscis claves sunt in ventæ tunc ad Ecclesiam redit, puerum illum ad vitam revocat, qui propter hoc Renatus vocatus fuit. Sic refert Surius, Tom. 15. die 13. Septembris. Meditetur igitur á Dominis Episcopis atque Parrochis, quanto plures fuissent anxietates illæ, si puer decessisset absque Baptismo? & quanto graviores, si propter sæcularia negotia postpositus fuisset, actus ille spiritualis.

Nec excusatio rationabilis est, quod Sacramentum confirmationis, conferendum est cum stola mitta, & baculo pastorali, quæ multoties non possunt sustineri diu, nec iterum atque iterum super vestiri. Dicitur enim, quód hoc est boni Pastoris officium, vt pro ovibus suis corporales afflictiones sustineat. Præterquam, quod illæ quæ in confirmatione ministranda occurrunt, non sunt tales, vt non possint faciliter tolerari, præcipué Christiana charitate vrgente; optimé enim novimus Prælatos feruentes desiderio & zelo salutis ovium suarum sic exequisse; inter quos singularissimus fuit Illustrissimus D. D. Fr. Michael Hyeronimus Fuembuena ex ordine nostro Albatrazinensis Antistes, qui vt ex eius socijs audivimus, consuetus fuit non semel intra horæ dimidium, bis & ter sacras induere vestes, propter pauperculos quosdam, qui adducebantur ad ipsum, confirmatione finita, quam ipsis benignissimé conferebat; & multoties pastorum atque rusticorum in montibus degentiū, in præruptis silicibus confessionale faciens, confessiones excepit, per inaccessos suæ Diœcesis populos prædicans & Evangelizans, quibus confecit ovibus loca aspera in vias planas.

Casus quartus, circa idem. Accesit quidam ad sacros ordines suscipiendos cum Episcopo extraneo, cum sui proprij Episcopi dimissorijs, ille tamen ordinandus, confirmatus non erat; quæritur: an extraneus Episcopus eum confirmare posset, si Episcopi proprij, facultatem non haberet? Supponendum est, quod character ordinis non supponit necessario characterem confirmationis; sic tenet D. Thom. in addit. 3. p. q. 35. art. 4. quód constat ex eo quod Apostoli receperunt potestatem ordinis ante Ascensionem Christi, & tunc, non dum erant confirmati, quia hoc factum est in Adventu Spiritus Sancti, & sic character confirmationis, non supponitur necessario ad characterem ordinis, licet character Baptismi supponatur, quia hic præstat potentiam passivam ad Sacramenta suscipienda. Nec dicas: character confirmationis, supponit characterem Baptismi, vt primum: ergo etiam character ordinis, supponit characterem confirmationis vt medium. Resp. enim: quód non est eadem vtriusque habitudo, nam per characterem Baptismi, fit homo susceptivus Sacramenti confirmationis, non autem per characterem confirmationis, fit susceptivus Sacramenti ordinis, & ideo non est similis ratio.

Resp. igitur ad quæsitum: quód licet peccaret gravitér Episcopus, ministrans confirmationem in sua Diœcesi, subditis alterius Episcopi sine huius facultate; nam facem mitteret in alienam messem, sicut etiam peccaret Parrochus, ministrans Baptismum, sine licentia proprij Parrochi; sed tamen in casu prædicto, confirmare posset ordinandum illum, quia præsumitur rationabilis voluntas, & interpretativa facultas Episcopi proprij; sic sentiunt Diana, Fagundez, & Layman; & ratio est: nam qui facultatem concedit ad finem, etiam ad dispositionem concedere præsumitur, confirmatio autem, licet non sit dispositio necessitatis, est tamen dispositio congruitatis ad suscipiendum characterem ordinis, vt ait D. Thom. loc. cit. ergo Episcopus conferens facultatem ad Sacramentum ordinis suscipiendum, illam etiam ad suscipiendam confirmationem videtur conferre.

Dices: quód Episcopus proprius forte ignorabat, ordinandum illum confirmatione carere, & sic eius facultas præsumi non potest, nemo enim potest velle quod ignorat. Resp. difficile esse hoc á proprio Episcopo ignorari, nam antequam facultas ad ordinem suscipiendum conferatur, fit exacta diligentia, de fide Baptismi, & confirmationis. Sed dato, id Episcopum ignorare, nihilominús tamen, præsumitur in eo casu eius interpretativa facultas. Túm ob rationem dictam. Túm, quia iudicare debemus, quod volens finem exequi, etiam vult quod recte, & ordinate ponatur in executione, cum autem Sacramentum confirmationis conducat vt dispositio congrua, vt ordo recipiatur rectè, Episcopus conferens facultatem ad recipiendum ordinem, etiam iudicatur conferre illam, vt confirmatio recipi possit.

Sed quid sententiendum de illo, qui Sacramentum ordinis reciperet, non recepto confirmationis Sacramentum? Resp. validum recipisse Sacramentum ordinis, nam confirmatio, requisitum essentiale non est ad Sacramenta validé suscipienda; ille tamen poterat mortaliter peccare, ex conscientia erronea illi dictante, quod erat peccatum mortale, ordinem sine confirmatione recipere, & illud sacrilegium esset, ex indigna Sacramenti susceptione. Sed re vera præcisivé ab illa conscientia erronea, peccatum mortale non est ordinem recipere non confirmatum, non enim datur præceptum, nec consuetudo obligans adhoc, vt ait Suarez, Diana, Reginaldo, Castro Palao, Laymán, Leander, cum pluribus ab ipso citatis.

Nce

Nec obstat : quód Episcopus gravitér peccaret ordinando non confirmatum, & sic etiam iste peccaret recipiens ordines. Resp.enim, quód hoc non est rectum argumentum, de conferente ad susci-pientem, nam etiam confessor,gravitér peccat, Sacramentum pœnitentiæ in peccato ministrando, & non peccat penitens, in peccato recipiendo, vndé licet Episcopus peccet, si ordinet non confirmatum, non indé sequitur peccare, qui non confirmatus, recipit ordinis Sacramentum. Si dicas: quód Concilium Tridentinum statuit, quod prima tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint.Resp.quód verba hæc, vim legis non habent,etsi aliquando id habuissent, iam fuerunt per consuetudinem moderatæ,sic sentit Castrus Palaus, & ita intelligendum cap. omnes fideles de consecrat.

Hæc autem doctrina vera est,si absit scandalum vel contemptus,si enim hæc adsint,peccatum mortale gravissimum esset ordines, sine confirmatione recipere. Undé licet Sacramentum confirmationis,non sit dispositio necessitatis ad sacros ordines susci-piendos,debent maximé invigilare superiores, de Baptismi, & confirmationis fide illorum, qui sunt sacros ordines recepturi; contigit enim novissimé diebus istis, vt quidam de cuius confirmatione probabilitér dubitabatur, animo irreverrenti, ad sacros ordines accederet suscipiendos, cui opportunum adhuc potuit adhiberi remedium, & quidem ille ordinandus illegitimus erat,& hoc hominum genus cum incertos parentes habeant, in eorum nativitate corporali, probabile est, quod etiam in regeneratione & confirmatione, habeant Sacramenta dubia & incerta,cum non sit apud eos ea singularis parentum cura, quæ est apud filios, ex legitimo matrimonio procreatos.

Casus quintus, circa idem. Episcopus quidam, Sacramentum confirmationis conferens, vel quia feré innumeri erant concurrentes, vt confirmarentur,vel vt non prolixe detineretur in functione peragenda, aliquòt ex ritibus ab Ecclesia præscriptis ommitebat; quæritur: quid sentiendum de huiusmodi facto? Hoc petit vt ritus Sacramenti confirmationis exponamus; & quidem certum est tales ritus, & ceremonias servari debere, nam vt ait D. Thom. in illis dirigitur Ecclesia per sapientiam Christi, & fideles instruuntur. eorumque devotio excitatur ad Sacramenta veneranda, sic tenet hic art.12. Primó: ergo statuitur in Concil. Meldensi, vt Episcopi, non nisi ieiuni, Sacramentum confirmationis traddant; sed vt ait D. Thom. ad 2. ab illa prohibitione, excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, & ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur,vt hoc Sacramentum, etiam á non ieiunis, detur vel accipiatur, quia vnus Episcopus, præcipué in magna Diœcesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos,si eis tempus coartaretur; vbi tamen congrué obseruari potest, conuenientius est vt á ieiunis detur, & accipiatur.

Alia est ceremonia, nempé cereus qui adducitur, de quo sic ait Soto: Cereus qui offertur, nonnulla religio est, sed tamen eius omissio, nullum esset peccatum, sicut neque non dare alapam; mos enim ille, non tam ob id introductus est, vt confirmatus, memor sit semper Sacramenti, quám vt admoneatur illud suscipere ad pugnam,vt indé discat, contumelias & plagas, pro Christi nomine perferre. Huius ceremoniæ, Beyertinch, aliam rationem assignat dicens: Confirmato Episcopus,levem alapam infligit dicens: pax tecum in signum, quod is iam factus Christi miles, debeat incipere pro illius nomine ferre opprobria; nisi dicamus, quod sicut Princeps, dum aliquem in numerum equestris ordinis suscipit, ense cervicem,vel scapulas tangit in signum, quod caput & vitam, pro sui Principis salute debeat exponere, sic etiam Ecclesiastici Principes, hoc ritu suscipiunt baptizatum, in numerum equitum spiritualis militiæ,& ad contumelias pro Christo ferendas aptant.

Sed quod pertinet ad Chrismatis consecrationem, ait D. Thom. art.12. ad 3. quód ex Decret. Martini Pap. de consecrat. omni tempore, Chrisma conficere licét; sed tamen quia solemnis Baptismus, ad quem requiritur vsus Chrismatis, in Uigilia Paschæ celebratur, congrué ordinatum est, vt per biduum ante, ab Episcopo Chrisma benedicatur, vt possit per Diœcesim destinari; dies etiam ille satis congruit; ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ Sacramentum institutum, ad quem omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur, vt ait ipse D. Thom. suprá, q.65. art.3. His addit D. Thom. in 4. dist.7. q.3. art.3. quæstiunc. 2. quód cum frons, sit locus nudus & patens, & ideo de facili sordes contrahens, cum decens sit, vt Chrisma servetur ab omni inquinamento, idcirco ligatur frons confirmati, quo vsque desivetur locus, ait autem Hugo, quod debet esse cura specialis custodiendi Chrisma,nec lavetur, vsque ad septem dies, propter septem Spiritus Sancti dona, & quia eius adventum in discipulos, per semptem dies celebratur.

Hæc autem obseruatio, licet decens sit, & significationi congruat,pro praxi tamen obseruandum est,quod vitta vel fascia, qua frons confirmati ligatur, tantum est ibi retinenda, quantum fuerit loci consuetudo; nam apud aliquos per tres dies, apud alios per septem retinetur; pluribus autem locis, statim postquam est confirmatio peracta in fonte Baptismi, per Ministros Ecclesiæ, frons confirmati abluitur, & vitta deponitur, & aliquando comburitur.& in piscinam proijcitur,nunquam tamen ad vsus profanos debet applicari, siquidem per contactum Chrismatis sacri,quodammodo con-

secra-

ſecrata fuit. Alibi demum non eſt vſus vittæ, ſed ſtatim poſtquam quis eſt Sacro Chriſmate vnctus, vnus ex aſsignatis Sacerdotibus, ſpongia vel linteo, confirmati frontem detergit, & illum dimmittit; ſed ille qui vittam ex fronte ſoluit, cognationem ſpiritualem non contrahit.

Quód ad ætatem pertinet confirmandorum, certum eſt, quod nulla eſt nimis tenera, nec nimis tarda; poſſunt enim infantes ſtatim poſt Baptiſmum confirmari, ſi adſit rationabilis cauſa, vt olim fiebat; eſt autem cauſa rationabilis: tum mors imminens infanti, quia per hoc Sacramentum, ipſi confertur augmentum gratiæ, & gloriæ. Tùm, quia Epiſcopus, in tali loco, rarius confirmat; ſed abſtrahendo ab his periculis & incommodis, conuenientius eſt, vt differatur confirmatio puerorum, vſque ad primum ſeptenium, & quia ſic poterunt ſe diſponere per actus pios, ad fructuoſam receptionem Sacramenti, & quia meliùs de eius receptione poterunt recordari. Ex his reſp. caſui propoſito, quod ſi ommiſsio ceremoniæ levis eſt, ſine ſcandalo nec contemptu, Epiſcopus non committeret vitium ſubſtantiale, contra Sacramenti eſſentialem valorem, ad quem, hæ vel illæ ceremoniæ non pertinent, poſſet tamen grauius, vel leuius peccare, iuxta qualitatem negligentiæ, & ommiſsionis in ſuũ muneris exercitio.

Caſus ſextus, de ſubiecto confirmationis. Homo quidam iam adultus, ad ſacrum confirmationis Sacramentum ſuſcipiendum acceſsit; cum tamen ipſe cum conſcientia peccati mortalis exiſteret, actu ſolum contritionis elicito; quæritur: an confeſsionem præmittere debuit, vt confirmationem reciperet? Lamentatur ſingularitér Marchantius, quia pluries, homines ruſtici, ſubito, & abſque inſtructione vlla præmiſſa, veniant ad Templũ, vbi Sacramentum confirmationis confertur, & paucibus precibus effuſis, ad altare accedant, vt confirmationem recipiant. Reſp. igitur, quód talis homo non tenetur ſub mortali confeſsionem præmittere, ſed ſufficit quod per actum contritionis ad gratiam recipiendam diſponatur. Sic habet D. Thom. hic art. 7. ad 2. vbi ait: ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cuius conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento, conſequitur remiſsionem peccatorum; hoc ipſum tenent Angelus, Silveſter, & Bonacina; & ſuadet ratio, nam non datur præceptum obligans ad præmittendam Sacramentalem confeſsionem, vt recipiatur confirmatio, licet detur conſcientia peccati mortalis, & ſolum requiritur ſubiectum eſſe in gratia, quod per contritionem abſque confeſsione conſequi poteſt.

Dices: ad recipiendum Sacramentum Euchariſtiæ, ſi ſubiectum habeat conſcientiam peccati mortalis, debet Sacramentalis confeſsio præmitti: ergo etiam ad confirmationem recipiendam. Reſp. quód eſt diuerſa ratio, nam de præmittenda confeſsione ad Euchariſtiæ ſuſceptionem, in habente conſcientiam peccati mortalis, datur præceptum in Trident. Seſſ. 13. cap. 7. quód præceptum non datur de præmittenda confeſsione ante confirmationem. Et ſi dicas: quód ideo præcipitur hoc reſpectu Euchariſtiæ, quia hæc eſt Sacramentum vivorum, & debet gratiam ſupponere, quod etiam habet confirmatio, quæ Sacramentum vivorum eſt. Reſp. quód non præcisé, quia Euchariſtia eſt Sacramentum vivorum, debet ad illam præcedere confeſsio in habente conſcientiam peccati mortalis, ſed in ſuper quia eſt Sacramentum perfectiſsimum inter omnia; ad quod debemus accedere cum ſumma veneratione, confirmatio autem, hanc excellentiam non habet, & ideo præviam confeſsionem non exigit. Præterquamquod, vt vidimus ſuprá, Sacramenta vivorum, aliquando poſſunt cauſare per accidens primam gratiam, & hoc faceret Sacramentum confirmationis in caſu prædicto, quod conſtat ex D. Thom. verbis proximé relatis.

Dices adhuc: confeſsio Sacramentalis præmitti debet ante Euchariſtiam, in habente conſcientiam mortalis peccati, quia hoc in Tridentino præceptum eſt; eſt autem præceptum etiam in iure, vt confirmandi prius confiteantur, vt habetur cap. vt ieiuni de conſecr. diſt. 5. Reſp. quód in iure hoc non præcipitur, ſed conſiliatur, vt conſtat ex ipſis verbis, in quibus dicitur: vt moneantur confeſsionem facere prius, vbi verbum moneantur, indicat non eſſe præceptum ſed conſilium. Bené verum eſt, quod eſſet maximé decens & iuſtum, vt adulti confirmandi, præmittant confeſsionem, & quia ſic á ſacris canonibus exhortatur, & quia contritio perfecta difficile conſequitur præcipuè ab hominibus ruſticis, & facilius eſt per pœnitentiam iuſtificari; quapropter, Prælati prudentes, & experti Parrochos admonent, vt confeſsionem audiant adultorum, qui ad confirmationem accedunt, vt ſi forte in peccato mortali exiſtant, ad eius dignam receptionem diſponantur, & ſic præcipitur in Conſtit. Diœceſ. conſtant. ne vllus qui ad annos diſcretionis pervenit, accedat ad confirmationem, niſi prius de peccatis confeſſus.

Caſus ſeptimus, circa idem. Natus fuit quidam puer, & ſtatim ex actionibus & geſtibus cognitum eſt, illum amentem eſſe, poſtea ætate creſcente, dementiæ creverunt indicia, & illa vt perpetua iudicata eſt, quin vllum pro eius curatione inveniretur remedium, quod cum eo tempore Epiſcopus, Sacramentum confirmationis eſſet collaturus. Quæritur: an talis perpetuo amens, poſſet ſacro Chriſmate vngi? Reſp. quód de illis qui ſolum habent lucida intervalla, certum eſt quod poſſunt confirmari, non ſolum dum lumine rationis fruuntur, ſed etiam in amentia ipſa, niſi antea contradi-

dixissent Sacramento, quia de illis probabilitér expectatur, posse ad pristinam sanitatem restitui, & pro fide pugnare.

Loquendo autem de perpetuo amentibus, qui sic nati sunt, sentit Marsilius, non esse confirmandos, quia nunquam possunt vti gratia confirmationis in confessione fidei. Sed oppositum tenent plures & graves authores, vt Nuño, Suarez, Villalobos, Diana, Leander, Castrus Palaus, Barbosa, & alij, & hoc videtur satis insinuari á D. Thom hic art. 8. ad 2. & 4. nam illis valde vtile est, recipere augmentum gratiæ, & per accidens est, quod non sint pro Christi fide pugnaturi; sicut suprá diximus de infantibus statim morituris, qui capaces sunt confirmationem recipiendi. Nec dicas: ideo infantibus carentibus vsu rationis, confertur confirmatio, quia creduntur illum habituri, & pro fide pugnaturi, quæ spes in perpetuo amentibus cessat. Resp. enim, quod non ideo solum, confertur infantibus confirmatio, sed quia hoc est conveniens, tum ob augmentum gratiæ, tum vt in Resurrectione appareant perfecti, iuxta illud Pauli: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quæ ratio, etiam in perpetuo amentibus militat. Sic tenet Prado & Salmant. cum alijs pluribus ab illis citatis.

Occurrit nunc breviter examinandum, an energumeni, capaces sint recipiendi Sacramentum confirmationis? Resp. affirmativé, nam in Sacramento confirmationis, est plenitudo Spiritus Sancti, & ideo est medium aptum, ad Dœmonem cohibendum. Qua propter in historijs legitur, quod energumeni, confirmationem suscipiendo, fuerunt á Dœmone liberati. Sic testatur S. Greg. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Lactant. lib. 4. divin. institut. cap. 27. S. Prudentius in Apoteosi, & S. Bernard. in vita S. Malachiæ, hæc dicit de eius præceptore Malcho Episcopo: puerum mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum, sacra vnctione curavit. Quæ doctrina, conformis est D. Thom. qui infrá q. 80. art. 9. ad 2. loquendo de subiecto capaci Eucharistiæ ait: de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadē ratio, & de alijs amentibus, vndé Cassianus dicit: eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosactam á senioribus nostris, nunquam meminimus interdictam; similitér igitur eis debet confirmatio exhiberi, nec adest causa rationabilis, cur illis hoc spirituale beneficium denegetur.

Casus octavus, de effectu confirmationis. Puer quidam, paucis post eius ortum decursis mensibus, acuta fuit febre compressus, quæ vsque ad quartum annum ætatis eius fuit continuata, & ita illum debilitavit, vt nec pedibus consistere posset, sed perpetuo accumberet in lecto, vel sinu patris; accedit ibi quidam Episcopus, chrismatis conferendi gratia, puero illi inter alios confirmationem confert, qui protinus stupentibus omnibus, sanus & integer resilivit. Quæritur: an huiusmodi effectus, fuerit á Sacramento confirmationis productus? Resp. quód Sacramentum confirmationis, per se non causat corporum sanitatem, per accidens autem, illam causare potest. Ratio primi est: quia in nulla Scriptura Sacra, nec Ecclesiastica traditione habetur, Christum promisisse robur corporis, munitis hoc Sacramento, sicut promisit robur animæ.

Hinc cognoscitur, damnandam esse imaginationem quarundam obstetricum, sacrum Chrisma á Parrochis petentium, vt mulieres vngendo, partum redant faciliorē, earumque & infantium salutem procurent. Negent Parrochi, nec similibus assensum præbeant, hoc enim in Concil. Moguntino, interdictum est; statuitur enim sic: Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, donare præsumant, quod si fecerint, honore priventur. Maximé igitur Parrochi debent invigilare, ne obstetrices, circa puerperas, huiusmodi vtantur remedio, contra reverentiam summam debitam Sacramento, sicut solent etiam vti alijs observationibus vanis, vt est collocare se inter patrinos, ne contrahant cognationem; mulieres ad Templum non deferre post partum, in diebus Lunæ Mercurij vel Veneris, quasi isti sint infausti dies, quæ omnia ridicula sunt, vana & superstitione plena.

Quód autem Sacramentum confirmationis, aliquando conferat sanitatem corporis per accidens, constat ex precibus, quibus Episcopus sacrum oleū & Chrisma benedicit, dum ait: plenissima benedictio animarum & corporum; vndé refert Bolandus, quod in Suecia, vnctus Chrismate á S. Remberto, cum ille esset luminibus orbatus, visum recepit; puerum etiam lunaticum, eodem Chrismate sanitatem reddidit S. Malchus Episcopus, vt suprá vidimus ex D. Bernardo in vita S. Malachiæ & horum instar fuit ille puer, de quo loquitur casus propositus, hæc tamen vis conferendi sanitatem corporalem, solum per accidens convenit huic Sacramento, & cum illa expediens est ad animæ sanitatem, sicut in simili, ait D. Thom de extrema vnctione in addit. ad 3. p. q. 30. art. 2.

Dices: quinam ergo sunt effectus proprij, & per se Sacramenti confirmationis? Resp. quód primus eius effectus, est character, qui omnibus baptizatis per confirmationem imprimitur. Secundús effectus confirmationis, illeque specialis est, robur animæ ad profitendam fidem, contra persecutores Ecclesiæ, & eius impugnatores, sic habet D. Thom. hic art. 5. ad 1. dicens: pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit, sed contra hostes visibiles, id est contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publicé confitendo, est confirmatorum, & idem ait in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. sicut enim in Baptismo efficimur, quasi

modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, ita in confirmatione perducimur ad ætatem virilem. quare dicitur 1. Ioan.2 scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem; scribo vobis iuvenes, quoniam fortes estis, & vicistis malignum.

Casus nonus, circa idem. Quidam homo per Dei gratiam, post acceptum Baptismum, etiam Sacramentum confirmationis accepit; sed diaboli crescentibus insidijs, & oppugnatione, homo ille, fragiliter assensit eius suasionibus, proh dolor! & recessit á fide. Quæritur: an characterem in confirmatione impressum per hoc infidelitatis peccatum amiserit? Resp. supponendo, vt certum de fide, Sacramentum confirmationis imprimere characterem, quæ veritas diffinita est á Trident. Sess. 7. de Sacramentis, Can. 9. & habetur apud D. Thom. hic art.5. cuius hæc est ratio: character est potestas spiritualis ad aliquas sacras actiones ordinata, hæc autem in confirmatione confertur; sicut enim in Baptismo, datur regeneratio spiritualis, ita datur in confirmatione spirituale augmentum; in Baptismo enim accipit homo potestatem, ad agenda illa quæ pertinet ad salutem proprtiam, quatenùs vivit secundum se ipsum; in confirmatione verò accipit potestatem, ad agendum ea quæ pertinent ad spiritualem pugnam contra hostes fidei, & hæc potestas, est character confirmationis.

Sed non videtur, qualis sit hæc potestas, nam si est activa, datur in Sacramento ordinis, & si est passiva, per Baptismum confertur. Respondet D. Thom. ad 2. quód omnia Sacramenta, sunt quædam fidei protestationes, & sicut baptizatus, accipit potestatem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum Sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem, publicé fidem Christi, verbis profitendi, quasi ex officio. Hæc autem potestas specialis est, nam licet sit activa, distinguitur á charactere ordinis; nam potestas characteris confirmationis est activa, non ad conferendum spiritualia, quod est ordinis, sed magis ad confitendum publicé; verba sunt D. Thom. in 4. dist.7. quæst. 2. art.1. quæstiunc. 1. ad 3. Nec ideo extrahitur á ratione activæ, quia recipit in se actum quæm elicit, vt vult Nuño; quia hoc est commune omni operanti per actionem immanentem; alias etiam character ordinis, non esset potentia activa, quia Minister recipit in se actum, quo operatur circa spiritualia.

Quæsito ergo, resp. quód qui impijssime á vera fide & religione, per peccatum infidelitatis recesit, characterem Confirmationis non amisit. Hæc veritas difinitur vt certa de fide in Conc. Florent. & Tridentino, & constat: nam character, non est distinctivum fidelium ab infidelibus, sed spiritualitér provectorum á parvulis. vndé licet aliqui á fide discedant, character qui potestas est ad profitendam fidem, ab eis non tollitur; non enim aufertur ab aliquo potestas, per oppositum actum, de quo innumera fere poteramus ex Theologia, & Philosophia exempla cumulare; vndé dicitur, in Conc. Tolet. 8. cap. 7. nequaquam aliquando poterit profanari, quod divina iussione, noscitur extitisse, sicut sanctum crisma collatum, & Altaris honor, evelli nequeunt.

Oppositum huius sensit Firmilianus, vel quia negabat hæreticos valide baptizare, vel quia falsò cogitabat Confirmationem iterari posse, quod videtur insinuari in Can.7. Concil. 2. Generalis. Sed tamen ibi non iubetur Confirmationem repetere, in illis qui labebantur in hæresim, vel quia erant in errorem lapsi, sed quia Confirmationem spernebant ministri, nec legitimi erant ad illam conferendam. Vel etiam potest dici, quód ibi non est sermo de Sacramento Confirmationis, sed de vnctione ceremoniali reconciliativa; & sic etiam satisfit ad quãdam authoritatem D. Aug. ex tom.6. lib.3. de Baptismo contra Donãtistas, in qua videtur oppositum sentire; loquitur enim Magnus Parens, de vnctione deprecativa per orationes, vt eius verba legenti patebit.

Sed circa hoc est notandum, quód licet Confirmatio, ratione characteris impressi, non possit iterari, Episcopus tamen illam repetens, licet gravissime peccaret, non tamen irregularitatem incurreret; sic sentit Scotus, Paludanus, & Soto, quibus assentitur Prado, licet oppositum sentiant Ricardus Maior, & Navarro, ex eo moti, quod iterantibus Baptismum, irregularitas imponitur, & sic etiam repetentibus Confirmationem; sed nostrum dictum patet; quia in iure non decernitur irregularitatis pœna, nisi iterantibus Baptismum, & sic ad iterantem confirmationem nõ debet extendi, quia pœnæ non sunt extendendæ, sed restringendæ; si autẽ dubitatur rationabiliter aliquem esse confirmatum, confirmari debet sub conditione, iuxta ea quæ supra diximus de Baptismo.

Casus decimus, de Patrino Confirmationis. Episcopus quidam confirmavit puerum, quæritur: an idem ipse Confirmans, potuerit esse confirmati Patrinus? Id Gobatus proponit nomine cuiusdam Parrochi, sic interrogantis. Fuit casus hic á quodam Parrocho propositus mihi, quæm cum in nullo authore reperirem, respõdi ex generalibus principijs, videri mihi licere, cum nullum præceptum, vel textus iuris Canonici, stet in contrarium; & videtur dari aliquam disparitatem, inter Patrinum Baptismi & confirmationis, nam ille, debet loco baptizandi respondere, Ministro interroganti, non autem iste; nec videtur esse illicitum, si Minister sit Patrinus principalis, & constituat alium vicarium suo loco tenentem infantem & respondentem; ita Parrochus ille interrogavit, & sibi ipsi respondit.

Sed tamen author ipse, contrarium respondet, ductus testimonio Aug. D. hic art.10. ad 2. vbi ait:

quód

quód confirmandus, Episcopo tanquam duci exercitus, per alium exhibetur, iam militiæ Christianæ adscriptum, vndé licet non reperiatur Canon, prohibens, ne Episcopus confirmans, subeat etiam officium Patrini, sufficit tamen authoritas D. T. & Ecclesiæ, ex cuius more ipse loquitur, approbatus ab omnibus; non ergo idem potest esse confirmans & Patrinus, hoc enim absque dubio, repugnaret Ecclesiæ consuetudini, quæ in Sacramentorum collatione, habenda est pro lege.

Pro huius plena explicatione, subiungemus breviter, quid Theologi, & iura statuunt, circa Patrinos confirmationi assistentes. Certum enim est, & á D. Thom. loc. cit. stabilitum, requiri aliquæm qui confirmandum teneat, sicut suprá diximus in Baptismo requiri; nam confirmatio exhibetur, ad præbendum animæ robur in pugna spirituali; vndé sicut in materiali militia, hi qui assumuntur ad pugnam, egent instructoribus á quibus erudiantur, circa modum certaminis; eodem modo qui confirmationem accipit, debet ab alio teneri, quasi erudiendus peripsum; & vlteriús, quia in hoc Sacramento, confertur robur spiritualis ætatis, & ideo qui ad illud accedunt, debent sustentari ab alio, quia sunt infirmi & imbecilles.

Nec obstat: quód multoties confirmandi sunt adulti, qui sunt perfecti robore; nam licet illi sint corporaliter adulti, sunt tamen spiritualiter parvuli, & ideo debent sustentari ab altero. Nec iterum obstat, quod qui Baptismo sunt insigniti, iam sunt de Ecclesia, & sic liberum habent accessum ad Ecclesiæ Principes, sine iuvamine alteriús; nam per Baptismum, quis pertinet ad Ecclesiam, sed nondum est militiæ Christianæ adscriptus, & ideo debet per alium iam adscriptum conduci, ex quo habetur, quod non confirmatus, nequit esse confirmandi Patrinus, sicut non baptizatus, nequit esse Patrinus baptizandi; sic D. Thom. loco prædicto. Licet autem Patrinum adhibere, non sit de essentia Sacramenti, ac proinde validé sine illo conferretur, non tamen licité, hoc enim esset mortale peccatum, quia violaretur antiqua & laudabilis Ecclesiæ traditio & consuetudo; sic tenent Nuño, & Prado.

Præter hæc, de ritu Patrini, sequentia sunt observanda. Primúm, quód Patrinus confirmationis, non tenetur confirmatum instruere, quia de hoc iura nihil statuunt, & potius est requisitum solemnitatis, & ad significandam imbecillitatem humanam, quam ad illam obligationem inducendam; sic tenet expresé D. Thom. in 4. dist. 7. q. 3. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1. vbi ait: quód Patrinus in confirmatione, non habet officium suscipiendi, quasi instruendum, sed solum tenendi quasi infirmum. Secundúm: quód in confirmatione, vnus tantum Patrinus esse debet, quia sic habetur in iure antiquo, quod non est corrigendum absque fundamento, & id convenit ita, ne extendatur, sed potius restringatur impedimentum cognationis spiritualis; ille tamen potest esse fœmina vel vir, quia vt ait D. Thom. in Christo Iesu, non est masculus, & fœmina; sic tenet Barbosa, Bonacina, & Castrus Palaus. Tertiúm, quod Patrinus confirmationis, diversus sit á Patrino Baptismi, ita authores proximé citati, quod verum est, nisi necessitas vrgeat. Demum, quod Patrinus, veré tangat confirmatum, alias nec Patrinus erit, nec cognationem spiritualem contrahet. Alia de qualitatibus Patrinorum, & effectu compaternitatis, commodius attinguntur in tract. de Matrimonio, eius impedimenta explicando.

Reflexio: Huius Quæstionis doctrina, in qua agitur de Baptismo & confirmatione, comprobationem accipit ex Summorum Pontificum Decretis, in quibus aliquæ damnantur propositiones, quæ autem ad præsens debent præ oculis haberi, sunt sequentes. Prima est in Decreto Innoc. XI. & in ordine 1. in cuius vltima parte dicitur: Hinc sententia probabili tantum, vtendum non est, in collatione Baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopatus, hoc ibi damnatur. Secunda est eiusdem, & in ordine 35. dicens: Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu est in vtero, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu, homicidium committi; damnatur hoc, alias non posset baptizari vllus fœtus abortivus, quod falsissimum est. Tertia propositio est, in Decreto Alexandri VIII. & in ordine 27. dicens: Valuit aliquando Baptismus, sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermissis illis: ego te baptizo; damnatur hoc; vt enim diximus, expressio Ministri, necessaria est ad Baptismi valorem. Quarta est, ipsius Alexandri, & in ordine 28. dicens: Valet Baptismus collatus á Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus veró in corde suo, apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia; damnatur hoc, quia intentio Ministri, requiritur ad valorem Sacramenti. Quinta est, eiusdem Alexandri, & in ordine 19. dicens: homo debet agere tota vita, pœnitentiam pro peccato originali; damnatur hoc, quia peccatum originale, per Baptismum remissum est; nec de illo datur pœnitentia proprié, sed solum large, vt ait D. Thom. 3. p. q. 84. art. 2. ad 3. & hæc eædem propositiones, pro Sacramento confirmationis, sunt consulendæ.

QVÆ-

QVÆSTIO QUARTA,

DE VENERABILI SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Doctrina Summa.

DE venerabili Eucharistiæ Sacramento, modo venit agendum, quod vnum est, ex præcipuis nostræ fidei mysterijs. Si autem dubitet quis: quomodo agimus de Eucharistia in tertio loco, si est perfectissimum Sacramentorum, & debebat primum locum obtinere? Resp. quód Eucharistia, est Sacramentum perfectius secundum se, vt autem venit in vsum nostrum, tertium locum habet, quia prius est nasci, secundo roborari, & tertio nutriri, quorum primum fit per Baptismum, secundum per confirmationem, & tertium per Eucharistiam; & hic solum agimus de perfectione Sacramentorum, pro vt veniunt in vsum hominum. Hoc ergo Sacramentum, plura nomina habet, dicitur enim communio, respectu vitæ præsentis, quia causat fidelium vnionem, dicitur sacrificium, respectu passionis Christi præteritæ, cuius est rememorativum, & dicitur viaticum, respectu gloriæ futuræ, ad quam ducit.

Nunc ergo est sermo de Eucharistia in ratione Sactamenti, & postea in ratione sacrificij. Diffinitur Sacramentum Eucharistiæ physicé sic: species consecratæ, sub præscripta verborum forma; metaphysicé autem sic: Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ cibativæ. Hoc autem Sacramentum vnum est, licet pluribus partibus constet, quia illæ vniuntur in ratione vnius convivij, sicut membra in vno corpore. Institutũ fuit in nocte cœnæ, vt repræsentaret Christi passionem, & retineretur in memoria, post eius absentiam. Eius materia, est panis triticeus, & vinum de vite, quia hæc componunt perfectum convivium; & hæc est regula generalis, quod materia Eucharistiæ, est panis & vinum vsualia; & sic vinum in vua, & panis in massa, non sunt materia, quia non sunt apta ad comestionem & potum; si autem mixtio granorum alterius speciei est modica, & non destruit substantiam panis, est materia, & idem est dicendum, de mixtione liquorum in vino.

Panis autem pro materia Eucharistiæ, non debet esse fermentatus, sed azimus, vt explicet puritatem Verbi, quod assumpsit humanitatem sine comixtione, quod non est præceptum divinum, & in hoc debent servari ritus Ecclesiarum. Quantitas panis, vel magna vel parva, potest consecrari atenta natura Sacramenti, licet ratione præsentiæ, debeat esse determinata; præsentia autem sufficit quod sit moralis, vt percipiatur aliquo sensu; sed non oculis videri, vt patet in ceco consecrante; si quis intendit consecrare sex particulas, & inveniuntur decem, nullam consecrat, quia determinari non possunt, bené veró si intendit decem & sunt sex, quia maior numerus, includit minorem.

Forma consecrationis sunt verba, quibus perficitur significatio. Sed quomodo vera sunt, dum dicitur: hoc est corpus meum, si nondum est corpus? Resp. quód illa verba sunt practica, & effectiva termini & ideo illum non supponunt prius, sed in eodẽ instanti in quo, vt dicitur in Philosophia. Forma consecrationis Calicis, sunt hæc verba; hic est enim Calix, vsque ad finem, quia sic meliús fit memoria Passionis, in sanguine effusso; verba intelliguntur per metonimiam, seu continens pro contento, vt sit sensus: contentum in hoc Calice, est sanguis meus an autem aqua immediatè convertatur in vinum, vel in sanguinem, videbitur infra.

Existentia Christi, vera & realis in Eucharistia, est de fide, & hoc indicant verba: Caro mea verè est cibus. Nec obstat: quod Christus in cœlo existat, & nequit esse in duobus locis; nam in cœlo est modo extenso & in Eucharistia, modo indivisibili & substantiali; repugnantia autem duplicis loci in eodem corpore, est modo extenso & quantitativo. Hic modus essendi Christi in Eucharistia, vocatur transubstantiatio, seu conversio vnius substantiæ in aliam; in quo autem hæc conversio consistat, examinabitur postea.

Substantia panis, non manet in Eucharistia, quia est in Corpus Christi conversa; accidentia vero manent, ne esset horrendum, Christum in propria specie manducare & bibere; & talia accidentia manent sine subiecto miraculosé, sustentata effectivé á Deo; & si dicitur: quód subiectum est de diffinitione accidentis. Resp. quód est de diffinitione accidentis, non per exercitium sed per exigentiam, & accidentia, dum actu á Deo sustentantur exi-

guut

gunt subiectum, & solum negativé sine subiecto existunt.

Quædam autem sunt in Eucharistia ex vi verborum, quæ requiruntur vt verificentur verba, & sic in speciebus panis manet caro Christi,& in speciebus vini sanguis, quædam vero per concomitantiam,& ex vi vnionis, & sic in sanguine est caro,& é contra, & similiter anima,est etiam per concomitantiam. Divinitas autem, etiam est per concomitantiam mediatam, quatenús per concomitantiam est Filius;cuius Divinitas est prædicatum comune, & etiam sine Personæ per circuminsessionem;quia vna est in alia,iuxta verbum Christi: ego in Patre, & Pater in me est, licet proprius sit persona Filij, cuius passio in Eucharistia recolitur, & cui divinitas hypostaticé vnitur.

Effectus Sacramenti Eucharistiæ, plures sunt. Primus est conferre gratiam, nam continet ipsum Christum gratiæ authorem, causat autem gratiam secundam vel augmentum, licet aliquando per accidens causet primam gratiam, vt vidimus supra. Secundus effectus est, collatio gloriæ, quia in Eucharistia fit memoria passionis, per quam gloriæ aditus patet. Tertius est auferre peccata venialia,sicut cibus naturalis restaurat substantiam deperditam. Quartus remittere pœnam, iuxta fervorem sumentis. Quintus præservare á peccatis futuris, quia nos iungit cum Christo,& confortat spirituales vires.

Secunda consideratio Eucharistiæ, est in ratione sacrificij, & diffinitur sic: oblatio corporis & sanguinis Domini, sub speciebus panis & vini; vndé Eucharistia, verum sacrificium est, qua per illam aliquid offertur Deo, in signum supremæ excellentiæ;in eaque Christus immolatur,qui est simul Sacerdos & hostia, & ideo tantum prodest missa mali Sacerdotis quam boni, ex opere operato licet non ex opere operantis. Hoc sacrificium,est idem specificé cum sacrificio crucis, cum differentia penes cruentum & incruentum, quod est idem ac cum effusione sanguinis, vel sine illa. Sed in quo sacrificium hoc consistat, & an sit infinitum simpliciter, videbitur infrá.

Sacrificium Missæ, continet omnem perfectionem sacrificiorum antiquæ legis, quia continet gratiæ authorem; & est propitiatorium pro peccatis mortalibus, expiatorium pro venialibus, satisfactorium pro pœnis, & impetratorium beneficiorum Dei; sed diversimode, nam peccata non remittit ex opere operato, nisi in ordine ad pœnitentiam, benè verò pœnas vivorum & mortuorum. Illud offertur pro beatis,quibus proficit ad gloriam; pro animabus Purgatorij, quibus suffragium est, & etiam pro hominibus, ex quibus iusti, percipiunt virtutem illius, non autem peccatores.

Ex infinitate sacrificij Missæ infertur, quod stipendium pro illo exhibitum,non est pretium illius, sed taxatio Ecclesiæ, ad congruam sustentationem ministrorũ;nam qui altari deservit,de altari participant, vt ait Paulus. Sed licet sacrificium sit infinitum,nequit Sacerdos, quantumvis sit pauper, accipere plura stipendia pro eodem sacrificio,nam paupertas venditoris, non auget pretium mercis; & si quis sumit stipendium vltra communem vsum, & Missam comendet alteri, debet tradere stipendium integrum,quia hæc fuit intentio conferentis.

Circa tempus celebrandi Missam, congruentius est á tertia hora vsque ad nonam, quæ iuxta vsum nostrum sunt hora nona & duodecima, quia illud fuit tempus Passionis Christi. Nec potest regulariter celebrari ante auroram; aliquando autem hoc fit, si detur rationabilis causa, vt est motivum itinerandi, vel vt laboratores Missam audiant, vel ex privilegio speciali, vt in Religionibus contingit; & etiam in nocte Natalis Domini, ob mysterium mediæ noctis;in die autem Veneris Sancti nón celebratur, quia tunc est præsens Passio Christi, cuius Missa est memoria; sed in die Iovis, & Sabati Sancti, possunt celebrari Missæ privatæ, præcipuè si sit festum colendum, in quo stari debet Ecclesiarum vsui.

Vltimo specialitér sciendum est, quomodo occurritur defectibus qui possunt in Missa contingere, quod licet in rubricis attingatur, brevitér tamen modo dicitur:quod defectus,alij sunt substantiales, & alij accidentales, substantiales se tenent ex parte materiæ & formæ;si ergo ante consecrationem reperitur materia non apta,ponatur alia; si autem in tempore sumptionis panis,apponatur alius;& vinũ remaneat;& si eo tempore inveniatur defectus in vino,sumatur iterum panis & vinum,& consecrentur,vt servetur debitus ordo;sic ait D. Thom. Nec obstat: quód Sacerdos non est ieiunus post sumptionem;nam præceptum de integritate Sacrificij est divinum, & debet plus attendi, quam preceptum ieiunij,quod ecclesiasticum est.

Si quis dubitat se dixisse verba consecrationis, ad nihil tenetur;nam in dubijs,melior est conditio possidentis;si autem est certus quod non dixit, iterum verba repetat. Si musca cadit in Calicem, si potest sumi sine nausea, sic fiat, vel si non,lavetur comburatur,& cineres mittantur in piscinam,& sumatur vinum; quod si animal est venenosum, vel vinum venenatum, exicetur cum stupa,& ponatur in Sacrario vsque dum corrumpatur,& tunc comburatur,& idem si hostia habet venenum,ne panis vitæ, vertatur in causam mortis; si non est apposita aqua,non apponatur, quia non est de necessitate Sacramenti, nec misceatur tunc vino consecrato, quia corrumperetur aliqua pars Sacramenti.

Demum:si funditur sanguis super tabulam vel linteum, lavetur, radatur & sugatur, & reliquiæ in Sacrario ponantur post combustionem; & similiter fiat,si quis Eucharistiam evomuerit. Qui non recte

custodit Sacramentũ & species devorantur ab animalibus, per quadraginta dies pœniteat, & qui perdiderit particulam & non inveniat, pœniteat triginta dies, & etiam pœnitere debet Sacerdos, cui forma de manu cadit, dum alios communicat, pro quo in Ordine Predicatorum statutum est, vt illa die Communitas omnis, in pane & aqua ieiunet, & dum res contingit, ita fit.

ARTICVLVS I.

De essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Prima difficultas: Pro quo supponat in recto Sacramentum Eucharistiæ? Supponimus vt certum de fide, Eucharistiam esse verum novæ legis Sacramẽtum, á reliquis distinctum; sic diffinitur in Concil. Trid. Sess. 7. de Sacram. Can. 1. & Sess. 13. per totam, & habetur apud D.T. hic art. 1. quæ veritas constat. Tum ex diffinitione Sacramenti superius adducta, quæ convenit Eucharistiæ, est enim signum rei sacræ sanctificantis nos: Tũm, quia vita spiritualis, conformatur cum vita naturali; in hac autem requiritur generatio, per quam homo accipit esse, augmentum, per quod roboratur in vita, & alimentum, quo nutritur & conservatur, & ideo similiter contingit in vita spirituali, in qua per Baptismum, regeneramur, per Confirmationem roboramur, & per Eucharistiam pascimur & nutrimur; quæ ratio desumitur ex Concil. Florent. in instruct. Armenor.

Huic obstare videtur, difficultas attacta á D. T. in 1. arg. nam duo Sacramenta distincta, nequeunt ad eundem finem ordinari; cumque ad perfectionem vitæ spiritualis ordinetur Confirmatio, ad hoc non requiritur Eucharistia, vt Sacramentum distinctum. Resp. Aug. D. his verbis: Duplex est perfectio, vna quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum, & talis perfectio, competit Confirmationi; alia autem est perfectio, quam consequitur homo ex adiunctione alicuius extrinseci hominem conservantis, puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiusmodi, & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio.

Sic statuit D.T. vtriusque Sacramenti differentiam, quæ doctrina videtur difficilis, nam vel sermo est de ipso Sacramento & sic vtrumque Sacramentum, est extrinsecum animæ; vel de effectu illius, qui est gratia, & hæc in vtroque est animæ intrinseca. Obiectio hæc varié solvitur ab Authoribus sed ineficaciter á pluribus; eius solutio verbis D.T. consideratis in eo sita est, quod perfectio Confirmationis dicitur extrinseca, quia est formalis in operando, vt roboratus in Fide, confiteatur illam; perfectio vero Eucharistiæ vocatur extrinseca, quia præstat coniunctionem cum fine extrinseco, vniendo manducantem cum Christo, nam receptio Eucharistiæ, ordinatur ad consecutionem finis qui est Christus, & hic animæ extrinsecus est.

Si dicas etiam Confirmatio non roborat ad protestandam fidem, solum actu interiori, sed etiam actu exteriori coram tirano, & sic Confirmationis perfectio, desumitur ab extrinseco, sicut perfectio Eucharistiæ. Resp. quód antecedens est verum, ideo enim in Confirmatione, signum Crucis formetur in fronte, ne erubescamus fidem coram tirano profiteri, vt vidimus supra, & affertur á D.T. q. 72. art. 9. ad 2. sed ex hoc non convenit cum Eucharistia, eius enim specialitas, consistit in vnione cum Christo, qui finis extrinsecus est, licet hoc debeat fieri per operationem fidei, quæ operatur per dilectionem, vnde ait D.T. in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 2. quod in hoc Sacramento, fit coniunctio ad finem quæ debet esse per debitam operationem, & hæc coniunctio ad finem, in Confirmatione non reperitur.

Hoc ergo supposito inquirit difficultas; pro quo Eucharistiæ Sacramentum in recto supponat? Dantur enim in ista species consecratæ, Corpus & sanguis Christi in eis contenti, consecratio illarum vsus vel sumptio; cum ergo Sacramentum sit concretum accidentale; præcipué curans de subiecto, ideo inquiritur, pro quo in recto supponat? Et quidem certum est, non consistere in sumptione, nec in consecratione; & ratio est, nam Eucharistiam cognoscimus ex proportione cum cibo & potu naturali, hæc autem non consistunt in sumptione, nec in actione per quam fiunt, ergo idem est dicendum de Eucharistia, idque habet Trid. Sess. 13. Can. 3.

Nec obstat: quód alia Sacramenta, vt Baptismus & confirmatio, consistunt in vsu materiæ. Dicitur enim, hoc ideo esse, quia alia Sacramenta, non significant rem sacram in se, sed in ordine ad subiectum, & ideo debent subiecto applicari; Eucharistia verò significat Christum gratiæ authorem absolutè, & sic ab eius vsu non pender. Si dicas: quód etiam significat Christum, in ordine ad sumptionem. Resp. hoc probare sumptionem esse conditionem, sicut consecrationem principium effectivum, non autem formam, quia Christus significatur vt cibus, & consecratio, nec sumptio cibus non sunt, nisi ad summum effectivé, vel consecutivé. Præcipua difficultas est, de speciebus consecratis, & de Christo contento in illis.

Dico igitur: Sacramentum Eucharistiæ, non significat in recto corpus, & sanguinem Christi, sed species consecratas, vt connotant corpus Christi. Primam partem probant aliqui; quia Christus non est sensibilis. Sed hæc ratio non probat; nam ille est sensibilis per accidens ratione specierum, quod sufficit ad rationem Sacramenti, sicut contritio est sensibilis per confessionem, & illa est pœnitentiæ pars. Vera igitur ratio est: nam in Eucharistia, res & Sacramentum simul, nequit constituere illud,

quod

quod est Sacramentum tantum ; sicut Baptismus non supponit pro ablutione & charactere, sed solum pro ablutione; sed corpus Christi contentum sub speciebus, est res & Sacramentum simul: ergo illud non est Sacramentum tantum. Instauratur ratio: res & Sacramentum simul, est quod significatur & significat,& Sacramentum tantum quod significat & non significatur: ergo vtrumque non est idem. Prob.conseq. quia hoc modo,idem esset causa & effectus, & signum & signatum, & causa per effectum constitueretur,& signum per signatũ,quæ omnia sunt absurda: ergo cum Christus in Eucharistia, sit res & Sacramentum simul, & sit signatum per species, nequit esse signum, nec pars Sacramenti tantum.

Dices : hinc oppositum sequi,nam si Christus est res & Sacramentum simul,etiam erit Sacramentum, ex arguendi regula,á prædicato copulato, ad quamlibet partẽ,vt Petrus est albus & musicus:ergo est albus. Resp. quód ille modus arguendi tenet,quando nõ arguitur á dicto secundũ quid ad dictum simpliciter, sicut non valet, Petrus est albus secundum dentes, & est musicus: ergo est albus;& hic defectus datur in casu nostro,in quo arguitur ex re & Sacramento simul, ad Sacramentum tantum, & patet in Sacramentis, quæ imprimunt characterem, hic enim est res & Sacramentum simul, & non inde infertur, quod sit Sacramentum tantum.

Secunda pars prob. nam id habet expresé D. Thom. hic art. 5. vbi ait : quód panis & vinum, sunt Sacramentum tantum; & idem ait D.August. tract.26.in Ioann.& ratio est:nam Sacramentum vel significat in recto materiam & formam, vel id pro quo supponit; sed id convenit speciebus: ergo,&c. prob. min.Túm ab exclusione aliorum vt vidimus. Túm, quia Corpus Christi non est materia, quia illud non conficeratir, nec est forma, quia hæc sunt verba sensibilitér determinantia materiam ad causandam gratiam. Túm, quia pars non continetur Sacramentalitér in toto, sicut anima non dicitur contineri in homine, Christus autem continetur realitér in Eucharistia, & sic, non est pars illius.

Deinde prob. ex prosa venerabilis Sacramenti, ab Aug. D. composita, in qua dicitur, quod Christus,est vt cõtentus & significatus ab speciebus cõtinentibus, & significantibus ; dicitur enim, quod Christus integer manet,dum frangitur Sacramentum. Fracto demum Sacramento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur; sed solæ species franguntur : ergo solæ illæ sunt Sacramentum Eucharistiæ.Undé si aliquando SS.PP.asserunt,Sacramentũ Eucharistiæ cõstare ex Corpore Christi,intelligendum est, tanquam ex re significata vel conotata, non veró tanquam ex parte intrinsecé in recto.

Sed arguitur, contra resolutionem : quia Sacramentum Eucharistiæ, adoratur adoratione latriæ, vt ait Trident. Sess. 13. cap.5. & hæc adoratio non tribuitur speciebus, quia illa est propria Dei. Et vrgetur : quia Eucharistia est cibus spiritualis animæ,& hoc speciebus non convenit seorsim á Christo. Secundó, quia Sacramentum fit ex vi verborum, species autem non sic fiunt, nec conficiuntur ex pane & vino, quia idem non fit ex se ipso:ergo, &c. Resp. ad arg. quód Eucharistia adoratur ádoratione latriæ, ratione Christi contenti in illa,& hic est sensus Concilij, vt constat ex Can. 6. de Sacramentis.

Vel dicatur: quód sicut idem est motus in imaginem, & in obiectum repræsentatum per illam, eadem est adoratio ad species & ad Christum,quæm continent;sic ait D. Thom. 3.p. q. 25. art. 3. & 4. Nec hinc sequitur, quod vas in quo Sacramentum reservatur, cultu latriæ adoretur ; nam licet contineat Christum, hoc est mediaté, & pure extrinsece, species autem, illum intrinsecé & immediaté continent ; & ratio horum est : quia ad Sacramentum,sufficit sensibile signum, quod per se, & directe convenit speciebus ; ad adorationem veró requiritur excellentia, sive sensibilis sive non,& ideo ratione excellentiæ Christi,adorantur species illum continentes.

Ad conf. Resp.quód sicut species adorantur ratione Christi contenti,ita etiam ratione illius,sunt cibus spiritualis, ad quod sufficit quod ille contineatur ab speciebus, & connotetur ab illis. Si dicas : quód substantia panis,in recto constituit corporalem cibum : ergo etiam substantia Christi cibum spiritualem.Resp. neg. cons. Túm, quia substantia cibi, directe constituit alimentum; substantia autem Christi, non constituit signum sensibilitér significans. Túm, quia alimentum corporeum, convertitur in substantiam nutriti,substantia autem Christi,nos convertit in se,iuxta dictum Aug. suprá positum:tu mutaberis in me, & ideo Christus est in Eucharistia, non vt continens, sed vt contentus.

Ad 2. Resp. quód licet verba, non conficiant species secundum se, conficiunt tamen illas vt consecratas, eo modo quo verbis & orationibus, fit aqua benedicta, licet hæc nihil aliud includat, nisi aquam & benedictionem. Vel secundó dicatur quód verba efficiunt Sacramentum,inadæquaté acceptum,quantum ad formam, non autem adæquaté, quia non faciunt species, secundum relationem ad Corpus Christi, quod non est pars Sacramenti, sed contentum in Sacramento.

Instant adhuc:non esse Christum partem Sacramenti est, quia ille est res & Sacramentum simul ; sed hoc non obstat, nam etiam contritio interior, est res & Sacramentum in pœnitentia, & est pars intrinseca illius: ergo, &c. Resp. quód contritio vt informis,est pars Sacramenti, est autem res & Sacramentum simul, vt formata per gratiam ; in

cor-

corpore autem Christi, non datur hæc duplex consideratio, quia solum meditatur, vt existens sub speciebus, & vt vnitum cum illis, vt effectus verborum, & ideo ante verba, non potest supponi vt vnitum, & manifestatum.

Sed re vera difficile est, ponere pro materia Sacramenti, aliquid puré internum, & insensibile, vt est contritio, hoc enim repugnat Concil. & D. T. 3.p. q.84. art.1. ad 1. Vndé meliús. Resp. cum ipso, quod contritio solum est pars Sacramenti tantum, mediante confessione, & disparitas de Eucharistia est: nam in hac possuit Christus pro materia, aliquid sensibile extrinsecum, in pœnitentia verò, ipsam operationem hominis elevavit ad rationem Sacramenti, sicut in medicinis, quædam sunt exteriores vt potiones, aliæ actus sanandorum, vt exercitationes quædam; in his ergo, actus interior iunctus exteriori, potest esse pars Sacramenti, vt in matrimonio & pœnitentia, non autem in Eucharistia potest Christus insensibilis, esse Sacramenti pars.

Secunda difficultas: Quænam sit virtus causativa gratiæ in Eucharistia? Resp. quód virtus causativa gratiæ in Eucharistia, est Corpus, & sanguis Christi, contenti sub speciebus. Constat ex D. T. hic art.1.ad 2. vbi ait: sicut se habet virtus Spiritus Sancti, ad aquam Baptismi, sic se habet Corpus Christi verum, ad species panis & vini; vndé species panis & vini, non efficiunt aliquid, nisi in virtute Corporis Christi; & idem habet in 4. dist. 8. & ratio est: quia illa est virtus Sacramenti, per quam hoc redditur causativum gratiæ; sed hoc habet á Corpore Christi: ergo &c. prob.min. Tùm, quia Christus cibans animam, idem facit ac cibus corporeus, & hic secundum suam substantiam nutrit. Tùm, quia species sunt sola accidentia naturalia, quæ non possunt causare effectus spirituales. Tùm, quia humanitas vnita Verbo, erat instrumentum coniunctum divinitatis ad sanctificandum nos: ergo idem facit in Sacramento.

Vndé sicut per motionem divinam, ablutio causat in Baptismo gratiam regenerativam, quam secundum se non causat, ita species Sacramentales, ex coniunctione cum Corpore Christi, causant gratiam refectivam; sed cum hac differentia, quod ablutio elevatur media motione, sed motio iterum non elevatur; species autem Eucharisticæ, elevantur medio Corpore Christi, & hoc rursus elevatur per divinam motionem; & ratio est: quia virtus in Eucharistia, datur per modum habitus, & sic eget actuali motione, vt actualitér causet, mediante autem motione Corporis Christi, elevantur species ad causandam gratiam.

Arguitur contra hoc: Corpus Christi non elevatur per virtutem Dei, ad modum habitus, cum in eo nulla qualitas imprimatur; nec per modum motionis, quia ibi est admodum substantiæ, quæ moveri non potest: ergo, etc. Resp. quód virtus illa communicatur Christo per modum actus; licet enim Corpus Christi moveri non possit, motione corporali, & materiali, ob rationem argumenti, potest tamen moveri, motione quasi spirituali, conformata cum ipso subiecto, quod etiam quasi spirituale est, cum non habeat esse modo quantitativo.

Dices: frustra sunt plures virtutes, quando effectus ab vna perfici potest, sed in speciebus datur virtus gratiæ causativa: ergo illa frustra ponitur in Christo. Resp. quód non sunt duæ virtutes, cum vna agit vt quod & alia vt quo, ex speciebus autem, tanquam ex principio quod, & ex Christo tanquam virtute vt quo, fit vnum in ratione causandi, & ideo non sunt duæ virtutes, sed vna. Nec obstat: quód sic Christus, subordinabitur speciebus, nam agens quo, subordinatur principio quod. Resp. enim, hoc esse verum, quando vtrumque est eiusdem ordinis, Christus autem, altioris ordinis est ad species, & sic illis non subordinatur, sicut eadem ratione, essentia divina, non subordinatur mentibus beatorum.

Si dicas: Si Corpus Christi, est virtus vt quo specierum, vnietur illis vt forma, id enim quo aliquid agit, est forma illius, vt ait D. Thom. 2. contrag. cap 59. consequ. est falsum: ergo, &c. Resp. mai. esse absolutè falsam, nam essentia divina est virtus intellectus beati, & non est forma illius. Vndé virtus vnitur vt forma, quando est ratio agendi per modum potentiæ; Corpus autem Christi, non est virtus productiva gratiæ per modum potentiæ, sed per modum perfectivi potentiæ, & ideo non vnitur speciebus vt forma.

Dices adhuc: Christus est res & Sacramentum simul: ergo nequit esse virtus Sacramenti; sicut hac ratione probabimus difficult. præced. non posse esse Sacramentum tantum. Respondet D. Thom. hic ad 3. quód cum hoc Sacramentum post consecrationem permaneat, differt ab alijs, nam in Sacramento Eucharistiæ, id quód est res & Sacramentum, est in ipsa materia, id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quæ confertur; in Baptismo autem, vtrumque est in suscipiente, scilicet character, qui est res & Sacramentum, & gratia remissiva peccatorum, quæ est res tantum, & eadem ratio est, in alijs Sacramentis; cum ergo in Eucharistia, virtus Sacramenti contineatur sub speciebus pro quibus supponit, benè potest Christus, qui est sub illis, esse simul res & Sacramentum, & virtus Sacramenti, nequit autem esse pars Sacramenti tantum, quia non est aliquid sensibile per se.

Tertia difficultas: De vnitate Sacramenti Eucharistiæ. Certum est, Sacramentum hoc, in aliquo sensu esse vere vnum, & quia continet Christum, qui vnus est, & quia est signum Ecclesiasticæ vnitatis, iuxta dictum Pauli: Vnum corpus multi sumus

mus omnes, qui de vno pane, & de vno Calice participamus; dubium est, qualis sit hæc vnitas, an generica, an verò specifica? Dicendum est: Eucharistiam esse vnum Sacramentum specificé athome; & constat 1. alias, non esset septenarius numerus Sacramentorum, quod est contra Tridentinum & Ecclesiæ sensum.

Nec dicatur: quód Sacramenta sunt septem genericé, vel specificé; genericé, vt Eucharistia & ordo, & specificé vt cætera Sacramenta. Nam contra est: Sacramentum ordinis est vnum specificé athome, licet contineat diversos gradus; sicut anima rationalis, est specificé vna, continens gradum summum rationalis, & gradus inferiores vegetandi & sentiendi: ergo idem est dicendum de Eucharistia. Prob. conseq. & assignatur ratio fundamentalis, ideo Sacramentum ordinis, est vnum in specie athoma, & solum partium in species incompletas, quia respicit eundem finem, nempé Sacerdotium & Sacrificium; sed idem habet Eucharistia; ergo, &c.

Prob. min. ex D. Thom. hic art. 2. vbi ait: quód Eucharistia, ordinatur ad specialem refectionem, quæ conformatur cum corporali; hæc autem, ex cibo & potu vnam formaliter refectionem facit: ergo similitér Eucharistia. Deindé: Sacramentum Extremæ Vnctionis, est vnum specificé; quia etsi plures habeat formas partiales, respicit vnum finem, scilicet auferre peccatorum reliquias: ergo idem est dicendum de Eucharistia; præcipué cum eius vnitas non sit indivisibilitatis, nec continuationis, sed pure artificialis & diminuta, & sic potest ex duabus formis partialibus consurgere, modo quo domus dicitur vna, vt ex pluribus partibus integratur.

Sed dices: á quo sumitur huiusmodi vnitas Eucharistiæ? Resp. quód nec sumitur ex vnitate rei contentæ, quæ est Christus, nec ex vnitate institutionis, sed ex vnitate finis. Primum patet. Tùm, quia etsi Christus in se sit vnus, diversimode per species significatur. Tùm, quia ex hoc probaretur vnitas individualis Sacramenti in omnibus speciebus, sicut Christus individualitér est vnus, quod tamen est falsum vt dicemus. Secundùm constat: quia institutio est causa efficiens puré extrinseca, & sic ab ea nequit desumi species rei, quæ oritur á causa formali: ergo, &c.

Tertiùm prob. quia Eucharistia, est essentialiter signum, quod summit speciem á termino signato; & vlteriùs, quia species Eucharistiæ, significant vnum convivium spirituale, hoc autem constituit vnam refectionem perfectam, ex cibo roborante, & ex potu refrigerante, & consequenter, idem de speciebus Eucharistiæ dicendum est; & sic gratia ordinata ad auxilia roborantia vitam spiritualem, respondet speciebus panis, & ordinata ad auxilia mitigantia concupiscentiam, speciebus vini.

Si dicas: quód sic laici sumentes solum panem, defraudarentur aliqua gratia. Resp. quód non defraudantur, quia licet in speciebus panis, non recipiant gratiam præstitam á speciebus vini ex vi formalis significationis, bené verò indirectè, & per concomitantiam, sicut etiam hoc modo cum corpore accipiunt sanguinem; sicut refertur de Summo Pontifice Innoc. XI. quód fructum suavissimum edens dixit, hoc eodem fructu, cibamur, potamus & lavamur, quia etsi formalitér solum esset cibus, erat concomitanter potus & lavacrum; sed de hiamplius infrá, dum agamus an duplex species conferat maiorem gratiam, quàm vnica.

Sed arguitur: Multiplicato genere, multiplicantur species, sicut multiplicato animali, eius species multiplicantur, sed signum est genus ad Sacramentum, & illud multiplicatur in Eucharistia in speciebus panis & vini: ergo etiam species Sacramenti multiplicatur. Resp. quód maior est vera, si genus multiplicatur formalitér, in Eucharistia autem, solum materialitér multiplicantur significationes, quia ex illis fit vnum perfectivé, quatenús resultat vna refectio; sicut etiá plures Vnctiones materialitér distinctæ, faciunt vnum Sacramentum Extremæ Vnctioni, formaliter.

Nec obstat: quód Ecclesia, Eucharistiam in plurali nominat, dum ait: Purificent nos Dom ne Sacramenta quæ sumpsimus. Resp. enim, quod etiam paulo post dicitur: hoc tuum Sacramentum, non sit nobis reatus, eo quod vnam refectionem constituit & perficit, & solum habet materialem distinctionem. Si dicas: quód species non faciunt Sacramentum, nisi vt affectæ significatione, & sic variata ista, variatur Sacramentum. Circa hoc, plura se offerebant dicenda, de re noviter decertata; sed dico breviter: quód in vnitate concretorum accidentalium, quale est Sacramentum, aliud est quod significant, & aliud pro quo supponunt, & sic potest stare multitudo in significando & vnitas in numerando, & supponendo.

Sed an vtraque species Eucharistiæ, differant specie partiali in esse Sacramenti? Resp. affirmativé; sic sentit Cayet. & Prado, cum D. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. vbi ait: quód cibatio spiritualis, non significatur perfectè per panis tantum, neque per vini tantum sumptionem, sed per vtrumque simúl; & ratio est: nam vtraque species facit compositum, ex diversa materia & forma, diversimodé significantibus gratiá, nempé ex pane & vino, & distinctis verbis consecrationis, & sic faciunt totum etherogeneum specie partiali distinctum, licet distinctio hæc, se habeat de materiali, respectu integri Sacramenti completi.

Sed restat adhuc examinare, vnitatem numericam Sacramenti Eucharistiæ, & principium á quo sumitur. Circa primum dico: quód Sacramentum Eucharistiæ, est numero diversum, pro diversitate spe-

cierum & locorum, quibus consecrantur. Tùm, quia in illis, est diversa numero materia & forma. Tùm, quia species diversæ sunt, & pro illis vt vidimus Sacramentum supponit. Nec obstat comunis loquendi modus, quo dicimus, plures accipere Sacramentum, & non Sacramenta; hoc enim dicitur, iuxta vsum hominum, sicut dicimus: hæc herba nascitur in horto, & tamen illa numericé multiplicatur.

Dices: quód Corpus Christi est vnum numero, & sic vnum numero erit Sacramentum, sicut si Verbum duas humanitates assumeret, esset vnus homo numero. Resp. hinc solum sequi, Sacramentum esse numero vnum ex parte rei contentæ, non autem ex parte signorum continentium. Nec est idem de Verbo assumente duas humanitates; nam tunc importaretur suppositum in recto, á quo sumeretur vnitas; Eucharistia autem, non importat in recto Christum, sed species, nec istæ illi vniuntur hipostaticé, & sic ab eo vnitatem non capiunt, sicut nec locus habet vnitatem, á corpore existente in illo.

Instabis, ex dicto Pauli asserentis; quod nos sumus vnum Christi Corpus misticum, sicut panis & vinum, sunt vnum Sacramentum; sed nos sumus vnum corpus misticum numero: ergo, &c. Resp. quód Apostolus comparat hæc extrema, in sensu metonomico, sumendo continens pro contento, ita quod sicut omnes fideles, conficiunt vnum numero corpus misticum, ita panis & vinum, continent idem numero Corpus Christi, quod solum arguit vnitatem numericam, ex parte rei contentæ, vt proximé diximus, cum quo stat, quod signa & Sacramenta, sint numero distincta; sic D. Thom. 3 p. q. 82. art. 2. ad 3.

Circa secundum, de principio á quo sumitur hæc vnitas numerica Eucharistiæ; varie discurrunt Theologi, quia concernit difficultatem celebrem, de principio distinctionis numericæ; sed ad præsens institutum dicitur: quód vnitas numerica Eucharistiæ, non summitur á consecratione, quia hæc est causa effectiva, nec á verbis, quia sunt causa formalis, & vtraque causa est extra conceptum numericum rei; nec summitur á continuatione. Tùm, quia ab hac non summitur, vnitas convivij materialis. Tùm, quia potest quis summere sanguinem sumptionibus discontinuis, & ille vnum Sacramentum est; summitur ergo vnitas numerica, ab vnitate refectionis, ad quam ordinantur species, & hæc est moralis vnitas, nam physica, ab ipsis speciebus, quæ vt materia deserviunt desumitur.

Dices: ante refectionem, iam est constitutum convivium: ergo ab illa non sumit vnitatem. Resp. quód est constitutum incomplete, non autem complete, ad hoc enim requiritur ordo ad sumptionem, sicut præparatio ciborum materialium, non est convivium complete, nisi ordinata ad sumptionem. Si dicas: á quo ordinatur ad hanc determinatam refectionem? Resp. quód ab intentione Ministri inchoativé, complete veró, ab actuali sumptione. Dices: quód intentio, est quid extrinsecum, & sic ab ea nequit sumi intrinseca determinatio. Resp. quód non determinat, vt ratio formalis, sed vt conditio, modo quo dicitur de quantitate, quo ad individuationem substantiæ materialis.

Quarta difficultas: Vtrúm Eucharistia sit ad salutem necessaria, necessitate medij? Hoc est an sit medium, cum salute nostra necessario connexum? nec est dubium de necessitate præcepti suscipiendi, de quo agetur infrá; sed notandum, quod susceptio Eucharistiæ, alia est realis & Sacramentalis, nempé sumptio specierum, alia mistica seu spiritualis, quæ est desiderium sumendi, iuxta dictum Christi, desiderio desideravi manducare; deindé hoc desiderium, quod dicitur votum, aliud est explicitum, cum res in se ipsa desideratur, aliud implicitum, cum desideratur in alio, cum illa connexo.

Dico igitur: Eucharistia in re susceptа, non est medium necessarium ad salutem, nec etiam in voto explicito, sed solum in implicito. Prima pars constat in parvulis, & in adultis amentibus, vel patientibus vomitum, vt ait Trident. Sess. 21. Can. 4. & ratio assignatur á D. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. nam gratia est sufficiens causa gloriæ; sed Eucharistia supponit gratiam in Baptismo collatam: ergo, &c. Deindé: quia magis necessarius est Baptismus quam Eucharistia, quia ille est Sacramentorum ianua; & tamen per solum desiderium Baptismi, vel per Martyrium, potest quis salvari: ergo etiam sine Eucharistia in re susceptа.

Dices: quód Eucharistia, datur per modum cibi, & cibus naturalis, debet susci pi in re. Contra est: nam alimentum naturale, convertitur in substantiam aliti, vt det vitam quod sine eius reali susceptione non fit; sed Euchatistia non convertitur in substantiam hominis, imó istam convertit in se, iuxta dictū Christi ad Augustinū: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me; potest autem quis in Christum mutari & cum illo incorporari, per votum vel desiderium mentis, sine reali susceptione Eucharistiæ: ergo diversa est vtriusque ratio; sic D. Thom. hic, art. 8. ad 2.

Secunda pars, de voto explicito prob. votum explicitum rei, cum sit eius substitutum, requirit quod res ipsa ratione cuius fit, sit aliquando necessaria; sed realis susceptio Eucharistiæ, nunquam est necessaria ad salutem: ergo nec eius votum explicitum. Prob. min. potest recuperari gratia amissa, post Baptismum, sine reali sumptione Eucharistiæ, vt si quis morti proximus, sumpto viatico peccet mortaliter, & si iterum Eucharistiam non sumat, per Sacramentum pœnitentiæ potest iustificari, & gloriam consequi: ergo potest recuperari

gra-

gratia amissa, sine Eucharistia in re susceptа.

Si opponas: quód Baptismus in re susceptus, vel saltim in voto explicito, requiritur ad salutem: ergo etiam Eucharistia. Prob. conseq. nam eisdem verbis quibus dicitur: nisi quis renatus fuerit,&c. dicitur etiam nisi manducaveritis, non habebitis vitam: ergo, &c. Miror authores aliquos dicere, disparitatem non facile dari, cum illa afferatur eleganter á D. Thom. loco citato, & stat in eo: quód Baptismus, est inchoatio vitæ spiritualis,& ideo debet haberi in re, vel voto explicito; Eucharistia veró, est vitæ consumatio & finis, & ideo sufficit quod habetur in voto implicito, quia finis agit, pro vt in intentione & desiderio.

Sed cur votum Baptismi sit explicitum, & votum Eucharistiæ implicitū? Ecce aliam D.T. rationē nam per Baptismum, ordinatur homo ad Eucharistiam,& sicut ex intentione Ecclesiæ pueri credunt, ex eadem etiam, ad Eucharistiam ordinantur; sed ad Baptismum, non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum,& ideo ante susceptionem Baptismi, non habent pueri aliquando Baptismum in voto, sed soli adulti, ideoque Sacramentum Eucharistiæ, non est eo modo necessarium sicut Baptismus;nec in adultis continetur in contritione votum Baptismi, sicut in Baptismo continetur Eucharistia, quia hæc se habet per modum finis, & illa, per modum causæ efficientis.

Ex his patet tertia pars, de voto implicito, nam Baptismus & pœnitentia, sunt necessaria ad salutem necessitate medij: ergo etiam Eucharistia in voto implicito. Prob. conseq. nam Eucharistia est finis vniversalis omnium Sacramentorum, quare ait D. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 2. quód Eucharistia habet, quasi in capitulo & suma, omnia quæ alia Sacramenta continent sigillatim, sed volitio medij, continet virtualiter & implicitè, volitionem finis: ergo, &c. Vrgetur: Christus in esse naturali, est finis omnium creaturarum, iuxta dictum Pauli: omnia vestra sunt,vos autem Christi, Christus autem Dei: ergo etiam ipse in esse Sacramenti, est finis omnium Sacramentorum; vndé ait Trident. quód in Eucharistia est fons gratiæ, & in alijs Sacramentis, rivuli.

Sed valdé notandum est: quód Eucharistia potest considerari, vt causa particularis efficiens, determinati & proprij effectus, vel vt causa vniversalis & finalis effectuum omnium Sacramentorum, & hoc modo influit in omnem effectum, & gratiam illorum; primo modo votum Eucharistiæ,non est de necessitate salutis, quia gratia & ius ad gloriam, sine illa potest obtineri, secundo veró modo, est necessarium, quia cum eius influxus sit vniversalis, gratia causata efficienter á Baptismo,causatur finalitér ab Eucharistia, & sic ex necessitate Baptismi,deducitur votum implicitum Eucharistiæ.

Sed arguitur sine voto Eucharistiæ,potest consequi prima gratia,per Baptismum & pœnitentiam, quæ sunt Sacramenta mortuorum, & illam per se conferunt: ergo ad hoc non requiritur votum Eucharistiæ. Resp. ex hoc solum probari, non esse necessarium votum explicitum Eucharistiæ, benè veró implicitum, ob rationem proximé dictam. Si dicas: votum Eucharistiæ, non includitur in Sacramento Confirmationis,Extremæ Vnctionis, nec Matrimonij; nam qui recipit Vnctionem Extremam,potest habere voluntatem explicitam non recipiendi Eucharistiam, quando scit se statim moriturum: ergo nec includitur in Sacramento Baptismi. Cons. pat. á paritate.

Resp. neg.conseq. nam votum Eucharistiæ,speciali ratione continetur in Baptismo, qui est inchoatio vitæ spiritualis,quæ ordinatur ad consumationem, & perfectionem illius; vndé ait D. Dionisius; non contingit aliquæm perfici, nisi per Eucharistiam,& hoc in alijs Sacramentis non contingit. Vel secundo dicatur: quód etiam in alijs Sacramentis præter Baptismum, includitur Eucharistiæ votum, nam ad huius effectum, qui est vnio cum Christo,disponit Extrema Unctio, & ad idem confirmatio roborat animam; & matrimonium, hanc eandem vnionem significat. Nec obstat, voluntas non recipiendi Eucharistiam; nam illa ordinatio non fit ratione sumptionis, sed ratione dispositionis ad illam, vt finem vniversalem.

Quinta difficultas: De institutione Sacramenti Eucharistiæ. Certum est secundum fidem, Sacramentum Eucharistiæ fuisse á Christo institutum, in nocte vltimæ cœnæ; hoc enim constat ex cap. 26. Mat. ex Trident.Sess.13. cap.1. quód etiam Ecclesia profitetur in Canone, dum ait: Qui pridie quam pateretur accepit panem,&c. Et huius veritatis Ang. Doctor hic, tres optimas congruentias adducit. Prima, quia Sacramentum hoc continet Christum, & ideo quando ille in propria spetie á Discipulis erat discessurus, in Sacramento se ipsum eis reliquit,sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Secunda,quia sine fide Passionis Christi, nequit esse salus,vt enim ait Paulus, illum proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, & ideo conveniens fuit, vt imminente Passione, institueretur Eucharistia, vt rememorativa illius. Sed quomodo Eucharistia est memoria Passionis futuræ,si memoria est præteritorum? Respondet D.Thom. quód hoc Sacramentum fuit institutum in cœna, vt in futurum esset memoriale Dominicæ Passionis ea perfecta, & sic dixit Christus: hæc quotiescumque feceritis,de futuro loquens.

Tertia congruentia D. Thom. est, nam illa quæ vltimo dicuntur & fiunt, præcipuè ab amicis recedentibus,magis comenendantur memoriæ, quia tunc plus inflamatur affectus ad amicos, vndé vt Sacramentum Eucharistiæ vrgentius, commenda-

retur

retur Apostolis, conveniens fuit, vt Christus in vltimo discessu suo á Discipulis illud instituerer, quod insinuatur á D. August. Epist. 118. His addi potest, quod testamenta solent fieri, ante mortem Testatoris; cum ergo Christus in Eucharistia, corpus & sanguinem suum, Discipulis & Fidelibus, quasi testamento legaverit, vt dicitur Luc. 22. ideo congruum fuit, vt pridie quam pateretur, hoc venerabile instituere Sacramentum.

Sed circa diem institutionis, non parva lis est, inter Græcos & Latinos; illi enim, vt defendant suum ritum, de conficienda Eucharistia in pane fermentato, dicunt institutā fuisse, die seu Luna 13. in qua Iudei fermentatis, & non azimis vtebantur; sed verius est quod Latini asserunt, nempé, institutionem fuisse factam Luna 14. hoc enim colligitur ex cap. 26. Mat. Prima autem die azimorum, &c. quæ dies erat Luna 14. sed hæc & aliqua quæ Græci obijciunt, parum sunt substantialia, & minus vtilia, ideoque in illis non detinemur.

Vt Ang. D. hanc, q. 73. concludat, exponit in art. 4. nomina venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, de quibus in quæstionis initio tetigimus aliquid. Dicitur enim *Sacrificium*, quatenus Passionem Christi memoratur; dicitur *communio vel synaxis*, vt est Ecclesiasticæ vnitatis signum, nam vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno Calice participamus; dicitur *Viaticum*, pro vt ducit nos ad fruitionem Cœlestis patriæ, ad quod per auxilia viam præbet; & secundum hoc etiam dicitur *Eucharistia*, id est bona gratia, quia gratia Dei, vita æterna, & tandem vocatur á Damasceno *Metalepsis*, id est assumptio, quia per hoc Sacramentum, quasi assumimus Verbi diuinitatem. Licet autem hæc nomina, etiam generalitér, alijs Sacramentis conveniant, quia omnia gratiam conferunt, & ad vitam æternam ducunt; Eucharistiæ autem specialissimé competunt, ob sui excellentiam & nobilitatem. Concludit D. Thom. in art. 6. quód inter varias Eucharistiæ figuras, agnus paschalis, fuit eius figura præcipua. Et ratio est: quia in Eucharistia & est Sacramentum tantum, nempé species panis & vini & hoc figuratum fuit in oblatione Melchisedech, & est res & Sacramentum simul scilicet Christus, qui figuratus fuit in omnibus Sacrificijs antiquis, præcipué in expiationis Sacrificio, quod solemnissimum erat; & est res tantum, nempé gratia, quæ fuit figurata in manna, quod omnem saporem habebat; agnus autem Paschalis, continebat simul hæc tria; Sacramentum tantum, quia manducabatur cum pane azimo, rem & Sacramentum simul, quia figurabat Christum, qui propter innocentiam vocatur agnus; & rem tantum, quia per sanguinem agni, protecti sunt filij Israel á devastante Angelo; ideoque agnus Paschalis, fuit præcipua huius Sacramenti figura, quia illud repræsentat, secundum omnia.

ARTICVLVS II.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de veritate Sacramenti Eucharistiæ. Hæc satis indicata est, ex verbis Christi dicentis: caro mea verè est cibus, &c. Sed vt illam fideles patentius intelligerent, Dei sapientia, varijs miraculis comprobavit; inter quæ stupendum est, quod sequens casus subiungit, á M. Gonet relatus. Contigit enim apud vicum quændam Diœcesis Andegavensis die 2. Iunij anni 1668. Sabato infrá octavam Corporis Christi, dum á Parrocho intonaretur versus ille. Verbum caro, panem verum, quod loco Hostiæ, integra hominis species est visa, & ab ipso & cæteris adstantibus, per horæ quadrantem demirata, quam tamē postea nubes involuit, & ab intuentium oculis disparuit. Quæritur: an in eo eventu & similibus, in quibus appareret in Sacramento miraculosé homo, caro vel puer, sit ibi Corpus Christi, veré & realitér?

Difficultatem tangit D. Thom. q. 76. art. 8. & notat, quod talis apparitio, vel potest contingere ex parte videntium, quorum oculi immutantur, nulla mutatione facta ex parte Sacramenti, & hoc contingit, quando ab vno videtur sub specie pueri vel carnis, & ab alijs sub specie panis, quod fit virtute diuina, producente species in oculo vel imaginativa, sicut contingit in visionibus Prophetarum, vel etiam ex parte speciei, que videtur exterius, & hoc videtur esse; quando eodem modo videtur ab omnibus. Dicendum est ergo, cum D. Thom. ibi, quod in casu proposito, & in alijs similibus miraculosis, manet Corpus Christi sub Sacramento, sub eadem quantitate, licet qualitates & alia accidentia, varientur virtute diuina; quod constat. Tùm, quia eadem adoratio, & reverentia exhibetur ei qui apparet, ac prius exhibebatur. Tùm, quia credibile non est, quod miracula facta, ad comprobandam præsentiam Christi in Eucharistia, eius præsentiam destruant; idem sentit D. T. in 4. dist. 10. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & cum ipso, Paludanus, Capreolus, Soto, Nuño, Cornejo, Valentia, Vazquez, & Lugo.

Sed qualiter hoc contingat? Non omnes eodem modo explicant; sed vera doctrina, reducitur ad hoc, quod quando mutatio & corruptio specierum, fit naturali via, non remanet ibi Corpus Christi, vt ait D. Thom. q. 77. art. 4. sed quando fit miraculosé, vt in casu proposito, Deus qui est miraculi author, conservat sub accidentibus carnis, & sanguinis, Corpus & sanguinem Christi, quia miraculum non facit, vt Christus á Sacramento recedat, sed potius vt eius præsentia, per signa magis consimilia demonstretur; quæ doctrina constat ex D. Thom. loc. cit. q. 76. vbi ait: manentibus di-

men-

mensionibus, quæ prius fuerant fit miraculosé, quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram & colorem & alia huiusmodi, vt videatur caro vel sanguis, vel etiam puer.

Advertit autem D. Thom. q. 82. art. 4. ad 3. quód in illis miraculosis apparitionibus, Corpus Christi sumendum non est, nam vt ait D. Hyeron. de hac quidem Hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de illa veró, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundum se, nulli edere licet. Nec propter hoc, Sacerdos transgressor efficitur, quia ea quæ miraculosé fiunt, legibus nac subduntur; consulendum tamen esset Sacerdoti, quod iterato, Corpus & sanguinem Domini consecraret, & summeret, & loc. cit. ex sentent. quæstiunc. 3. ait: quód si omnibus sub specie carnis appareret, tunc deberet cum reliquijs poni, nam devotio, non excitatur hic ad manducandum, quia non in specie cibi proponitur, sed ad venerandum.

Multi alij casus mirabiles, poterant similes proposito adduci, qui afferuntur in theat. vitæ humanæ verbo Eucharistia, titulo: *Apparitiones pro veritate Eucharistiæ*; sed hos breviter adnotamus. Primus est B. Basilij, cui celebranti, se immiscuit quidam Hæbreus, vt exploraret sacra mysteria, & vidit infantem in manibus Basilij partiri, cum autem ille cum alijs communicaret, data ei Hostia, caro facta fuit, & servans reliquias, in domum abijt, & vxori ostendit dicens: Veré horrible & mirabile est Christianorum Sacramentum, & sequenti die ad Basilium venit, & ipse baptizatus est, & domus eius tota. Secundús est cuiusdam Præsbyteri, qui vocabatur Ægidius, hic sanctam agebat vitam, & Corpus & sanguinem Christi, maximé videre cupiebat; cumque pro more, quadam die sacrum ageret, Christum in forma pueri super aram vidit, quæm Sacerdos venerabilis, iussu Angeli demonstrantis, pavidus valdé in vlnis accepit, & labijs suis, præsit dulcia labia Christi, quibus peractis, iterum imponit puerum in ara, ipsumque præcatur, vt vertatur in speciem pristinam, quod & fecit, & surgens Christum vidit in forma priori, in qua illum sumpsit, & sub debita specie communicavit. De his & similibus, debet iuxta doctrinam adductam, iudicium efformari.

Casus secundus, circa idem. Cúm Carolus Magnus, in die Sancto Paschæ, reciperet Eucharistiam, adstitit simulatus Saxoniæ Princeps inter turbam, vt sacra mysteria aspiceret, & iudicaret curiosé, agnitus fuit & ad Regem adductus, qui inter alia quæsivit ab eo, quid in sacris mysterijs vidisset, quod eum delectaret? Qui respondit: te vidi post communionem, hilari vultu subito immutato; & quod mirabilius & stupendum est, de manu Sacerdotis, singuli formosum puerum accipiebant, quibusdam lætum ad quos properabat, ab alijs horrentem avertisse vultum, & tamen in ora missum, non aspexi redeuntem; circa hoc mirabile factum, quærebat quis: an Corpus Christi, sub speciebus Sacramentalibus existens, possit oculis corporeis elevatis videri? Certum est, id naturaliter fieri non posse, nec oculis corporis, quia ad hoc requirabatur extensio, & contactus quantitativus medij, nec oculis spiritualibus intellectus, quia hic pro hoc statu, solum cognoscit obiecta, per species á sensibus ortas, Corpus autem Christi in Eucharistia, non est sensu perceptibile naturaliter. Sed tam ē præsentia Sacramentalis Christi, potest supernaturaliter, per fidem, scientiam infusam, vel visionem beatam cognosci; sic habet D. Thom. q. 76. art. 7. casus procedit, de elevatione supernaturali oculorum corporis, ad videndum Christum in Eucharistia.

Respondetur, quod oculus corporeus, potest supernaturalitér elevari, ad videndum Corpus Christi existens in Sacramento, licet non ad videndum modum ipsum, quo ibi existit; sic sentit M. Prado, & Gonet, & colligitur expresé ex D. Thom. loc. cit. ad 2. vbi ait: oculus Christi, videt se ipsum sub Sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Sed quare Corpus Christi, potius ab eius oculo, quam ab altero videatur? Respondet ibi D. Thom. sic: nec est simile, de altero oculo glorioso quia etiam oculus Christi, est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus; & in 4. dist. 10. q. 2. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1. ait: sicut oculus Christi, si esset extra species Sacramenti, non videret substantiam suam, intra species contentam; nam sicut cogitatio, hoc ipso quod mea est, debet á me cognosci, licet nequeat cognosci ab alio, ita oculus Christi, se ipsum videt in Sacramento, quia ipse ibi existit.

Ratio autem est: quia potentia cognoscitiva potest elevari, ad attingendum ea quæ continentur intra spheram sui obiecti specificativi; sed Christus in Eucharistia, continetur intra specificativum vissus corporei, cum habeat colorem, licet modus præsentiæ quam ibi habet, intra tale obiectum non contineatur: ergo ille potest ab oculo elevato videri. Nec obstat: quód Christus in Eucharistia, cum extensionem localem non habeat, non continetur intra obiectum proportionatum vissus; Non inquā obstat. Túm, quia etiam Deus, non continetur intra obiectum proportionatum intellectus creati, & ab isto attingitur per elevationem. Túm, quia licet visio corporea, modo connaturali, fiat per species extensas, non est cur supernaturaliter, sine illis non fiat; præcipué cum extensio, solum sit conditio, & modificatio supplebilis á Deo, sicut supplebitur approximatio, vt D. Stephanus é terra, vidit Christum stantem in Cœlo; quibus additur: quód imago rei visæ in speculo, non est extensa in or-

dine ad locum, & tamen quia est divisibilis in ordine ad se. videtur, & consequentér, idem est dicendum de Corpore Christi.

Explicantur hæc: nam ex duobus coniunctis, potest vnum attingi á potentia, & non aliud, si hoc nõ est intra eius obiectum; quare B Virgo & Apostoli, viderunt oculo corporeo Christum existentem in terris, & eius existentiam non viderunt, quia non erat in sphera visibilis: ergo similitér potest videri Corpus Christi, quin videatur eius præsentia Sacramentalis, quia visibilis non est. Nec hoc est vissum præscindere, quia vnum attingit non attacto alio; sicut nec dicitur, quod potentia visiva præscindit, cum attingit in pomo colorem & non saporem; quia sapor non pertinet ad obiectum potentiæ visivæ, & similitér modus præsentiæ Sacramentalis, non pertinet ad obiectum illius.

Si opponas: Quód Christus existit in Eucharistia indivisibiliter & non potest immitere speciem extensam, ad visionem corpoream deservientem. Resp. quód Christus est extensus in se, licet non in ordine ad locum, quod sufficit vt videatur, vt patet in imagine in speculo apparente; & quamvis Christus per se, non producat speciem extensam localiter, illa tamen potest á Deo immediatè immiti, vel etiam ille, potest extensionem localem supplere, vt vidimus, cũ pura conditio sit, & non ratio formalis, sicut extensio in ordine ad se. Et si dicas: quód extensio localis, est sensibile commune, quod debet videri, vt videatur sensibile proprium. Resp. quód hoc de potentia absoluta fieri potest, quia sensibile commune, est solum modificatio proprij, & pura conditio, quæ suppleri possunt á Deo supernaturaliter operante. Qua propter, memini me in cursu meo dixisse, tract. de Anima, q. 3. art. 4. Corpus Christi in Eucharistia, non posse ab oculo corporeo videri, sed ibi erat sermo, de modo connaturali & proportionato, nunc autem resolvimus de modo supernaturali, & circa obiectum improportionatum, quod videtur D. Thom. conforme, vt ex dictis patet.

Casus tertius, circa idem. Refert Dominicus Biselius, de venerabili Petro Forerio, quod ex domo cuiusdam moribundi, Eucharistiam ad Templum deportabat, per arctissimam viam, quæ solum vni personæ transitum concedebat, & ad latus eius, lacuna erat immunda, cumque puellam invecundam, & prof.nam in medio videret, vt fugeret ab ea, Sacramentum puritatis fontem manu tenens, in cœnum se proiecit & demersit, ne puellæ appropinquaret. Quæritur: an si venerabile Sacramentum in cœno cecidisset, Christus fuisset infectionem passus? Resp. negativé, quæ resolutio affertur á D. Thom. 3. p. q. 81. art. 4. in corpore, vbi ait: quód Corpus Christi, idem in substantia est in propria specie, & in Sacramento, sed non eodem modo, nam in propria specie, contingit corpora circumstantia per proprias dimensiones, non autem pro vt est in Sacramento, & ideo quicquid pertinet ad Christum, pro vt in se est, potest attribui ei, & in propria specie, & in Sacramento existenti, sicut vivere & mori, & cætera huiusmodi, quæ autem conveniunt ei, per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem pro vt est in Sacramento, sicut irrideri, conspui & cætera huiusmodi; Vndé & quidam metricé dixerunt: Pixide servato, poteris servare dolorem; innatum, sed non illatus convenit illi; hæc D. Thom. Ratio autem D. T. in eo consistit, quod actio vel passio corporalis, exigit contactum quantitativum, & cum Corpus Christi sit in Eucharistia, indivisibilitér & ad modum substantiæ nequit agere aut pati actione corporea; eo fere modo quo corpus, nequit in aliud agere, vel ab eo pati, nisi ei sit propinquum, quia propinquitas, conditio est ad agendum, & patiendum, & eodem modo est conditio, contactus quantitativus; vndé ait D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5 quód nullum corpus agit, nisi tangendo vel movendo. Nec potest dici, quod Deus impedit actionem, vel passionem Christi, ad conservandam fidem Sacramenti; hoc enim esset sine ratione, nec experientia discurrere; quis enim dicere potest, solam propinquitatem sine contactu quantitativo, esse conditionem requisitam ad actionem & passionem, cũ oppositum videatur, semper cum eis coniunctũ?

Si dicas: Quód Christus est secundum se totum in Eucharistia, quod videtur vnire virtutem ad agendum vel patiendum, vt si calor intensus esset in puncto, non ideo remissius ageret. Resp. hoc esse verum, si cætera sint paria, hoc est, si detur contactus quantitativus corporum, qui tamen vt vidimus, non datur in Christo in Sacramento existente. Et si dicas: quód idem potest agere in se ipsum, licet distantia requiratur ad agendum, quod sepiús experientia sensibili videmus, cum aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, & sic potest etiam pati, sine contactu quantitativo. Resp. quód ibi, non intercedit distantia, quo ad diversum locum, vt inter duo corpora, bené veró distantia partis ad partem, & sic inter corpora, requiritur contactus quantitativus corporis ad corpus, ad agendum, vel patiendum. Vndé patet ad casum responsio, tunc enim Christus, corpora extrinseca contactu quantitativo non tangens, non macularetur ab illis, cui consonat commune D. Basilij dictum: Nonne vidisti Solem in cœno se volutantem, minime tamen aliquid fœtidum patientem? Quód literaliter contingeret in casu prædicto. Vndé vt erronea damnata est á Greg. XI. aliquorum sententia dicentium, Christum maculari, vel præsentiam Sacramentalem amittere, quando in aliquæm locum immundum proijcitur, vt refertur in Directorio Inquisitorum.

Ca-

Casus quartus, circa essentiam Eucharistiæ. Fuit quis Eucharistiam recipiens, sine propria sumptione, cum enim ipsam accipere vellet, nec posset ex infirmitate, aperto miraculosé stomacho, in ipso reposita est. Quæritur: an sine sumptione, susciperet Eucharistiæ effectum? Id accidisse refertur, Comiti cuidam in Gallia; ille enim, cum morti proximus esset, & ex stomachi mala dispositione, impotens ad Eucharistiam suscipiendam, quam ardenter optabat, fuit sibi allata Hostia, & super stomachum posita, & aperto divinitus pectore, illam recepit, & statim vitam finivit. Ad resolutionem, extant ex vtraque parte motiva, nam ad affirmativam facit, quod sumptio, solum est pura conditio ad Eucharistiæ applicationem, vt vidimus; vndé ait Lugo, non facile convincendum, qui hoc affirmaret, & Leander asseris, hoc probabile esse.

Negativæ autem parti adhærent Suarez, Coninch, Raynaudus, Serra, & communiter Authores, quibus assentimur & nos, & ratio est: quia Sacramenta, non conferunt gratiam ex opere operato, nisi realiter Sacramentalitér susceptа; susceptio autem Sacramentalis Eucharistiæ, non est alia, nisi manducatio, vt constat ex institutione Christi dicentis: nisi manducaveritis, &c. Vndé quando non adest opportunitas communicandi re ipsa, licet detur votum seu desiderium, Sacramentum non causat gratiam ex opere operato, quamvis ex opere operantis, possit augeri gratia desideranti, plusquã si re ipsa communicaret; & sic in illo miraculoso eventu relato, Deus sua virtute, præter communes regulas, dedit effectum Sacramenti, sine sumptione Sacramentali, ex solo Sacramenti desiderio & voto, quia vt sæpé diximus, virtutem suam, Sacramentis non alligavit.

Extat in huius comprobationem mirabilis casus, quæm Thomas Cantumpratus refert. Erat apud Flandriæ oppidum, puer optimus, & nondum expleto septenio morti vicinus, Sacram Communionem á Sacerdote postulavit, nec petitioni Sacerdos assensit, ætatem consulens, puer autem suo desiderio fraudatus, extensis in Cœlum manibus dixit. Tu nosti Domine Iesu Christe, quod meum summum desiderium est te habere; petivi te, fecique quod debui, & spero confidentius, quod tui præsentia non frustrabor; his dictis, Deo reddidit spiritum candidum & impollutum, cumque post obitum eius, Psalmus *de profundis*, in sepulchro decantaretur, nullo conatu potuit finiri, sic Deo manifestare volente, nulli egere suffragijs animam Sanctam, cui Eucharistiæ desiderium absque sumptione, ingens gratiæ contulit augmentum.

Nec referre sinam casum alterum, eundem fervorem comprobantẽ, atque Eucharistiæ nõ sumptæ & desideratæ mirabiles effectus. Puellula quædam apud Germaniã erat, tenera corpore, & spiritu amplius, ad extremum accedit mortis periculum, ardenter Sacram Eucharistiam flagitat, nec assequitur, siquidem Parrochi iudicio, non dum erat idonea, vt Viatico muniretur; instat illa ferventius, sibi Eucharistiam afferri, quia si eius sumptio illi negabatur, saltem prospectu roboraretur in vltimo agone. Res mira! affertur Eucharistia Sacra, puellaque subito convalescens, stupentibus omnibus surrexit é lecto. At iudicarem ego, cum Salmantic. & Suarez, meliús operaturum Parrochum, si puellulæ doli capaci, & pietatis ita notæ Eucharistiam conferret, quam illam adorandam exhibendo, cum hoc á B. Pio V. prohibitum sit; sed de hoc & de communione puerorum, agemus alibi; hæc dicta sunt, pro casus comprobatione, vt videatur quod Eucharistia, sine reali sumptione, non causat suum effectum ex opere operato, sed solum ex opere operantis, vt contigit in casu præcipuo. Nec obstat, quod sumptio pura conditio est, applicans Sacramentum; dicitur enim, hoc probare Sacramentum essentialiter esse perfectum antequam summatur, non verò effectum illius, sicut etiam materialis cibus, constitutus est ante sumptionem, sed sine hac non potest nutrire.

Casus quintus, de nominibus Eucharistiæ. Diximus enim cum D. Thom. ipsam *Viaticum* appellari, circa quod refert Prado, ex Quintanadueñas, quandam piam fœminam asseruisse, Christum fuisse visum ab ea, in Cœlo celebrantem, & Beatis ministrantẽ Eucharistiam; circa quod est dubiũ: an Sacramentum Eucharistiæ sit in Cœlo, & á Beatis sit ore sumendum? Vel ideo *Viaticum* dici, quia solum in via suscipitur? Et quidem si dictum rustici cuiusdam (mihi quondam respondentis, articulum communionis Sanctorum, sic esse intelligendum, quia Beati in Cœlo communicant, & Eucharistiam summunt) aliquod vel leve haberet fundamentum, facilis ad casum esset responsio, sed ille error fuit, ex ignorantia summa procedens; quid autem debeamus sentire, constabit ex proximé dicendis.

Resp. ergo: quód Corpus Christi sub speciebus Sacramentibus, nec est in Cœlo, nec vnquam fuit, nec erit. Constat: nam tribus modis imaginari potest, Eucharistiam esse in Cœlo, vel quia consecretur á sumo Sacerdote Christo, vel ab aliquo Beato; vel quia ministerio Angelorum conseceratur; vel quia consecrata in terris ab hominibus, ab Angelis in Cœlum defertur; vel quia Christus in Castello Emaus, Eucharistiam consecravit & sumpsit, & in suo pectore, vt in Sacrario conservat; nullo autem ex his modis, in Cœlo remanet Eucharistia. Tùm, quia in Cœlo, nulla Sacramenta sunt, illa enim pertinent ad ambulantes per fidem, & in ænigmate, quæ cessant veniente clara visione. Tùm, quia id constat ex collecta Ecclesiæ dicentis: quód nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus, & idem habetur in vltima collecta missæ Corporis

poris Christi. Quibus consonat D. Aug. dictum, tom.9. tract.4. serm. de cataclis. vbi ait: quód in esu agni præcipiebatur, vt nihil vsque mane relinqueretur, quia comeditur agnus, per noctem huius sæculi, vt cum mane illud venerit, quod vespere non habebit, non iam offeratur Sacrificium imaginis agni; & idem ait Rup. cap.17. Iosue dicens: quandiu per desertum huius sæculi incedimus, pascimur ore, manducando de mensa Domini, panem vitæ æternæ, & bibendo calicem salutis perpetuæ; at vbi venerimus in illam beatam Sion, vbi in sua specie, videbitur Deus Deorum, neque verbo doctrinæ indigebimus, neque istis speciebus panis & vini, sed in propria substantia videndo, panem Angelorum manducabimus; hac etiam ratione probant Theologi, non dari in Beatis, speciem creatam, repræsentantem Deum, quia ipse præsens est facie ad faciem mentibus eorum, & in præsentia principalis, superfluit substitutum.

Idipsum constat ex Trident. Sess. 13. cap.8. vbi dicitur: ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad Cœlestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quæm modo sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi. Quód etiam á paritate convincitur: nam in patria, non est Biblia Sacra, nec commemoratio sacrificij cruenti, nisi ad gratias agendas Deo, pro effectu sacrificij; & vlteriús, quia Eucharistia est gloriæ pignus, & vbi id pro quo pignus datur, acceptum est, pignore non est opus. Vndé revelationes allatæ, & aliæ plurimæ piæ sût, quia in illis significatur, quod in Sacrificio Missæ peragitur; & sic ait D. Thom. opusc. 58. cap. 25. quód delectat Beatos in Cœlo, quia plurimum gaudent, & congratulantur in hoc sacrificio, de memoria redemptionis, de aspectu nostræ salutis, de admiratione divinæ bonitatis; & iuxta hoc intelligendum est, quod diximus suprá de eventu miraculoso, in quo B. Virgo, cum Patriarcha Dominico celebrante communicavit, in qua Sacramentum, hos habuit effectus, si forte illa visio, fuit vera & realis, & non solum imaginaria; nam difficile est quod panis, qui viatorum est cibus, summatur á Beatis, sempiterna Dei frutione repletis.

Deducitur ex his: quód soli homines & non Angeli, possunt Eucharistiam spiritualiter summere; hoc autem intelligitur sub speciebus Sacramentalibus, quatenús aliquis credit in Christum, cũ desiderio summendi hoc Sacramentum, quod non convenit Angelis; licet conveniat illis Christum in propria specie manducare spiritualitér, quatenús ei vniuntur, fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta, iuxta dictum Luc. Beatus qui manducat panem in regno Dei. Nec obstat: quód Eucharistia dicitur panis Angelorum; hoc enim est, quia primo & principaliter Angelorum est, qui fruuntur Deo in specie propria, & secundario est hominum qui Christum sub Sacramento accipiunt. Et si dicas: quód ad spiritualem manducationem, sufficit affectus inefficax, vt cum quis cui est impossibilis sumptio, habet desiderium summendi, & sic ait D. Thom. q.80. art.1. ad 3. Sanctos Patres spiritualiter manducasse per fidem, licet tunc incapaces essent Sacramentalis manducationis, & illum inefficacem affectum, possunt habere Angeli. Resp. quód tale desiderium inefficax, nec est accomodatum naturæ, nec statui Angelorum, quia non per fidem ambulant, sed per speciem, & idem est de Beatis, corpore & anima glorioſis, secus est de viatoribus, per fidem ambulantibus; Patres autem antiqui, solum metaphoricé, & in figura manducaverunt; ex quibus patet, quid ad casum propositum respondendum sit.

Casus sextus, de necessitate Eucharistiæ. Homo quidam, vitam transigebat, multis negotijs implicatam, quo tamen non obstante, Sacram communionem quotidie frequentabat, quam si ommitebat aliquando, multa venialia peccata commitebat, & quandoque in mortalia labebatur. Quæritur: an illi permitti posset, quotidianæ communicationis vsus? Circa materiam huius casus, Authores graviſsimi, maximé insudarunt, integros conficiendo tractatus, ex quibus aliqui, nimis indiferenter quotidianam communionem permittunt, alij autem nimis prohibent, & cum extrema quælibet sint periculosa, dificile est, in his statuere medium. Substantiã autem veræ doctrinæ, breviter proponemus.

Punctum tetigit D. Thom. q.80. arr. 10. cum quo est notandum: quód in vsu huius Sacramenti, & potest illud considerari ex natura sua, cuius virtus est hominibus salutaris, & sic vtile est quotidie summere, vt homo quotidie eius fructum percipiat, & sol. ad 3. ait: quód ex amore, provocatur desideriũ summendi, & ex timore, humilitas reverẽdi, & quia amor & spes præferũtur timori, ideo magis in frequentiam, quam in raritatem inclinandum, attento actuum genere, & idipsum docet sup. cap.11. Epist.1. ad Cor. lect. 7. & D. Ignat. Mart. Epist. ad Ephes. ait: date operam vt frequentiús congregemini ad Eucharistiam.

Hoc intelligendum est, attenta natúra Sacramenti; vndé hoc modo, non potest absolutè fidelibus, vsus quotidianus Eucharistiæ prohiberi, quia hoc esset prohibere, quod est perfectius & vtilius, sicut si alicui prohiberetur votum castitatis. Sed tamen, quia vsus Sacramenti, non solum debet attendi ex parte virtutis illius, sed etiam ex parte summentis, vt advertit D. Thom. & in illo requiritur dispositio & fervor, ideo considerata sumptione Eucharistiæ in individuo, videndum est, quænam eius frequentia sit consulenda? Ad quód sciendum: quód inter fideles, alij sunt Sacerdotes, & Religiosi, á tumultu seuclari semoti, & divinæ contemplationi, & Dei servitio mancipati, alij

sunt

sunt sæculares, quærentes quomodo placeant vxoribus, & negotijs profanis implicati & inter hos, alij cum carnis illecebris colluctantes, tunc resurgentes, nunc relabentes, quin faciamus mentionem eorum, qui actualitér in peccato mortali existunt, quos excluſos supponimus, ab huius Sacramenti participatione.

Sequentibus ergo, propoſitionibus reſpondemus. Prima eſt: quód non expedit omnibus iuſtis indifferenter, cuiuſcumque ſtatus, & vitæ ſint quotidiana communio, nec eis eſt vtilior, licet non ſit illicita. Secunda: quód in hoc ſtandum eſt iudicio prudentis confeſſarij. Tertia: quód confeſſor non erit imprudens, ſi aliquibus perſonis probatæ vitæ, quotidianam communionem permitat, quod facilius evenire poteſt in Religioſis, & in ſæcularibus cœlibaris coniugali enim, ob matrimonij ſtatum, & eius varias occupationes, vix poſſunt ſe digne præparare, ad Euchariſtiæ, quotidianam ſumptionem. Hæc comprobantur ex dicto B. Bonav. in 4. diſt. 12. p. 2. q. 2. vbi ait: vix aliquis ita Religioſus eſſe videtur, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in ſeptimana, ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa ſuadeat, vt infirmitas ſupervenies, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis & D. Albertus Magnus, diſt. 6. de Euchar. tract. 4. cap. 3. num. 3. ait: De his qui mulieres omni die communicant, videtur mihi quod acriter reprehendendi ſunt, quia nimio vſu, vileſcere faciunt Sacramentum, vel potius ex levitate mulierum, putatur eſſe deſiderium, quam ex devotione cauſatum; vndé actionem cuiuſdam confeſſarij permitentis mulieri vxoratæ communis vitæ, vſſum quotidianum Sacræ communionis, non ſemel ſum demiratus, neſciens an communem hanc doctrinam ignoraret.

Regulam autem generalem pro omnibus aſsignare facile non eſt. D. Thom. art. 10. cit. hac ait: ex parte ſummentis requiritur, vt cum magna devotione, & reverentia, ad hoc Sacramentum accedat, & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quotidie ſummat; vndé Auguſt. cum dixiſſet; accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, ſubiungit: ſic vive, vt quotidie mererais accipere; & in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. ait: ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, ex quotidiana ſumptione, fervorem amoris augeri & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; ſi autem ſentiret, per quotidianam frequentationem, reverentiã minui, & feruorem non multum auget, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reverentia & devotione, poſtmodum accederet, vndé quantum ad hoc, vnuſquiſque relinquendus eſt iudicio ſuo; illud tamen debet ſubijci dictamini prudentis confeſſarij, qui iuxta ea quæ cognoſcit, communionem petenti deneget vel concedat; quæ doctrina roboratur ex Decreto Innocent. XI. circa hoc expedito, die 12. Februarij, anni 1679. in quo idem reſolvitur, quo ad ſubſtantiam; & idem ſentiunt D. Antoninus, Paludanus. Ioann. á S. Thoma, in ſuo Catheciſmo, & M. Prado.

Si dicas contra hoc: quód Luc. 11. dicitur: panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie, quod á SS. Patribus & expoſitoribus, de pane Euchariſtico exponitur, qui modus orandi, omnibus imponitur, & ſic omnibus vtile erit Euchariſtiã quotidie ſummere. Reſp. quód ibi ſermo eſt de deſiderio, quod innuitur per illa verba: da nobis hodie, & hoc poteſt obtineri per communionem ſpiritualem, quæ quotidie repeti poteſt, vt fervor acreſcat ad dignam ſuſceptionem Sacramentalem, vndé ait D. Thom. ibi: cum quotidianum dixiſſe; nobis hodie præſtari requirimus, quando ſpiritus in nobis inhabitans, virtutem operatur. Dices: quód Tridentinum Seſſ. 22. cap. 6. ait: quod optat vt ſinguli fideles in ſingulis miſsis, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam, communicent. Reſp. quód hoc deſiderando proponit, dum ait: optaret Sacroſancta Synodus; quaſi optans omnes eſſe recte diſpoſitos ad Euchariſtiam recipiendam, & de talibus non dubitamus, quod poſſunt quotidie accedere, non veró quod indiſcriminatim, omnibus poſsit permitti.

ARTICVLVS III.

De materia & forma Euchariſtiæ.

Prima difficultas: An panis & vinum ſint Euchariſtiæ materia? Uarij circa materiam Euchariſtiæ extiterunt errores, quos refert D. T. hic art. 1. Aliqui enim, qui dicuntur Artotyritæ, offerunt in hoc Sacramento panem, vt caſſeum, dicentes, quod á primis hominibus fuerunt oblationes factæ de fructibus terræ & ovium; alij autem vocati Cataphrigæ & Peputiani Euchariſtiam ſuam conficiunt, de infantis ſanguine, ab eius corpore, minutis punctionum vulneribus extracto, & farinæ commixto, ex quo panem faciunt; alij vocati Aquarij, ſolum aquam offerunt, ſub ſpecie ſobrietatis. Præter hos, refert Adrianus Hofſtaldus, quod Lutherani in locis quibuſdam, vtuntur ſimilis, quibus imprimunt characteres, & effigiem Principis, & Leonis, vt in die Cœnæ ruſtici ſibi mutuo dicunt hodie Leones vorabimus. Deindé aſſerit ipſe, non defuiſſe Miniſtrum, qui buccellis deficientibus, loco Sacramenti diſtribuit ſingulis orbicularem particulam farciminis, Hiſpane: *Longaniza, chorizo, ó relleno* dicens, quód apud Hebræos, nomine panis ſignificatur omnis cibus; ſicut etiam Calviniſtæ dicunt, quod omne eſculentum, poteſt ſubrogari loco panis, & omne poculentum, loco vini. Alij etiã ſunt Manicheorum, non ſolum errores, ſed horro-

res, quos D.T. propter modestiam non refert, sunt enim etiam relatu prorsus indigni, non loquimur de summa puritate venerabilis Sacramenti.

Resp. igitur: quód panis & vinum, sunt Eucharistiæ materia remota quæ veritas de fide tenenda est & vt talis diffinitur in Tridentino Sess. 13 de quo D.T. hic art. 1. quatuor assignat optimas congruentias. Prima: quia ad vsum huius Sacramenti, qui est manducatio, pani & vinum conveniunt, sicut aqua ad lavandum in Baptismo. Secunda: quia ita significatur Passio Christi, in qua fuit sanguis separatus á corpore, & hic seorsim sumitur panis & vinum. Tertia: quia sic offertur panis pro salute corporis & sanguis pro salute animæ. Quarta: ad designandam vnitatem fidelium, sicut ex multis granis panis fit, & ex multis racemis vinum confluit, vt August. ait.

Sed quomodo corpus offertur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ? Resp. hoc non ideo esse, quia sanguis non dat etiam salutem corpori, & corpus salutem animæ; sed est adaptatio corporis ad corpus, & sanguinis ad animam, sicut in divinis prædicata communia appropriantur vni personæ & non alteri; quia ergo Corpus Christi, est eiusdem speciei cum corporibus nostris, appropriatur ei salus corporum, & quia anima est principium vitæ, & etiam sanguis, ideo huic adaptatur salus animæ; sic habet D. Thom. 3.p. q.79. art.1. ad 3. vbi ait, corpus offertur pro salute corporis & sanguis pro salute animæ, quamvis vtrumque ad salutem vtriusque operetur, cum sub vtroque totus sit Christus.

Si dicas: Quód Eucharistia debet perfectius significare Passionem Christi, quam Sacramenta antiqua, sed hæc habebant pro materia carnem, & sanguinem animalium: ergo multo magis Eucharistia. Resp. quód licet caro & sanguis in re magis Passionem Christi repræsentet, non verò pro vt deserviunt ad vsum sumentium, esset enim horrendum, propriam speciem carnis & sanguinis, manducare & bibere, vndé legitur, quod Hugoni de S. Victore, apparuit Christus, in specie pueri, quæm cum diu fuisset contemplatus, dixit illi Christus: manduca & recipe me; sed vir Sanctus oravit, vt sub specierum velamine poneretur, quia non habebat animum, illum manducandi, sub tali figura, & ideo panis & vinum quæ ex natura sua sunt cibus & potus, sunt aptior materia Eucharistiæ. Tum, quia sic profitemur legalia cessasse. Tum, quia sic augetur meritum fidei, dum aliud videtur nempé panis & vinum, & aliud creditur nempé caro & sanguis.

Sed dices: Quód in Can. 3. & 4. & 5. Apostolorum permittitur vt in altari offerantur vuæ, oleum & incensum: ergo non solum debent offerri vt materia, panis & vinum. Resp. quód in hoc Sacramento, & possunt considerari, ea quæ pertinent ad substantiam, & sic solum panis & vinum, sunt eius materia, & accedente consecratione, in Corpus Christi convertuntur, & possunt considerari, quæ pertinent ad solemnitatem, & ad hoc offerri possant oleum & incensum, caudalæ & alia huiusmodi, & in Can. illo est sermo de hoc secundo sensu, quia agitur de illis, quæ offeruntur in gratiarum actionem, vel apponuntur ad ornatum, & venerationem sacrificij; vt enim ait D. Thom. 3 p. q. 83. art. 4. in init. corp. quia in hoc Sacramento, totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideo præ cæteris Sacramentis, cum maiori solemnitate agitur.

Secunda difficultas: An appositio vtriusque speciei, sit ad hoc Sacramentum necessaria? Certum est primo: quód sine vtraque specie, non esset integrum Sacramentum, hoc enim suadent rationes D.T. quia scilicet non esset integrum convivium, sine pane, & vino, nec memoriale perfectum Passionis Domini, sine separata consecratione vtriusque speciei; nec explicité significaretur salus animæ & corporis, nec fidelium vnitas. Deindé est certum, quod si de facto Sacerdos, in vna tantum specie consecraret, consecratum esset, peccaret enim graviter, sic consecrando contra integritatem Sacramenti; sic D.T. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. His positis, maius dubium est: an vtriusque speciei appositio sit preceptum divinum, vel Ecclesiasticum. Resp. Preceptum divinum esse, ita D.T. 3.p.q 80. art. 12. ad 3. & Trid. Sess. 21. can. 1. Et ratio est: quia de iure divino est, vt Sacrificium fiat integrum & perfectum, sed ad hoc requiritur vtraque species. Tum, quia sic fert communis Ecclesiæ traditio, & mandatum est, alitér Sacramentum imperfectum esset. Tum, quia aliás stando in iure divino, voluntarium esset cuilibet, vnam vel alteram materiam consecrare, vel vtramque: ergo &c.

Sed oppones: Quód in die Veneris Sancti, celebratur in vna sola specie, nempé in specie vini: ergo vtraque de iure divino non est. Aliqui dicunt, Ecclesiam in illo die specialitér dispensare. Sed hoc falsum est, quia Ecclesia non habet potestatem dispensandi in his quæ sunt de jure divino. Resp. ergo quod in illo die non offertur Sacrificium, quia vt ait Rupertus: non sacrificant amici, dum trucidant inimici, cuius rationem dat D. T. q. 83. art. 3. nam tunc est Passio Christi præsens, & veniente veritate, cessat figura.

Dices: quód Christus in Castello Emaus consecravit panem sine vino. Secundo, quia vna species consecrata præcedit tempore consecrationem alterius. Tertia, quia vna potest sine altera summi, & sic etiam poterit consecrari, cum eadem sit ratio vtriusque. Resp. ad 1. quod Christus non consecravit in eo casu; vel forsam etiam consecravit vinum, licet ab Evangelistis non referatur, quia non omnes circumstantiæ historiæ debent referri, vt ait D.T.

3.p.q.78.art.3. ad 9. Vel tandem hoc potuit Christus facere per potestatem excellentiæ sibi propiam, vt se manifestaret Sacramentorum Authorem.

Ad 2. quód licet physicé non repugnet vnam speciem, sine altera consecrari, at casu quo Sacerdos hoc faceret, consecrata maneret, moraliter tamen hoc repugnat, nec licité fieri potest. Nec obstat, præcedentia brevis temporis, consecrationis vnius speciei ante alteram, tunc enim, Sacramentum, non est imperfectum, & non integrum privativé, quia physica simultas consecrationis illi non debetur, sed solum moralis, cum qua stat aliqualis successio. Ad 3. quód Sacerdos consecrans, non potest vnam speciem sumere sine alia, illi autem qui non consecrant, id recte possunt, vt testatur perpetua Ecclesiæ tradditio.

Nec obstat paritas de secularibus vnicam speciem sumentibus; nam perfectio Sacramenti, tam in se quam in vsu, solum summitur á per se conficiente, & per se vtente illo, præcipua enim rei perfectio, non attenditur per ea quæ sunt per accidens; solus autem Sacerdos, concurrit per se ad confectionem & vsum Sacramenti, quia peracto sacrificio fideles communicant, & illud perfectum esset, licet nullus adstantium communicaret; vndé ipse Sacerdos, vtramque speciem debet consecrare, & sumere, vt sacrificium consumetur; quæ doctrina summitur ex D.T. q.71.art.12.ad 1. Vndé non recte faceret Sacerdos, qui Hostiam á se consecratam in Sacrario, pro Sacramento innovando apponeret, & aliam in globo repositam summeret, quia ipse debet de suo sacrificio communicare, & vtramque speciem summere.

Nec pro comunicando infirmo, potest vna species consecrari; nam maius præceptum est integritatem sacrificij servare, quam communionem recipere, & ideo illud plus debet attendi. Dices: etiam est de iure divino integritas confessionis, & potest non servari, si proximus infamatur. Resp. quód tunc erit confessio integra formaliter, nam moraliter datur impossibilitas confitendi omnia peccata; si autem consecraretur vnica species, Sacramentum non esset formaliter integrum, vndé diversa est ratio vtriusque; & arg. instatur: nam pœnitentia non est integrum Sacramentum, sine confessione dolore & absolutione: ergo nec convivium sine pane & vino.

Infertur ex his: quód nec Pontifex potest dispensare, vt vna species consecretur sine altera; nam in his quæ sunt de iure divino, Pontifex dispensare non potest, sicut nec persona privata, potest dispensare in lege publica; sic D. Thom. quodlib. 4. art. 13. Nec obstat: quód Pontifex aliquando dispensat in residentia Prælatorum, licét hæc sit de iure divino. Resp. quód illa non est dispensatio, sed iuris interpretatio, sicut dicitur de voto solemni, in quo dispensare non potest Papa, licet aliquando interprætetur illud non fuisse validum.

Dices: Pontifex dispensat in voto, & in matrimonio rato, & vtrumque est de iure divino: ergo idem est dicendum de consecratione vnius speciei. Resp. quód vt ait Trident. Sess.21. Can. 2. Ecclesia habet potestatem super Sacramenta, salva eorum substantia, in vna autem specie, non salvatur substantia Eucharistiæ; ex quo patet ad illud de voto & matrimonio, hæc enim sunt de iure divino, non absoluté, sed ex suppositione voluntatis humanæ disponentis materiam, & aliquando declarat materiam voti, vel matrimonij non esse dispositam, & sic indirecte obligationem aufert; consecratio autem vtriusque speciei, est de iure divino absoluté, & sic solum á divina voluntate pendet.

Sed adversus dicta facit; quod refert Volaterranus, lib.7.Geogr.cap.4.vbi ait: Norvegiæ Innocentij VIII. concessione permissum, sine vino Calicem sacrificare, quod ob immensa frigora, vinum in ea regione importatum acescat. Resp. hãc historiam esse dubiæ fidei, cum in Authoribus non reperiatur in anno 1490. in quo accidisse refertur; vndé ait Suarez, quod hoc est ei valde suspectum. Túm, quia de hoc starent aliqua vestigia vel etiam vsus, cum necessitas daretur. Túm, quia per mille, & quandrin gentos annos, erant ibi fideles sine tale dispensatio ne; nec est nova causa ad illam conferendam, cum constet, Norvegis, vinum ad sacrificium, & ad potum non deesse. Nec obstat: quód ait Cornejo, nempé vrgere authoritatem Uolaterrani, quia eó tempore erat Romæ, & hanc historiam Iulio II. dedicavit, qui tunc Cardinalis erat, & poterat falsitatem increpare. Resp. enim, quód historia non approbatur, quia sit Romæ scripta, cum in Vrbe & Orbe, præcipué in curijs, plures soleant scribi, & evulgari fabellæ. Nec illi, quibus dedicantur libri, præbent assertis in illis authoritatem aliquam, nam libros non legunt, vel si forte legant, & aliquod reperiant fabulosum, post impressionem iam publicatam, non possunt á paginis delere, quod disonat; qua propter ego, huiusmodi librorum dedicationem, semper ceremoniam inutilem iudicavi, & aliquando omisi, quia Patroni, nec authoritatem scriptis conferunt, nec veritatem.

Tertia difficultas: Qualis debeat esse panis, pro materia Eucharistiæ? Resp. quód non est de necessitate Sacramenti, quod panis sit azimus, vel fermentatus, sed in quolibet eorum confici potest; panis autem azimus, convenientior est. Prima pars constat ex Concil. Florent. Sess. vlt. in literis vnionis, vbi dicitur: Diffinimus, in azimo sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici; & D. Thom. hic art.4. ait: non est de necessitate Sacramenti, quod sit azimus, vel fermentatus, quia in vtroque confici potest. Ratio est: quia ad materiam Eucharistiæ, sufficit panis triticeus;

sed

sed quilibet panis sive azimus, sive fermentatus, est triticeus, quia de ratione veri panis, solum est, quod fiat ex farina & aqua naturali, & exeoquatur igne, quod vtrique pani convenit: ergo, &c. Deindé: ideo quodlibet vinum, sive album, sive rubrum, sunt apta materia consecrationis, quia non constat Christum alligasse suam intentionem ad aliquod eorum in particulari, & aliás quolibet ex eis, est vinum vsuale; sed etiam pani azimo & fermentato, in particulari Christus non alligavit intentionem, & quilibet est panis vsualis, quo ad substantiam, cum accidentibus diversis: ergo, &c.

Quód autem panis azymus, sit convenientior ad consecrationem patet, quia Christus Sacramentum instituit prima die azymorum, & pane azymo vsus est, nam durante solemnitate, solum panis azymus inveniebatur in domibus Iudæorum, vt dicitur exod. 12. Præterea idipsum ratio suadet: nam ille panis, est materia congruentior Eucharistiæ, qui magis cum proprietatibus Sacramenti conformatur; sed hoc convenit azymo præ fermentato: ergo ille convenientior est. Prob. min. quia panis azymus, denotat in scriptura, puritatem, candorem, simplicitatem, & incorruptionem, & é contra fermentum, sæpé in malam partem summitur, aut pro hipocrisi Phariseorum, aut pro fastu, quia panis per fermentum intumescit; quæ omnia elegantèr tangit D. Thom. ex Paul. 1. ad Cor. 5. dicente: Modicum fermentum, totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum, vt sitis nova conspersio, sicut estis azymi, enim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis; vbi ponitur sinceritas contra corruptionem peccati, & veritas contra figuras veteris legis, vt ait ipse D. Thom. ibi.

Sed notat D. Thom. quód super hoc, sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines; nam Romana Ecclesia, offert azymos panes, quia Dominus sine vlla commixtione susceptit carnem, & hoc Sacramentum, potius est Corporis Christi, quam divinitatis eius, Græcæ autem Ecclesiæ offerunt fermentum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ; vndé consuetudo Græcorum habet aliquam rationem, cui congruentiæ non desunt, & quia fermentum aliquando rectè sonat, vt cum Cœlum frumento comparatur; & quia potest designare gratiæ suavitatem, nam panem efficit sapidiorem, & etiam fervorem charitatis, quasi fermentum, á fervore dictum sit; conveniens autem est, vt vnusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione, vt postea dicemus.

Oppones cum Græcis: quia legalia non sunt observanda tempore gratiæ, vti autem pane azymo, quædam cerimonia legalis erat, & ideo eam servare non debemus. Resp. quód non omnes antiquæ legis consuetudines abijcit Ecclesia, sed quasdam retinet provida consideratione, quare dicitur in canticis: omnia poma nova & vetera, servavi tibi; & ideo servatur adhuc, facies plenæ Lunæ, ne Pascha celebretur in eius diminutione, & similiter oleum vnctionis conficit, & thus suavitatis accendit, solvit decimas & primitias, habet candelabrum & lucernas, vestes & vasa, & Pontifices, & Levitas, quæ omnia in antiqua lege servabantur. Præterquam, quod si panis azimus deberet excludi, quia vtebatur in veteri lege, etiam vtebatur fermentatus, cum Hostia gratiarum, quæ pro pacificis offerabatur, vt patet ex cap. 7. Levit. vndé conficientes Eucharistiam in azymo, non intendunt ceremonias veteris legis servare, sed conformari cum institutione Christi, vt ait D. T. solut. ad 2.

Nec iterum obstat dictum Amos, cap. 4. sacrificate de fermentato laudem. Respondet enim S. Anselmus opusc. de azymo & ferment. quód illud dictum, vel approbat, vel reprobat sacrificium in fermentato? Si primum, ipsos Græcos occidit litera nam eam servando, in fermentato sacrificant; si secundum, qua ratione ipsi sacrificant, quod Propheta in sacrificio execratur? Quód autem execretur, constat ex verbis prioribus: Venité ad Bethel, & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem. Nec demum obstat: quód panis fermentatus, est magis vsualis & communis; dicitur enim; quod hoc est verum si attenditur vsualis hominis cibatio, non verò attento Sacramenti, vsu nam panis azymus magis competit sinceritati fidelium, quæ ad illum requiritur, vt vidimus ex D. Thom.

Quarta difficultas: Utrum quælibet quantitas panis vel vini, possit consecrari? Resp. quód materia consecrabilis, non habet terminum, nec in magnitudine, nec in quantitate discreta. Sic D. Thom. 3. p. q. 74. art. 2. quia materia rerum determinatur in ordine ad finem, sicut materia Serræ ad sectionem; sed finis Eucharistiæ est fidelium vnio, quorum numerus indeterminatus est, nec debet determinari per eos, qui modo occurrunt, alias Sacerdos habens paucos Parrochianos, non posset consecrare multas Hostias: ergo, &c. Nec obstat: quód virtus consecrativa est finita, & sic habet terminum. Resp. quód agit vt instrumentum Dei, qui virtutem infinitam habet.

Deindé prob. quia iuxta fidem profitemur Christũ dedisse Sacerdotibus potestatem consecrandi sine limitatione: ergo cum aliás de essentia Sacramenti solum sint panis & vinum, si sint præsentes, ex vi Sacramenti, in qualibet quantitate possunt consecrari. Si dicas: quód in consecratione vini dicitur, hic est Calix, &c. quasi materiam limitando. Resp. ibi loqui per metonimiam, summendo continens pro contento, non verò limitando vinum ad Calicis mensuram. Tùm, quia potest dari

alius

alius Calix maior. Túm, quia si plures Calices, essent præsentes in omnibus posset muereri.

De quantitate minima dicimus: quód quantumvis minima sit, consecrari potest; sic D. Thom. loc. cit. & ratio est: quia Christus est in quavis nimina quantitate, sicut est totus in qualibet parte. Nec obstat: quód modica quantitas, non potest manducari, nec minima guta potari; sicut nec in minima guta aquæ potest Baptismus fieri. Dicitur enim; quód hoc est per accidens, vt parva materia, non applicetur ad vsum, per se tamen est materia cibi & potus; nec est idem de Baptismo, quia per minimam aquæ gutam, non fit ablutio, in qua Baptismus consistit.

Vndé solvitur quod communiter objcitur: quód parva materia, non est cibus & potus. Resp. enim; ex hoc sequi, non posse vnam particulam consectari, quia Eucharistiam non solum est cibus, sed etiam convivium, & ridiculum esset, quod quis pro convivijs poneret tantum panem, sicut formula qua sæculares comunicantur; vndé argumentum, nihil convincit, & sic ait D. Thom. in Eucharistia, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Vel dicatur: quód Eucharistia non est instituta, sicut cibus materialis, vt reficiatur corpus per quantitatem, sed vt cibus spiritualis, vt nutriat animam, & si pendeat á sumptione, tanquam á conditione.

Sed an si panis & vini particula, ita sit minima, quod nequeat sentiri, possit consecrari? Resp. quód per se & ex vi Sacramenti, potest consecrari, licet per accidens non possit sentiri; & ratio est: quia in illa particula, servatur per se substantia speciei, licet per accidens non sentiantur, sicut hac ratione, potest consecrari panis positus sub corporali; & vlteriús potest percipi sensu gustus, licet non tactu. Et vrgetur: licet sciam per revelationem, hic esse Angelum, non possum illum demonstrare, quia nec in se, nec in aliquo sui, est sensibilis; sed particula minima per se est sensibilis: ergo consecrari potest.

Sed argues contra dicta: omnis forma naturalis, habet terminum magnitudinis & parvitatis: ergo etiam forma Eucharistiæ, quæ potior est quam naturales formæ. Secundó: nam potestas consecrandi, data est á Deo in ædificationem, & non in derisionem, esset autem derisio, si consecraretur quantitas valdé magna, vel valdé minima. Resp. ad 1. quód terminus augmenti, sequitur ad formam determinatam, fidelium autem numerus, ad quorum vsum ordinatur Eucharistia, determinatus non est. Vel dicatur: quód quantitas est determinata, vt est proprietas formæ panis & vini, non veró vt est terminus consecrationis, propter rationem dictã.

Ad 2. quód potestas consecrandi, ordinatur ad effectum proprium, & ad finem effectus, & hoc secundum, non aufert primum; vndé si Sacerdos, intendit consecrare propter malum finem, peccat, sed Sacramentum perficit; idem ergo est de consecratione, quantitatis maximæ vel minimæ, in qua non aufertur effectus proprius, licet finis effectus, in culpa subsecuta auferatur. Vndé maneat, quod quælibet quantitas, vel maxima, vel minima potest consecrari per se, & ex vi Sacramenti, licet per accidens, & ex defectu præsentiæ consecrari non possit.

Quarta difficultas: An aqua infusa Calici, convertatur immediaté in vinum, vel in Sanguinem Christi. Supponimus, aquam debere vino misceri, sed in modica quantitate, & hoc esse solum Ecclesiæ præceptum; de quo agit D. Thom. 3. p. q. 74. art. 6. Parva autem quantitas ponitur. Túm, vt convertatur in vinum. Túm, quia populi per aquam significati, parum sunt respectu sanguinis, & amoris Christi, cum quo vniuntur, licet autem aquæ appositio, non sit de necessitate Sacramenti, obligat tamen sub mortali. Nec obstat: quód est materia parva; est enim parva physicé; sed moraliter est magna, sicut vnum Pater noster, parum est physicé, est tamen magnũ moraliter in ratione partis integralis pœnitentiæ, & illud scienter ommittere, esset mortale.

Resp. igitur ad quæsitum: quód aqua non convertitur immediaté in sanguinem Christi, sed mediaté, quatenús primo in vinum convertitur. Sic D. Thom. loc. cit. art. 8. & ratio est: quia aqua non est consecrationis materia: ergo debet ante consecrationem in vinum converti. Prob. ant. Túm, quia solius vini fit mentio, dum ait Ecclesia: fitque sanguis Christi merum. Túm, quia sic asserit Eugenius IV. in Decreto vnionis, assignans pro materia consecrationis Calicis, vinum de vite. Nec valet dicere, vinum esse materiam per se, & aquam per accidens. Non inquam valet, quia materia consecrationis panis, est panis triticus, nec datur alia, etiam per accidens: Undé si daretur pars farinæ ordeaceæ, non converteretur immediaté in Corpus Christi: ergo pariter, &c.

His assentitur Catheciſmus Romanus, cap. 4. de Eucharistia dicens: modicam aquam infundendam esse, quia illa in vinum convertitur; & hoc ipsum habet expresé D. Thom. pluribus locis 1. ad Cor. 11. lect. 6. in fine vbi ait: Aqua convertitur in vinum, & sic totum convertitur in sanguinem Christi, propter quod mos est, modicum de aqua apponere, & præcipué si vinum sit debile, quod non potest, nisi modicum aquæ, in se ipsum convertere, & rursus inconveniens assignat, in 4. dist. 11. q. 2. nam si aqua in propria natura remaneret, Calix consecratus, non esset tantum potus spiritualis, sed etiam corporalis, & ita non liceret post primam sumptionem sanguinis, iterum summere.

Ex his constat resolutionem nostram, esse doctrinæ Ecclesiæ, & Ang. D. conformiorem. Qua ro-

boratur sic: si non esset conversio immediata aquæ in vinum, ad quid præciperet Ecclesia, modicissimam aquam apponi? Et rursus, si aqua in sanguinem immediatè converteretur, materia Eucharistiæ in consecratione Calicis, non esset solum vinum de vite contra veritatem & sensum Ecclesiæ; & tandem: quia iuxta Trident. post consecrationem, solum manent species panis & vini, quod non ita esset si aqua immediatè, converteretur in sanguinem, quia illa in propria specie maneret.

Nec dicas: quód sub aqua nequit sanguinis Christi primo poni, benè veró in illa conservari. Hoc enim est falsum: nam conservatio est continuata productio, & sic ibi conservato sanguine, etiam posset primo poni, & sic aqua seorsim á vino posset consecrari, quod absurdum est. Nec iterum dicas: aquam separari posse á vino consecrato, & sic non esse conversam in illud; illa enim non separatur si mixta est, sed solum extrahitur, quidam humor similis aquæ, sic ait D. Thom. in 4. dist. 11. non tamen illa aqua quæ fit apposita separatur, quia iam facta est vinum; de quo agitur in lib. de gener. tract. de mixtione.

Si dicas: quód magna pars tritici, non convertit in se parvam quantitatem hordei, & sic nec vinum convertit parvam aquam. Resp. hoc ideo esse, quia hordeum liquidum non est, & habet suas partes vnitas & si tritico iungatur, aqua veró est liquida, & potest in partes vim introduci; vndé mixtio statuitur á Philosophis inter liquores, non autem inter res solidas, vndé cognoscitur quam debilis erat paritas cuiusdam paucis ab hinc diebus probantis aquam in vinum non converti, quia cinis non convertitur in farinam, hæc enim liquores non sunt, nec facile alterantur, quod ad veram mixtionem requiritur.

Sed arguitur: ex pluribus auctoritatibus Sanctorum Patrum, dicentium quod aqua fit sanguis per consecrationem, sic ait D. Ambr. lib. 4. de Sacramentis, & alij plures. Sed ad hæc & similia? R. quód vt dicatur aquam consecrari, non est necesse, quod formaliter illa maneat, tempore consecrationis, sed solum materialiter, & sub forma vini, sicut dicitur alimentum converti in substantiam alicuius, licet tempore conversionis, non sit formaliter alimentum. Nec est novum, rem factam per conversionem, appellari nomine rei conversæ, sic dicitur, quod devoravit virga Aaron alias virgas, id est serpens ex virga factus, & etiam Corpus Christi, dicitur panis, quia ex pane fit, & eodem modo vinum, quod fit ex aqua mixta appellatur vinum, quod & non aqua, in sanguinem Christi convertitur.

Dices: Christus consecravit in vino aqua mixto, & non est facile, quod hæc prius fuerit conversa in vinum, quia aquam modicam non apposuit: ergo, &c. Et vrgetur: nam materia consecrationis Calicis est vinum vsuale; sed vinum aqua mixtum vsuale est: ergo, &c. Resp. quód Christus comprehensionem rerum habebat, & sic poterat cognoscere quando aqua, in vinum fuerit conversa licet plus aquæ apponeret quam vini. Præterquam, quod non constat, modicam aquam non apposuisse, nam licet plus ponere, conduceret ad temperantiam, sed tamen tunc magis ad mysterium attendebat.

Ad conf. Resp. quód in materia Sacramentorum, plus attenditur ad rem ipsam, quam ad comunem loquendi modum; quare aqua artificialis vocatur aqua, & panis hordeaceus dicitur panis, & non sunt apta materia Baptismi, nec Eucharistiæ. Præterquam, quod vinum aqua mixtum, licet dicatur potus vsualis, non autem vinum vsuale, quod diversum quid est, nam potus confici potest ex vino aqua mixto; vinum autem substantiale, quod non solum deservit potus, sed alijs vsibus, nequit ex aqua confici; sicut nec panis vsualis fit nisi ex tritico, licet ex alijs granis fiat vsualis cibus.

Si dicas adhuc: quód si doctrina esset vera, posset licité vendi vinum aqua mixtum, quia illam converteret in se, & ita ex parva quantitate vini posset multum augeri, quod absurdum est. Resp. quód vinum debilitatur ex conversione, quia agens repartitur in agendo, & sic per nimiam mixtionem in corruptionem tendit. Dices: applicato ligno ad ignem in magna quantitate fortius convertit in se, absque debilitate: ergo idem de vino convertente in se aquam dicendum est, Resp. neg. conseq. quia calor constituens ignem, non suscipit magis & minus quoad intentionem, & sic non debilitatur, cuius contrariam contingit in vinis, quorum vnum est alio activius, & generosius.

Vel 2. admitendo calorem ignis suscipere magis & minus, dicatur: quód non debilitatur, sed roboratur, ex appositione lignorum, quia hæc est materia proportionata, quod non fieret si igni apponeretur aqua illi dissimilis & oppositæ; cum ergo aqua nõ sit materia proportionata qualitatibus vini, sed illis contraria, si magna quantitas apponitur, debilitat illud, sicut cibus proportionatus calori viventis, in quantitate & qualitate, illum non debilitat, benè veró si hanc proportionem non habeat. Si dicas, quod & si vinum in statu pugnæ non roboretur, benè veró post victoriam. Resp. quód determinatus calor non est proprietas quarto modo ignis, sed accidens connaturale, quod per actionem contrarij redditur debilior, calor naturalis dissipatur, sicut ex sumptione alicuius nocivi.

Instabis. si ex debilitate vini non converteret in se aquam, hæc nunquam converteretur in sanguinem, vnde illa verba, hic est Calix &c. non essent vera, & etiam daretur populo occasio idolatrandi; sed omnia hæc sunt absurda: ergo, &c. Resp. quód vinum potest longo tempore convertere aquam, licet

cet in instanti non posit ob suam debilitatem; quod si non est conversa tempore consecrationis, verba sunt vera quia feruntur ad materiam consecrativam;nec datur occasio idolatrandi;sicut in hostia triticea,detur myxtura ordei,nec verba sunt falsa,nec datur idolatrandi occasio, propter eandem rationem ; & quod contrarij ad hoc respondeant, respondebimus & nos.

Sexta difficultas: De forma Sacramenti Eucharistiæ, & primo dubitatur de forma consecrationis panis, de qua certum est secundum Fidem , hanc esse convenientem formam: *Hoc est enim Corpus meum*;& ratio assignatur á D.T.nam forma Sacramenti,debet significare quod efficitur in illo; cum autem in Eucharistia, fiat conversio panis in Corpus Christi,q æ significatur per illa verba , in illis consistit forma Sacramenti,& vrgetur:nam in conversione, datur actio,terminus á quo & ad quem, & omnia significantur per illa verba ; actio quia cum sit instantanea,significat simul fieri,& factum esse terminus á quo,nempé panis sub accidentibus, & non sua substantia,& terminus ad quem,in substantia Corporis Christi:ergo,&c.

Sed obstat contra hoc: quód D. Chrisostomus ait,quod post illa verba erat Sacerdos, vt panis fiat Corpus Christ:ergó etiam præcationes ad formam conducunt.Et vrgetur:quia nisi verba præcedentia pertinerent ad formam,Sacerdos loqueretur in propia persona, & sic verum esset dicere: hoc est corpus meum : ergo, &c. Resp. ad 1. quód in præcationibus , non petitur absoluté fieri Corpus Christi, sed quod fiat nobis , id est nobis proficiat , vt eius effectum consequatur. Vel si petitur fieri corpus, non est corpus naturale, sed misticum, in quo omnes cum Christo sumus vniti, iuxta dictum Ecclesiæ: Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno Calice participamus.

Resp.ad conf. quód illa verba proferentur á Sacerdote, in nomine Christi,& ad hoc eius intentio fertur. Sed contra est: quia forma Sacramenti, debet significare effectum ex vi verborum, & non ex intentione proferentis , sicut si diceret Sacerdos doctrina mea non est mea , licet intendat proferre nomine Christi, tamen ex vi verborum solum significarent doctrinam proferentis: ergo, &c. Resp. quód quando verba sunt ambigua determinantur ex intentione proferentis , & cum verba illa corpus meum, ex vi verborum, significent corpus Sacerdotis,ab eius intentione determinantur,vt Corpus Christi significent.

Dices vltenús,quod illa verba sunt forma,quibus Christus consecravit; sed non consecravit illis solis verbis , sed etiam præcedentibus : ergo omnia sunt forma.Resp. quód licet Christus plura verba protulerit , solum relatis verbis consecravit, vt ait Trident. Sess.13. cap.1. de Eucharist. vbi dicit: hoc admirabile Sacramentum,in vltima cœna,Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem , se suum corpus præbere, & suum sanguinem , dissertis ac perspicuis verbis testatus est; quod constat etiam ex Mat. 26. accepit Ietus panem, benedixit ac fregit, dedítque discipulis suis & ait: accipité, & commedité hoc est corpus meú.

Nunc singula verba formæ restant examinanda, & primo occurrit pronomen *Hoc* de quo dubitatur, an si in aliud mutetur forma subsistat ? Resp. quód si loco pronominis *hoc* , dicatur *illud*, nihil efficitur,quia non retinetur idem significatum nam pronomen *illud* , non demonstrat materiam præsentem, vndé per illud, non servatur practica significatio formæ ; si autem diceretur *illud*, servaretur, quia est demonstrativum;si autem dicitur *Hic* adverbialiter, forma significaret conversionem, sed præsentiam localem, si autem summitur vt pronomen , sentit Soto formam substantialitér servari, quia potest intelligi cibus , & licet repugnet legibus Grammaticæ, in re facit eundem sensum,sicut si diceret quis: *Corpus meus*.

Secundó occurrit verbum *est*,de quo dubitatur: Vtrúm si ommittitur,consecratio sit validæ? Resp. quód omisso illo verbo , non perficitur consecratio ; quia verba consecrationis , debent significare conversionem in exercitio , & in facto esse , quod non significatur, nisi apponatur verbum *est*; & ratio summitur ex D. Thom. 1.p. q. 13. art. 12. quia verbum *est* proprié & in rigore,significat identitatem inter subiectum ,& prædicatum.Vnde ait Trident. Sess. 13. cap. 4. Christus Redemptor noster, corpus suum, id quod sub specie panis offerabatur, veré esse dixit : ergo ommisso verbo *est*, mutatur substantialis verborum sensus.

Tertió ponitur particula *enim*, de qua ait D.T. 3.p. q.60. art.8. quód si subtrahitur aliquid quod non est de substantia formæ , non tollitur Sacramenti perfectio,sicut in forma Eucharistiæ,ly enim sublatum, non tollitur debitum sensum verborum, quamvis posit contingere , quod illi qui prætermittit, peccet ex negligentia , vel contemptu. An autem tale peccatum , esset ex genere suo mortale? negant aliqui , quia materia est parva. Sed verius est oppositum, nam licet vna dictio , physicé & in esse entis, sit parva materia , sed in esse signi consecrationis, est materia gravis ,sicut suprá dicebamus, de parva aqua, vino admiscenda.

Vltimo ponitur : *Corpus meum* , quod includit demonstrationem primæ personæ , & ideo ait D. Thom. quód convenientius dicitur: Corpus meum, quam Corpus Christi. Nec potest dici caro mea licet Christus id dixerit per Ioannem,quia ibi loquebatur de Sacramento, in ordine ad actum refectionis ; in forma veró Sacramenti , exprimitur eius essentia & significatio , quod meliús exprimit corpus quam caro ; illud enim meliús repræsentat Passionem in toto Corpore Christi factam Sed an

dicen-

dicendo *caro mea*, esset valida consecratio, affirmant aliqui; sed contrarium videtur probabilius, quia alius est intellectus, dum dicitur *caro*, ac dum dicitur *corpus*.

Ex his infertur, quid dicendum sit, de mutatione accidentali verborum; si enim meum terminatur in *n* fit consecratio, quia Hispani, difficile proferimus in fine, literam *m*, & idem est si verbum *est*, non terminetur in *t*, & ex velocitate linguæ dicatur *es*, vel si dicatur *corps meum*, vel *zanguis*, pro *sanguis*, vel *hog*, pro *hoc*, vel *Calis*, pro *Calix*, & alia huiusmodi, quia hæc omnia non variant substantialem sensum, & oriuntur ex diversa pronuntiatione; nec ex his debent formali scrupuli deridendi, sicut passim videmus; refertur enim de quodam Sacerdote, quod maximo conatu, & nimia vi, pronuntiabat consecrationis verba, & cum de hoc increpararetur ab alio respondit ipse, quod hoc faciebat, vt poneretur Corpus, & Sanguis Christi, ex vi verborum; crassa quidem ignorantia, aliud enim est poni ex vi verborum, id est, *en fuerça de la significacion de las palabras*, aliud autem, ex verborum vi, quasi vi & conatu sint prolata, hoc est *palabras dichas con fuerça*, sensus Theologorum est primus, & ignorantium secundus.

Septima difficultas: Quid intelligatur in verbis, nomine corporis? Supposito enim, manere ex vi verborum, compositum substantiale ex materia & forma dante esse corporeum, volunt aliqui, illam esse formam distinctam ab anima, quæ vocatur forma corporeitatis, sic sentit Scotus; sed nos, qui huiusmodi varietatem formarum negamus, ab eadem anima vt forma, provenire asserimus, gradum rationalis & gradum corporis, & dubium ad præsens est, quid importetur nomine corporis, quod exprimitur, & ponitur ex vi verborum formæ consecrationis panis?

Dicendum est: quod nomine corporis intelligitur anima rationalis, vt prestat hoc numero esse corporeum organicum & humanum. Constat ex D. T. 3. p. q. 75. art. 6. ad 2. vbi ait: anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse & esse corporeum, & esse animatum; convertitur igitur forma panis, in formam Corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum, quod dat esse animatum tali anima; & ratio est: nam ex vi verborum, non constituitur corpus commune, sed proprium & singulare Christi; sed sic constituitur in ratione organici & humani: ergo, &c.

Deindé prob. nomine corporis, non intelligitur materia nuda forma, quia nequit existere sine illa; nec materia cum forma corporeitatis, hæc enim non datur, quia ab eadem forma, provenit gradus genericus corporis, & specificus vitæ; nec materia cum quantitate & accidentibus, quia illa est conversio substantialis, exigens substantiam pro termino, vt ait Trident. Sess. 13. cap. 4. ergo solum intelligitur anima, vt præstat hoc esse corporeum. Nec obstat: quód sic solum poneretur forma generica; nam licet ex vi verborum solum ponatur anima, vt dat gradum corporis, in re tamen etiã rationalis est.

Sed arguitur: Eadem anima dat esse corporeum & vivens: ergo repugnat poni primo modo, & non secundo. Resp. dist. ant. eadem realiter, conc. formaliter, neg. licet enim eadem sit anima, differt formaliter per rationem sub vtroq; munere, & ideo ponitur solum formalitér, vt præstat esse corporeum, ex vi verborum, quia verba hæc, tendunt ad esse formale. Hoc patet exemplis. Verum & bonum idem sunt; & intellectus attingit formaliter verum & non bonum; & similiter gratia Baptismi, & pœnitentiæ, eadem est realiter, & prima non tollit fictionem cũ qua ille suscipitur, bené veró secunda.

Dices: Corpus quod ponitur ex vi verborum, est idem cum Corpore Christi, quando verba protulit; sed illud constituebatur ab anima, vt dat gradum vitæ: ergo, &c. Resp. dist. mai. est idem idemtitate suppositi, conc. idemtitate formæ substantialis tantum, neg. Corpus enim Christi, in vtroque statu, idem est, ex parte suppositi & subsistentiæ, sicut etiam hoc modo, est idem vivens & mortuum, non autem est idem formaliter, seu ex parte formæ. Si dicas: quód hoc modo non constituitur corpus á forma determinata, sed vivum ab anima, vt dat gradum vitæ, & mortuum á forma cadaveris. Resp. quód verba dum proferuntur, significant practicé Corpus Christi; si autem verba, abstrahunt, ab hoc & illo tempore, etiam abstrahunt ab hac & illa forma, quæ dat esse corporeum & humanum; vndé ait D. Thom. de corpore mortuo, quod est humanum æquivocé.

Sed instabis aliter: quód ponitur in Eucharistia per concommitantiam, non identificatur, cum eo quod ponitur ex vi verborum; sed anima vt dat gradum rationalis, identificatur cum ipsa, vt dat gradum corporis: ergo illa non ponitur per concomitantiam. Resp. dist. mai. non identificatur adæquaté, conc. inadæquaté, neg. nam si adæquaté identificaretur, non poneretur ex vi vnionis, sed ratione identitatis, forma autem vt rationalis, solum inadæquaté identificatur cum se ipsa, vt dat esse corporeum, sicut rationale, cum ratione communi animalis, vndé sicut posita hac, non ponitur illa, idem dicimus de forma, quæ vt constitutiva corporis ponitur directé, & vt dat gradum rationalem, solum indirecté.

Nec inferas ex hoc, posse dici sanguinem poni ex vi verborum sub speciebus panis, non vt sanguis est, sed vt pars corporis humani. Resp. enim, quod corpus, vel summitur pro omni illo, quod anima non est, & sic includit sanguinem, vel summitur pro partibus solidis, & sic á sanguine differt, & hoc se-

secundo modo accipitur in verbis consecrationis panis, & sic sanguis, nec partialiter est in Hostia, ex vi verborum, nec est pars corporis, reduplicativé, vt est terminus formalis conversionis, quæ nunc est, corpus enim sine sanguine, vel separatum ab illo, est verum corpus, pro vt ponitur sub Sacramento; quod summitur ex D. Thom. 3. p. q. 76. art. 2. in corp.

Octava difficultas: Utrum omnia verba consecrationis Calicis, sint de essentia formæ? Resp. quód omnia hæc verba: hic est enim Calix, vsque ad finem, sunt de essentia formæ. Sic habet expresé D. Thom. 3. p. q. 78. art. 3. vbi ait: omnia prædicta verba, sunt de substantia formæ. Nec valet dicere, quod nomine substantiæ, intelligit partem integralem. Hoc enim est falsum. Primó: quia iuxta phrasim D. Thom. in materia Sacramentorum, idem est substantia ac essentia; sic habet, q. 60. art. 8. Secundó: quia in 4. dist. 8. q. 2. ait de his verbis: ea quæ sequuntur sunt essentialia sanguini, pro vt in hoc Sacramento consecratur, & ideo opportet, quod sint de substantia formæ, & idem ait. 1. ad Cor. 11. lect. 6. & expresé colligitur ex Cathec. Pij V. de Euchar. part. 2.

Doctrina autem D. Thom. reducitur ad hoc: quód per verba priora, designatur conversio vini in sanguinem, per sequentia verò, virtus sanguinis fusi in passione, & ille ordinatur ad tria, primo ad consecutionem æternæ gloriæ, & ad hoc dicitur: novi & æterni testamenti; secundó ad iustitiam gratiæ, & ideo dicitur mysterium fidei, tertió ad auferenda impedimenta vtriusque, nempé peccata, & ad hoc ponitur, qui pro vobis & pro multis effundetur, &c. Formatur ergo ratio sic: Illa verba sunt de essentia formæ Eucharistiæ, quibus exprimitur adæquatus effectus illius, sed hoc habetur per omnia verba, quæ designant gloriam, gratiam, & remissionem culpæ, vt vidimus: ergo, &c.

Dices: hæc omnia significari per separationem Sacramentalem corporis á sanguine quæ expressior est, quam per verba. Contra est: in alijs Sacramentis, non sufficit quod effectus exprimatur solis rebus, sed etiam verbis: ergo etiam in Eucharistia; explicatur anteced. quia enim Sacramentum Baptismi, non solum est ad dandam gratiam regenerativam, sed etiam ad protestandam fidem Trinitatis, hæc debet exprimi per verba designantia personas: ergo proportionalitér debemus de Eucharistia discurrere, quæ cum sit Sacramentum memorativum Passionis, debet per verba exprimi, effusio sanguinis.

Vrgentur hæc: Eucharistia, non solum habet rationem Sacramenti, sed etiam Sacrificij; sed Sacrificium non exprimitur, nisi per effusionem sanguinis, vt dicitur ad Hebr. 9. ergo verba designantia effusionem sanguinis, sunt de essentia formæ Eucharistiæ. Prob. conseq. eodem exemplo Baptismi, quia enim non tantum dat gratiam regenerativam, sed fidem Trinitatis profitetur, hoc debet exprimi verbis formæ ipsius: ergo idem est dicendum de Eucharistia in ratione Sacrificij, nec de hoc ratio á priori potest assignari, cum pendeat institutio á voluntate Christi, & ideo solum per effectus comprobatur.

Si dicas: hæc omnia instari in consecratione panis, in qua datur ratio Sacrificij, & pro nobis traditus est, & tamen in verbis formæ non dicitur: quód pro vobis traddetur. Contra est: nam vt ait D. Thom. loc. cit. ad 2. sanguis seorsim consecratus, expresé Passionem Christi repræsentat, & ideo potius in consecratione sanguinis, fit mentio de effectu Passionis, quam in consecratione corporis; quod est Passionis subiectum. Nec obstat: quód etiam corpus fuit pro nobis tradditum; nam in illo, solum repræsentatur Passionis substantia, in sanguine verò passionis mysterium, quia solum per passionem, fuit á corpore separatus, & ideo conditio Passionis Christi, convenit sanguini, plusquam corpori; sic D. Thom. loc. ex sent. relato.

Sed arguitur: Nam D. Thom. ait loc. citat. in conclusione art. 1. fol. ad 4. quód si Sacerdos, sola prima verba diceret cum intentione, Sacramentum conficeret; & ibidē dicit in corpore articuli 3. quod per illa prima verba, significatur conversio vini in sanguinem: ergo non omnia verba sunt de essentia formæ. Resp. quód D. Thom. per verba sola, non excludit verba sequentia, sed antecedentia, nempé qui pridie, &c. vt patet ex contextu, quando autem ait: per illa verba fieri conversionem, non sumuntur verba puré speculativé & grammaticalitér, sed practicé & Sacramentalitér. Vel potest dici, fieri conversionem in ratione Sacramenti, sed non in ratione Sacrificij.

Explicatur hoc, in exemplo allato Baptismi; licet enim per sola hæc verba, ego te baptizo, significetur ablutio, etiam sequentia sunt de essentia formæ Baptismi, & quia non debent summi puré speculativé & grammaticalitér, sed Sacramentalitér & practicé; & etiam quia licet illa sola verba sufficiant, ad significandam gratiam regenerativam, non verò ad exprimendam protestationem fidei Trinitatis; idem ergo dicimus de verbis consecrationis, illæ enim non debent summi puré speculativé, vel si conversionem significant, solum respiciunt Eucharistiam vt Sacramentum, sed non vt Sacrificium.

Dices: quare si prima verba significant conversionem vini in sanguinem, illa non sufficiunt pro forma? Resp. quód hoc sufficeret pro forma Sacramenti, sed non pro forma Sacrificij. Vel melius: quód significant conversionem in sanguinem absoluté, non verò vt effusum pro nobis, ad hoc enim requiruntur omnia verba. Si dicas: ergo sufficit aliud verbum *effundetur*, quin requirantur cætera

Neg. conseq. quia licet per hoc exprimatur natura Sacrificij, non verò finis illius, qui est peccatorum remissio, ante quam indifferens est, ad sacrificium, & ad puram effusionem.

Instabis: illa verba, pro vobis effundetur, non dicuntur in persona Christi, quia sanguis non est iterum fundendus: ergo saltim illa, non sunt necessária. Resp. quód Sacerdos constituit se præsentem implicité, tempori quo Christus verba protulit, & ideo veré enuntiat verba, quod constat dum ait: accipiens hunc præclarum Calicem, vndé Calicem reddit præsentem illi tempori priori. Dices: Sacerdos etiam vt gerit personam Christi, intendit præsentem sanguinem, qui nunc est in Corpore Christi glorioso, sed hic non est effundendus: ergo, &c. Resp. Sacerdotem intendere præsentem sanguinem, vt retroactum in nocte cœnæ, qui idem sanguis numero est, tunc ac modo.

Aliter instant: quód Græci, solum consecrant sanguinem per prima verba, & idem habetur in pluribus Liturgijs. Respondet Paludanus, Græcos non consecrare. Sed hoc est nimis durum, nam publicé in Ecclesia celebrant, quæ non potest dare fidelibus occasionem idolatrandi. Resp. Prado: Græcos ommittere aliqua verba, & hoc cum permissione Ecclesiæ, quæ determinat formas in individuo. & Christus illas solum in genere dater minavit. Vndé sicut in confirmatione & ordine, Græci, diversis verbis vtuntur ac nos, & idem Sacramentum faciunt, hoc ipsum de Eucharistia dicimus; & instatur: nam contrarij asserunt, omnia verba esse saltim de integritate formæ, & Græci per variationem verborum, integritatem non variant iuxta ipsos; idem ergo de essentia Sacramenti dicimus & nos.

Nec obstat: quód in nullo Evangelista omnia verba leguntur; nam illi non intendebant tradere formas Sacramentorum, sed solum Historiam de Christo scribere, & ideo plus de ista, quam de verbis curarunt; licet ex diversis locis, omnia colligantur. Sic D. Thom. loc. cit. ad 9. Si dicas: quód novi & æterni testamenti, videntur verba contraria, quia vnum est prope initium, & aliud sine initio. Resp. quód testamentum vocatur novum, ratione exhibitionis, & æternum, ratione æternæ ordinationis, vel æternæ hæreditatis ad quam disponit, vel etiam ratione personæ Christi, quæ æterna est, in quo non datur contradictio.

Nona difficultas: An verba consecrationis proferantur solum recitativé, vel etiam assertivé? Resp. quód verba proferuntur recitativé, & simul formaliter significativé; explicatur: illud profertur recitativé, quod refertur, vt dictum ab alio, vt cum referimus sententiam Arist. dicentis, mundum fuisse ab æterno, significativé autem profertur, quasi proprium dictum, vt cum dicimus: Deus est Trinus & vnus; dicimus ergo, quod verba consecrationis, vtroque modo proferuntur. Constat ex D. Thom. hic art. 5. in corp. vbi ait: quód verba illa, simul recitatione & significatione tenentur, & idem habet, super cap. 26. Matth.

Prob. de sensu recitativo, ex ipso contextu canonis, vbi dicitur: qui pridié quam pateretur, &c. vbi manifeste sensus recitativus continetur; & ratio est: quia tunc aliquid profertur recitativé, cum dicitur vt narratum ab alio; sed sic narrat Sacerdos verba consecrationis sicut eodem modo præcedentia narrat: ergo, &c. Nec obstat: quód tunc simul consecrat in persona propria, nam potest loqui in persona Christi & propria, per diversos respectus; sicut quando dicimus Pater noster, simul narramus orationem factam á Christo. & etiam nos oramus; vndé ait D. Thom. 1. ad Cor. 11. quód verba accipiuntur formaliter, quo ad præsentem materiam, & proferuntur ex persona Christi, á quo virtutem sumpserunt.

Ex his patet secunda pars de sensu assertivo, formaliter significativo, cuius hæc est ratio: nam qui purè historicé refert factum alterius, non gerit eius personam; sed Sacerdos loquitur in persona Christi: ergo non loquitur purè recitativé. Nec dicas: quód Sacerdos loquitur in persona Christi, quia ab eo accipit virtutem conficiendi Sacramentum. Hoc enim est falsum: nam in hoc Sacramento, peculiariter loquitur Sacerdos in persona Christi, quare non dicit ego, sicut in alijs Sacramentis, quia Christi gerit personam consecrando; sed accipere ab eo virtutem, est commune omni Sacramento: ergo hac solum ratione, nequit dici, quod Sacerdos in persona Christi loquatur.

Deinde prob. quia si verba solum recitativé proferrentur, non applicarentur præsenti materiæ, sed illi quam Christus consecravit; cons. est falsum: ergo, &c. Dices: quód in materia consecrata á Christo, consecrabatur virtualiter nostra, sicut in Jordane, consecrata fuit omnis aqua. Sed cõtra est: nam Christũ consecrasse omnem aquam in eo consistit, quod aquam omnem reddit materiam aptam Baptismi, non verò quia aquam nostram habuerit præsentem: ergo similitér in pane á se consecrato, omnes panes fecit idoneos ad consecrationem, non verò panem nostrum consecravit.

Vrgentur omnia: nam in alijs Sacramentis, verba summuntur assertivé & significativé, vt cum dicitur: ego te absolvo, ego te baptizo: ergo idem est dicendum de Eucharistia, cum eadem sit omnium ratio. Substantia igitur doctrinæ, reducitur ad hoc: quód Christus est principalis consecrans, & Sacerdos, minus principalis, loquens in persona Christi, & vt eius gerens vices, & ideo loquitur recitativé, cum dicit verba, vt á Christo prolata, & etiam assertivé, determinando particularem materiam, sicut Legatus Regis, dicit eius verba recitativé, & etiam assertivé, tractando materiã specialem regni-

Arguitur: verba proferri recitativé & significativé, sunt oppositа: ergo nequeunt coniungi. Prob. antec. nam recitare, est proferre dictum ab alio, & enuntiare, est proferre dictum á se; ex quo fit quod Sacerdos non conficeret Sacramentum, sicut nec est mendax, qui refert alterius mendatium: ergo, &c. Resp. hoc non esse oppositum, quod quis recitet, & enuntiet, secundum diversos respectus, vt patet in exemplis adductis de oratione Pater noster, & de Legato Regis, in quibus simul refertur dictum alterius, & enunciatur assertivé, & significativé á proferente.

Nec est idem de mendatio, quod non fit, cum refertur dictum ab alio. Túm, quia illa est pura recitatio historica. Túm, quia referendo mendatium alterius, referens, non induit eius personam, cuius contrarium contingit in consecrante, qui specialiter gerit, personam Christi, quare ait D. Ambros. lib. 4. de Sacram. quando Sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus Sacerdos vtitur, sed vtitur sermonibus Christi, & idem ait Concil. Florent. & D. Thom. ait: quód in cœna Christũ gesit, faciendũ hoc expresit, in sui memoriam. Nec ex locutione recitativa, & significativa, sequitur æquivocatio, quia ambæ vniuntur in eodem formali significato, licet connotatum sit diversum, vt patet in exemplo adducto, de Legato Regis.

Dices: si quis diceret: hoc est Corpus Christi, vere consecraret, & tunc verba non proferret in persona Christi. Resp. quód si intentio esset loqui in propria persona, non consecraret; si veró in persona Christi licet verba illa non sumerentur expresé narrativé & significativé, bené veró implicité, quia sic prolata, repræsentarent Christi Passionem; vndé ait D. Thom. hic art. 1. ad 4. quód si Sacerdos, sola verba dicta proferret, cum intentione perficiendi hoc Sacramentum, illud perficeret, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur, quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus, hoc non recitaretur. *Lector optimé; in præcedentibus paginis de Eucharistia, non pauca reperies menda, quia excussæ sunt, cum ego, vt putabatur, nimio studij exustus ardore, ager iacerem in lecto; tu veró dissimula, & ad sequentia propera.*

Decima difficultas: Quando verificentur verba consecrationis? Respond. talia verba verificari in vltimo instanti terminativo eorum; sic D. Thom. q. 78. art. 4. ad 3. vbi ait: in vltimo instanti prolationis, prædicta verba, consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia; & ratio est: quia solum primis verbis prolatis, adhuc non extant verba quibus Christus vsus est, nec est quietus animus audientis, cum possit per aliud prædicatum verbum determinari: sicut quando dicitur: homo est, animus manet suspensus, donec verbum illud determinetur; sed hæc determinatio verbi, fit in vltimo instanti prolationis verborum: ergo tunc verificantur.

Dices: quód hoc modo, verba præcedentia, non erunt vera, dum dicitur: hoc est, vel hic est. Resp. illa, etiam tunc vera esse, quia enuntiant vt præsens, quod proximé futurum est, sicut quando dico: ego taceo, nihil dico, hæc propositiones sunt veræ, non solum ex intentione proferenti, sed etiam in rigore sermonis, licet solum in instanti terminativo significent, quod fundatur in eo, quod actiones practicæ, & factivæ sui obiecti, non debent illud supponere pro priori ad illas, sed sufficit quod illud supponant pro eodem instanti, de quo plura exempla poterant accumulari, & cum vltima prolatio verborum, pertineat ad idem instans prolationis, sufficit illa, vt verba teneant verum.

Infertur primó: quód verba consecrationis panis, habent suum effectum, ante prolationem formæ consecrationis vini, sic D. Thom. loc. cit. art. 6. & colligitur ex D. Bernard. Epist. 69. ad Guidonem dicente: quód si post consecrationem panis, Christus intermisisset consecrationem vini, mansisset corpus quod fecerat; & constat ex cap. 6. Ioan. panis quem ego dabo caro mea est, quin fiat mentio de vino; alias si expectaretur vini consecratio, non diceretur de presenti est, sed erit de futuro; cui consonat factum Ecclesiæ, quæ statim, post consecrationis panis, in illo Corpus Christi adorat, quin expectet Calicis consecrationem; & idipsum dicimus de sanguine, quod si consecraretur seorsim, haberet suum effectum, ante consecrationem panis, ob eandem rationem.

Nec obstat: panem & vinum simul apponi; hoc enim est quo ad debitum consecrandi modum, non veró quo ad efficaciam effectus consecrationis panis, ante vini consecrationem; vndé si quis panem sine vino, vel é contra consecraret, peccaret mortaliter, sed factum teneret. Primúm constat: nam tunc ageret contra ritum Ecclesiæ in re gravissima, quæ decernit panem & vinũ consecrari, & post panem vinum; secundum patet: nam verba consecratoria, id faciunt quod significant: ergo si verba consecrationis panis, proferuntur seorsim á vino, significant conversionem in Corpus Christi: ergo hanc etiam efficiunt.

Si dicas: Quód si per verba consecratoria panis, inciperet esse Corpus Christi ante vini consecrationem, daretur Corpus sine Sanguine, quod falsum est. Resp. daretur corpus sine sanguine, ex vi verborum, conc. ex reali concomitantia, neg. cum enim sanguis sit per concomitantiam in corpore, ideo nunquam est corpus sine sanguine. Dices: quód Baptismus trina imersione constans, non habet suum effectum ante vltimam: ergo nec prima species Eucharistiæ, ante secundam. Neg. conseq. quia in Eucharistia, cibus & potus, habent suas perfectiones seorsim, immersiones autem Baptismi, ref-

respiciunt vnum effectum simplicem, & ideo diversa est ratio vtriusque.

Infertur secundó: quód verba consecratoria, habent vim creatam effectivam conversionis; sic D. Thom. loc. cit. art. 4. quód constat. Túm, quia hoc Sacramentum excellentissimum est, & ideo, non est deneganda ei, virtus gratiæ causativa physicé, sicut datur in alijs Sacramentis. Túm, quia Sacerdos, verba profert in persona Christi, á quo virtutem causandi participant verba. *Dices*: quód hoc modo, Christus se ipsum produceret. Resp. dist. produceret se ipsum absoluté, neg. tali modo, nempé vt fit ex pane, conc. Christus enim absoluté existens, concurrit ad sui productionem pro vt ex pane. Nec iterum obstat: quód creatura, nequit etiam instrumentaliter creare, & sic nec poterit panem in Christum convertere, quod non est minus excellens. Resp. enim, quod creatio, cum producat ex nihilo, requirit infinitam virtutem, creaturæ repugnantem, quæ tamen non requiritur ad conversionem Eucharistiæ, ad quam iam supponitur panis.

ARTICVLVS IV.

Praxis Doctrina precedentis.

Casus primus, de materia Eucharistiæ. Quidam Sacerdos, consecrare voluit Hostiam quandam, ex illis quibus literas communitér sigillamus, admixtam cam cinnabro vt fieri solet. Quæritur an illa fuerit apta materia consecrationis? Hunc casum proponit M. Prado, quæm desumpsit ex Cardin. de Lugo, & cum ipso respondet, huiusmodi materiam, esse ad minus dubiam, & suo iudicio invalidam, quia per talem mixtionem, alteratur notabiliter panis, & extrahitur á pane vsuali, & in hac re, attendenda est potius conditio materiæ vsualis ad cibum hominum, quam ratio physica specificæ quidditatis. Hanc opinionem referunt Diana, & Leander, & addunt, quod hoc est verum, nisi alias admixtio farinæ cum cinnabro, esset paucissima, quia hoc modo, non obstaret veritati Sacramenti.

Ex his habetur, quod admixtio aquæ naturalis cum farina, est de necessitate huius Sacramenti; sic ait D. Thom. hic art. 7. ad 3. vndé panis pro consecratione, debet confici ex farina & aqua naturali, non veró ex aqua rosacea, vel alio liquore. Nec obstat: quód admixtio aquæ in vino in Calice, non est de necessitate Sacramenti, & consequenter, nec admixtio aquæ in farina. Resp. enim: quód vinum sine aqua naturali, veré est potus, & sic illa non est de necessitate Sacramenti, licet peccaret qui aliam aquam præter naturalem misceret; admixtio autem aquæ naturalis ad farinam, constituit substantiam panis, vndé si miscetur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis.

Huius casus occasione, opportet explicare, quid sentiendum sit de varijs leguminibus, & granis, pro Eucharistia conficienda? Primó enim, ex leguminibus, vt ex faba, cicere, & similibus, & ex fructibus commolitis & commasatis, vt ex amigdalis, castaneis, nucibus, radicibus, &c. nequit confici materia Eucharistiæ, hæc enim non sunt proprié panis, licet egestatis causa, homines aliquando vescantur ex eis; & eadem ratione apta materia non sunt, siliquæ, herviliæ, nec panis hordeaceus, quia panem vsualem non conficiunt.

Si dicas: quód hordeum ob sui asperitatem, conformius est, asperitati Passionis Christi. Resp. quód hoc Sacramentum, pertinet ad suave iugum Christi, & ad veritatem iam manifestatam, & ad populum spiritualem, & sic asperitas panis hordeacei, non est conveniens materia illius; in Passione autem, licet fuerit asperitas ex parte torquentium, sed ex parte Christi summa benignitas fuit & Sacramentum accipit nobilitatem & suavitatem á Christo, quæm veré & realiter continet; sic D. Thom. hic art. 3. ad 1. & in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ad 1.

De cæteris granis, sic est ferendum iudicium cum D. Thom. art. 3. proximé cit. ad 2. cuius verba sunt hæc: si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt, sicut ex grano tritici seminato in malis terris, nascitur siligo, ex tali frumento panis confectus, potest esse materia huius Sacramenti, quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spelta, neque in farre, quod inter omnia, est grano tritici similius, similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ, manifestatur quod canis & lupus, sunt propinquæ speciei, non autem eiusdem; vndé ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia huius Sacramenti. Hæc Ang. D. ex quibus satis constat, quid sit circa hoc sentiendum.

Alia sunt grana, vel etiam massæ, quæ debent á ratione materiæ consecrabilis excludi. De amilo, vulgo *almidon*, sensit Paludanus, quod panis ex eo factus, est materia, cum sit farina tritici purgatissima. Sed contrarium est verum, & tenetur á D. Thom. ibi solut. ad 4. dicente: quia amylum est ex tritico corrupto, non videtur quód panis ex eo confectus, possit fieri Corpus Christi, quamvis quidam contrarium dicant, ex quo infert Soto, quod legana, quæ dicitur *fruta de sarten*, nec etiam pultes, licet ex tritico fiant, non sunt materia Sacramenti, quia nec commassantur, nec excoquuntur in furno, sed elixantur vel friguntur, & panis vsualis non sunt; vndé ait Plinius, quod Romani olim ob panis defectum, pultes comedebant. Alia de

hoc

hoc puncto affert. M.Prado plura & pulchra,apud ipsum, q.74. dub.5. videnda.

Casus secundus, circa idem. Homo quidam, in extremo erat positus mortis periculo, in quodam loco, in quo solum reperiebatur panis ex centeno confectus, nec dabatur tempus, vt farina tritici ex altero loco deferretur, nec Sacramentum ibi erat reservatum, quia solum dabatur parvum sacellum ad celebrandum. Quæritur: an in hoc casu necessitatis vrgentis posset consecrari in pane ex centeno confecto? Aliqui probabilitér affirmant, cum Lugo, Palao, Villalobos, & Diana, quia in casu necessitatis extremæ,possunt Sacramenta in materia dubia ministrari, præcipué in favorem recipientis; sicut in casu necessitatis, sic ministrantur Baptismus, & penitentia,sub conditione.

Sed huius oppositum,estetiam probabile, quod defenditur á Castro Palao. Et ratio est: quia Sacramentum Eucharistiæ, ob eius summam excellentiam, summam etiam reverentiam exposcit,nec potest honestari, quod nullitatibus exponatur in materia dubia, prætextu necessitatis vrgentis. Nec est eadem ratio de alijs Sacramentis, vt dicunt oppositi Authores. Túm, quia Eucharistiæ, maxima reverentia debetur. Túm,quia illa,non est necessaria necessitate medij,& licet ita esset,posset suppleri per votum vel desiderium illius.

Si dicas: Quód homo ille,forte existeret in malo statu, & cum sola attritione; si autem Eucharistiam reciperet,contritus fieret & salvaretur. Resp. quód auxilium illud, poterat alia via suppleri, nam Sacerdos posset eum absolvere, per quod redderetur de attrito contritus, & salvaretur, quin opus esset,illi Eucharistiam,in illa materia dubia conferre. Vtrumque hoc dictum,iudico probabiliter posse sustineri, & præcipué, quando praxis Provintiæ, in qua vivitur,validitati consecrationis suffragatur;aliquæ enim regiones extant, in quibus panis ex centeno factus, vsualis est. Nec illum in casu prædicto consecrando, iniuria irrogaretur Sacramento, nam sequitur iudicium probabile, sapientium virorum, vt per medium illud, homini salus spiritualis conferatur; quibus favent Henriquez,Tanerus, & Gobatus; quin obstet, quod centenum sit eiusdem speciei infimæ cum tritico vel non, nam vt ait D. Thom. art.3. ad 2. generans, generat sibi simile in specie, licet sit aliqua dissimilitudo quantum ad accidentia, vel ex defectu materiæ, vel ex debilitate virtutis generativæ, & sic contingit in centeno respectu tritici, quare poterit prima opinio practicari; sic sentiunt M. Soto, Nuño, & Prado, pro casu necessiratis prædictæ,non veró extra illum, quia materia illa, omnino certa non est ad consecrationem.

Nunc se offert passim,assignare regulam, quæ debet in praxi servari, circa mixtionem aliorum granorum in tritico, vt iudicium fiat de validitate, aut invaliditate materiæ consecrandæ, de quo agit Prado hic, dub.5.á num.49. vsque ad 58. sed nihil aliud necesse est, nisi consulere D.Thom. art.3. ad 3. qui sic ait: modica permixtio,non soluit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo assumitur á plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti, ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit ex inde confici panis, qui est materia huius Sacramenti; si veró sit magna permixtio, puta ex æquo vel quasi, talis permixtio speciem mutat, vndé panis ex inde confectus, non erit debita materia huius Sacramenti; & idem habet,in 4.dist. 11. q.2. art.2. quæstiunc.2. & in 4.ad Anibald.dist. 11. art.2. ad 2.

Quanta veró debeat adhiberi cura, in conficiendo pane ex tritico limpidissimo, & non admixto, sequens casus á Cesareo relatus suædet.Erat quidam Sacerdos celebrans, qui Evangelio dicto, Hostiam super patenam positam, in corporali collocavit, illaque mox resilijt; eam secundo ponit, & remotius quam prius resilivit,& tandem id tertio contigit, & ab altari quasi turbine, fuit distantius impulsa; territus Sacerdos, Hostiam illam ab scolari servari fecit, & aliam apposuit, cum qua sacrificium peregit; scrutatur postea Hostiam primam coram testibus primæ notæ, quibus narravit eventum, & vnus eorum,illam coram luce levans, vidit maculam intus, Hostiam fregit, & in ea vermiculus,quæm parietinum vocamus,decoctus apparuit; quo facto cognoverunt omnes,quod Dominus non permisit,quod ita fætidus panis & mixtus,in Corpus Christi converteretur.

Casus tertius, circa idem. Sacerdos quidam Ecclesiæ Latinæ, per terras Ecclesiæ Græcæ peregrinabatur;cumq: in illis degeret,vel per eas transiret, Missæ Sacrificium celebrabat, sed iuxta Ecclesiæ Latinæ ritum, in pane azimo. Quæritur: an recte ageret, vel an in Ecclesia illa,in fermentato celebrare posset? Respondetur: quód rectè ageret,in azimo celebrando, vt conformaretur cum Ecclesiæ suæ Latinæ ritu, etiam per Græcam transeundo. Hoc statuit Leo Nonus Epist. ad Mich. Pat. Const.in qua monet,vt quilibet iuxta ritum Ecclesiæ suæ, sinatur celebrare, licet versetur in alieno solo,vt cum Sacerdos Græcus,per loca Latinorum transit, & in eis aliquando degit, vel etiam cum Latinus peregrinatur inter Græcos. Et ratio est: quia consuetudines illæ, non tam sunt particularium locorum, quam generales vtriusque Ecclesiæ, & conveniens est, vt vnusquisque servet, Ecclesiæ suæ ritum, quia est illius pars.

His assentitur D. Thom. hic art. 4. in corpore vbi ait: Conveniens autem est, vt vnusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ, in Sacramenti celebratione ::: Undé sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum, celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus, in Ecclesia Græcorum,ce-

lebrans de pane azimo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Vndé patet, non fuisse iustum, aliquorum zelum, qui quemdam Archiepiscopum Græcum degentem in Gallia per multos annos, coegerunt, in azimo consecrare, quia ille ad Ecclesiam suam simplicitér pertinebat, & illa coactio, opposita fuit Decretis Leonis IX. & Pij V.

Quia tamen verba D. Thom. loquuntur de Sacerdotibus in suis proprijs Ecclesijs, restat adhuc pro casu nostro examinandum, quid liceat Græcis & Latinis, quando extra proprias Ecclesias commorantur? Ad quod dicitur: quód hoc triplicitér contingere potest, vel quando sunt in locis extraneis, in quibus datur Ecclesia proprij ritus, vel vbi talis Ecclesia non datur, & hoc dupliciter, vel transeundo vt hospites, vel ibi domicilium eligendo. In primo casu, quilibet tenetur servare propriæ Ecclesiæ ritum, quia iã censentur esse in eo loco, vbi adest Ecclesia & populus, qui scandalizaretur, si é contra fieret, & hic est sensus Bullæ Pij V. sic tenent Suarez, Tamburinus, Prado, & Salmantic. In secundó casu, quod Ecclesia non adsit, idem sentit Vazquez, Suarez, & Hurtado; circa quod lata materia se offerebat, de legibus peregrinorum, an scilicet teneantur ad leges locorum é quibus decedunt, vel eorum per quæ transeunt? Plures autem communiter docent, quod potest quilibet suæ patriæ servare ritum, vt videmus quotidié in praxi, in presbyteris Græcis, per Ecclesias nostras transeuntibus, qui ritu Græco celebrant; meliús autem fœceret Sacerdos, si Ecclesiæ illius per quam transit servaret ritum; quando enim Pontifices præcipiunt, vnumquemque servare ritum Ecclesiæ suæ, non loquuntur de absentibus, sed iuxta regulas iuris communis, si sunt præsentes; quando enim absentes sunt, liberum est illis, illum observare vel non. In tertió casu, etiam debet servari Ecclesiæ propriæ ritus, quia ad hoc, per accidens se habet multum tempus vel parum. Præterquam, quod rarissimus inveniretur Latinus Sacerdos, sciens linguam Græcam, vt eius ritu celebraret, & idem de Græco respectu Latinæ & sic etiam mutato domicilio, vnusquisque potest suum ritum retinere.

Resolvitur ex his: quód si adsit quis in articulo mortis, in aliquo Hispaniæ oppido paruo, vbi non datur alius Sacerdos, nisi quidam Græcus casu pertransiens, potest ab eo Eucharistiam pro viatico; in fermentato accipere. Ratio est: quia de Ecclesiæ pietate credendum non est, quod filio suo extremé indigenti, beneficium sacræ communionis, & fructus illius denegare velit, cum Græco Sacerdoti peregrino, in fermentato consecrare permittat. Si dicas: quód etiam in casu prædicto, non licet Sacerdoti Latino in fermentato celebrare, vt viaticum conferat: ergo nec erit licitum infirmo in fermentato communicare. Nego conseq. quia consecrando efficitur Sacramentum, quod in fermentato, non licet Sacerdoti Latino, communicando autem Sacramentum non fit, sed recipitur iam factum, & diversa est ratio vtriusque; eo ferè modo quo infirmo, licet Sacramentum summere vespere, & non licet Sacerdoti, vespere celebrare.

Casus quartus circa idem, de vino Eucharistico. Parrochus quidam, in pago quodam celebraturus sacrum, nullum habebat vinum, nec poterat invenire; erat autem ante portam domus pendula vitis, cum racemis, illisque maturis. Quæritur: an posset illos exprimere, & in liquore illo consecrare? Resp. quód licet aliqui hoc negent, probabilius autem est oppositum, & sic tenent M. Soto & Prado, quia mustum, est verè vinum vt eius dulcedo testatur, quare Arist. 3. Meteor. cap. 10. mustum vocat recens vinum, & iuxta Scripturæ phrasim, mustum vocatur vinum Act. 2. musto pleni sunt isti, & sic affertur á D. Thom. hic art. 5. ad 3. sed advertit ibi, quod hoc est indecens, & prohibitum, extra necessitatem extremam, propter impuritatem musti, & comixtionem grosarum partium, quæ vinum non sunt, & ex se est indecens aliquid apponere impurum & inconsecrabile. Hinc iudicium ferri potest, de quadam consuetudine Ecclesiæ Maioris Bracharensis, vbi die 6. Augusti, exprimuntur maturi botri, in Calice consecrando, in gratiarum actionem, pro fructibus & vbertate anni, quod exequi potest, ob egregiam causam antiquissimæ institutionis, forsam á sanctis derivatam, & á Summis Pontificibus scitam, & permissam, vt de Julio Primo refert D. Thom. sed in hoc casu, interponatur inter uvam & Calicem panniculus subtilis, vt purgentur fœces.

Pro huius explicatione plena, doctrinam subiungimus, de qualitate vini consecrabilis. Certum enim est, illud debere esse vinum de vite. Túm, quia hoc proprié vinum dicitur. Túm, quia congruit ad effectum spiritualis lætitiæ, nam vinum lætificat cor. Túm, quia Christus in Sacramenti institutione, tali vino fuit vsus, dum dixit: Non bibam amodo, de hoc genimine vitis. Debet autem vinum esse de vite, quæ proprié vitis sit, & eius rami palmites; sunt enim aliquæ, quæ lato modo vites vocantur, sicut vitis balsami, de qua dicitur in Canticis: in vineis Engaddi. Vndé notat D. Thom. quód in vino malogranatorum & mororum, non valet consecratio, quia liquores illi, non dicuntur vinum proprié, sed tantum similitudinarie. Parum autem refert, quod vinum sit album vel rubrum, sed aptius consecratur in albo, nam licet rubrum, colorem sanguinis retineat, album tamen, plus ad munditiem conducit.

De aceto dicendum est, quod non est consecrationis materia. Túm, quia non est vinum naturale, sed corruptum, sicut cadaver, homo non est, sed homo mortuus, & etiam panis corruptus, consecrari non potest. Túm, quia acetum oblatum

Chri

Christo, cum gustasset noluit bibere, quasi indignum esset, vt consecraretur in Sacrificio Christi. Nec succus expressus ex agresta, vel uva acerba, est materia consecrabilis, quia nondum habet speciem vini, sed est in via generationis ad illud. Sic D. Thom. art. 5. ad 2. & 3. & addit, quód potest confici Sacramentum in vino acescenti, sicut etiam de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens; ex quibus obiter notetur, quam irreverenter operatur, dum vinum acidum pro sacrificio apponitur, vt enim ait Innoc. III. lib. 4. cap. 31. Diligenti studio, vinum optimum, est quærendum, vt sacrificium offeratur; si enim Christus, se moriens in prætium dedit, pusculum prætij pro vino optimo ad Eucharistiam conficiendam, ex iustitia debet expendi.

Insuper, consecrari potest, in succo expresso ex uvis passis, sic enim refertur Ægiptios consecrare, quia talis liquor, vere vinum est, & quidem perfectissimum, cum sit ab humore aquæ purgatus. Nec obstat: quód cuvæ á quibus extrahitur ille succus, passæ sint; nam hoc non variat essentialiter liquorem in folliculis contentum; aliud esset, si ob eorum siccitatem, opus esset ad exprimendum humorem, copiam aquæ apponere, quia tunc deperderet rationem vini communis & vsualis; si autem uvæ non sint totaliter aridæ, succus earum, continet substantiam vini, & superinfusa aqua, quousque lentescant, & turgescant, vinum præstantissimum fit; in quo sensu verificatur dictum D. Thom. loc. cit. ad . vbi ait: quód potest verum vinum, ad terras illas deferri, in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc Sacramentum; si enim substantia propria non conservetur, poterit in uvis passis aliquatenus conservari.

Præter hæc alia sunt vina condita, de quibus sequens iudicium fieri debet. Si enim comixtio alterius materiæ sit talis, quod substantia vini deperdatur, non sunt consecrabilia, bené veró si modica sit mixtio, & maneat vini substantia, & ideo peccatum est, in huiusmodi vino consecrare propter periculum. De lora autem, Hispane *agua pie*, quæ fit ex acinis compressis aqua infusa, licet aliqui dicant posse consecrari, tutius est oppositum, quia nequit generaliter diffiniri, an sit verum vinum, & revera semper erit grave sacrilegium, propter dubium & irreverentiam. De sapa, vulgo *arrope*, & de aqua vitæ, seu *agua ardiente*, certum est consecrari non posse, quia per nimiam decoctionem, rationem vini vsualis deperdunt, & in alteram speciem pertranseunt. De vino *clarea*, quód fit ex vino albo, & de *hipocras*, quod fit ex rubro, aliqui sentiunt, non esse materiam consecrationis, sic Henriquez, Hurtado & Leander. Sed alij probabilius sentiunt oppositum, quia talia vina, vt in Hispania conficiuntur, parum decoquuntur, & condiuntur in modica quantitate; nec desunt esse vinum vsuale, quia revera non sint, sed ob prætij magnitudinem; sic Tanerus & Bernal, quibus assentitur M. Prado. Sed tamen propter dubium, sacrilegium erit in illis consecrare; sic habetur in Concil. Altisiodor. Can. 8. vbi dicitur: non licet in altaris sacrificio mellitum, quod mulsum appellatur, nec vllum aliud poculum, extra vinum aqua mixtum offerre.

Casus quintus, circa idem. Sacerdos quidam, in frigidissima regione vivens, residentiam habebat in Ecclesia, alijs frigidiore; portabat ergo filiecem calefactum, mundo panno involutum, & in Calice reponebat, vt calefieret vsque ad vini infusionem, quo facto huius congelationem impediebat, dum aliorum Calices, quotidie vsque ad duritiam congelabantur. Quæritur: an consuetudo illa, esset toleranda? Resp. quód illa quæ nulli legi, aut consuetudini repugnant, & alias quædam inconvenientia afferunt, & á superioribus tolerantur, licité fiunt; nam iuxta Glossam, omnia intelliguntur concessa, quæ non sunt expresé prohibita; & huiusmodi est casus propositus; Sacerdos enim ille, plures superiores habuit, qui hoc scientes, eius consuetudinem non prohibuerunt, imó aliqui probarunt, & cum alias nihil absurdi contineat, & incomoda sensibilia impediat congelationis vini non videtur quare consuetudo, vel potius dexteritas illa, sit aliqua ratione reprobanda.

Vt autem hoc plenius innotescat, sciendum est, vtrum vinum congelatum valeat consecrari? Ad quod dicimus, quod si vinum, non sit totalitér congelatum, sed solum in aliqua superficie, est materia certa huius Sacramenti, si autem est totalitér congelatum & induratum, est materia dubia. Primum patet, quia vinum illud, ex parva congelatione, non ammittit substantiam vini, nec formam potabilem, & eosdem effectus producit, ac si congelatum non esset. Secundum constat, saltim ab authoritate Doctorum, qui inter se dividuntur; nam pro parte affirmativa, quod est materia Sacramenti, stant Silvester, Soto, Angelus, Suarez, Vazquez, & alij; & pro negativa Ledesma, Alanus, Nuño, & alij. Vndé Sacerdos qui consecraret vinum totaliter congelatum peccaret, quia materia dubia est; si autem post consecrationem congeletur, debet liquefieri, & summi cum reverentia, tanquam Sanguis Christi, vt habetur cap. in Sacramento de consecrat.

Vndé, vinum congelatum, dum est congelatum, validé, sed illicité consecratur, sed congelatione soluta, & validé consecratur & licité, nisi in aliquo casu extraordinario, ex congelatione, omnino debilitata sit virtus vini. Hæc doctrina affertur á M. Soto, in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. in fine sic dicente: quid autem de vino congelato? Nam nonnumquam accidit vt congeletur. Respondetur, congelationem posse fieri adeo exiliter, vt maneret vinum, & tunc

posset

posset consecrari; sed vsque adeo posset indurescere, vt desineret esse vinum, & transiret in formam lapidis, cuius signum esset, quod si postea liquefieret, non haberet vini virtutem, esset ergo immane sacrilegium, gelu consecrare, nisi calore liquefactum, documentum præberet esse vinum; & idem experimentum summendum est, vbi species consecratas contigerit congelari, si enim postea liquefactæ, speciem præferrent vini in sapore, testimonium esset illic esse sanguinem, si autem talem calorem, & vigorem non servarent, non esset ibi sanguis, nihilominus propter periculum, cum veneratione essent summendæ.

Si dicas: quód vinum congelatum nequit potari, & sic ex natura sua, non est apta materia Sacramenti. Resp. quód tale vinum, per se & ab intrinseco, potari potest, & hoc sufficit ad validitatem Sacramenti, quod non consistit in vsu; exemplum est in pane, qui licet propter duritiem comedi non posset, esset tamen validé consecrabilis, quia est verus panis, & solum est impedimentum vsus, in quo non consistit Sacramentum Eucharistiæ Nec obstat contra hoc paritas de Baptismo, qui in gelu confici non potest. Resp. enim, quod Baptismus, est ipsa ablutio & vsus aquæ, quæ solido gelu, perfici non potest; Eucharistia veró, est in ipsa consecratione & speciebus consecratis, ante sumptionem, & sic licet hæc impediatur, est validum Sacramentum. Sic D. Thom. q. 73. art. 1. ad 3. & q. 74. art 2. ad 3. Præterquam, quod vt suprá diximus, facile gelu potest ex perfricatione in aquam resolvi, & in illa Baptismus validé fieri; & similiter vinum, feré nunquam tam solidé congelatur, quod non posit in minores partes reduci, & in ore liquefieri & potari, & illud esse vinum constat, nam si in magna quãtitate summeretur, posset inebriare.

Hinc passim occurrit dubitatio: an sit meliús parum vini in Calice fundere, an multum? Resp. quód laudabilius est, parum apponere. Túm, quia ex parvitate, meliús vitatur periculum effusionis, & impeditur ne sanguis fluat in patenam, vel barbam. Túm, quia sic, facilius purificatur debito modo Calix. Túm, quia ex hoc vitatur, ne excitetur dolosa & sensibilis voluptas, quæ naturaliter movetur ex suavitate specierum, quod præcipué est verum, si vinum sit forte atque generosum; si enim debile est, poterit aliquantulum plus infundi, vt occurratur dubijs, & scrupulis de nimia appositione aquæ, sed tamen quodcumque sit vinum, ea debet quantitas apponi, quæ iuxta prudens iudicium, sit sufficiens ad præsentiam sensibilem specierum, ratione cuius, aptæ reddantur ad consecrationem.

Casus sextus, circa eandem materiam vini. Infirmus quidam, extremé in vita periclitabatur, cuius fauces, ita erant strictæ & præ doloribus exicatæ, vt nihil nisi liquidum, nec adhuc micam panis aqua intinctam posset deglutire. Quæritur: an in huiusmodi extrema necessitate, posset illi Eucharistia per modum Viatici conferri sub speciebus vini? Certum est, quod ex Summi Pontificis dispensatione & privilegio, licet laicis sub vtraque specie communicare; sic refert Henriquez communicare Imperatorem, in die coronationis eius, & Suarez ait, hoc ipsum Paulum III. concessisse Bohemis, & Clement. VI. Henrico VIII. Angliæ Regi, & etiam Regi Christianissimo, qua potestate vtitur, in diebus coronationis & mortis; & similiter in hoc aliquando cum Ministris non celebrantibus dispensatur, vt refertur fieri, dum Papa solemniter celebrat, sumpto enim Christi Corpore sedet, & Diaconus Cardinalis, defert ei Calicem bibendum, quæm postea, cæteris Cardinalibus etiam Diaconis ministrat.

Resp. ergo ad casum propositum, quod aliqui affirmativé respondent, quia ius divinum, communicandi in articulo mortis, præferendum est Ecclesiastico, prohibente communionem sub specie vini; sic sentiunt Leander, Henriquez, & Ochagavia. Sed oppositum est verum & tenendum, & sic in eo casu, non debebat communio infirmo conferri sub specie vini; sic tenet Prado, Diana, Fagundez, Garcia; & Suarez ait: casum esse moraliter impossibilem vel rarissimum, quia qui potest traijcere species vini, poterit etiam deglutire, vnam minimam Hostiæ consecratæ particulam, aquæ aut vino non consecrato immixtam, quod insinuari videtur á D. Thom. q. 80. art. 9. in fine corp. dum ait: & in fundatur ori eius Eucharistia; & adhuc adhibito, quod casus ille contingere possit, propter illum solum in particulari, non debet inverti vniversalis Ecclesiæ ritus; vndé Minister excusatur ab obligatione conferendi, & ægrotus ab obligatione recipiendi Viaticum, ne detur occasio Ministris indiscretis, hoc ampliandi ad similes casus. Nec tunc ius humanum præfertur divino, sed occasione iuris humani & circumstantiarum occurrentium, fit vt ius divinum affirmativum non obliget, quod in his præceptis, frequens est. Si dicas: quód moribundo, qui nulla præstitit doloris signa, potest absolutio conferri, vt plures docent probabiliter, cum la Cruz, Coninch, Vazquez, & alijs, vt ei subveniatur in extremo periculo, & sic idem de communio ne sub speciebus vini dicendum est. Resp. quód Sacramentum Pœnitentiæ, est magis necessarium ad salutem, quam Eucharistia, & si moribundo absolutio non conferretur, periculo damnationis exponebatur, quod non contingeret, si in specie vini non communicaret, quia per Sacramentum Pœnitentiæ, salutem consequi posset.

Sed inquirit Lugo: an Sacerdoti celebranti, liceat dare laico communicanti Calicis ablutionem cum morali certitudine conferendi aliquas particulas consecratas specierum vini? Rectèque negativé

respondet, quia hoc opponitur Ecclesiæ consuetudini, quæ nunc viget; imó decet quod vbique servetur Decretum Concil. Mediol. statuens, ne purificatio vnquam detur in vase sacro, neque formam Calicis habente. Sed sunt casus in quibus licitum est laicis sanguinem sumere. Primus, si hæretici Templum ingrediantur, & Sacerdos post consecrationem fugiat, laudabiliter operabitur laicus, si sanguinem sumat, ne ab illis impié tractetur. Secundus si Sacerdos, post consecrationem moriatur, nec detur qui Sacrificium perficiat, vel sanguinem in alio Sacrificio sumat, tunc potest sumi á laico; & extra hos casus, non est licitum in sanguine communicare; & etiam Sacerdotes, more laicorum privatim communicantes, mortaliter peccarent, sub vtraque specie sumendo, quia etiam ad illos extenditur Ecclesiæ prohibitio. Nec sub prætextu, quod hæretici ad Ecclesiam Catholicam pertranseant, debet Calix porrigi, quia hoc est merum pallium hæreticæ pertinaciæ, nam etiam posset dici, quod ablata confessione Sacramentali, converterentur plurimi, quod tamen absurdum est, nec Christus & eius Vicarius, propter hominum superbiam debent suas leges immutare. Ad nostræ doctrinæ comprobationem, stupendum hunc casum Alex. Alensis refert. Sacerdos quidam vir Religiosus, & pius, sacrum celebrabat, instantibus plurimis, vt illis Eucharistiam sub vtraque specie conferret, sed cum fractionem hostiæ ad sumendum faceret, patenæ concavum vissum est sanguine repletum, quo portento, ipse & omnes circumstantes exterriti obstupuerunt; cum autem partes hostiæ coniungeret, vissus est totus sanguinis reintrari, & sic petitioni seu potius tentationi tot instantium satisfactum fuit.

Casus septimus, circa idem; Sacerdos quidam in parvo oppidulo cum alijs Sacerdotibus recreationis causa, per aliquot dies morabatur accesit in vno eorum ad celebrandum vltimus, postquam iam ceteri omnes celebraverant, quod cum hac de causa, non hostiam magnam, sed parvam inveniisset, nempe formula ex illis, quibus solent laici communicare, ne Sacro privaretur, eam adhibuit & Sacrificium confecit. Quæritur, an rectè fuerit operatus? Resp. quod si desit grandior hostia, potest pro Sacrificio ex mera devotione faciendo, assumi vna ex particulis, quæ laicis solent conferri; sic sentit Tambur. eo quod nulla datur lex, aut consuetudo prohibens hoc.

Hoc ipsum conflat ex D. T. hic art. 2. qui ait: quamlibet panis, vel vini quantitatem, magnam, vel parvam, consecrari posse, & hoc nos asserimus supra; quia Sacramentum Eucharistiæ, licet sit cibus, non tamen est vt cibus materialis instituta, vt corpus reficiat magnitudine quantitativa, sed vt nutriat animam, per Corpus Christi latens in ipsa. Unde habetur, recte gessisse Sacerdotem illum, in formula parva consecrando; sed tamen in eo casu, videtur populum esse præmonendum (si forte præsens adsit, & sit dies festus, ratione cuius Sacrum debet audire) quod hostia grandior non est, sed quod hoc nihil interest, ad Sacrificij valorem & ritam consecrationem.

Ex oppositio se gessit Parrochus alter, qui cum supplicationes publicas faceret, ad imaginem miraculis insignem, in Ecclesia Parrochi alterius existentem, pro conservandis terræ fructibus, solum parvas hostias ibi reperijt; sed tamen, quia non erat magna necessitas celebrandi in eo loco, licet multi exoptarent Sacro interesse, ne tamen notaretur Parrochi incuria, qui frequenter pro Sacrificio, parvis hostijs vtebatur, distulit Sacrum ad alium locum, quem etiam decreverat cum grege suo visitare. Recte quidem egit, tum, ne approbare videretur illaudabilem morem Parrochi illius. Tum, ne oves proprias forte scandalizaret, quæ non erant assuetæ illi novitati; licet re vera, si esset in eis ardens desiderium ibi Sacrum audiendi, vt illis satisfaceret, possent moneri de carentia maioris hostiæ, vt antea diximus, & in parva celebrare, ad vitandas murmurationes.

Pro huius casus complemento, adnotamus breviter, aliquid circa figuram Hostiæ consecrandæ; illa enim debet esse rotunda, iuxta antiquum Ecclesiæ morem; quare Eucharistia vocatur corona, & etiam rotula, vt ait D. Greg. lib. 4. Dialogor. cap. 55. ob rotunditatem specierum panis; vnde qui consecraret Hostiam alterius figuræ, extra casum necessitatis gravis, reus esset culpæ, & cogitandum an illa esset mortalis, quia non servaret Ecclesiæ consuetudinem, in re tam sacra; sed hoc non intelligitur de formulis pro communionem laicorum, quia frequenter solent frangi, & prorrigi non rotundæ. Hoc ipsum notat Gavantus, part. 2. tit. 7. num. 2. lit. x. dicens, quod Hostia debet esse mundissima ex Decreto Aniceti, & in modica quantitate ex Decreto Alex. dicentis, quod quanto paucior, tanto potior.

Deinde, Hostia consecranda debet esse in modum denarij, cum imagine Christi, seu literarum nominis eius, vt ait Radulph. prop. 23. quia Christus est traditus & venditus triginta denarijs, & est verus denarius, laborantibus in vinea Domini, per quæm reparatur in nobis imago Dei. Debet etiã Hostia esse integra, ob Christi integritatem, vt ait Concil. Goyacens. dicitur quasi orbis, ad significandum Christum, qui est Alpha, & Omega, & Dominus orbis. Addit Durand. in ration. cap. 30. in rotunditate Hostiæ, patenæ & Calicis, intellige sacrificij nostri perpetuitatem, vsque ad finem mundi. Figuram habet Hostia, in altera tantum parte, quia Christus, Deus & homo est, sed vt Deus figura caret.

Advertit tandem Cayet. ad illa verba 1. ad Cor. 10.

10. panis quæm frangimus, &c. quod in primitiva Ecclesia, panis consecratus solebat frangi ad fidelium vsum, quod modo retinent Ecclesia Græca & Æthiopica; sed melius in Ecclesia Romana, á multo tempore, non vtitur panis fractio, sed singulæ Hostiæ minores consecrantur, ad vitandum periculum micarum decidentium. Opportet autem laicos, & alios Ministros præter Sacerdotem, minori Hostia contentos esse, circa quod præ oculis est habendus, eventus Osualdi Mulserij, qui cum maiorem Hostiam exposceret, divinitus ei inflicta fuit, gravis suæ temeritatis pœna, vt testatur, Tilmanus Bredebachius, ex tabula ænea, in Templo pagi Sened, propé Oenipotum pendente. Præterquam, quod hoc damnatum est ab Innoc. X. in Decret. sup. relat. art. 2. casu 6.

Casus octavus, de præsentia materiæ. Sacerdotes quidam, quos optimé novimus, curam animarum habentes, postquam per annos multos, suis Ecclesijs inservierant, amisserunt visum, & etiam apertis oculis, nihil videbant, ferventer autem celebrare desiderabant. Quæritur: an cum ipsis posset ad celebrandum dispensari? Quód est idem ac inquirere: an præsentia sensibilis materiæ consecrandæ, necessaria sit ad sensum visus? Certum est, tales Sacerdotes validé consecrare panem, quæm manibus tenerent, nam per tactum, habebant evidentiam de præsentia Hostiæ. Sed quia M. Soto, testatur se novisse Tridenti, Antistitem cœcum, cum Pontificis dispensatione, facientem sacrum quotidié; ideo respondet ipse, quod præsentia materiæ, debet percipi aliquo sensu, nempé visu, tactu, aut olfactu, quare cœco permittere consecrare, periculosum esset; nec id licet sine dispensatione.

Cum autem dicimus, materiam debere esse in prospectu, vt dicatur præsens & accomodata consecrationi, per prospectum intelligimus, vel oculorum notitiam, aut etiam tactus, vel auditus; cœcus enim, qui contingeret panem vel Calicem, rectè posset vti pronomine demonstrativo, & ita consecrare; sic notat Leander, & hæc est notitia communis. His addit Soto, quod licet cœcus, nullo sensu materiam deprehenderet, sed sola relatione Ministri certior factus, illam consecraret, consecratio teneret, licet hoc non careret culpa, & idem tenent Henriquez, & Ioann. á Cruce; & quamvis hoc non admitat Vazquez dicens, quod si materia non percipitur aliquo sensu, nequit designari pronomine demonstrativo; sed tamen sententia M. Soto, est valdé probabilis, imó probabilior, & illam tuentur Coninch, Tanerus, Amicus, & Lugo, & latius Bernal, & Diana.

Sed an sufficiat, quod materia cuicumque sensui præsens sit, vt consecrari valeat? Affirmant aliqui, ducti ex eo quod sufficit præsentia moralis in materia consecrabili, vt etiam si á tergo sit, ex odore, tacta, aut visu licet sit maximé distans, vel alia via certo moraliter cognoscatur, vt si fidedignus dicat Sacerdoti cœco, materiam esse præsentem; sic tenet Ioann. á Cruce, & Bernal. Sed contrarium probabilius sentit Suarez, Durandus, & Prado, qui ait: omnes impugnare prædictum sentiendi modum, & fundatur, tùm in eo quod res valdé distans, proprius designatur pronomine *illud*, quam *hoc*. Tùm, quia illa præsentia materiæ, magis est speculativa, & quo ad cognitionem, quam practica, quo ad operationem, nam in distantia, significatio est valdé indifferens, & debet per præsentiam determinari.

Quænam autem erit regula, ad cognoscendum, rem ita esse propinquam, vt iudicetur moraliter præsens? Respondet M. Soto, quod in distantia decem passuum, ex qua potest videri Hostia, esset consecratio certa; in distantia verò centum passuum, consecratio non teneret; at in distantia media, in qua vix posset videri, res erit dubia. Sed Lugo ait: quód nulla certior regula potest inveniri, nisi illa quæ desumitur ex modo communi loquendi hominum; vndé illa præsentia requiritur, quæ in modo stricto loquendi sufficit, ad demonstrandum aliquid præsens per ly *hoc*, independenter á discursu, nutibus vel circumstantijs. Vndé constat, ad id quod objicit la Cruz, nam materia illa, á tergo, vel in distantia magna existens, non est verè præsens moraliter, sed solum apparenter, sicut si quis ex duabus leucis, per tubum opticum panem videret, illum consecrare non posset, quia illa distantia obesset vt materia esset apta sacrificio, nec esset præsens in rei veritate, sed solum quo ad apparientiam.

Deducitur ex his: quód ad veram præsentiam moralem materiæ consecrabilis, non sufficit quod aliquia eius pars sit præsens, vt possit tota consecrari; sic sentit Suarez, Cornejo, Soto, & Valentia; ratio est: quia proprié & in rigore, non est mihi præsens totus aer, qui est vsque ad Cœlum, nec tota aqua maris, et si videam aliquam partem illorum, nam & si corpus illud sit continuum, sed hoc nihil refert, in ordine ad humanam præsentiam. Vndé opportet, vt materia secundum omnes partes consecrabilis, sit aliquomodo præsens practicé & moraliter. Si dicas cum Uazquez: quod si in vase profundo ponatur vinum, totum illud consecrabile est, & non omnes partes á consecrante videntur. Resp. quód tota illa quantitas vini, est indistans á consecrante, & intra spheram activitatis eius, licet per accidens, aliquæ partes non videantur, quod non reperitur in partibus excessivæ magnitudinis, quæ solum materialiter vniuntur cum alijs, non verò formaliter & in ordine ad præsentiam sensibilem.

Ex quo habetur: quód Hostiæ in Sacrario inclusæ, nequeunt validé consecrari, quia nec sunt præsentes in se, nec in aliquo sui continente; Sacrarium enim, non solet continere materiam consecrabilem,

bilem, sed iam consecratam. Nec est idem de Hostia posita sub corporali, vel de pluribus Hostijs in capsula contentis; nam iuxta communem modum loquendi, sufficienter demonstratur contentum, per proximum continens; Sacrarium verò, non est proximum continens ad demonstrandum, sed ad occultandum, nam vt est in vsu Ecclesiæ, non deservit ad exercitium sacrificij, sed potius vt sacrificio peracto, claudat & conservet Hostias præconsecratas: & sic Hostiæ in Sacrario inclusæ, non solum illicitè, sed invalidè consecrarentur.

ARTICULUS U.

De conversione Eucharistica.

Prima difficultas: Quinam sit terminus formalis conversionis Eucharisticæ? Notandum est: quòd conversio, est tranlitus vnius rei in aliam, ad quod terminus á quo debet aliquo modo desinere esse, & terminus ad quæm incipere, quæ alia est totalis, quando vna extremum totaliter transit in aliud, quin maneat aliquid vtrique commune, quæ solum potest fieri virtute Dei, alia est formalis, in qua aliquid commune manet. Dico igitur: quòd terminus formalis transubstantionis, vel conversionis Eucharistiæ, est Corpus Christi, non vt absolute productus, sed tali modo, nempé ex substantia panis, in ipsum conversa.

Hoc est commune Thomistarum dictum; sed aliqui sic explicant in manuscriptis; quod Corpus Christi terminat in recto conversionem, non ita vt producatur quo ad entitatem, sed vt connotat modum indivisibilem Sacramentalem; eo feré modo, quo actus liber Dei, deficit secundū quod dicit in recto non quo ad entitatem & actualitatem, sed solum quo ad terminationem. Sed hoc non tenet verum, quia coincidit cum sententia Scoti dicentis, Corpus Christi non produci, sed adduci, quod postea impugnabitur; & vlterius: quia hoc modo conversio Eucharistiæ, non esset conversio entitativa sed modalis, seu transmodatio quod falsum est.

Aliter igitur suadetur: nam productio, est communis creationi, generationi eductioni, & conversioni, sed tres primæ, sunt productivæ termini formalis: ergo etiam conversio. Vrgetur: conversio formalis, est productiva formæ: ergo conversio totalis, est productiva totius substantiæ. Cons. pat. á paritate. Dices: hoc non convincere, nam generatio hominis, est vera actio, & non producit terminum formalem, quia anima per creationem fit. Contra: de ratione actionis est producere terminū, si producibilis est; sed anima rationalis, non est producibilis per generationem, bené verò Christus per conversionem vt dicemus: ergo, &c.

Si dicas: hinc sequi, Christū esse producibilem, non autem actu productum per conversionem, actio enim non consistit in vi productiva, sed in actuali productione. Contra est: quia actio est actualis productio termini, quando illum non invenit productum, secus si iam productus est; qua propter secunda demonstratio scientiæ, actu non producit habitum, quia est productus per primam; & similiter pœnitentia, actu non remittit peccatū, si invenit illud remissum per contritionem; sed Corpus Christi, supponitur absolutè productum ante conversionem: ergo per illam absolutè non producitur de facto.

Ex his constat: quòd Christus non producitur absolutè per conversionem, sed tali modo nempé pro vt ex pane factus. Tùm, quia non transit de non esse ad esse absolutè per conversionem, cum ante illam iam existat absolutè. Tùm, quia Christus absolutè, á pluribus Sacerdotibus consecratur, implicat autem quod idem effectus numero, á duplici causa totali, nec simul, nec divisivé proveniat; & ideo asseruit D. T. 1. p. q. 25. art. 4. ad 2. quòd aliqua olim, habuerunt rationem possibilium, dum erant fienda, quæ iam desinunt á ratione possibilium dum sunt facta, & sic dicitur, Deus ea non posse, quia ea non possunt fieri.

Dices: hanc rationem initari, nam Christus fuit productus á B. Virgine, & tamen nos asserimus produci ex vi conversionis á Sacerdote. Sed contra est: nam á Sacerdote fit diverso modo, ac á B. V. sed hoc non repugnat: ergo, &c. mai. pat. nam solum fit, pro vt ex pane. Prob. min. nam homo fit ab alio homine & á Deo; sed hoc ideo est, quia producitur sub diversa ratione formali, nempé sub ratione corporis & viventis: ergo, &c. Nec interas: quòd sic idem effectus, poterit oriri á duplici causa. Dicitur enim, quod hoc potest esse sub diverso modo, sicut ab eadem quantitate Christi, duplex potest oriri præsentia, vna circumscriptiva & alia diffinitiva, non verò ambæ circumscriptivæ.

Prob. etiam, ab exclusione aliarum sententiarum; nam conversio Eucharistiæ, non est actio adductiva, vt vult Scotus; nec est vnio Christi cum speciebus, nec eius conservatio; non primum. Tùm, quia illa adductio, terminatur ad præsentiam Sacramentalem, quæ iuxta ipsum, est accidentalis, & sic illa non esset transubstantiatio. Tùm, quia ille terminus ad quæm, cum sit indivisibilis, non expelleret terminum, á quo nempé quantitatem, sicut nec præsentia Angeli, expellit spatium in quo est. De vnione prob. Tùm, quia illa est accidentalis, & non potest esse terminus mutationis substantialis. Tùm, quia illa, supponit extrema, & sic illa vnio, supponit Corpus Christi: ergo, &c.

Demum prob. de conservatione; nam illa nequit esse conservatio antiqua Corporis Christi in Cœlo, nec alia nova. Non prima; quia illa est actio naturalis, nec Christum facit, cum substantia panis incompossibilem; conversio autem actio

supernaturalis est; non secunda, quia conservatio, est continuata productio, & sic prius debet esse productiva Christi sub speciebus; & vlteriús, quia conservatio supponit suum terminum, & sic actio conservativa Christi sub speciebus, supponit illum sub ipsis: ergo solum restat, quod conversio Eucharistica respiciat pro termino formali Christum, non vt factum absolutè, sed tali modo, nempé ex pane in illum conversó.

Sed obstat contra resolutionem, instantia difficilis: conversio Eucharistiæ, est vera & realis mutatio; sed Corpus Christi, realiter per illam non mutatur; nihil enim accipit intrinsecé de novo ex vi conversionis, quod tamen ad mutationem requiritur: ergo, &c. Hoc arg. sibi objcit D. T. 3 p. q. 75. art. 4. arg. 1. Pro cuius solutione D. Godoy lato & subtili calamo discurrit, tom. 1. in 3. p. disp. 9. §. 4. vbi varios dicendi modos recenset & impugnat, quorum substantiam, pro vt ad præsens pertinet attingemus. Primó dicunt aliqui, quod conversio, non est actio exercité mutans, sed imutativa, & sic terminus eius, non debet esse mutatus, sed mutabilis, quod Corpori Christi non repugnat.

Sed hoc falsum est 1. nã de ratione termini actu terminantis, non est actu mutari: ergo nec de ratione termini potentis terminare, est esse mutabilem. Secundó: quia de ratione entis creabilis, est posse fieri ex nihilo, de ratione actu creati, est actu ex nihilo fieri: ergo si de ratione termini actualis conversionis, non est actu mutari, nec de ratione potentis terminare, est posse mutari. Alij dicunt: quód ad mutationem Corporis Christi, sufficit nova eius terminatio. Sed hoc etiam est falsum, quia hoc modo, Verbum mutaretur per Incarnationem, & etiam Deus per creationem, quia illis nova terminatio advenit, quod tamen absurdum est.

His ergo, & alijs omissis, loco citato videndis. Resp. quód conversio formalis, petit sui termini mutationem, non autem conversio totalis, qualis in Eucharistia fit. Et si vtriusque disparitatem quæras, hæc est: quia in conversione formali, efficitur vnum ex multis, & sic eorum mutationem petit; in conversione autem totali, vnum ex multis non fit, sed vnum ex alio, & sic vtriusque immutatio non requiritur; sic habet D. Thom. loc. cit. dicens: obiecto procedit, de mutatione formali, quia formæ proprium est, in materia, vel subiecto esse, non autem de conversione totius substantiæ, vndé cum hæc conversio, importet ordinem substantiarum, quarum vna convertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtraque substantia, sicut ordo & numerus.

Sed instabis vrgente: Christum mutari vt terminum conversionis est, quia licet de novo, non fiat quo ad substantiam, bené veró quo ad modum, quatenus fit ex pane; sed hoc non probat, alias Verbum per Incarnationem mutaretur, quia fit novo modo, quatenús humanitatem terminat: ergo, &c. Respondent aliqui: Verbum non mutari per Incarnationem, quia nihil recipit, Christus autem in Eucharistia, recipit actionem conversivam. Sed licet prima pars sit vera, non tamen secunda, quia actio conversiva est accidens, quod non sufficit, constituere terminum transubstantiationis.

Aliter igitur, Resp. melius, quod Verbum, licet novo modo terminet humanitatem, quam antea non terminabat, hoc tamen non fit, per actionem terminatam ad Verbum; sed ad humanitatem vnitam, vt ad terminum formalem, & ad compositum ex ipsa, & Verbo, vt ad terminum totalem, & sic Verbum non mutatur; in conversione autem Eucharistiæ, non est alius terminus formalis, nisi Corpus Christi, pro vt est id, in quo desinit substantia panis. & ideo pro vt sic mutatur per actionem conversivam, quatenús ab illa novo modo dependet, quod antea non habebat.

Secunda difficultas: De præsentia Christi in Sacramento; circa quam dicendum est primó: præsentia Christi in Eucharistia, est vera & realis, & distincta ab ipso & speciebus. Constat ex Trid. Sess. 13. can. 1. dicente, quod Christus veré realitér & substantialiter est in Sacramento; & ratio est, quia Christum esse præsentem in Eucharistia, est effectus realis, & similiter sumitur veré & realitér: ergo hæc debent provenire á causa reali. Nec obstat D. Thom. in 4. dist. 11. dicens: quód relatio, non est in corpore Christi, nisi secundum rationem. Resp. quód relatio realis, petit extrema realitér existentia, & cum panis desinat esse, relatio ad illum realis non est species autem manent, & etiam corpus Christi, & ideo potest illis esse realiter præsens.

Et quod præsentia, distinguatur ab extremis realiter. Prob. quia illa potest amittí, integra manente substantia Christi, & eius accidentibus in Cœlo: ergo est realiter distincta. Cons. pat. nam separatio realis, est signum realis distinctionis. Si dicas: hoc instari in vnione materiæ & formæ, quæ separatur ab eis, & realiter non differt. Resp. quód si teneamus illam esse distinctam, nihil probat argumentum; sed quia oppositum est commune, datur duplex disparitas. Prima, quia corpus Christi, in illa præsentia mirabili, non proportionatur cum speciebus, & ideo eget modo distincte; materia autem & forma, illo non egent, quia ex se immediatam habent proportionem. Secunda: quia præsentia separatur á Christo, quo ad entitatem, vnio veró á materia & forma, solum, quo ad connotatú separatur, de quo plura á Philosophis afferúntur.

Dicendum est secundó: præsentia Sacramentalis Christi non consistit in vnione cum speciebus, nec in modo substantiali, sed in relatione transcendentali, quæ similis est vbi prædicamentali, licet directé ad illud non pertineat. Prob. de vnione,

ne, quia hæc ſupponit extrema præſentia, & ſic nequit cauſare præſentiam eorum. Túm, quia vt ait D.Thom. loc. cit. ex ſentent. Deus poterat facere,quod anima Chriſti ſeparata á corpore exiſtente in Sepulchro, eſſet cum corpore in Sacramento, & tunc non daretur vnio eorum. Prob. de modo ſubſtantiali. Túm, quia hic pertinet ad complementum ſubſtantiæ, & ſic illam ſupponit præſentem in facto eſſe. Túm, quia in nulla re, pertinet complementum ad eius præſentiam; vndé aliud eſt,Chriſtum eſſe in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ, & hoc eſt verum, aliud autem eſſe per modum ſubſtantialem, quod eſt falſum, ſicut in ſimili de Angelo dicitur, qui præſens eſt loco ad modum ſubſtantiæ, & non per ſubſtantialem modum. Nec obſtat: quód in Chriſto datur nova denominatio, & ſic etiam debet dari novus modus. Reſp. enim, illam eſſe denominationem ſecundariam & extrinſecam, quæ ſolum per novam actionem efficientis reſultat.

Vltima pars prob.nam aliæ præſentiæ, non ſunt relationes prædicamentales: ergo nec iſta; & quod ſit tranſcendentalis. Prob. ex D. Thom. q.97 art. 6. vbi ait: ceſſantibus ſpeciebus, deſinit Corpus Chriſti eſſe ſub eis, quia tollitur habitudo Corporis Chriſti ad illas;& ratio eſt: quia illud per tranſubſtantiationem acquiritur, quod per deſitionem ſpecierum deperditur, ſed deſinentibus ſpeciebus, perditur illa habitudo: ergo illa acquiritur in præſentia per converſionem; denique quod non ſit vbi,ſed quid illi ſimile,habetur expreſsé apud D.T. in 4. diſt.10. & patet,nam vbi proprié, ſolum convenit corpori exiſtenti in loco; ſed Chriſtus non eſt in Sacramento vt in loco: ergo non habet proprium vbi, ſed indirectè, quatenús vnitur ſpeciebus, quæ habent vbicationem.

Sed inquires: an præſentia Sacramentalis Chriſti, dependeat ab eius præſentia naturali? Eſt idem ac inquirere:an Chriſtus poſsit eſſe præſens Sacramento, antequam ſit præſens realiter in ſe. Reſp. negativé. Ratio eſt: quia Chriſtus incipit eſſe in Sacramento per actionem converſivam; ſed ad hoc requiritur, quod priús habeat eſſe naturale in ſe; nam ſicut gratia ſupponit naturam, converſio ſupponit eſſe ſui termini, nam in id quod non eſt, nequit aliquid converti: ergo, &c. Et vrgetur: ſi Chriſtus deſineret eſſe in Cœlo, etiam deſineret eſſe in Hoſtia: ergo hæc ſecunda præſentia pendet á prima. Prob. anteced. nam tunc actio,terminaretur ad purum nihil:ergo nequiret eſſe converſiva.

Hinc infertur: quód nec de potentia abſoluta Chriſtus in ſe non exiſtens, poteſt exiſtere Sacramentalitér in Euchariſtia: nam modus Sacramentalis,ſupponit exiſtentiam rei extra Sacramentum; ſicut quilibet modus in entitate fundatus, illam ſupponit:ergo modus Sacramentalis,ſupponit Chriſti entitatem realiter exiſtentem. Nec dicas: modum Sacramentalem, non ſupponere eſſe reale in propria ſpecie,ſed provt in Sacramento. Nam contra eſt. Túm, quia ſic idem ſupponeret ſe ipſum. Túm, quia humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam alienam Verbi, & tamen priús debet eſſe in ſe realiter exiſtens: ergo idem dicendum de humanitate, pro vt in Sacramento.

Sed arguitur: modus Sacramentalis, non pendet eſſentialiter á naturali:ergo poteſt eſſe ſine illo. Prob. antec. nam corpus Chriſti eſt indifferens ad vtrumque modum, nam in Cœlo eſt naturaliter, & in Hoſtia Sacramentaliter:ergo poteſt per quamlibet determinari. Reſp. neg. antec. ad prob. diſt. ant. eſt indifferens abſolutè conc. ex ſuppoſitione, quod debeat incipere eſſe, neg. hoc enim modo, nequit priús exiſtere in alio, quam exiſtat in ſe. Si dicas: quód humanitas Chriſti, priús extitit per exiſtentiam Verbi, quam per propriam: ergo non repugnat aliquid prius exiſtere in alio, quam in ſe.

Reſp. quód aliud eſt,humanitatem fuiſſe á Verbo aſſumptam, ſine propria exiſtentia, aliud veró antequam haberet eſſe reale, primum eſt verum & ſecundum falſum, propter eandem rationem concluſionis. Vel dicatur: quód cum ſubſiſtentia, & exiſtentia Uerbi, ſint infinitæ, poſſunt propriam exiſtentiam anticipare, cuius perfectionem continent, ſicut eadem ratione, æternitas Dei continet futura,antequam exiſtant in ſe;modus autem eſſendi Sacramentaliter, nec infinitus eſt, nec continet eminenter, modum eſſendi naturalem Chriſti, & ideo ille, nequit iſtum præcedere, vndé diverſa eſt ratio vtriuſque.

Tertia difficultas: Quænam ſint in Euchariſtia & quomodo? Notandus eſt duplex modus celebris,eſſendi in Euchariſtia,nempé ex vi Sacramenti,ſeu ex vi verborum, & per realem vnionem, ſeu concomitantiam, primus eſt, taliter eſſe vt ſit terminus formalis converſionis, & verificationis verborum, ſecundus veró, eſſe per vnionem cum alio; exemplum elegans adducit D. Vincentius Ferrerius; vocat Rex Ducem,qui ſimul eſt Comes,ex vi verborum ſolum vocatur Dux,ſed per concomitantiam,& vnionem,etiam Comes vocatur;hæc diſtinctio affertur á D.Thom. 3.p. q.76. art.1.& á Trid. Seſſ.13. cap.3.

Sed contra illam Durandus opponit 1. quia ex duobus coniunctis, poteſt vnum dicere habitudinẽ præſentiæ ad alterum,& aliud non,vt corpus Chriſti,eſt coniunctum cum præſentia in Cœlo, & hæc non eſt in Sacramento, etiam concomitanter. Secundó divinitas eſt vbique,& tamen humanitas illi coniuncta, non eſt vbique, etiam per concomitantiam. Reſp.ad vtramque, quod illa maxima D.T. quando duo ſunt vnita, vbi eſt vnum, eſt realiter aliud,debet intelligi de prædicatis intrinſecis, & de

habentibus,eundem modum essendi; defectu primi, præsentia naturalis Christi in Cœlo, non derivatur ad Eucharistiam, quia illa,prædicatum intrinsecum non est ; defectu secundi, divinitas non comunicat humanitati, modum essendi vbique,quia illa,habet altiorem modum essendi ac humanitas.

Dicendum ergo est primó : quód ex vi verborum,corpus Christi, est sub speciebus panis,& sanguis sub speciebus vini. Hæc resolutio est de fide & habetur in Trident. Sess.13. cap. 3. Et ratio est: nam illud est in Eucharistia ex vi verborum, quod est eorum terminus formalis; sed sic se habet corpus Christi ad verba consecrationis panis, quibus dicitur : hoc est corpus meum, & sanguis ad verba consecrationis vini; hic est sanguis meus: ergo,&c. corpus autem quod ponitur ex vi verborum, non est species quantitatis, quia sic non esset terminus conversionis substantialis,sed est pars compositi naturalis,ab anima distincta.

Dices:corpus positũ ex vi verborum,non est vivum, quia anima non est, vt dat gradum vitæ, vt suprá vidimus, nec est mortuum vt sic,nec abstrahens á vivo & mortuo, quia hoc solum æquivocé dicitur corpus, vt ait Arist. & D.Thom. ergo nullum corpus est. Resp. tale corpus,esse abstrahens á vivo & mortuo ; vndé si in triduo mortis consecraretur,maneret idem corpus ac modo, licet separatum ab anima & sanguine, quod licet non sit idem totaliter, ex parte materiæ & formæ, benè verò simpliciter;ab vnitate suppositi, quod sufficit vt terminus conversionis, sit vnivocus. Sic D.T. 3.p. q.50. art.5. & q.81. art.4. Si dicas : quæ differunt specie, etiam numero differunt, vt ait Arist. sed corpus vivum & mortuum differunt specie: ergo etiam numero. Resp. mai. esse veram, quando suppositum, vnicam naturam sustentat, non autem quando subsistit in duabus naturis.

Sed obstat contra hoc:quia sunt aliæ partes corporis Christi, puta ossa nervi & similes ; sed solum ponitur caro, iuxta dictum Christi : ergo non ponitur totum corpus, ex vi verborum. Resp. quód licet caro quo ad sonum vocis,solum exprimat carnem, sed re vera quo ad sensum,summitur pro corpore integro & perfecto, in quo etiam ossa,& nervi continentur, licet solum fiat mentio de carne, quia in vsu hominum, est plus accomodata manducationi, quam ossa, & nerui; sic D. Thom. loc. cit. ad 1. & idem habet, 3.p. q.5. art.3. ad 1. vbi ait: quód cum dicitur, Uerbum caro factum, caro sumitur pro toto homine, iuxta dictum Evangelij videbit omnis caro salutare Dei.

Dices primó:hoc modo etiam sanguis poneretur, ex vi verborum sub speciebus panis, quia ille est pars corporis integri,sicut ossa & nervi. Secundó, nam etiam poneretur quantitas, quia ponitur corpus perfectè organizatum, quod á quantitate fit. Resp. ad 1. quod corpus,& potest sumpti pro pro omni illo, quod non est anima, & sic includit sanguinem, vel pro partibus solidis aptis manducationi, & sic sanguinem non dicit, & hoc secundo modo summitur in Eucharistia; vndé si consecraretur tempore Passionis, corpus maneret sine sanguine;sic D.T.loc. cit. art.2. Ad 2. Resp. dist. corpus ponitur organizatum,fundamẽtalitér & radicaliter,conc. formaliter & accidentaliter, neg. & hæc secunda orgizatio est, quæ provenit á quantitate.

Sed an totus Christi sanguis, sit sub speciebus vini? Negant aliqui, quia in verbis,solum fit mentio de sanguine effusso ; sed oppositum est verius. Tùm, quia non est verisimile, Christum aliquam partem sanguinis, sua intentione designasse, quia verba totum sanguinem exprimunt. Tùm,quia valdè conforme est amori Christi, illum totum sanguinem fudisse pro nobis. Nec verbum illud, effundetur, est limitativum, sed designat virtutem sanguinis, & finem consecrationis ; sed si aliqua portio sanguinis effusi, non esset modo in corpore Christi glorioso,non poneretur in Sacramento,quia licet eadem sit vis verborum, non tamen est eadem dispositio corporis passibilis, & impassibilis.

Dicendum est secundo ; anima rationalis, vt dat gradum vitæ,divinitas, & persona Verbi, non sunt in Eucharistia ex vi verborum,sed solum per concomitantiam. Constat ex Trid.in quo afferuntur, quæ existiũt in Eucharistia,ex vi verborum,& de his non fit memoria; & idem habet D. Thom. 3.p. q. 76. art.1. ad 1.vbi ait: conversio panis & vini,non terminatur ad divinitatem vel animam Christi, & sic non sunt in hoc Sacramento ex vi Sacramenti; sed ex reali concomitantia ; ex his patet ratio generalis omnium: nam id est formaliter ex vi verborum in quod conversio directé terminatur,sed non terminatur ad nullum ex prædictis: ergo, &c.

Prob. min. de anima : nam illa vt præstat gradum vitæ, non est necessaria,vt verificentur verba; vndé si in triduo mortis fieret consecratio, maneret idem numero corpus Christi, vt vidimus. Nec obstat: quód ponitur corpus vivum, vt constat ex verbis Christi dicentis, quod pro vobis tradetur, & illud constituitur ab anima,secundum gradum vitæ. Resp. enim, quod vt vidimus, corpus non ponitur vivum, sed abstrahens á vivo, & mortuo, & secundum eum modum quem habet á parte rei, ita vt si sit vivum, sic etiam ponitur anima, & si non, forma cadaveris ; nec verba Christi designant corpus vivum formaliter,& vt terminum conversionis, sed materialiter & identicé,vt erat prætium redemptionis futurum.

Prob. de divinitate & persona filij,ratione speciali; nam conversio formaliter terminatur, ad id quod assimilatur termino á quo,vel quod exprimit verborum significationem, vel Sacramenti vsum, sed nullo ex his modis,terminatur conversio directé ad Deitatem, vel personam filij ; non primó, quia

quia panis, non assimilatur illis; non secundo; quia de illis nulla fit directa, & expressa mentio in verbis formæ; non tertio, quia nec Deitas, nec Verbum sunt cibus, nec potus, sed solum caro, & sanguis Christi: ergo, &c. ex quo patet; hæc omnia esse per realem concomitantiam, quatenús vniuntur cum termino formali conversionis.

Sed opponet dictum D. Thom. 3.p. q. 78. art. 1. vbi ait: quód pronomen meum, includit personam Christi proferentis, & sic ex verborum significatione, exprimitur divinitas; & persona Verbi. Resp. quód exprimitur persona, vt principium locutionis & actionis, nō verò vt terminus directus conversionis, quod requirebatur, vt esset ex vi verborum. Si dicas 1. pronomen meum, exprimit Christum, vt individuum; sed sic exprimit deitatem & personam: ergo, &c. Secundó, ex vi verborum desinit esse panis, & substantia creata: ergo incipit esse divinitas, & subsistentia divina, vt termini sibi correspondeant.

Resp. ad 1. quód pronomen meum, exprimit Christum, vt individuum speciei humanæ, non tamen ita, vt constitutivum individui, sit ratio constituendi terminum directum conversionis. Ad 2. quód ex parte termini á quo, subsistentia non se habet de formali, sed solum identicé, & sic eodem modo acquiritur in termino ad quæm, subsistentia cum persona divina. Nec correspondentia vtriusque termini est omnimoda; constat enim, subsistentiam panis destrui, & tamen subsistentia Verbi non producitur, quia illa increata, & improducibilis est; vndé sicut in termino á quo, per se & directé, solum destruitur corporea substantia panis, ita in termino ad quæm, acquiritur directé ex vi verborum, substantia corporis Christi.

Sed adhuc est dubium: An persona Patris, & Spiritus Sancti, sint in Eucharistia per concomitantiam? Aliqui reputant difficultatem de nomine, nam personæ sunt per circūincessionem, qua vna est in alia, & etiam modo specialissimo, causando singularem gratiæ effectum; vndé purum nomen est, vocare hanc concomitantiam vel non. Sed re vera, loquendo de concomitantia quocumque modo, pars negativa est verior. Tùm, quia Pater & Spiritus Sanctus, non vniuntur cum his, quæ sunt ex vi verborum, nempé cum corpore & sanguine Christi. Tùm, quia illæ personæ, nec sumuntur, nec sacrificantur, sed solus filius: ergo, &c.

Dices: Pater & Spiritus Sanctus, vniuntur realiter cum deitate, quæ est in Eucharistia per concomitantiam: ergo illi sunt saltem per concomitantiam mediatam. Resp. quód non sufficit quælibet vnio, vt aliquid sit per concomitantiam, sed vnio in vnitatem suppositi, cum termino primario, quod non habent Pater & Spiritus Sanctus, bené verò filius; vndé sicut vestes Christi dum consecravit, non fuerunt concomitanter in Sacramento, bené verò anima & accidentia, ita nec sunt persona Patris & Spiritus Sancti. Quód si aliquando D. Thom. & SS. PP. dicunt, totam Trinitatem esse in Sacramento, hoc ideo est, quia specialem effectum gratiæ causant, non verò, quia ibi sint per concomitantiam vllo modo.

Quarta difficultas: Vtrum post consecrationem, substantia panis & vini anihiletur? Resp. negativé; sic D. Thom. 3.p. q. 75. art. 3. Hoc probant aliqui, ex eo quód manet post conversionem materia panis, ita Durandus. Sed hoc falsum est, & contra Tridentinum asserentem, post consecrationem, nihil substantiæ panis remanere. Alij dicunt, illam substantiam non anihilari, quia eius accidentia manent; sed etiam hoc est falsum. Tùm, quia accidentia, sunt extrinseca substantiæ. Tùm, quia terminus transubstantiationis, nequit ex accidentibus desummi, sic enim non transubstantiatio esset, sed transaccidentatio, vt sæpé diximus.

Melius ergo probatur ratione D. Thom. sic: Terminus anihilationis est nihil; sed conversio Eucharistiæ, non terminatur ad nihil: ergo illa non est anihilatio. Prob. min. nam sic non daretur modus quo Christus inciperet esse in Sacramento, cum ibi non sit per motum localem: ergo, &c. Explicatur: eadem substantia indivisibilis, vnica actione, nequit anihilari, & in aliam converti, quia termini anihilationis & conversionis, nempé ens & nihil, opponuntur contradictorié; sed certum est secundum fidem, substantiam panis, post consecrationem, in corpus Christi converti: ergo illa, non anihilatur. Urgetur hoc: Sacramentum Eucharistiæ institutum est, ad manifestandam gratiam & bonitatem Dei; sed hoc non fit per anihilationem; vt enim ait D. Thom. 1.p. q. 104. art. 4. redigere aliquid in nihilum, non pertinet ad gratiæ manifestationem, cum magis per hoc divina bonitas ostendatur, quod res in esse conservet: ergo, &c.

Si dicas ad hæc: quód salvatur conversio per hoc, quod anihilationi iungatur alia mutatio, quæ ad aliam substantiam terminetur, vt cum ignis generatur ex aqua, forma aquæ desinit esse, & convertitur in aliam formam. Contra est: quia nullus Philosophus dixit, rem aliquam transire in aliam, per sui desitionem, eo quod terminus ad quem transitus, fit res ad quem transitur, desitionis verò terminus, est non esse rei. Nec potest dici formam aquæ converti in ignem; quia nihil eius entitatis, in ignem convertitur, & ita materia aquæ, non est sub forma ignis: ergo &c. Et si inquiras: an conversio Eucharistica, saltim per accidens, dicatur panis & vini anihilatio? Resp. negativé; nam licet concederentur duæ mutationes, vna per quam desinit panis & alia per quam transit in corpus Christi, hæc tamen secunda, est per se primo intenta, & ad rationem anihilationis, requiritur quod primario terminetur ad nihil, sicut est de ratione creationis, quod

ter-

terminetur ad ens; & etiam quia illa actio, non est totaliter desitio, cum panis substantia, sit in corpus Christi conversa, vndé, non præstat actioni conversivæ, denominationem anihilationis, quia ex primaria intentione, ad aliquid terminatur.

Sed arguitur : post consecrationem, nihil manet de substantia panis: ergo illa est nihil & consequenter, actio est anihilatio. Prob. anteced. post consecrationem, substantia panis, non est aliquid: ergo est nihil. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. non est aliquid in se, conc. in substantia in quã convertitur, neg. & ratio fundatur in eo, quod solum destruitur post consecrationem, ratio specialis substantiæ panis, manet tamen ratio communis substantiæ corporeæ, per quam convenit cum corpore Christi, & ideo substantia panis non anihilatur, sed remanet in alia substantia in quam convertitur. Sic D.T. loc. cit. 3.p. sol. ad 3.

Dices 1. ad rationem anihilationis, per accidens se habet, quod loco substantiæ destructæ, alia succedat, sicut corruptio formæ, nulla forma succedente, eiusdem rationis est, ac si alia succedit: ergo nihil interest, quod succedat substantia panis. Secundo, si corpus Christi reciperet esse in rerum natura, quo ad materiam & formam, per conversionem panis in illud, inciperet esse per creationem: ergo licet panis desinat per eius conversionem, in corpus Christi, desinit per anihilationem. Prob. conseq. quia sicut creatio petit esse ex nihilo, ita anihilatio, petit terminari ad nihilum: ergo sibi imbicem correspondent.

Resp. ad 1. quód est diversa ratio, nam corruptioni, est adiuncta generatio, propter necessitatem materiæ, quæ nequit esse sine forma, & sic vna destructa, introducitur alia, & ideo non variatur corrupti, sive forma succedat, sive non; desitio verò panis in Eucharistia, ordinatur essentialiter ad corpus Christi, & est quasi fieri eius præsentiæ; vndé si panis destrueretur alio modo, eius desitio esset diversæ rationis á conversione, quæ modo est. Ad 2. quód etiam si Christus primó inciperet esse ex pane, non crearetur, quia non fieret ex nihilo simpliciter, licet esset ex nihilo sui, vt autem fieret per creationem, non debebat habere pro termino á quo panem, sed purum nihil.

Quinta difficultas : An post consecrationem, maneat in Eucharistia substantia panis? Resp. negativé cum D. Thom. 3.p. q.75. art.2. quód constat ex Trident. Sess.13. Can.2. de quo D. Thom. multiplicem rationem assignat. Prima, quia si maneret substantia panis, tolleretur veritas Eucharistiæ; non enim ibi esset Christus per loci mutationem, sic enim desineret esse in Cœlo, nec per conversionem panis in ipsum, quia id in quo aliud convertitur, facta conversione non manet. Secunda, quia hoc esset oppositum veritati formæ, hoc est corpus meum, nam substantia panis, corpus Christi non est, vndé posset dici: hic est corpus, non autem, hoc est.

Tertia, quia si maneret substantia panis, Sacramentum non posset adorari adoratione latriæ, nam ibi esset aliqua substantia creata, quæ talis adorationis est incapax. Quarta, quia permanentia panis, opponitur ritui Ecclesiæ, nam secundum istum, post cibum corporalem, nequit summi corpus Christi, & tamen post vnam Hostiam consecratam, potest altera summi: ergo ibi substantia panis non manet. Dices: quomodo in alijs Sacramentis, remanet substantia materiæ, vt in Baptismo substantia aquæ? Resp. hoc ideo esse, quia in illis, non est Christus realiter sicut in Eucharistia, & ideo in hac & non in alijs, expellit substantiam materiæ.

Sed arguitur: facta consecratione, manent accidentia panis: ergo etiam substantia. Prob. conseq. quia accidens á substantia pendet, nec potest esse sine illa. Hoc petit vt explicemus, an accidentia panis maneant in Eucharistia? Ad quod resp. affirmativé, cum D. Thom. loc. cit. art.5. & habetur in Sess.13. Trident. de quo D.T. tres assignat congruentias. Prima, quia horribile esset, carnem & sanguinem hominis manducare & bibere, in propria specie. Secunda, quia infideles irriderent Sacramentum, si in propria specie manducaremus Dominum. Tertia, quia sic augetur meritum fidei, dum invisibiliter sumimus corpus, & sanguinem Domini.

Resp. ergo ad replicam cum D. Thom. 3.p. q. 77. art. 1. quód accidentia, miraculosé manent in Eucharistia sine subiecto, nam cum effectus, magis pendeat á causa prima, quam á secunda, ideo ablata substantia panis, per infinitam virtutem Dei, conservatur accidens sine subiecto. Sed dices 1. quód sic conveniet accidenti, essentia substantiæ. Secundó, quod alias accidenti, deficeret eius diffinitio, quæ est subiecto inhærere. Tertió, quod Deus non potest supplere concursum subiecti, hoc enim dicit causalitatem materialem, quæ cum intrinseca sit, á Deo suppleri non potest. Quartó, quód substantiæ, nequit convenire modus inhærendi: ergo nec accidenti, modus per se standi.

Ad hæc quæ Philosophica sunt resp. ad 1. quód substantiæ convenit esse per se, quo ad exigentiam & positivé, accidenti autem puré negativé, id est non in alio, vndé essentiæ non confunduntur. Ad 2. quód diffinitio accidentis, non est actualis inhærentia, sed exigentia inhærendi, quæ semper servatur, etiam dum est sine subiecto. Ad 3. quód Deus supplet vicem materiæ, non quo ad munus recipiendi, nec componendo, sed quo ad purum munus sustentandi puré effectivé, quod inconveniens non est, cum in hoc, nulla importetur partialitas nec imperfectio, imó perfectio maxima.

Ad 4. quód Deus non destruit naturas rerum, sed eas perficit & elevat, modus autem inhærendi,

cum

cum sit imperfectior substantia, illam destrueret, modus autem per se standi, negativé saltim, est altior accidenti, ideoque per illum, á Deo potest persici & elevari; exemplum est in Philosophia, Deus enim potest formas materiales creare, quia hoc, est illarum perfectio, nequit autem animam rationalem educere, quia eductio eius naturam deprimeret & imperficeret, quod summæ Dei virtuti repugnat; idem ergo in præsenti, de accidenti & substantia dicendum est.

Sexta difficultas: An conversio Eucharistica, fiat in instanti? Resp. affirmativé cum D. T. 3.p. q.75. art.7. quód probat notando; mutationem dici instantaneam, vel ex parte formæ, quæ est eius terminus, si non suscipit magis & minus, sicut forma substantialis; vel ex parte subiecti, vltimo dispositi, ad formam recipiendam, sicut diaphanum, subito illuminatur, vel ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis; sed omnia ista concurrunt in conversione Eucharistiæ; nam substantia corporis Christi, quæ est terminus, non suscipit magis & minus, nec datur subiectum, præparatum successivé, & omnia fiunt per virtutem infinitam Dei: ergo illa conversio, est actio instantanea.

Sed contra hanc rationem potest opponi: quia gratia suscipit magis & minus, & tamen introducitur in instanti, vt ait D. Thom. 1. 2. q.113. art. 7. Secundó, nam corpus Christi, non producitur substantialiter per conversionem: ergo licet illud sit terminus, ex eo mutatio non est instantanea. Tertió, nam etsi conversio fiat per virtutem infinitam Dei, potest successivé fieri, non ex indigentia Dei, sed quia libere vult accomodari cum nostro modo operandi successivé, sic enim aliquando successivé operatur Deus, vt ait D. Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art.3. ergo cum Ministri operentur successivé, ex hoc evadet conversio successiva.

Resp. ad 1. quód formæ quæ suscipiunt magis & minus, introducuntur successivé, atenta sua natura, non veró attenta natura subiecti vltimo dispositi, & hoc cõtingit in gratia, quæ vt subiecto inest producitur in instanti. Ad 2. quód licet corpus Christi non producatur substantialiter, fit tamen ex pane, per transitum vnius substantiæ in aliam, & ideo sequitur modum productionis termini substantialis. Ad 3. quód licet Deus si vult, possit operari successivé, vt fecit in curatione ceci Marc.8. nulla tamen ratio apparet in Eucharistia, vt hoc fiat, vt patet ex tribus causis operandi instantaneé, quas assignavimus in ratione & ibi concurrunt.

Nec obstat: quód conversio fit per formam verborum, quorum prolatio, tempore durat. Resp. enim, quód consecratio, & accipitur pro applicatione causæ, quæ est motus tendens ad conversionem, & sic in tempore fit, & accipitur pro termino illius actionis, in quo desinit substantia panis, & incipit substantia corporis Christi, & hæc fit in instanti terminativo verborum: sicut in simili ait D. Thom. 2. 2. q.164. art.1. ad 7. quód mors complete, & consumativé accepta, est in instanti, licet in fieri, & initiativé sit in tempore, & etiam generatio complete, in instanti est, licet quo ad dispositiones alterationis præcedentis, sit in tempore.

Sed vrgetur adhuc difficultas: quia non apparet instans, in quo fiat conversio: nam priús est substantia panis, & postea substantia corporis Christi, in quo intercedit duplex instans; sed inter duo instantia est tempus medium: ergo in hoc fit conversio, & non in instanti. Resp. cum D. Thom. loc. cit. 3. p. solut. ad 1. quód conversio perficitur per verba Christi, prolata á Sacerdote, ita vt vltimum instans prolationis verborum, sit primum, existentiæ corporis Christi, & toto tempore præcedente, est substantia panis, in quo nequit accipi instans, proximé præcedens, vltimum, sed vltimum tempus.

Hoc habet expresiús D. Thom. quodlib. 7. art. 9. vbi ait: transubstantiatio, est terminus cuiusdam motus, qui consistit in prolatione verborum, vndé in vltimo instanti temporis mensurantis illam prolationem, est primo non panis, & primo corpus Christi, & sic non est vltimum instans, in quo est panis, sed vltimum tempus. Undé asserunt communiter Theologi, panem non desinere per vltimum sui esse, sed per primum non esse; nam licet transubstantiatio fiat virtute divina, quæ per se á motu non pendet, fit tamen, media prolatione successiva verborum, & sic desinit panis, quando terminatur prolatio, in vnico instanti, in quo corpus Christi, incipit per primum sui esse, & panis desinit, per vltimum sui non esse.

Infertur ex dictis, quod conversio Eucharistica, est miraculosa, & quo ad nos, creatione nobilior, licet creatio simpliciter excedat. Primum patet ex D. Thom. 3.p. q.78. art.1. asserente: in hoc Sacramento, consecratio materiæ, consistit in quadam miraculosa conversione; vndé ait Damasc. quód Deus operatur Eucharistiam, suprá omnem sermonem & intelligentiam; & ratio est: nam summum miraculum est, quod superat facultatem naturæ, quo ad substantiam facti, vt regressus Solis & similia, sed vnã substantiam in aliam converti, accidentia esse sine subiecto, & alia plura, quæ in Eucharistia venerantur, omnem facultatem naturæ excedunt: ergo, &c.

Nec obstat: quód miraculum est arduum & insolitum, vt ait D. Aug. tract.8. in Ioan. frequenter autem, consecrationem absque admiratione videmus. Resp. enim, quod miraculum dicitur insolitum, quia est contra consuetum vsum naturæ, etiã si quotidié iteretur, & sic transubstantiatio panis in corpus Christi miraculum est, licet quotidié frequentetur, sic ait D. Thom. q.6. de potentia, art. 2. ad 2. & Rursus, 1.p. q.105. art.7. ad 2. ait: quód insolitum dicitur, non quia frequenter non eveniat,

niat,sed quia est præter naturalem consuetudinem, & hoc dicimus de Eucharistia, de qua si non miramur, est ob inadvertentiam, vel quia magna miracula,ex consuetudine viluerunt, apud minus considerantes.

Secundùm,de excessu conversionis suprá creationem,quo ad aliquid seu quo ad nos insinuatur á D. Thom. 3. p. q. 75. art. 8. ad 3. quia plura sunt hic,quæ nostrũ modum cognoscendi superant,nempé quod conversio fiat de existente in existens,quod accidentia sint sine subiecto, quæ in creatione non inveniuntur; cum quo stat,quod creatio sit simpliciter perfectior,quia plus distat non ens ab ente in creatione, quàm tale ens á tali ente in conversione, & etiam plus resistit non ens quia est substractio potentiæ receptivæ. Vndé ait D. Thom. opusc. 58. cap. 1. si Deus potest facere ex nihilo quod non erat, potest ea quæ sunt mutare, in id quod erat; quasi arguens á maiori ad minus;ex quo patet tertia pars dicti.

ARTICVLVS VI.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus,circa mirabilem conversionem Eucharistiæ. Extitit hisce temporibus nostris, intellectus duplex, adeo excellens & elevatus, vt possent ambo tempora exornare, vsque ad consummationem sæculorum; vnus in sexu virili,nempé RR. P. Antonius Vieyra, Inclitæ Societatis Iesu, decus & ornamentum; in fœmineo alter, Soror Ioanna Agnes á Cruce,in Monasterio D. Hyeronimi Mexicano habitum induta,ad quorum laudes,addidisse aliquid (vt cum D. Maximo loquar) decerpsisse est, siquidem virtutum illorum gratia, non est sermonibus exponenda, sed operibus conscriptis ab eis comprobanda. Ambo igitur, decertarunt ad examinandum, quodnam Christi erga homines fuerit maximæ charitatis inditium, aut tradere se ipsum pro nobis in cibum, aut tradere se ipsum in mortem? Et idipsum casus noster inquirit.

Motivum dubitationis præbuit D. Thom. q. 74. art. 1. in corp. vbi ait: Quód hoc competit charitati Christi,ex qua pro salute nostra,corpus verum nostræ naturæ assumpsit,& quia maximé proprium amicitiæ est,convivere amicis, sui præsentiam corporalem, nobis repromittit in præmium. Hanc rationem desumpsit Ang. D. ex Innoc. III. lib. 4. de Sac. altar. Minister. cap. 44. vbi ait: Ut ergo suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet,qui dedit se pro nobis in prætium, ipse tribuit se nobis in cibum, vt per prætium,redimeret nos á morte, per cibum, aleret nos ad vitam; vndé ait Ioan. 6. qui manducat me, vivet propter me; ex quo infert D. Thom. quod hoc Sacramentum, est maximæ charitatis signum, & nostræ spei sublevamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos.

Quid autem sentiendum de hac charitate, facta collatione cum morte Christi? In hoc lis est posita; & quidem,si apponerentur hic, vtriusque illius prætexcelsi ingenij dictamina, satis ex illis constaret resolutio. Breviter dico: quod mirabilis illius mulieris circa hoc scriptum (si forte illius est,quod probant plures) mentem excedit, non solum fœmineam, sed humanam. Nunc tamen, quia Theologum ago, Theologos consulo. Videtur enim relata D. Thom. verba indicare, quod amplius charitas Christi,in opere mirabili Eucharistiæ refulsit, quia coniunctio ad nos est maxima, & illa signum est maximæ charitatis. Vndé ait Trident Sess. 13. cap. 2. quódSalvator noster,discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit memoriam faciens mirabilium suorum.

Deindé ipse D. Thom. opusc. 58. de Sacramento altaris, cap. 5. numeratis gradibus divinæ largitatis ait, quod sextus gradus & summus est, quod dat homini corpus suum in cibum. Oseæ 11. ego quasi nutritius Efraim & declinavi ad eum,vt vesceretur, & Ioann. 6. Panis quæm ego dabo, & D. Greg. hom. 14. in Evang. ait: Bonus pastor, pro ovibus suis animam suam ponit, vt in Sacramento nostro,corpus suum & sanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis suæ alimento saziaret, & in hoc est expresio summæ largitatis, & præcipui amoris; magnum est enim dare se in locum peregrinationis, & in servuum necessitatis, maius in prætium redemptionis; tamen tale donum, adhuc est in aliqua separatione,ab eo cui datur, sed cum datur in cibum, datur non ad separationem aliquam; vniuntur enim in vnitate corporis, cibus & summens,& sic apparet in tali dono, summa largitas divinæ bonitatis.

Hæc,excessum charitatis Christi in Eucharistia suadent. Sed tamen Ang. D. qui quodlib. 5. q. 3. art. 6. expresé difficultatem exponit, docet:maius dilectionis signum,absolutè & simplicitér ostendisse Christum,tradendo vitam suam pro nobis in prætium, quam dando se ipsum in cibum Probat ex illo Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet; vt animam, suam ponat quis pro amicis suis; vndé rectè D. Bern. serm. fer. 4. hebdom. pœnosæ ait: tu maiorem habuisti Domine, ponens eam, etiam pro inimicis; quænam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore, huic similis charitati? Deindé probat,ex illo principio, quod ex amore erga se, mensuratur amor ad alium, iuxta Phil. dictum: amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicubilibus, quæ sunt ad se ipsum, & sic tanto aliquis plus alium diligere probatur, quanto magi bonum quod sibi vult, propter amicum prætermi-

tit,

tit, & concludit: maximum autem est dilectionis signum, si etiam animam suam deponere velit, pro amico moriendo; quod ergo Christus pro nobis patiendo, animam suam posuit, maximum fuit dilectionis signum. Ex his duabus rationibus D. T. constat, fatendum esse, quod absolutè & simpliciter loquendo, maius & omnium maximum dilectionis signum fuit in Christo, pro peccatoribus mori, licet secundum quid, & quantum ad aliquid, sit maius, se nobis in Eucharistia tanquã cibũ conferre. Et si inquiris: in quo consistit hic excessus secundum, quid in Eucharistia? Dicitur, quod consistit. Tũm in maiori vnione nobiscum. Tũm, quia i la est pignus gloriæ, in qua confertur bonum infinitum; vndé ait D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. quód beatitudo creata, ex eo quód est fruitio Dei, habet quandam infinitatem, & ex hac parte, nequit dari aliquid melius illa, sicut non potest aliquid melius esse Deo, & per hoc patet, quid dicendum sit ad ea, quæ proponuntur in principio, ex quibus contrarium videbatur inferri; totum enim componitur dicendo, quod charitas Christi tradendo se morti, excedit simpliciter, in Sacramento autem solum secundum quid; de quo D. Thom. loc. cit. & opusc. 6. ad illa verba: *Crucifixus.*

Casus secundus, circa idem. Quandam mulierem vxoratam, vt Balladius refert, ad turpem solicitabat actum impurus homo nec assensit illa, quod cum ille vidisset, inutiles esse suasiones, & artes suas, pergit ad quædam Magum, vt mulieris amorem sibi, & odium marito suo conciliaret, quod evenit ita, nam ipsa, viri sui & aliorum intuen i um oculis, apparebat in forma equæ, & ab omnibus, non vt fœmina, sed vt bestia reputabatur, coniugique re.dita est horrida & exossa, quousque S. Macarij precibus, á præstigijs liberata, ad priorem fuit formam restituta. Et in Historia Sacra, cap. 19. Genes. v. 26. refertur, quod vxor Loth, versa est in statuam salis. Nec est necesse, tam procul oculos diffundere, vt similem adducamus conversionem; extat enim, apud Darocensem Civitatem nostram, homo in marmorem versus, in pœnam cuiusdam execrationis á se prolatæ, cuius statuam vidimus, & manus nostræ contrectaverunt. Occasione horum dubitabat quis: an sicut species Sacramentales convertuntur in Christum, etiam virtute divina fieri possit, vt quælibet creatura, convertatur in aliam?

Affirmativam partem tenent Cayetanus, Scotus, Nuño, Cornejo, Granado, & Bellarminus ait, debere esse fidelibus indubitatam, quia hoc, Mysterium Eucharistiæ suadet; & vlteriús: quia id quod ex parte facti contradictionem non implicat, á Deo fieri potest, non enim est impossibile, apud Deum omne verbum; vnam autem creaturam in aliam converti, nullam contradictionem implicat; quod limitat Granado dicens: nullam creaturam posse converti in entia, quorum Deus, nequit esse causa particularis, vt sunt actus intrinsecé mali, & erronei, ne dicatur, Deum futurum esse causam illorum. Hæc resolutio videtur vera & conformis D. Thom. q. 75. art. 4. ad 3. vbi ait: virtute agentis finiti, non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam; sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri, quia vtrique formæ, & vtrique materiæ, est communis natura entis, & id quod est entitatis in vna, potest Author entis convertere, in id quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.

Hoc ipsum convincitur, ex eodem D. Thom. opusc. 58. cap. 11. quia non minor virtus requiritur in Deo, vt ex nihilo faciat aliquid, quam vt aliquid convertatur in aliud, maior enim est distantia, inter nihil & aliquid, quam inter hoc ens & illud. Deindé, non requiritur minor virtus, vt natura humana, substantialiter vniatur personæ Verbi, quam vt vnum ens creatum, in aliud convertatur, quia plus distat persona divina á natura humana, quam duæ naturæ creatæ inter se; sed virtute Dei, ex nihilo producitur aliquid per creationem, & etiam persona divina, vnitur naturæ humanæ per Incarnationem: ergo etiam per illam potest fieri, quod quælibet creatura, convertatur in alteram.

Si dicas: Quód Angelus, nequit desinere esse per corruption m, sed per solam suspensionem concursus Dei: ergo nec potest in aliam creaturam converti, alias non desineret esse per anihilationem, sed per transitum positivum in aliam substantiam, sicut hac ratione diximus, quod desitio panis in Eucharistia, anihilatio non est. Resp. quód loquendo connaturaliter, sicut Angelus nequit incipere, nisi per creationem, ita nequit desinere nisi per anihilationem, quia est substantia ingenerabilis & incorruptibilis; sed tamen attenta potentia absoluta Dei, potest desinere esse per conversionem in alteram creaturam, & incipere esse, per conversionem alterius in ipsum, quod nullam repugnantiam involuit, quæ doctrina notatur á Cayet. hic.

Et si dubites: an creatura possit converti in Deum? Resp. quód conversione laté sumpta, potest converti; sed in rigore Theologico, nec Deus potest converti in creaturam, nec creatura in Deum. Totum hoc constat ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. in fin. corp. vbi de natura divina ait: Vndé nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. Deindé prima pars patet, quia ad conversionem, non requiritur productio termini formalis, sed vnitio nova, vel introductio illius in compositum, cuius capax est Deus, sine vlla imperfectione, sicut contingere posset, casu quo natura Petri, assumeretur hipostaticé a Deo. Secunda pars constat ex D. T. 4. contrag. cap. 31. quód probat, nam Deus est im-

mu-

mutabilis & æternus, si autem mutaretur in aliud, immutabilis non esset. Tertia pars etiam patet, quia ad conversionem novam, requiritur nova dependentia ab actione destruente terminum á quo, & faciente, vt terminus ad quæm succedat, quæ dependentia Deo repugnat; & demum, quia vt ait D. Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3. in hac substantiali conversione, inest potentia obedientiæ, vt hæc substantia convertatur in aliam; Deo autem repugnat, esse in potentia obedientiali alicuius creaturæ, vndé Granado & Cayet. oppositum fatuum appellant.

Casus tertius, circa idem. Sacerdos quidam, Hostiam consecratam manibus tenens ante sumptionem, reverenter fidei mysterium adorabat, cui subito hæc occurrebat dubitatio: an scilicet ex vi conversionis Eucharistiæ, taliter Christus sit Sacramento præsens, vt in singulis partibus specierum, quantumvis minimis, ante divisionem contineatur? Quæritur, quid sit circa hanc dubitationem sentiendum? Negativé parti assentire videtur Alens. p. 4. q. 10. membr. 7. art. 3. §. 5. illamque D. Bonaventuræ ad scribere nititur. Sed tamen M. Soto, ab hac sententia S. Doctorem liberat dicens, quod hic solum ait, Hostiam non posse, in infinitas partes dividi, nam in divisione perveniendum est ad partem minimam, ita vt sub minori, nequeat esse panis, quod verissimum est.

Quód autem aliqua sit Hostiæ, vel minima particula, in qua Christus non contineatur, ait Soto, hæresis esset asserere, quia cum totus panis, convertatur in corpus Christi, nulla potest esse particula, vbi non sit corpus, alias essent particulæ vacuæ, corpore & pane. Deindé: si vna particula minor minima, esset sine corpore, quæcumque similis designata, esset sine illo, & sic per singulas inducendo, concluderetur quod in tota hostia non est corpus, quod falsissimum est. Vrgentur efficaciter hæc: vel in minima parte, in qua conservantur panis & vinum, est totus Christus, vel aliquid illius, vel nihil? Si primum, habemus intentum; si secundum, sequitur totum Christum esse in toto Sacramento, & partem in parte, & sic non erit modo indivisibili, quod absurdum est; si tertium, etiam in alia parte coniuncta, nihil erit Christi, ita vt colligatur, in tota quantitate panis & vini, nihil esse Christi, quod est contra fidem; vndé asserit Vazquez, quod oppositum asserentes, de errore & absurdo contra fidem, convinci possunt.

Sed restat adhuc dubitatio: an etiam in punctis & indivisibilibus specierum, sint corpus & sanguis Christi? Scotus negat; sed omnes Thomistæ affirmãt hic q. 67. art. 3. Et ratio est: quia corpus Christi, est in Eucharistia modo indivisibili, sicut Angelus est in loco: ergo sicut Angelus est totus in toto loco, & totus in qualibet eius parte, & etiam in punctis indivisibilibus illius, vt ait D. Thom. 1. p. q. 52. art. 2. etiam corpus Christi erit in punctis & indivisibilibus, specierum panis & vini. Quód roboratur ex D. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. vbi ait: si esset forma præcedens quantitatem, esset ante & post, & tota in toto, & tota in partibus; sicut forma substantialis ligni, est in qualibet parte eius, quia totalitas formæ substantialis, non recipit quantitatis totalitatem, & ibidem ad 3. ait: quód corpus Christi, non est spiritus, sed participat quantum ad aliquid proprietatem spiritus, secundum comparationem ad species, sub quibus continetur; & idem repetit hic, q. 76. art. 1. ad 3. & art. 3. in corp. & art. 4. ad 1. cum ergo Christus, sit in hoc Sacramento per modum substantiæ, & indivisibiliter, totus ille, est sub tota quantitate, & sub qualibet parte, & sub punctis indivisibilibus illius.

Si dicas: Corpus Christi, succedit loco substantiæ panis, & illa non erat in punctis indivisibilibus, quia hæc, panis non sunt. Resp. quód plus requiritur. vt á principio fiat consecratio, quam vt corpus Christi conservetur consecratum sub speciebus; nam ad primam requiritur, materia per se sensibilis, quod non habet punctum, nisi ratione lineæ, nec linea nisi ratione superficici, nec ista, nisi ratione corporis, & ideo indivisibilia, nequeunt consecrari, nisi consecrato corpore, seu quantitate panis, cuius contrarium invenitur in corpore Christi iam consecrato, quod cum sit sub speciebus modo indivisibili, etiam sub eius indivisibilibus continetur. Et si iterum dicis: sequi ex hoc, quod facta divisione specierum consecratarum, Christus inciperet esse de novo, in indivisibilibus quæ fiunt, quod tamen est falsum, nam hoc sine nova consecratione effici nequit. Resp. quód corpus Christi, naturali sequella & sine consecratione nova, est in superficiebus, quæ producuntur de novo, per fractionem specierum, quia est in tota Hostia in qua illæ continentur, & hoc fit per mutationem linearum, sine mutatione corporis Christi.

Vel aliter dicatur cum Arauxo, quod in eo casu, incipit esse corpus Christi, in novis punctis terminativis, ex vi prioris consecrationis; nam sicut prima consecratio habet vim, vt facta divisione Hostiæ consecratæ, plura Sacramenta resultent, ita etiam habet virtutem, vt Christus ponatur, sub punctis resultantibus, pertinentibus ad Hostiam iam consecratam. Demum dici potest cum ipso, quod in illis punctis, etiam ante divisionem erat Christus, & sic non mirum, quod sit in illis, post divisionem, quia sunt eadem indivisibilia terminativa, quæ antea erant continuativa, quia per divisionem, nihil acquiritur novum quo ad entitatem, sed solum quo ad officium terminandi; vndé ait D. Thom. 1. p. q. 85. art. 8. ad 2. quód in linea circulari, non est punctum nisi in potentia; nam actu terminare, fit per divisionem, quæ nihil ponit, sed

po-

potius tollit, nam per illam, aliquid quantitatis deperditur.

Casus quartus, circa idem. Hæretici quidam milites, quandam Ciuitatem expugnantes, intus armorum vi fuerunt ingressi, cum autem in Templo quodam Sacerdotem celebrantem inuenissent, violenter rapuerunt Calicem ab eo, cum speciebus vini iam consecratis in quibus aliud vinum nõ consecratum fuderunt, & vtriusque fecerunt mixtionem; Quæritur, an in casu isto, sub speciebus vini consecrati, sanguis Christi permanserit? Certum est, quod vino consecrato, alius liquor potest commisceri; sic tenet D. Thom. q. 77. art. 8. quód constat. Túm experientia sensibili casus propositi hoc suadente. Túm, quia species Eucharisticæ, sicut virtute consecrationis acquirunt modum essendi substantiæ, ita etiam acquirunt, eius modum agendi & patiendi, substantia autem vini, si adesset ibi, posset commisceri cum alio liquore, & consequenter, idipsum convenit vino consecrato.

Resp. ergo: quód non quælibet admixtio liquoris inconsecrati, sufficit vt species vini consecrati, desinant continere sanguinem Christi. Sic tenet D. Thom. loc. cit. ad 4. vbi ait: quidam posuerunt, quod quantumcumque parva fiat, extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi, desinit esse sub toto, & hoc ratione inducta in argumento (quæ in eo consistebat, quod magnum & parvum, sunt differentiæ quantitatis, & diversificant ipsam, sicut album & nigrum, colorem) quæ tamen non cogit; quia magnum & parvum, diversificant quantitatem dimensiuam, non quantum ad eius essentiam, sed quantum ad determinationem mensuræ; similiter etiam liquor appositus, adeo potest esse parvus, quod sua parvitate impeditur, ne diffundatur per totum, & non solis dimmensionibus, quæ licet sint sine subiecto, tamen obstant alteri liquori, sicut & substantia si ibi adesset. Hæc D. Thom. loc. prædicto.

Huius autem rationem á priori, assignat S. D. quodlib. 10. art. 3. vbi ait: hoc non videtur verum, quia species quæ in Sacramento, post consecrationem remanent, eodem modo corrumpuntur, & non aliter, quam accidisset de substantijs præexistentibus, quarum species manent, sicut ad sensum patet quod interimantur, & alijs modis transmutentur omnino, sicut accidisset de substantia panis & vini, ante consecrationem; constat autem, per admixtionem vnius guttæ aquæ, non fuisse totum vinum destructum, vndé nec propter hoc, tota species vini corrumpitur post consecrationem; & ibidem ad 2. ait: species autem Sacramentales, non destruuntur, quibuscumque qualitatibus variatis, quia si odor vini, vel calor mutaretur, non propter hoc, desineret ibi esse sanguis Christi, nisi dimensiones, quæ cæteris accidentibus subsunt, vicem substantiæ gerentes, secundum essentiam destruerentur, quod aliter accidere non potest, quam accideret de substantia vini, si ibi esset.

Resolutionem igitur concludit D. Thom. in citato, art. 8. in corp. his verbis: manifestum est autem ex prædictis, quod corpus & sanguis Christi, remanent in hoc Sacramento, quandiu illæ species, remanent eædem numero, consecratur enim hic panis, & hoc vinum; vndé si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi; si veró fiat, tam parva alicuius liquoris adiunctio, quod non possit diffundi per totum; sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi, sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. Quid autem dicendum, si paucæ guttulæ vini consecrati, iungantur vino non consecrato, an statim desinant continere sanguinem Christi? Respondet Soto, illic manere sanguinem, quia licet guta per se diuisa, non posset vinum seruare, bené veró vt continuata cum reliquo vino, & quia absoluté non potest gutta percipi, potest sine periculo vinum potari. Uerius tamen est, vinum debere seruari ad sacros vsus, vt post sumptionem Calicis, ante ablutionem, summatur á Sacerdotibus, vt ait Suarez, Nuño, Coninch, & Leander.

Si dicas: Proiectis speciebus panis consecrati, ad magnam immundi laci quantitatem, in illis conservatur Christi corpus: ergo etiam admixto vino consecrato, cum quantitate magna vini non consecrati, in illo seruatur Christi sanguis. Resp. neg. conseq. quia admixta quantitate magna vini non consecrati cum consecrato, in hoc species vini corrumpitur, & ideo ibi desinit esse Christi sanguis, sicut desineret esse corpus eius in speciebus panis, deficientibus his, quæ tamen non deficiunt per solam proiectionem in lacu immundo, vndé ratio vtriusque diversa est. Vel dicatur: quód mixtio, alia est impropria, nempé coniunctio corporum humidorum, vel solidorum, per contiguationem, vel aggregationem, vt farina ex granis tritici, & hordei, dicitur quodam mixtum, & huiusmodi est mixtio pani, consecrati cum fæce immunda; alia est mixtio propria, quando ex corporibus alteratis, fit aliquod tertium, & talis est mixtio vini consecrati, cum non consecrato, ex quo patet vtriusque differentia, quæ doctrina est Ferrariens. 4. contrag. cap. 35.

Casus quintus, circa idem. Sacerdos quidam, Eucharisticam transubstantiationem recta fide cognoscebat, veramque & realem Christi præsentiam, sub speciebus consecratis; cum autem hoc fieri nequeat, sine aliqua vnione ipsius Christi cum speciebus, mente voluebat, nec capiebat satis, qualiter fieret huiusmodi vnio, quæ suprá sensus hominum est; pro cuius animi quiete, sequentia subiungo, Authorum dicendi modos recensendo. Quidam

dam ſolum cognoſcunt inter Chriſtum & ſpecies, vnionem inſeparabilitatis, ex ſola Dei voluntate, contingenter ſe habente ad talem vnionem, quia nempé voluit, & inſtituit ibi adeſſe Chriſtum, quandiu ſpecies conſecratæ perſeverant, quia hoc ſufficit ad verificanda omnia, quæ docet fides circa myſterium hoc: cum enim Sacramentum, ſit ens artificiale, coniunctio puré moralis, & ex divino pacto, videtur apta ad hanc vnionem explicandam. Sic ſentiunt Scotus, Gabriel, Ocham, & Nominales.

Alij ſunt, quam plurimi ſentiendi modi, quos breviter ſic enumero. Coninch ait, talem vnionem ſimilem eſſe illi, quam habet ille qui curru vehitur, cum curru ipſo. Cardinalis Alanus & Bernal dicunt, illam eſſe vnionem hipoſtaticam, quæ eſt ſubſtantiæ Chriſti productio, ſpecies phyſicé attingens, & ab eis pendens. Henriquez aſſerit, dari inter Chriſtum & ſpecies ſolam vnionem effectivam, vel quia actione Chriſti conſervantur ſpecies, vel quia inter vtrumque, datur mutua efficientia, quia ſpecies efficiunt præſentiam & tractionem Chriſti ad ſe, & Chriſtus efficit earum conſervationem, vt Suarez vult. Lugo ait, ibi dari actionem Chriſti in ſpecies, reſpectu quarum exercet munus ſubſtantiæ, & alligationem ad ſpecies, ex vi collata eis divinitus, ad trahendum Chriſtum, quæ vnio, ſolum ſpeciebus intrinſeca eſt. Araujo ait, vnionem non eſſe effectivam ex parte ſpecierum, ad modum attractionis, quia non fit cum motu rei attractæ, ſed adæquaté eſt effectiva, ex parte corporis Chriſti, melius enim eſt, quod corpus Chriſti, habeat virtutem alligandi ſpecies ad ſe, quam dare ſpeciebus vim attractivam Chriſti. Demum Cayet. Ledeſma & alij dicunt, illam eſſe vnionem formalem phyſicam, quæ reducitur ad genus vnionis accidentis cum ſubiecto, ablata inhærentia.

Hæc omnia, prolixum & extra rem noſtram eſſet refutare; impugnationes autem, ſic ſummatim propono. Primó, licet Chriſtus, voluntarié & non coacté inſtituerit Sacramentum, & in eo contineatur, non tamen ſola voluntate ibi exiſtit, ſed virtute conſecrationis, ſicut corpus circumſcribitur in loco, non per ſolam voluntatem ponentis, ſed per quantitatem & vbi. Secundó: vnio hipoſtatica ibi non intercedit; quomodo enim Chriſtus, quotidié accidentia poteſt aſſumere in vnitatem ſuppoſiti, & ea relinquere, cum ſit Theologicum axioma, quod nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit. Tertió: efficientia mutua, inter corpus Chriſti & ſpecies, voluntarié aſſeritur, nec á Theologis antiquis cognoſcitur; nec mutua cauſalitas in genere cauſæ efficientis, admittitur á Philoſophis; nec iſta vis effectiva, præſentiam Chriſti ſuadet, quia inſtrumenta divinæ virtutis, poſſunt in diſtans operari. Quartó: vnio accidentis cum ſubiecto, imperfecta eſt, & inhæſionem exigit, & ſi non eſt per modum actus & potentiæ, ex illa, vnum per ſe non reſultat.

Vera igitur reſolutio eſt: quód inter corpus Chriſti, & ſpecies Sacramentales, intervenit vnio mirabilis & ineffabilis, omni vnioni naturali diſſimilis; hoc colligitur ex Damaſc. lib. 4. fid. orthod. cap. 4. vbi ait: quia conſuetudo eſt hominibus comedere panem & vinum, coniugavit eis divinitatem, & fecit ea, corpus & ſanguinem ſuum; & hoc exponens D. Thom. in 4. diſt. 11. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. ait: Verbum Damaſceni intelligendum eſt, quantum ad ſpecies, quibus corpus Chriſti Divinitati vnitum, modo ineffabili coniungitur; & hic q. 75. art. 1. ad 3. dicit: quód corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento, quodam ſpeciali modo, qui eſt Sacramenti proprius. Undé ait Averſa, coniunctionem Chriſti ad ſpecies, eſſe modum quændam, non communem & vſitatum, ſed proprium in hoc Sacramento, formaliter incon poſibilem cum modo inhæſionis accidentis ad ſubiectum; cui aſſentitur Cayet. loc. cit. dicens: quód modus iſte, dicitur proprius huic Sacramento, non ſolum propter differentiam á reliquis Sacramentis, ſed quia in toto vniverſo, non apparet aliquis modus huic ſimilis. Nec obſtat: quód ait Suarez, nempé talem modum, explicari debere, ſicut explicatur modus vnionis Verbi Incarnati; non inquam obſtat; nam vt proſequitur Cayet. cum admiratione & veneratione fateamur, defectum cognitionis noſtræ circa hoc; & Innoc. III. lib. 4. cap. 9. ait: credere iubemur, diſcutere prohibemur; & Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacr. part. 8. cap. 9. dicit: quæris quomodo? Cogita facientem, quia omnipotens eſt; quod totum colligitur ex Trident. Seſſ. 13. cap. 1. dicente: quód Chriſtus eſt in hoc Sacramento, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſimus, poſſibile tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus.

Caſus ſextus, in Miſſa quæ iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ celebratur, diſponitur, quod in eius ceremonijs, Sacerdos Hoſtiam manu elevet, loco moveat, & ante ſumptionem frangat; Sacerdos igitur quidam hæc mente gerens, dubitabat: an ſicut Hoſtia loco movetur etiam moveatur Chriſtus, & ſicut illa frangitur, ſimiliter Chriſtus frangatur? Reſp. quód Chriſtus in Sacramento, movetur per accidens & mutatur localiter ad motum ſpecierum, non ſecundum præſentiam naturalem quam habet in Cœlo, ſed ſecundum præſentiam Sacramentalem, quam habet in Sacramento, non verò frangitur Chriſtus, ad fractionem ſpecierum. Prima pars colligitur ex D. Thom. q. 76. art. 6. ad 1. vbi ait: Dicimus Chriſtum moveri per accidens, ſecundum eſſe quod habet in hoc Sacramento; ſed notat Sotra, hunc motum, non eſſe per accidens ad motum ſpecierum efficienter, ſicut cum quis mo-

vetur per accidens ad motum navis, quæ suo impulsu, est causa motus in illo, sed ad motum specierum formaliter, quatenús á motu specierum, Christus denominatur extrinsecé motus.

Secunda pars, nempé quod Christus non frangatur ad Hostiæ fractionem, constat ex D.T. q.77. art.7. in corp. vbi ait: non potest dici, quod ipsum corpus Christi verum frangatur, primo quidem, quia est incorruptibile & impassibile; secundo, quia est totum sub qualibet parte, quod quidem est, contra rationem eius quod frangitur; ex quo summitur ratio: nam vt corpus frangatur, necesse est, quod habeat extensionem partium in ordine ad locum; Christus autem, talem extensionem non habet, & ideo frangi non potest; vndé ait D. Thom. in Prosa Missæ de Sacramento: á sumente non concissus, non confractus, non divissus; & iterum: nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura. Nec obstat: quód in Liturgia S. Iacobi dicitur: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & in Miss. Ambros. corpus tuum frangitur Christe. Resp. enim, quod nomine fractionis, intelligitur corporis Christi distributio inter fideles, quæ aliquomodo dicitur fractio, vt Suarez ait.

Sed oppones: Christus absolutè dicitur moveri ad motum specierum, vt vidimus ex D. T. ergo etiam potest dici, quod frangitur ad specierum fractionem, cons. pat. á paricate. Resp. neg. cons. cuius variæ assignantur disparitates; sed hæc est proprior & specialior, quæ in eo consistit: quód aliquæ sunt denominationes propriæ specierum, quatenús á corpore Christi distinguuntur, nempe ratio albi, rotundi, calidi, humidi, & hæc ad corpus Christi non derivantur, & huius generis est fractio; aliæ autem sunt denominationes & corpori Christi, & speciebus communes, & hæc vtrique possunt convenire, & huiusmodi est moveri, mutari, claudi, deferri, & aliæ similes, ideoque Christus sub speciebus contentus, ad earum mutationem mutatur, sed non frangitur ad earum fractionem; sed totus & integer est sub qualibet parte, post earum fractionem, vt ait Trident. Sess. 13. cap. 4. & D. Thom. ait: tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Et si dicas: Quód Nicolaus Papa, vt dicitur cap. de consecrat. dist.2. admisit Berengarium, vt profiteretur sic: ore & corde profiteor, verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christum, in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Resp. summi fractionem pro distributione, vt vidimus. Ad cuius maiorem roborationem, Granado hinc adducit doctrinam asserens: quód non dicitur frangi Christus, quasi in partes sui dividatur, sed quia totus á se ipso separatur, cum species dividuntur; cum enim ipse, totus sit sub qualibet parte specierum, dum illæ sunt continuæ, ipse quoque habet præsentiam continuam sub illis, & cum destruitur continuatio specierum, & accidentia franguntur, etiam destruitur continuatio præsentiæ Christi, & ille pro vt est sub vna parte, separatur á se ipso, pro vt est sub alia, & ideo dicitur frangi & dividi, non fractione quæ cadat suprá partes eius, sed suprá totum ipsum, quatenús diversis partibus specierum adest, ex quo satis comprobatur resolutio.

Casus septimus, in quadam Ecclesia, vasculum in quo extabat Eucharistia reservata, in loco erat humidiori repositum, qua propter speciebus putrefactis & corruptis, fuerunt geniti vermes; cum autem in casu hoc, desinat corpus Christi sub illis esse; quæritur: an tunc Christus desinens esse, aliquam subeat mutationem? Et idem est, si forte sacræ formæ in cineres sint redactæ; & dico si forte, quia non semel inter ignes illesæ manserunt & incombustæ, vt in Regno Aragoniæ, apud locum, qui dicitur *Aguaviva*, tale veneratur mysterium, & idem cernitur in loco de *Aniñon*, propé Bilbilim patriam meam; dato tamen, quod species consumerentur igne, vel ex vermibus genitis corrumperentur, casus procedit, an Christus mutationem subiret? Casum putrefactionis specierum, vel generationis vermium ex illis possibilem esse, experientia suadet & D. Thom. q. 77. art. 5. & circa vermium generationem, plures sunt Philosophiæ difficultates, quas tetigimus latè in cursu nostro, lib.1. physic. q.1. art.2 & in tract. de gener. q.1. art.2. nec eadem modo, extra rem inutiliter repetimus.

Ad rem ergo nostram supponimus: Christum non desinere esse sub Sacramento per se, sed solum ad defectionem, vel corruptionē specierum. Ratio D.T. q.76. art.6. hæc est: nam id quod ex se habet esse indeficiens, nequit esse deficiendi principium, sed alio deficiente, illud desinit esse in isto, sicut Deus ex se indeficiens, desinit esse in aliqua creatura, per hoc quod ista desinat esse; cum autem Christus, ex se habeat esse indeficiens & incorruptibile, non desinit per se esse in Sacramento, sed solum per hoc, quod species desinant esse; & insuper solut. ad 2. ait, cum D. Cirilo: insaniunt quidam dicentes, mysticam benedictionem cessare á sanctificatione, si quæ eius reliquiæ remanserint in diem subsequentem; non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia, iugis in eo est.

Resp. igitur: quód in casu prædicto, corpus Christi remanet in hoc Sacramento, quousque species Sacramentales manent, quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species, per quæm modum Deus, desinit esse Dominus creaturæ desinentis; hæc D. Thom. sed Deus absque vlla sui mutatione intrinseca, desinit esse dominus creaturæ desinentis, solum per istius desitionem: ergo etiam Christus de-

sinit

finit esse in Sacramento, sine sui mutatione, solum per destructionem specierum. His iungit Martinus Ledesma, exemplum animæ rationalis, quæ sine sui mutatione desinit esse in digito amputato, nec se retrahit intro, per hoc quod digitus amputetur. Desinentibus ergo, vel corruptis speciebus, solum intervenit in Christo mutatio accidentalis, non acquisitiva, sed deperditiva illius, quod per transubstantiationem acquisitum fuit; sic sentit Palud. & Suarez.

Sed dices: Christus incipiens esse sub speciebus Eucharistiæ, accipit mutationem positivam substantialem: ergo etiam desinens esse, accipit mutationem substantialem negativam; si enim non est indecens, Christum dum incipit esse sub speciebus, subire mutationem substantialem positivam, cur indecens debet esse, quod cum esse desinit, mutationem substantialem negativam subeat? Resp. quód aliquando agens, est causa sui effectus pro vt in fieri, & non directé secundum eius esse sicut ædificator, est causa ædificij quo ad fieri, & non quo ad eius esse; aliquando autem effectus pendet á causa in fieri & conservari, sicut lux aeris pendet á Sole; sic D. Thom. 1.p. q.104. art.1. Nunc dicimus; quod transubstantiatio, est actio á qua pendet Christi præsentia Sacramentalis, solum in fieri, non veró in facto esse, & quo ad eius conservationem, vndé licet illa sit actio, & mutatio substantialis, desitio autem Christi sub speciebus, solum erit mutatio laté sumpta, deperditiva relationis, corporis Christi ad species & hoc videtur esse, menti D. Thom. conformius; nec de hoc debemus curiosé ampliús indagere; vt enim ait Innoc. III. lib.4. cap. 16. salubre consilium dedit Apostolus, noli plus sapere, quam opportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; ego nescio quomodo Christus accedit, sed & quomodo recedit ignoro, novit ille qui nihil ignorat; & idipsum nos asserere debemus.

Casus octavus. Versabar quondam in privata conferentia, & cum valdé studioso de Eucharistica conversione pertractabam, inter varias autem quæ circa hoc species occurrebant, hanc meditabamur ambo; quid sentiendum foret de Eucharistica conversione, casu quo Christus non esset, vel non conservaretur in rerum natura, an scilicet tunc, posset esse Sacramentaliter in Eucharistia? Quód idem erat ac dubitare: an præsentia Sacramentalis Christi in Eucharistia, ab existentia naturali corporis eius dependeat? Hæc interrogatio, licet plus speculationi, quam praxi deserviat, sed ad conversionem Eucharisticam capiendam meliús, conducit. Huius resolutionem apposuimus suprá, fol. 123. col. 1. & omnia ibi posita, sunt doctrinæ summa, quæ ab Authoribus affertur, cui subiungimus pauca. Resolutio erat, quod præsentia Sacramentalis Christi, ab eius præsentia naturali pendet, illamque supponit.

Scotus sensit contrarium in 4.dist.10.q.4. Sed tamen Cayet.q.76 art.2. absoluté resolutionem nostra tenet, & oppositum, chimeram vocat, & ait, esse admiratione dignum, quod á Scoto doceatur; nam priús est esse substantiale & absolutum, quam accidentale & relativum, cum autem Scotus asserat, quod præsentia Sacramentalis, solum addit suprá corpus Christi verum quod est in Cœlo, terminum extrinsecus advenientem, nempé respectum præsentiæ ad species, videtur intellectu difficile, quod si auferretur corpus Christi in esse naturali, maneret sub esse Sacramentali; denominatio enim pendet á re denominata, respectus á termino, & includens ab incluso. His addit Martinus Ledesma, quod adhuc dato, Christum posse esse in Sacramento, ante quam haberet esse naturale in se, non tamen potest esse Sacramentaliter, nempé per conversionem alterius in ipsum, nam vt aliquid convertatur in hoc, illud debet esse prius natura, nec est alia conversio imaginabilis. Vndé ait Paludanus, quod ante Verbi Incarnationem, Eucharistia non potuit institui, quia nihil potest converti, in id quod non est.

Maneat ergo pro resolutione nostra, quod ex vi præsentis institutionis, præsentia Sacramentalis Christi in Eucharistia, pendet ab eius præsentia naturali, in fieri, & conservari, non solum remoté, quatenús Christus fuit Sacramentorum Author, per potestatem excellentiæ, sed etiam proximé, quia ille est Sacerdos in æternum, offerens quotidié, Sacerdotum Ministerio. Vlteriús: quia Christi humanitas, est instrumentum coniunctum divinitatis, & per instrumentum coniunctum, moventur instrumenta separata, vt ait D. Thom. 3.p. q.13. art. 2. & q.48. art.6. vndé omnes Hostiæ, quæ sunt in Ecclesia consecratæ & vsque ad finem sæculi consecrabiles, eandem dependentiam habent ab humanitate Christi, sicut panis consecratus ab ipso in vltima cœna, licet tunc non assumpserit instrumentum separatum sicut assumit modo, dum consecrat Sacerdotum ministerio. Demum, nam vt ait D. Thom. q.76. art. 2. si tempore Passionis & mortis Christi, fuisset hoc Sacramentum celebratum, sub speciebus panis, esset solum corpus sine sanguine, & sub speciebus vini, solus sanguis sine corpore; & similitér ait q.81. art.2. quód Christus dedit discipulis corpus passibile & mortale, quia sic erat ipse in rei veritate, quæ omnia suadent, præsentiam Sacramentalem, naturalem præsentiam suppon re, & ab illa tanquam á necessaria conditione pendere; quod totum videtur colligi ex Trid. Sess.13. cap.1.

AR-

ARTICVLUS VII.

De effectibus Eucharistiæ.

Prima difficultas: De effectibus præcipuis huius Sacramenti, & circa hoc, dicendum est 1. quód Eucharistia gratiam confert. Sic habetur in Trident. Sess.7. cap.6. vbi hoc tribuit omnibus Sacramentis, & specialitér Sess.13. cap. 2. idipsum tribuit Eucharistiæ, quia est spiritualis animarum cibus; vndé sicut cibus materialis vitam nutrit & confortat, idipsum Eucharistia facit in anima; & sic dicitur in Canone Missæ, quod per sumptionem Eucharistiæ, omni benedictione & gratia cœlesti repleamur,& D. Thom. ait: O sacrum convivium in quo Christus summitur, mens impletur gratia: ergo, &c.

Ratio autem quæ assignatur á D. Thom. 3. p. q.79. art.1. est dignissima vt sciatur, & ex quatuor principijs procedit. Primúm: quia Christus contentus in Eucharistia in mundum veniens,dedit illi vitam gratiæ vt Paulus ait:gratia & veritas per Iesum Christum, & sic congruum est, vt hoc faciat in Eucharistia, de qua dicitur: qui manducat me, vivet propter me. Secundúm: quia hic repræsentatur Passio Christi, in qua fuit sanguis effusus in remissionem peccatorum. Tertium est: quia datur per modum cibi, qui vitam nutrit & auget. Quartúm: quia in vnione granorum,& razemorum, designat fideles per charitatem vnitos,charitas autem sine gratia non est.

Sed oppones: Quia si Eucharistia causaret gratiam, esset quo ad eius augmentum; sed hoc causare non potest alias creseeret in immensum, quod est incredibile: ergo, &c. Resp. quód solum augmentum causat, licet aliquando per accidens causat gratiam primam; vt diximus, quæstione de Sacram. in gener. Sed quomodo gratia non crescat in immensum? Resp. D.Thom. in 4. dist.12. q.2. quód non crescit vsque ad perfectionem charitatis patriæ sed viæ, licet aliquando impediatur hoc, ex defectu dispositionis subiecti; vndé ait ipse 4. ad Anibald. dist.12. art.3. quód imperfectus, debito modo accedendo, per Sacramentum hoc, perfectus fieri potest.

Dices: quód multi accedunt ad Eucharistiam sine obice peccati mortalis, & tamen non recipiunt fervorem charitatis. Resp. quód augmentum gratiæ, est effectus primarius Eucharistiæ, sed actualis fervor & delectatio, est effectus secundarius, qui non semper confertur,sed quando expedit ad augmentum gratiæ, sicut extrema vnctio, solum causat sanitatem corporis, quando conducit ad salutem animæ. Nec isti effectus habent conexionem necessariam, nam in Christo non fuit augmentum gratiæ & fuit delectatio, vt ait D. Thom. 3. p. q. 81.art.1.ad 3. & similitér datur augmentum sine delectatione, vt dicitur de filio illo in Luca:tot annis servio tibi, & nunquam dedisti mihi hædum.

Hanc difficultatem proponit D. Thom. opusc. 58.cap.22.dicens. sæp ús me præparo,corpus Domini summo, sed nihil sentio solatij spiritualis dulcedinis; & respondet: quód sicut medicus peritus, aliquando dat medicinam dulcem, palato corporis, quæ non bené sapit guturi, sed rationi, quia sanam mentem delectat; sic dominus dat fidelibus, dulce semper corpus, sed dulcedinem suam, alio modo istis, alio illis, pro vt cuilibet expedire novit; hinc est,quod quidam dulcedinem sapiunt per affectum, & alij per pium intellectum, & sufficienti reficiuntur vtilitate, in eo quod credunt & intelligunt, per hunc cibum sanctum, veram vitam obtineri; quæ doctrina maximé notanda est, pro his qui frequenter accedunt, & timent quia delectationem non capiunt.

Dicendum est 2. Eucharistia, habet pro effectu; remittere peccata venialia, & præservare á mortalibus futuris. Sic D. Thom. loc. cit. 3.p. art.4. & 6. vtraque pars habetur in Trident. Sess.13. cap. 2. vbi ait: quód hoc Sacramentum, sumitur vt antidotum, quo liberemur á culpis quotidianis, & á peccatis mortalibus præservemur. Prob. de remissione venialium; nam in Eucharistia, datur Sacramentum & res Sacramenti; sed ex vtroque capite, venialia remmittit; ex Sacramento, nam datur per modum cibi nutrientis, ad instaurandum quod quotidié perditur;ex re Sacramenti,nam hæc est charitas fervorem excitans: ergo, &c.

Sed est dubium: quæ dispositio requiratur, vt Eucharistia venialia remmittat? Aliqui docent,remmitti ex opere operato; sed verius est, requiri dolorem supernaturalem attritionis, quæ est virtualis displicentia peccati. Hoc insinuare videtur D. T. art.4. cit. ad 1. vbi ait: peccata venialia, et si non contrarientur charitati quantum ad habitum, contrariantur quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc Sacramentum, ratione cuius, peccata venialia tolluntur,& idem ait, in 4. dist.12.dicens: ex fervore charitatis,peccata venialia dimmituntur, propter hoc quod dicto fervori contrariantur,idem ex consequenti,virtute huius Sacramenti, venialia delentur.

Secunda pars, de præservatione á mortalibus futuris, præterquam, quod constat ex dicto Tridentini. Prob. ex D. Thom. loc. cit. sic præservatur anima á morte culpæ, sicut corpus á morte futura; sed corpus dupliciter præservatur á morte per cibum naturalem,& quia roboratur contra interiora corrumpentia; & quia munitur contra exteriora pericula, & vtrumque fit per Eucharistiam; primúm,quia ex vnione cũ Christo,roboratur cor, iuxta dictum Psalmi:panis cor hominis confirmet; secundúm, quia est signum Passionis Christi, quæ

repellit dœmorum impugnationes, vndé asserit Chrisostomus: sicut Leones spirantes flamam, sic ab illa mensa recedimus, terribiles effecti diabolo: ergo, &c.

Nec obstat: Quód plures digne sumentes Eucharistiam iterum in peccata labuntur. Resp. enim, quod Eucharistia præservat á peccatis, iuxta hominis conditionem, cum autem homo in statu viæ, per liberum arbitrium, possit declinare in bonum & malum, ideo Sacramentum quantum est ex se, habet virtutem præservativam; non autem aufert homini potestatem peccandi; & similiter licet sit Sacramentum charitatis, & hæc in via possit amittí, hoc est attenta hominis conditione, non verò si attendatur virtus Sacramenti.

Sed duo sunt valdé notanda, circa rationem nostram. Primùm summitur ex D. Thom. cap. 6. Ioannis, vbi ait: quód Eucharistia est cibus cœlestis, & sic nutrit secundum conditionem suæ naturæ, cœlestia autem sunt incorruptibilia, & ideo removet corrumpentia vitam, sicut lignum vitæ Sacramentum figurans, immortalitatem præbebat, Secundùm affertur á M. Soto, in 4. dist. 11. q. 2. art. 6. dicente: quód licet alia Sacramenta operentur in virtute Passionis Christi Eucharistia verò, est propria eius imago; quare, non solum quasi crucis signaculo, sed ipso crucifixo, in hoc Sacramento, dœmones repelluntur.

Secunda difficultas: Vtrum adeptio gloriæ, sit effectus huius Sacramenti? Resp. affirmativé cũ D. T. q. 79. ar. 2. constat 1. ex verbis Christi dicentis: qui mã ducat hunc panem vivet in æternum; & ratio est: nam in Eucharistia, & est id ex quo habet effectum, nempé Christus in ea contentus, & id per quod effectum habet, nempé vsus Sacramenti, & eius species; sed ex vtroque est gloriæ causativa; ex primo, quia vt ait Paulus, morte Christi intercedente qui vocati sunt, accipient repromissionem æternæ hæreditatis; ex secundo: quia vnitas spiritualis in Eucharistia designata, habetur nunc imperfectè, & perfectè in statu gloriæ: ergo, &c.

Explicatur hoc: Sacramentum Eucharistiæ, datur per modum spiritualis alimenti: ergo debet præstare eosdem effectus proportionaliter, ac naturalis cibus; sed hic auget vitam, illam conservat, & ad perfectam ætatem perducit: ergo etiam Eucharistia, id facit in anima; & vlteriùs hoc alimentum spirituale, excedit corporeum, nam hoc non præstat vitam perpetuam, nam illo sumpto, vita finitur senectute vel infirmitate, alimentum verò Eucharistiæ, præstat vitam indeficientem; vndé ait D. Thom. in off. Eucharistiæ, fac nos Domine sempiterna fruitione repleri, quam prætiosi corporis & sanguinis tui, temporalis perceptio præfigurat.

Dices: quód adeptio gloriæ, correspondet primæ gratiæ, quæ ab Eucharistia non confertur. Contra est: nam Eucharistia, vt suprá diximus, potest considerari, vt particulare Sacramentum, respiciens effectũ sibi proprium, & vt causa vniversalis omnium Sacramentorum, quatenús hæc, dicunt ordinem ad illam; sed licet primo modo, non causet primam gratiam, benè verò secundo modo, quia alia Sacramenta, illam causant in ordine ad Eucharistiam; qua propter ait D. Thom. q. cit. art. 1. ad 1. quód nullus habet gratiam, ante susceptionem huius Sacramenti, in re vel in voto: ergo, &c.

Sed obstat contra hoc: Quia non videtur in quo genere, Eucharistia causet gloriam, nam maius quid est frui Deo, in specie propria quam, in aliena, vt fit in Eucharistia, & maius non efficitur á minori. Præterquam, quod Eucharistia causat gloriam, quatenús causat gratiam, quæ dat ius ad gloriam; sed hoc est commune omni Sacramento: ergo non est proprium Eucharistiæ. Ad 1. Respondet D. T. quód cum Christus summitur in aliena specie in Eucharistia, hoc pertinet ad rationem Sacramenti, quod solum instrumentaliter causat, & causa instrumentalis, potest producere effectum perfectiorem.

An autem hæc causalitas instrumentalis gloriæ, sit physica? Aliqui affirmant, quos sequitur Nuño, ex eo ducti, quod D. Thom. loquitur de causa instrumentali, in materia Sacramenti, quod causalitatem physicam sonat; & etiam quia Christus physicé causat gloriam, & cum ille realiter contineatur in Eucharistia, etiam hæc physicé causat. Sed re vera, hoc dictum est difficile; nam vel hæc causalitas physica, fieret elevando sumptionem, quod repugnat, nam beatitudo est actus vitalis; vel elevando species, & hoc non, quia solum Deus dat gratiam & gloriam.

Nec obstat: quód nos tribuimus Sacramentis, influxum physicum in gratiam. Resp. hoc verum esse, sed non in gloriam quæ quid maius est; nec facile apparet, quomodo Sacramentum, á viatore sumptum & consumptum, dum eius anima sit extra corpus, in ea causet gloriam, & corporis resurrectionem. Vndé talis causalitas instrumentalis gloriæ in Eucharistia, solum est mediata, quatenús causat gratiam, quæ est semen gloriæ, & præstat viaticum, quo ad gloriam pervenire possimus; quare Sacramentum hoc, vocatur á D. Thom. pignus gloriæ, quia in illo gloria continetur, tanquam in pignore, & eadem ratione dicitur: O salutaris Hostia, quæ cæli pandis ostium.

Sed restat, solvere secundam partem replicæ, nempé quod hoc modo causare gloriam media gratia, est omni Sacramento commune. Sed resp. quód hæc instrumentalis gloriæ causalitas, specialiter convenit Baptismo & Eucharistiæ; sed huic specialius; de Baptismo patet, quia dat nobis gratiam inchoationis vitæ spiritualis, per quam constituit nos filios & hæredes gloriæ, nam si filij &

hæ-

hæredes. De Eucharistia constat. Tùm, quia illa, est vniversalis finis Sacramentorum vt vidimus. Tùm, quia vitam spiritualem nutrit & sustentat, & sic virtute sua facit, vt vita æterna nobis donetur.

In quo autem, hic specialissimus Eucharistiæ modus in causanda gloria consistat? Resp. quód in pluribus. Primó: quia gloria consistit in vnione cum Deo, quæ figuratur in Eucharistia, cum sit Sacramentum vnionis. Secundó: quia realiter Christum continet, qui per suum sanguinem, nobis paradisum aperuit. Tertió: quia eius proprius effectus, est confortare in bono, & liberare á malo, & facere aditum ad gloriam, & ideo dicitur viaticum. Quartó: quia præstat auxilia vberiora, quibus additur, coniunctio cum Christo in se contento, cuius contactus, est quasi semen vivificum immortalitatis, ratione vnionis cum divinitate, cum alia Sacramenta, solum mortuo modo & vt instrumenta inanimata, virtutem divinam applicent animæ.

Tertia difficultas: Quo tempore conferat gratiam Sacramentum Eucharistiæ? Resp. quód quantumvis homo sit dispositus, Eucharistia gratiam non confert, nisi dum actualiter summitur; sic D. Thom. q. 80. art. 8. ad 6. & ratio est: nam Christus promisit gratiam manducantibus Eucharistiam, cum dixit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & iterum: nisi manducaveritis carnem filijs hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam. Unde si Eucharistia, miraculosé poneretur in stomacho, gratiam non causaret ex opere operato, quia non daretur Sacramentalis susceptio, per modum cibi & manducationis.

Ex hoc deducitur: quód dum primo species Sacramentales sunt in ore, gratiam non causant, sed in eo instanti in quo verificatur manducatas esse, & gutur transisse. Primùm constat: quia Eucharistia causat gratiam per modum comestionis, quæ completa non est in ore; masticare enim, non est propré comedere, sed deglutire, sic ait Mag. Soto. Secundùm patet: nam cuilibet Sacramento, debet assignari punctum, in quo habeat suum effectum, quod est instans illud, in quo perficitur applicatio, & hoc in Eucharistia, per manducationem fit; quod habetur apud D. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 4.

Sed maior est difficultas, an Eucharistia causet gratiam toto illo tempore, quo species in stomacho durant? Resp. negativé, nam ex oppositó sequeretur, quod qui plures Hostias reciperet vel plus vini quam alter, etiam reciperet maiorem gratiam, quia istæ species plus durant in stomacho, quod est contra D. T. q. 79. art. 7. ad 3. & damnatum per S. Generalem Inquisitionem, die 9. Maij anni 1623. Deindé sequeretur, quod esset melioris conditionis, qui haberet debiliorem stomachum, & tardius digereret, quia daretur longius tempus collationis gratiæ; & tandem sequeretur, quod quis posset mortaliter peccare in sumptione Eucharistiæ, & gratiam accipere, si ante digestionem peniteat, quæ omnia sunt absurda satis.

Dices: quód toto tempore durationis specierum, Christus est realiter eis vnitus, & sic gratiam causat, sicut etiam alimentum corporale, nutrit toto tempore quo durat. Resp. quód non est eadem ratio de corporali cibo, vt sæpiús diximus, & ad præsens est differentia, nam cibus corporalis, nutrit dum digeritur & corrumpitur, hoc autem Sacramentum, nutrit quandiu durat incorruptum; proportio autem vtriusque, consistit in eo, quod sicut cibus corporalis nutrit, quando debité applicatur, etiam sic cibus Eucharistiæ, nutrit spiritualiter, quando debité summitur, non autem post sumptionem, quanto tempore in stomacho durat propter inconvenientia proximé adducta.

Si dicas: quód potest quis indignè summere, & tempore durationis specierum conteri, & fieri ex attrito contritus, & tunc gratiam recipiet. Resp. hoc esse per accidens, quia per contritionem sequentem, aufert obicem gratiæ, per se enim, gratia tolum datur in instanti manducationis. Et si iterum dicas: quód sic sumens, privabitur sæpiús fructu gratiæ, si tempore sumptionis intentionem non habet sed postea. Resp. quód vt dicemus, ad effectum huius Sacramenti recipiendum, non requiritur actualis devotio & intentio, sed sufficit virtualis, quæ potest manere ex præcedenti, quia omnia illa ordinantur ad vnum.

Infertur ex his 1. Quód Eucharistia gratiam causat, in instanti extrinseco terminativo manducationis; hoc generaliter de omnibus Sacramentis manet suprá dictum, & nunc de Eucharistia specialiter probatur: nam gratia non causatur ab Eucharistia successivé, sed in instanti; sed non in instanti intermedio, quia non est maior ratio vnius quam alterius: ergo causatur in instanti terminativo; & ratio huius est: quia Eucharistia causat gratiam per modum cibi, sed manducatio non est completa, & perfecta, usque ad vltimum instans in quo finitur, quod est terminativum illius: ergo, &c.

Nec obstat: Quód manducatio non confert gratiam ratione sui, sed ratione termini, qui est Christus; nam licet manducatio gratiam non conferat, vt ratio formalis, sed solum Christus qui est terminus, hic tamen illam causat media manducatione: ergo non causatur vsque ad terminationem istius. Prob. ant. alia Sacramenta, causant gratiam medio eorum vsu, nam hic est actus liber voluntatis: ergo idem est dicendum de Eucharistia, & sic causat gratiam, media manducatione libera, quæ voluntati subijcitur, & non per Christum qui est terminus, si se solo summatur.

Infertur 2. Quód quando plures species panis vel vini, summuntur successivé vnica sumptione, gratia confertur in sumptione prima per se, licet

per

per accidens, & ratione maioris dispositionis, maior gratia causetur in secunda. Ratio primi est: quia in prima sumptione, summitur totus Christus, & sine fundamento, collatio gratiæ, differretur vsque ad vltimam. Ratio secundi est: quia vita gratiæ, confertur in Eucharistia recipientibus digne, & dispositis recté: ergo si in prima sumptione, non datur dispositio, collatio gratiæ differtur ad secundam, & quo dispositio fuerit dignior, eo gratia, evadit excellentior.

Infertur tertiò: Quód Eucharistiæ Sacramentum, remittit pœnam peccati, non directé sed ex consequenti. Prima pars patet, quia hoc Sacramentum non est institutum ad satisfaciendum, sed ad nutriendum, & sic directé non remittit pœnam secundúm constat, nam Eucharistia, habet vim remittendi peccatum, quod sine alicuius pœnæ remissione non fit; non autem totiús pœnæ, alias sumenti Eucharistiam, nulla pœnitentia deberet iniungi, sicut hac ratione, non iniungitur in Baptismo. Hoc dicimus de Eucharistia vt Sacramentum, nam vt est Sacrificium, directé pœnam remittit, quia pro vt sic, habet vim satisfactoriam respectu Dei. Sic D. Thom. loc. cit. art. 5.

Quarta difficultas: An vtraque species Eucharistiæ, plus gratiæ conferant, quam vnica sola species, Communiter asseritur ab auctoribus nostris, Sacerdotem sumentem Eucharistiam, sub vtraque specie, non recipere plus gratiæ, quam laicum, qui sub vna tantum specie communicat, stante vtriusque æquali dispositione. Sic insinuatur á D. Th. 3.p. q.80. art.12. ad 3. vbi ait: potest á populo corpus sine sanguine summi, neque indé sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert & summit, & sub vtraque specie, totus Christus continetur. His concordat Trident. Sess.21.cap.3. dicens: fatendum esse, etiam sub altera specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum summi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt. Nec valet dicere: quód in his verbis, non dicitur, non defraudari aliqua gratia, sed gratia necessaria ad salutem; gratia autem communicata per secundam speciem, non est ad salutem necessaria. Nam contra est: vel Concilium loquitur de gratia necessaria, secundum quid, vel simpliciter; sed de nulla istarum, est vera solutio: ergo, &c.

Prob. min. de necessitate simpliciter, nam Concilium ea verba profert, ad solatium laicorum; sed solatium non esset, defraudari gratia non necessaria simplicitér; alias etiam solatium haberent, si privarentur receptione Eucharistiæ in re, & etiam confirmatione, & extrema vnctione, quia hæc non sunt necessaria simpliciter ad salutem: ergo, &c. Prob. de necessitate secundum quid, nam quilibet gradus gratiæ, est necessarius secundum quid ad salutem, nam quo perfectior est gratia, etiam charitas, virtutes & operationes, evadunt perfectiores, & intensior gloria illis correspondet: ergo, &c.

Ratio autem resolutionis, sic formatur ex dictis. Concilium ait, sumentem Eucharistiam, sub vnica tantum specie, nulla gratia defraudari, quia in qualibet specie, est totus & integer Christus; sed ex hoc sequitur, non maiorem gratiam dare vtramque speciem quam vnicam, licet enim ex modo significandi, laicus non recipiat gratiam refrigerativam quam præstat sanguis, bené veró ex re significata, sicut sumens panem intinctum vino, ex re accepta, simul effectum vini reciperet: ergo, &c. Vndé asserit Conc. Basilien. Sess.30. non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie, est integer Christus.

Explicatur hoc: si vtraque species, maiorem gratiam conferret, hoc esset quia expresiús Christum significant quam vna; sed hæc ratio non convincit; ergo, &c. Prob. min. Baptismus per immersionem, expresiús significat fideles consepultos cum Christo, quam per asperssionem, & tamen vtroque modo, eandem gratiam importat; & idem est de matrimonio, quod expresiús significat vinculum, si fit per verba, quam per signa, & tamen quolibet modo, eundem effectum producit: ergo idem est dicendum de Eucharistia, sub vna specie vel duabus.

Sic defenditur communiter sententia hæc, quæ tamen, non satis me quietat; nam licet recté concludat, non conferri per duas species plus gratiæ quam per vnicam, ex parte rei contentæ, sed tamen ex parte specierum, & significationis earum, maior videtur conferri gratia, quod sic suadetur: nã Sacramentum Eucharistiæ, vel consistit in speciebus in recto, vel in corpore Christi; si primúm, quælibet species est Sacramentum, & habet vim partialem gratiæ productivam, sicut in extrema vnctione, quælibet vnctio, partialem gratiam causat, & similiter satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ, diversam gratiam causat ac pœnitentia.

Nec valet dicere: quód vtraque species continet eandem vim causativam, ratione Christi contenti; nam licet contineant eundem Christum, vna tamen species, in alia non continetur, & sic suam partialem virtutem causativam servant. Si dicas: quód species non causant gratiam secundum se. Resp. dist. anteced. secundúm se vt sunt partes Sacramenti, conc. vt distinguuntur á re contenta, & illam connotant, neg. Quód si dicitur: quód Eucharistia consistit in recto in speciebus & corpore Christi, vrget idem argumentum, nam saltim species, inadæquatè constituunt Sacramentum, & sic quælibet earum, habet partialem vim, gratiæ causativam.

Hæc

Hæc igitur omnia, concordantur dicendo: quód qui recipit vnam ſpeciem, non recipit minús gratiæ, ex parte rei contentæ, nempé corporis & ſanguinis Chriſti, quam qui recipit duas, ſed tamen ex parte ſpecierum, maior gratia cauſatur ab vtraque. Quód conſtat: nam Concilium in loc. cit. loquens de Chriſto ait, ſub qualibet ſpecie, ſummi totum & integrum Chriſtum, & loquendo de Sacramento dicit, quod qui ſummit ſub vna ſpecie, ſummit verum Sacramentum, non veró dicit integrum; & conſequenter, licet in qualibet ſpecie recipiatur vera gratia, non autem integra gratia, alias diceret Concilium, in vna ſpecie recipi integrum Sacramentum.

Sed contra hoc, ſtat Concilij auctoritas, quod laicus communicans ſub vna ſpecie, nulla gratia privatur, & ſic militant argumenta ſuprá poſita. Reſp. diſt. conſ. nulla gratia privatur, ex parte rei contentæ, conc. ex parte ſpecierum continentium, neg. licet enim in qualibet ſpecie contineatur integer Chriſtus, non veró integrum Sacramentum, ſicut nec vna ſpecies continetur in alia; vndé ex parte rei contentæ, non datur maior gratia in duabus ſpeciebus quam in vna, bené veró ex parte ſpecierum, ſicut ſuprá dicebamus, quod Sacramentum Euchariſtiæ eſt vnum numero, ex parte Chriſti contenti, diverſum tamen, ex parte ſpecierum continentium, & hoc modo ſententiæ concordantur. De quibus iudicium faciens M. Soto ait: nullum eſſe abſurdum concedere, vberiorem gratiã Sacerdotibus, ſub vtraque ſpecie conferri, quam populo ſub vna; cavet enim Eccleſia periculum fundendi ſanguinem, & ideo ſæcularibus non facit iniuriam illum ſubtrahendo: ſic ait D. Thom. q. 74. art. 12. in corp.

Hæc ſint dicta, vberioris doctrinæ gratia, ſed propter illa, non eſt recedendum á doctrina communi Thomiſtarum aſſerentium, quod etiam ex parte ſpecierum, vtraque non maiorem gratiam cauſat, quam vna ſola, quod & rationibus dictis & ſequentibus roboratur. Primó: quia eadem res indiviſibilis, diverſis ſignis, poteſt diverſimodé ſignificari, vt idem homo repræſentatur per imaginem in ſpeculo, in ſtatua, & in pictura, & ſic idem Chriſtus, per duas ſpecies Euchariſtiæ ſignificatur. Secundó: á paritate adducta Baptiſmi, nam emerſio, quæ ſignificat reſurrectionem cum Chriſto, & immerſio quæ ſignificat conſepeliri cum illo, licet diverſum modum habeant ſignificandi, eandem gratiam, & eundem Chriſtum ſignificant, & conſequenter, idem de ſpeciebus dicendum eſt. Tertió: nam aliud eſt, diminuté & partialiter ſignificare, & aliud eſt, ſignificare partem, ſeu diminutum, & ſimiliter aliud eſt plenius, & expreſsiús ſignificare, aliud veró, ſignificare effectum & fructum pleniorem; primum convenit ſpeciebus ſeorſim, non autem ſecundum, & ſic quælibet earum, ſignificat eandem gratiam & fructum. Quartó: accipiens vtramque ſpeciem, vel in ſumptione ſecundæ, habet meliorem diſpoſitionem vel non? Si primúm, nullus dubitat vberiorem recipere gratiam; ſi ſecundúm, in ſumptione calicis, nihil fructus percipit, quia idem eſt agens, & idem patiens eodem modo diſpoſitum, & ſic eodem modo ſe habet ac ſi ſumpta vna Hoſtia, ſummeret aliam. Omnes iſtæ rationes á Cayet. expenduntur, quæ ſatis noſtrum intentum probant.

Oppones: Quælibet ſpecies ſeorſim, eſt Sacramenti pars, vt conſtituat ſpirituale convivium: ergo ſuam ſpecialem gratiam cauſat: nam Sacramenta, ſunt effectiva illius quod ſignificant, alias vacua & inanis erit ſpecierum ſignificatio. Deindé: nam Clemens VI. conceſsit Regi Galliæ, communionem ſub vtraque ſpecie, & ait in Bulla, hoc concedere ad maius gratiæ augmentum & ſic vtraque ſpecies, maiorem gratiam cauſat. Reſp. ad 1. quód licet ex modo ſignificandi, vtraque ſpecies ſignificet expreſsiús; non veró ex parte rei ſignificatæ, & hoc ſecundum attenditur, ad perfectionem effectus Sacramentalis, non autem modus ſignificandi, nam Sacramenta, efficiunt quod ſignificant, non quia modus ſignificandi efficiat, ſed ſolum ipſa ſignificatio; & inſtatur in Baptiſmo facto per immerſionem, in quo expreſsiús ſignificatur, nos conſepeliri cum Chriſto, & tamen eandem gratiam cauſat, factus per aſperſionem.

Nec obſtat quod dicebatur ſuprá, nempé vnam ſpeciem aliam non continere; nam licet illam non contineat, quo ad expreſſum modum ſignificandi, bené veró quo ad rem ſignificatam, nam vt ait D. Auguſt. tract. 27. in Ioan. manducare & bibere ſpiritualiter, vnum & idem ſunt; hoc enim Sacramenti Euchariſtiæ proprium eſt, quod cibus continet effectum potus, & é contra; quare dicitur in Pſalm. 77. v. 24. pluit illis manná ad manducandum, nam licet pluvia ſtillet aquam ad bibendum, hoc autem in manná Euchariſtico reperitur, quod dum potui deſervit, eſt etiam cibus, omnem continens ſaporem. Ad 2. Reſp. quód Pontifex ait, vtramque ſpeciem daré maius gratiæ augmentum, non quidem ex opere operato, ſed ſolum ex opere operantis, qui debebat accedere maiori diſpoſitione præditus.

Quinta difficultas: An peccatum veniale, impediat effectum Euchariſtiæ? Eſt idem ac inquirere, an qui accedit mente diſtractus, & ſine actuali devotione, recipiat augmentum gratiæ? Reſp. quód ad præcipuum effectum Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ, non requiritur actualis devotio, bené veró ad effectum ſpiritualis dulcedinis & refectionis. Vtramque partem tenet D. Thom. hic art. 8. vbi ait: effectus huius Sacramenti, non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ impe-

ditur si aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente distractus, non autem tollitur, augmentum habitualis gratiæ.

Ratio primæ partis est: quia Sacramenta conferunt gratiam, non ponentibus obicem; sed peccatum veniale distractionis, aut actualis indevotionis, non est obex augmenti gratiæ: ergo illud non impedit. Prob. min. Tùm, quia obex, solum est peccatum mortale. Tùm, quia alias cum veniali accedens, sacrilegium committeret, ponens obicem gratiæ Sacramentali. Tùm, quia impedimentum formæ, solum ponitur per formam contrariam, peccatum autem veniale, gratiæ non contrariatur vt patet. Si dicas: quód actualis indevotio, licet non sit obex positivus, est tamen negativus, quatenús quis, non satis se disponit ad augmentum gratiæ. Contra est: quia Tridentinum, assignans impedimenta gratiæ in Eucharistia, solum ait: quód nemo sibi sit conscius peccati mortalis; & idem ait D. Aug. tract. 26. in Ioann. Et vrgetur: quia iuxta Ecclesiæ communem vsum, confertur Eucharistia freneticis in articulo mortis, si desiderium illius præcesserit; sed hoc non esset licitum, si requireretur vt dispositio, actualis devotio, quæ in illis non datur; non enim licitum est, administrare Sacramentum, de quo scitur non esse habiturum suum effectum primarium: ergo, &c.

Sed est notandum: quód licet actualis indevotio, non impediat augmentum gratiæ, impedit tamen intensionem illius; & ratio est: nam gratia confertur subiecto dispositio: ergo quo remissior fuerit dispositio, remissior etiam gratia confertur; ex his constat secunda pars, nam peccatum veniale actualis indevotionis, opponitur cum charitatis fervore, & dulcedine spirituali: ergo illo stante, non confertur hic effectus; quód viteriús constat: nam hoc Sacramentum est perfectissimum: ergo vt eius effectum, plené & perfectissimé conferat, perfectam etiam dispositionem requirit, quæ consistit in actuali devotione, peccatum veniale excludente.

Sed arguitur contra primam partem: Sacramentum hoc, datur per modum cibi, sed cibus non nutrit nec auget, sine actu nutritii: ergo nec Eucharistia sine actuali devotione; præcipué cum sit congruum, vt homo iustificetur rationabiliter, negotiando per proprium actum, quod cum actuali distractione non componitur. Resp. quód vt sæpiús diximus, proportio cibi materialis cum Eucharistia, non est omnimoda; cibus enim convertitur in substantiam nutriti, & ideo supponit calorem, cibus autem Eucharistiæ, potiús nos convertit in se, vt Christus dixit Augustino, & ideo calorem devotionis actualis non requirit.

Ad id quod additur, quod requiritur, quod homo negotietur ad sui iustificationem. Resp. quód sufficit si negotietur virtualiter, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1. per hoc enim quod homo, videns & sciens, vult suscipere Sacramentum, virtualiter negotiatur erga Deum, quod compatitur cum distractione mentis, alias condemnarentur communiones sanctorum virorum, qui sola fragilitate levissima distrahuntur. Nec obstat D. Thom. qui in 4. dist. 12. q. 2. ait: quód peccatum tollens actualem devotionem, impedit effectum Eucharistiæ; ibi enim loquitur de effectu pleno, pro vt etiam actualem dulcedinem comprehendit, vt ex eius verbis patet, & hic non confertur, si est actualis indevotio.

Dices adhuc: quód Sacerdotes quotidié celebrantes, non multum augentur in gratia, quod solum ex culpis venialibus potest oriri, vt enim ait D. Greg. amor Dei otiosus non est. Resp. quód in celebrantibus quotidié augetur gratia, licet enim non se explicet in actus heroicos extraordinarios, bené veró in alios regulares, vt est observantia mandatorum Dei, & victoria tentationum; nec contrarium suadet defectus actualis fervoris, hoc enim ex complexione naturali contingit; mulieres enim piæ, sæpiús fervorem explicant, & tamen nullus dicet, quod Sacerdotes in gratia excedunt.

Nec obstat contra hoc, quod hæc gratia Sacerdotum, non apparet. Resp. enim, illam aliquando esse occultam, ex defectu materiæ; vndé imminente occasione, Sacerdotes fervorem explicant gratiæ, vt refertur contigisse, in debellatione Granatensi, vbi Sacerdotes præter spem, invicta constantia, á Mauris pertulerunt crudelia tormenta, & vt fructus communionis frequentis fuit habita; quod si exterius non apparet, hoc oritur ex multitudine impedimentorum, quæ tamen cœleste, quasi suffocant & cooperiunt, ne manifestè percipiatur.

Sexta difficultas: An possit dari accessus neuter ad Eucharistiam? Hoc est, quod taliter quis accedat, quod nec gratiam recipiat, nec committat peccatum mortale. Resp. affirmativé, quod potest contingere, ex ignorantia iuris vel facti, vel ex defectu examinis, vel doloris. Sic colligitur ex D. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. Prob. de 1. nam potest rusticus accedere cum peccato mortali, cuius habet conscientiam & affectum, & per ignorantiam invincibilem, existimare non esse mortale sic accedere, quia id sibi dixit homo doctus; sed tunc non consequitur gratiam, quia extat culpa, nec peccat, quia hoc invincibiliter ignorat: ergo, &c.

Prob. de ignorantia facti; potest quis mortaliter peccare, & de hoc invincibiliter oblivisci, & accedere ad Eucharistiam, sine dolore particulari vel vniversali; sed iste non peccat mortaliter de novo accedendo, propter oblivionem; alias non iustificatur, quia hoc nequit fieri, sine actuali contritione vel charitate, quæ est pœnitentia virtualis, & illa tunc non datur: ergo, &c. Prob. de defectu examinis, iam potest fieri diligentia insufficiens, quæ putatur sufficiens, ob dictum hominis docti;

sed

sed tunc nec mortale committitur ratione ignorantiæ, nec consequitur gratia, quia sufficiens probatio non præcessit: ergo, &c.

Prob. de deffectu doloris, nam vt ait D. Thom. loc. cit. si quis existens in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, devoté & reverenter accedat, consequetur per hoc Sacramentum, gratiam charitatis, quæ contritionem perficiat: ergo qui accedit sine contritione, & cum ignorantia invincibili, nec iustificatur, nec novam culpam committit; & ratio est: nam attritio naturalis, non est vera attritio, nec aufert obicem gratiæ, & sic non est sufficiens ad iustificandum, & alias non datur peccatum, propter ignorantiam invincibilem, quæ supponitur: ergo, &c.

Ratio autem communis & efficax pro omnibus his, est hæc: nam plus est recipere gratiam Sacramenti, quam non peccare illud recipiendo, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, & eius effectu: ergo maior dispositio requiritur ad primum, quam ad secundum, & sic potest hoc secundum stare sine primo. Prob. antec. Tùm in ipso Sacramento pœnitentiæ, quod maius est vt formatum, quam vt validum & informe. Tùm quia non peccare, consistit in privatione, & assecutio gratiæ, est quid positivum; sed res positiva, est aliquid maius quam privativa: ergo, &c.

Arguitur: Vt quis accedat ad Eucharistiam, requiritur dispositio & probatio sui, vt ait Paulus: ergo vel facit quis, quod in se est, & sic gratiam recipit, vel hoc non facit, & sic iudicium sibi manducat & bibit: ergo non datur accessus neuter. R. quód dupliciter quis potest se disponere, vel secundum veritatem, quæ á Deo cognoscitur, & sic gratiam recipit, vel secundum probabile iudicium propriæ conscientiæ, quod aliquomodo discordat á iudicio Dei, nec facile homo iudicat, an sit dignus odio vel amore, & sic accedens, non accipit gratiam, nec de novo peccat, quia pietas Dei, sciens hominis fragilitatem, ei culpam non imputat, si probabilis dispositio præcedat.

Dices: qui habet conscientiam peccati mortalis, peccat mortaliter accedendo ad Eucharistiam; sed non cognoscendo peccatum: quia hæc cognitio non est mala: ergo habendo peccatum in re, & sic mortaliter peccat. Resp. quód habens conscientiam peccati mortalis, peccat mortaliter, non quia peccatum cognoscit, sed quia de illo non pœnitet, quod non fit sine contemptu, & de hoc non loquitur conclusio. Si iterum dicas: quód peccator non accedit digne dispositus, & sic accedit indigne, cum non detur medium. Resp. quód licet inter dignum & indignum, non detur medium in re, bené veró in existimatione, & sic contingit in nostro casu.

Et si dicas: gratia confertur non ponenti obicem, & qui non peccat accedendo, non ponit obicem. Resp. quód obex gratiæ, non solum est peccatum de novo commissum, sed etiam defectus debitæ dispositionis, ad tollendum peccatum præteritum. Dices: quod non peccando, non accedit fictus, & sic gratiam acquirit. Resp. quód licet ibi non detur fictio formalis, quia in accessu, non committitur peccatum novum, datur tamen fictio materialis, nempé defectus dispositionis, & hoc est sufficiens impedimentum, ne gratia conferatur.

ARTICULUS VIII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus: Accusatus fuit quidam apud Regem, de variis criminibus, improborum calumnijs laceratus, quæ tamen crimina, ille non commisit, vt autem á sceleribus falsò impositis se purgaret, & sinistras de se opiniones argueret, inter Missæ solemnia, ad Regem ibi adstantem accessit, cui ait: vt cognoscas me immunem esse á criminibus illis, quæ mihi falsò imponuntur, summam nunc Christi corpus, supplex orans, vt si reus fuerim, me subita morte interimat, si autem innocens, servet incolumen, quo dicto, Hostiam ore susceptit, nullo secuto supplicio, & absque vllo metu; tale quid refert Baronius ad annũ Christi 1077. Quæritur: an pro huiusmodi effectu consequendo, licitum sit hoc exemplum imitari? Casum proponit Gobatus, cuius hæc est responsio. Respondeo: non esse imitandum, quia præsentium temporum consuetudo, id vetat. Nec est hac ætate difficultas de hac re, sed de alia affini, an scilicet excusandi sint illi, qui vt extorqueant incognitam sibi veritatem dicunt: credam te verum dixisse, si eras ad tuorum verborum confirmationem, sumpseris sacram Hostiam. Excusandos non esse, censet absolutè Palaus & Tanerus, rati, hoc ipsum esse iure positivo prohibitum.

Sed quia neque textus iuris, neque ratio quam affert D. Thom. q. 80. art. 6. ad 3. neque alij Canones vim habent (ait ipse) nisi in casu quo petitur, vt Deus miraculo asserat, innocentiam sumentis Eucharistiam, neque ex natura rei, & per se vllam malitiam continet; id circo censeo cum Suarez, posse in aliquo casu eam permitti, cum illius obiectum, sit re vera aliquid, instar meri iuramenti, & quidem non planè inusitati; attamen, vulgò & communiter, vsurpari non debet ob periculum. Et quidem eruditissimus P. Theophil. Raynaudus dicit, se ponere extra dubium, quod spectato iure naturali, purgatio per sumptionem divinæ Eucharistiæ, sit legitima, cum plura illius exempla extent apud Gratianum, nunc autem esse vetitam. Hæc Gobatus, de quo puncto agit Prado, q. 80. dub. 8. §. 5.

Nos autem, qui Angelici Doctoris tenemur sec-

ta-

ctare vestigia, eius doctrinam apponimus pro resolutione nostra; loco enim cit. in arg. 3. sic ait: corpus Christi, interdum datur suspectis de crimine, ad criminis manifestationem; legitur enim in Decret. 2. q. 4. sæpé contingit, vt in Monasterijs Monachorum, furta perpetrentur; ideirco statuimus, vt quando ipsi fratres, de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, & sic expleta Missa, omnes communicent in hæc verba: corpus Domini sit tibi hodie ad probationem; & idem, si Episcopo vel Presbytero, aliquod maleficium fuerit imputatum. Ad hæc, ex quibus argumentum conficit D. Tho. respondet ipse. Ad 3. dicendum: quód Decreta illa, sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum; dicit enim Stephanus Papa: ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionē extorqueri á quolibet, Sacri Canones non concedunt; spontanea enim confessione, vel testiū approbatione, publica delicta, commissa sunt regimini nostro iudicare; occulta verò & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum: in omnibus enim talibus, esse videtur Dei tentatio, vndé sine peccato fieri non possunt; & graviús videretur, si in hoc Sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis; vndé nullo modo corpus Christi debet dari, alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem; hæc est D. Thom. resolutio, & nostra.

Casus secundus: Cúm Magnus Parens Augustinus, erroribus Manicheorum viveret implicatus, ante suam ad fidem conversionem, invenit se longe esse á Deo in regione dissimilitudinis, & inter tot dubietatis tenebras audivit vocem de Cœlo dicentem sibi: cibus suum grandium, cresce & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me; ex quo Magnus Doctor, postea in Eucharistiæ laudem, hæc verba conscripsit: O Sacramentum pietatis, ó signum vnitaris, ó vinculum charitatis. & D. Chrysostomus ait: Hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus, vnum Christi corpus & vna caro. Occasione huius, dubitatur nunc: quænam sit huiusmodi vnio, quæ inter Christum, & sumentem intercedit, per Eucharistiæ susceptionem? Sentit Mendoza Episcopus Burgensis, quod fideles per Eucharistiæ susceptionem, non solum consequuntur vnionem charitatis, & affectus cum Christo, sed etiam realem, substantialem & naturalem vnionem carnis eius, cum carne Christi; quod probat auct. D. Cirilli, lib. 4. in Ioan. cap. 17. vbi ait: sicut si quis, liquefactæ ceræ, aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commisceat necesse est, sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.

Sed tamen, verum & tenendum est, quod præter physicam præsentiam Christi in ore, & stomacho sumentis Eucharistiam, non est alia vnio realis naturalis & physica corporis vtriusque; sic tenent communiter omnes, & colligitur ex auctore Sermonis de Cœn. Dom. apud S. Ciprian. dicente: fidei nostræ infirmitas edocetur, visibilibus Sacramentis, inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam spirituali transitione, Christo nos vnire. Ratio est: quia corpus nostrum, non vnitur cum corpore Christi, nec substantialiter, nec per identitatem, nec in natura, nec in persona, nec vnione materiæ & formæ, nec accidentis & subiecti, nec continuatione vnius corporis cum alio & cum non sit excogitabilis alia vnio, illa ficté & sine fundamento poneretur. Deindé, vnio fidelium cum Christo, similis est vnioni eorum inter se, iuxta dictum Pauli: vnus panis vnum corpus multi sumus omnes, &c. Sed fideles, non vniuntur inter se corporaliter, sed puré spiritualiter, hæc enim est conditio membrorum corporis mistici, ad differentiam membrorum corporis naturalis, vt ait D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. in corp. ergo, &c.

Quænam autem sit vnio illa, corporis Christi cum nostro? Dicitur: quód est per modum continentis & contenti & causæ medio Sacramento moventis immediaté, & causantis in toto homine sumente Eucharistiam, coniunctionem cum Deo & Christo, per gratiam & virtutes, ex quibus aliquid redundat in corpus. Sic tenent B. Alb. Magn. Turrecremata, Coninch, Henriquez & alij, qui hoc declarant, exemplo Angeli moventis Cœlum, & ex vtroque fit vnum principium motus, & influxus in inferiora, & etiam exemplo ferri candentis, in quo ignis manens in sua natura, penetrat totum ferrum, & ex vtroque fit vnum principium producendi calorem; & similiter Christus manens in sua natura, immediaté vnitur sumenti Eucharistiam, & per dona gratiæ totum penetrat, & ex animobus fit, vnum & perfectum principium operationum; quæ doctrina affertur á D. T. Ioann. 6. vbi ait: quia Deus carnem sibi vnivit, caro eius vivificativa existit, non quod in Dei naturam transierit, sed secundum quandam igniti ferri consuetudinem, quod & ferrum manet, & ignis actum ostendit.

Restat modo, satisfacere ad motivum Mendozæ; ad quod dicimus: quód exemplum de cera, non tenet quo ad omnia, sed affertur ad explicandam Christi realem præsentiam in Eucharistia; quod si aliquando SS. PP. videntur oppositum insinuare, pro quo citatur D. Hilar. lib. 8. de Trinitate, dicitur: quód si forté asserunt dari vnionem naturalem, inter corpus Christi & nostrum, hoc est quia Christus manet in nobis per vtramque naturam nempé divinam & humanam, & nos in ipso, per corpus & animam, quæ in nobis sunt quasi duæ natu-

ræ; vocatur autem Eucharistia Sacramentum vnitatis, quia est perfectivum & consummativum tantæ vnitatis, vltra quam anima nostra in via, non videtur posse Deo perfectiori modo vniri, & illa dicitur naturalis vnitas, quia non solum est vnitas voluntatis per conformitatem in volito, de qua ait Arist. quód vnum de amicabilibus, est eadem velle, sed quodamodo vnitas naturalis, in quantum per hoc Sacramentum, manet in nobis Christus, secundum vtramque suam naturam; verba sunt Cardinalis Turrecremata.

Casus tertius: Cuidam Galliæ honestæ nobilique Matronæ, á Sede Apostolica concessum est, vt quotidié post prandium communicaret, ad compescendum horribilem totiús corporis tremorem, quo dœmonis maleficio, post sumptionem potus torquebatur, etiam cum vitæ periculo, contra quod omnibus remedijs tentatis, vnicum expertum est, Sacramentum Eucharistiæ, adeoque promptum & efficax, vt eodem instanti, quo Sacra Hostia eius labia & linguam pertingebat, tremor ille tolleretur ab ea, & mox ad pristinam quietem reducebatur. Quæritur: an effectus ille sanitatis in corpore, re vera posset ab Eucharistia procedere? Quód est idem ac quærere: an Eucharistia, aliquos effectus causet in corpore sumentis?

Ang. D. q.74. art.1. in corp.ait: Corpus Christi sub specie panis, pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini, pro salute animæ offertur, sicut dicitur Levit. 17. quód anima carnis, in sanguine est, & idem ait, q. 76. art. 2. ad 1. quód repetit S. D. in himno corp.Christi dicens: quibus sub bina specie, carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substantiæ, totum cibaret hominem; ex quo patet, Eucharistiam habere aliquos effectus, in corpore summentis. Hoc tamen videtur difficile: quia corpus, non est subiectum gratiæ, & ita nequit cibari spirituali alimento; nec apparet cur panis, correspondeat corpori, & sanguis animæ. Sed respondet D. Thom. q.79. art.1. ad 3. quód quia Sacramenta, operantur salutem quam significant, ideo secundum quandam assimilationem dicitur, quod in hoc Sacramento, corpus offertur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quamvis vtrumque, ad salutem vtriusque operetur, cum sub vtroque, totus sit Christus; & licet corpus, non sit immediatum subiectum gratiæ, ex anima tamen, redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti, membra nostra exhibemus arma iustitiæ Deo, & in futuro, corpus nostrum sortietur incorruptionem, & gloriam animæ.

Quinam autem sint effectus isti, in corpore digne summentis ab Eucharistia causati? Resp. quód illi sunt, ardoris concupiscentiæ extinctio, fomitis peccati diminutio, & devotionis augmentum; ratio est: quia per Eucharistiæ sumptionem, refrenatur pravus appetitus, & inclinatio ad malum, & excitatur pietatis ardor, raptus in bona supernaturalia, qui ex natura sua, extinguit ardorem terrenum (sicut dicit D. August. de B. Laurentio, in cuius die sacro hoc scribo: Divinus Salvatoris ardor, materialem tyrani restrinxit ardorem) & vlteriús, ob Sacram Eucharistiam digne susceptam efficit Deus, ne occurrant nobis cogitationes noxiæ, quæ inordinatos & fœdos motus, solent excitare, & ne dœmon tam furiosé nos tentet, sicut faceret, si non fuissemus pani vivo, & vitali refecti. Sic explicat D. Thom. opusc.58. cap.26. illud Z char. 9. quid bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines; sicut enim ex arborum germinatione furcubi pullulant, sic ex anima digne sumentis Sacramentum, puritatis affectus exoritur.

Sed quomodo Eucharistia, hos effectus in corpore producat, an immediaté causando qualitates supernaturales, quæ id operentur in corpore, an solum mediaté, quatenús gratia Sacramentalis habet annexa auxilia, quibus producantur actus, concupiscentiam mitigantes, & illam rationi subijcientes? Hoc secundum videtur veriús, & D. Thom. conformiús, qui q.79. art.6. ad 3. ait: Licet hoc Sacramentum, non directé ordinetur, ad diminutionem fomitis, dimminuit tamen fomitem, ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem, quia sicut S. Aug. dicit: augmentum charitatis, est dimminutio cupiditatis, directè autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præservatur homo á peccato; vndé Eucharistia fomitem extinguit, quia annexa habet auxilia, quibus excitantur piæ cogitationes, ad illum finem accomodatæ, & extrinsecas occasiones removet, ne augeatur fomitis incendium.

Deindé, in alia vita, Eucharistia quæ modo digne susciptur, causat resurrectionem corporum, non eo sensu, vt omnes vel soli communicantes, sint resurrecturi, sed quia huius cœlestis cibi perceptio, excitat mediaté, vel immediaté in nobis gratiam actualem, per quam adiuti, elicimus actus, eius augmentum promerentes, & in resurrectione futura, maiorem corporis claritatem. Hoc constat ex cap. 6. Ioan. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die; & D. T. ibi, lect.7. ait: magna vtilitas huius cibi est, quia dat vitam æternam animæ, sed etiam magna est, quia dat vitam æternam etiam corpori, & ideo subdit: & ego resuscitabo eum; de quo assignat duas congruentias. Prima: quia per Eucharistiæ susceptionem, fit aliquis particeps Spiritus Sancti, qui est causa resurrectionis corporum, vt ait Paulus ad Rom. 8. resuscitabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis. Secunda: quia vt dicit Aug. Verbum resuscitat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora, &

hoc secundo modo est in Eucharistia. Vndé patet responsio ad casum propositum, ad quod hæc verba Sanchez adiungo. Dicant quæso experti, num sanitatem validiorem præsentiant sæpiús communicando, aut abstinendo? Et sat scio, fatebuntur communicando; quare ait Ecclesia in quadam collecta: Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ, huius Sacramenti susceptio, & Seraphica V. S. Teresia, lib. itiner. perfect. cap. 34. sic ait: cogitatis non esse alimentum etiam corporibus, hunc sacratissimum cibum, & magnam medicinam, adhuc pro malis corporis? Ueré scio ego, & quandam personam agnosco magnas ægritudines patientem, quæ cũ multoties intensissimis vexaretur doloribus, Sacramento susceptо, quasi manu sensibiliter auferebantur, & totaliter sana remanebat.

Casus quartus: Parrochus quidam Missam celebrans, formulas consecravit pro Sacra Comunione sæcularibus porrigenda, postquam autem ille species panis & vini in Sacrificio consumpsit, alios comunicavit, quia tamen minor erat numerus, vt sufficere posit ad vescendum agnum, facta collatione ipsius cum formularum numero, aliquæ ex his superfuerunt, quas cum Parrochus decenter reservare non posset ante ablutionem, easdem ipse consumpsit. Quæritur: an tunc maiorem gratiam receperit, suprá illam quam accepit in Hostiæ principalis receptione? Resp. quód si talis Parrochus in illa secunda sumptione, novam & specialem dispositionem non habuit, novam gratiam non recepit; si autem talem dispositionem habuerit, licet in sumptione prima, susceperit effectum Sacramenti, postea in secunda, maiorem gratiam accepit, iuxta qualitatem præsentis dispositionis.

Prima pars adducitur á D. Thom. q. 79. art. 7. ad 3. vbi ait: nihil enim plus virtutis est in multis Hostijs consecratis, quam in vna, cum in omnibus & sub vna sit totus Christus; vndé, nec si aliquis simul in vna Missa, multas Hostias consecratas sumat, participabit maiorem effectum Sacramenti; ex quibus deducitur ratio: nam in casu prædicto, in prima Hostiæ sumptione, acceptum fuit á Parrocho, totum Sacramentum & etiam effectus illius, & sumptio secunda, eadem est moraliter cũm prima: ergo nisi adsit dispositio nova, in secunda sumptione, gratiam maiorem non recipiet; sic tenent etiam Suarez, & Bonacina. Secunda pars dicti constat: nam vt vidimus, secunda sumptio, est eadem moraliter cum prima; sed si Parrochus, primam Hostiam accepisset cum maiori dispositione, etiam suscepisset maius gratiæ augmentum: ergo hoc ipsum recipiet, si in secunda sumptione melius fuerit dispositus.

Explicatur hoc, sequenti similitudine: ponamus aliquod corpus lucidum, magnitudinis parvæ Hostiæ, habere vim illuminandi corpus distans duodecim passus, vt duo; & distans per novem passus, habere vim illuminandi vt tria, & distans per sex passus, illuminandi vt quatuor, & rursús ponamus: corpus illud lucidum, habere eandem vim illuminativam in qualibet sui parte, ac in se toto; tunc si tale corpus, in locum obscurum per foramen angustum immittatur, primo instanti quo particula per foramen transierit, corpus duodecim passus distans, vt duo illuminabit, quandiu in tali distantia perseveret, si autem fiat ei magis propinquum, illuminabit fortius & intensius, tanto quanto illuminasset, si ab initio fuisset propinquius; similiter igitur discurrendum est in hoc Sacramento, cui meliús dispositus potest dici magis propinquus, ac proindé, maiori gratia illustratus.

Dices contra primam partem: sumpta á Sacerdote specie panis, postea per sumptionem speciei vini, maiorem gratiam recipit in sumptione secunda, vt probabiliter docent plures; cum Lugo, Palao, Casalio, Arboreo, & Hurtado: ergo idem dicendum in præsenti casu, de secunda sumptione particularum. Resp. quód licet doctrina antecedentis sit probabilis, oppósita tamen est verior, præcipué in doctrina D. Thom. quam retulimus & defendimus, suprá art. 7. difficult. 4. Ucl secundó dicatur: quód auctores oppositum tenentes communiter asserunt, quod communicans sub vtraque specie, maiorem gratiam recipit, dummodo in sumptione secundæ, sit meliús dispositus & hoc nostram resolutionem confirmat. Tertió tandem, admisso antecedenti absoluté pro nunc, neg. cons. & disparitas est: quia species diversæ rationis, vt sunt panis & vinum, significant adæquatam rationem convivij, per modum cibi & potus, & cum Sacramentum causet, id quod significat, ideo vtriusque speciei sumptio, maiorem gratiam causat, & hac tali quali ratione, moventur authores illi, ad hoc asserendum; in speciebus autem eiusdem rationis, vt sunt plures species panis, illa diversa significatio non reperitur, & sic patet vtriusque differentia.

Hinc incidenter resolvitur, alter casus de quibusdam indiscretè confessario petentibus, vt dum eos communicat, formulam maiorem conferat, vel plures particulas minores. Licet enim hoc, absoluté & per se non sit illicitum, nec alicui legi, nec Canoni prohibenti oppositum, vt ait Leander, & Vazquez; sed tamen accidentaliter illicitum est, nec vllo modo permiti debet nec practicari, in hoc enim, datur periculum introducendi superstitionem aliquam vel opinionem, circa huius Sacramenti virtutem; qua propter ait Coninch, hæc sententia, non debet dare occasionem aliquibus, qui id satis superstitiosè curant, vt inter communicandum, plures Hostias suscipiant, quo diutiús in stomacho hæreant, atque ita maiorem gratiam suscipiant; quia si velint, se æqué diligenter præparare, æqualem gratiam percipient, sive parum, sive diu hæreant, & ideo suprá retulimus, mirabilem panitio-

rionem expectam á quodam, pro communione petente Hostiam maiorem. Præterquam, quod hoc damnatum est ab Innoc. XI. in Decret. expedito, die 12. Februarij, anni 1679.

Casus quintus: Sanctus Ludovicus Bertrandus, Ordinis nostri singularis honor, feré quotidié Missam pro peccatoribus celebrabat, & rogatus ab amico, cur sæpé pro peccatoribus, & raro pro defunctis celebraret? Sanctus respondit, quod defuncti in Purgatorio pœnas luentes, de sua salute sunt certi, nos autem in periculis fluctuamus, & cum á sententia ista, non posset rationibus dimmoveri, sequenti nocte defunctus apparuit ei, & horribilis aspectu, illumque excitavit, perterruit, vexavit, & fascé lignorum eum compressit; manè igitur oriente aurora, amicum vocat, gesta narrat, & deinceps, inter lachrimas & suspiria ad aram accedens, pro defunctis, sæpiús Sacrificium offert. Circa huiusmodi casum dubitatur: an expediat quod laici, Eucharistiam summant pro animabus Purgatorij?

Asserit D. Thom. q. 79. art. 7. quód Eucharistia, per modum Sacramenti & Sacrificij, sumentibus prodest; alijs verò qui non summunt, prodest per modum sacrificij, quatenús pro salute illorum offertur. Primùm patet ex Canon. Missæ vbi dicitur quotquot ex hac Altaris participatione, Sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione & gratia Cœlesti repleamur. Secundúm constat, ex eodem Can. dicente: Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium, &c. Vndé ait D. Thom. q. 78. art. 3. ad 8. vbi ait: sanguis Christi, non solum habet efficaciam in Sacerdotibus, qui hoc conficiunt Sacramentum, vel alijs qui summunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. *Si dicas*: quód sic posset contingere, vt aliquis consequeretur gratiam, gloriam & remissionem culpæ, sine actione vel passione propria, alio summente & offerente pro ipso. Resp. quód sicut Passio Christi, prodest omnibus quo ad sufficientiam, sed effectum non habet, nisi in illis qui iunguntur ei per fidem & charitatem, idem contingit in hoc Sacramento, quod est Dominicæ Passionis memoriale; sic D. Thom. in illo art. 7. ad 2.

Ad casum ergo dicitur: quód authores moderni, per duo extrema, declinarunt á veritate communi: nam Theophilus Raynaudus, opusc. lum scripsit cuius titulus est: error popularis, de communione pro mortuis agenda; ibique acriter invehitur, in illos qui defunctorum animas, hac via sublevare volunt. Sed Thomas Hurtado, per aliud extremum ait, talem communionem laicorum pro mortuis, non solum esse satisfactoriam & impetratoriam, ex opere operantis, sed etiam ex opere operato; nam illa efficaciam habet ad remittendam pœnam temporalem suscipientis, & in eius libera voluntate est, solvere debitum alteriús, & satisfactionem quam in ipso causare debebat, applicare pro mortuis, quibus proderit ex opere operato, licet quo ad applicationem, pendeat ex opere operantis.

Sed media via incedimus nos dicendo: quód sumptio Eucharistiæ, quæ fit á laicis solum eis prodest ex opere operato, nec sic potest applicari pro defunctis, benè verò ex opere operantis, & sic est illis consulenda, vt iuventur fidelium animæ. Prior pars colligitur ex D. Thom. sup. cap. 6. Ioan. lect. 6. dicente: alia Sacramenta, habent singulares effectus, sicut in Baptismo, solus baptizatus suscipit graciam, sed in immolatione huius Sacramenti, est vniversalis effectus, quia non solum Sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, & Ecclesia tota, tam vivorum, quam mortuorum, cuius ratio est: quia continetur in ipso, causa vniversalis omnium Sacramentorum, scilicet Christus; nec tamen si laicus summat hoc Sacramentum, prodest alijs, quantum est ex opere operato, in quantum consideratur vt perceptio, quamvis ex intentione operãtis & percipientis, possit communicari omnibus, ad quos dirigit suam intentionem, ex quo patet, quod laici summentes Eucharistiam, pro his qui sunt in Purgatorio, errant, quia eis non prodest ex opere operato, sicut prodest sacrificium Missæ, pro eis applicatum á Sacerdote.

Nec obstat: Quód D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. ait: quód Eucharistia est signum Ecclesiasticæ vnitatis, & ideo ex ipso opere operato, eius efficacia in alterum transire potest, quod non contingit, in alijs Sacramentis; nam resp. sensum esse, quod hoc est peculiare Eucharistiæ inter alia Sacramenta, quod non solum est Sacramentum, sed sacrificium, & hoc secundo modo, potest offerri pro alijs, non verò vt Sacramentum; & ratio est: quia proprius effectus cuiuslibet Sacramenti, assimilatur materiæ illiús, sicut expurgatio veteris vitæ est effectus Baptismi, & per ablutionem aquæ significatur; cum autem materia Eucharistiæ sit cibus, huic accomodatur eius effectus, & cum cibus solum prosit summenti per actum immanentem nutriti, etiam Eucharistiæ sumptio, ex opere operato, solum summentibus prodest.

Quód autem ex opere operantis, animabus Purgatorij proficiat, constat ex Chrysost. hom. 69. ad pop. Antioc. vbi ait: Hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim, illis indé multum contingere lucrum, multamque vtilitatem; vndé ait B. Petrus Damian. opusc. 14. fœlices charitatis divitiæ, quæ vobis ex aliena bonæ voluntatis vbertate sucurrunt, vbi proprij operis supplementa deficiunt; & ideo Pontifex, ad lucrandas indulgentias pro animabus Purgatorij, inter alia opera, iniungit fidelibus sacram communionem. *Si dicas*: quód Sacramentum pœnitentiæ,

& alia Sacramenta, non applicantur pro mortuis, & consequenter, nec Eucharistia, quæ est eiusdem rationis Sacramentum. Resp. quód sunt plures disparitates. Prima: quia Eucharistia, est Sacramentum & sacrificium, quod alia Sacramenta non habent. Secunda: quia vt vidimus cum D. Thom. alia Sacramenta, habent effectum particularem, effectus autem Eucharistiæ, est vniversalis, extensus ad alios præter summentem. Tertia: quia Eucharistia est Sacramentum charitatis, & spiritualis vnionis, continens Christum, in quo tota Ecclesia vnitur, & sic per illam, actus vnius, efficitur alterius, charitate mediante, per quam vnum sumus in Christo; quæ doctrina est D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. & art. 7. cit. 3. p. & loco ex 4. sentent. sup. relato.

Casus sextus: Sacerdos quidam, tremendum Missæ Sacrificium celebravit, cum conscientia peccati mortalis, & cum huiusmodi irreverentia & indispositione gravi, ad sacram communionem accessit, in qua dimidiam Hostiam accepit, & antequam summeret dimidiam alteram, Dei auxilio illustratus, actum ferventem perfectæ contritionis elicuit, quo iustificatus mansit; quæritur: an tunc receperit effectum gratiæ, & fructum Sacramenti in secunda sumptione, quæm non suscepit in prima? Resp. affirmativé; sic tenent Coninch, Lugo, Cornejo, Dicastillo, & Suarez. Ratio est. Primó: quia ille, iam manducat corpus Domini digne, & sic recipit Sacramenti effectum. Secundó: quia virtus conferendi gratiam, sic applicatur per totam manducationem, sicut per quamlibet eius partem, vt cum D. Thom. vidimus, quia semper applicatur totus Christus. Tertió: quia si prior sumptio non præcessisset, sequens daret effectum subiecto dispositio; eius autem præcedentia non impedit, nam peccatum commissum, per pœnitentiam deletur. Quartó: in Sacramento Baptismi, licet in principio ablutionis, subiectum sit indispositum, si in instanti in quo perficitur Sacramentum dispositum est, recipit Sacramenti effectum, & sic, idem est dicendum de Eucharistia. Hic modus verissimus est, & illum tenent Cornejo, & alij plures.

Dices: Qui in peccato mortali communicavit, & postquam species ad stomachum traiecit, actum perfectum contritionis elicuit & fuit iustificatus, non recepit Sacramenti fructum: ergo idem in casu nostro est dicendum. Resp. neg. cons. & Lugo disparitatem assignat ex eo, quod in casu nostro, secunda Hostiæ pars, est diversum signum partiale á prima parte, vndé independenter ab illa, est veré signum gratiæ, licet eam non debeat causare, nisi sub conditione quod pars prima, non fuerit priús applicata; at veró, Eucharistia perseverans in stomacho, non est diversum signum gratiæ, ab eadem Eucharistia, pro vt priús sumpta, & sic effectum & fructum Sacramenti, in prædicto casu non causat; hoc idem tenent Aversa, Soto, & Trullench.

Oppones: Sacramenti effectus, non datur in sumptione primæ partis: ergo nec in secunda, etiam si subiectum disponatur; nam licet sint diversæ physicé, moraliter veró est vna, per quam vnicus datur effectus. Præterquam, quod in eo casu, sumens primam partem Hostiæ, indigné & sacrilege communicat, & non est rationi consonum, vt per eandem refectionem, iudicium sibi manducet & gloriam. Resp. quód hæc non sunt contradictoria, quia non verificantur de eodem, nec secundum idem, dantur enim diversæ sumptiones, & diversa signa partialia gratiæ, in duabus partibus Hostiæ, & quia post peccatum primæ sumptionis indignæ, in secunda verificatur, quod corpus Christi digné summitur, ideo in hac secunda recipitur gratia, quæ per primam sumptionem non fuit recepta; sicut dicitur in Logica, quod secunda demonstratio generat habitum scientiæ, si prima demonstratio, illum non produxit.

Et rursús, potest desummi paritas, ex Sacerdote, summente corpus indigné, & sanguinem digné, qui veré iustificatur, quia ibi est totus Christus, & quo ad hoc, eadem ratio est, de duabus Hostiæ partibus. Vndé M. Soto, sic ait: quare gratia, quæ in sumptione corporis infunditur tam virtute sanguinis datur ibi contenti, quam virtute corporis, quo circa, quando postmodum Sacerdos, sanguinem seorsum summit, quia eius effectum iam sumpserat, non amplius recipit, sicut si vnam Hostiam post alteram summeret; si veró dum summebat corpus, forté non erat digné dispositus, vt gratiam susciperet, & dispositus est in sumptione sanguinis, tunc eandem virtutem sanguinis, simul & corporis recipiet. Hæc Soto in 4. dist. 12. q. 1. art. 12. §. postremum, ex quo nostra doctrina, manet comprobata.

Casus septimus: Mulier quædam in Paschate, cum cæteris Eucharistiam accipiens, Dei terribili iudicio, spumare cæpit, linguam agitare, nec quidquam poterat loqui, cum tamen ante communionem, extitisset omnino sana, & quia indigné ad Sacramentum accessit, hanc Cœli punitionem fuit experta; multis enim peccatis onusta salutarem Hostiam sumpsit imparata, & ideo Sacra Communio, non ei remedium attulit, sed tormentum, quo vsque labore magno, ad sepulchrum cuiusdam Sancti fuit deducta, ibique in anima & corpore reparata; sic refert ex Cæsario Surius, in vita S. Engelberti, die 7. Novembris; ex quo summitur motivum ad inquirendum: an Eucharistia habeat pro effectu remittere peccatum mortale, in eo qui illius conscio, ad illam accedit indigné?

Et quidem certum est, Sacramentum Eucharistiæ, non esse institutum primo & per se, ad conferendam primam gratiam, nec ad remittendum peccatum mortale actuale; quod constat ex Conc.

Flor.

Flor. dicente, primatium effectum Eucharistiæ esse augmentum gratiæ, & idem ait Trident. Sess. 13. cap. 2. dicens: hoc Sacramentum esse institutum, vt spiritualem animarum cibum, & antidotum quo liberemur á culpis quotidianis, & á peccatis præservemur, vbi per culpas quotidianas, venialia peccata intelliguntur; & ex hoc summitur ratio, nam vsus Eucharistiæ, est per modum cibi & manducationis, quæ solum rei viventi convenire potest, & ideo supponit per se, vitam spiritualem in summente, quam peccatum mortale destruit. Diximus *per se*, nam per accidens, potest Eucharistia peccatum mortale remmittere, & primam gratiam causare, vt vidimus suprá, & affertur á D. Thom. hic q. 79. art. 3. in corp. vbi ait: quód si Eucharistia percipitur ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, forté enim primo, non fuit sufficienter contritus, sed devoté & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati; & idem ait in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.

Nunc resp. ad propositam dubitationem: quód si virtus Sacramenti Eucharistiæ consideratur secundum se, potest omnia peccata remittere, illi autem, qui recipit cum conscientia peccati mortalis, hoc non dimittitur, sed augetur, vel novo peccato aggravatur. Sic docet D. Thom. art. 3. prox. cit. dicens: virtus huius Sacramenti, potest considerari dupliciter, vno modo secundum se, & sic habet virtutem, ad remittendum quæcumque peccata ex Passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum; alio modo potest considerari, per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum, pro vt invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi eius effectum; quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti. Túm, quia non vivit spiritualiter & ita non debet spirituale nutrimentum suscipere. Túm, quia non potest vniri cum Christo, quod fit per hoc Sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter; vndé hoc Sacramentum, in eo qui ipsum percipit cũ conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati. Hæc D. T. ex quibus patet nostra resolutio.

Oppones: Quód convenit alicui secundum se, convenit ei essentialiter, semper & vbique; Eucharistia autem, non semper remittit peccata, & consequenter, hæc virtus remissiva, non convenit illi secundum se. Uel aliter: quód convenit alicui secundum se, convenit illi per se primo ex sua institutione; sed Eucharistia, non est instituta ad dandam primam gratiam, & remittenda mortalia: ergo hoc non convenit illi secundum se. Responderi solet, quod Eucharistia potest summi ratione rei contentæ, & sic conveniunt illi quæ Christo conveniunt, non formaliter sed materialiter, & quasi per communicationem idiomatum, & hoc modo dici potest, quod habet secundum se virtutem causativam primæ gratiæ, & remissivam peccati, vel potest summi secundum propriam rationem & vsum, & sic solum convenit ei secundum se, conferre gratiæ augmentum, quia est cibus hominum, vitam spiritualem habentium.

Hæc autem doctrina, non tenet verum. Primó: quia vt suprá diximus, corpus Christi, nec partialiter, nec totaliter, est Sacramentum tantum, sed est contentum in Sacramento, & virtus Sacramenti quod nihil conducit, ad locutionem in sensu formali, qualiter loquitur D. Thom. in resolutione citatus. Secundó: quia si D. Thom. loqueretur solum materialiter de Christo, committeret vitiosam æquivocationem; nam ex eo quod Christus habeat virtutem remittendi peccata, non sequitur quod Sacramentum formaliter illam habeat, alias etiam indé posset inferri, Eucharistiam esse institutam, ad conferendos omnes effectus Passionis Christi, & ad delenda peccata, & ad dandam primam gratiam, quod tamen falsum est. Quare meliús dicitur: verum esse, D. Thom. loqui de re contenta, cum agit de virtute huius Sacramenti; sed tamen quod Christus vt fons gratiæ, contineatur in hoc Sacramento, non convenit huic puré materialiter, sed etiam formaliter & ex ratione specifica, nam continet Christum, cuius instrumenta, sunt alia Sacramenta cum virtutibus suis, sic ait Cayet. hic art. 1. ad 1. cum quo tamen stat, quod cum institutio Sacramentorum, etiam attendat per se, dispositionem recipientis, ideo essentia Eucharistiæ adæquaté sumpta, non est per se instituta, ad dandam primam gratiam. Vndé ait D. Thom. q. 80. art. 4. ad 2. quód Baptismus & Pœnitentia, sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati, hoc autem Sacramentum, est medicina confortativa, quæ non debet dari, nisi liberatis á peccato.

ARTICVLVS IX.

De vsu & Ministro Eucharistiæ.

Prima difficultas: Utrúm solus homo iustus, possit Christum Sacramentaliter manducare? Notandum cum D. Thom. q. 80. art. 1. quód dantur duo modi, summendi corpus Christi, nempé puré Sacramentaliter, & sine effectu gratiæ & coniunctionis cum ipso, vel etiam spiritualiter cum recipitur etiam gratiæ effectus, & hic secundus modus perfectior est; & addit solut. ad 3. quód effectus Sacramenti, potest percipi ab aliquo, si Sacramentum habeat in voto, licet non in re; vndé sicut quis baptizatur Baptismo flaminis, ante Baptismum aquæ, propter Baptismi desiderium, sic etiam

etiam aliqui manducant ſpiritualiter Euchariſtiã, quando eam deſiderant, antequam illam ſummant Sacramentaliter,& in re;ex quo habetur, quod Euchariſtia,vel poteſt ſummi Sacramentaliter tantum, & ſic ſummunt peccatores, vel ſpiritualiter tantum, & ſic ſummunt, Sacramentum, fide viva deſiderantes, vel vtroque modo ſimul, & ſic ſummunt, qui rectè probati, ad celeſtem menſam accedunt; ſic ait Trident. Seſſ.13. cap.8.

Reſp. igitur ad dubitationem, quod aliqui vt Origenes dixerunt,malos non accipereSacramentaliter Verbum Incarnatum, quia cum manducatio Sacramentalis, referatur ad ſpiritualem, illa ſine iſta, eſt ſupervacanea, Deus autem nihil facit fruſtra; nec Chriſtus qui lux eſt, poteſt permittere, ſe ſummi á filijs tenebrarum; quæm etiam errorem, ſecutus eſtVviclef,aſſerens quod Euchariſtia,quam cito labijs peccatoris contingitur, ſub ſpeciebus Sacramentalibus, deſinit eſſe corpus Chriſti. Hoc refert D. T. q.80. art.3. dicens: Hoc dictum eſſe erroneum; quia derogat veritati Sacramenti, in quo manet corpus Chriſti, manentibus ſpeciebus; & idem ait, in 4. diſt.9. q.1. art.2. quæſtiunc. 1. & D. Auguſt. tract.26. in Ioann. ait: multi de Altari accipiunt, & accipiendo moriuntur, & D. Paul. dicit: Quód qui manducat & bibit indigné, iudicium ſibi manducat & bibit,quæ ſolum de peccatoribus verificantur; & ſic concludit D. Thom. in illo art.3. vndé dicendum eſt,quod peccator,Sacramentaliter corpus Chriſti manducare poteſt, & non ſolum iuſtus.

Dices: Quód cibus iſte,non tranſit in ventrem, ſed in mentem, vt ait Hug de S. Vict. & videtur deſumi ex Aug. & Ambr. in peccatoribus autem, non tranſit in mentem, cum careant fide formata. Reſp. quód illa propoſitio, non denotat terminum motus localis, ſed finem ſumptionis, vadit enim Chriſtus,quocumque ſpecies vadunt,ſed non ſummitur propter ventris repletionem, ſicut corporales cibi, ſed propter refectionem mentis, in qua effectus Sacramenti recipitur; nec ex hoc quod corpus Chriſti ſummatur á peccatoribus, aliquam immunditiam contrahit, quia labia peccatoris,non tangunt niſi ſpecies. *Si dicas*: quód hoc, ſaltim de peccatoribus infidelibus verum non eſt; nam cum Euchariſtia ſit myſterium fidei, videtur quod fide non habita, vel etiam ammiſſa,non poſsit Euchariſtia Sacramentaliter ſummi ab infideli, non credente eſſe Sacramentum,nec ibi contineri Chriſtum. Reſpondet D. Thom. ad 2. quód infidelis manducat Chriſtum Sacramentaliter, ex parte rei manducatæ, non verò ex parte manducantis, quia non vtitur eo quod ſummit vt Sacramento, ſed vt ſimplici cibo,niſi fortè intenderet recipere illud quod Eccleſia confert; ſed tamen, quia actio eſt proximior agenti quam patienti ideo infidelis non credens rem huius Sacramenti,non ſummit Sacramentaliter; ſic D. Thom. in 4. diſt. 9. q. 1. art.2. quæſtiunc.2.

An autem cathecumeni, ſi credantur per fidem iuſtificati, poſsint Euchariſtiam Sacramentaliter ſummere? Affirmat Marſilius,quia illi iam ſunt mẽbra Chriſti, & illum habent per fidem. Sed oppoſitum eſt tenendum cum Soto qui ait, ſententiam Marſilij eſſe ſingularem, & alienam á principijs Theologorum; Baptiſmus enim, eſt Sacramentorum ianua, & ſine illo nullum Sacramentum recipi poteſt, nec nutrimentum Euchariſtiæ, ſicut homo non genitus, nec cibi nec nutrimenti eſt capax; vndé de B. Hypolito martyre, in cuius pervigilio ſcribo hæc, ait Eccleſia, quod á S.Laurentio baptizatus domi ſuæ, dum Euchariſtiam ſummeret comprehenſus eſt, quia Baptiſmus,præſupponi debet ad Euchariſtiæ ſumptionem, ſicut ad alia Sacramenta, vt ait D. Thom. q.72. art.6. & conſequenter, cathecumenus in gratia exiſtens, vt Cornelius, non acciperet per Euchariſtiæ ſumptionem gratiam Sacramentalem, non ſolum quia peccaret illam ſumendo ante Baptiſmum,ſed etiam ſi ſummeret ex ignorantia invincibili,putans ſe religioſé operari.

Sed quid dicendum,de brutis Euchariſtiam comedentibus, vt de cane vel mure? Hoc tangitur á D. Thom. q.80. art.3. ad 3. cum quo. Reſp.quód tunc non deſinit eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus, quandiu ille manent;ſicut nec deſineret eſſe, ſi ſpecies proijcerentur in cœnum. Nec hoc cedit in detrimentum dignitatis Chriſti, qui voluit á peccatoribus crucifigi, abſque ſuæ dignitatis dimminutione; præcipuè cum mus vel canis, non tangant corpus Chriſti ſecundum propriam ſpeciem, ſed ſolum ſecundum ſpecies Sacramentales; vndé non eſt dicendum, quod brutum Sacramentaliter corpus Chriſti manducet, quia non eſt natum vti eo vt Sacramento, & ſolum per accidens manducat, ſicut qui ſummeret Hoſtiam conſecratam,neſciens eſſe conſecratam,ſed quia id quod eſt per accidens, non cadit in diviſione alicuius generis, ideo hic modus manducandi corpus Chriſti, non ponitur tertius, præter Sacramentalem & ſpiritualem.

Secunda difficultas: Quænam ſit qualitas peccati, communicantis in peccato mortali? Supponimus, quod ſic communicans, mortaliter peccat; contrarium eſt error peſsimus Lutheri dicentis, quod nulla requiritur præparatio, in accedente ad Euchariſtiam, ſed ſola confidentia, quod per illam conſequetur gratiam; quod damnatur in Trident. Seſſ.13.cap.7.Dictum autẽ noſtrũ conſtat ex Paul. dicente: qui manducat & bibit indigné, iudicium ſibi manducat & bibit, vndé maximé commendat illud præceptum: probet autem ſe ipſum homo. De hoc Aug.D. tres rationes aſsignat in 4. diſt.9. q.1. art.3. quæſtiunc. 1. Prima: ex eo quod eſt Sacramentum tantum; quia hoc Sacramentum datur

per

per modum cibi, qui non competit nisi viventi. Secunda: ex eo quod est res & Sacramentū simul, nempé Christus qui est Sanctus Sanctorum, & sic eius receptaculum, debet esse sanctum. Tertia: ex eo quod est res tantum, nempé corpus Christi mysticum, nam qui accedit ad Eucharistiam, significat se tendere ad vnitatem cum alijs, quod non habet peccator, qui separatur á corpore mystico, & fictionis culpam incurrit, & ita abutitur Sacramento. Duas vltimas rationes, coniungit D. Thom. hic art. 4. nam Sacramentum summens, significat se esse vnitum Christo & membris eius, quod fit per fidem formatam, qua caret peccator, & sic sumens Sacramentum, committit falsitatem & sacrilegium, tanquam Sacramenti violator.

Sed quid de tangente Eucharistiam in peccato mortali? De hoc D. Thom. dicto art. 4. ad 4. idem videtur sentire, dum ait: peccatores qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur á contactu huius Sacramenti; vndé asseruit Chrysostomus: Regem Cœlorum impudens oscularis, anima tua vitijs olente; & expressius D. T. rationem assignat, q. 82. art. 3. ratione 3. dicens: in reverentiam huius Sacramenti, á nulla re contingitur nisi consecrata, vndé & corporale & Calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis, ad tangendum hoc Sacramentum, vndé nulli alij tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu. Memoratus sum modo, quod suprá, fol. 11. col. 1. dixi, quod si Minister, non conficit Sacramentum, licet sit in mortali, non peccat mortaliter ministrando, vt quando communicat alios. Sed respondeo, quod ibi rem ex professo non agebam, postea tamen, fol. 41. dum punctum suo loco tractavi, esse peccatum mortale dixi, licet re vera vtrūque sit probabile, & iuxta hoc, etiam Eucharistiam in mortali summere quod est quid maius quam conferre, est peccatum mortale.

Si dicas: Quód Eucharistia est maximum bonum, quo nullus potest male vti, vt ait August. Deindé: nam alias, etiam peccator peccaret videndo Sacramentum, nam etiam sentitur visu, sicut gustu & tactu. Resp. ad 1. quód nemo vtitur male maximis bonis, quasi principijs mali vsus, benè veró quasi obiectis, vt patet in his, qui de virtutibus superbiunt, & ita hoc Sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali vsus, sed obiectum. Ad 2. quód per visum, non accipitur corpus Christi, sed solum Sacramentum eius, nempé species; ille autem qui manducat, non solum summit species Sacramentales, sed etiam ipsum Christum qui est sub eis, & ideo diversa est vtriusque ratio.

Respondetur nunc ad quæsitum cum D. Tho. art. 5. quód peccatum indigné communicantium, est multis alijs graviús secundum speciem, sed non graviſsimum omnium; ad quod notandum cum ipso, 1. 2. q. 73. art. 6. quód peccatum potest esse gravius, per se & ex parte obiecti, quo est gravius obiectum eius, & sic peccata contra divinitatem sunt graviſsima, & postea peccata contra humanitatem Christi, & post hæc, peccata contra Sacramenta, & demum peccata contra creaturas, quia hunc eundem ordinem servant obiecta, ita vt primum obiectum sit divinitas, secundum humanitas, tertium Sacramenta, & quartum creaturæ; per accidens veró, vnum peccatum potest esse graviús alio, ex parte peccantis, vt peccatum ex certa scientia, graviús est quam peccatum ex ignorantia; & iuxta hoc, peccatum indignæ sumptionis Eucharistiæ, est multis alijs graviús secundum speciem, non autem graviſsimum omnium, quia peccatum sacrilegij est.

Dices: abominabilior est Deo immunditia spiritualis, quam corporalis; si autem quis proijceret corpus Christi in locum immundum, graviſsimum peccatum faceret, & consequenter, etiam summendo illud cum spirituali immunditia. Resp. quód proijciens Sacramentum in loco immundo, graviſsimé peccaret. Túm, quia id faceret ex intentione iniuriandi Sacramentum, quod non intendit peccator indigné summens. Túm, quia peccator, est capax gratiæ, & est aptior ad Sacramentum recipiendum, quam irrationalis creatura, & sic maximé inordinaté vteretur Sacramento, qui illud proijceret canibus ad comedendum, vel in loco immundo ad conculcandum, sic D. Thom. in dicto art. 5. ad 3. Sed an peccatum communicantis indigné, sit graviús homicidio? Resp. quód per se & ex specie sua graviús est, quia opponitur virtuti religionis, & culti debito Christo & Deo in Eucharistia, & homicidium, solum iustitiæ opponitur, quam religio excedit; sed tamen per accidens & ex circumstantijs damni illati, & ex alijs capitibus, homicidium potest æquare imo excedere peccatum communionis indignæ, ratione cuius, illud plus punitur á republica, quæ iniurias civium vindicare attendit, pluſquam specificam peccatorum gravitatem.

An veró graviús peccatum sit, accedere ad Eucharistiam cum peccato graviori, an cum pluribus peccatis, præcipué carnalibus? Resp. ad 1. quód per se, maius peccatum est communicare cum peccato graviori, sic ait D. Thom. ad 2. dicens: tanto magis, quanto peccata sunt graviora; & ratio est: nam peccatum gravius, magis videtur opponi gratiæ Sacramentali. Ad secundum, varij sunt authorum sensus; sed verius videtur, quod accedere cum pluribus peccatis, non gravificat peccatum, hæc enim est circumstantia notabiliter aggravans, quæ non est necessario in confessione aperienda, iuxta multorum opinionem; sic Lugo & Vazquez, quos sequitur Prado. Ad 3. dicitur: quód maius malum est, accedere ad Eucharistiam cum peccatis carnalibus,

libus, quam cum spiritualibus, vt sunt ira, superbia, odium, &c. licet hæc sint graviora. Sic D. Thom. loc. proximé citato, & elegantem rationem assignat, in 4. dist. 9. q. 1. art 3. quæstiunc. 3. quæ est tenoris sequentis.

Ad hoc quod aliquis, digné corpus Christi manducet, duo requiruntur, vt scilicet sit in statu gratiæ, per quam vniatur Christo, & quod in actu, mens eius feratur ad divina, vndé & Sacerdos monet populum, sursum corda ad Deum habere; peccatum autem quantum est graviús, tanto magis á gratia elongat; vndé cum peccata spiritualia, secundum genus sint graviora carnalibus, per illa fit quis indignior ad manducationem corporis Christi, quantum ad primum quod requirebatur, ad digné manducandum, sed quia per peccatum carnale, præcipué mens humana deprimitur, vt ad superna ferri non possit, per illud homo magis indignus redditur, quantum ad secundum quod exigebatur, ad digné manducandum; sed quia multo graviús est habitum gratiæ tollere, quam actum virtutis impedire, maior indignitas relinquitur ex defectu primi, quam ex defectu secundi, & ideo simpliciter loquendo, plus peccat, qui peccato maiori irretitus accedit, nisi per ignorantiam excusetur; certius autem cognosci potest peccatum in peccatis carnis, præcipué luxuria, quam in peccatis spiritualibus, & ideo quantum ad hoc, per accidens peccat plus, accedens cum carnali peccato, quamvis simpliciter & per se loquendo, peccet plus accedens cum spirituali, si spirituale, carnali sit graviús.

Sed dubitabis: an per se loquendo, graviús peccet fidelis indigné communicando, quam infidelis? Respondet D. Thom. art. 5. citato ad 2. quód peccatum infidelitatis, separans hominem ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter & absoluté, reddit hominem maximé ineptum, ad susceptionem Eucharistiæ, quæ est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis; & sic graviús peccatis infidelis Sacramentum accipiens, quia contemnit Sacramentum in se ipso; fidelis verò summens cum conscientia peccati, non contemnit Sacramentum in se ipso; sed in vsu indignæ acceptionis. Clariús autem Angelicus Sol rationem assignat in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. dicens: quód debet considerari peccatum quod præcedit, & quo redditur quis indignus susceptionis Eucharistiæ; & peccatum commissum indigné summendo, & quia peccatum infidelitatis, est graviús alijs, ideo infidelis manducans, indignior est ad manducandum, sed quia non credit id quod summit, esse tantæ dignitatis quantæ est, ideo non tantum peccat in abusu, quia ignorantia infidelitatis excusat, ne sit tam gravé peccatum, & ideo infidelis, indignior manducat, sed peccator fidelis, magis indigné; sed peccatum infidelis, simpliciter est maius, quia contemnit Christum in se ipso, formaliter vel interpretativé; peccatum autem fidelis indigné manducantis, solum opponitur vsui Sacramenti, & ideo cæteris paribus, per se & simpliciter loquendo, magis peccat infidelis.

Tertia difficultas: An ille qui existit in peccato mortali, teneatur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ? Resp. quód qui mortaliter peccavit, licet sit contritus, tenetur confiteri, si copia confessoris adsit, antequam ad Eucharistiam accedat. Constat ex Trident. Sess. 13. cap. 7. dicente: Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat; cui assentitur D. Tho. in 4. dist. 16. in expos. textus, vbi ait: qui habet copiam Sacerdotis, & necessitate non vrgetur ad communicandum, non debet accedere, & idem ait 1. ad Cor. 11. lect. 7. & pluribus alijs in locis. Ratio autem est: quia Sacerdotibus ex vi clavium, competit admittere populum ad hoc Sacramentum: ergo ad eosdem pertinet iudicare, qui sint idonei, quod fieri non potest, nisi eorum confessione audita; qua propter ait Paul. probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.

Dices: hinc oppositum sequi, nam si homo debet probare se ipsum, necesse non est, quod á confessore probetur, & ideo ait Chrysost. ibi hom. 28. non præcipit vt alter alteri probetur, sed ipse sine teste redargutionis. Resp. quód Apostolus in illis verbis, non excludit confessionem Sacramentalem, sed publicam, quæ fit cum iudicio populi & probatione testium, vt patet ex verbis eiusdem S. dicentis: ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat testibus. Sed cur ad susceptionē aliorú Sacramentorum hoc nō est necessariū? Resp. hoc esse ob summam Eucharistiæ dignitatem, quæ cū ipsum Christum contineat, maiori præparatione eget, & ratio poscit, vt homo ante eius susceptionē, per pœnitentiā curet reviviscere, vndé patet, quod ante Trident. oppositum fuit falsum & temerarium, & in praxi nocivum, sed non datur firmum argumentum vt dicamus, tunc fuisse hæreticum & erroneum; sed post Concil. saltim erroneum esset, nam dicitur: quód Sancta Synodus statuit, declarat, & decernit; & sic his decretis opponi, esset apertus error.

Sed an huiusmodi confessionis Sacramentalis præmissio, sit de præcepto divino? Resp. quód sic; & constat ex verbis Apostoli dicentis: ego enim accepi á Domino, quod & tradidi vobis; id ipse traddit præceptum de præmittenda confessione dum ait: probet autem se ipsum homo: ergo hoc est præceptum Christi, ac proinde divinum & non puré Ecclesiasticum. Deindé, quia iudicium iuris divini, summitur ex eo, quod aliquid perpetuo in Ecclesia servatur, cuius ignoratur initium, vt ait D. Aug.

Aug. lib. 3. de Baptis. cap. 4. talis autem est cõsuetudo communicandi confessione præmissa, si adsit peccatum mortale; quare ait idem August. ibi cap. 33. quando corpus Domini accipere debemus, antea ad confessionem & pœnitentiam accedere debemus, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem, & veram pœnitentiam abluere.

Sed tamen stante veritate resolutionis nostræ, aliquæ sunt causæ excusantes á præcepto præmittendi confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ, quæ præcipué reducuntur ad duas, nempé carentia confessoris, & necessitas vrgens communicandi; hæc designantur in verbis Concilij dicentis, modo non desit illis copia confessoris, & deindé: quód si necessitate vrgente; quia illud est præceptum positivum, solum obligans, quando prudenter & modo humano potest servari; & illa duplex causa requiritur, ad tollendam obligationem, sed non deficiente aliqua, si enim sit copia confessoris, tenẽtur confiteri, sed si non vrget necessitas, abstinere debent á communione. Sed quando copia confessoris deficiat, vel necessitas vrgeat? Resp. ad 1. illud posse contingere primo, quando confessor non est actu præsens, vel tantum distat, vt non possit commodé venire, vel Sacerdos ad illum accedere, vel propter infirmitatem, vel itineris labores, aut alias similes causas; secundó, si Sacerdos est præsens, sed impeditus audire, ob infirmitatẽ surditatis, aut si esset mutus, nõ potens absolutionem proferre; tertió, si licet sit paratus audire, sed mihi periculum imminet gravis damni; non autem est confessoris inopia, quando non adest proprius confessarius, cui confitetur quis devotiús & vtiliús, nam reverentia Sacramenti, prævalet vtilitati privatæ, licet aliquid roboris accrescat, cum vno confessario quam cum altero.

Ad 2. Resp. quód ad explicandam necessitatem vrgentem, nequit assignari certa regula; sed omnes causæ reducuntur ad quatuor. Prima, si adsit periculum mortis, nec sit Sacerdos potens absolvere & possit Eucharistiam conferre, vt de muto diximus; secunda, si periculum immineat infamiæ, vel scandali gravis, ex omissione communionis; tertia, reverentia sacrificij, cùm iam est inceptum, nec Sacerdos sine scandalo, potest confiteri de peccato, cuius tunc recordatur; quarta, né populus maneat sine Missa, quæ ratio solum militat in Parrochis, qui tenentur ex officio curare, vt populus Missam audiat; quinta, ad comunicandum infirmum, alias moriturum sine viatico. Sed tamen in his casibus, tenetur Sacerdos habere contritionem, aut saltem attritionem supernaturalem, contritionem existimatam, quia cum Eucharistia, sit Sacramentum vivorum, non dat per se primam gratiam, sed illam supponit, cum dispositione sufficienti, quæ solum est contritio, vel attritio vt contritio existimata.

Alia est dubitatio in verbis Cõcilij dicentis: quód si necessitate vrgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur, circa quod inquiritur 1. quid intelligatur per ly: quam primum? Secundó: an sit præceptum obligans sub mortali? Tertió: an etiam laicos obliget? Resp. ad 1. relictis varijs authorum expositionibus, quod quam primum, non sumunitur physicé, vel mathematicé, sed valdé cito, moraliter loquendo, sic enim discutrimus in alijs rebus moralibus, vt cum dicimus, quis debere quam primum restituere; sic ait Ioan. Sanch. Aversa, Zanarduis, Lugo & alij. Ad 2. Resp. affirmativé, sic tenent Navarro, Nuño, Suarez, Diana; & patet ex regulis Missalis Romani, vbi pro illis verbis, quam primum confiteatur; dicitur: quam primum debet confiteri, quæ clarius exprimunt obligationem. Ad 3. Resp. negativé; sic Nuño, Pasqualigus, Diana, Lugo, Suarez, & Aversa, quod patet. Tùm, quia in præceptis odiosis, non debet fieri extensio, propter rationis paritatem. Tùm, quia re vera, maius est periculum in Sacerdotibus, qui ratione officij, fæpiús habent illam necessitatem celebrandi absque confessione, laicus verò, raro habet talem necessitatem, vndé nec eo præcepto comprehenditur Sacerdos non celebrans, sed more laicorum communicans.

Quarta difficultas: Quæ dispositiones requirantur ex parte corporis, ad suscipiendam Eucharistiã? Resp. quód requiritur duplex dispositio, vna necessitatis, nempé quod communicans sit ieiunus, altera decentiæ & congruitatis, scilicet, quód non sit pollutus intra illum diem; vtrumque tenet D. Thom. q. 80. art. 7. & 8 & primum de ieiunio, constat ex consuetudine Ecclesiæ, in varijs Concilijs confirmata; de quo sunt tres congruentiæ. Prima propter reverentiam Sacramenti, vt intret in os, nullo cibo vel potu infectum; secunda, propter significationem, quia Christus, qui est res huius Sacramenti, & charitas eius, debet in cordibus nostris primo fundari, vt ait Mat. primum quærite regnum Dei; tertia, propter periculum vomitus, quod aliquando contingit, ex inordinato vsu ciborum. Nec obstat: quód Christus communicavit Discipulos non ieiunos post cœnam; non inquam obstat. Tùm, quia Christus, debuit priús implere figuram per vsum agni, quam veritatem instituere. Tùm, quia vt vehementius, mysterium discipulis commendaret, vltimum celebrari voluit, & sic factum Christi, non est in consequentiam adducendum.

Sed est dubium: An hoc ieiunium, debeat esse naturale, quod per quamcumque sumptionem cibi & potus solvitur, an Ecclesiasticum, quod non solvitur per parvi cibi vel potus sumptionem? R. quód debet esse ieiunium naturale. Tùm, quia sic statuitur in Concil. Florent. 7. Can. 2. Tùm, quia

cap. ex parte, de celebr. prohibetur Sacerdoti in die Natalis Domini secundæ missæ celebratio, si primam ablutionem accepit, & hæc, ieiunium Ecclesiasticum non aufert. Tùm, quia Ecclesia præcipit, Eucharistiam summi á ieiunis, non veró á ieiunantibus, & ieiunus non est, nisi qui naturæ ieiunium servat, licet posit dici ieiunans qui illud violat; vndé mortalitér peccat qui post cibum assumptum ad Eucharistiam accedit, nisi ignorantia illum excuset.

Extant autem aliqui casus, in quibus licet non ieiuno communicare. Primus, quando datur per modum viatici, quia infirmi, non debent astringi his legibus, alias multi sine subsidio Eucharistiæ decederent, quia nequeunt permanere ieiuni; & etiam quia summere Eucharistiam pro viatico, est præceptum divinum, quod præcepto Ecclesiastico ieiunij, debet præferri. Secũdus est, pro Sacramẽto perficiendo, vt si post cõsecrationẽ recordetur Sacerdos, se non esse ieiunum, vel si sumpto Calice, videt non esse vinum, debet iterum consecrare, & summere, vel si moriatur aut infirmetur Sacerdos post consecrationem, Sacerdos non ieiunus, debet Sacrificium perficere, si alter non ieiunus, non reperiatur. Tertius, si post ablutionem reperiuntur aliquæ particulæ, & non possunt commode servari, potest Sacerdos eas summere, quia sunt reliquiæ eiusdem sacrificij, & pertinent ad eius complementum, non autem si sunt particulæ, ab alio Sacerdote consecratæ, ob oppositam rationem. Quartó, dum summitur aqua, pro facili traiectione particulæ; nam tota illa actio, ordinatur ad vnam refectionem, & sufficit quod in principio illius, quis ieiunus accedat. Quintus, ad vitandam irreverentiam Sacramẽti, vt ne consulcetur ab Hæreticis, vel comburatur, vel devoretur ab animalibus, nam præceptũ reverentiæ Sacramenti, est naturale divinum, superans præceptum ieiunij, quod est positivum & Ecclesiasticum.

His casibus, ab aliquibus additur alter, nempé si necesse sit communicare infirmum, alias sine viatico moriturum. Sed hoc non admititur communiter. Tùm, quia præceptum celebrandi in azimo, nequit omitti ad comunicandum infirmum pro viatico, & consequenter, nec ommitti debet præceptum ieiunij, quod non est minus grave. Tùm, quia hoc Sacramentum, non est tantæ necessitatis, vt pro comunione infirmi, eius reverentia non servetur, præcipué cum tunc, non vrgeat præceptum communicandi, quia non est copia Ministri. *Dices* 1. quód sic non licebit infirmo non ieiuno, communicare per modum viatici. Secundó: propter illam necessitatem proximi, potest Sacerdos celebrare confessione non præmissa, vt diximus, & consequenter, etiam celebrare poterit non ieiunus. Resp. ad 1. quód propria necessitas communicaturi, est intrinseca, necessitas veró Ministri, extrinseca & accidentalis est, & raro contingens, cum Ecclesia maximé provideat, Eucharistiam pro infirmis servare. Ad 2. quód confessio potest suppleri per contritionem, non autem ieiunium, & sic patet vtriusque differentia.

Circa secundam corporis dispositionem, nempé quod communicans, non sit pollutus intra illum diem, de illa agit D. T. art. 7. citato, circa quod dicitur 1. quód si pollutio est peccatum mortale, aliud mortale est, accedere cum illa ad Eucharistiam, nisi pœnitentia deleatur. Secundó: quód si eveniat sine culpa, vel est pœnitentia expiata, non est mortale accedere ad Eucharistiam eodem die. Tertió: quód pollutio, vel est cum peccato mortali, vt si fuerit perfectè voluntaria, vel cum veniali, si est semi voluntaria, vèl sine peccato, vt si omnino involuntaria est. Ait ergo D. T. quód pollutio nocturna, impedit ex quadam congruitate, quantum ad duo, nempé fœditas corporalis quæ semper accidit, & reverentiæ Sacramenti non decet, evagatio mentis quæ ad illam sequitur, præcipué si contingit cum turpi cogitatione.

Sed quando sit peccatum, ad Eucharistiam accedere, eodem die quo pollutio contingit? Resp. quód si pollutio fuit mortale, etsi pœnitentia expiatum, debet sub veniali communio differri, nisi adsit scandalum vel causa iusta; quia tunc relinquitur turbatio mentis impediens reverentiam, qua debet accipi purissimum Christi corpus; & licet hoc videatur omni peccato commune; sed tamen Veneris fordes, peculiarem quandam indecentiam ad Sacramentum, præ alijs sceleribus afferunt, vt ait Soto. Sed an sit rectum consilium abstinere á communione, eodem die, quo quis patitur pollutionem absque culpa? Resp. quód si ex hoc oritur tepiditas & ineptitudo ad res divinas, consultius est abstinere, & sic frequenter contingit in hominibus vulgaribus, qui abstinere debent, nisi detur causa iusta, vt diximus, sed si hæc non sequuntur, sed hoc oritur ex Dœmonis nequitia, non est cur communio prohibeatur, & sic refert D. Thom. ex collat. Patrum, de quodam qui in præcipuis festis talia patiebatur.

Quid autem de coniugibus dicendum est? Resp. quód convenientissimum est, die qua habita est copula coniugalis, abstinere á communione, quia ex illa oritur magna distractio & mentis hebetudo, quæ debitam reverentiam impediunt; & ideo ait D. Hyer. eorum conscientiam convenio, qui eodem die, post coitum communicant, potest enim induci peccatum veniale, vel si est nimia offuscatio mentis, vel copula habetur causa solius delectationis. Sed sunt aliquæ causæ, quæ tales possunt excusare, vt si est magna festivitas, vel dies Jubilæi, vel specialis devotio & præparatio, vel nota sequenda est ex omissione communionis, vel copula fuerit cum legitimo fine, vt causa prolis, & idem est de reddente debitum, quia hic exercet tunc actum

neces-

neceſſarium ; relinquantur ergo coniuges ſuo iudicio , vt hæc impedimenta diſcernant ; ex quo iterum conſtat quod ſupra diximus , nempé eſſe conſilium imprudens,coniugatis communionem quotidianam ſuadere, nam vel abſtinent ab vſu matrimonij,ex quo innumera inconvenientia ſequuntur, vel non abſtinent, & ſic carent decentia ad ſacram menſam requiſita, quæ doctrina eſt D.Thom. art. 7. ad 2.

Quinta difficultas: Quinam ſint capaces, ſummendi Sacramentaliter Euchariſtiam & fructum illius? Plures enim ſunt,de quibus poteſt dubitari, quos omnes ſigillatim proponemus,ex his quæ D. Thom. affert. q. 80. art. 9. & primo dubitatur de non habentibus vſſum rationis,de quibus ait D.T. quód ſi habent vſſum rationis debilem, & poſſunt aliquam devotionem Sacramenti concipere , non eſt eis Sacramentum denegandum, ſi autem carent totaliter vſſu rationis; aut nunquam habuerunt, & his non eſt conferendum Sacramentum , aut aliquando habuerunt , & tunc, ſi priús quando erant compotes mentis,apparuit in eis Sacramenti devotio, debet eis in articulo mortis exhiberi , niſi timeatur periculum vomitus vel expuitionis; ex quo patet,quod ſemifatui, ſunt ad communionem Paſchatis admitendi, & in articulo mortis , quia obligantur præcepto, & ex Euchariſtia, magnam vtilitatem percipere poſſunt; ſic Soto, Bonacina, Henriquez,Palaus,& quoties rationabiliter petunt,poteſt eis conferri , licet de illis non iudicetur tale, toties quoties petunt, & ſolum tempore præcepti, vel magni Jubilæi , poteſt eis Euchariſtia miniſtrari, vt ait Ledeſma, Lugo, la Cruz, & Villalobos.

Sed quid dicendum de Indis,recenter ad fidem converſis?Paſqualigus abſoluté, ait: illis poſſe Euchariſtiam conferri,præcipué in articulo mortis;ſed rem accuraté reſolvit Lugo dicens: quód Indis poteſt communio differri per aliquod tempus, vt aptiores reddantur , ſicut fit cum pueris, vt in ætate & diſcretione creſcant. Deindé ait: quód etiam in articulo mortis, poteſt Indis negari comunio , vel quia non habent perfectam noticiam rerum fidei, vel in pœnam inconſtantiæ in fide , ſuperſtitionis, vel aſsiduæ ebrietatis,&c. vt alij hoc exemplo exterriti reſipiſcant ; & licet extent decreta de non deneganda comunione in articulo mortis , poteſt illis Indis negari,ob ſpeciales circumſtantias, nam prudenter iudicatur , eos carere debito propoſito & dolore ; & ſic excuſatur ſeveritas Parrochi , ſi diuturna experientia hæc cognoſcens, talibus communionem neget; ſed an hoc vniverſaliter pro vſſu communi ſufficiat?Iudicent ipſi, nam re vera difficile eſt,quod tot circumſtantiæ concurrant in tota illorum multitudine, quod verſati inter eos, iudicare poſſunt.

Secundó dubitatur de perpetuo amentibus, phreneticis , & habentibus lucida intervalla ; de primis iam diximus cum D. Thom. eis non eſſe Sacramentum conferendum , nec etiam in mortis articulo, quia hoc Sacramentum illis neceſſarium non eſt , & frequenter adeſt irreverentiæ periculum, quibus accedit vſſus Eccleſiæ, quæ non conſuevit talibus Euchariſtiam conferre; vndé ait Emmanuel Saa : non eſt in vſſu, vt amentibus , etiam in mortis articulo detur Euchariſtia , ob irreverentiæ periculum. De phreneticis veró & habentibus lucida intervalla,dicitur:quód ſi in eis ſigna devotionis, & pœnitentiæ præceſſerunt, debet illis ſolum in articulo mortis Euchariſtia conferri , quia pro caſu neceſsitatis, aliqua minor diſpoſitio toleratur, quæ non debet tolerari extra illum. Sic ſentit Prado , Salmant. & plures ab eis citati. Ratio eſt: Túm , quia poteſt eis Euchariſtia eſſe neceſſaria ad ſalutem , vt ſi erant in peccato mortali,cum propoſito confitendi , & tunc in amentiam inciderunt , quia tunc per Euchariſtiæ ſuſceptionem, poſſunt iuſtificari & ſalvari. Túm , quia ille qui aliquando vſſum rationis habuit, & pie vixit , cenſetur velle ſibi applicari ſalutis remedia.

Si dicatur: Quód in his non datur devotio formalis vt eſt certum, nec etiam virtualis , quia ſunt incapaces actus formalis , & forté á decem annis in phreneſim lapſi, & devotio virtualis, tanto tempore non durat. Reſp. quód vt remaneat devotio virtualis,ſufficit quod aliquando habuerint deſiderium ſummendi Euchariſtiam ; nam ſi devotio per vnam horam antecedens phreneſim, virtualiter durat, etiam durabit per plures annos, præcipué cum non ſit retractata per contrarium actum ; nec hoc eſt,canonica iura extra limites extendere , ſed illa per æqualitatem rationis amplificare ; & ſic de talibus dicitur in catech.Pij V. ſi antequam in inſaniam inciderint , piam & religioſam animi voluptatem præſetulerint ; ſed excipiuntur caſus iſti. Primus , ſi adſit periculum vomitus vel irreverentiæ,& tunc conſultum erit,priús Hoſtiam non conſecratam amenti porrigere , vt ex illius ſumptione conſtet, eius præparatio ad Hoſtiam conſecratam ſummendam, ſic Diana & Salmant. Secundus , ſi conſtet aliquæm in ſtatu peccati mortalis,in amentiam incidiſſe. Tertius , ſi adſit probabilis ſpes, illum ante mortem vſſum rationis recuperaturum, tunc enim,tale tempus debet expectari,pro maiori reverentia Sacramenti.

Tertió dubitatur de pueris , non habentibus vſſum rationis ; de quibus ait D. Thom. art.9. ad 3. quód eadem ratio eſt , de pueris recenter natis, ac de perpetuo amentibus, & ſic illis , non eſt Euchariſtia conferenda. Nec ideo aliquod detrimentum vitæ patiuntur. Túm, quia augmentum gratiæ, illis neceſſarium non eſt, & maioris momenti eſt reverentia Euchariſtiæ,quam aliquid gloriæ pueris non conferri. Túm, quia vt ait Aug. per Sacramentum Baptiſmi , fideles efficiuntur ſpiritualiter

par-

participes corporis & sanguinis Domini. Si autem pueris ante vsum rationis conferretur Eucharistia, perciperent fructum huius Sacramenti, sicut percipiunt gratiam roborativam per confirmationem; & ratio est: nam gratia Sacramentalis, confertur non ponentibus obicem parvuli autem obiectū gratiæ non ponunt; nec est idem de adulto dormienti, cui daretur Eucharistia; nam in isto, requiritur voluntas sumendi, præsens, vel præcedens, in parvulis verò, sufficit voluntas aliena, sicut illa sufficit ad Baptismum.

Si dicas: Quód nullus est capax fructus & gratiæ Eucharistiæ, qui capax non est sumptionis Sacramentalis illius, nam Sacramentalis sumptio, est summere cum fructu. Resp. quód accipere fructum Sacramenti, non est idem ac Sacramentaliter summere, nam primum est, accipere cum effectu, ex vi manducationis passivæ, cuius pueri sunt capaces, secundum verò, est accipere vt practicum signum gratiæ, & huius sumptionis, pueri capaces non sunt, quia non habent notitiam actualem Sacramenti, vt Sacramentum est. Addit tamen D. T. loc. proximé citato, quod quando iam pueri incipiunt, aliqualem vsum rationis habere, vt possint devotionem concipere huius Sacramenti, tunc potest eis, hoc Sacramentum conferri, & idem ait in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4.

An verò pueri habentes vsum rationis, statim possint & debeant Eucharistiam sumere? Resp. quód in articulo mortis tenentur, quia tunc iam distinguunt hunc cibum celestem ab alijs, & comunio potest illis forté, esse ad salutem necessaria; sed extra mortis articulum, licet statim ad confessionem teneantur, sed non ad comunionem, quia hæc exigit graviús & maturius iudicium. Vndé ait Palaus: non credo pueros statim obligari, nec humano nec divino præcepto, neque Parrochos obligatos esse, illis Sacramentum concedere, sed vnum vel alterum annum expectari posse, vt eorum iudicium & discretio, exactius cognoscatur, & maiori cum fructu & reverentia, Eucharistiam, diu optatam & petitam suscipiant. Etsi petas: quando censendum est, pueros vsum rationis habere vt obligentur ad comunionem? Resp. quód hoc in particulari nequit diffiniri, ob diversitatem hominum, & est parentibus & confessoribus consulendum, licet regulariter, non possit illis comunio obligare ante decimum annum, nec differri vltra duodecimum.

Quartó dubitatur de energuminis; de quibus dicendum est, quod si privantur vsu rationis, de illis est ferendum idem iudicium ac de amentibus; si verò sint compotes sui, conferenda est illis Eucharistia, non solum in articulo mortis & in Paschate, sed alijs temporibus, iuxta prudens iudicium confessoris; sic D. Thom. q. 80. art. 9. ad 2. quæm sequuntur plures á Salmant. citati; & constat ex Cassiu. coll. 7. cap. 30. vbi ait: magis namque ac magis inimicus insultabit obiecto cum eum á cœlesti medicina viderit segregatum, tantoque diriú, & frequentiús attentabit, quanto eum á spirituali remedio, longiús senserit abdicatum. Nec obstat: quód D. Dionis. cap. 3. Eccles. Hier. videtur oppositum dicere; nam ibi loquitur de energuminis non dum baptizatis, in quibus vis dæmonis extincta non est, sed viget per peccatum originale. Vel dicitur cum D. Thom. loco ex sent. proximé citato: quód dæmoniacis, non est deneganda communio, nisi forté certum sit, quod pro aliquo crimine á diabolo torqueantur, & de talibus loquitur S. Dionisius. Nec ex eo, quod energumeni in blasphemias prorumpant, debet eis comunio negari. Tùm, quia D. Thom. sine limitatione loquitur de energumenis. Tum, quia licet blasphement, nunquam á Deo permittitur eis, Sacramenta irreverenter tractare, cum tamen illi, comuniter blasphement.

Sexta difficultas: Quænam sit obligatio sumendi Eucharistiam? Resp. quód illa obligatio, est de iure divino, & etiam de præcepto Ecclesiastico; vtraque pars affertur á D. Thom. hic art. 11. in co p. vbi ait: manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum summere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis: Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, ex statuto autem Ecclesiæ, sunt determinata tempora, ex quendi Christi præceptum. Ratio est: quia datur præceptum divinum recipiendi Baptismum in illis verbis Ioan. 3. nisi quis renatus, &c. & de pœnitentia Luc. 13. si pœnitentiam non egeritis, &c. ergo etiam datur de Eucharistia summenda, dum dicitur Ioan. 6. nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, cum idem sit verborum tenor, in omnibus illis locis.

Explicatur: quia Eucharistia fuit instituta, per modum cibi necessarij ad vitam servandam; sed iure naturæ tenetur homo cibum naturalem summere, quia sine illo, non potest vitam servare: ergo idem dicendum de cibo Eucharistico, sine quo est moraliter impossibile, diu perseverare in vita spirituali; & quidem si Adam vt multi docent in statu innocentiæ ex præcepto divino debuisset aliquãdo edere de ligno vitæ ad servandam vitam, idem dicendum est de Eucharistia, cuius lignum vitæ typus fuit, & quidem eo convenientius, quo homo negligentior est, ad servandam vitam animæ, quam corporis. *Dices* 1. quomodo laudatur Centurio se excusans á receptione Christi, ad cuius domum nunquam venit? Secundó: quód Eucharistia non est de necessitate salutis, & sic eius sumptio, nequit obligare.

Resp. ad 1. cum D. Thom. quód illa est vera humilitas, quæ ad respuendum quod vtiliter præ-

cipitur

cipitur pertinax non est, & sic non est laudabile, omnino á comunione abstinere contra præceptum Christi, quod Centurioni non fuit impositum, vt in domo sua reciperet Christum. Vel dicitur: quód reverentia debita Deo in eo consistit, quod homo, non se ingerat nimis rebus divinis, contra suum modum, & sic fecit Centurio, sed tamen omnino se substrahere, hoc est contemptus & pusilaminitatis; vndé magis videtur ad Dei gloriam pertinere, quod aliquis ad comunionem accedat, quã quod abstineat; sic D. Thom. in 4. dist. 12. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2. Resp. ad 2. quód Eucharistia, non dicitur Sacramentum necessitatis sicut Baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine illa, non autem sine Baptismo, quantum verò ad adultos, vtrumque est necessitatis, sic D.T. art. 11. ad 2. vbi notanter dixit, esse necessitatis, sed non eiusdem & æqualis necessitatis.

Sed quando obliget huiusmodi præceptum divinum? Resp. quód illud obligat fideles baptizatos in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita. Dixi, fideles baptizatos, quia infideles & non baptizati, nec tenentur præcepto divino de comunione, nec de confessione. Rationem optimam affert Soto: quia ius divinum supernaturale, solum obligat vniversum orbem, ad suscipiendam fidem Evangelicam, sed ad alia præcepta, non datur obligatio, nisi ex professione fidei, quæ fit in Baptismo, sicut qui facit votum religionis, tenetur ad religionem, sed non ad eius ceremonias, donec illam profiteatur; cum ergo infideles, fidem per Baptismum non sint professi, non tenentur obligatione immediata, ad confessionem & comunionem, quovsque Baptismum susceperint, sic sentit Prado, cum pluribus auctoribus citatis ab ipso.

Nec obstat: Quód præceptum Christi positum in illis verbis: nisi manducaveritis, &c. est lex vniversalis, omnes comprehendens. Resp. enim. quód quantumvis vniversalis sit lex, admittit restrictionem de habilitate personæ, vt constat ex l. vt gradatim, §. & si, d. de muner. & oneribus; infideles autem, non sunt habiles ad recipiendam Eucharistiam, ob rationem adductam, & ideo illos lex non obligat. *Nec valet iterum*; quód illud præceptum, est impositum Capharnaitis, quorum maior pars, baptizata non erat; nam illis fuit promulgata lex, vt scirent illa teneri, non immediatè, sed post Baptismum susceptum, & vt necessitate suscipiendi Eucharistiam, inducerentur ad Baptismum suscipiendum, de quo immediatam obligationem habebant. *Si dicas rursús*: quód existens in mortali, obligatur ad conversionem, non vt existens in statu illo, sed vt ab eo per pœnitentiam exeat, & cum comunicet: ergo etiam non baptizati, tenentur ad comunionem, non ante susceptionem Baptismi, sed vt istum recipiant & communicent. Resp. neg. cons. nam qui est in peccato mortali, est capax comunionis, quamvis illam non possit licitè sumere, nisi per pœnitentiam disponatur; sed non baptizati, illius non sunt capaces ante Baptismum, & ideo solum tenentur se capaces reddere Baptismum suscipiendo; sicut diximus, de emmittente votum religionis, qui vsque dum profiteatur, ad religionis onera non tenetur.

Secunda pars, de temporibus, in quibus hoc præceptum obligat, constat, & primo de articulo mortis, ex Conc. Nic. vbi dicitur: de his qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur nunc etiam, ita vt si forté, quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur viatico, quód ex eo patet, nam nullum tempus opportunius, quam mortis articulus, vt homo Eucharistia se muniat, contra tunc irruentes tentationes, & pugnas dœmonum, præcipué cum hoc sit Sacramentum charitatis, quæ est finis & consumatio vitæ Christianæ, & sic per illud profitemur nos decedere, tanquam membra viventia in Christo; quare refert Eusebius, de quodam Serapione, qui morti vicinus, sentire se dixit detineri, vt mori non posset, quia Eucharistia non erat refectus, qua sibi collata, quasi ruptis catenis, animam exhalavit. Quód autem præceptum communicandi, obliget aliquoties in vita, patet ex fine huius Sacramenti, qui est nutritio vitæ spiritualis, ad reficiendum eius iacturas, per peccata factas, ad quod non sufficit, semel in anno, vel in articulo mortis summere, sicut non sufficit vna vel altera vice summere cibum corporalem, ad reparandam naturalem vitam.

Septima difficultas: De præcepto Ecclesiastico summendi Eucharistiam, constat ex cap. omnis vtriusque sexus, & ex Trident. Sess. 13. Can. 9. quód omnes fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, tenentur ex præcepto Ecclesiæ, semel in anno, nempé in Paschate communicare. Secundúm diversos autem Ecclesiæ status, diversa circa hoc fuerunt statuta, vt ait D. Thom. art. 10. ad 5. nam quando magna vigebat fidelium devotio, statutum fuit, vt quotidié communicarent; deindé fervore diminuto, Fabianus Papa indulsit, vt communicarent ter in anno, nempé in Pascha, in Pentecoste & in Natali Domini; & tandem charitate frigescente, Innocentius III. statuit vt fideles, semel in anno communicent, nempé in Pascha, & solum hoc vltimo modo præceptum obligat; nomine autem Paschatis ex vsu Ecclesiæ, intelligitur totum tempus á Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusivé.

Hæc est doctrinæ substantia, circa quam oriuntur aliqua dubiola, primum est: an detur præceptũ laicis, communicandi sub vtraque specie? De Sacerdotibus certum est, teneri ad vtriusque speciei sumptionem, quia tenétur ad perficiendum & consumandum Sacrificium, ad quod requiritur vtramque speciem summere. De laicis verò, nullum ius

divinum extat, & rectè illis Ecclesia vsum Calicis prohibet. Primùm patet: quia nullum extat divinum ius, nec ex factis Christi, nec ex scriptura, neque ex praxi Ecclesiæ, de comunione laicorum, sub vtraque specie, vt discurrenti patebit. Deindé ratio id suadet: nam quatuor sunt in Sacramento, ex quibus obligatio communicandi sub vtraque specie, poterat exoriri, nempé effectus, significatio, res contenta & species; ex nullo autem ex his, oritur talis necessitas; non ex primo; nam idem effectus gratiæ tribuitur, summenti vnam speciem, ac summenti vtramque vt vidimus; non ex secundo, nam quælibet species, significat vnionem Christi, cum membris mysticis, sicut panis cum granis, & vini cum racemis; non ex tertio, nam totus Christus, continetur sub singulis speciebus; non ex quarto, nam necessitas ex parte specierum, solum poterat oriri ex tribus prædictis, quæ tamen non inducunt necessitatem vt vidimus.

Ex his patet, Ecclesiam convenienter & iustis causis, prohibuisse laicis, comunionem sub vtraque specie; sic habetur in Trident. Sess. 21. Can. 2. quód magis constabit afferendo huius prohibitionis causas. Prima est, ad impugnandam hæresim Lutheranorum dicentium, quod sub specie panis, est tantum corpus Christi, & sub specie vini, tantum sanguis. Secunda, ad refutandum errorem dicentium: quód sola species panis, ad salutem non sufficit, in quo fere omnes hæretici conspirant. Tertia, propter reverentiam Sacramenti, nam ob populi multitudinem, vix posset vitari sanguinis effusio, cum multi accedant ad Eucharistiam senes tremuli, & iuvenes inconsiderati. Quarta, quia multi vinum abhorrent, & eius odoris sunt impatientes, & daretur periculum vomitus vel expuitionis. Quinta, nam multi ad communicandum accedunt fœtidi & sordidi, qui alios á comunione deterrerent, quibus nauseam causaret, ex eodem Calice cum illis bibere, ex quibus causis & alijs plurimis, fuit Ecclesia rationabiliter permota, vt laicis comunionem sub vtraque specie prohiberet.

Oppones, quod verba Christi: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, vtriusque speciei sumptionem videntur præcipere. Sed resp. 1. quód illa particula, & biberitis, summitur disiunctivé, vt mos est etiam apud Philosophos, qui explicant sic in diffinitione naturæ, particulam illam, motus, & quietis, & in diffinitione animæ, illam alteram, vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus. Secundó dicitur: quód præceptum est de re, nempé de summendo corpore & sanguine Christi contentis in re inqualibet specie, non autem est præceptum de modo summendi Vel 3. quód etsi detur præceptum sumptionis vtriusque speciei, non veró vt implendum per singulos, sed solum per Sacerdotes consecrantes, eo feré modo, quo illud præceptum Dei: crescite & multiplicamini, non debet impleri per omnes, sed per aliquos tantum.

Secundum dubiolum est: an qui in peccato mortali, sacrilege & indigné communicat, præcepto Ecclesiastico de annua comunione summenda satisfaciat? Resp. negativé; quod sequentes considerationes suadent. Prima: quia Christus præcepit manducationem salutarem, dum dixit: qui manducat me, vivet propter me, & consequenter, idipsum præcipit Ecclesia, cuius præceptum, est præcepti Christi determinatio. Secunda: quia præcepto naturali de summendo cibo, non satisfacimus, ponendo illi obicem, vel cibum summendo veneno infectum, & sic idem de cibo Cœlesti dicendum est. Tertia: quia præceptum confessionis, per confessionem sacrilegam non impletur vt statutum est ab Alex. 7. die 24. Septembris, anni 1665. & sic idem est de sacrilega comunione, per illam enim, quis iudicium sibi manducat & bibit, & reus est corporis & sanguinis Domini, & sic nequit præcepto satisfacere.

Plures Authores, vt Suarez, Vazquez, Coninch, & Martinonus, docent oppositum, ex eo quod Ecclesia, præcipere non potest actus internos. Sed hoc fundamentum, robur non habet, nam licet Ecclesia non possit primario & directe, actum internum præcipere, benè veró secundario & indirectè, quando internus requiritur, vt externus legitimé fiat; sic Ecclesia præcipit Inquisitoribus, vt non iudicent ex odio; iubet confessionem annuam, fideliter fieri, & officium divinum impleri studiosé ac devoté, in quibus omnibus, actus interiores indirectè & secundario præcipiuntur; vndé in cap. omnis, in quo annua comunio præcipitur dicitur, quod impleatur reverenter, quod verbum, solum dignam comunionem comprehendit. Præter huiusmodi rationes, extat recens Decretum Innoc. XI. qui in propos. 55. sic ait: præcepto comunionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem, quæ propositio damnatur ab ipso, post cuius dictum, opposita sententia, nec potest defendi, nec ad praxim deduci.

Undé licet antiquitus, aliqui ex nostris contrarium senserint, nunc oraculo Pontificis audito; merito debent reticere; quód olim subtilissima, & mirabili reflexione in simili comprobabat, eruditissimus vir ex Ordine nostro RR. P. M. Fr. Didacus Ramirez. Extat apud Ecclesiæ portam canis quidam, & hominem ingredientem videt, quæm velut extraneum sentit, & subito voce & latratu, illum detinere tentat, ne ingrediatur per portas; quod cum canis Dominus, hoc inspiciat, vocem emittit qua præcipit illi, vt homini liberum relinquat ingressum, idque statim ad iussionis Domini vocem silendo implet. Hoc Authoribus omnibus antiquarum opinionum potest aptari, sed Dominicanis nostris, præcipué; adstant illi velut Domini canes,

nes, Ecclesiæ portas, & scholarum atria custodientes, aliquas doctrinas, antiquitati oppositas vident, quas reputant novas, dum autem Pontificium exit edictum, vel de silentio, vel de earum veritate & defensione, statim tacent, & opiniones illas in Ecclesia, vel in Vniversitatibus ingredi sinunt. Videbatur olim extraneum, quod Ecclesia præciperet internos actus, sicque cogitabant ex oppositaSchola plures, & ex nostra aliqui per communionem indignam, posse Ecclesiastico præcepto communionis satisfieri, sed dum Pontifex oppositum præcepit, qui est Dominus canum, hi statim tacent, & humiliter vt debent obediunt, & idem discurrendum est de alijs opinionibus antiquis, si quæ sunt in authoribus, vsuis Decretis Summorum Pontificium contrariæ.

Tertium dubiolum est: an eadem communione possit præceptum impleri, & viaticum summi, vt si quis Dominica Palmarum pro viatico communicavit, si post dies paucos convalescit, an teneatur iterum communicare, vt præcepto annuæ communionis satisfaciat? Resp. negativé, eadem enim communione, potest vtrique obligationi satisfieri. Sic Prado, Sanchez, Bonacina & alij; quia sicut præceptum communionis in Paschate habet latitudinem quindecim dierum, eandem potest habere præceptum viatici, & sic obligabunt in eodem tempore. Nec obstat: quód præcepta illa sunt diversa; nam eadem actione, potest satisfieri duplici præcepto concernenti eandem materiam, sicut vnica recitatione satisfit obligationi Religiosi & Sacerdotis, & vnico ieiunio, Quadragesimæ, Vigiliæ & Jubileo: ergo idem de duplici præcepto communionis dicendum est; vndé sententiam Quintanadueñas, qui oppositum sentit, Prado singularem & falsam vocat.

Octava difficultas: De Ministro Eucharistiæ. Sensit impiús Lutherus, omnes Ecclesiæ dignitates, confusas esse & permixtas, nullosque esse Sacerdotes, á reliquo vulgo distinctos, sed vniversos Christianos, Sacerdotes esse, ex vi Baptismi, & omnes posse Eucharistiam consecrare; & ex eo movebatur, quod scriptura sæpiús vocet Sacerdotes omnes Christianos vt dicitur 1. Pet. 2. vos autem genus electum, regale Sacerdotium. Sed tamen veritas de fide est, solos Sacerdotes posse Eucharistiam conficere, sic habetur cap. firmiter de summ. Trinit. & in Trident. Sess. 23. cap. 1. vndé ait Clemens Rom. lib. 2. cap. 31. quicumque laicus sine Sacerdote aliquid operatur, inaniter operatur; & hoc ipsum suadet ratio D. Thom. q. 83. art. 1. nam quicumque agit aliquid persona alteriús, debet hoc facere, per potestatem ab eo concessam; solis autem Sacerdotibus cum ordinantur, confertur potestas consecrandi in persona Christi, & ideo solius Sacerdotis proprium est, conficere hoc Sacramentum; & sic ait D. Thom. cuius officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit. Nec vim habet, quod opponit Lutherus, nam Sacerdos vel summitur proprié pro habente potestatem consecrandi, & hoc solum convenit Presbyteris, vel summitur laté & improprié pro debito offerendi Deo sacrificium bonorum operum, & in hoc sensu, omnes Christiani sunt Sacerdotes, iuxta dictum D. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. omnis bonus homo, dicitur esse Sacerdos mysticé, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offert, se ipsum scilicet Hostiam viventem Deo; & sic sunt exponenda, alia similia testimonia.

Circa ministrationem autem Eucharistiæ, dicendum est cum D. Thom. art. 3. quód ad solum Sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi. Primó: quia agit in persona Christi, qui in cœna consecravit, & alijs corpus suum sumendum dedit; vndé ait D. Thom. solis Presbyteris, quibus sic congruit vt summant & dent cæteris. Vbi obiter nota, me ægre ferre, quod in principio Missæ aliqui petant communionem á Sacerdote, quia licet hoc, nulla sit lege prohibitum, sed ex dictis verbis habetur, quod ipse primo debet summere & postea alijs conferre, aliud est cum non accedit ad aram celebraturus; sed solum pro fidelibus communicandis. Secundó ait D. Thom. Sacerdos est medius inter Deum & populum, vndé sicut ad eum pertinet, dona populi Deo offerre, ita pertinet ad eum, Dei dona populo traddere. Tertió, quia reverentia huius Sacramenti, petit vt solum tangatur á re consecrata, vt sunt manus Sacerdotum ad id destinatæ, & sic nulli tangere licet, nisi in necessitate, vt si caderet in terram, vel in alio simili casu.

Hoc ipsum probat D. Thom. in loco ex sentent. relato art. 3. quæstiunc. 1. quia sicut in corpore naturali sunt quædam membra præcipua per quæ operationes vitæ ad membra inferiora derivantur; sic in Ecclesia, Sacerdotes & alij Ministri sunt, quasi membra principalia medijs quibus, Sacramenta vitæ, populo debent ministrari. Nec infertur hinc, quod solus Pontifex & Episcopi, qui sunt membra præcipuaEcclesiæ, debeantEucharistiam ministrare; nam licet hoc sit verum, attenta dignitate Sacramenti, sed attentis vtilitatibus fidelium ex frequenti Sacramenti vsu resultantes, omnibus Sacerdotibus concessa est illa potestas. Sed ait D. Thom. art. 3. ad 1. quód Diaconus, quia est Sacerdoti propinquus, potest ministrare sanguinem Christi, non verò corpus, nisi in necessitate iubente Episcopo vel Presbytero. Túm, quia sanguis continetur in vase, & non est opus tangere illum. Túm, quia sanguis designat redemptionē populi, & ideo miscetur aqua, quæ populum significat, & ideo dispensatio sanguinis convenit Diaconis, qui sunt medium inter Sacerdotem & populum.

Dices: Diacono id non convenit ex officio, quia

hoc

hoc est proprium Sacerdotis consecrantis; nec ex comissione, quia sic etiam potest corpus ministrare. Resp. quód dispensatio sanguinis Christi, convenit Diacono ex officio; sic expressé ait D. Tho. loco proximé citato in sentent. quæstiunc. 2. vbi ait: sicut Sacerdos participat aliquid de virtute perfectiva quæ est Episcopi, ita Diaconus, participat aliquid de dispensatione huius Sacramenti, competit enim ei ex officio, sanguinem Domini dispensare, sed non corpus, quia dispensator corporis, oportet quod ipsum corpus tangat, non autem dispensator sanguinis; Diacono autem, non licet corpus Christi tangere, cum non habeat manus sacratas, & ideo non debet corpus dispensare, nisi de mandato Presbyteri, in casu necessitatis; ex quo patet quod Presbytero egrotante, posset hic, si alius Sacerdos non adesset, mittere per Diaconum infirmo Hostiam consecratam; imó etiam sine iussu Presbyteri hoc posset Diaconus facere, quia necessitas interpres esset voluntatis illius.

Aliqui hoc ipsum sentiunt, de Subdiaconis & laicis; sic Suarez, Valentia, & Coninch. Sed oppositum est verum, & assertur á D. Thom. loc. cit. ex sentent. vbi ait: In casu necessitatis, potest & debet corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, vt si in aliquo loco minuendo iaceret, sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia receptio huius Sacramenti, non est necessitatis, vndé ei qui non potest Sacramentaliter manducare, dicendum est: crede & manducasti; & id quod dicimus de ministrando Sacramento alijs, dicendum est de ministrando sibi ipsi; & sic Diaconus Sacerdote absente, potest se ipsum communicare, secluso scandalo, quia sic ait Concil. Nicen. 1. cap. 14. & etiam id potest Sacerdos extra Missam in casu necessitatis, vt ait Cayet. & etiam ex sola devotione, vt ait Suarez, cum pluribus á Prado citatis, licet ipse Prado asserat solum hoc licere intra Missam, nam extra illam, ovis est ab alio pascenda, laicis verò in nullo casu licet se ipsos communicare, sicut nec alios licet communicare. *Etsi opponatur* factum Mariæ Estuardæ Reginæ Scotiæ, quæ martyrium subitura, iussu impiæ Elisabeth, proprijs manibus Eucharistiam sumpsit. Resp. id fecisse, vel vt Eucharistiam ab hæreticorum iniurijs eriperet, quia ratione, fœmine antiquitus communicabant se ipsas; vel etiam fecisse speciali instinctu Spiritus Sancti; vel ex Pontificis licentia & dispensatione, vt vitaretur periculum irreverentiæ.

Nona difficultas: An Minister, debeat negare corpus Christi, peccatori petenti? Difficultatem tangit D. Thom. q. 80. art. 6. & respondet: quód peccatores, quidam sunt occulti, quidam verò manifesti per evidentiam facti, vt publici vsurarij vel raptores, vel per iudicium Ecclesiasticum vel Sæculare; quo supposito, duo dicit. Primum: quód peccatoribus manifestis, etiam petentibus, non debet sacra communio conferri, vndé ait S. Cipr. lib. 1. epist. 10. vbi inquirit an publicis peccatoribus, communio debeat dari, ait: puto, nec maiestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ, tam turpi & infami cogitatione fœdetur. Ratio autem est: quia Sacerdos dãs communionem peccatori publico, non est dispensator fidelis, & operatur contra comissionem sibi factam, quia peccator per culpam se fecit indignum recipiendi Sacramentum, & alias nulla ei fit iniuria, quia crimen est publicum, sive per sententiam iudicis, sive per populi clamorem.

Nec obstat: Quód vt dicitur in Conc. Constant. nullus Sacerdos, tenetur vitare aliquem, nisi publicum Clerici percursorem. Resp. enim; quod hoc est verum, in his quæ pertinent ad ius humanum, sed non in his quæ sunt de iure divino, vt est communionem negare publico peccatori. Sed est notandum: quód si quis in aliquo loco, non est diffamatus, non est ibi ei deneganda communio, licet alibi diffamatus sit, quia in eo loco est in possessione suæ famæ, & Sacerdos peccaret contra charitatem, ei communionem denegando. *Dices*: infamatum in vno loco, non licet infamare alibi, nisi se ingerat negotijs, quibus non est dignus, vt patet in volentibus matrimonium contrahere, quorum defectus manifestantur, & in dicto casu, se ingerit quis negotijs sacris, quibus dignus non est. Resp. quód hæc doctrina tenet, si ingeratur quis negotijs, ex quibus resultat iniuria tertij, vt in casu matrimonij, si fœmina est nobilis & honesta, & vir non est talis, & admonitus non desistit, sed in nostro casu, nulli fit iniuria, imo ille petit id ad quod habet ius ratione Christianitatis, & sic nequit ei denegari. *Si dicas*: quód facit iniuriam Sacramento. Resp. quód hoc non sufficit, nam etiam peccator occultus eandem iniuriam facit, & non licet ei publicé petenti communionem negare, vt statim dicemus.

Secundúm dictum D. Thom. est: quód si peccator, non est manifestus, sed occultus, non potest illi sacra communio denegari. Ratio est: nam quilibet Christianus, ratione Baptismi, admittitur ad Dominicam mensam, & non potest ab illo, suum ius auferri, nisi propter aliquam causam manifestã; vndé ait D. August. lib. de med. pœnit. cap. 3. nos á communione, quem quam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel Sæculari, nominatum, atque convictum; & sic occulto peccatori publicé petenti, non debet communio negari, quod constat ex facto Christi, qui & si sciret Iudæ peccatum, illi non negavit communionem, quia peccatum, adhuc erat occultum; vt ait D. Thom. q. 81. art. 2. *Dices*: qui petit gladium, vt se occidat non licet conferre, & sic nec licet peccatori occulto conferre Eucharistiam quæ gladius illius est, quia mors est malis.

malis. Resp. quód licet constet apud Deum, indigné communicantem se occidere, non veró constat apud Ecclesiam, cui peccatum ignotum est, petens autem gladium, vt se occidat manifeste operatur contra iusticiam, & ideo huic debet negari gladius, non veró debet communio negari peccatori occulto, publicé petenti.

Sed quid si occultus peccator, etiam occulté communionem petit? Resp. quód debet ei denegari; constat ex cap. cum ab homine, vbi dicitur, criminosum occultum, debere occulté evitari, & sic videtur insinuari á D. Thom. loc. cit. & idem ait Sotus, & Petrus de Ledesma. Túm, quia Sacerdos debet esse fidelis dispensator. Túm, quia in foro secreto, in quo petitur communio, peccatum notorium est. *Dices*: quó l occultus peccator, habet ius petendi communionem præcipué in Paschate & articulo mortis, & sic illi denegari nequit. Resp. quód licet habeat tale ius ratione Christianitatis, illud tamen ammisit ratione peccati, in foro, in quo convictus est de illo, & ideo tali in occulto potest negari communio. Sed notandum, quod hæc doctrina vera est, dummodo notitia occulta de crimine, non habeatur solum ex confessione; quia peccator occultus, non debet á Sacramentis expelli propter peccatum occultum, solum per confessionem cognitum, nec licet vti tali notitia, ne confessio reddatur odiosa, & ab illa homines retrahantur.

Totam doctrinam nostram affert D. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. quæstiunc. 5. vbi ait: si Sacerdos sciat peccatum alicuius, qui Eucharistiam petit, per confessionem, vel alio quolibet modo, aut peccatum est occultum aut manifestum? Si est occultum, aut petit in occulto aut in manifesto; si in occulto debet ei denegare, & monere ne in publico petat, si in manifesto petit, debet ei dare. Primó: quia pro peccato occulto, pœnam inferens publicam, revelator est confessionis, aut præditor criminis. Secundó: quia quilibet Christianus, habet ius in perceptione Eucharistiæ, nisi per peccatum mortale ammittat, & cum Ecclesiæ non constet, istum amisisse suum ius, non debet ei in facie Ecclesiæ denegari, alias mali Sacerdotes haberent facultatem puniendi, quos vellent pro libito maxima pœna. Tertió: ob incertitudinem status sumentis, quia subito potest esse á peccato compunctus, nam spiritus, vbi vult spirat. Quartó: quia esset scandalum, si denegaretur; si autem peccatum est manifestum debet ei denegari, sive in occulto, sive in manifesto petat. Hæc D. Thom.

Sed opponunt. Suarez, & Vazquez. Primó: nam sic, vel infamandus est proximus, vél Sacramentum est dandum indigno, iuxta primam rationem, & sic potius est eligenda infamatio proximi, cum sit minus malum, quam iniuria Christi. Secundó: quia peccator in eo statu, non habet ius ad petendam Eucharistiam, quia non est actio minús sacrilega publica quam occulta petitio. Tertió: quia potest certo moraliter constare de culpa petentis, vt si est publicé excomunicatus, & sic nequit præsumi bona dispositio, alias etiam hæc, de peccatore publico, posset præsumi. Quartó: quia ex illo facto, solum posset sequi scandalum, & infamia illius hominis apud populum, & opera quæ sunt in præcepto, non sunt propter scandalum dimittenda, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7.

Hæc autem omnia ex eodem D. Thom. qui doctrinam dedit, habent solutiodem. Ad 1. dicitur: quod licet peius sit peccatori mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari, Sacerdoti autem ministranti, peius est peccare mortaliter infamando iniuste peccatorem occultum, quam quod iste peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, vt alium liberet á peccato; vndé ait Aug. lib. q. sup. Genes. q. 42. periculosissimé admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius graviús malum faciat, & sic peccator non est perplexus, nisi ex sua malitia, & Sacerdos potiús debet eligere, quod peccator comunicet ad perditionem suam, quam negare ad perditionem propriam, peccatum occultum re elando. Sic D. Thom. hic art. 6. ad 2. Ad 2 Resp. quód licet peccator occultus, non habeat ius petendi in foro conscientiæ & apud Deum, bené veró in foro externo, & apud homines, & sic Sacerdos, non dando Sacramentum, scandalum dat, & infamat petentem, quod constat ex verbis D. Thom. dicentis: cum infacie Ecclesiæ, non constat amisisse ius suum.

Ad 3. dicitur: Quód ratio tertia non est radicalis & vnica, sed quædam confirmatio ad instanda argumenta, vndé ait D. Thom. quód hoc est ex incertitudine status sumentis, & præterea, quia non est certum, vtrum communio sit ei mortifera, quia subito homo Spiritu Dei mutatur; vndé ait Lugo: tantam esse huius Sacramenti virtutem, vt etiam quando indigné suscipitur, aliquando sui splendoris radios in peccatoris mentem diffundat, & eum ad dolorem excitet ac compunctionem. Nec est idem de peccatore manifesto publicé petente, quia in hoc non sufficit quod clam sit comendatus, sed est opus publica satisfactione, vt auferatur scandalum, quod in occulto peccatore nequit fieri, ne infametur, & sic isti proficit status incertus, tunc moraliter reputatus bonus. Ad 4. Resp. quód licet bona spiritualia excedant temporalia, sed nobis incumbit maior cura, sucurrendi proximo in temporalibus, præcipué dum spiritualia damna peccatori sunt nota. Túm, quia in spiritualibus, vt homo liberetur á peccato, solum eget Dei auxilio sed in temporalibus, sæpé sunt necessaria humana præsidra; si autem quis ex ignorantia peccaret, quam ego solus auferre possem vrgentior mihi esset obligatio sucurrendi illi damno, quam

temporali. Tùm, quia ad vitanda mala corporalia, possumus vti medio violento, vt cohibendo hominem, ne in se vel in alium, manus injiciat; sed ad vitanda mala spiritualia, solum possumus vti monitis & præcationibus, vt quis libere á malo abstineat, quæ doctrina est M. Soto.

ARTICVLVS X.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus circa confessionem sacræ communioni præmittendam. Parrochus quidam ruralis, orditur rixam cum rusticis ante diem festi solemnissimi, ex rixa, progrediuntur ad contumelias, quibus irritati plures, Parrochum invadunt, & ipse adversus illos fortiter se defendit, sed humi sternitur & pugnis cœditur plagis impositis. Accedit festus dies & ille sacrum celebrat absque prævia confessione, quia non poterat ad proximum Parrochum accedere, nec iste vellet venire. Quæritur: quid de hoc facto sentiendum? Resp. talem Parrochum non peccasse, non accedendo ad confessarium, nam supponitur in casu dicto, non potuisse, nisi valdé difficiliter tantum ministeris facere, cum esset maximé demolitus ex ictibus; & generaliter loquendo, non tenetur Sacerdos pro confessione ante sacrificium præmittenda, conficere iter molestum, aut ratione infirmitatis, tempestatis nivis, distantiæ vel similium; sic sentit Gavantus & Dicastillus.

Sed tamen, si distantia non fuerit tanta, quin posset Parrochus, ad confessarium vicinum accedere intra horam, peccaret si ita non exequeretur; nam qui obligatus est, ad aliquid faciendum, tenetur etiam, apponere media, saltim ordinaria; quod debet á Parrochis & Sacerdotibus ruralibus notari, ne prætextu distantiæ ab alio, in peccato existentes, confessionem ante sacrificium ommittant. Poterunt tamen excusari, si ommissio confessionis oriatur ex eo, quod non certo, sed solum probabiliter existiment, se esse in peccato mortali. nam tunc solum venialiter peccare, probabile est. Sed hoc de dubitante, non est tenendum, quia peccata dubia, vt talia sunt in confessione aperienda, vt ait D. T. in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3. & in addit. q. 6. art. 4. ad 3. nam iuxta Concil. Trident. illi tenentur ante susceptionem Eucharistiæ confessionem præmittere, quos conscientia peccati mortalis gravat quando autem quis dubitat se mortale comisisse, illum gravat conscientia peccati mortalis, & sic debet confessionem præmittere.

Quid autem dicendum esset, si Sacerdos aliquis, post sufficiens examen, nullum ei peccatum grave occurrit, & sine prævia confessione, accesit ad altare, in quo recordatus est mortalis peccati á se commissi? Resp. quòd si hoc occurrit in Missæ introitu, & poterat sine nota nec infamia confessorem ad se vocare, & confessionem præmittere, sic debebat facere, ita Sylvester, Bonacina, Castro Palao, & alij; si autem id non posset exequi sine nota vel infamia, & occurrit ante consecrationem, debebat elicere actum contritionis, saltim existimatæ; sic sentit Cayet. Dicastillo & Lugo; si autem post consecrationem occurret, & si posset sine nota confiteri, ad id non tenebatur, propter decentiam vrgentem, non interrumpendi sacrificium, post specierum consecrationem. Hæc doctrina, tradditur á D. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 2. vbi ait: si Sacerdos post consecrationem inceptam, recordetur se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere, cum proposito confitendi & satisfaciendi & sic non indignè, sed fructuosé summet Sacramentum, & eadem ratio est, si meminerit se excomunicationi cuicumque subiacere, debet enim assumere propositum, humiliter absolutionem petendi, & sic, per invisibilem Pontificem Iesum Christum absolutionem consequetur, quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria. Sed quid faciendum, si hoc ipsum contingeret sæculari, ad sacram cómmunionem accedenti? Resp. quód si recordatur peccati mortalis, cum iam communionem recipit de manu Sacerdotis, si commodé potest ratione alicuius salivæ proijciendæ, vel alteriús legitimæ causæ, debet aliquantulum communionem differre, & pro brevitate temporis, contritionem procurare; quod si ad eas reducatur angustias, quod eam non elicit, potiús debet Eucharistiam recipere, quam ab altari discedere, cum scandalo aliorum, & proprio dedecore, quia credendum non est, pium Dominum, hoc Sacramentum instituisse, ad remedium animarum, cum tanto dispendio nostro & alieno.

Ex dictis resolvi potest casus alter, hanc eandem concernens confessionis materiam, nempé cuiusdam qui in Paschate confessus, sed indispositus á confessario non fuit absolutus, quæsivit autem ab eo, an communicare posset ad vitandam eius infamiam, quid confessor facere debebat? Resp. certum esse apud omnes, mortaliter gravissimé peccaturum, illum qui ad communionem sic accedit, non enim est faciendum, vllum etiam veniale peccatum, vt eveniat maximum bonum, vel impediatur quodcumque malum; nec ratio permittit, vt servetur bonum nomen cum iniuria tertij, qualiter in eo casu, iniuriaretur Sacramentum; quod si confessor videat, sua monita non proficere, vt pœnitens ille; abstineat in communione, potest ab eis desistere, quia leges non obligant ad actionem inutilem; quod si interrogetur á pœnitente, si maius peccatum est accedere ad vitanda ea mala, quam abstinere illis prævisis? In praxi dico, quod maius peccatum est abstinere, nam certum est peccaturum mortaliter si communicet, & non est æquè cer-

certum, eventura mala illa, & in concursu duplicis mali, quorum vnum est certissimum licet minús, & aliud præsumptum & incertum, licet maius, hoc secundum eligendum est, nisi sit incomparabiliter maius qualia non sunt mala illa quæ præsumuntur si abstineatur á communione, vt enim ait D. Thom. peius est peccatori occulto peccare mortaliter, quam infamari; de quo rursus agemus infrá casu 7.

Casus secundus, de ieiunio requisito ad communionem. Sacerdos quidam simplex & indoctus, per multũ tempus assuetus fuit assumere nucem muscatam ante sumptionem Eucharistiæ, ignoranter cogitans, quod id ad reverentiam Sacramenti conducebat, & ita bonum odorem stomachi, ad illud præparabat, non distinguens inter ieiunium naturæ & Ecclesiæ; sic refert Cayet. in summa verb. Eucharistia, & iudicat illum Sacerdotem mortaliter peccasse, quia eius bona intentio, non poterat prævalere præcepto, & Apostolicæ traditioni. Huius occasione inquiritur, quomodo ieiunium naturale servatur vel frangitur ad sacram communionem percipiendam? Ad quod regula hæc generalis statuenda est, tunc solum Ecclesia vetat communionem ob defectum ieiunij, quando sumptum fuit aliquid, quod moraliter censetur comestio, vel potatio, ex materia, & ex modo illam traijciendi.

Applicatio autem ad casus particulares, varia est apud Authores. Leander ait, quod mulieres terram comedentes ob delectationem, ieiunium naturale non fraugunt, nam illa non est materia comestibilis; sed Lacruz, & Diana oppositum tenent, quia si sumuntur ob voluptatem, habent rationem cibi, si ad inducendum pallorem sunt medicina, apta immutationem facere, aut pati per aliqualem coniunctionem. Alij hoc idem sentiunt de papiro, quia multa animalia vescuntur illo; sed Lugo, ait quod cum res sumpta integra mittitur per secessum, ieiunium naturale non frangit, vt sunt articula fructuum, fragmenta metallorum, lapilli, & forte lignum durum, quorum discretio, ad medicos spectat. Sed Prado ait omnia numerata ieiunium naturale frangere. Túm, quia communiter Authores, sic tenent. Túm, quia sic fert vsus fidelium, si enim viderent mulieres, terram, vasa testea, & similia comedentes, postea communicare, scandalum paterentur & execrarentur tale factum. Túm, quia sic ait D. Thom. q. 80. art. 8. ad 4. dicens: Nec refert vtrum aliquid huiusmodi, nutriat vel non nutriat, aut per se, aut cum alijs, dummodo sumatur per modum cibi vel potus.

Hinc habetur, quod si casu in os advolet musca & deglutiatur, naturale non frangitur ieiunium, quia talis descensus non fit per actionem vitalem, sed advenit ab extrinseco. Nec ieiunium frangitur, quando aliquid deguſtatur vel os abluitur, & totum foras projcitur; si quis autem gargarizetur & aquam diutius more detineat vix possibile est, aliquam partem á faucibus non attrahi, & ideo in hoc maxima est reflexione vtendum, nulla enim cautela nimia est. Reliquiæ autẽ cœnæ noctis præcedentis, si in ore manent, & casualiter deglutiũtur, ieiuniũ non frangunt, nec Sacramenti sumptionem impediunt, quia nec veniũt ab extrinseco, nec traijciuntur vt cibus, sed vt saliva; si autem quis ante mediam noctem cibum, vel potum sumpserit, potest die sequenti Eucharistiam summere, non veró si sumpsit post mediam noctem, quia iam dies inchoata est. Nec refert, quod quis postea dormiat, vt quis olim mihi candide suadebat, quia licet hoc temperet perturbationem mentis, non tamen conducit ad rationem præcepti, quæ doctrina est D. Thom. loc. cit. ad 4. & 5.

Inter omnia autem relata, circa ieiunium ommissimus adhuc sumptionem quandam, quæ satis vulgaris & in vsu est, nempé sumptio tabaci per nares, vel per os, aut summum suggendo, aut dentibus atterendo folia, de quibus non desunt qui asserant ieiunium naturale violare, ad communionem requisitum, sic sentit Antonius de Lema, & M. Lezana, quibus ego libenter assentirem, quia nullum cum tabaco inivi commercium, cum tamen pauciſsimi sint & numero brevi ab huiusmodi affectione, vel potiús cœca passione liberi. Sed tamen dico: quód attractio pulveris tabaci per nares, ieiunium non frangit, quia vera comestio, aut potatio non est; sic sentit Lugo & Diana cum alijs, quod autem attinet ad folium tabaci ore contritum, & ad fumum, ad os per instrumentum attractum, asserendum est: quód si quis voluntarié traijcit ad stomachum fumum vel substantia tabaci, frangitur ieiunium, quia est vera comestio, & ita expresé tenent Ludov. Ramirez, Thomas Hurtado, Salmant. & alij ab eis citati & secuti.

Sed quicquid sit de hoc (quod etiam ego laté defenderem, præcipué de illis, quibus masticatio, vel sumptio tabaci, est ita frequens & assidua, vt ipsi fateantur, se libentius cibum deserturos quam illam; nec sit necesse, vt vidimus cum D. Thom. quód materia sumptionis nutriat vel non, vt ieiunium naturale frangat) monendum tamen est, ne vlla tabaci sumptio, præcipué per os, ante sacram communionem fiat, propter reverentiam tanto Sacramento debitam, & propter periculum traijciendi aliquid in stomachum, quod moraliter evidens est in his qui sunt vehemẽter affecti, ad sumptionẽ vel masticationem tabaci; & quidem si vasa, in quibus corpus Domini est reponendum, & viæ per quas est in processionibus portandum, maximé purgantur á sordibus, cum tamen extrinsecé, solum illud contingant, quanto magis os, á quibus intima sumptione debet manducari? Quód si hoc est verum, de Sæcularibus accedentibus ad sacram mensam, potiori iure de Sacerdotibus, qui sunt ad con-

consecrationem, & sumptionem simul destinati, fatendum est; vndé ait Chrisost.hom.3.super epist. ad ephes. Regem non audeas osculari, si os tuum oleat graviter; & licet ibi sit sermo de odore immundo culpæ, litteraliter verò potest applicari ad oris fætorem,ex tabaci fumo provenientem.

Ex his circa ieiunium, hic alter casus resolvendus. Parrochus quidam, alteri vicino suo Missam commendavit, pro solemnis fæsti celebratione, aliquos ante dies, qui re non bene intellecta, vel illius oblitus accedit signato die post Missæ celebrationem, & alij Sacerdotes concurrentes,omnes idipsum fecerant, vel non erat ex eis ieiunus aliquis; quid in hoc casu faciendum? Rem affert Tannerus, & ait Sacerdotes illos existimasse, meliùs esse, quod populus de eventu publicé deceretur, & dimitteretur sine sacro, quam quod celebraretur á non ieiuno;sed tamen Gobatus,ait quod in casu sic vrgente, suaderet ipse fieri sacrum ab vno, qui solum ieiunium violasset, summendo in sacro ablutionem. Tùm, quia vt ait Suarez, ob grave & publicum scandalum, quod alia via nequit vitari, potest Sacerdos, celebrare non ieiunus. Tùm, quia vt ait D. Thom. q. 83. art.6. ad 2. vbi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minùs de periculo; minùs autem est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis; & alias in eo casu, non aliter posset vitari scandalum, indignatio,& oblocutio populi,& dicteria lædentia Sacerdotum honorem & famam; quare virum doctum & pium,sic olim resolutum vidi ad celebrandum in simili casu, propter easdem causas, postea in puncto celebrationis, Deus providit præter spem, de Sacerdote apto, & ieiuno.

Sed quid de ieiunio servando, post Eucharistiæ sumptionem? Resp. quód in Canonibus antiquis statutum erat, quod sumpta Eucharistia mane, servaretur ieiunium vsque ad sextam, & sumpta, tertia vel quarta hora, servaretur vsque ad vesperum, sed hoc abrogatum est per oppositam consuetudinem; sed tamen ob Sacramenti reverentiam, maximé decet abstinere á cibo & potu, donec species consumantur, de quo non potest assignari certa regula, cum hoc pendeat á stomachi calore,qui in aliquibus tardius,in alijs velocius,consumit;& simi liter decet,non statim spuere post sumptionem Eucharistiæ, & maximé si sputum ex pectore fluit, ob periculum proiectionis Sacramenti; ita Cayet.Paraus. Salmant. & alij. Verba autem D.Thom. q. q.80. art. 8. ad 6. id splidius resolvunt; ait enim: maxima devotio requiritur in sumptione huius Sacramenti,quia tunc percipitur Sacramenti effectus, quæ quidem devotio, magis impeditur per præcedentia, quam per sequentia, & ideo magis est institutum,quod homines ieiunent,ante sumptionem huius Sacramenti, quam post; debet autem esse aliqua mora, inter sumptionem huius Sacramenti, & reliquos cibos; vndé & in Missa, oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes, etiam suas privatas orationes dicunt. Hæc D. Thom.

Casus tertius, de susceipientibus Eucharistiam. Iuvenis quidam in Davariæ oppido extitit,ab eius nativitate surdus & mutus, & adeo exactè omnia mysteria fidei, & Sacramentorum nutibus exprimebat,vt omnes Sacræ Bibliæ Historias integrè didicerit, si alijs moventibus linguam & labia, facile quid dicerent intelligebat. Quæritur: an ist. posset sacra communio conferre? Negat Baum, & Isambertus; sed oppositum tenent communiter Theologi cum Pavormitano, Layman, Castro Palao, & alijs plurimis quos Prado citat & sequitur, & idem ait D. Thom. in 4. dist.27. q.1. art. 2. quæstiunc.2. & opusc.22. cap. 1. vbi surdos & mutos á nativitate, admittit ad Sacramentum Matrimonij. Ratio etiam suadet: nam videmus surdos & mutos á nativitate,tám viros,quám fœminas, intelligere plura valdé difficilia visione & observatione, motus labiorum in alijs,illosque manifestare conceptus internos, & posse instrui in fidei mysterijs, vt contingit in casu prædicto.

Est autem differentia inter Authores circa tempus in quo, debet talibus conferri Eucharistia:Marcantius enim solum id concedit posse fieri in mortis articulo; Diana verò & alij, hoc remmittunt arbitrio prudentis confessarij, qui cognoscit qualiter illi sint instructi, & capaces recipiendi Eucharistiam.Imó Pasqualigus, non solum ait posse hoc fieri singulis annis, pro adimplendo præcepto, sed quotiescumque rationabiliter petierint, si eis percipiatur devotio,quia tunc rectè dispositi accedunt, & percipiunt quid faciunt, nec debent esse peioris conditionis quam alij. Sed re vera hoc non potest ita generaliter affirmari, nam reverentia, quæ pro aliquibus est rationabilis, pro alijs est imprudens, & oppositæ reverentiæ Sacramenti. Nec est inconveniens, quod illi sint peioris conditionis, infirmitate suppositæ & per accidens, sicut dicitur de semifatuis,& de illis qui frequenter, non habent copiam Ministri, nec alias commoditates, ad communionem requisitas.

Sed si illi surdi & muti, simul essent cæci, quid esset de eis dicendum? Resp. quód debent annumerari cum perpetuo amentibus, nec enim videntur, posse vllo modo in rebus sacris edocere, nec eis potest Eucharistia ministrare; sic sentit Castro Palao & Pasqualigo; nam licet tales debeant baptizari,& salvari possint si recte vivunt, non tamen possunt de fide illiusque mysterijs habere notitiam, quantumvis implicitam, nam cum ex sensibus, solum habeant gustum, tactum,& olfactum,non habent sufficiens fundamentum, vt qualitercumque percipiant Eucharistiæ mysterium,& illam á communi cibo distinguant. Imó ait Layman, quod tali-

talibus extra mortis articulum, non est absolutio Sacramentalis impertienda, nisi aliquod in specie explicent; sed contenti essemus, si manifestarent in genere, vt ait Silvester & Alensis; sicut enim Deus facienti, quod est in se gratiam non denegat, ita nec absolutionem negari vult, confitenti quantum potest.

Nec obstat: Quód opponitur, contra resolutionem de surdis & mutis, nempé quod illi fidem de Eucharistia non habent, nec inter ipsam & materialem cibum discernunt, nam carent auditu, ex quo fides procedit, & mortuis & mentecaptis assimilantur. Resp. enim, quod multi sunt muti & surdi á nativitate, qui rectè sciunt scribere, & per scripturam possunt de mysterijs instrui; alij per visum & acumen ingenij, multa explicatu difficilia percipiunt, & alijs manifestant, & hi etiam possunt doceri qualiter opporteat. Eucharistiam summere & adorare. Fides autem, licet regulariter ex auditu procedat, potest tamen esse per scriptum & alia æquivalentia signa, & per visum loquentium, quia signis labiorum & digitorum, possunt conceptus exprimi & manifestari, & etiam aliorum exemplo discernere possunt Eucharistiam ab alijs cibis; si autem illi assimilantur mortuis & mentecaptis, hoc est in foro civili, & quo ad civiles actiones, non autem extra illud, præcipué cum in talibus, inclinandum est in favorem animarum, ob quarum salutem, Sacramenta sunt instituta.

Huic resolutioni nostræ robur præbet mirabile factum S. Francisci Salesij, vt refertur in eius vita, excusa Diliagæ, Iacobo Machaele Authore, cap. 12. vbi enim refertur, quod cum quendam mendicum, auribus & lingua destitutum, & mysterium fidei pœnitus ignarum, cerneret vir Sanctus, tenera commiseratione commotus, ad domum suam velut domesticum, illum habere voluit, & patientia omni admiratione digna, in fidei Mysterijs instruxit, & qua ratione debebat confiteri, & sacram Eucharistiam summere, nutibus & signis ostendit, & deindé per totam vitam suam, idem ipse Sanctus, fuit illi surdo, vt causa sacris confessionibus, cuius exemplum, Prælati maximé debent imitari, vt Parrochis suis iniungant singularem curam de his miserabilibus personis, alias strictissimum Dei iudicium merito debent formidare; quæ notitia pro ministranda Eucharistia surdis, & mutis sufficiat, quam scribo eadem die, qua Ecclesia Sancta Evangelium legit de surdo, & muto ad Christum adducto, cuius sapientia pro docendis veritatibus fidei, facit surdos audire, & mutos loqui.

Casus quartus: Fuit olim apud Lotharingiam, homo quidam, instrumentis vtriusque inferioris evacuationis, imó signis earum omnino carens, ita vt omnes ventri fæces, & vrinam emittebat per os, semperque á nativitate sua, id gessit evomendo; circa quod est dubium, an tali homini & similibus alijs, posset corpus Christi donari? Videtur enim non parum reverentiæ tanti Sacramenti oppositum, si aliquando inter tot immunditias proijciatur ex ventre. Tale refert Gobatus, se vidisse monstrum; & respondit, quod illi præceptum communionis obligabat, & debebat illi sacra Eucharistia conferri; alias etiam deberet negari eis, qui fœtidis humoribus in stomacho abundant, in quibus adest, idem proiectionis periculum. Sed generalis doctrina pro his qui hæc, & similia accidentia patiuntur, sequentibus notationibus continetur.

Uomitus, aliquando provenit ob sumptum cibum; aliquando ex vitio stomachi adhuc ieiuni; si stomachus eijcit statim omnem cibum in propia specie, Eucharistia conferenda non est illi qui tale patitur; si autem statim non proijcit, sed post vnam horam, vt in homine illo propositi casus contingebat, potest conferri, quia intra illud tempus, species Sacramentales, iam sunt consumptæ. Nec obstat: quód refertur de Sacra Virgine Rosa Ordinis nostri, nempé sacras species in suo corpore virgineo conservasse, septem & octo horas; illa enim tam diuturna conservatio, potiús tribuenda est veró miraculo quã debilitati naturalis caloris. Quód si pensatis omnibus, dubitetur adhuc, an intra horam, fit aliquis species proiecturus, probetur conferendo ei Hostiam non consecratam, quam si retinuerit, porrigatur sacra, vt dicunt Sanchez., & Diana; nam in dubio, meliús est Sacramentum periculo incerto irreverentiæ materialis exponere, quã hominem, fructibus Eucharistiæ, certo privare; si autem stomachus cibum eijcit integrum & immutatum, nefas est communionem talibus donare.

Sed quid dicendum de Sacerdote, qui sumpta Hostia, cogitur validé sternutare, ipsamque cum catarrosa materia proijcit in patenam, an possit huius accidentis conscius accedere ad celebrandum? Resp. posse: quia non ideo poterat esse morale periculum, quod ea purgatio cerebri, in eo tempore illi contingeret, non enim sunt timenda prudenter á nobis, eaque rarissima contingere solent; & casus in solitus, nullius considerationis est. An autem qui ob efluxionem coguntur sæpissimé spuere, debeant ab Eucharistiæ sumptione abstinere? Resp. quód materia quam eijciunt, aut descendit á cerebro in os, priusquam in pectus, vel ascendit ex pectore ad os; si primum, non datur periculum irreverentiæ, nisi forté acciderit, dum adhuc Hostia retinetur in ore; si secundum, etiam cessat périculum, si fiat post receptam Hostiam in ventrem, secus si adhuc in gutture sit affixa; sed tamen cavendum est, ne adstantibus scandalum detur, si statim amittatur sputum, & debet sputum linteolo excipi, si statim post Eucharistiam receptam spuendi fluxus invadat.

Dices: quid ego facere debeo, qui assidué & ferventer tussio. Resp. quód si tussis est sicca, ni-

hil ex pectore iaciens, nullus scrupulus debet expungere; si autem est tussis phlegmatica, vt sæpé videmus, vix erit tanta, quin per spatium dimidij quadrantis possit cohiberi, & reforberi in palatum, humor ille commotus, & sic nulla est trepidationis causa. Ex quibus deducitur: quód Parrochus non debet peste infectis, vel alijs Eucharistiam ministrare, quando probabiliter creditur, quod Hostiam nequeunt deglutire; vel ex respirationis defectu, vel ex nimia siti, vel ex linguæ tumore; nisi etiam tunc sit probabile contrarium, quia in pari causa; magis favendum est ægro propter cuius animæ salutem, Sacramenta sunt instituta, etsi aliquo modo timeatur incerte, Sacramenti irreverentia, vt proximé dicebamus.

Casus quintus: Homo quidam rite confessus accessit ad sacram mensam Eucharistiam accepturus, quam & accepit, cumque hoc fecisset primo mane, incidit vespere diei eiusdem in mortis periculum, & iterum petijt Sacram Communionem. Quæritur: an ipso eodem die, quo semel Eucharistiam pro devotione sumpsit, possit iterum pro viatico communicare? Affirmant Hurtadus, Bresserus, Megaltus, Zambalus, Escobar, & Diana, qui refert id contigisse cum RR. P. Claudio Aquavivæ, Societatis Iesu Præposito Generali, qui cum Missam mane dixisset, vespere in eodem die pro viatico communicavit, Sed tamen asserendum, & tenendum est, nempé in tali casu, non obligare præceptum summendi Eucharistiam pro viatico, imó nec hoc licere bis communicando. Sic tenet Coninch, Fagundez, Granados, Layman, Lugo, Suarez, qui ait: contrarium, non solum esse contra omnes Doctores, sed etiam contra Ecclesiæ consuetudinem; alios quamplures citat, & sequitur M. Prado.

Resolutio hæc constat ex Ang. D. in 4. dist. 12. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4. vbi ait: quód homo non debet pluries in vna die communicare, vt saltim quantum ad vnam diem, repræsentetur vnitas Dominicæ Passionis, & reverentia Sacramento, exhibeatur semel summendo. & idem ait hic, q. 80. art. 10. ad 4. & ratio idipsum suadet 1. quia præceptum non communicandi bis in eadem die, est ab Ecclesia statutum, nec ab ea dispensatum: nec pro viatico summendo obligat, quando accipi non potest, sicut nec obligat, quando desunt vestes sacræ, ad consecrandum requisitæ. Secundó: quia si bis intra eandem diem, posset communio summi etiam posset summi intra horam, aut semi horam, cum eadem sit ratio, & idem possit periculum occurrere, quod tamen est absurdum. Tertió: quia per communionem factam paulo ante mortem, etiam sine mortis cogitatione aut periculo, satisfit in re, præcepto communicandi in fine vitæ, & sic iterum communicare non tenetur quis, nec hoc licitum est.

Nec obstat: Quód mane communicans extra, mortis periculum, nihil de hoc cogitavit, & sic, præceptum implere non poterit. Resp. enim, quod communio illa, re vera in articulo mortis fuit facta, nam articulus mortis est vltima particula, non magna temporis vitæ, quam mors immediaté sequitur, quod contigit tempore communionis primæ, licet periculum á tali non fuisset cognitum, nam esse aut non esse articulum mortis, non pendet á nostra scientia vel ignorantia, quia non est nostrum, nosse tempora vel momenta. *Si dicas*: quód præceptum communionis illum hominem non obligavit mane, & nemo præcepto satisfacit, nisi eo tempore quo obligat, actum præceptum exerceat, sicut per ieiunium hodiernum non potest impleri præceptum crastinum ieiunandi. Resp. legem de summendo viatico, iam obligasse mane, eo modo quo lex de audiendo sacro, iam obligat hora quinta matutina; nec valet exemplum de ieiunio quod est vnus diei, & vnius dies non est pars alterius, sicut mane vnius diei, est periculum mortis, licet ab homine tunc ignoratum, vt vidimus.

Eventus autem ille RR. Aquaviva, quo se munit Diana, verus non est, nec á Societatis Authoribus admissus, de quo Golatus, solemne testimonium affert P. Ioannis Nadasi, in gestibus Romæ versatissimi, qui in epist. ab eo scripta Calendis Ianuarij, anni 1667. id negat, & ait: non putem illum afferri posse pro exemplo communionis geminæ, intra vnum diem. Sed notandum: quód si vrget gravis necessitas, vt si quis mane communicavit, & vespere incidit in articulum mortis, & est cum conscientia peccati mortalis, nec adest confessor, sed solus Diaconus, potens ministrare Eucharistiam, potest eodem die communionem iterare, quæ tunc censetur necessaria, vt percipiat per accidens primam gratiam, & reddatur ex attrito contritus.

Casus sextus, de Ministro Eucharistiæ. Quidam Diaconus, ordinem Sacerdotalem se suscepisse finxit, quem non suscepit, & primam Missam celebravit; confessus est postea Sacerdoti, dicens, quod quoties se ad populum vertebat, imaginem crucifixi stantem contra se viderit lachrimantem, nam pius Dominus videns sacrificium á Ministro ad id non consecrato celebrari, eius præcipitium deplorabat; Diaconus autem ex lachrimis imaginis, magnitudinem suæ culpæ cognoscens, pœnitentia ductus, ad Apostolicam Sedem abijt, & in itinere vitam finivit; sic Cesarius refert. Quæritur: quód circa hoc sentiendum? Resp. quód vt vidimus suprá, diff. 8. omnis & solus Sacerdos est Eucharistiæ Minister. Dicitur omnis, quia etiam irregularis, ex communicatus, hæreticus, ac degradatus, validé sed illicité sacrificant, vt ait D. Thom. 3. p. q. 82. art. 7. & 8. probans ex hoc, quod potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem ordi-

nis

nis Sacerdotalis. Dicitur solus, vt reijciatur Lutheri error, qui omnes baptizatos Sacerdotes esse dixit, vt suprá diximus, & reiecimus.

Si dicas 1. quód hæretici sunt extra Ecclesiam, & sic nequeunt in persona illius sacrificium offerre. Secundó: quód Sacerdos degradatus, non solum ammittit executionem ordinis, alias ab excomunicato non differret, & sic videtur potestatem ammittere. Resp. ad 1. quód Sacerdos in orationibus gerit personam Ecclesiæ, sed in consecratione, gerit personam Christi, & sic veré consecrat, cum potestatem non ammittat. Ad 2. quód plus ammittit degradatus, quam excomunicatus, nam excommunicatio est medicinalis, & ideo excommunicatis solum aufertur ad tempus executio ordinis, non veró in perpetuum, degradatis veró aufertur executio, quasi condemnatis in perpetuum, nec tamen omnino eis occluditur regressus, si condignam fecerint pœnitentiam, vndé ait Nuño, quod differentia excomunicati á degradato, non est ex necessitate, quia hic potest Ecclesiæ reconciliari, sed intelligitur regulariter, nam degradatis rarissimé conceditur, vt iterum celebrent.

Sed tamen ait D. Thom. art. 9. quód ab Hæreticis, excommunicatis, non licet audire Missam; nam etsi habeant potestatem consecrandi, non tamen rectè vtuntur illa, sed in vsu peccant, & quicumque communicat alicui in peccato, particeps peccati efficitur, & ideo non licet ab eis Missam audire, nec communionem accipere, bené veró ab alijs peccatoribus, quousque sint per sententiam Ecclesiæ privati. Primum patet: nam hæretici, schismatici & excommunicati, sunt privati per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi; secundum constat, nam alij peccatores, quamvis sint privati quo ad se & ex sententia divina, non veró quantum ad alios, & ex Ecclesiæ sententia. Hæc autem doctrina intelligenda est, nisi detur casus extremæ necessitatis, in quo potest absolutio & comunio, á quocumque accipi, & hanc præsumitur esse voluntatem Ecclesiæ, dum non detur scandalum, nec eo facto videatur hæresis approbari; sic tenent communiter Authores.

Constat ex his, inique feciſſe Diaconum illum, de quo casus loquitur, nec ipsum consecrasse, cum non esset legitimus consecrationis Minister. *Et si dicas*: ergo idolatriam commisserunt, qui adoraverunt Hostiam, quam ipse ostendit populo. Resp. quód si adoratio fuit absoluta, idolatriam commisserunt, sed illa fuit puré materialis, & inculpabilis, quod si adoratio fuit conditionata, nulla nec materialis idolatria fuit. *Dices*: non semel contigit, vt Hostia quæ reputabatur consecrata, re vera consecrata non esset, vt quando sacrum fecit, qui Sacerdos non erat, ergo meliús erit dicere expresse: adoro hanc Hostiam si veré est consecrata, vt idolatria etiam materialis vitetur. Resp. quód hoc necesse non est, vt ait S. Bonavent. & Vazquez; nam de illis quæ raro eveniunt, regulariter nulla habetur ratio, vterque autem casus relatus, est rarissimus, & sic, nullius est considerationis.

Duo autem, circa Ministrum Eucharistiæ, breviter restant discutienda. Primúm: an Missa Sacerdotis boni, plus valeat, quam Sacerdotis mali? Secundúm: an pro sui & aliorum communione, liceat Hostiam summere, digitis non Canonicis? Ad 1. Respondet D. Thom. q. 82. art. 6. quod si Missa præcisè sumatur, pro vt est confectio Sacramenti, vtriusque Missa, æqualis valoris est; si autem summatur quo ad orationes, quæ funduntur in illa, distinguendum est: nam si Sacerdos eas porrigit nomine Ecclesiæ, eandem vim habent, sive ille sit bonus sive malus, excepto excommunicato, cuius ministerio Ecclesia vti non vult; si autem Sacerdos peculiari nomine orat, plus orationes proficiunt, si ille bonus est. Túm, quia præces amici, plus habent efficaciæ, quam hostis. Túm, nam qui habet quietam conscientiam, ferventius & cum maiori devotione orat; quare Fagundez, hoc præbet consilium, vt stipendia Missarum, optimis Sacerdotibus dentur, qui sanctè, Sancta tractant, vt his devotius & dignius offerentibus, acrescat fructus sacrificij, ijs pro quibus sacrificant, non solum ex opere operato, sed etiam ex opere operantis.

Ad 2. Resp. quód digiti Canonici vocantur pollex & index, ad summendam & porrigendam Eucharistiam designati. Dicimus ergo: quód in casu necessitatis, vt si Sacerdos chiragra, vel alio accidenti laboret, potest alijs digitis sacris Eucharistiam summere, & ministrare, sine aliqua irreverentia; cum enim tota manus sit consecrata, necessitas facit licitum per accidens, quod per se licitum non erat; sic tenent Leander, Bonacina, Gobatus & Diana. *Dices*: si Episcopus conferendo Sacramentum confirmationis, vngeret alio digito præter pollicem, mortaliter peccaret vt plures probabiliter affirmant: ergo idem in nostro casu dicendum est. Resp. quód anteced. non est certum, vt dictum manet suprá, q. 3. art. 4. casu 2. Vel admisso antecedenti, neg. conseq. Túm, quia ad ministerium illud, non solum manus Episcopi, sed pollex specialiter consecratur; in Sacerdote autem, solum manus consecratur & non digitus ad Eucharistiam tangendam. Túm, quia Episcopus dum vngit, Sacramentum conficit; Sacerdos autem, sive summat Eucharistiam sive conferat, non conficit Sacramentum, sed ministrat illud, & aliqua licita sunt, in Sacramentorum administratione, quæ in eorum effectione, non sunt licita.

Casus septimus, circa idem. Mulier quædam vxorata erat viro, asperi genij, atque conditionis rigidæ, qui permotus zelis, non rectam de illa conceperat opinionem, de eo quod ipsi non servaret matrimonij fidem, & quidem non levibus fundamen-

mentis ductus; quodam ergo festivo & solemni die, pergit ille cum exore & familia, ad expianda per confessionem peccata, sacramque communionem recipiendam; confessor autem, videns mulierem, re vera, ex proxima peccandi voluntaria occasione, in dispositam esse, illi absolutionem non contulit; si autem ipsa ad communionem non accedebat, vir suus opinionem de eius culpa confirmabat, ex quo infamia, iurgia, & forté mulieris mors, erant secutura. Quæritur: an Ministro liceret ad hæc mala vitanda, formulam non consecratam, secreto præparare, illam á tergo consecratæ ostentæ populo ponere, & eam mulieri, simulaté conferre? Casus loquitur, nullo alio existente medio, quod prudenter posset inveniri, aut aliquam infirmitatem simulando; aut extraordinariam contritionem excitando, propter quam mulier, absolvi posset, aut accedendo ad aram & faciendo actionem comunicandi, iterum formam in vase reponere, supponimus, inquam, nullum ex his posse tunc faciliter practicari, & tunc casus procedit.

Posse in casu prædicto, conferri Hostiam non consecratam, tenent Altisiodor. Angles, Villalobos, Franciscus, Lugo, Castro Palao, & alij citati ab ipso. Sed opposita sententia est vera, & ab Ang. D. expressé traddita, 3.p. q.80. arr. 6. ad 2. vbi loquendo de peccatore occulto, de quo etiam casus loquitur, ait: Hostia tamen non consecrata, nullo modo debet dari loco consecratæ; & rationem assignat: quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare, illós qui credunt esse Hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum summentem, quia vt S. Aug. ait: nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoret. Vndé Innoc. III. cap. de homin. de celebr. Missar. dicit: licet his, qui pro sui criminis conscientia, reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, graviús tamen videtur offendere, qui fraudulenter præsumpserit simulare; & in 4. dist. 9. q.1. art.5. quæstiunc.1. ad 4. adducit hæc verba Decretal. in casu simili: falsa sunt abijcienda remedia, veris periculis graviora.

Ex quibus infert M. Soto, quod graviús peccatum est, per simulationem celebrare, aut Hostiam non consecratam porrigere, quam indigné Eucharistiam summere; nam per hoc, soli Deo fit irreverentia, per illud autem, & Deus blasphematur, & populus seducitur, sicut si hæreticus fingeret se celebrare, vt populum deciperet. Vndé D. Thom. consulto loquitur vniversaliter in illis verbis, *nullo modo*, vt omnes casus comprehendat, non solum quando daretur Hostia non consecrata, inscio recipiente, sed etiam si fieret simulatio, ad eius petitionem, vel etiam ipso sciente, propter adstantes verò, qui indistinctè adorant quamlibet Hostiam, quam conspiciunt deferri vel dari, est illicitum, nam si nullus esset præsens, non fingeret accipiens se communicare, sed abstineret omnino, quæ doctrina est Cayet. loc. cit. in responsione. His addit Suarez: quód hoc in praxi fieri non potest. Tùm, quia illa, est pernicioſa fictio, nam verbis & gestu, Sacerdos affirmat, esse Christum & verum Deum, quod revera non est. Tùm, quia moraliter loquendo, nequit vitari exterior idolatria respectu communicantis, quia sumptio tali modo facta, est actus religionis & cultus, & etiam respectu aliorum, qui etsi occulis non videant, adorant tamen id quod alteri cõfertur, & sic nullatenus licet, tali medio vti.

Sed oppones: nam petente & consentiente ipso peccatore, vitatur in eo idololatria, & etiam in alijs proponendo ad adorandum Hostiam consecratam; quin obstet ibi apponi etiam non consecratam, nam intentio adorantium, non tendit expresse, & formaliter ad quamlibet Hostiam, sed ad Christum, qui cum sub alijs Hostijs contineatur, iam proponitur verum obiectum adorationis; sicut fideles, non adorant pilum conglutinatum Hostiæ consecratæ, sed solum Christum. Respondet Lugo, sic aliqui volunt, huic periculo, posse iri obviam, si Sacerdos, ostendat adorandam Hostiam consecratam; sed simul cum ea, habeat aliam non consecratam á tergo, quam solam det peccatori conscio priús, ad servandam eius famam. Sed hoc reijcitur (ait ipse) primó: quia vix vnquam tale pactum fieri potest cum peccatore; secundó: quia nec sic vitatur idolatria exterior, nam ipse actus summendi Hostiam, est actus religionis, & cultus exterior, & præcipué in Sacerdote ante cuius faciem apponitur Hostia non consecrata, & etiam in adstantibus, nam aliqui adorabunt Hostiam, quam summit peccator, licet eam non videant.

Si dicas: Quód id non potest reprobari, ob simulationem, siquidem hæc potest fieri stante iusta causa; & ideo Sacerdos potest simulare se absolvere pœnitentem, & veré non absolvere, vt quotidié fit, si ille est indispositus, sicut in eodem casu nostro contingit. Resp. quód est disparitas, quia fictio Sacramenti, cum Sacramentum non est, nequit non esse peccaminoſa, & talis esset si daretur Hostia non consecrata; sed tamen occultare ob causas iustas, quód Sacramentum complete non perficiatur cum adest ratio nullum peccatum est, & hoc contingit, cum quis occultat, se non conferre absolutionem pœnitenti, quod ab ipso debet cælari. Exemplum est; nam mulierum fucatio, est quædam species fictionis, quæ nequit esse sine peccato; & tamen licitum est occultare turpitudinem, ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, aut aliquo huiusmodi, nam aliud est fingere pulchritudinem non habitam, aliud verò turpitudinem occultare, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 2. idem ergo dicendum est in nostro casu.

Restat modo scire, si hoc fieri non potest, quid cum muliere illa casus nostri faciendum est? Resp.

quód

quód si illa publicé communionem petit, nec confessarij vult acquiescere consilijs, debet illi conferri, quia solum ex confessione habetur notitia culpæ, vt suprá diximus; si autem ipsa medium & remedium quærit possunt ambo in eo concordare, quod ad aram accedat, & tempore quo sacra Hostia deberet in eius ore reponi, iterum simulaté reponatur in vase, sic enim vitatur idololatriæ periculum, & mulier ab infamia liberatur; sic sentiunt Diana, Leander, & Prado. Si autem casus ad eas strictissimas deducatur angustias, vt maritus ipse Sacerdoti inserviat, lumen pro communione afferat, & simulationem illam notare potest. Resp. quód casus hic, est rarissimus & metaphysicus; nec si tale contingeret, Sacerdoti modus deficeret, vt tempore ministrandi formam mulieri, virum ad alia diverteret.

Casus octavus, circa idem. Sacerdos quidam, postquam Sacrum Presbyterij ordinem accepit, Parrochus etiam fuit constitutus, & cum beneficium, per aliquod tempus inservierit, visu deprehendit, se vires non habere, ad Sacerdotium & curam animarum; exuit ergo clericalem habitum, & abijt in regionem longinquam, vbi petijt admitti in ordinem religiosorum, vt inter fratres laicos vitam degeret, quin vellet Sacerdotium suum manifestare, atque adeo nunquam celebrare sacrum, & tuetur se, aliquorum sanctorum exemplo, qui nunquam sacrum fecerunt. Quæritur; quid de huiusmodi facto, iudicandum sit, & an Sacerdoti liceat, omnino abstinere á consecratione Eucharistiæ? Dubitatio hæc, antiqua est; circa quam Alensis asservit, non peccare mortaliter Sacerdotem, qui nunquam in tota vita celebrat, si alias ratione beneficij, non tenetur ad celebrandum; sed hoc est in casu, quo propter reverentiam Sacramenti, & indignitatis suæ existimatione, nunquam vellet celebrare. Cayetanus autem ait, quod talis omissio perpetua celebrandi, secundum se, solum est veniale, quia non contrariatur charitati, sed eius fervori, licet re vera, vt ait Lugo, hodie vix posset Sacerdos á culpa gravi excusari, si nunquam celebrat, quia scandalum grave causat, & inditium est corruptissimæ vitæ.

Aug. D. hanc difficultatem tangit, 3. p. q. 82. art. 10. cuius ratio vrgere videtur ad probandum esse peccatum mortale in Sacerdote, perpetuo á celebratione abstinere: quia Christus dedit vniversis Sacerdotibus potestatem consecrandi per characterem Sacerdotalem, secluſa qualibet iurisdictione & cura animarum, vt ea vterentur in memoriam suæ passionis dicens: hoc facite in meam commemorationem, vbi non solum Consilium, sed præceptum designatur: ergo ex ipsa natura rei tenentur, in eius honorem aliquando celebrare, ne Dei gratiam videantur in vacuum recepisse. Undé reprehenditur apud Luc. servus ille qui talentum sibi creditum, habuit in sudario repositum absque vsu illius. Deindé: quia Sacerdos nullum habens impedimentum, vix potest per totam vitam á sacrificio cessare, qui non censeatur sui ordinis, & potestatis contemptor, præcipué cum hæc sit tam sublimis in Ecclesia, & facili negotio, vsui mandari possit.

Hac ratione notat D. Thom. art. cit. in fine corp. quod lib. 2. Macab. cap. 4. dicitur contra quosdam Sacerdotes: quód iam, non circa altaris officia dediti erant, contempto Templo, & sacrificijs neglectis, & idem ait in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1 ex dicto D. Greg. cum crescunt dona, rationes crescunt donorum; cum enim Sacerdoti data sit potestas nobilissima, reus negligentiæ nisi vlla vtatur ad honorem Dei, salutem suam, & vtilitatem aliorum, iuxta illud 1. Pet. 4. vnusquisque gratiam quam accepit; in alterutrum illam administrantes, & ad 2. ait de Sacerdote: & ideo etiam si nulli homini teneatur, tamen tenetur Deo, vt reddat ei sacrificium acceptum; Sacerdotibus enim præceptum est: Hoc facité in meam commemorationem, istisque verbis præceptum contineri, semper catholica Ecclesia intellexit & docuit; hæc D. Thom. ex quibus patet præceptum esse Sacerdotibus sacrificare, & sic huius perpetua omissio, mortale erit; quod pluribus relatis Authoribus, etiam tenet Adversa.

Sed videndum restat, quoties obliget Sacerdotibus, hoc celebrandi præceptum? Respondet D. Thom. art. 10. cit. quód saltim videtur, quod celebrare teneantur in præcipuis festis, & maximé in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt; quod confirmatur cum Trident. Sess. 23. cap. 14. de reformat. ait autem M. Soto; quód illa præcipua festa, iuxta priscorum morem, sunt Nativitas Christi, Pascha, & Pentecostes; & concludit: quód Sacerdotes crebro non celebrantes, suo non sunt nomine digni. Hæc autem obligatio strictius religiosos vrget, qui si celebrare omittunt, absque legitima causa, graviter peccant, vt Salmant. dicunt: eo quod ex eleemosynis fidelium vivunt, pro quibus communitas, multoties celebrare tenetur; sicut presbyteri habentes obligationem celebrandi pro fidelibus, vel ex Beneficio, vel ex Capellania.

Constat ex his, Parrochum illum, de quo casus loquitur non recte fecisse intentando nunquam celebrare, hoc enim esset habere potestatem vacuam & frustraneam, & nunquam ad actum reductam. Nec vim habet exemplum de Sanctis, quo se muniebat; huic enim & similibus, respondet D. Thom. loc. cit. ex sentent. dicens: nisi forte aliquis, ex familiari Spiritus Sancti instinctu dimittat; sicut legitur de quodam Sancto, in vitis Patrum qui ordinatus, nunquam postea celebravit; hoc enim, vt ait Suarez, non debet in exemplum adduci, nam

multa operantur Sancti, ex speciali Spiritus Sancti motione, præter communem legem, quæ nobis imitanda non sunt. Sed ab hac celebrandi obligatione, posset excusari Sacerdos, ob perplexitates, vel fidei tentationes, tempore sacrificij occurrentes & vexantes, sicut cogniti sunt plures; talibus enim salubrius consilium esset, ad aram non accedere, hoc tamen per accidens est, nam loquendo per se, nostra doctrina semper subsistit.

Casus nonus: De Sanctissimo Patriarcha Dominico refertur, quod etiam dum agebat iter, quotidié Missæ sacrificium peragebat, é cuius oculis, quasi quendam fontem effecerat lachrimarum, quæ ipsi erant panes die ac nocte; die quidem magis, cum Missarum crebra, & quotidiana celebravit solemnia, nocté verò, cum super omnes, insatigabilibus excubaret vigilijs; sic scribunt Alanus de Rupe, Bellovac. & Meluenda; super quod factum inquiritur: Vt úm in Sacerdotibus, laudabilius sit quotidié celebrari, & sic eis consulendum sit? Maximam in Sacerdote puritatem requiri ad celebrandum certum est, & his verbis asseritur à D. Ioann. Chrysost. lib.3. de Sacerdotio: id circò necesse est, Sacerdotem sic esse purum, vt si in cœlis ipsis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret, terribilia namque & horrifica sunt quæ administrat.

Quo tamen non obstante, venerabilis Beda, Sacerdotibus, frequentem celebrationem, his severis verbis commendat, & sunt etiam in D. Bonav. de præpar. ad Miss. cap.5. & in nostro B. Alano.part. 4. serm.3, num.4. & in Thoma Kempis, lib.4 de imit. Christ. cap. 5. cum Sacerdos absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reverentia, sed ex negligentia, celebrare ammittit, tunc quantum in ipso est, privat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi, spirituali beneficio, & se ipsum medicina & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates; quia sicut ait Ambrosius, si quotiescunque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimmittantur; qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Nunc ad quæsitum. Resp. quód per se loquendo, laudabilius est, & consulendum, quód omnes Sacerdotes quotidié celebrent; per accidens tamen aliquibus Sacerdotibus, id consulendum non est. Prima pars constat: nam qui ex officio sunt mediatores inter Deum & populum, non est æquum vt ab his impediantur, nec permittant se implicare rebus, quibus devotio & affectus, circa Sacramentum tepescat. Vndé asserit: Sacerdotes, etiam ferventem dispositionem in se non agnoscentes, posse frequenter celebrare, quia defectus ille potest compensari, ex obligatione quam ex officio habent offerendi sacrificium, sunt enim Nuncij & Ministri publici, deputati ab Ecclesia, vt eius nomine, Deum placatum reddant, quare ipsius Ecclesiæ puritas cuius nomine accedunt, reddit eos magis acceptos, vt accedant ad Deum.

Dices: Quód secularibus vniversaliter, nequit permitti accessus quotidianus ad Eucharistiam, vt diximus suprá, art.2. cas.6. ergo idem de Sacerdotibus dicendum est. Resp. neg. conseq. disparitatem reddit D.Thom. in 4. dist.12. q.3. art.1. quæstiunc. 4. ad 1. vbi ait: Sacerdos est quasi persona publica, & ideo oportet, quód non solum pro se, sed etiam pro alijs celebret; sed non est eadem ratio, de illis, qui non sumunt nisi ratione sui; & idem ait B. Alanus, loc. cit. vbi hæc, Christum illi dixisse refertur: Disparitas ergo par magna est, communicantes inter & celebrantes; illi solum sibi proficiunt, hi bona optima & infinita, orbi toti distribuentes administrant, qua causa, laici, ipsa abstinentia, sibi meritum acquirunt, Clerici, dispendium toti faciunt Ecclesiæ, operatione divinorum illi substracta, laici per se ex voluntate pia, vescuntur ab ara; ad aram per me Sacerdotes operantur, & ego sum qui operor in ipsis; & sic conveuientius est, Sacerdotes quotidié communicare, quam laicos; sicut decentius est, Hostiam consecratam, in corporalibus benedictis reponi, quam in alio linteo communi, quantumvis nitido & pretioso.

Si dicas: Quód in Sanctissimo Ordine Carthusianorum, fuit prohibitum olim quotidié celebrare, vt colligitur compil.3.antiq. statutor. cap.1. & constat ex Pet. Biel. epist.86. Resp. ex D. Thom. q.80. art. 10. ad 5. quód secundum diversos status Ecclesiæ, diversa circa hoc statuta promanerunt; vndé illud statutum PP. Chartusianorum, revocatum fuit in nova collectione statutor, part.2. cap. 7. *Nec obstat* iterum: quód antiquitus, in qualibet Templo, vnica Missa quotidié celebrabatur vel celebravat presbyter inter cæteros maior, & hoc Episcopo consulto. Resp. enim eodem modo. Vel dicatur cum Lugo, quod tunc in qualibet Ecclesia, vnicum erat altare, nec licebat post horam nonam celebrare; sed modum consuetudo viget in Ecclesia, vt fere omnes Sacerdotes Regulares & Sæculares, feré quotidié celebrent, quæ ducentis ab hinc annis vniversalis est.

Sed maiorem difficultatem ingerit, quod SS. Patriarcha Franciscus ordinavit, vt in locis in quibus morantur Fratres, vna tantum Missa in die celebraretur. Ad quod aliqui cum Bellarm. respondent, vel Epistolam illam, non esse S.Francisci, vel loqui de fer.5. in cœna Domini. Sed hæc sunt effugia sine fundamento. Primùm: quia non est maior ratio de illa Epistola, quám de omnibus alijs, cum inter omnes agnoscatur, & circumferatur, & sic testantur D. Bernardin. tom.1. serm. 20. art. 2.

cap.

cap. 7. Secundùm: quia illud non consonat litteræ, quæ vniversaliter loquitur de omnibus diebus, vt legenti patebit. Quare melius dicitur: quód Seraphicus P. time attendit ad morem qui in multis Ecclesijs vigebat celebrandi vnicam Missam, ex humilitate & affectu reverentiæ; vel fuisse locutum de Missa conventuali & solemni, quæ vnica est sic sentit Vvadingo in Annalib. Minor. anno 1226. num. 11. & Alvar. Pelagius, lib. 2. de Planctu Eccles. cap. 5.

Secunda pars resolutionis asserens, quod per accidens in aliquibus Sacerdotibus, non est conveniens quotidié celebrare, nec id est eis consulendum constat ex verbis M. Soto dicentis: illis qui corruptis affectibus fluctuant, licet quotidié resurgant, non est sanum consilium, quotidié ad Sacramentum accedere, etiam si sint Sacerdotes. Tùm, quia timendum est, eorum pœnitentiam, non esse legitimam. Tùm, quia sinceram reverentiam, non possunt afferre, vt Sacramentum æstiment pro sui dignitate. Propter hoc, prudenter, in gloss. nostrarum constitutionum, Prælatis districtè præcipitur, quatenùs Missarum per singulos dies advenientium, eum numerum dumtaxat admittant, quem commodè possint implere, ne vltra modum gravati, occurrentibus alijs necessitatibus, providere nequeant; & ne hac occasione, Sacerdotes, aut non admodum dispositi, aut ex consuetudine potius, quàm ex devotionis affectu, ad timendum altare, interim accedant.

Casus decimus, de præcepto communionis. Quidam homo, vivebat in Parrochia, in qua consuetudo erat adimplere præceptum annuæ communionis, á die Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis; sed ante tale tempus in dimidio Quadragesimæ, illi se obtulit inevitabilis occupatio, vt itineris & prividit, non posse præceptum implere annuæ communionis tempore designato. Quæritur: an in eo casu teneretur communionem prævenire illamque anticipare? Multi sunt sentiendi modi, sed variè ab Authoribus relati. Aliqui absolutè affirmant, in tali casu debere communionem anticipare, sic Vazquez, Fagundez, Durandus, Cano, qui moventur ex eo. Tùm, quia ex verbis Concilij Tri. Trident. infertur, teneri quemlibet singulis annis ad communionem, & sic hoc præceptum obligat intra annum, & non solum est onus dierum Paschatis. Tùm, quia ille qui die festo, prævidet impedimentum ad audiéndam Missam, tenetur prævenire horam, & hic, idem dicendum de præcepto annuæ communionis.

Hoc ipsum solet tribui Nuño; sed re vera id absolutè non docet, nam q. 80. art. 11. dub. 4. conclus. 1. dicit, quod quando quis certo cognoscit, se non posse communicare intra quindecim dies, bené verò intra alios quindecim, non tenetur communionem anticipare, quia cum tempus præcepti divini, non sit ita certo determinatum, non datur periculum in eo quod pauci dies post annum, sine communione pertranseant, & præceptum Eccl. siasticum non obligat, ante determinatum tempus; & conclusione 2. dicit: quód si ille cognoscat, se non posse communicare, multis diebus, post tempus determinatum ab Ecclesia, tenetur anticipare communionem, alias se exponit periculo, frangendi præceptum; & ex parte, idem tenet Layman, Martinonus, & Lugo.

Sed tamen oppositum tenent, Azor, Diana, Coninch, Reginaldus, Filliucius, Dicastillus, & alij plures, quos Prado citat, & sequitur. Omnes autem Authores concordantur. Dicendo: quód si prævidetur futurum impedimentum, solum pro tempore Paschali, non tenetur quis, communionem prævenire, bené verò si prævidetur futurum, pro toto tempore anni. Ratio est: quia in cap. omnis vtriusque sexus, traduntur virtualiter duo præcepta, vnum, ne communio differatur vltra annum, cum dicitur: suscipiat reverenter, ad minus in Pascha; aliud, vt propter reverentiam, & solemnitatem diei, fiat annua communio in Pascha: ergo licet non debeat communio anticipari ratione huius secundæ præcepti, quia hoc, respicit determinatum tempus, debet autem anticipari ratione primi, quia impletio eius non est determinato temporis affixa; vnde qui longissimum navigationem aggrederetur, & prævideret per totum annum impedimentum habiturum, communionem teneretur anticipare.

Ex his patet solutio, ad ea quæ proponebantur in oppositum. Ad 1. quod ex illo solum infertur, quod si quis prævidet, per totum annum impedimentum futurum, tenetur communionem anticipare, quod non negamus, non verò si prævidetur impedimentum, pro diebus Paschæ, quia vt suprà vidimus, dies isti præfiguntur, ad solicitandam obligationem, non verò ad illam extinguendam; ex quo patet ad 2. nam tempus ab hora quinta, vsque ad duodecimam præscribitur, non solum ad solicitandam obligationem audiendi sacrum, sed etiam ad illam extinguendam, & sic auditio sacri debet anticipari, si pro toto illo tempore prævidetur impedimentum, cuius contrarium contingit in diebus Paschæ, in quibus licet solicitetur communicandi obligatio, in eis tamen non extinguitur, sed in toto anno, & sic solum impedimentum toto anno prævisum debet præcaveri & communio ad illud anticipari.

Infertur ex his: quód qui omittit communionem in Pascha, non est liberá præcepto communionis, vsque ad annum sequentem, sic sentit Hurtado, Navarro, Azor, Coninch, Castro Palao, Nuño, Ledesma, & Suarez. Ratio est: quia præceptum duo continet; vnum principale communicandi semel in anno, & aliud accessorium, communi-

nicandi in Paſchate, quorum primum, eſt virtualiter negativum, de non ommitenda communione intra annum, & hoc ſemper obligat, nec eſt præfixum tempori determinato, & ſic continuo peccat, qui poteſt communicare, & non communicat, ſicut etiam qui poteſt reſtituere, & non reſtituit. *Nec obſtat*: quód in alijs præceptis, non tenetur, quis ad eorum impletionem, tranſacto tempore obligationis; quia nemo tenetur, ommiſſum ieiunium vel recitationem ſupplere. Reſp. enim, quod tempus poteſt præſcribi ad obſervantiam præcepti, quaſi ad extinguendam obligationem, & ſic tranſacto tempore, non manet obligatio, & huiuſmodi eſt præceptum ieiunandi & recitandi, vel poteſt præſcribi ad ſolicitandam obligationem, ſed non ad illam extinguendam, & ſic tranſacto tempore, obligatio manet, & ſic eſt præſcriptum, tempus communionis in Paſcha, vndé illo præterito, adhuc per totum annum perſeverat obligatio.

Caſus vndecimus, circa idem. Infirmus quidam, multis atque gravibus accidentibus compreſſus, ad extremum acceſsit vitæ agonem, ita vt medicorum iudicio, brevi intervallo dierum, vltimum eſſet clauſurus, qua propter ſacrum viaticum ei colatum eſt; cum autem cœleſtis cibus, non ſolum animæ, ſed corporis ſit remedium, æger poſt eius ſumptionem tantiſper convaluit, & á periculo iminente fuit liber; dum autem pro integra recuperanda ſalute, iaceret ſemper in lecto, aliquibus diebus lapſis; iterum ipſi vrgent dolores, & ad idem periculum revertitur. Quæritur: an poſsit ei rurſus, pro Viatico, ſacra Euchariſtia conferri? Negant plures, & ex Thomiſtis, Bartholomæus Medina, Petrus Ledeſma, & Ioannes á Cruce, qui fundantur in eo, quod vnica communione impletur præceptum ſummendi viaticum, licet per accidens & ſecluſo ſcandalo, poſsit renovato periculo, iterum conferri, vt ſi infirmus peccet mortaliter, nam tenetur confiteri, cum propoſito ſummendi Euchariſtiam ſi poſsit.

Uazquez cum alijs pluribus quos Prado citat, ait, quod non ſolum non debet viaticum bis ſummi in eadem infirmitate, ſed quod nec id fieri poteſt, & videtur in ſui favorem adducere D. Thom. q. 80. art. 8. vbi ait: quód infirmus poteſt non ieiunus communicare, ne ſine communione moriatur, & ſemel ſumpto viatico, nulla imminet ægro neceſsitas ſummendi Sacramentum. Sed tamen contraria ſententia, quod nempé poſsit iterum viaticum conferri in eadem infirmitate, eſt Doctorum communis, vt teſtatur Prado, cum pluribus citatis ab ipſo, quos ipſe ſequitur, & nos. Ratio eſt: quia conſuetudo fidelium, eſt ad inſtar regulæ firmæ, & non videtur poſſe negari, quidquid ſit de temporibus antiquis, quod nunc ea conſuetudo viget, dandi Euchariſtiam iterum infirmo, quando morbus & periculum diu protrahitur, quia ſi ſæpiús periculum vrget, etiam eget ſæpiús eger, tali præſidio muniri, cum ipſa mater Eccleſia cupiat ſuccurrere omnibus modis.

Cúm autem inter vtramque communionem infirmi, aliquot dierum ſpatium debeat intercedere, circa hoc variant Authores; aliqui dicunt, infirmum poſſe quotidié communicare, in ægritudine lethali; ſic Lugo, Averſa, & Leander. Alij aſſerunt, debere ſpatium octo vel decem dierum intervenire, ſic Suarez, Nuño, & Averſa; & Lugo ait: quód ſtandum eſt conſuetudini Eccleſiæ, cuius vſus ita obtinuit, vt poſt aliquot dies, v. gr. ſeptem vel octo, detur iterum Euchariſtia; de alio autem vſu dandi proxima vel tertia die, non video eſſe á fidelibus, ſufficienter approbatum, ita vt poſsit dari ius, in quo fundetur ciuſmodi licentia; & Paulus V. in Rituali, ſupponit, requiri aliquorum dierum intervallum, ait enim: ſi æger ſumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, eius deſiderio Parrochus non deerit.

Sed pro huius complemento dubitari poteſt: quomodo cum ſit præceptum divinum, miniſtrandi viaticum moribundo, in Hiſpania olim negabatur, damnatis ad patibulum, & hodie in tota Gallia ſervatur. Reſpondet M. Soto, his verbis. De illa Hiſpanorum conſuetudine, qui condemnatis ad mortem Euchariſtiam non miniſtrant, aliæ nationes obmurmurant, quia nulla apparet cauſa, cur ſi ſint veré pœnitentes, tanto beneficio priventur; præſertim cum ſæpé per hoc Sacramentum, fiat homo ex attrito contritus, & ſuſcipiat gratiam, quam non recipit in pœnitentia; atque adeo, vſu ſæpé evenire poteſt, vt defectu Euchariſtiæ, anima eius periret, qui alioquin ſalvus fieret; & forte orta fuit conſuetudo, quia cum damnati ad mortem, á communione reipublicæ abſcindantur, in ſignum huius abſciſsionis á communione privantur, vt reipublicæ hoſtes, & forté, quia ob mortis atrocitatem, periculum mortis poſſet imminere.

Vndé dicendum eſt: quod capite damnati, non ſunt privandi ſacro viatico, quia non expedit vt Eccleſia, vtatur tam gravi pœna, quæ ſaluti animarum poteſt eſſe valdé nociva, & ideo revocati ſunt canones antiqui, oppoſitum præcipientes, vt conſtat ex Innocent. I. epiſt. 3. & ex Pio V. & alijs; charitas enim chriſtiana id præcipit, quod ſcilicet miſer homo, poſsit in fortitudine cibi cœleſtis, cum ad patibulum rapitur, pœnas carnificum alacriter ſuperare, & ad æternam vitam, ſecuro greſſu percurrere. Sed notandum: quód non eſt præbendum viaticum talibus hominibus, ipſo die, quo ſupplicio ſunt afficiendi; nam irreverentiæ ſpecies eſt ducere ad mortem, eum qui credi poteſt, habere Chriſti humanitatem intra ſe latentem, vt ait piiſſimus Navarrus; quod apud nos in praxi eſt, licet in Romana Curia, de hoc non curetur, vbi capite

dam-

damnati, solent ipso die mortis, esca cœlesti roborari, vt testantur plures; quod an sit rectè consultum, iudicent alij.

Casus duodecimus circa idem. Mulier quædam, cum ad Parrochum suum non esset benè affecta, propter iurgia quædam habita inter illos accedente Paschali tempore, abijt ad Ecclesiam Cathedralem, ibique cum Pœnitentiario fuit sua peccata confessa, & ibidem statim, sacram Eucharistiam recepit, vt præcepto communionis Paschalis satisfaceret. Vicarius autem Generalis, contra illam procedere volebat, quia Ecclesiæ præceptum non adimplevit; ipsaque fuit apud Pontificem conquesta, quod iniustè vexaretur, cum iam præcepto satisfecisset. Quæritur: quid sentiendum de huiusmodi facto? Respondet Cardin. de Lugo: non peccasse confitendo Pœnitentiario, quia hic Episcopum repræsentat, peccasse verò communicando ibi, quia nec Archipresbyter, nec Parrochus Cathedralis, habent iurisdictionem in totam vrbem; nisi forté communionem daret ipse Episcopus, qui est Parrochus Parrochorum; & ob hanc eandem rationem, plures Cardinales & Episcopi consulti, excusarunt mulierem illam in Cathedrali communicantem, quia ibi adest Episcopus, qui est totiús Diœcesis Pastor, & huic modo sentiendi, assentitur Gobatus, dummodo non constet de contraria consuetudine.

An autem confessor, absolutionem denegare teneatur, illi qui non vult suo proprio Parrocho, aut eius coadiutori præsentari, vt Paschalem communionem accipiat? Resp. quód si talis, sæpiús per annum Eucharistiam sumit in alijs Ecclesijs, rationabiliter præsumitur Parrochum condescendere eius infirmitati, iuxta Pauli dictum: Patres, nolité ad iracundiam provocare filios vestros, ita Layman; si autem, tantum communicat semel in anno, debet ei severe iniungi, vt Parrochiam adeat, quod si non pareat, & alibi communicet, peccabit mortaliter, nam præcepto communionis Paschatis, nequit aliter satisfieri, nisi summendo illam, de manu proprij Parrochi, vel alicuius habentis potestatem ab eo. An autem Religiosis permissum sit, sacram Eucharistiam porrigere? Respondet Paulus III. in Bulla expedita, anno 1549. omnibus Christi fidelibus, quocumque anni tempore, præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, Parrochialium Ecclesiarum Rectorum minimé requisita licentia, ministrare liberé, & licité posse.

Ex quibus *resolvitur* primó: quód nequit communio summi á regularibus in Paschate, & vt præcepto satisfiat; quia hoc est expressé prohibitum in prædictis verbis, & constat ex tenore privilegiorum, nam exceptio fit, eo fine, vt proprij Pastores, suas oves agnoscant; hoc tamen intelligitur, nisi regulares, habeant animarum curam, vt constat ex quadam declarat. Cardin. die 23. Ianuarij 1596. & 14. Martij 1615. & ideo in Conventu Ordinis nostri S. Mariæ de Albarrazin, quia Parrochia est, & Parrochi sunt Religiosi, ipsi Sæcularibus Eucharistiam in Paschate administrant, & in alijs Conventibus idem contingit. *Resolvitur* secundó: quód in ipso die Paschatis, permissum est religiosis ministrare Eucharistiam accedentibus: nam excipere communionem Paschalem á regularibus, non intelligitur materialiter pro communione facta ipso die Paschæ, sed de illa formaliter, vt est præcepta á lege, & id probat consuetudo legitimé introducta, & á religiosis sine scrupulo deducta ad praxim.

Resolvitur tertió: quód Familiares Religiosorum, & famuli, domibus inservientes, & degentes intra septa monasterij, possunt in eorum Templis Paschalem communionem accipere, sic eni n concessit Alexand. IU. Carmelitis, Clemens IV. Minoribus, Martinus IV. Benedictini, , & Leo. X. Minimis; quod est conforme iuri in Clement. Religiosi, de privileg. §. final. vbi dicitur: Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, vt Familiaribus suis domesticis, aut pauperibus, in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus, quo ad hoc præiudicium generari, sic notat Ioan. á Cruce, lib. 2. cap. 5. dub. 4. concluſ. 1. sanum tamen consilium est, famulos inducere, vt Parrochos addeant, & á Parrocho suo communionem accipiant. *Resolvitur* quartó: quód advenæ. Peregrini & itinerantes, qui commodé ad propriam Parrochiam nequeunt accedere, possunt in Ecclesijs regularium, annualem communionem accipere; sic concessit Pius V. Clericis Regularibus Theatinis, & Nicol. V. Fratribus de Guadalupe; & ratio id suadet. Tùm, quia illi firmum domicilium non habent vbi commorentur, & Parrochis, non stabilibus nulla videtur irrogari iniuria. Tùm, quia est axioma Navarri, de horis Canon. cap. 10. qui non potest aliquid facere, eo modo quo iubetur, tenetur facere eo modo quo potest, & sic advenæ, peregrini & viatores, qui non possunt in Parrochia sua communicare, hoc facere possunt in Templis Religiosorum, meliús enim est, sic præceptum implere, quam periculo exponi annuam communionem ammittendi.

ARTICVLVS XI.

De Sacrificio Missæ.

Prima difficultas: Vtrùm Missa sit veré & propriè Sacrificium? Circa Ethimologiam huius nominis *Missa*, multa congerunt Authores, sed omnia eorum dicta, vnica Ang. Præceptoris propositione breviantur, qui 3. p. q. 83. art. 4. ad 9.

ait: Propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos, preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem, vel quia Christus, est Hostia, nobis Missa á Deo; vndé in fine Missæ, Diaconus in festivis diebus, populum l centiat dicens: Ite Missa est, scilicet Hostia ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta.

Dico ergo: Missa est veré & proprié sacrificium. Ratio est: quia Ecclesia Dei, aliquod verum & proprium sacrificium debet habere, sed nullum aliud potest esse nisi Missa: ergo hæc verum sacrificium est. Minor constat, nam illud sacrificium, nequit esse sacrificium Crucis, quod est commune omni legi, vt consumtio antiquæ, & inchoatio novæ. Maior prob. ex pluribus scripturæ locis, & præcipué Malach. 1. in omni loco, sacrificatur & offertur nomini meo, oblatio munda. Nec valet falsa interpretatio Calvini dicentis, ibi loqui de sacrificio invisibili; nam ibi est sermo de oblatione munda, quod opera nostra invisibilia non habent; vniversæ enim iustitiæ nostræ sunt, sicut pannus menstruatæ, vt ait Isai. cap. 64. Præterquam, quod sacrificium invisibile, non vocatur tale absoluté, sed cum addito, nempé, sacrificium laudis, vel vociferationis.

Secundó prob. illa mai. nam vt ait D. T. 2. 2. q. 85. art. 1. sacrificium est de lege naturæ, & hæc non tollitur, sed perficitur per legem gratiæ. & sic in ista, aliquod verum sacrificium est. Tertió: quia alias Ecclesia nostra, esset peioris conditionis quam sinagoga, quæ vera obtulit sacrificia; vt enim ait Aug. lib. 19. contra Faustum; in nullum nomen Religionis, sive verum, sive falsum, coadunari homines posse, nisi aliquo sacrificiorum, & Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Quartó: nam Christus vocatur in Psalmis Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, & hic sacrificium obtulit in pane & vino, & sic illi debuit Christus conformari, & etiam Ministri post ipsum offerentes.

Demum prob. nam in Missa, reperiuntur omnes conditiones veri sacrificij: ergo illa, verum sacrificium est. Prob. anteced. nam ibi datur oblatio rei sensibilis, nempé corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini; datur Minister legitimus, nempé Christus, & Sacerdotes, quibus hoc commisit dicendo: hoc facité in meam commemorationem; datur etiam Hostiæ immutatio, vt dicemus infrá, per hoc quod ex vi verborum sanguis ponatur separatus á corpore, licet per concomitantiam, ambo sint simul; & datur recognitio supremi dominij Dei: ergo nihil deficit ad rationem veri sacrificij.

Sed arguitur: In lege gratiæ, nullum est sacrificium proprium: ergo Missa non est sacrificium. Prob. anteced. nam Christus dixit Samaritanæ, veniat hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolimis, adorabitis Patrem, & dat rationem, quia veri adoratores, adorabunt in spiritu, & sic solum dantur sacrificia spiritualia. Resp. quód sensus verborum est, Deum non esse adorandum in lege gratiæ, per sacrificia carnalia Iudeorum, sed alio perfectiori sacrificio, non quidem puré spirituali, sed in rebus sensibilibus, non suæ naturæ relictis, sed ad significationem rerum spiritualium ordinatis. Sic habet D. Thom. 3. p. q. 60. art. 4. ad 2. Dices: Eucharistia est Sacramentum: ergo non est sacrificium, quia vtriusque rationes oppositæ sunt, nam Sacramentum, ordinatur ad sanctificationem nostram, & sacrificium ad cultum Dei.

Resp. quód Eucharistia est Sacramentum & sacrificium, sub diversa ratione; est enim sacrificium, vt Deo oblata, Sacramentum autem, vt nobis relicta. Sed quomodo legati heredes, qui sumus nos, aliquid debemus reddere testatori, nempé sacrificium? Resp. quód cum nos, non possimus aliquid donare Deo quasi ex nobis, ipsum Sacramentum acceptum, offerimus vt sacrificium, iuxta dictum Psalmi: quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi, Calicẽ salutaris accipiam, vndé ipsum Calicem, quem accipimus á Deo, iterum ipsi donamus; sicut hæredes, aliquid possunt donare testatori, ex eisdem bonis ab eo acceptis.

Dices: ad hoc sufficiebat sacrificium Crucis, quod infinitum erat, & sic Christus per illa verba: consumatum est, designavit omnium sacrificiorum consumationem. Resp. quód licet illud sacrificium fuerit iufinitum, sed tamen vt eius effectus nobis efficaciter applicetur, opus est alio sacrificio; verba autem illa consumatum est, denotant consumationem scripturarum, vel paterni præcepti impletionem strictam, vel etiam sacrificiorum veteris legis, vt iuxta dictum D. Leonis Papæ, vno expleretur sacrificio, variarum differentia victimarum. Si dicas: quód Sacrificium Crucis satis applicaretur per prædicationem verbi Dei. Resp. quód voluit Deus varia media statuere ad suaviorem applicationem, & præcipuum istorum, est sacrificium Missæ.

Si adhuc dicas: quód Hostia oblata in sacrificio debet occidi, Christus autem, in Missa non occiditur. Resp. maiorem esse veram de sacrificio cruento, quod fit cum sanguinis effusione, non autem de incruento, vt est sacrificium Missæ. Præterquam, quód licet ibi non detur occisio physica, bené verõ mystica, *per gladium verborum*, vt ait D. Cirylus, & sequenti difficultate magis explicabitur.

Secunda difficultas: In qua actione, consistat essentialiter sacrificium Missæ? Sunt enim in illo sacrificio actiones plures, nempé oblatio ante, & post consecrationem, consecratio ipsa, fractio Hostiæ, sumptio á Sacerdotis, & distributio in populo. Dico ergo: quod sacrificium Missæ, consistit essentialiter

licet in consecratione, vt dicit ordinem transcendentalem ad sumptionem. Constat ex D. Thom. 3.p. q.82. art.4. ad 1. vbi ait: consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alteriús materiæ, non est sacrificium sicut consecratio Eucharistiæ; & idem ait art.10. in corp. & solut. ad 1. Ratio est: quia illa actio constituit sacrificium, quæ est immutativa rei oblatæ, hæc enim est sacrificij difinitio; sed hoc soli consecrationi convenit: ergo in illa sacrificium consistit.

Prob. min. quia consecratio, ex vi verborum separat sanguinem á corpore Christi, nam per verba consecrationis Calicis ponitur solum sanguis, & per verba consecrationis panis, solum corpus: ergo consecratio ex se, mysticé mactat Christum, & ipsum immutat. Quód autem consecratio dicat ordinem ad sumptionem, tanquam ad finem extrinsecum patet ex D. Thom. art.6. ad 3. vbi ait, quod si inveniatur venenum in Calice, debet aliud vinum poni & summi, vt sacrificium perficiatur, & sic consecratio dicit ordinem ad sumptionem, vt sacrificium sit perfectum; hoc enim sacrificium, per modum alimenti datur, quod dicit respectum ad sumptionem, tanquam ad terminum.

Prob. etiam, ab exclusione aliarum actionum; & quidem nec in prima oblatione, nec in distributione, sacrificium consistere patet, nam prima est ante sacrificium, & secunda illud iam supponit factum. Deindé, nec consistit in oblatione post consecrationem, nec in fractione Non in prima: quia per illam nulla fit immutatio rei oblatæ, nec legitur Christum, talem oblationem fecisse. Non in secunda: quia fractio fit in speciebus panis, & sacrificium, vtramque speciem comprehendit; præterquam, quod sine fractione potest dari sacrificium, vt si Hostia, casu in Cælicem caderet ante fractionem. Non in tertia: quia sacrificium offertur in persona Christi, sumptio verò, in persona Sacerdotis fit; nec per illam immutatur aliquomodo res oblata, nam eodem modo manet Christus, sub speciebus post sumptionem, & solum mutatur localiter, ad motum specierum: ergo in nulla ex his actionibus, consistit sacrificium.

Sed arguitur: Sacrificium est actio, immutans victimam & eam destruens; sed id non facit consecratio, non enim destruit corpus Christi, sed potiús illud ponit sub speciebus: ergo in illa, non consistit sacrificium Missæ. Resp. variis solutionibus omisis vt inefficacibus, quod de ratione sacrificij est, vt ex modo oblationis, debeat sequi mors victimæ, licet non sequatur de facto, sicut de ratione martyrij, non est mortem actu inducere, sed infligere vulnus lethale, ex se illativum mortis; cum autem consecratio ex vi verborum, habeat separare corpus Christi ab eius sanguine, & si de facto Christum non destruat, hoc sufficit vt in illa sacrificium consistat; verba enim diffinitionis, aptitudinem dicunt, & non actum.

Dices: consecratio est actio productiva victimæ: ergo nequit esse destructiva illius, hæc enim opposita sunt. Resp. quód licet eadem actio non possit terminum producere & destruere, potest tamen dum producit esse productio termini, & destructiva illius quantum est ex se, non enim repugnat actus, cum potentia ad oppositum, sicut accidentia in Eucharistia, actu non inherent, & habent exigentiam inhærendi; & sic contingit in consecratione, quæ licet Christum producat, sed ex vi verborum, corpus Christi á sanguine separat, & Christum quasi mysticé mactat per gladium verborum, vt diximus cum D. Cirylo.

Instabis adhuc: actio immutativa victimæ illam supponit productam; sed consecratio, non supponit Christum productum, sed illum producit sub speciebus: ergo non est destructiva illius. Resp. quód actio destructiva, supponit victimam productam, sub alia formalitate distincta, consecratio enim habet tres formalitates, & vna præcedit aliam prioritate rationis, nempé quod sit præparativa victimæ, quod illam offerat exercité, & quod ex modo quo producit, corpus separet á sanguine, quarum secunda, supponit primam, & ambæ supponuntur ad tertiam, consecratio igitur est productiva corporis Christi sub speciebus, & sic supponit illud, ante formalitatem illius, vt immutativa & destructiva est.

Dices aliter: in die Veneris Sancti offertur sacrificium, & tunc non fit consecratio: ergo hæc sacrificium non constituit. Secundó incarnatio non est de essentia sacrificij Crucis: ergo nec consecratio est de essentia sacrificij Missæ, quia illæ actiones videntur proportionari. Resp. ad 1. quód in die Paraseeves non offertur sacrificium, vt ait D. Thom. q.83. art.2. ad 2. quia tunc est præsens Christi Passio; vndé dixit Hugo Victorinus: Hodie non sacrificamus, non enim sacrificant amici, dum trucidant inimici; & sic tunc fit sacrificium, sumptum pro complemento sacrificij diei præcedentis. Ad 2. quód incarnatio, non est actio aliquomodo destructiva Christi, nec illa fuit positio illius in altare Crucis, nec illum supponit vt offerens principale, quæ omnia requiruntur ad sacrificium, & reperiuntur in consecratione, & sic in hac consistit sacrificium Missæ, sed in incarnatione, non consistit sacrificium Crucis.

Tertia difficultas: A quibus & pro quibus offertur sacrificium Missæ? Resp. ad 1. quód Christus Dominus, summus Sacerdos, est principaliter offerens. Sic D. Thom. 3.p. q.83. art.1. ad 3. & habetur in Trident. Sess.22. cap.1. Ratio est: quia Sacerdos, hoc sacrificium offert, in persona Christi, & vt eius legatus & Minister, & sic congruum est, quod Christus pricipaliter offerat, sicut qui dat eleemosynam per servum, ipse principaliter donat. Sed an Christus principaliter offerat, per actum elicitum

tum proximé & immediaté singula sacrificia? Resp. quód sic: quia hoc magis conducit ad sacrificij dignitatem; sicut honor præstitus á Rege per legatum, crescceret si illum exhiberet per se ipsum; & hoc modo declaratur, quomodo Christus sit Sacerdos in æternum, meliús quam si solum mediaté sacrificium offerret. Ita Palaus, Salmantic. & alij citati ab ipsis.

Nec obstat: quód sic actio Christi offerentis esset meritoria, & ipse non est in statu merendi. Resp. enim: quód actio illa, non ordinatur á Christo ad finem merendi, quia est extra statum viæ, nec anima eius, informat nunc corpus passibile, & ideo meritoria non est. Si iterum dicas: videri indecens Christo, rogare Patrem, vt sacrificium suscipiat per manum Angeli. Resp. quód rogare Patrem, non decet Christo, quia fit nomine Ecclesiæ; offerre autem principaliter sacrificium, est illi maximé decens, quia ab eo est institutum, & nomine ipsius fit.

Deindé post Christum, offerunt sacrificium Sacerdotes vt Ministri, in quibus residet potestas consecrandi & offerendi; vlteriús omnis populus fidelis offert mediaté per manus Sacerdotis, tanquam per suum advocatum apud Deum, quod comprobant verba Canonis: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt; & iterum: hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ; hic autem modus offerendi mediaté, generalis est omnibus fidelibus; datur autem alius particularis, nempé procurando sacrificium, vel dando stipendium pro illo, & etiam assistendo, in serviendo, & adiuvando, & eo perfectiús quis cum Sacerdote offert, quo specialiús cooperatur.

Ad secundam partem quæsiti. Resp. sacrificium Missæ posse offerri, pro omnibus viventibus, etiam infidelibus, & etiam pro animabus Purgatorij, & pro beatis, non veró pro damnatis, nec pro parvulis mortuis sine Baptismo. De fidelibus constat, quia illi sunt membra Ecclesiæ, & sic debent eius influxum participare. De infidelibus patet ex D. Prospero, lib 1. de vocat. gent. cap. 12. vbi ait: Supplicat Ecclesia, non solum pro Sanctis, & in Christo regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus; & ratio est: quia sic Ministri plus conformantur, cum principali offerente, nempé cum Christo, qui pro omnibus mori dignatus est, quibus consonat decretum Alexand. VIII. qui damnavit in 4. & 5. propositione, illos qui dicunt Christum, non solum pro electis, sed pro omnibus & solis fidelibus fuisse mortuum, & quod Pagani & alij huiusmodi, nullum accipiunt influxum á Christo.

Nec obstat: quód infideles, membra Ecclesiæ non sunt. Resp. enim, non esse membra in actu, benè veró in potentia, quod fundatur in virtute Christi, quæ sufficiens est, ad salutem totiús humani generis, & etiam in arbitrij libertate; sic D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. ad 1. Nec obstat iterum: quód Eucharistia in ratione Sacramenti, non est instituta pro infidelibus, & sic nec in ratione sacrificij; nam resp. quód effectus Sacramenti, solum potest dari subiecto capaci per Baptismum, impetratio veró sacrificij, etiam in nonbaptizatum redundat.

De fidelibus defunctis constat. Túm, quia Christus, etiam pro defunctis ab initio mundi mortuus est. Túm, quia 2. Macab. 12. dicitur: quód est sancta & salubris cogitatio, pro defunctis exorare; & idem ait Trident. Sess. 25. in Decret. de Purgatorio. Quód non possit offerri pro damnatis, nec pro parvulis mortuis sine Baptismo patet; quia isti sunt in termino, & nulliús remissionis sunt capaces, nec sunt membra Ecclesiæ actu nec potentia. Nec obstant aliqua exempla, in quibus refertur animas ab inferno liberatas, vt de Trayano per præces D. Gregorij liberato ab inferno; nam hæc, cum sint contra communem legem statutam á Deo, non sunt adducenda tanquam exemplaria, de quo vid. D. Thom. in addit. q. 71. art. 5. ad 5.

Vltimo de animabus beatis patet, nam possunt orationes fundi ad impetrandum illis gloriam accidentalem; quare dicitur in Missa Sancti Bartholomæi: quæsumus domine, vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi, laudis Hostias immolamus. Sed tamen pro beatis non offertur sacrificium, vt propitiatorium vel satisfactorium, quia illi sunt liberi, ab omni malo culpæ & pœnæ; nec tam dicitur offerri pro illis, quã pro nobis, vt magis á fidelibus venerentur in terra, quæ directé nostra vtilitas est, licet indirectè, in Sanctorum gloriã redundet; sicut etiam petimus Deum glorificari in terra, quod directé est vtilitas nostra, & indirectè, honor extrinsecus Dei.

Sed inquires: An licité possit Sacerdos, orare & sacrificium offerre, pro excommunicato tolerato? Resp. negativé; ita Soto, Suarez, Ledesma, Bonacina & alij; nam Ecclesia, omnino excluſit excommunicatos, ab interna communicatione suffragiorum, licet in suis casibus possint exteriús communicari; & sic Sacerdos offerens in Ecclesiæ nomine, non potest pro eis orare. Sed tamen potest aliquatenús offerri sacrificium pro illorum reductione; vel si Sacerdos fundat orationem & sacrificium privatim, applicando proprium meritum; vel orando pro illis qui eorum conversionem solicitant; vel petendo vt augeatur fides, in Provincia, hæresi infecta.

Quarta difficultas: Quós effectus habeat sacrificium Missæ? Non est sermo de effectibus ex opere operantis, seu ex dispositione offerentis, quia hi communes sunt alijs bonis operibus, sed sermo est de effectibus sacrificij ex opere operato, id est ex vi & institutione sua. Dico ergo: sacrificium Missæ, est *propitiatorium*, pro peccatis mortalibus & venia-

malibus *satisfactorium*, pro pœnis illis debitis, & *impetratorium* plurium bonorum. Constat ex Trident. Sess.22. Can.3. Ratio est: nam vt ait Paulus ad Hebr.5. omnis Pontifex constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis: ergo Sacerdotes, sacrificium Missæ offerũt, pro peccatis mortalibus. De venialibus idẽ patet, quia non est denegandum huic sacrificio, quod rebus Sacramentalibus confertur; hæc autem venialia remittunt, vt patet in aqua benedicta, tunsione pectoris, &c. ergo idem de sacrificio dicendum est.

An veró huiusmodi effectus causentur á sacrificio ex opere operato? Resp. affirmativé, sed non illos causat, immediaté & directé, sicut Sacramenta, sed mediaté & indirectè, impetrando á Deo auxilia, quibus homo, excitetur ad contritionem, vel attritionem cum Sacramento, & illis obtineatur immediaté peccatorum remissio. Prima pars prob. quia illi effectus, causantur á sacrificio, ex vi suæ dignitatis & institutionis, & intuitu meritorum Christi, vt habetur in Trident. loc. cit. cap. 2. & hoc est causare ex opere operato. Quód autem hoc fiat mediaté, & indirectè, ibidem habetur, & apud D. Thom. in 4. dist.12. q. 2. art. 2. quæstiunc.2. ad 4. vbi ait: Peccata mortalia delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.

Hinc solutionem accipiunt instantiæ oppositæ, quæ in eo consistunt, quod si hoc esset verum, sacrificium, posset facere de attrito contritum, & effectum infallibiliter induceret. Resp. enim, hoc fore verum, si tales effectus, causarentur á sacrificio immediaté & directé, non veró si solum mediaté & indirectè causet, & sic contingit in sacrificio Missæ, modo dicto. Nec effectus infertur infallibiliter, nisi alias non detur obex in subiecto; sicut extrema vnctio, causat sanitatem corporalem ex opere operato, & illam non semper infallibiliter infert, nisi subiectum dispositum sit.

De sacrificio vt satisfactorio, seu de remissione pœnæ dicimus: quód hæc causatur immediaté per sacrificium Missæ, post peccatorum condonationem. Ratio est: quia hoc habuit sacrificium Crucis, per externos actus doloris, effusionis sanguinis & mortis, quibus immediaté pro pœna peccatorum nostrorum fuit satisfactorium: ergo etiam id convenit sacrificio Missæ, quod est illius repræsentatio. Deindé: quia hoc sacrificium, etiam animabus Purgatorij remittit pœnam, vt habetur in Trident. loco sup. cit. hoc autem non facit mediaté, impetrando auxilium ad satisfaciendum, quia animæ Purgatorij, non sunt capaces satisfactionis activæ: ergo hoc immediaté facit.

Nec obstat D. Thom. qui 3.p. q. 79. art.5. ait, quód hoc sacrificium remittit pœnam, secundum quantitatem fervoris & devotionis, & sic hunc effectum non causat, ex opere operato. Resp. sensum D. Thom. esse, quod sicut Sacramentum, perficiorem effectum producit in subiecto magis disposito, idem habet sacrificium: vndé si ille pro quo offertur, elicit actum satisfactorium vt quatuor, remittuntur octo gradus pœnæ, quatuor respondentes actui satisfactorio, & alij quatuor, respondentes sacrificio.

Denique, sacrificium hoc, est impetratorium boni spiritualis & corporalis, quod constat ex Trident. cit. vbi dicitur, quod hoc sacrificium, potest offerri pro omnibus necessitatibus, & idipsum convincit praxis Ecclesiæ vniversalis, quæ pro his omnibus sacrificium offert; vndé hoc iuvat fideles, vt vincant tentationes, & in gratia perseverent; deindé ad consequendam victoriam, pacem, salutem, terræ fructus, & alia plura bona temporalia, quatenús ad bonum spirituale, possunt deservire, & tandem auxilia impetrat, Sanctos & Angelos Custodes, ad iuvamen nostrum excitat, dæmones arcet, ne nimis tentent, illosque compellit, ab obsessis abire corporibus & captivorum consequitur libertatem. Vndé asseruit Chrysostomus, hom. 77. in Ioan. Pro infirmis, & terræ & maris, & vniversi orbis fructibus sacrificamus.

Inquires: An hoc sacrificium, conferat augmentum gratiæ, iustis pro quibus offertur, immediaté, & ex opere operato? Resp. negativé cum Salmantic. & pluribus apud ipsos citatis. Ratio est. Tùm, quia sic posset offerri sacrificium pro infantibus baptizatis, cõtra Ecclesiæ vsum, & sensum Ecclesiæ. Tùm, quia ille qui vix egisset aliquid boni, posset rectè operantes, in gratia & gloria excedere, si plura sacrificia offerrentur pro illo. Nec valet paritas de Sacramento, quod confert augmentum gratiæ, ex opere operato. Resp. enim: quód Sacramentum ex institutione sua, ordinatur, ad nutritionem charitatis in iustis; sacrificium veró, solum ordinatur ad cultum Dei, & protestationem excellentiæ divinæ, & sic, diversa est ratio vtriusque.

Quinta difficultas: An sacrificium Missæ, sit valoris simpliciter infiniti? Resp. quód sacrificium Missæ, habet valorem simpliciter infinitum quo ad sufficientiam, licet quo ad efficaciam, & ex parte effectus, finitum sit. Sic sentiunt omnes Thomistæ cum Ang.D. & alij quam plures, quos citant Salmant. Utraque pars habetur apud D. Tho. 3.p. q.79. art.5. vbi ait: Quamvis hæc oblatio ex sua quantitate sufficiat, ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiã offerẽtibus, secundum quantitatem suæ devotionis. Ratio primæ partis est: nam valor sacrificij summitur ex re oblata; sed res oblata in sacrificio Missæ, est simpliciter infinita: ergo etiam sacrificij valor. Min. prob. nam idem Christus, qui se ipsum in Cruce obtulit, offertur per Sacerdotum manus, sola ratione offerendi diversa, vt ait Innoc. III. cap. firmiter, & Trident. Sess.22. cap.1. & D.

Chryſoſt. hom. 2. ſup. epiſt. 2. ad Timot. ſed ille ſimpliciter infinitus eſt: ergo, &c.

Nec valet dicere: quód valor ſacrificij, limitatur ab offerente qui finitus eſt. Non inquam valet. Tùm, quia licet offerens inſtrumentaliter ſit finitus, offerens autem principaliter, eſt infinitus, nempé Chriſtus, qui ideo dicitur Sacerdos in æternum. Tùm, quia ſacrificium oblatum á malo Sacerdote, non inficitur eius malitia, & ſic nec ab eius finitudine limitatur, quia par eſt ratio vtriuſque; ſi enim malitia Miniſtri ſacrificium non maculat, quia principalis offerens ſanctus eſt, etiam hic eſt infinitus, & ſic finitas Miniſtri, ſacrificium non limitabit.

Secunda pars, quod nempé ſacrificium quo ad efficaciam, & ex parte effectus, finitum ſit, conſtat ex verbis relatis D. Thom. vbi ait, quod eſt ſatisfactorium, ſecundum quantitatem devotionis. Vndé notandum eſt, quod remiſsio pœnæ ex meritis Chriſti, habetur in Eccleſia, per indulgentias, & per ſacrificium Miſſæ; primus modus, determinatur iuxta intentionem applicantis, & ſic quando Pontifex concedit indulgentiam, determinat quantitatem, vt ſit plenaria vel non; ſecundus modus, non determinatur ab intentione offerentis, alias hic poſſet remittere totam pœnam, ſed talis determinatio, comenſuratur cum devotione illius, pro quo ſacrificium offertur.

Sed eſt notandum: quód ſacrificium oblatum pro pluribus, æqué prodeſt cuilibet, ac ſi pro vno tantum offerretur; nam cum ſacrificij valor ex ſe ſit infinitus, per vnicam devotionem non exhauritur; & ſic, ait Cayet. hic q. 79. art. 5. vna Miſſa, non perdit vim ſatisfactionis ſuæ, pro primo offerente, ex hoc quód pro ſecundo, tertio quarto, &c. offertur, ſicut quantitas devotionis vnius, nihil tollit de quantitate devotionis alterius; vndé arguendi, inſtruendique ſunt, homines ignoranter petentes, pro ſua eleemoſyna, totam ſibi Miſſam dari, aut ſuo defuncto, nihil enim minus ipſe habebit, ſi mille alij petant eandem Miſſam, &c. Hoc autem intelligitur, quo ad fructum ſacrificij, quod ex charitate poteſt pluribus applicari, non verò quo ad applicationem ex iuſtitia, quæ ſolum debet fieri pro eo qui ſtipendium præbuit, nec poſſunt á diverſis plura ſtipendia accipi; hæc enim eſt opinio damnata per Alex. VII. vt infrá dicetur.

Arguitur contra reſolutionem: quód ſi ſacrificium Miſſæ eſſet valoris infiniti, fruſtra quis pro ſe peteret plures Miſſas, quia infinito, nequit fieri additio, & ſimiliter per vnicam Miſſam, poſſet Purgatorium evacuari, quæ abſurda ſunt. Reſp. quód vt diximus, licet ſacrificium Miſſæ, habeat valorem infinitum quo ad ſufficientiam, non verò ex parte effectus, & quo ad efficaciam, hoc enim proportionatur cum quantitate devotionis in ſuſcipiente, & ſic effectus ſacrificij poteſt augeri vel minui, quo maior vel minor fuerit prædicta devotio; & cum hæc non ſit infinita in animabus Purgatorij, nec in his pro quibus offertur, ideo non ſufficit pro illis vnicum ſacrificium. Si dicas: vnicum ſacrificium Crucis fuit ſufficiens pro omnibus, quia erat infinitum: ergo etiam vnicum ſacrificium Miſſæ. Neg. conſeq. quia ſacrificium Crucis, habuit valorem per modum prætij vniverſalis, nec in hoc poteſt augeri, & ideo non eſt neceſſe quod repetatur; ſacrificium verò Miſſæ, habet valorem, per modum cauſæ inſtrumentalis particularis, & cum non applicentur in actu ſecundo, niſi iuxta finitam diſpoſitionem recipientis, ideo ad maiorem fructum, repetitur ſæpiùs.

Sexta difficultas, de ſtipendio Miſſæ. Certum eſt, poſſe ſtipendium accipi pro Miſſa, nam vt dixit Chriſtus: dignus eſt operarius mercede ſua; & D. Paul. 1. ad Cor. 9. ait: qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant. Nec datur in hoc ſimoniæ labes, licet in pactum deducatur ſtipendium, quia hoc non confertur pro re ſpirituali, ſed pro congrua ſuſtentatione Miniſtri; ſicut enim ad celebrandum requiritur cera, panis & vinum, etiam Miniſter requiritur. Sed tamen ſtipendium non debet eſſe tale, vt ſit ſufficiens ad integré ſuſtentandam vitam, quia hoc non eſt exercitium adæquatum Sacerdotis, & alijs vis honeſtis poteſt iuvari, vt aſsiſtendo funeri, &c. & ideo nullus ordinari poteſt ſine congrua ſufficienti, ne ſolo Miſſæ ſtipendio ſuſtentetur.

Hinc habetur: quód Sacerdos, non poteſt tot ſtipendia pro Miſſa accipere, quot ſint ſatis pro moderata ſuſtentatione per diem, & multo minús, pro ſuſtentandis parentibus, alias mendicaturis, nec pro emendis libris ſuæ facultatis. Sic ſentiunt Salmant. cum pluribus, & idipſum confirmavit Sacra Congregatio Concilij, anno 1625. contrarium facientes, obligando ad reſtitutionem, ſub pœna peccati gravis. Taxa ergo ſtipendij, vel ab Eccleſia facta eſt, vel fit prudentum arbitrio ex recepta conſuetudine, quæ tamen non prohibet, ne fideles voluntariè plus conferant, & Sacerdotes accipiant minús, ſed ſolum vetat, ne velint pro minori ſacrificium petere, nec Sacerdos, amplius exigere; ſicut nec exigi poſſunt duo ſtipendia pro vnica Miſſa, hoc enim damnatum eſt ab Alexand. VII. Propoſ. 8.

Sed an poſsit Sacerdos accipere duplex ſtipendium, vnum pro applicatione fructus generalis, & aliud pro fructu ſpecialiſsimo? Vocatur ſpecialiſsimus fructus, ille qui correſpondet celebranti, præter quæm, datur alius generalis, quæm applicat Eccleſia, & alius medius, quæm applicat ipſe Miniſter pro dante ſtipendium. Reſp. negativé. Tùm, quia incertum eſt, an talis fructus ſpecialiſsimus, poſsit communicari alteri, cum ſit Sacerdotis perſonalis, & ſic illum applicando, daret ſolutio-

tionem incertam, pro debito certo. Túm, quia scandalosum esset, propter modicam pecuniã Sacerdotem tali fructu sibi proprio renuntiare. Túm denique, quia hoc expresse damnatum est ab Alex. VII. in propos. 8. proximé citata.

Siste paulispér Lector, & nota, quod pagellæ istæ, é fol. 157. vsque huc, me absente fuerunt typis datæ, & ideo innumeris mendis scatent, quorum plura sunt gravia & intolerabilia, quin mentionem faciam de illis quæ sunt exortæ ex imperitis ortographis & tipographis; hoc dixi vt scias quia non eram ibi, modo dimmite me vt plangam paululum dolorem meum.

Alia est dubitatio: An Sacerdos recipiens pingue stipendium pro Missis, possit eas, altari comendare, iusto stipendio collato, & residua parte sibi retenta? Resp. negativé. Túm, quia nulla causa datur huius retentionis, nec donatio; nec onus, nec ministerium, nec alia huiusmodi, vndé iniuriam facit Domino & Sacerdoti. Túm, quia hoc damnatum est á Sac. Congr. die 21. Iulij, anni 1625. & etiam ab Alex. VII. in proposit. 9. quód iuste factum est, vt removeretur á Sacerdotibus turpe lucrum, & præcipué circa rem tam sacram. Excipiuntur autem duo casus, in quibus potest fieri illa maioris stipendij retentio. Primús, cum alteri commendantur Missæ, quibus tenetur quis ex beneficio, tunc enim sufficit si iustum stipendium conferat, nec debet illud dare iuxta rationem reddituum beneficij, nisi in fundatione, aliud fuerit cautum. Sic censuit Sac. Congreg. in Decret. de celeb. Miss. dub 8. Et disparitas inter beneficiatum, & alium Sacerdotem simplicem, alteri tribuentes Missas, est: quia simplex Sacerdos, nullum habet ius ad retinendum excessum stipendij vt vidimus; beneficiatus autem, habet alios titulos, nempé recitandi, &c. Secundús casus est: quando accipiens stipendium, voluntarié alteri condonat residuum, quod tamen in praxi difficile est, quia potest id ex metu fieri, ne aliæ Missæ illi donentur.

Rogabis: An possit quis anticipate dicere Missas pro illis qui in futurum conferent stipendium? Resp. negativé, hoc enim vt nimis scandalosum & periculosum, damnatum est á Sac. Congreg. die 25. Novemb. 1605. & ita etiam Paulus V. decrevit. & hoc improbavit, tanquam á vestuto Ecclesiæ more abhorrens; & similiter, non est licita hæc anticipatio Missarum, cum sit in alterius præiudicium, vt cum quis tenetur celebrare singulis mensibus pro defunctis alicuius populi vel domus, tunc enim qui moriuntur illo mense, anticipara iam Missa, fraudabuntur illo suffragio sequenti mense, contra mentem fundatoris; sed tamen Capellanus, qui ad certas Missas tenetur, potest eas regulariter anticipare, si hoc non opponatur fundatoris menti.

Sed qualis sit culpa, diu differre celebrationem ad quam tenetur quis? Resp. quód culpa mortalis est, sicut etiam est peccatum mortale, habere moram in solutione pecuniæ; maius enim damnum est, defraudare aliquem bono spirituali sibi debito, & præcipué si debebat offerri pro animabus Purgatorij, quibus intentissimæ durant pœnæ, ex retardatione sacrificij, & idem est de alijs bonis pacis & salutis, quæ ob non celebrationem non impetrantur; vndé Sacerdos obligatur ad restitutionem stipendij, si acceptum fuit ad celebrandum pro salute alicuius, & ea protracta, infirmus obijt, & forté non obiret, si tempore debito celebrasset. Quænam autem sit notabilis sacrificij dilatio, iudicandum est prudentum arbitrio, iuxta materiæ & personarum qualitatem.

Septima difficultas: De requisitis ad sacrificium celebrandum; & primo occurrit tempus, circa quod solum est dubium, de triduo hebdomadæ sanctæ, an tunc liceat celebrare privatim? Et quidem fer. 5. in cœna Domini, nullo iure prohibitum est celebrare, nam plures Sacerdotes, privatim eo die celebrant. tám Romæ, quám extra, quamvis etiam alij ex devotione abstineant, & in officio solemni communicant, vt meliús commemorentur Apostolorum communionem per Christi manũ factã; hæc tamé privata celebratio, eo die non licet, post Sacrarium reconditum, saltim in eodem Templo, licet in alio loco, vel sacello remoto id liceat, si adsit rationabilis causa; sic sentiunt Salmant. citantes Dicastillum.

De die Veneris Sancti, certum est apud omnes, non licere celebrare, quia tunc nec sacrificium celebrat Sacerdos, vt ait Hugo de S. Victor. nec debet proponi repræsentatio mysticæ Passionis, quando proponitur vt præsens Christus patiens, vt ait D. Thom. 3. p. q. 83. art. 2. ad 2. An autem sit licitum illo die, sumere sacram communionem, alijs quam infirmis? Aliqui negant, quia in rubricis Missalis, solum propter infirmos præcipitur Sacramentum servari, sed alij oppositum sentiunt, & apud Vienam Austriæ, & in alijs Germaniæ locis, Dicastillus ait se vidisse, & idem ait Machado de Parrochia S. Martini Matriti, & sic standum est vsui, secluso scandalo, & stante rationabili causa; quod si dicitur in Rubrica, solum propter infirmos servari Sacramentum, in hoc assignavit causam præcipuam, non autem quia alijs communicare non liceat.

De Sabato Sancto, negant plures licere in eo celebrare, in consuetudine recepta fundati; sed contrarium sentit Lugo cum alijs, quia in multis locis Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, hoc est in praxi; vndé de hoc idem est dicendum ac de feria 5. & id suadet vsus piorum hominum, qui sine scrupulo celebrant privatim illa die. In quolibet autem die sine ex his sive ex alijs, solum potest quilibet Sacerdos semel celebrare, sicut etiam Christus semel

Pas-

P..ſſus eſt,licet ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, aliquando fiat oppoſitum, vt in die Nativitatis Domini celebrantur tres Miſſæ, in memoriam triplicis Nativitatis Chriſti, nempé æternæ,temporalis & ſpiritualis, vt ait D.Thom. loc. cit. & eadem eſt conſuetudo in Aragonum Regnis, vt Sacerdotes Regulares,tres Miſſas, & ſæculares, duas celebrent, ſufficit autem quod dicatur vel audiatur vna, quia hoc privilegium eſt, & non præceptum.

Alij præterea caſus extant,in quibus bis celebrare licet eodem die. Primó : cúm Parrochus duas habet Parrochias,nec eſt alter qui celebrare poſsit. Secundó: ad communionem ægroti, quando non dantur particulæ conſecratæ, ſed hoc vix practicum eſt,& rariſsimé occurrere poteſt.Tertió:quando ſunt multi peregrini vel confluentes, & pauciſsimi Sacerdotes. Quartó: addunt alij ſi advenit Epiſcopus vel Princeps, poſt ſumptionem vel conſecrationem, & Miſſam non audivit, nec ſit alter celebrans; ſed hoc in praxi non debet ſequi, quia non videtur res tanti momenti, devotioni eorum ſatisfacere, vt propter hoc omittatur Eccleſiæ ritus. Nec refert, quod illa die ſacrum non audiant, quia ſi omiſsio eſt inculpabilis, non eſt peccatum, & ſi eſt culpabilis, peccatum non aufertur per auditionem Miſſæ, ſed per pœnitentiam ; cum autem pluries celebrat Sacerdos, in prima Miſſa ablutiones non ſummat, alias non manebit ieiunus, nec aptus ſecundæ celebrationi.

De hora celebrationis,omnes conveniunt,quod non poteſt eſſe ante auroram, nec poſt meridiem, quia hoc ſuadet Eccleſiæ conſuetudo, & rubricæ Miſſalis; excipitur dies Natalis Domini,in qua poteſt celebrari media nocte, ob myſterium diei, & non ſolum vna Miſſa,ſed etiam tres; licet enim rubrica tria tempora aſsignet pro Miſsis, nempé media nox, aurora, & dies plena hoc intelligitur pro ſolemnibus Miſsis, ſed non pro privatis. Dantur etiam alij caſus,ex conſuetudine vel privilegio, in quibus illis horis variatis celebrari poteſt. Primó: ad communicandum infirmum, alias ſine viatico moriturum. Secundó : ſi Epiſcopus diſpenſat ex iuſta cauſa,vt laboratores vel famuli,ſine Miſſa non maneant, quod fit in Germania,quatuor horis ante ortum Solis, quia ibi oritur ſero.Tertió: quandoRegulares,ex licentia Prælati,vel Pontificis privilegio hoc faciunt, exiſtente cauſa iuſta ; & idem proportionaliter dicitur de celebratione poſt meridiem, quæ poteſt fieri. Primó : ob ſolemnem Miſſam & concionem. Secundó: ſi Sacerdos ratione itineris, non potuit ante meridiem celebrare. Tertió : ad communicandum ægrotum, & ex diſpenſatione Epiſcopi, vel Pontificis privilegio ; rurſus in die ordinum, & in funere Principis, hæc enim omnia, prolixis conſtant ceremonijs, quæ multum tempus perdurant.

Sed an ſit peccatum,celebrare ante recitationem officij? Reſp.quód de horis, nullum peccatum eſt, ante illas celebrare; ſed de Matutino eſt maius dubium ; ad quod dicitur: quód ſi adeſt cauſa iuſta, nullum peccatum eſt, ante Matutinum privatim celebrare,ſicut nec eſt peccatum ex iuſta cauſa, ordinem horarum invertere ; ſine cauſa autem, erit veniale,quia Matutinum eſt officium nocti, quod ante debet perſolvi quam Miſſa, quæ eſt officium diei; ſi autem loquimur de Miſſa ſolemni,in Eccleſia in qua dicuntur preces publicæ, mortale erit illã celebrare ante Matutinum perſolutum, quia regimen Eccleſiæ invertitur in re gravi, pertinente ad publicum Dei cultum. vt ſentiunt Salmant. cum pluribus,licet in raro caſu hoc honeſtari poſsit, regulariter enim, in nulla Eccleſia ſolemnis dicitur Miſſa ante Matutinum.

Secundó, circa celebrationem occurrit locus, qui debet eſſe ſacer, id eſt, Eccleſia conſecrata vel benedicta, vt ſic cum Sanctitate Paſsionis Chriſti & ſacrificij conformetur; in caſu autem neceſsitati,poteſt aliter fieri. Primó: ſi quis vadit per loca deſerta, in terris infidelium, vbi Eccleſia non occurrit, poteſt celebrare in altari portatili conſecrato. Secundó: ſi Eccleſia eſt diruta, ne populus ſacrificio careat. Tertió: ſi Eccleſia eſt anguſta, nec poteſt capere concurrentes, poteſt celebrari,in altari, iuxta portam collocato. Quartó : in caſtris poteſt celebrari pro militibus,ne ſacro priventur & idem eſt in littore maris pro navigantibus,vt in die feſto Miſſam audiant, extra hos enim & ſimiles caſus,in Eccleſia conſecrata vel benedicta celebrari debet. de quo D. Thom. 3.p. q.83. art.3. ad 2.

Occaſione huius, obiter hic venit agendum, an iuſtum ſit & honeſtum, extra Eccleſias,& loca ſacra publicé vocaliter orare ? Et non loquimur de Litanijs,& Rogationibus ab Eccleſia ſtatutis,hæc enim convenienter per vicos & plateas publicé fiunt, ſed ſolum loquimur de quadam conſuetudine introducta,recitandi Roſarium per vias civitatis, de quo viros prin æ notæ, non probantes audivi. Dico ergo: quód abſoluté hoc rectum eſt, tum propter exemplum; túm quia plures inutiles arcentur confabulationes ; ſed re vera, aptius & & commodius recitatur in Templo, quod domus orationis eſt,vbi mens directiús erigitur in Deum, & ſenſus,plus ſunt á materialibus abſtracti, quare dixit D. Thom. 2. 2. q.84. art.3. quód ad adorandum, requiritur determinatus locus, non quaſi de neceſsitate, ſed ſecundum quandam decentiam, propter loci conſecrationem, ex qua ſpecialem devotionem concipiunt orantes, & propter ſancta myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur.

Octava difficultas : De cæteris ad ſacrificium requiſitis;certum eſt requiri, Crucem,altare,veſtes, vaſa & ceremoniæ ſacræ, quia hæc omnia cõgruunt ſancti-

sanctitati & dignitati sacrificij, de quibus luculentur agit D. Thom. q.83. art.4. & 5. Sed an possit Sacerdos celebrare in vasis non consecratis, & vestibus non benedictis, si alius ante cum illis celebravit? Aliqui affirmant dicentes, quod post consecrationem primam, vestimenta manent benedicta & vasa consecrata, sicut reconciliatur Ecclesia, celebrando in illa; sed oppositum est verius, nec paritas de Ecclesia, reconciliata per sacrificium, aliquid probat, nam illa iam antea consecrata erat, nec sufficit sacrificium, vt consecraretur si consecrata non esset, alias omnia oratoria consecrarentur per celebrationem; in casu autem nostro, vasa non essent antea sacra, & plus requiritur ad consecrationem inducendam, quam ad purgandam materiam iam consecratam.

Nec valet dicere: Quód vasa non consecrata, accipiunt consecrationem, per contactum Christi á quo omnis consecratio dimanat. Non inquam valet; alias omnia quæ semel tangunt corpus Christi, manerent consecrata, vt pannus vel pavimentum, si ibi caderet, & idem esset de ara non consecrata; & vlteriús sequeretur, quod Diaconus qui in necessitate, & bona fide ministravit viaticum infirmo, non indigeret postea sacrari oleo Sancto, ad Sacerdotium suscipiendum, quia iam manus eius, per contactum corporis Christi consecratæ manerent; sed omnia hæc sunt falsa & absurda: ergo, &c.

Vltra vasa sacra, requiritur in Missa, aliquis qui sacrificio inserviat, & respondeat, illeque debet esse vir & nõ fœmina, quod suadet vetusta Ecclesiæ consuetudo, & habetur in D. Thom. loc. cit. art. 5. ad 12. sed in casu necessitatis, vel vt detur viaticum ægroto, vel vt populus Missam audiat in die festo, vel alio simili, potest sine Ministro celebrari, vt docent plures; nunquam tamen licitum est fœminam sacrificio inservire accedendo ad altare, & ministrando Sacerdoti. Nec obstat: quód moniales Missæ respondent, hoc enim á longe fit & non ministrando; & si dicatur: quód fœmine in offertorio ad altare accedunt, vt osculentur Sacerdotis manum. Resp. in hoc nullum ministerium dari, illa enim aproximatio, puré materialis est ad subiectionem, sed non ad ministrationem; vndé vt ait Soto, necessitate vrgente, potiús esset celebrare sine Ministro, & Sacerdotem sibi ipsi respondere, quam fœminam ministrare.

Deindé requiritur ad sacrificium, quod non relinquatur imperfectum, etiam ad vitandam mortem; nunquam enim licet consecrare panem, sine animo consecrandi vinum, nec vtrumque consecrare, animo non sumendi; sed tamen in casu in quo fidei hostes, impetu accedant ad Sacerdotem occidendum potest hic Hostiam consecratam sumere vel secum ferre, si non potest pergere ad Calicis consecrationem, absque mortis periculo; tunc enim, non facit sacrificium mutilum directé, sed puré ommittit ex causa vrgenti illud perficere, & præceptum perficiendi sacrificium, quod puré affirmativum est, in eo casu, non iudicatur moraliter obligare.

Vlteriús requiritur ad sacrificium, quod semel inchoatum, non interrumpatur; si autem contrarium fit, ex genere suo est peccatum mortale, si fiat sine causa; extant tamen aliquæ causæ, vt possit Missa incepta interrumpi. Prima: si Sacerdos recordatur se non esse ieiunum, irregularem aut excomunicatum, si canon nondum sit inceptus, nam secluso scandalo, tenetur á sacrificio desistere, ne á Ministro non congruo celebretur. Secunda: si ante canonem adveniat interdictum, vel cessatio á divinis specialis, nec detur privilegium celebrandi ianuis clausis, vel accedat excomunicatus denuntiatus, qui nequit expelli, tenetur Sacerdos á sacrificio cessare. Tertia: si superveniat Sacerdoti morbus gravis, etiam post consecrationem, tunc enim debet ab alio Sacerdote consumari sacrificium, et si non sit ieiunus, quia præceptum integrandi sacrificium, maius est, quam præceptum ieiunij in summente.

Quarta est, necessitas vrgens baptizandi infantem, casu natus in Ecclesia, cui nequit alia via sacramentum Baptismi conferri, nisi á celebrante, tũc potest sacrificium relinquere, & quam citius reverti ad illud perficiendum. Quinta est, cum post Evangelium concio habetur ad populum, vel etiam cum ordines conferuntur. Sexta est, adventus Episcopi Ducis vel Principis, quos decet audire integram Missam, tunc enim, si oblatio nondum est facta, potest Missa iterum á principio inchoari, vt dicitur factum in Ecclesia Cæsaraugustæ, adveniente quodam Cardinali, quando Sacerdos dicebat Credo, & iussum est illi iterum inchoare, & idem testatur Navarrus se fecisse, pro viro magni nominis, cum nullus præter ipsum daretur Sacerdos.

Requiritur etiam ad sacrificium servari omnia quæ in Missali præscribuntur; cum res hæc sit gravis & maximé sit conveniens, tantum ministerium, rectè fieri, & ordinaté. Sed an qui contra Rubricas, in festo duplici dicit Missam votivam, vel pro defunctis, peccet graviter? Aliqui affirmant, sed veriús oppositum est, præcipuè, si adsit rationabilis causa, quia rubricæ tantum sunt directivæ, & solum sunt præceptivæ, si continent aliquid, quod ex iure vel consuetudine, graviter præcipitur; vndé si quis in die Resurrectionis vel simili, diceret in vestimentis nigris Missam de Requiem, graviter peccaret, quia fieret iniuria tantæ solemnitati, & idem est si hoc semper fieret, quia contemptum saperet.

An autem ommittere Epistolam, vel Evangelium sine scandalo, vel contemptu, esset mortale? Resp. affirmativé, quia ex eius defectu, valdé deturpatur consueta celebrandi forma. Nec obstat;

quód hæc videtur materia parva. Resp.enim,quod est parva physicé & in esse entis,est tamen magna moraliter,in ordine ad constituendum totum artificiale perfectum, sicut in simili dicebamus suprá, de parva aqua in Calice,vino misc enda. Nec obstat; quód Credo habens aliquando plura verba quam Epistola, potest ommitti sine mortali; nam gravitas non sumitur ex quantitate, sed ex imperfectione totiús.Exemplum est in statua Regis, cui si auferatur magna pars in ora vestis, non ita detur patur, ac si aufertur minor pars nasi vel labiorum.

ARTICULVS XII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, circa valorem sacrificij Missæ. Quidam Sacerdos, magna erga Purgatorij animas devotione fervebat,ideoque, sæpiús pro eis celebrabat, offerebatque sacrificium, pro omnibus fidelibus defunctis in communi, & postquam per plures annos sic se gessit, audivit á quodam, meliús esse Missam pro paucis in particulari applicare, quam pro omnibus generaliter sumptis. Dubitat: an sacrificium applicatum pro multis, tantum cuilibet proficiat, ac si pro eo tantum offerretur? Quód est idem ac dubitare: an fructus sacrificij Missæ,sit valoris infinit, etiam extensivé? Suprá resolutum manet, valorem sacrificij Missæ ex parte rei oblatæ, nempé Christi & meritorum eius,simpliciter infinitum esse; illud tamen finitum est ex opere operantis, seu ex devotione offerentis, sicut etiam alia opera bona;dubium est: an fructus sacrificij ex opere operato, non solum sit infinitus intensivé, quia infinitum effectum causat, sed etiam extensivé, quia oblatus pro pluribus æqué omnibus proficiat?

Negat Scotus, quæm sequitur Navarrus, Garcia, Alanus, Lugo & alij plures. Sed contrarium sentiunt, Cordova, Navarro, Soto, Vazquez, Hurtado, Ledesma, Philibertus, Leander, & Cayetanus, & his assentio. Verba Cayetani, 3. p. q. 79. art.5. sunt hæc: vna Missa, non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, &c. offeratur, sicut quantitas devotionis vnius, nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Vndé arguendi instruendique simul sunt, homines ignoranter petentes, vel exigentes, pro sua eleemosyna, totam sibi Missam dari, aut suo defuncto, nihil enim minús ipse habebit, si mille alij petant eandem Missam pro se ipsis, & alijs defunctis, quam si pro ipso solo, celebrari dicatur; imó ex huiusmodi indevotione sic petentis damnum videtur incurrere, quod minús sibi proderit;hæc Cayet.quod etiam ex D.Thom. loc. cit. videtur colligi.

Vlteriús: idem Cayet. tom.3. opusc. tract.3. q. 2. ait: quoniam ex parte rei oblatæ, est infinitas in hoc sacrificio, & per vnicam devotionem non exhauritur,consequens est, vt non solum pro pluribus, sed infinitis devotionibus, vnicum sacrificium sufficienter respondeat: nihil igitur adimitur alicui, facienti pro se offerri hoc sacrificium,ex quantitate effectus secundum se, & applicati ad ipsum, ex hoc quod alter procurat, etiam pro se dici, sed vnicuique respondet tantumdem, quantum si pro se solo diceretur,iuxta quantitatem devotionis suæ. Quód etiam, ex ipso canone Missæ constat, vbi offertur non solum pro Regibus & Prælatis, sed etiam pro omnibus circumstantibus, quorum numerus determinatus non est,& est sermo de sacrificio,dicitur enim:pro quibus tibi offerimus,vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis, & etiam de satisfactione, in illis verbis: pro redemptione animarum suarum, redemptio enim,á malis est, & satisfactio, per modum solutionis.

Sed oppones: inconvenientia satis gravia, quæ hinc videntur inferri. Primúm: quia sic, inutilis esset fundatio Capellaniarum, ad certum Missarum numerum,siquidem vna Missa,possent omnium viventium, & defunctorum peccata expiari. Secundúm: quia posset etiam Sacerdos pro vnica Missa, plura stipendia accipere,si omnibus esset æqué proficua, quod tamen damnatum est ab Alex. VII. propos.8. alias ingens fenestra cupiditatis,Sacerdotibus pateret. Tertiúm:quia si ista conciperentur á populo,á Missis expetendis & eleemosynis elargiendis pro illis retraheretur, quia Missa dicta pro alio & ipsis, æqué proficeret omnibus. Quartúm: nam Concil. Trident. Sess.25. cap.4. ait: quód quando Missæ reducitur ad minorem numerum, fiat commemoratio eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute, legata reliquerunt, quæ dispositio esset inutilis, si specialis commemoratio, non magis prodesset.

Resp. ad 1. cum M. Petro de Soto: quód iterata oblatio sacrificij vtilissima est, & de novo operatur, quod per primam oblationem,non fuerat impetratum, vel saltim impetrat efficacius & plenius, & ideo multiplicatio Missarum pro eodem, rectè disponitur. Exemplum est, in meritis Christi, minimum enim eorum, sufficiebat ad totius mundi salutem,sed Christus addidit labores & merita,quibus magis ac magis eadem sibi concederentur á Patre; idem ergo de Missis dicendum est,præcipué cum nullus sit certus, an ob incertam dispositionem, sibi primo profecerit, quibus potest adaptari sapientis dictum: quicquid potest manus tua, instanter operare. Ad 2. Respondet M. Cano, quod Sacerdos accipit stipendium, non vt prætium; sed ad congruam sustentationem, & cum iustitia non patiatur, vt sustentatus ab vno, sustentetur ab alio, ideo duplex stipendium pro vna Missa, nullatenus accipi potest. Ad 3. quód petens offerri pro se in par-

particulari sacrificium, meliús disponitur, vt abundantiorem fructum recipiat, quod non reperitur in percipiente solum applicationem generalem, & ideo non debet retrahi, ab eleemosynis elargiendis. Ad 4. quód Concilium solum statuit, quod commemoratio fiat defunctorum, qui reliquerunt legata, vt sic conspensetur illis, quod forte ablatum est ex Missarum reductione; supposito tamen, quod Missæ redditibus minoratis correspondentes, iam ipsi ex iustitia sint applicatæ, ex quo melioratur eius dispositio, vt maior ei fructus accrescat, vt proximé vidimus.

Sed obstant adhuc, verba D. Thom. in 4. dist. 45. q.2. art.4. quæstiunc.2 vbi ait: Si consideratur valor suffragiorum, in quantum sunt sati-factiones quædam, per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit & multis alijs; sic enim effectus suffragij dividitur ex divina iusticia, inter eos pro quibus suffragia fiunt; quod videtur resolutionis nostræ contrarium. Sed resp. quód ibi D. Thom. sermonem facit, de Sacerdote celebrante, vt persona privata est, & de sacrificio ex opere operantis, & sic fatemur, minús proficere oblatum pro pluribus, ac si pro vno tantum offeratur; sed tamen resolutio nostra procedit, de Sacerdote celebrante nomine Ecclesiæ, & de sacrificio ex opere operato, sic enim, æqué prodest omnibus pro quibus offertur, sive illi sunt plures, sive vnicus tantum.

Ex his habetur: Sacerdotem offerentem sacrum pro aliquo ex iustitia, quia ab eo stipendium accepit, posse illud pro pluribus alijs offerre, ex gratitudine vel charitate, quin aliquam fraudem committat. Sic sentiunt Lezana, Escobar, Dicastillo, Hurtado, Vazquez; ratio est: quia Decreta Pontificum, solum prohibent, Sacerdotem plura stipendia á pluribus pro eadem Missa accipere, non veró illam pro pluribus ex charitate offerre. Vndé miror Ant. á Spirit. Sancto oppositum sensisse, consult. 98. num. 19. nam hi diversi tituli, iustificant applicationem pro pluribus, & illum pro quo applicatur ex iustitia pro stipendio accepto, melioris conditionis relinquunt, ob rationes dictas. Præterquam, quod si eius doctrina, in Religionibus reduceretur ad praxim, quomodo possent plures pauperrimi suis necessitatibus subvenire, cum debeant plures Missas pro defunctis sui Ordinis celebrare, pro quibus non possent stipendium accipere? Quód rectè componitur dicendo: quód possunt ex iustitia applicari pro eo qui stipendium confert, & ex charitate, pro illis pro quibus tenetur ex lege, quæ doctrina affertur á Cursu Salmant. tract. 15. de statu Relig. cap.7. punct.5. num.129.

Casus secundus, de offerentibus sacrificium. Mulier quædam, multis annis in matrimonio vixit, maximé diligens virum suum; quod cum hic diem clausisset extremum, vxor vidua dilectionis viscera non clausit, sed illum summopere adiuvare, & suffragare studuit, & cùm ad hoc viam desideraret meliorem & efficaciorem, dubitavit, quid consultius faceret pro marito suo defuncto, aut curare aliquas Missas, pro eo celebrari & offerri, aut pro eodem, Missas audire atque offerre? Respodent Hautinus, de Patroc. defunct. num.969. cui assentitur Gobatus, quod fieri potest, vt multis sacris pie auditis, & pro defuncto oblatis, citius hic liberetur á Purgatorij pœnis, quam si tantum vna vel altera Missa, pro eo celebretur: nam tot sacris auditis, potest induci Deus, ad liberalem condonationem pœnæ, & vno vel altero non moveri, ad acceptandam compensationem, insitam sacrificio, ex meritis Christi.

Huius casus occasione, venit examinandum: á quibus & quomodo, sacrum Missæ sacrificium offerendum est? Constat ex dictis: quód Christus Dominus, est principaliter offerens; deindé etiam Ecclesia sacrificium offert, quod constat ex Canonis verbis dicentibus: Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ; & iterum: nos serui tui, sed & plebs tua sancta, offerimus, &c. & etiam offert Sacerdos, vt ex verbis ipsis constat, & sic ait D. Thom. q.80. art.12. ad 3. Sacerdos in persona omnium, sanguinem offert & summit. Vndé habetur, quod offerentes Missam, sunt in triplici gradu, primus est Sacerdos, qui offert immediaté & per se, tanquam publicus Ecclesiæ Minister; secundús, est populus Christianus, qui offert generalissimé medio Sacerdote; particularius autem, licet generaliter, qui aliquæm actum circa sacrificium exercent, & inter hos, specialius Ministri altaris & chorus, quam plebs; tertiús specialissimé, nempe ille qui eleemosynam confert, ad Missam celebrandam.

Sed inquires 1. an offerentes solo actu interno, dicantur specialiter offerre sacrificium Missæ? Resp. affirmativé, quod constat expressis verbis D. Pet. Dam. epist.13. cap.8. dicentis: quæ ille Deo offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium, intenta devotione commendat. Vndé ait Vazquez: quód fideles offerunt hoc sacrificium, vel quia sunt membra Ecclesiæ militantis, & sic tribuitur Missæ oblatio, etiam illis qui nihil de illa cogitant, vel quia affectu solo interiori, hoc sacrificium Deo offerunt. *Nec obstat*: quód opponit Suarez, nempé quod sacrificium, consistit in actione externa, operante aliquid circa rem oblatam, quod per actum meré internum non fit. Resp. ex hoc solum inferri, quód solus actus internus, non sufficit ad offerendum sacrificium immediaté, & specialiter sicut Sacerdos, & ei ministrantes & cooperantes, non vero quod solus actus interior non sufficiat, vt sacrificium magis specialiter offeratur, quam ea generali oblatione, quæ á tota Ecclesia fit,

&

& hoc solum nos intendimus.

Inquires 2. Utrúm animæ in Purgatorio degentes, quodammodo specialiter Missæ sacrificium offerant? Resp. affirmativé, contrarium sensit Amicus, & alij cum ipso ; sed dictum nostrum defendunt Soto, Anelus, Cayet. Cordova, Silvester, & Henriquez, & videtur colligi ex D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. vbi ait : si aliquis in charitate decedens, præcipiat sibi suffragia fieri, illa suffragia valere defuncto, quamvis illi per quos fiunt in peccato existant, quia Sacerdos agit, vt instrumentum illius, & sic sentit D. Thom. tunc defunctum sacrificium offerre, ratione actus præcedentis; & id constat ex eo, quod Purgatorij animæ, quō sunt in termino viæ, & sic possunt concurrere aliquomodo ad oblationem ; vndé asserit D. Tho. 2. 2. p. 18. art. 3. in viatoribus, sive sint in via ista, sive in Purgatorio, potest esse spes, & sic animæ Purgatorij, non sunt in termino viæ. Ad offerendum autem pro animabus Missam, optimum consilium est, in memoriam quinque vulnerum, Salvatoris quæm Sacerdos manibus tractat, illam offerre pro quinque animabus, quæ in proximiori dispositione sunt ad ingressum Cœli, & pro alijs quinque desertissimis inter omnes; priores enim, statim petent á Deo, compensationem tuæ charitatis; posteriores autem, eo ferventius exequentur, quo tibi suam liberationem debere, clare cognoscent.

Inquires 3. An ex maiori sanctitate Ecclesiæ offerentis, crescat valor accidentalis Missæ? Affirmant probabiliter Scotus, Gabriel, Henriquez, & Lugo; sed oppositum est verius, & sic asserunt vterque Soto, Petrus, & Dominicus ; & ratio eorum est. Primó: quia Sacramentorum ministeria, non fundantur in gratia personarum Ecclesiæ, nam si per impossibile, nulla esset in Ecclesia, persona Deo grata, sacrificium suum haberet valorem. Secundó: nam orantis devotio & sanctitas, plus agit, vt particeps fiat orationum & meritorum Ecclesiæ, quam vt eis aliquid superaddat, & sic rectum est petere á Deo, vt nobis desiderata, secundúm intentionem & merita illorum, qui preces quas dicimus ordinarunt, pro vt ipsi placet vel placuit concedat, & non secundúm merita nostra. Verum quidem est, vt ait Prado quod si loquimur de oblatione speciali & immediata, eo est gratior Deo, quo sanctior & devotior est offerens, vt ait D. Thom. q. 79. art. 5. & q. 82. art. 6.

Inquires 4. An fructus vel effectus sacrificij, possint ab offerente separari? Non loquimur de obligato ad offerendum ex iustitia, qui omnem Missæ fructum, pro conferente stipendium offerre debet, licet de specialissimo fructu sibi correspondente, non sit certum vt suprá vidimus, an possit applicari alteri ; sed loquimur de offerente absoluté, & sic dicuntur duo. Primó : quód ex natura rei, possunt fructus sacrificij separari, ita vt vnus proficiat sine altero, ob subiecti incapacitatem, vt cum offertur pro existente in mortali, prodest illi quo ad vim impetrandi, & non satisfaciendi; & similiter cum offertur pro Beatis, prodest vt impetratorium, & non vt satisfactorium. Secundó : quód etiam ex voluntate sacrificantis possunt illi fructus separari, nam ex vna parte, fructus sunt diversi & independentes ad imbicem ; & alias nequit ostendi, Christum statuisse oppositum; imó eum voluntas Principis, ample debeat interpretari, congruum est, vt Christi voluntas dederit potestatem, tales fructus separandi.

Casus tertius, de loco in quo sacrificium debet celebrari. De S. Uulfrano, hæc Baronius refert, quod nempé cum esset navigationem aggressus, advenit hora celebrandi sacrificium Missæ ; tunc iactis anchoris, navis permanebat immobilis, & S. Pontifice celebrante, Minister illi patenam porrexit, extensaque manu, expectabat horam vt eam susciperet, sed dum eam Minister abluere vellet, in mare ex eius manibus delapsa est, sed finita oratione, imperat Sanctus Ministro, vt manum mittat in eum locum, in quæm cecidit patena, quo facto, ex profundo maris, patena miraculosé, in Ministri manum fuit directa. Huius occasione inquiritur: an in mari, celebrari possit sacrificium Missæ, imitando illius Sancti Præsulis exemplum? Negat Soto, cum alijs pluribus, citatis á Prado ; sed Durandus in ration. cap. 1, num. 41. oppositum sentit, nisi detur periculum effusionis Calicis, & ita refertur exequisse, plures viros doctos & timoratos, celebrando in suis navigationibus ; quod suadet ratio, quia nec adest irreverentia loci, nec prohibitio, qua propter in Lusitania, facta fuit de hoc puncto consultatio, cui adstiterunt viri de rebus nauticis peritissimi, & decretum est, celebrari posse in mare, dum tamen adsit aliquis præter Sacerdotem, qui manu teneat Calicem ne cadat ; & periti rerum nauticarum, cum tempestates, multo antea præsentiant, possunt Sacerdotem reddere securum, quod sanguis non effundetur ; & hoc ipsum resolutum fuit, in celebrioribus Europæ Vniversitatibus, quæ circa rem hanc, fuerunt consultæ.

His addit erudité Lugo, quod si hoc commodé fieri possit, non ommitatur, vt satisfiat Præceptis audiendi sacrum, & communicandi in Pascha, & in mortis articulo, & sit maior observantia legis divinæ, & vitetur otium & pericula maris impediantur; si enim clavus Crucis Christi, á Constantino in mari Adriatico proiectus, illud pacificum reddidit, quod antea non nisi periculosissimé poterat navigari, hoc meliús faciet Sacrosanctum Corpus & Sanguis Domini, quando in mari offeratur in sacrificio ? Advertit tamen ipse Lugo, non esse eandem rationem de triremibus. Túm, quia paucis ab hinc annis, fuit ad hoc facultas á Pontifice petita, & ab eo denegata. Túm, quia triremes, non

sunt

unt ita aptæ vt naves maiores, nec in eis est eadem necessitas, quia frequenter ad terram accedunt, vbi altare in littore erecto, ex ipso mari, possunt Missam audire.

Sed quid dicendum de Ecclesia polluta vel violata? Nomine Ecclesiæ, intelligitur Templum proprié dictum & eius Cæmenterium; vndé Ecclesia strictius summitur ac locus sacer; nam hic dicitur, ille omnis qui destinatur ad vsum Religiosum & pium, vt Monasteria & Xenodochia; hæc enim dicũtur loca sacra quo ad immunitatem, quia favores sunt ampliandi; sed quo ad violationem, solum Templum á summo vsque ad deorsum dicitur Ecclesia, vel locus sacer, quia pœnæ, sunt restringendæ. Ecclesia ergo, polluitur quinque modis, si extet notorietas facti, quod publicé constet. Primó, per homicidium voluntarium, mortaliter malum & iniuriosum, etsi non detur sanguinis effusio. Vndé Ecclesia non polluitur, per homicidium, ob meram defensionem factum; nec si sit casuale, nec si vulnus infligitur extra Ecclesiam, quamvis mors in Ecclesia sequatur, nec si existens in Ecclesia, accidit existentem foris, nec si fit suprá tectum, vt in campanili, vel in cavernis Ecclesiæ, nisi sint capellæ subterraneæ, ad celebrandum deputatæ.

Secundó polluitur Ecclesia, per effusionem iniuriosam sanguinis humani, ita vt vulnus intra Ecclesiam infligatur, sive sanguis effundatur intra vel extra; sed non polluitur Ecclesia, si paucæ gutulæ sanguinis funduntur; nec si effusio sit per iocum, nec ex rixa puerorum, nec in turri vel campanali, & idem de cameris, & sacristia dicit Thomas Sanchez. Tertió polluitur Ecclesia, per notoriam & illicitam seminis effusionem. Vndé non violatur Ecclesia, per effusionem inculpabilem, nec per factam ab amente; nec per effusionem voluntariam, alicuius guttæ seminalis, ob defectum quantitati; nec per copulam coniugalem, factam ob causam iustam, vt est periculum incontinentiæ, ex diuturna commoratione. Quartó violatur Ecclesia, sepeliendo excommunicatum vitandum, & nominatim denuntiatum per sententiam iudicis, vel notorium Clerici percussorem. Quintó violatur Ecclesia sepeliendo Paganum vel infidelem, & etiam puerum non baptizatum, qui saltim negativé infidelis est; nisi moriatur in vtero matris, & sepeliatur cum ea, quia reputatur vt pars ipsius.

Dico igitur: quód per se loquendo, peccatum mortale esset, Missam vel officium divinum celebrare, in Ecclesia sic polluta, nisi priús reconcilietur ab habente potestatem; sic D. Thom. 3.p.q.83. art.3. ad 3. quia hoc cederet in detrimentum sanctitatis Ecclesiæ & Sacramentorum. Sed tamen per accidens in aliquibus casibus, Sacerdos á culpa excusatur, in Ecclesia polluta celebrando; vel si violatio contingeret post inceptum canonem, vt sacrificium perficeretur; vel si esset casus necessitatis, & de licentia Episcopi, vt ait ibi D. Thom. & tanta potest esse necessitas, & difficilis recursus ad Episcopum, vt possit sine eius licentia celebrari, vt si populus in die festo, non habeat aliam Ecclesiam, in qua Missam audire possit. Sic sentit Card. Lugo & Salmant.

Deindé, in Ecclesia execrata, nequit Missa celebrari. Dicitur Ecclesia execrata, quando consecrationem ammittit, ita vt de novo egeat consecrari, vt si destruitur eius forma, & deperditur vsus, quod fit si parietes maiori ex parte destruantur, non verò si solum tectum corruat; nec consecrationem ammittit, si partes destruuntur successivé, & illæ statim reparantur, quia maior pars consecrata, trahit ad se minorem non consecratam; quod verum est, licet decursu temporis, omnis materia Ecclesiæ de novo superveniat; semper enim eadem Ecclesia reputatur, sicut censetur idem populus & communitas, licet eius personæ successivé pereant, & aliæ succedant de novo. Quis autem possit Ecclesiam consecrare & benedicere, illamque violatam reconciliare? Resp. quód consecrare, & reconciliare consecratam, pertinet de iure ad Episcopos; sed tamen Ecclesias solum benedicere, & benedictas violatas reconciliare, possunt Religionum Prælati, vt ex privilegijs Pontificijs constat, de quo Hyer. Garcia, tract.3. diffic.8. punct.5.

Casus quartus: Homo quidam nobilis, oratorium domi habebat, in quo ex privilegio Pontificis sacrum celebrabatur, cum autem ipse esset conscientiæ timoratæ, desiderabat scire, quomodo & quando, posset absque scrupulo aliquo, tali vti privilegio? Materia hæc satis est gravis, pro cuius decisione, authorum doctrinam varijs locis sparsam, summatim perstringemus; ad quod notandum: quód non est sermo de oratorijs publicis, qualia reperiuntur in aliquibus locis, vel xenodochijs eorum, quæ sunt capellæ quædam, cum campana & ianua patente, sed sermo est de oratorijs privatis, in domibus vel angulis earum repositis, quorum vsus, cum privilegium sit speciale á Pontifice concessum, adeo iam vulgaris est, vt in populosis Civitatibus, oratoria particularia, in quadruplum Ecclesias excedant.

Notandum ergo: quód licet antiquitus Episcopi, possent facultatem conferre ad erigenda oratoria privata, hodie tamen ad Pontificem est recurrendum, vt ait Bellarm. & etiam non nulli Pontifices, Nuncijs suis hanc denegant facultatem, vt de se fuit testatus Card. Pancirolus, apud Matritum, anno 1644. Quando ergo Pontifex facultatem concedit, ad erigenda talia oratoria, conditiones has apponere solet, nempé quod locus sit decenter ornatus, liber ab alijs vsibus domus, visitatus ab ordinario loci & approbatus ab eo, quod iuribus Parochialibus non præiudicet, quod possit vna Missa quotidié celebrari, per Sacerdotem Regularem vel

Sæcularem, exceptis diebus Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis, & alijs festis solemnibus anni, vt Epiphania, Anunciatio B. V. festum SS. Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, quibus additur, quod solum famuli illius personæ cui facultas conceditur, possunt in diebus festivis præcepto satisfacere, Missam audiendo in privatis oratorijs.

Ex his colligitur 1. quód alij extranei præter famulos domui servientes, præceptum non implent audiendo Missam in oratorio privato, quia privilegium eos excludit. Secundó: quód etiam domini domus, præceptum non implent audiendo Missam in oratorio sito, in illis solemnitatibus exceptis in privilegio, nisi eos excuset infirmitas, vel vrgens necessitas. Tertió: quód famuli etiam absente domino, possunt in oratorio Missam audire, & præceptum implere, quia gratia fit personæ & nõ assistentiæ. Quartó: quód nomine faraulorum, intelliguntur omnes servitio addicti, sive habitent in eadem domo cum Domino sive non, quia omnes isti, vocantur domestici & familiaris, & privilegium ampliari debet, nisi in eo, aliqua expressa restrictio fiat; sic Tambur. & Pellizar. 5. quód persona cui potest privilegium concedi, debet esse nobilis, id est quod in eius familia, ex parte patris ascendentes, per aliquot generationes, non exercuerint artem mechanicam vel mercaturam.

Videant hæc & iudicent modo, qui habent oratoria privata, an conditiones relatas adimpleant? Fateor quod de oratoriorũ abussu, non rectè sentio. Primó: quia pro nobilibus personis concessa sunt, & nunc gens infimæ sortis oratorium domi habet. Secundó: quia non ea decentia, aliqua oratoria videntur, qualiter maiestati rei agendæ ibi congruit. Tertió: quia etiam nobiles ipsi, privilegium illud nimis extendunt, cum sæpiús nec in diebus illis solemnioribus de quibus fit mentio, ad Templum accedant, cum hoc sit domus Dei & orationis, & ideo debet á fidelibus frequentari; ego quidem oratoria non impugno, dum modo eorum rectus sit vsus; sed quod gens plebeia oratorium domi habeat, vel etiam nobiles, gratiam nimis amplent, Templa non frequentando, nec in solemnissimis diebus, semper ægrè sustinui.

Sed notandum: quód Episcopus etiam titularis, potest in suo Palatio, vel ordinario vel rurali, oratorium erigere, non solum propter ægritudinem, sed etiam propter commoditatem; nam Palatium Episcopi, non est domus privata; sed non potest erigere vnum oratorium pro se, & aliud pro familia, nec post obitum eius, licebit alteri sacrificare ibi, quia privilegium á persona dependet; sed eo vivente, poterit eius familia sacrum audire in oratorio Palatij, & in eo præceptum implere, & etiam alij fideles, nam vt diximus, domus illa non est privata, & sic ad solos familiares, non debet gratia restringi; quæ doctrina affertur á Garcia, Tambur. & Diana; & similiter Episcopi aliquando concedunt, vt in camera domus privatæ, celebrentur Missæ pro præsenti defuncto, si capella non adsit, licet huic concessioni, sæpiús rationabiliter non annuant, optimum enim omnium est Missas in Templo celebrare. De Regularium privilegijs ad altaria portatilia erigenda, Deo dante, alibi commodius agemus.

Casus quintus, de vestibus Sacerdotis celebrantis. Sacerdos quidam, accessit ad Ecclesiam alienam Missam celebraturus & sacras vestes induens, stolamque ante oculos non habens, obliviscitur eam petere á sacristia, & ita sine stola progreditur ad aram & sacrum inchoat; sed tempore Evangelij, observat Parrochus defectum stolæ in celebrante, & illam per sacristam mittit; Sacerdos celebrans miratur & dubitat an teneatur induere stolam, & demum eam collo imponit cum difficultate, non sine circumstantium rumore. Quæritur: quid sentiendum de huiusmodi casu? Resp. quód Parrochus ille, non prudenter egit, stolam celebranti mittendo: nam imprudenter agimus, quando inculpabiliter errantem corrigimus, de re nulli noxia, cum eius & aliorum incommodo, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. & 3. vbi agit de circumstantijs in correctione servandis; illa autem correctio, fuit celebranti gravis, ob publicam eius mortificationem, & etiam adstantibus incommoda, ob eorum distractionem & forté susurrationem & risum, & sic non fuit facta prudenter.

Huius occasione, doctrina de vestibus sacris & earum vsu, in sequentibus proponemus; & quidem Lutherus, ceremoniarium impius exosor, vestimenta Sacerdotalia reiecit; sed illa catholica Ecclesia maximé veneratur, de quo erudité Bellarm. lib. 2. de Missa, cap. 13. & 14. memoriam faciens vestis Sacerdotalis, quam B. V. de Cœlis attulit B. Ildephonso, Archiepiscopo Toletano. Sed circa vestes Sacras, est notatu digna ratio, quam affert D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. dicens: Quod totus exterior cultus Dei, ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reverentia habeant; habet autem hoc humanus affectus, vt ea quæ communia sũt, minus revereatur, & excellentia magis admiretur, quare consuetudo, est vt Reges & Principes, quos opportet revereri, prætiosioribus vestibus ornentur, & pulchriores habitationes possideant; & ideo etiam pro cultu Dei, convenit vt dentur Templa, vasa, & vestimenta decentia, ornata & munda, vt hominum animus, ad maiorem Dei reverentiam alliciatur.

Loquendo autem de vestibus particularibus Sacerdotis, illæ sunt sex, nempé Humerale seu Amictus, Alba seu Tunica, Cingulum, Manipulus, Stola, & denique Casulla seu Planeta, de quarum litterali, & mystica significatione, videndus est

Hye-

Hyeron. Garcia, tract.3. diffic.8. punct. 1. num.3. vsque ad 33. Sine aliqua istarum vestium celebrare, cingulo excepto, per se loquendo, est peccatum mortale, de quo non extat alia solidior ratio, nisi quia vsus, ita rigide interpretatur Canones de his loquentes; sed per accidens & in casu necessitatis, potest celebrari sine vna vel alia veste, sed non sine omnibus, quia rarissimé potest occurrere necessitas ad hoc compellens, nec ad communicandum infirmum, nec ad vitam conservandam, cum contemptu Religionis; si enim hic non intercedit potest Sacerdos excusari, vt si Sacerdoti non valenti acquirere vestes sacras, minetur mortem homo sævus, si non celebrat pro anima suæ vxoris, tunc non posset ad culpam damnari Sacerdos, sine sacris vestibus celebrans, ob tantum periculum evadendum. Diximus, sine vna vel alia veste, id est ex minoribus, vt sunt cingulum, stola vel manipulus, quod de alba & casula, nequit affirmari.

Quo ad formam sacrarum vestium, in esse artificiali, debet esse ministerio, & vsui Ecclesiæ accommodata, in esse autem morali vel spirituali, consistit in benedictione, & ita celebrare sine vestibus benedictis, per se loquendo est peccatum mortale, vt fert communis sensus Doctorum; excusat autem parvitas materiæ, v. gr. in cingulo vel manipulo, & etiam necessitas vrgens; si autem Sacerdos inopinaté Missam celebraret cum vestibus non benedictis, sentit Diana, illas benedictas remanere, licet oppositum dicant Fagundez, & Machado, quod verius est, de quo vid. suprá diffic.8. in principio. Quisnam autem sacra paramenta Sacerdotalia potest benedicere? Resp. quód ex iure & consuetudine, hoc pertinet ad Episcopos, vt ait D.T. in 4. dist.24. q.3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. ex privilegio autem, possunt vestes sacras benedicere Religionum Prælati, & hoc concessit Leo.X. Prælatis Ordinis Prædicatorum, die 22. Novembris, anni 1513. in Bulla quæ incipit: cúm inter cæteros &c.

Vestes autem prædictæ benedictionem ammittunt, quando ità franguntur & lacerantur, vt non possint iterum suo vsui deservire, & ideo si albæ detrahuntur manicæ & apponuntur aliæ, debet iterum benedici, quod non est idem de cingulo fracto, cuius partes fractæ, & iterum annexæ, possunt æqué deservire; si autem casulam per tergum iterum suffulcias tota suffultura benedicta manebit, quia trahitur á digniori parte iam benedicta, quod si ex alba, fiant amictus, vel ex casula manipuli, oportet hæc iterum benedicere, quia in veste priori, non habebant horum benedictiones. Sed an ex albis detritis, possint amictus vel superpellicea confici? Resp. affirmativé; nam res sacræ, per vsum attritæ, solum prohibentur applicari ad vsus profanos, superpellicea autem vsui sacro deserviunt.

Casus sextus, de altari ad sacrificandum requisito. Parrochus quidam, in ara lapidea consecrata celebrabat, sed illa nimium demissa fuit, qua propter, super ipsam tabulam posuit, quæ aræ altitudinem faceret, & sic sacrum faciebat dicens, quod sufficiebat, vt sacrificij vasa & materia, contingerent moraliter aram. Quæritur: quodnam iudicium ferendum, de huiusmodi facto? Resp. quód illud factum Parrochi, nullatenus approbari potest. Túm, quia sic celebrans, non posset esse certus, de eo quod Hostia & Calix, super aram reposita sint, nec quod illam saltim mediaté contingant. Túm, quia alias, frustra laborarent Theologi in asserendo, altare debere esse ita latum, vt capiat, saltim dimidiam partem Calicis & patenæ; & demum, quia communis Ecclesiæ vsus, videtur illam praxim reprobare, nam celebrando modo dicto, non diceretur quis suprá aram celebrare, sed iuxta illam.

Sed vt hæc intelligantur plenius, apponimus hic doctrinam de altari necessario ad Missam celebrandam; altare igitur, ab altitudine dicitur, & idem est, ac alta ara, quod aliud est fixum & stabile, cum scilicet totus lapis formans altaris mensam consecratus est, aliud portatile seu viaticum, quod est parvus lapis, continens in se foramen cum consecratione & signo suprá posito, & talis debet esse longitudinis & latitudinis, vt capiat in eo pars Calicis, & Hostia consecrata. Tale altare; debet esse lapideum, vt ait D. Thom. ad significandum Christum, qui per petram figuratur, & in sepulchro lapideo repositus fuit; quod si in veteri lege aureum erat, hoc est quia solum erat vnicum, sed apud nos plura sunt altaria, & sic debent fieri ex materia communi.

An autem altare hoc portatile, confici possit ex duobus lapidibus, imbicem colligatis, qui possint claudi & aperiri instar libri, vt in vno collocetur Hostia, & in altero Calix? Affirmant aliqui, cum Vazquez, Fagundez, & Lugo, quia vnitas altaris, non debet esse naturalis, sed artificialis & moralis, quæ reperitur in duobus lapidibus sic connexis; sed alij cum Prado, probabilius sentiunt oppositum, quia est contra vniversalem Ecclesiæ vsum, & contra mysterium significationis Christi, in quo solum est vnica persona. Debent etiam in altari, aliquæ recondi reliquiæ, & licet hoc præceptum reliquias apponendi iam cessaverit, vt ait Lezana, ex multitudine altarium & paucitate reliquiarum, sed ad Prælatos Ecclesiæ, pertinet providere de hoc, si commodé fieri potest, vt pia & laudabilis consuetudo, in Ecclesia perseveret.

Deindé, altare hoc, debet esse consecratum ab Episcopo, cui ex iure concessa est hæc potestas, vt ait D. Thom. in add. 3.p. q.40. art.7. Sed an alij Prælati præter Episcopos, possint altaria consecrare? De Abbatibus hoc est probabile, & constat ex Decret. Innoc. VIII. concedentis hoc privilegium, licet aliqui cum Lezana, & Rodriguez asserant,

illud

illud esse revocatum. Dato autem, quod tale privilegium modo subsisteret, non communicatur alijs superioribus Regularium, est enim propia Abbatum, vt pote habentium Pontificialium vsum, quod alijs superioribus non competit; sed tamen in locis remotis, vbi non possunt adire Catholici Episcopi, possunt Prælati Regularium altaria consecrare, id enim concesit Leo. X. Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus Inter indos degentibus, & etiam Paulus III. idipsum concessit Patribus Societatis Iesu, ibidem habitantibus; sola autem Pontificis authoritate, potest simplici Sacerdoti consecratio altarium committi, quia illa specialiter ad Episcopos pertinet.

Quo ad execrationem altarium, notandum est: quód altare portatile execratur, vel ammittit consecrationem, quando confractum est in duas partes, minores quantitate capaci ad sustinendum Calicem & Hostiam si autem pars fracta sufficiens sit capere hæc, consecrationem retinet, licet pro vitando periculo effusionis sanguinis, fragmento illi, alia materia addatur; etsi vtraque pars seorsim sufficit ad Ministerium, ambæ consecratæ manebunt ex prima consecratione totiús aræ, posita divisione vtriusque, tanquam conditione: An verò pluribus Hostijs consecratis, quas altare non capit, possint extra illud in corporali collocari? Resp. negativé cum Lugo & Garcia, quia licet Sacerdos, solum Hostiam præcipuam sit sumpturus, ipsa tamen simul cum alijs, vnam victimam constituunt, & per modum vnius consecrantur. Alia de consecrat. altar. plura & pulchra, videantur in D. T. 3.p. q.83. art.3. ad 3. & 4.

His breviter subiungimus, quod ad ornatum altaris, & ad sacra vasa pertinet; & quo ad ornatum requiruntur sequentia. Primó, tres pallæ, seu tobaliæ lineæ, etsi hodie ob consuetudinem vel necessitatem, solum vnicum linteum super altare reponatur. Secundó, requiritur corporale, & qui celebraret sine illo peccaret graviter, vt ait D. T. loc. proximé citato ad 8. corporale autem, aliud est maius, aram cooperiens, aliud minus, operiens labium Calicis, quod vocatur communiter, *bijuela*, & vtrumque debet esse lineum non sericum, nec auro elaboratum, saltim ea parte, qua Calicem & Hostiam tangit; insuper debet esse benedictum vel ab Episcopo, vel ab aliquo Regulari Prælato. Horum corporalium contactus, solum licet ordinatis in sacris, quamvis ex privilegio, illa possint contingere mendicantes, sacristæ officio fungentes omni ordine destituti, vt autem mundentur, priús debent per Ministros altaris lavari, & lotio in piscinam proijci, postea tamen possunt mulieribus, præcipué virginibus traddi, ad vltimam lotionem, in qua illæ possunt mereri, quia ad maiorem sacrorum munditiam cooperantur, vt Cayet. ait.

Tertió, requiritur purificatorium linteum, ad Calicem & digitos abstergendos, sed illud non requiritur quod sit benedictum, nec id notatur in rituali. Quartó requiritur, duplex candela accensa, ex cera formata; quod adeo est verum, vt si omne lumen extingueretur ante consecrationem, & aliud non posset inveniri, Missa esset relinquenda, etiam in necessitate conferendi viaticum infirmo, sed si hoc contingat post consecrationem, debet continuari, vt perficiatur sacrificium; vndé Sacerdotes, si aliquando extinguuntur candelæ in medio Missæ, sistant, quovsque reaccendantur. An autem celebrare cum lumine ex oleo vel adipe, esset peccatum? Resp. quód si absit scandalum vel contemptus, peccatum non est, necessitate vrgente, sic Homobonus, Bauni, Diana, & Prado. Quintó requiritur liber Missalis, sine quo celebrare, esset per se mortale, ob periculum ommitendi aliquid, licet per accidens, si esset necessitas, & memoria Sacerdotis tenax & firma, posset sine Missali celebrare. Sextó requiritur Crux, ob memoriam Dominicæ Passionis, quæ in Missa repræsentatur, vt ait D.T. opusc.55. quód verum est, etiam in altari, vbi est Sacramentum expositum, quia potest esse simul figura cum figurato, vt cum post consecrationem, remanet in Hostia imago Crucis, & idem est de altari, cuius titulus est, imago crucifixi.

Deindé, circa vasa sacra, requiritur Calix & patena, quæ debent esse aurea vel argentea, non vitrea, nec lignea, & qui consecraret in his, mortaliter peccaret, de quo S. Bonif. Episc. & Mart. in Concil. Tribur. Can.8 hanc circa Sacerdotes miram protulit sententiam: quondam Sacerdotes aurei, ligneis Calicibus vtebantur, nunc é contrario, lignei Sacerdotes, aureis vtuntur Calicibus. Hæc vasa debent esse ab Episcopo consecrata: quód etiam ab Abbatibus benedictis posse fieri, probabile est. Non requiritur, quod totus Calix sit aureus vel argenteus, sed solum cuppa; an verò hæc, possit esse ex stanneo vel cupro, intus deauratis? Affirmant plures cum Lugo; sed D. Thom. oppositum tenet in 4. dist.13. q.1. art.2. quæstiunc. 5. ad 4. & idem dicendum de patena: In his ammittitur consecratio, si redduntur ad ministerium inepta, ob foramen vel quid simile, non verò si in Calice pes tornatilis separetur á cuppa, nec si in vtroque ammittatur deauratio, sed si denuo deaurentur, egent nova consecratione, sic sentiunt Salmant. cum pluribus citatis ab eis.

Casus septimus, de ceremonijs Missæ. Quidam Sacerdos, dum Missam de B.V. celebrabat, & proferebat: Gloria in excelsis, ad illa verba: Tu solus Sanctos, addebat: Mariam sanctificans, tu solus Dominus, Mariam gubernans, tu solus altissimus, Mariam coronans. Quæritur: quid de hoc sentiendum, & similiter de illis omnibus, qui verbis & rubricis Missalis, aliquid detrahunt vel addunt? Notandum: quód contra rubricas, peccari potest, mul-

multis modis,nempé,addendo, demendo, transponendo, corrumpendo, interrumpendo, & substituendo voces sinonimas. Tunc autem peccatum est grave, quando opponitur rubricis præceptivis, nisi excuset parvitas materiæ, vel inadvertentia, si autem opponitur rubricis puré directivis, grave non erit, nisi hoc fiat ex habituali negligentia, ita vt moraliter censeatur alter ritus, ab eo qui præscribitur in Missali,quod non sine animi dolore intuemur quotidié, de quo D. Thom. q. 83. art. 5. per totum.

Vniversis autem celebrandi modus, præscribitur á Gavanto,tit.11.num.13. in illis quatuor litteris. A. B. C. D. id est, alte, breviter, clare, devoté. *Alte*, sed voce mediocri, vt exaudiri possit, non per extrema vt strepitu vociferando,vel etiam tenui sono,vtrumque enim in aliquibus video,qui forte illas quatuor litteras ignorant. *Breviter*, nec nimis prolixe, nec nimis festinanter; sacrum enim non est celebrandum more venatorio, quasi aliquis á tergo stimulo vrgeret,sed graviter signa formando, & dimidiam horam consumendo in sacrificio. Miratus sum enim millies,de pluribus mecum eodem tempore celebrantibus, & cum ego adstantibus non sim gravis,in dimidio tempore meæ celebrationis, suam finierunt; de quo si pro dignitate loquuturus forem, amarissimé deplorarem. Videatur Epistola Venerabilis Didaci Yepes, Episcopi Tirasonensis, apud Garcia, tract 3. diffic. 8. dub.6. punct. 1. num. 10. vbi de hoc lamentatur amare. *Clare*, id est distinctè omnia pronuntiando, nec deglutiendo syllabas, nec devorando. *Devoté*: hoc est cum fervore, & actibus internis pietatis. De quo audiant Sacerdotes,miram D Bern. sententiam, lib. medit. cap. 8. Magnam iniuriam Deo facio, cum deprecor vt meam precem exaudiat, quam qui fundo, non audio; deprecor illum, vt me audiat & mihi intendat, & ego, nec illi,nec mihi intendo;quod si de omni oratione verum est, quanto magis de illa, quæ fit in sacro altaris ministerio?

Hæc attinent ad ceremonias in generali;aliæ sunt speciales, sed specialissima illa, quæ in Ordine nostro in praxi est, nempé Sacerdotes manu sinistra communicare, de qua cum occurrat modo, non incongruum erit reddere rationem; circa quod, Abraham Bzovius, tom.14. anno 1313. agens de obitu Imperatoris Henrici, cap.6. ait hæc: aliquis male feriatus Lubicensium Cronographus,orco sepultam calumniam, perpetuoque igni damnatam imposturam, atro in Prædicatores calamo, ex inferni cinereo evocans, maiori insciția quam conscientia mentiebatur, pœnitentiæ & satisfactionis loco Prædicatoribus datum, vt sinistra Eucharistiam celebrantes recipiant. Sed expressiús de hoc loquitur M. Fr. Hyacintus Coquetius, in libro cuius titulus. Sancti Belgij, Ord. Præd. cap. 27. §.5. vbi habet verba sequentia.

Quis hic, impiam, & authore diabolo cusam calumniam silere potest, qua Dominicanis, æterno opprobrium dignum flagitium, mortem scilicet Henrici Cæsaris,obiecerunt olim nefarij quidam? Summa criminis est: Bernardum quændam Politianum, Ordinis Prædicatorum, á Florentinis Cæsari offensis subornatum, pactis quadraginta millibus florenorum, Henrico cui á confessionibus erat, exitium attulisse, cum ipso Assumptæ Virginis Deiparæ festo pijssimo Principi, atque ex Religione divinis mysterijs communicanti, Hostiam veneno delibutam porrexit: calumniam dixi, quæ scilicet toto orbe,apud bonos, æquosque arbitros, iam pridem laruam posuit, vt nullis Dominicanæ innocentiæ vindicijs, opus sit. Quód si eadem & maiori elegantia, vis hoc somnium & phantasiam pulsam, lege Nicolaum Serarium, ex Societate Iesu,lib.5.rerum Moguntiacarum; Dominicanis enim sat est,has & similes iniurias patienter sufferre, sæculo præterito & nostro.

Veniamus iam ad rationem ceremoniæ nostræ, cuius occasione, facta est digressio;pro cuius ratione mystica facit, quod ait D. Thom. ad Gal. 1. Lect.1. dicens. quia præsens vita, figuratur per sinistram futura verò per dexteram, ideo Petrus qui vocatus fuit á Christo,in carne mortali posito,ponitur in Bulla Papæ, in sinistra parte; Paulus verò, qui vocatus fuit, á Christo iam glorificato, ponitur in parte dextera. Quare, vt notat Nebrisens. quando duo incedebant olim simul, senior ad lævam erat, quasi hæc esset dignior & honoratior; ideoque Prædicatores ad hoc insinuandum,á principio instituerunt, sinistra manu communicare; maximé cum privilegium hoc, fuerit Ordini Prædicatorum concessum, ob devictam ab eius filijs Berengariam Hæresim, contumeliam sacræ Eucharistiæ facientem; & pro huius mysterij strenua defensione,B.Ioannes de Colonia ex Ordine nostro, post immania tormenta,obtinuit Martirij palmam.

Alteram huius sacræ ceremoniæ rationem reddit,celebris declamator divini verbi Leonardus de Vtino, ex Ordine nostro, qui anno 1440. floruit; in serm. enim 42. quadragesimæ,in parte secunda, hæc ait: Propterea nos,Fratres Prædicatores,communicamus cum manu sinistra, quia in ea parte est cor; & etiam quia manipulus, qui designat indivisibilem colligationem, cordis nostri cum Iesu Christo, ponitur in manu sinistra :: Ratio autem litteralis, est ista. In principio Ordinis nostri, insurrexit quædam hæresis, asserens non esse verum corpus Christi in altari,nisi quandiu elevatur; ordo autem prævaluit contra hanc hæresim, miro modo illam confutando,in cuius signum, datum est Ordini nostro, vt in Missa, post agnus Dei, ante comunionem, tenerent fratres Hostiam elevatam super Calicem,vt sic adoraretur ab vniverso populo, tanquam verum corpus & sanguis Christi; ex

quibus omnibus constat, ratio huius singularis ceremoniæ nostræ.

Casus octauus, de reductione Missarum. Sacerdos quidam obtinuit Capellaniam, cuius annui redditus erant centum scuta, illi tamen ob temporum calamitatem, sunt diminuti, ita vt fere dimidia eorum pars, absque Capellani culpa, fuerit deperdita, cum tamen onus Missarum sit excessivum, cum redditibus collatum, & ij maximis laboribus egeant, vt recipiantur á debitoribus, & præterea ex eisdem diminutis redditibus, portio consumitur in pane vino, & lumine pro celebratione, quæ omnia Capellanum maximè gravant. Quæritur: an Missæ ad quarum celebrationem obligatur, possint réduci ad minorem numerum, & quis potestatem habeat ad huiusmodi reductionem faciendam? Casus frequentissimus est, & quotidiè consultus, pro cuius resolutione, authorum doctrinam apponemus.

Et in primis certum est: quód integro manente stipendio pro Missa taxato, nec etiam Papa ipse potest Missarum numerum reducere & minuere, nisi ad hoc detur rationabilis causa; quia Papa, non potest in præiudicium tertij, alteri temporalia concedere, nec ab obligationibus naturalibus, sine rationabili causa liberare, quia diuinæ & naturalis legis, non est Dominus, sed dispensator, nec potestatem habet in destructionem Ecclesiæ, sed in eius ædificationem, sicut nec habet dominium rerum temporalium hominum, & contractuum humanorum; si veró detur causa rationabilis, potest hoc concedere, sicut etiam cum adest causa, potest obligationem voti relaxare; censetur autem rationabilis causa, dum aliud non constat, si Papa hoc concedit, vel in eo dispensat; nam vt ait Suarez, potest Pontifex ex Thesauro Ecclesiæ applicare, quicquid satisfactionis in eo casu minuitur, his qui stipendia Missarum reliquerunt.

Cúm autem Decretum Tridentini, circa materiam reductionis Missarum, sit dicendorum fundamentum, illud apponimus hic, quod habetur Sess. 25. cap. 4. & sic ait: contingit sæpé in quibusdam Ecclesijs, vel tám magnum Missarum celebrandarum numerum, ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus, á testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis, adeo tenuem esse, vt non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subijcere; vndé depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur; Sancta Synodus, cupiens hæc, ad pios vsus relicta, quo plenius & vtilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia, in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire, ita tamen; vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ea, ad pios vsus reliquerunt.

Ex huiusmodi Decreto Concilij habetur: quód Episcopi in Synodo, & Generales Ordinum in suis Capitulis, numerum Missarum reducere possunt; sed vt asserit Andr. á Mat. Dei, fieri potest talis reductio ab Episcopis, sine Synodo, si stipendium est exiguum, habita ratione oneris Missarum, quia Synodus, non requiritur ad substantiam reductionis, sed ad eius solemnitatem, vt maturius & consultius fiat, & sic in praxi, extra Synodum fit reductio, de consilio virorum prudentum & timoratorum, qui Synodo æquivalent; pro quo ipse citat authores plures, tract. 15. cap. 7. Punct. 5. §. 4. & idem ait Prado, q. 83. dub. 14. §. 2 num. 14. Prælati autem Regulares, cum pro eis statuat Concilium ius novum, non poterunt reductionem facere, nisi in Capitulis Generalibus, & illi Prælati, debent esse Generales, & non Provinciales, vt cum multis ait Lezana, verbo Missa, num. 30.

Fateor tamen, ait Prado ibi, num. 19. consuetudine posse Provinciales, distantes ab Italia, acquirere iurisdictionem ad reducendas Missas, eo modo quo consuetum fuerit in ea Provincia, quod etiam faciunt Episcopi, sicut videmus in Italia, pro alienatione rerum Ecclesiasticarum, requiri licentiam Generalis & Sacræ Congregationis, & tamen in Hispania, propter distantiam ab Vrbe, non est in vsu, pro alienatione exigere licentiam Generalis, aut Sacræ Congregationis; sicut ergo in alienationis forma, standum est legitimæ consuetudini, ita in Missarum reductione, sed re diligenter perspecta, vt Concilium ait. Hæc asserit Prado; sed re vera, Provincialis Aragoniæ in Ordine nostro, talem reductionem non facit, sed ad Sedem Apostolicam fit recursus, licet aliqui sentiant, quod etiam Episcopi hanc potestatem reducendi Missas habent in Monasterijs Regularium, si velint recurrere ad illos, de quo Prado, num. 25. Vndé manet: quód Episcopi in suis Diœcesibus possunt Missas ad minorem numerum reducere, facta collatione Missarum, cum redditibus dimminutis.

Sed contra hoc, obstat non levis difficultas, ex eo procedens, quod ius hoc reducendi Missas, collatum est Episcopis, ex citato Decreto Tridentini, sed tamen postea hæc facultas revocata est, in Decreto expedito per Vrbanum VIII. die 21. Iunij, anno 1625. quód cum supplicationibus, & dubijs propositis, & responsione per Sacram Congregationem collata, affertur á Garcia, tract. 3. diffic. 10. dub 2. ibi enim districtè præcipitur, ne de cætero Episcopi nec Prælati, Missas reducant absque recursu ad Apostolicam Sedem, alias reductiones annullat.

nullat. Sed ad hoc resp. 1. quód tale Decretum Vrbani, non est in Hispania receptum vsu, quod multis probat And. á Matre Dei loco citato, §. 1. per totum, & M. Prado, dub. 13. §. 2. vbi concludit: sicut mihi omnino falsum videtur, quod quo ad totum, Decreta hæc non sint in Hispania recepta. tamen quo ad plures articulos, præcipué diminuentes potestatem quam Dominis Episcopis contulit Concil. Trident. ad reducendum numerum Missarum, video passim, absque scrupulo, propter distantiam & alia inconvenientia, ad Romanam Curiam non recurri, & factum tot gravissimorum Præsulum, reprobare non audeo, quia leges infirmantur moribus vtentium, & non receptæ, vel consuetudine abrogatæ, non obligant.

Secundó dicitur: quód diminutis redditibus, duplex est modus reducendi Missas, primus est authoritativus, seu per dispensationem & in hoc sensu, loquuntur Decreta Tridentini, & Vrbani VIII. & sic solus Pontifex, & qui habet facultatem ab eo, Missas reducere possunt; secundús est, ex iustitia & æquitate, quæ non patitur vt Sacerdos faciat gratis, vel minori prætio, quod faciendum suscepit stipendio iusto, & sic non requiritur potestas Papæ, ad Missas reducendas. Nec hoc est mutare testatoris voluntatem, sed statuere iustitiæ medium, ille enim noluit cogere Sacerdotem, ad celebrandum gratis, vel stipendio minori, eo quod assignavit á principio; sicut enim recta iustitiæ ratio petit, vt redditibus omnino extinctis, etiam extinguatur omnino Missarum obligatio, ita etiam petit, vt parte illorum deperdita absque culpa celebrantis, dimminuatur numerus Missarum, cum eadem sit proportio totius ad totum, sicut partis ad partem. Nec hinc sequitur, quod ipse Sacerdos particularis, possit Missas á se celebrandas minuere ex iustitia; quia nemo in propria causa, potest esse iudex rectus & circumspectus, & sic debet ad legitimum superiorem recurrere.

Vt autem scrupulis occurratur in Missarum reductione, maximé præ oculis habenda sunt verba Concilij dicentis: quód reductis Missis, eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui legata reliquerunt; vndé rectum consilium est, in quacumque hebdomada, Aniversarium vel officium defunctorum celebrare, & applicare suffragia communia pro defunctis, vt si forté, aliquid eis per reductionem fuerit defraudatum, hac alia via cõpensetur. Deindé, possunt illis defunctis, tot Missæ ex charitate applicari, quot de Missis suis fuerint reductæ; nam Missa æqué proficit ei cui ex charitate applicatur, ac illi cui applicatur ratione stipendij, & ex contractu iustitiæ; illa enim, est instar candelæ, accensæ, quæ tám vni, quám pluribus lumen participat; stipendium enim Missæ, non datur vt prætium, sed vt Ministri sustentatio, nec taxatur ex æqualitate, sed ad sedandam Ecclesiasticorum avaritiam, & sic, dum tantum vnicum accipiatur stipendium, pro applicatione ex iustitia, potest Missa pro pluribus ex charitate applicari, & omnibus æqué prodesse; de quo vid. casus 1. suprá positus in hoc articulo.

Reflexio: Doctrina hucusque traddita, robur accipit ex Decretis Summorum Pontificium, in quibus aliquæ propositiones condemnantur; speciales autem, quæ ad præsentem materiam de Eucharistia pertinent, sunt sequentes. Prima est in Decreto Alexand. VII. & in ordine octava, dicens: Duplicatum stipendium, potest Sacerdos, pro eadem Missa, licité accipere, applicando petenti, partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem. Secunda est in eodem Decreto, in ordine nona, dicens: Post Decretum Vrbani VIII. potest Sacerdos, cum Missæ celebrandæ tradduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta. Tertia est ibidem, in ordine decima, quæ dicit: Non est contra iustitiam, pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. Quarta est ibidem, & in ordine 38. dicens: Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ex necessitate sacrificanti cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum. Quinta ibidem, in ordine 39. dicens: Illa particula quam primum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore conficetur. Sexta est in ordine 43. dicens: Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos.

Septima est in Decreto Innoc. XI. & in ordine 29. dicens: Vrgens metus gravis, est causa iusta, Sacramentorum administrationẽ simulandi. Octava est ibidem, & in ordine 55. dicens: Præcepto communionis annuæ satisfit, per sacrilegam Domini manducationem. Nona est ibidem, & in ordine 56. dicens: Frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. Decima est in Decreto Alex. VIII. & in ordine 22. dicens: Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Vndecima est ibidem, & in ordine 23. dicens: Similiter arcendi á sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. Hæc omnes propositiones damnatæ atque reprobatæ manent in prædictis Decretis, quas cum nos etiam inscriptis reprobemus, sic nostræ Doctrinæ robur adijcimus, & his, Tractatui de Venerabili Sacramento Eucharistiæ, finem damus.

QVÆ;

QVÆSTIO QVINTA,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Doctrinæ Summa.

POENITENTIA, secundúm nominis Ethymologiam, idem sonat, ac pœnæ tenentia, & sic pœnitere iuxta D. August. est idem, ac pœnam tenere. Dicitur etiam secunda tabula post naufragium; nam vt ait D.T. q. 85. art. 6. sicut primum remedium mare transeuntibus, est vt conserventur in navi integra, secundúm autem remedium est, post naviu fractam, vt quis tabulæ adhæreat, ita primum remedium in mari huius vitæ, est quod homo integritatem servet, secundúm autem, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam reparet. Deindé vocatur pœnitentia, Baptismus laboriosus, ob dolorem & rigorem satisfactionis quæm exigit, vt ait Trident. Sess. 14. cap. 2. Alia etiam plura nomina, pœnitentia habet, nempé mysterium reconciliationis, medicina, remedium, indulgentia, remissio, crucifixio hominis interioris, cordis confractio & comminutio, de quibus SS. PP. sæpiús faciunt mentionem.

Dupliciter autem sumitur pœnitentia; primó vt virtus, & sic diffinitur: Præterita mala plangere, & plangendo iterum non committere; secundó vt Sacramentum, & sic habet duplicem diffinitionem, vna metaphysica, nempé: Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ remissivæ peccatorum, post Baptismum commissorum. An autem peccata commissa in actuali susceptione Baptismi, auferantur per pœnitentiam? Man t attactum suprá; & iterum infrá explicabitur. Alia est diffinitio physica pœnitentiæ, nempé: actus pœnitentis sub præscripta verborum forma, cum proposito confitendi. & satisfaciendi. Materia pœnitentiæ, alia est proxima, nempé actus pœnitentis, alia remota necessaria, scilicet peccata mortalia non dum confessa, alia voluntaria, nempé peccata venialia, & etiam mortalia iam confessa. Nec ideo peccata concurrunt ad sanctificationem hominis, quia solum sunt materia destruenda.

Sine pœnitentia autem, vel contritione illam includente, nequit peccatum remmitti, quia ad hoc requiritur, hominem converti ad Deum, á quo fuit per peccatum aversus. Nec propter hoc, homo qui alteri sine pœnitentia parcit, est benignior quam Deus; nam Dei benignitas, consistit in mutatione voluntatis nostræ, quam homo facere non potest. Contritio forma iustificans non est; & quia solum est dispositio ad iustificationem, vt ait Trid. & quia illa est aliquid transiens forma verò iustificans, debet esse permanens, & habere rationem naturæ, & radicis donorum supernaturalium. Contritio est in præcepto, tanquam medium ad salutem necessarium; sed illud non obligat in actu secundo, statim ac peccatum committitur; obligat tamen, non solum in articulo mortis, sed etiam aliquoties in vita, nam qui non curat de pace habenda cum Deo offenso, censetur illum contemnere.

Actus pœnitentis, qui sunt materia proxima pœnitentiæ, sunt contritio, confessio & satisfactio. Contritio est: dolor de peccatis propter Deum summe dilectum; & vt est pars pœnitentiæ, vteriús habet, quod sit cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Contritio est summa dilectio Dei, non intensivé, sed appretiativé, id est quod Deus magis æstimetur, quam omnia bona, & quod pro illo paratus sit homo, ad sustinenda omnia mala. Attritio est: dolor imperfectus de peccatis, propter pœnas inferni, vel ammisionem gratiæ vel gloriæ; & non sufficit quod illa sit naturalis, nam est dispositio ad gratiam, & dispositio debet esse in eodem ordine, cum forma ad quam disponit. Quomodo autem motivum attritionis est supernaturale? Dicitur: hoc esse, quatenús quis per fidem cognoscit iustitiam Dei punientis. Contritio & attritio conveniunt in destruendo peccato & in supernaturalitate; sed differunt in eo, quod contritio est dolor perfectus, & iustificat se sola, attritio verò, est dolor imperfectus, & solum iustificat iuncta cum Sacramento.

Secundús actus, est confessio, quæ est: actus per quæm, morbus in anima latens aperitur, sub spe veniæ; & illa quatuor conditiones requirit, nempé quod sit vera, integra, lachrimabilis, & obediens. *Vera*, id est, omnia peccata veré manifestans; ne gare autem in confessione aliquod veniale, si alia sit materia, non est mortale; sed tamen f lso sibi veniale imponere, si illud sit materia totalis, est mortale, quia Sacramentum sit nullum; si autem detur alia materia, solum est veniale, quia confessor,

non

non decipitur in re gravi ; negare autem mortale non confessum , est mortale & pessimum sacrilegium;imponere veró sibi mortale, peccatum mortale est , nisi bona fides excuset. *Integra* quo ad mortalia, nunquam rité confessa , dicendo species, numerum & circumstantias peccatorum ; sed hæc integritas, non debet esse materialis & physica, sed formalis & moralis ; etsi quis certi numeri peccatorum non recordetur, dicat: Toties peccavi, plus minusvé , ad quod requiritur , quod additum vel diminutum,tertiam partem non excedat, vt parum plus quam viginti , sunt viginti sex , & parum minus,duodecim.

Sed tamen , aliquando licet dimidiare confessionem, nam cum præceptum de eius integritate materiali, sit affirmativum , non obligat pro semper, & potest ex vrgenti causa prætermitti ; hæc autem vrgentes causæ,sunt plures. Prima: si infirmus imminente morte, non habet tempus confitendi omnia peccata , vno audito , potest absolvi. Secunda tempore pestis, naufragij, belli vel incendij subiti, potest dimidiari confessio, vt Minister alijs succurrat. Tertia : si ægrotus incipit dicere peccata , & differt in crastinum quia fatigatur, & tunc invenitur sensibus destitutus , potest absolvi , quia confessio est formaliter integra. Quarta: si ex integra confessione , timetur damnum grave proprium vel alienum, & datur necessitas confitendi,& non extat alius confessor , quia tunc pœnitens , censetur moraliter impotens , ad confitendum illud peccatum. An veró pœnitens , ob confessionis integritatem , possit complicem sui peccati manifestare? Explicabitur infrá.

Lachrimabilis, hoc est,non cum lachrimis sensibilibus & externis, hæc enim vt ait D.T. potius mitigant dolorem quam augeant ; sed cum dolore & displicentia peccatorum , cum proposito efficaci, de cætero non peccandi ; dicitur efficaci , quia debet apponere media ad emendationem culpæ;hic autem dolor , non debet confessionem præcedere, sed sufficit vt eliciatur in ipsa confessione,vel tempore absolutionis , hoc enim sufficit , vt confessio habeat rationem accusationis,& non simplicis narrationis. Quando autem Pœnitentiæ Sacramentum, possit esse validum & informe ex defectu doloris, infrá dicetur. *Obediens* hoc est , subijciendo se confessarius in acceptanda pœnitentia , in cavendis occasionibus peccatorum, & in omnibus alijs exequendis, quæ á confessore iniunguntur , & iuxta eius iudicium, pœnitens facere tenetur.

Tertius actus, est satisfactio , quæ est compensatio iniuriæ alteri facta , secundùm æqualitatem rei ad rem, vt autem est pars Sacramenti, est: compensatio Sacramentalis facta Deo,propter peccata confessa. Illa non est pars essentialis pœnitentiæ , sed solum integralis , quia Sacramentum confert gratiam , ante impletam satisfactionem ; confessarius autem,tenetur sub mortali imponere pœnitentiam, licet in articulo mortis possit non imponere , vel saltim levem, aut gravem sub conditione quod infirmus convalescat. Qui pœnitentiam implet in mortali,satisfacit, quia in præceptis humanis, præcipitur opus, & non modus. Pœnitentia , alia est satisfactoria, quæ satisfacit pro peccato, alia medicinalis, quæ præservat á peccato futuro , vt pœnitentia opposita culpæ;& notandũ est in imponenda pœnitentia , quod illa sit proportionata culpæ , & illi oppositæ;proportio attenditur,ex qualitate culpæ, & dispositione personæ; oppositio veró , ex eo quod sit culpæ contraria , vt ieiunium pro peccato luxuriæ , eleemosyna pro peccato avaritiæ , &c. & pœnitens , tenetur satisfactionem acceptare , quia operatur vt reus, ex mandato legitimi iudicis.

Forma Sacramenti pœnitentiæ, sunt illa verba: ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, &c. Probabile est,quod pronomen *ego*, non est de essentia formæ , quia iam includitur in verbo, *absolvo* , licet post primam propositionem ab Innocent. damnatam , mortale esset illud prætermittere. Pronomen *te* , est de essentia formæ, quia sic habetur in Trident. sed particula : *ab omnibus* de essentia non est, quia in Sacramento, non remittitur vnum peccatum sine alio ; particula *à peccatis tuis*,probabile est de essentia non esse,quia de illa non meminit Trident. de quo agemus infrá, sed mortaliter peccaret illam ommitens,propter primam illam propositionem damnatam. Forma deprecativa,vt absolvat te Deus, non est sufficiens , quia absolutio est conferenda , per modum sententiæ iudicialis. Absenti,nequit absolutio conferri per scriptum vel internuntium,quia sic exponitur periculo fractionis sigilli,& oppositum,damnatum est á Clemente VIII. Absolutio debet denegari. Primó : si pœnitens Doctrinam Christianam ignorat. Secundó:si peccatum tacuit ex verecundia,& fecit confessionem sacrilegam,quovsque rectè disponatur. Tertió: si est ligatus censura, & non habet privilegium. Quartó : si est in occasione proxima voluntaria peccandi , quia tunc, non accedit rectè dispositus.

Demùm requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, Minister, qui debet esse Sacerdos proprius. Quid autem intelligatur per proprium Sacerdotem ? Infrá dicetur. Huius Ministri conditiones sunt , potestas, scientia,prudentia, bonitas, & sigillum. *Potestas*, non quidem solius ordinis, sed etiam iurisdictionis, sive illa sit ordinaria vt in Prælatis, sive delegata, sicut in alijs; in articulo mortis, quilibet Sacerdos potest absolvere, ab omnibus peccatis & casibus reservatis. Confessor eligibilis etiam virtute Bullæ,non sufficit quod sit á quocumque ordinario approbatus, sed ab ordinario pœnitentis , sic enim novissimè decretum est á Clemente XI. De Reservatione casuum,& potestate ad absolutionem

eorum, infrá dicetur. *Scientia* requiritur in confessarijs, non æqualis in omnibus, sed iuxta proportionem locorum & personarum; omnes autem debent habere scientiam legis, & cognitionem peccatorum, illorum differentiam, multiplicitatem & circumstantias; Item notitiam censurarum, sed non omnia debent in promptu scire, sed solum materias communiter contingentes, & de difficilioribus dubitare, librosque & viros doctos consulere. Qui autem hæc ignorat, & pœnitentiam ministrat, mortaliter peccat, cum suam & proximorum animam, exponat periculo damnationis.

Prudentia etiam in confessore necessaria est, & illa est præcipua illius conditio, quæ exercetur examinando peccata, cautè loquendo, præcipuè in materia luxuriæ, specialiter cum mulieribus; non interrogando nimis, quando statum pœnitentis cognoscit, & hic est doctus; non omnes culpas sigillatim corrigendo; nec mirari debet de peccatis, quantumvis fœdis & gravibus, cum nullum sit quod vero existente dolore, non possit per pœnitentiam deleri; alias enim pœnitentes conturbantur, & periculo perditionis exponuntur. *Benitas*, consistit in muniendo se rectis cogitationibus, vt sic confessor se gerat, tanquam Minister Dei, ad quod debet rectè vivere, & diligenter se disponere, cor suum ad Deum erigendo, pro exequendo munere, in quo consistit animarum salus; & licet validè Sacramentum ministretur, sine bonitate Ministri, mortaliter tamen peccat, si in mortali ministrat, vt suprá resolutum est.

Sigillum, est vltima confessoris conditio, & est: obligatio occultandi peccata, in confessione audita, ad quod confessor iure naturali divino, & Ecclesiastico tenetur; quod si illud temere frangit, duo peccata committit, & contra iustitiam proximi, & contra religionem Sacramenti. Nec in hoc datur materiæ parvitas, quia ex tali violatione semper gravissima sequerentur incommoda. Quid autem faciendum, audito peccato hæresis in confessione, á quo pœnitens non vult recedere? Resp. quód sigillum obligat ad celandum illud peccatum, etiam casu quo non absolvatur pœnitens, nec velit hæresim relinquere, nec complices revelare, aut habeat animum nocendi, quia confessionis sigillum, æqualem vim habet in omni crimine; sed tamen in hoc casu, debet confessarius monere pœnitentem, vt se prodat Inquisitoribus, vel sibi facultatem concedat solicitandi remedium, quod si noluerit, illum Deo commendet & observet sigillum; sic habet Emman. á Concep. Part. 1. Tract. 5. Disp. 10. num. 228. quód dixi: quia hac eadem die, mihi fuit hoc ipsum interrogatum, & in prædicto authore inveni literaliter resolutum. Hæc est textus summa, pro cuius explicatione pleniori, sequentem doctrinam apponimus.

ARTICVLVS I.

De Pœnitentia, vt est Sacramentum.

Prima difficultas: An pœnitentia sit verum Sacramentum remissivum peccatorum? Hæretici varié erraverunt, vt impugnarent vberes pœnitentiæ fructus, inter quos, præcipui fuerunt Montanistæ, & Novatiani dicentes, nullum esse in Ecclesia remedium, quo post Baptismum peccantes, reconciliarentur, vel saltim eos, qui graviter peccant, non esse amplius in Ecclesia recipiendos, nec potestatem dari, ad illos reconciliandos. Contra hos errores, asserit catholica veritas, quod in Ecclesia, datur remedium ad remittendum peccata post Baptismum commissa, & illud est pœnitentiæ Sacramentum, á Baptismo & eius memoria distinctum. Prima pars patet, ex illis verbis Christi: quæcumque solveritis super terram, &c. & Luc. 3. dicitur: quód Ioannes prædicabat Baptismum Pœnitentiæ, in remissionem peccatorum; & idem ait Trident. Sess. 14. Can. 1. Ratio est: quia in hominibus etiam baptizatis, magna est ad peccandum propensio, & magna difficultas, ad procurandam remissionem peccati media contritione: ergo ad suavem Dei providentiam pertinet, remedium in Ecclesia relinquere, vt homines post Baptismum lapsi, possint á peccato resurgere. Vndé ait D. Leo, Papa, Epist. ad Theodor. Multiplex misericordia, ita lapsibus subvenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ.

Secunda pars, quod nempé remedium hoc, sit Sacramentum proprié dictum, constat ex illo Psalmi: qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, vbi ait Aug. quæ sunt ista alligamenta, nisi temporalia Sacramenta? Et in exemplum adducit manuum impositionem, quæ Pœnitentiam figurabat. Ratio etiam D. Thom. hic, q. 84. art. 1. id suadet: nam Sacramentum, est signum rei sacræ sanctificantis hominem; sed hoc convenit pœnitentiæ; nam actus pœnitentis quibus explicatur dolor, & confitetur peccatum, significant cor á peccato recessisse, & actus Sacerdotis absolventis, significant remissionem peccatorum, pro vt nos sanctificat: ergo, &c. *Dices*: quód in pœnitentia, nulla adhibetur materia sensibilis, quod ad rationem Sacramenti requiritur. Resp. quód in Sacramentis in quibus datur excellens gratia, adhibetur corporalis materia, vt in Baptismo & confirmatione; at in pœnitentia datur gratia humanis actibus correspondens, & ideo illi sunt loco materiæ; sicut etiam in medicina corporali, sunt quædam res exterius adhibitæ, vt emplastra, quædam verò sunt actus sanandorum, vt exercitationes quædam; sic D. Thom. solut. ad 1.

Ter-

Tertia pars, nempé quod Pœnitentia distinguatur á Baptismo & eius memoria, constat ex Trid. loc. cit. Can. 2. & patet ex verbis Christi dicentis: quorum remiseritis peccata &c. vbi non datur potestas, vt baptizati memorentur Baptismi, sed vt peccata remittantur; & ratio est: quia si pœnitentia esset Baptismus, memoria repetitus, lapsi post Baptismum, facilius reconciliarentur Deo, quam ante illum; nam facilius est de Baptismo cogitare, quám illum recipere; consequens est falsum & rationi dissonum, quia nulla datur ratio, vt Deus facilius ignoscat illis, qui scienter post Baptismum peccant, quam illis qui ignoranter deliquerunt: ergo, &c. Vndé Aug. Epist. 180. ait: An non cogitamus, quatenús in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu concursus? Alijs Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam, pœnitentiæ ipsius actionem, quibus verbis, Pœnitentiam a Baptismo, aperte distinguit.

Sed arguitur: Plura sunt peccata, quæ per pœnitentiam nequeunt remmiti: ergo illa non est Sacramentum omnium peccatorũ remisivum. Prob. anteced. 1. ex illo ad Hebr. 6. impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam; & idem dicitur, cap. 10. voluntarié peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Secundó ex illo 1. Ioan 5. est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Tertió ex illo Mat. 12. omne peccatum remmittetur hominibus, Spiritus autem blasphemiæ non remitetur, & quicumque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro; ex quibus videtur colligi, plura esse peccata per pœnitentiam irremisibilia.

Resp. ad 1. quód D. Paulus non intendit, esse simpliciter impossibile, consequi remissionem peccatorum, quæ committuntur post Baptismum, sed tantum vult ostendere rei difficultatem, vt sic nos cautiores reddat, nam quo casus est ex altiori loco, difficilius curatur; sic D. Hyer. lib. 2. contra Iovinianum. Vel 2. dicatur: quód Paulus tantum loquitur ibi, de iterata reparatione per Baptismum, quæ impossibilis est, quia per Baptismum, homo commoritur Christo, vndé subdit: rursús crucifigentes sibimetipsis Filium Dei; sic D. Thom. hic art. 10. ad 1. & similitec voluntarié peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis, id est alia Christi mors, quæ per Baptismum repræsentetur, & iterum applicetur, ad integram remissionem, totius culpæ, & pœnæ.

Ad 2. Resp. quód per peccatum ad mortem, ibi intelligitur finalis impenitentia, de qua certum est, irremisibilem esse, quia infallibiliter coniungitur cum morte temporali & æterna; & ideo dicitur: quod pro illo non debet quis rogare, quia extenditur extra statum viæ, & tunc de lege ordinaria, remissio non datur. Vel 2. dicitur, cum D. T. q. 3. de malo, art. 15. ad 3. quód non prohibetur, quod aliquis oret pro peccante ad mortem, sed non quicumque, quia non quilibet est tanti meriti, vt ei gratiam possit impetrare; sicut si diceretur pro suscitatione mortui, non dico vt oret quis, id est quicumque, sed aliquis magni meriti apud Deum, nam cum illud peccatum maximum sit, eget etiam maximo deprecatore; nam vt ait D. Ambr. si qui de populo orent, non exaudiuntur.

Ad 3. Resp. cum D. Thom. 2. 2. q. 14. art. 13. quód si dicatur peccatum in Spiritum Sanctum, finalis impenitentia, sic dicitur irremisibile, quia nullo modo remmittitur, sed secundum alias acceptiones dicitur irremisibile, non quod nullo modo remittatur, sed quantum est de se, habet meritum vt non remittatur, & quo ad pœnam, quia est peccatum ex malitia, quod maiori pœna dignum est, quám peccatum ex ignorantia, & quo ad culpam, sicut aliquis morbus, dicitur incurabilis, secundum naturam morbi, cum tollit virtutem naturalem, vel inducit fastidium cibi & medicinæ, licet possit curari á Deo, & sic peccatum in Spiritum Sanctum, dicitur irremisibile ex natura sua, quia excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum, nempé auxilia divinæ gratiæ, quæ á Spiritu Sancto conferuntur, licet per misericordiam Dei, hoc peccatum, quasi miraculosé sanetur; vndé dicitur irremisibile, quia remittitur difficiliter, quod reputatur quasi impossibile moraliter.

Sed an possit dari peccatum essentialiter irremisibile? Resp. tale peccatum ab intrinseco irremisibile, contradictionem implicare, sic D. Tho. in 4. dist. 43. q. 1. art. 4. ad 5. vbi ait: cum dicitur peccatum irremisibile, non privatur potentia absoluta ad remissionem, sed aptitudo & facilitas quædam; dicere igitur peccata remissibilia non esse, divinæ potentiæ contrariatur; & ratio est: quia sic negaretur in Deo, potentia ad eorum remissionem, quod implicat. *Si opponas*: potest Deus facere decretum, de non remittendo peccatum, & illud Petro revelare, cui teneretur assentire: ergo tunc peccatum irremisibile foret, alias si posset remitti, decretum Dei, posset falsificari. Hoc argumẽtum vulgare est & passim occurrens, ad quod resp. ex hoc solum sequi, quod peccatum illud nunquam remitteretur, non verò non esse remissibile, absolutè & simpliciter, sed solum ex suppositione decreti; sicut etiam finalis impenitentia reprobo rum, revelata est & licet illa non remittatur, est tamen remissibilis, quia reprobatio, non aufert potentiam reprobati, vt ait D. Aug. & etiam D. T. 1. p. q. 23. art. 3. ad 3.

Secunda difficultas: Pro quo supponat Sacramentum Pœnitentiæ? Et quidem certum est, Sacramentum pœnitentiæ, non solum constare ex absolutione Sacerdotis, sed etiam ex actibus pœniten-

tentis, qui sunt confessio, contritio, vel attritio, iuncta cum Sacramento, & satisfactio; ex his actibus, vt materia, & ex absolutione vt forma; sic habetur apud Trident. Sess. 14. cap. 3. & etiam in Florent. vbi dicitur, quod eius quasi materia, sunt actus pœnitentis. Nec illud additum *quasi* excludit veram rationem materiæ ab actibus pœnitentis, sed ideo vocantur sic, quia, non sunt materia extrinsecé apposita, sicut aqua in Baptismo, aut materia in compositione physica.

Ratio nostri dicti est: quia Sacramentum Pœnitentiæ, institutum est per modum iudicij; sed iudicium intrinsecé componitur, ex confessione & satisfactione rei, & sententia iudicis: ergo etiam ex his componitur Pœnitentia. Deindé, quia causalitas gratiæ, non solum est in forma absolutionis, sed in actibus pœnitentis; homo enim non solum habet gratiam, quia absolvitur, sed quia sub absolutione conteritur, & ideo Triden. loc. cit. ait: quód vis Sacramenti pœnitentiæ, præcipué sita est in absolutione, & sic inferre licet, quod minus principaliter, est in actibus pœnitentis.

Si dicas: quód gratia in hoc Sacramento, solum confertur virtute clavium, quæ soli Sacerdoti conveniunt. Resp. quód in Sacramento pœnitentiæ, confertur gratia virtute clavium principaliter, vt ait Concil. cum quo stat, quod minus principaliter, ab actibus pœnitentis conferatur, quod insinuatur á D. Thom. q 86. art. 6. in corp. vbi ait: remissio culpæ, est effectus pœnitentiæ, principalius ex virtute clavium, ex quorum parte accipitur, id quod est formale in hoc Sacramento, secundario autem, ex vi actuum pœnitentis, pro vt ordinantur ad claves Ecclesiæ. *Dices*: quód hoc modo, homo se ipsum sanctificaret, & sibi peccata remitteret, quod absurdum est. Resp. neg. antec. quia se iustificare, sonat virtutem propriam & principalem, quám pœnitens non habet, sed solum instrumentalem, sicut aqua in Baptismo, & actus contrahentium in Matrimonio.

Dices adhuc: quód satisfactio, non videtur gratiam causare, alias implens satisfactionem in peccato mortali, novum peccatum committeret, cum gratiæ obicem poneret. Resp. notando: quód licet actus pœnitentis, sint pœnitentiæ partes, sed non æqualiter, nam confessio, est intimior quam contritio, quia illa est per se sensibilis, & similiter confessio est intimior quam satisfactio, quia Sacramentum salvatur, sine actuali satisfactione per solum propositum illius, non tamen salvari potest, per solum propositum confitendi, sine actuali confessione; vndé confessio, & contritio, sunt partes intrinsecæ essentiales, satisfactio veró actualis, solum est pars integralis. Dicimus ergo: quód implens satisfactionem in peccato mortali, novum peccatum non committit, quia non ponit obicem gratiæ, quæ per se est effectus Sacramenti essentialiter, sed solum gratiæ, quæ est eius complementum. Exemplum est in accedente ad Eucharistiam mēte distracto, qui nec mortaliter peccat, nec ponit obicem gratiæ per se correspondenti Sacramento, sed gratiæ quæ est eius complementum, nempé dulcedini spirituali, vt suprá diximus.

Ad quæsitum principale. Resp. quód Sacramentum pœnitentiæ, supponit essentialiter pro actibus pœnitentis, & absolutione á Sacerdote prolata. Constat hoc ratione generali; nam vt diximus suprá, q. 2. art. 1. diffic. 5. omnia Sacramenta, constāt ex rebus & verbis, tanquam ex partibus essentialibus intrinsecis Sacramento: ergo idipsum in Pœnitentia reperitur. Ratio summitur ex D. T. q. 90. art. 2. quia illæ sunt partes intrinsecæ pœnitentiæ, quæ requiruntur, vt homo compensct offensam, & Deus illam remmittat; sed ad hoc requiruntur actus pœnitentis & verba Sacerdotis: ergo hæc sunt pœnitentiæ partes. Prob. min. nam compensatio pœnitentiæ, aliter fit, ac in iustitia vindicativa, nam in hac fit secundúm arbitrium iudicis, & non secundúm voluntatem offendentis, & offensi, at in pœnitentia, fit secundúm voluntatem peccantis, iuxta Dei arbitrium, in qua non quæritur redintegratio æqualitatis, sed reconciliatio amicitiæ: ergo requiritur ex parte pœnitentis, voluntas recompensandi, & hæc est contritio, deindé quod se subijciat Sacerdoti, & hæc est confessio, & demúm quod compensct ad eius arbitrium, quæ est satisfactio, quæ partes per absolutionem complentur tanquam per formam.

Nec obstat: quód D. T. ibi, numerans partes intrinsecas pœnitentiæ, absolutionis non meminit. Non inquam obstat: quia ibi solum loquitur de partibus, quibus adæquata materia conficitur, cum quo stat, quod detur alia pars intrinseca, per modum formæ, nempé absolutio; vndé ait in principio art quód duplex est pars, scilicet pars essentiæ, & pars quantitatis; partes essentiæ, sunt forma & materia, & hoc modo quodlibet Sacramentum, distinguitur in materiam & formam, sicut in partes essentiæ, sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ, partes quantitatis, sunt partes materiæ & hoc modo, Sacramento pœnitentiæ, specialiter assignantur partes, quantum ad actus pœnitentis, qui sunt materia huius Sacramenti. Quód si D. T. aliquando vocat absolutionem complementum Pœnitentiæ, non loquitur de complemento accidentali, sed de essentiali, quatenús forma complet materiam.

Oppones, quód D. T. in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. ait: quód in compositis artificialibus, sola materia est de essentia, forma veró non est de essentia, sed tantum de perfectione rei, figura enim non est de essentia cathedræ, nec pars eius sed tantum perfectio: ergo cum pœnitentia sit totum artificiale, forma quæ est absolutio, de eius essentia non est. Resp. D. Thom. solum intendere,

quod

quod in artificialibus, forma est perfectio rei, quæ relata ad materiam est accidentalis, sed relata ad cõpositum, est essentialis; licet autem pœnitentia, sicut alia Sacramenta, sit compositum artificiale, habens modum adiectivi, quod supponit pro subiecto, & non pro forma; sed quia subiectum significationis, quæ est forma totalis Sacramenti, non est sola materia, nec sola verba, sed compositum ex illis, ideo pro isto supponit pœnitentia in recto. Nec est idem de hoc concreto *album*, in quo subiectum formæ, non est compositum ex materia & forma, nec ibi datur duplex forma, sicut in Sacramento, datur forma verborum, & significatio totalis.

Instabis aliter, ad probandum pœnitentiam, pro sola absolutione supponere, nam si ibi ingrederentur actus pœnitentis, Sacerdos non efficeret Sacramentum, cum tales actus non efficiat. Resp. quód vt Sacerdos dicatur efficere Sacramentum, sufficit quod formam vniat materiæ, etsi materiam non producat; sicut agens naturale, dicitur compositum producere, & non producit materiam, & aliquando nec formam, quia vtramque vnit. Dices: quód confessio & contritio, non vniuntur cum absolutione, quia eam multo tempore possunt præcedere. Resp. quód in compositis physicis, requiritur vnio physica partium, sed in compositis moralibus, quale est Sacramentum pœnitentiæ, sufficit coniunctio moralis, sicut reperitur inter accusationem rei, & sententiam iudicis, & etiam inter consensus contrahentium in matrimonio, licet vnus, multo tempore præcedat alium.

Tertia difficultas: De materia Sacramenti Pœnitentiæ. Asserit D. T. hic art. 2. quód duplex est materia, nempé proxima & remota, sicut materia proxima statuæ, est metallum, remota veró aqua; & iuxta hoc, materia proxima pœnitentiæ, sunt actus pœnitentis, remota veró peccata, non vt acceptanda, sed vt detestanda & destruenda; pœnitens veró etiam potest dici quodammodo materia, quia est subiectum gratiæ remissivæ; sic ait D. T. opusc. 22. vel peccata, possunt dici materia circa quam, & peccator ipse, materia in qua, vt ipse ait, 1. 2. q. 55. art. 4. in corp. Sed tamen actus pœnitentis dicuntur materia, quia ex ipsis Sacramentum conficitur; peccata veró non dicuntur materia, quia ex ipsis fiant actus pœnitentis, sicut ex metallo fit statua, sed quia illorum actuum sunt obiecta, vt expulsa & reprobata, sicut stuppa est materia ignis; sic M. Soto.

Sed examinandum venit, quænam peccata sunt propria materia pœnitentiæ? Respondet D. Tho. ad 3. quód pœnitentia est de omni peccato, sed non eodẽ modo; nam de peccatis actualibus mortalibus, est pœnitẽtia proprié & principaliter, quia illa, propria voluntate committimus, & ad eorum deletionem, Sacramentum principaliter ordinatur; de peccatis venialibus, est pœnitentia proprié, quia committuntur nostra voluntate, sed non principaliter, quia Sacramentum non est principaliter institutum ad illorum remissionem; de peccato originali, non est pœnitentia. nec proprié, quia nostra voluntate non committitur, nec principaliter, quia ad eius remissionem non ordinatur Pœnitentia, sed Baptismus; sed tamen large, potest dari pœnitentia de peccato originali, quatenús pœnitentia summitur, pro quacumque detestatione rei præteritæ; sic ait D. Thom. loc. cit. & in 4. dist. 16. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.

An veró peccata post Baptismum commissa, & semel rité confessa, sint materia pœnitentiæ? Resp. affirmativé cum D. Thom. loc. ex sent. relato, dist. 18. q. 1. art. 3. q. 2. ad 4. Túm, quia sic est in praxi, piorum & doctissimorum virorum, qui sæpiús peccata iam rité confessa, iterum confitentur. Túm, quia peccata, solum sunt materia remota pœnitentiæ, sed actus pœnitentis, sunt materia proxima, suprá quam absolutio cadit, & sic his multiplicatis, possunt peccata semel rité confessa, sæpiús iterum confiteri & absolvi. *Si dicas*: Hostia semel consecrata, nequit iterum consecrari: ergo nec peccata semel confessa, possunt iterum confiteri. Resp. neg. conseq. quia semel consecrata Hostia, iam non remanet panis, qui est materia Eucharistiæ, semel autem confessis peccatis, adhuc remanent in ratione materiæ pœnitentiæ, quia illa non est peccatum non confessũ, sed peccatũ post Baptismum commissum, quod convenit peccatis illis iam confessis, quibus nova confessio, & dolor apponuntur, vt materia proxima.

Dices: sequi ex hoc, matrimonium posse iterari inter easdem personas, si apponitur novus consensus, qui est materia proxima; consequens est falsum: ergo & nostra doctrina. Resp. negando mai. & disparitas est duplex, prima: quia materia proxima Sacramenti Matrimonij, non est tradditio mutua corporum, sed prima tradditio, quæ iterari non potest circa eandem personam; in Sacramento autem pœnitentiæ, materia proxima, non est primus dolor, & prima confessio de peccatis, sed prima vel secunda, & ideo possunt eadem peccata iterum confiteri. Secunda: quia semel facta corporum tradditione, coniuges iam non habent proprij corporis potestatem, & sic nequeunt illud eidem personæ iterum traddere; peccata veró semel confessa, sunt iterum clavibus subijcibilia, & sic patet vtriusque disparitas.

Quid autem dicendum, de peccatis ante Baptismum commissis? De hoc aliquid tetigimus suprá, q. 3. art. 1. diffic. 8. Nunc dicimus: quód peccata omnino præcedentia Baptismum, vel concomitantia ante eius consummationem, non sunt materia pœnitentiæ, quia clavibus Ecclesiæ non subijciuntur; vt enim ait Paulus: quid mihi de his

quæ foris sunt iudicare? *Nec obstat*, quod Act. 2. dicitur: Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi,vbi pœnitentia,videtur Baptismum præcedere. Resp.enim,quod de peccatis ante Baptismum commissis,datur pœnitentia quæ est virtus,quæ in dolore interiori consistit, non verò datur pœnitentia, quæ est Sacramentum, dicens ordinem ad aliquid exterius, & illud includens,& in hoc sensu intelligitur ille textus; sic M. Soto.

Sed tamen peccata, quæ sunt in vltimo instanti consummationis Baptismi, sunt materia Pœnitentiæ; & quidem loquendo de peccato fictionis, hoc certum est, vt ait D. Thom. q.69. art.10. ad 2. & ratio est:quia commissio talis peccati fictionis, aliquomodo est post Baptismum, quia consistit in ponendo obicem gratiæ,quæ est effectus Baptismi, & effectus sub sequitur ad causam. *Dices*: quód talia peccata, non habent rationem sacrilegij, nec sunt Baptismo iniuriosa,& sic possunt per illum deleri. Resp. quód licet illa peccata, non sint Baptismo iniuriosa, committuntur verò intra Ecclesiam, & sic ad pœnitentiam pertinent, & non ad Baptismum. *Si dicas*: quód ablata fictione, Baptismus aufert peccata, ipsum præcedentia, & sic etiam fictionem aufert, quia vnum peccatum, nequit sine alio remmitti. Resp. quód licet hoc sit verum, potest tamen Deus,ad diversa peccata delenda, vti diversis instrumentis, & sic contigit in casu nóstro, in quo Deus conciliat hominem in suam amicitiam, remissa fictione, & peccatis eam committantibus, quia pœnituit, & remisso peccato originali, & alijs præcedentibus Baptismum, quia baptizatus est, de quo alia diximus loc. cit.

Quarta difficultas: De forma Sacramenti Pœnitentiæ. Præcipuum dubium est: an sola illa verba: *absolvo te*,sint de essentia formæ absolutionis, an etiam hæc alia: *a peccatis tuis*? Circa hoc, Thomistæ ipsi, inter se discordant. Sed verius iudico, & rationi conformius,quod etiam illa verba:á peccatis tuis, sunt de essentia formæ, sic tenent Soto, Paludanus, Aversa, Raynerius, Ioan. Nicolai, & Prado. Ratio præcipua, desumitur ex verbis Christi dicentis: quorum remmiseritis peccata, remittuntur eis, vbi expresé peccata nominavit; & hoc ipsum colligitur ex Concil. Florent. & Trid. in quibus dicitur, quod forma huius Sacramenti, consistit in illis verbis: *Ego te absolvo, &c.* vbi ly, *&c.* indicat aliud verbum necessarium, quod nequit esse aliud, nisi á peccatis tuis. Vrgetur hoc: forma Sacramenti Pœnitentiæ,debet explicitè significare proprium eius effectum; sed hoc non significant illa verba: absolvo te,quia hæc sunt indifferentia, & possunt intelligi, non solum de peccatis, sed de alijs debitis & gravaminibus: ergo debet explicité poni: *á peccatis tuis*.

Dices: quód iuxta subiectam materiam, & ratione circumstantiarum, satis determinatur verbum *absolvo*, vt significet absolutionem á peccatis. Hoc est vnicum contrariæ sententiæ fundamentum,quod efficaciter impugnatur, instaurando rationem sic: Verba illa: *absolvo te*, ex se sunt indifferentia, ad absolvendum á peccatis vel ab alijs debitis; sed non determinantur á subiecta materia & circumstantijs: ergo requiruntur alia verba, á peccatis tuis. Min. prob. multipliciter. Primó: quia in Sacramento, forma non determinatur per materiam, sed ipsa ex se debet habere significationem explicitam & completam & potius ipsa, materiam determinat. Secundó: quia pœnitens forte affert censuras, & petit ab eis absolvi, & verbum illud absolvo,per se non determinat nec censuras, nec peccata. Tertió: in forma Baptismi non sufficit invocatio Trinitatis in confusso,sed expressa invocatio triú personarú requiritur,licet hæc iuxta subiectam materiam nomine Trinitatis intelligantur, & ita non sufficit dicere:ego te baptizo,in nomine Trinitatis.

Quartó: in forma consecrationis Calicis, omnia verba ingrediuntur vsque ad vltimum, vt suprá diximus: quia in illis explicatur effectus proprius sacrificij, nempé sanguis ad remissionem peccatorum effusus, licet alias iuxta subiectam materiam sanguinis, iam intelligatur esse fussum propter redemptionem, vt aiunt authores oppositi. Quintó: licet in forma absolutionis, ratione circumstantiarum, iam determinetur persona quæ absolvitur, sed tamen illa debet per se explicari, per particulam *te*, & similiter persona ministri, per verbum *absolvo*, nec sufficit dicere *absolvens*: ergo ex his omnibus etiam probatur, quod debet explicari particula *á peccatis tuis*, ad significandum proprium, & peculiarem pœnitentiæ effectum, qui est remissio peccatorum; & simile argumentum fit,de forma extremæ vnctionis, in qua expresé de peccatis fit mentio dicendo: indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti, &c. & non est satis dicere: Indulgeat tibi Dominus; nec video quid ad rationes istas, possunt contrarij respondere.

Sed dicunt: quód de particula *te*, & *absolvo*, non est eadem ratio, quia Sacramentum Pœnitentiæ, institutum est per modum iudicij, in quo intervenire debent iudex, qui designatur per verbum *absolvo*, & reus qui designatur per particulam *te*. Contra est: licet debeat interveni e peccatorum remissio, sufficit quod ex circumstantijs inferatur,vt dicunt oppositi authores: ergo idem dicendum de iudice & reo, vel reddatur disparitas, quæ non est facilis. Nec satis est vt vidimus, quod ex confessione præmissa, hoc subintelligatur. Tùm, quia materia, non debet formam determinare. Tùm quia integer & completus sensus formæ,non debet consurgere partim ex verbis Ministri & partim ex gestis suscipientis, sed solum ex Ministri-

ver

verbis, quia sic dicitur, Sacramentum constare, ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma: ergo verba *absolvo te*, se solis determinate non significant, nisi per illa alia: *á peccatis tuis* determinentur, & sic ista pertinent ad essentiam formæ.

Sed restat adhuc dubium, de sensu verborum absolutionis; circa quod, Ecclesia recté vtitur verbo: *absolvo*, ad exercendum vsum clavium, & significandam remissionem peccatorum, sic enim decretum est in Concil. Florent. & desumitur ex Evangelio. Contrarium sensit Abulens. 1. part. sui defensorij, cap. 6. dicens: illum esse modum loquendi metaphoricum, peccatum enim, vinculum proprié non est, quia in privatione consistit; nec absolutio potest esse á pœna, quia illa, tempore cõtritionis, non est præsens, sed futura. Sed resp. quód peccatum, sive in privativo, sive in positivo consistat, laqueus & vinculum animæ est; dicitur enim Prov. 5. iniquitates suæ capiunt impium, & vinculis suorum peccatorum constringitur, & 2. ad Tim. 2. resipiscant á diaboli laqueis; vndé ab illis absolvitur peccator, & similiter absolvitur á pœna, id est ab eius obligatione, quæ tempore absolutionis præsens est.

Vndé Sacerdos per talia verba, pœnitentem veré absolvit á culpa & pœna, & non solum illum absolutum á Deo declarat vel ostendit; sic habetur in Trident. Sess. 14. Can. 9. & apud D. T. opusc. 22. cap. 1. vbi ait: Patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit; præsumptuosum ergo est, ne dicam erroneum, vt Sacerdos dicere non possit, ego absolvo te, quæm Dominus absolvere confitetur; & ratio est: quia Sacramenta novæ legis, id efficiunt quod significant; sed Sacramentum pœnitentiæ, habet ratione formæ, præcipué significare remissionem peccatorum: ergo hanc ipsam efficit Sacerdos verba proferendo; licet ergo solus Deus, vt causa principalis, culpam & pœnam remmittat, quod vt plurimum, aliqua testimonia Scripturæ, in contrarium probant, instrumentaliter autem, & ministerialiter, etiam á Ministris, culpa & pœna remmittitur.

Sed argues: Evangelici Sacerdotes id tantum possunt, quod poterant olim Sacerdos legales, vt ait D. Hyer. sed isti á lepra non mundabant, sed homines mundos ostendebant, vt patet cum Christus iusit leproso, vt se ostenderet Sacerdotibus, & similiter Lazarum iam suscitatum, discipulis tradidit solvendum: ergo idem in Sacerdotibus nostris contingit. Resp. quód illa comparatio Sacerdotum, non est quo ad omnia, sed solum in eo quod sicut Sacerdotes legales, nõ iudicabant de lepra pro arbitrio suo, sed iuxta merita causæ, idipsum habent Sacerdotes Evangelici, qui non iudicant de culpis pro suo nutu, sed iuxta cuiuslibet pœnitentis dispositionem. Ad illud de Lazaro dicitur: quód ex ipso Apostolorum officio infertur, potestas collata Sacerdotibus ad remittendum peccata, vt enim ait August. lib. de vera & fals. pœnit. Lazarum quæm de monumento suscitavit, obtulit Discipulis solvendum, per hoc ostendens potestatem solvendi commissam Sacerdoti.

Sed adversus hoc est ingens difficultas: nam accedens ad pœnitentiam, vel accedit in peccato, & sic absolvi nequit, quia non est dispositus, vel accedit contritus, & sic est in gratia, & absolvi non potest, quia iam est absolutus: ergo nunquam possunt illa verba, sensum verum habere. Resp. quód si accedens ad pœnitentiam est in peccato mortali, verificatur forma, vt oritur ab agente, id est: confero tibi Sacramentum, ex se remissivum peccatorum; vt ait D. T. in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. si autem accedens iam est contritus, sensus formæ est, ego tibi Sacramentum absolutionis impendo; sic D. Thom. q. 84. art. 3. ad 5. & tunc causatur per accidens augmentum gratiæ, sicut diximus suprá, quod Eucharistia, causat ali quando per accidens primam gratiam. *Dices* 1. qui vincula corporea iam non habet, veré non dicitur absolvi ab illis: ergo nec accedens contritus, & sine peccato. Secundó: nam ex hoc sequeretur, quod qui nunquam habuit peccatum, posit absolvi, quia illi posset conferri gratia ex se remissiva, quod tamen absurdum est.

Resp. ad 1. quód solutio vinculi corporalis, solum respicit immediaté pro obiecto, ablationem externam, quam si quis affirmat, & vincula non dantur, propositio dicens: absolvo te á vinculis, non erit vera; sed quando affirmatur solutio vinculi spiritualis, obiectum immediatum, non est ablatio externa vinculi, sed actus voluntatis, quo Minister interius cedit, iure acquisito ex offensa, & ideo peccata per contritionem iam dimissa, possunt iterum remmiti per absolutionem. Vel 2. dicatur: quód solutio vinculi corporei, est puré physica, quæ solum attendit, ad id quod est in re; absolutio verò Sacramentalis, licet ex parte Dei, gratiæ causatæ, & Ministri, sit physica & realis, sed ex parte voluntatis, est moralis, & moraliter semel liberatus á peccatis, potest iterum ab eis liberari.

Ad 2. quód nullo stante peccato, verba essent falsa, ex defectu materiæ circa quam; & illa propositio affirmativa: absolvo te, esset de subiecto non supponente, quia peccatum, nunquam fuit commissum; sed quando peccatum, iam est per contritionem remissum, adhuc verba veré significant, quod quantum est ex se, Sacramentum, & eius gratia, & Minister remmittunt peccatum, licet de facto, per accidens non remmittatur, quia supponitur remissum. Sed adhuc explicandum restat, quisnam effectus correspondeat Sacramento, casu quo peccatum, iam est per contritionem remissum?

Aliqui dicunt: quõd in eo casu, pœnitentia caret effectu remissionis peccatorum, quia pœnitens

pro

pro tunc, illo non eget, & tunc verificatur forma, non absolutè sed sub conditione, id est si indiges, vel habes peccati vinculum,& tunc verba sunt vera in actu primo, licet non exercitè, & in actu secundo; sic ait M.Soto. Alij dicunt, quod quando absolvitur homo, iam contritione iustificatus, sensus verborum est verus hoc modo, vt peccata saltim novo titulo remittantur; sicut ait D.T. 3.p. q. 34. art.3. ad 3. quód gloriam immortalitatis,quám Christus meruit in primo instanti suæ conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus,& passionibus mereri, non quidem vt esset sibi magis debita, sed vt ex pluribus causis deberetur, & iuxta hunc modum,peccatum per contritionem iam dimissum, potest in confessione alio titulo dimitti,nempé titulo humilitatis & absolutionis, sicut qui semel se obligavit ad aliquid, potest iterum se obligare ad idem,& qui semel vovit,potest iterum idem vovere.

Quinta difficultas : Vtrúm Pœnitentia sit medium ad salutem necessarium ? Tripliciter aliquid est necessarium ad salutem,vel necessitate præcepti tantum, vt facere eleemosynam quando instat præceptum, vel necessitate medij tantum, vt gratia & auxilium Dei, vel vtroque modo, vt credere in Deum, & hoc dupliciter, vel absolutè vt Baptismus, per quæm Christo renascimur, vel ex suppositione,vt medicina est necessaria ex suppositione morbi. Dico ergò: quód pœnitentia, est medium ad salutem necessarium, non absolutè, sed ex suppositione peccati. Constat hoc ex repetitis SS. PP. dictis & exTrident. Sess.14. cap.2. dicente: Sacramentum pœnitentiæ, lapsis post Baptismum, ad salutem est necessarium, vt nondum regeneratis, ipse Baptismus. Ratio est : quia lapsis post Baptismum, est necessaria ad salutem consequendam remissio peccati; sed hæc nequit haberi, sine pœnitentia: ergo, &c. Prob. min.ex illo,Luc. 13. si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis : ergo vera est minor. Nec obstat : quód in lege naturæ, & scripta, sufficiebat ad salutem contritio interior; nam in lege gratiæ, solum datur salus æterna per Christum, & eius Passionem,quæ applicatur per Sacramenta,& ideo nunc requiritur pœnitentia,suppositá culpa.

Sed notandum : quód Sacramentum Pœnitentiæ, non est necessarium, vt susceptum in re, sed sufficit quod suscipiatur in voto & desiderio, nam cum apud Deum, voluntas reputetur pro facto, si quis post peccatum non confitetur, & proponit tempore debito confiteri, salvus erit ; quod constat. Túm ex Trident. cit. cap.4. Túm, quia vt dicunt Theologi,ad remedium peccati sufficit contritio cum ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ,& illa est pœnitentiæ votum. Maior difficultas est: an pœnitentia sit necessaria, in voto explicito vel implicito ? Dicitur votum explicitum Sacramenti, quando quis directè & formaliter,intendit eius susceptionem ; implicitum autem, quando hoc non intendit directè, vult tamen aliquid, in quo includitur Sacramenti votum.

Dicendum est : quód nec ad primam salutem quæ fit per gratiam, nec ad vltimam, quæ fit per gloriam,requiritur votum explicitum Pœnitentiæ, sed sufficit implicitum. Prob. 1. quia multi peccatores, maximè dolent de peccatis, & proponunt emmendationem vitæ, & hoc faciunt, nihil de Sacramento pœnitentiæ cogitando;& tamen dici non potest, istos non iustificari: ergo votum explicitum pœnitentiæ, necessarium non est. Secundó : nam magis requiritur ad salutem susceptio Baptismi, quam pœnitentiæ; sed Baptismi susceptio, sufficit quod sit in voto implicito : ergo, &c. Prob. min. ex D.Thom. q.69. art.4. ad 2. dicente: Cornelius & alij similes, consequuntur gratiam & virtutes, per fidem Christi & desiderium Baptismi, implicitè vel explicitè. Nec immemor sum,eorum quæ suprá dixi, fol. 63. col. 1. nempé Baptismi votum, debere esse explicitum,nunc verò re melius inspecta, hæc verba inuenio in D. Thom. loc. cit. remissionem peccatorum, aliquis consequitur ante Baptismum, secundúm quod habet Baptismum in voto,vel explicitè vel implicitè,& tamen cum realiter suscipit Baptismum,fit plenior remissio,quantum ad liberationem á tota pœna; sic D.Thom. & nos cum ipso.

Vel etiam vtrumque dictum post concordari dicendo : quód suppositá institutione Christi, votum explicitum Baptismi,est per se necessarium ad salutem, per accidens autem,suppositá ignorantia, votum implicitum sufficit, ad gratiam & gloriam consequendam; & iuxta hunc sensum, pariter asserimus, quod suppositá institutione Christi, Pœnitentia est medium necessarium, per se in voto explicito, ad salutem eorum qui mortaliter peccaverunt, & confiteri non possunt; sed tamen per accidens suppositá ignorantia invincibili,vel oblivione inculpabili,poterunt iustificari sine voto explicito, solum per votum implicitum ; & sic ait D. Thom. 4. contrag. cap.72. claves Ecclesiæ, efficaciam habent in aliquo,antequam eis se actu subijciat,si tamen habet propositum, vt se eis subijciat.

Hinc deducitur: quód cum quis ad martyrium rapitur, non est opus voto explicito confessionis, quia si non adest copia confessoris, vanum esset tale votum, & licet adsit, posset tam subitò rapi, & ad Dei amorem inflammari, vt memoriæ non occurreret Sacramentalis confessio, & tamen veniam obtineret, quia cum martyrium, sit actus summæ dilectionis Dei, excludit omnem affectionem peccati. Hoc autem est intelligendum, si subitò ad martyrium rapitur, quia si datur tempus, tenetur conscientiam discutere,& si invenit mortale peccatum, de eo pœnitere, & confiteri, si copia confessoris adsit;quia martyrium non eximit ab obedien-

tia

tia præceptum Christi, quando possint impleri; vndé dictum nostrum solum tenet, quando non datur tempus & quis eget illo, vt animum roboret ad martyrium, tunc enim iustificari poterit, per solum votum implicitum pœnitentiæ.

Sed dices: quid est remmitti peccata per Sacramentum pœnitentiæ, in voto virtuali, & implicito? Resp. quód ipsa detestatio peccati, dicit ordinem ad confessionem; eo feré modo, quo in emptione alicuius rei, ante solutionem prætij contingit, nam verum dominium rei datur, quando res traditur, sed tale dominium, dicit ordinem ad futuram solutionem, & quando hæc fit, licet novum dominium non acquiratur, prior contractus in suo ordine recipit complementum; sic in præsenti, contritio quæ includit dilectionem Dei super omnia, est remissio peccati, in ordine ad futuram confessionem, & quando hæc fit, completur contractus ex parte nostra, quatenús possumus & debemus, & hic ordo ad Sacramentum, vocatur votum implicitum illius, & sufficit ad primam, & secundam spiritualem salutem.

Arguitur: si sufficeret ad salutem votum implicitum pœnitentiæ, hoc esset quia homo per contritionem, debet habere propositum servandi omnia mandata, quorum vnum est confessio; sed hoc non probat, alias etiam votum implicitum Eucharistiæ, esset medium ad salutem necessarium, quia etiam hoc, in contritione implicité continetur: ergo, &c. Resp. quód in contritione includitur votum Eucharistiæ, modo generali & vniversali, quia Euchatistia, non est instituta ad remittenda peccata; votum autem Pœnitentiæ, includitur speciali modo in contritione, quatenús illa pro remissione peccatorum est instituta; vndé homo iustificatur per votum implicitum recipiendi pœnitentiam, non veró per votum implicitum, adimplendi alia præcepta. *Dices*: Hæreticus vel scismaticus, non iustificatur, nisi explicité proponat Ecclesiæ reconciliari, vt ait August. lib. de vera & falsa Relig. cap. 12. ergo nec peccator iustificabitur, sine voto explicito pœnitentiæ. Resp. neg. conseq. quia hæreticus veram fidem ammisit, & iustificatio, á fide summit initium, & ideo sine proposito explicito credendi, nequit iustificari; si autem daretur scismaticus non hæreticus, veram fidem retinens, posset iustificari, cum dolore & proposito, servandi divina mandata, & similiter habens contritionem, potest iustificari per propositum confitendi in ea inclusum.

Sexta difficultas: De institutione Pœnitentiæ. Circa quod dicendum est: quód Sacramentum Pœnitentiæ, est institutum immediaté á Christo, post Resurrectionem, non solum quo ad formale potestatis absolvendi á peccatis, sed etiam quo ad materiale seu confessionem peccatorum. Prima pars constat ex Trident. Sess. 14. cap. 1. & ex D. T. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 5. v bi ait: quód Ministri Ecclesiæ, instituuntur in Ecclesia divinitus fundata, & ideo institutio Ecclesiæ, præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis, præsupponitur ad opus naturæ, & quia Ecclesia fundatur in fide & Sacramentis, ad Ministros Ecclesiæ non pertinet, novos articulos fidei edere, vel nova Sacramenta instituere, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum; vndé dicitur, quod Deus maximé ostendit omnipotentiam in parcendo & miserando, de quo ipse D. Thom. 1. p. q. 25. art. 3. ad 3. assignat tres rationes, & quia per hoc ostenditur eius summa potestas, nam qui legi adstringitur, libere peccata non condonat; & quia parcendo perducit homines, ad participationem infiniti boni; & quia effectus divinæ misericordiæ, est fundamentum omnium divinorum operum.

Sed oppones: ea quæ sunt de iure naturali, non egent institutione; sed pœnitere est de iure naturali, quia nequit aliquis diligere bonum, quin doleat de malo: ergo Pœnitentia, non est convenienter instituta. Respondet D. Thom. art. 7. ad 1. quód de iure naturali est, aliquæm pœnitere de malis quæ fecit, dolendo se fecisse, quærendo remedia, & ostendendo signa doloris, vt visum est in Ninivitis, in quibus fuit aliquid fidei; sed tamen sicut alia quæ sunt de iure naturali, accipiunt determinationem, ex institutione legis divinæ, hoc idem de Pœnitentia dicendum est. Explicatur hoc: nam pœnitentia, vel summitur vt mali detestatio, & sic naturaliter cognoscitur, vel vt Sacramentum remissivum peccati, & sic non cognoscitur naturaliter, sicut nec cognoscitur naturaliter, gratia per quã formaliter peccatum remmittitur; vel vt remediũ obtinendæ veniæ á Deo, & hoc sola Evangelicæ fides docuit, quæ fundatur in verbo & promissione Dei, nec potest cognosci ratione naturali; vndé ait Paulus: proposuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius, propter remissionem præcedentium delictorum.

Quód autem Pœnitentiæ Sacramentum, fuerit á Christo institutum post Resurrectionem, dum dixit: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Constat ex Trident. Sess. 14. cap. 1. Ratio autem huius institutionis non est alia, nisi voluntas Christi; sed hæc est præcipua congruentia: quia resurrectio Christi, est exemplar perfectæ iustificationis, qua homo per pœnitentiam, resurgit á morte peccati; vndé ait Paulus: Resurrexit propter nostram iustificationem; & sicut Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, ita peccator sic debet resurgere, quod iterum per peccatum non moriatur. Quód si aliquando legitur apud SS. PP. Sacramentum Pœnitentiæ, fuisse institutum ante mortem Christi, hoc est intelligendum de institutione minús principali, sed non de principali. Vn-

dé ait D.T. art. 7. cit. quód materia pœnitẽtiæ præexistit á natura, sed quod hoc vel illo modo homo pœniteat, est ex institutione divina; quia Dominus in principio suæ prædicationis, indixit hominibus, vt pœnitentiã agerent significans determinatos actus, qui requiruntur ad pœnitentiam; sed quod pertinet ad officium ministrorum, determinavit dum dixit Petro: Tibi dabo claves; efficaciam autem Sacramenti, & originem virtutis eius, manifestavit post resurrectionem; ex virtute enim nominis Christi, patientis & resurgentis, hoc Sacramentum efficaciam habet ad remissionem peccatorum.

Deducitur primo ex dictis: quód in pœnitentia, datur res tantum Sacramentum tantum, & res & Sacramentum simul; de duobus primis non est dubium, nam res tantum, est gratia remissiva, Sacramentum tantum, aggregatum ex actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis, & res & Sacramentum simul, pœnitentia interior peccatoris; sic D. Thom. q. 84. art. 1. ad 3. *Si dicas*: Quód in iudicio externo cui assimilatur pœnitentia, eius partes essentiales, solum sunt rei accusatio, & iudicis sententia, & non dolor rei, de delicto commisso: ergo idem de pœnitentia dicendum est. Resp. hinc sequi, dari validum Sacramentum, etsi peccator haberet complacentiam de culpa, sine vlla contritione, quod est contra Trid. & contra sensum Christianum. Disparitas ergo inter iudicium externum & pœnitentiam est: quia iudices humani, intendunt reintegrationem iustitiæ, & ideo non requiritur dolor rei; in pœnitentia verò, non quæritur integratio iustitiæ, sed reconciliatio amicitiæ, quæ nec apud Deum, nec apud homines habetur, sine dolore præteriti, sic habet D. Thom. q. 90. art. 2. in corp.

Dices: res & Sacramentum simul, causatur á Sacramento tantum; sed interior pœnitentia & contritio, non supponit Sacramentum pœnitentiæ á quo causetur, quia est pars constitutiva illius: ergo non est res & Sacramentum simul. Resp. quód contritio potest summi, vt fit sensibilis per signa exteriora, vt informis & nondum formata per gratiam & sic est prior gratia vt pars Sacramenti, vel potest summi, vt formata per gratiam, & sic est posterior Sacramento; vndé res & Sacramentum simul, iam causatur á Sacramento tantum, sub aliqua formalitate; exemplum est in corpore Christi, quod est res & Sacramentum simul in Eucharistia, & non est effectus verborum consecrationis absolutè & in se, sed vt Sacramentatum, vel ex pane factum, licet illud alias sit causa consecrationis; hæc autem mutua præcedentia & causalitas, magis ad Philosophos pertinet, quam ad nos.

Deducitur secundó: Quód ad Sacramentum Pœnitentiæ, non requiritur manuum impositio; sic D. Thom. q. 84. art. 4. & ratio est: nam impositio manuum in Sacramentis, fit ad designandum, aliquæm copiosum gratiæ effectum; & ideo manuum impositio, fit in Sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur excellentia potestatis; vndé ait Paulus: resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; sed Sacramentum pœnitentiæ, non ordinatur, ad aliquam excellentiam gratiæ conferendam, sed ad remissionem peccati: ergo manuum impositionem non requirit. *Dices*: quód in alijs Sacramentis, non sufficiunt verba, nisi Minister aliquæm actum exerceat: ergo etiam in pœnitentia, quia in hac, verba maiorem efficaciam non habent. Resp. cum D.T. ad 3. quód in Sacramentis, quæ in vsu materiæ perficiuntur, Minister habet aliquæm actum corporalem circa suscipientem, vt patet in Baptismo; sed pœnitentia non consistit in vsu materiæ exterius appositæ, sed loco materiæ sunt actus pœnitentis; vndé sicut Eucharistia, quæ non consistit in vsu materiæ, sola prolatione verborum perficitur, idem de Pœnitentia dicendum est, & si aliquis actus exterior exercetur, est Crucis signatio in signum, quod per Crucem & sanguinem Christi, remmittuntur peccata.

ARTICVLVS II.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, circa materiam remotam Pœnitentiæ. Accessit quis, ad sacrum Pœnitentiæ Sacramentum, pro expiandis peccatis, cum re ipsa, nullum omnino verum peccatum cognosceret in se, sed tantum putatitium; quæritur, an ipsi posset verum Sacramentum, & augmentum gratiæ conferri? Extitit quidam Theologiæ studiosus, qui affirmabat hoc, doctus ab alio Theologiæ professore, vt aiebat ipse, idque probabat, ex civilium Tribunalium paritate, & vlteriús, quia cum Sacramentum hoc duos, effectus habeat, nempé remissio peccati, & augmentum gratiæ, poterit hic posterior conferri, si prior per accidens non habet locum.

Sed in primis dico, casum hunc rarissimum esse: nam si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; si enim daretur homo, nullum peccatum habens, quis est hic & laudabimus eum? Sed dato id posse contingere, quod vtinam sæpiùs contingere posset. Resp. ad quæsitum negativé: quia in re tanti momenti, & á Theologis accurate discussa, periculosum est, aliquid novum & inauditum defendere, circa Sacramentorum essentiam; & vlteriús: quia oppositum dictum, repugnat omnino Ang. D. 3. p. q. 84. & sensui communi exponentium illum, qui solum admittunt pro materia pœnitentiæ peccatum actuale, & excludunt originale vt suprá vidimus, peccatum autem putatitium actuale peccatum non est, sed apparens illius vmbra, & sic nec est pœnitentiæ materia.

Nec

Nec ea quibus movebatur contrarium asserens, vim habet. Non primóm; nam in iudicio forensi, si accusatur vt reus,qui innocens est, nihil aliud acquirit per sententiam iudicis, nisi quod vt innocens ab omnibus debet haberi, & sic idem est de confitente se, sine vlla culpa. Non secundūm;nam licet per accidens,possit conferri augmentum gratiæ,prima gratia non collata per pœnitentiam,cum quis accedit perfectè contritus, vt dicebamus suprá, diffic.4. arg.1.non autem potest per se conferri augmentum gratiæ, quando nullum verum extat peccatum; Vndé concluditur: quód confessarius, nullum peccatum verum in pœnitente reperiens, nequit ipsi absolutionem conferre.

Si dicas:Baptismus potest conferri,subiecto immuni á culpa originali, vt patet in B. V. quæ vt diximus suprá,fuit á Christo baptizata:ergo etiam pœnitentia potest conferri ei, qui nunquā commisit peccatum actuale. Resp. quód materia Baptismi, non est confessio peccati originalis, sed ablutio personæ, quæ potest fieri in non habente originale; Pœnitentiæ autem materia,est confessio & dolor de peccato, quæ nequeunt dari,si illud nunquam commissum est.

Ex his constat, quid dicendum sit, ad id quod aliqui sine fundamento asserunt, nempé Beatissimam Virginem,qui nullum nec leve vnquam peccatum habuit, fuit B.Ioanni Evangelistæ confessa. Hoc enim, est a veritate alienum, & rationi dissonum, nam deficiente omnino peccato,vera absolutio nequit conferri. Vndé negandum est, illam fuisse á B. Ioanne Evangelista Sacramentaliter absolutam:nam forma illa: absolvo te á peccatis tuis, supponit vera peccata, quæ B.U. defuerunt.

Si dicas: Quód B.V. potuit habere culpam in sui existimatione, vt enim ait D. Greg. Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere,vbi culpa non est. Resp. quód agnoscere culpam vbi non est, vel potest esse quo ad substantiam actus,& sic non est verum, nec pertinet ad bonam mentem, sed ad errantem,peccatum agnoscere quod non commisit; vel potest esse quo ad conditionem actus,& sic est verum D. Greg. dictum, quia iustus formidat, ne aliquæm defectum habuerit, iuxta dictum Iob:verebar omnia opera mea; primum nequit convenire B. U. quia est iudicium erroneum, potest tamen convenire secundum,sed hoc non pertinet ad pœnitentiæ materiam,cum sit actus virtutis perfectæ.

Nec contrarium sensit B. Albertus Magnus, vt aliqui falso,ei adscribere volunt;nam in Mar.á cap. 69.vsque ad 74.in quibus agit de hoc,nō loquitur de confessione Sacramentali,sed de confessione divinæ laudis & propriæ cognitionis; ait enim: triplex est confessio, accusatio peccatorum, recognitio incongruitatis,vel magnitudinis beneficiorum, confessio de infusione meritorum,& hæc fuit propriè confessio Beatissimæ Virginis; de qua etiam ait D.Ildephonsus, serm.1. de Assumpt. in fine. O mira confessio, & mira humilitas, confitetur humilitatem, quam solam in se respexisse dicit; & in hoc sensu,est etiam pie exponendus Canisius, lib. 1. de Mar. Deip. cap.9. & D.Bonavent. in medit. vitæ Christi, cap.3. sed tamen fuit in B. V. habitus pœnitentiæ in actu primo, vt diximus sup. art.c. dif.5.

Maneat ergo, quod si quis,nihil aliud confessario suo aperiret,nisi dona cœlestia,veraciter addendo, se nullatenus ea fuisse promeritum, non posset cum huiusmodi confessione seu narratione, consistere essentia Sacramenti. Quód si quis adderet, ipsum potius meruisse infernum, quám talia Dei beneficia, nec tunc reperirentur essentialia huius Sacramenti, quia illa verba,nullum indicant dolorem de peccatis, & licet cum dolore proferrentur, non rectè ageret confessor absolvendo pœnitentem, sine vlla specificatione veri peccati. Sed an imperfectiones strictè dictæ,non repugnantes præcepto, sed consilio sano, quæ non sunt culpæ, & sunt dignæ reprehensione,sint pœnitentiæ materia, vt sunt esse contentum virtute communi, non respondere Dei vocanti,solatia honesta vsurpare,&c. Videbitur cas.seq.

Casus secundus, circa idem. Confessus fuit quidam, hoc modo. Non respondi Deo per inspirationes vocanti; non condolui eventibus infelicibus proximi; non fui sedulo addictus, operibus mortificationis; iratus fui famulis & filijs, officia sua non facientibus; curiosé inquisivi,ea quorum cognitio ad me non pertinebat; pro defunctis parentibus non oravi; non adfero ad confessionem eum dolorem, quæm debebam afferre. Quæritur: an imperfectiones huiusmodi, essent materia pœnitentiæ? Notandum,quod imperfectiones strictæ, illæ sunt,quæ non repugnant præcepto,sed consilio sano, quæ licet culpæ non sint, sed tamen sunt reprehensione dignæ; earum autem exempla, sunt hæc. Primó, contentum esse virtute communi. Secundó,non patere Deo,vocanti ad perfectiorem vitam. Tertió, magni facere quæ mundus diligit. Quartó,solatia honesta quærere,& commoditatem in victu & vestitu. Quintó, non servare statuta communitatis,vel etiam Ordinis Constitutiones,ad culpam non obligantes. Sextó, non accurate servare modestiam; has & similes, vocamus imperfectiones & non culpas, de quibus loquitur casus.

Dicimus ergo: quód illæ, non sunt per se materia pœnitentiæ, sed solum per accidens, quatenús habent adiunctum peccatum, quod solum est propriè materia pœnitentiæ, vt ait D. Thom. 3 p. q.84. art.2. ad 3. Ratio primi est: quia illæ imperfectiones,ex natura sua culpa non sunt vt vidimus; ratio secundi:quia in illis communiter latere potest aliquod peccatum, v. gr. ira, quamvis iusta ex se, si tamen est vehementior, & importunior quam de-

deberet, materiam præstat ad absolutionem, & idem est dicendum, de alijs imperfectionibus; qua propter confessor, non impediens pœnitentes suos, vt confiteantur meras imperfectiones, reprehendendus non est; sic tenent Lugo, & Dicastillo, contra Ioann. Sanchez.

Spetialiter autem de non prebendo responsum inspirationibus Dei, hæc ait Venerab. P.F. Ludovicus Granatensis in Memor. vitæ Christianæ tract. 2. part. 2. cap. 3. Accusetur etiam, quia tepidus fuit, & maximé in respondendo inspirationibus Dei, eiusque vocationibus, in hoc multories Spiritui Sancto resistendo, quin propio affectui aliquam vim faceret, nec parvo labori se exponeret; hæc est culpa quædam spiritualis & occulta, & digna, vt semper de illa conscientia fiat. Hæc pijssimus Pater, & cum ipso Prado, Toletus, Leander, & Pellizarius. Et ratio omnium est primo: quia plura ex illis quæ solum videntur imperfectiones, non fiunt sine aliqua culpa veniali, præcipué in sententia Thomistarum dicentium, non dari actum indifferentem in in lividuo, de quo D.T. 1. 2. q. 18. art. 9. Secundó: quia sicut infirmus omnia medico narrat, vt remedium apponat idipsum pœnitens cum confessario, qui etiam medicus est, facere debet.

Ex quibus habetur: pie agere omnes pœnitentes se accusantes de eo quod contra expressum remorsum conscientiæ aliquid agunt, vel etiam de eo, quod Deo vocanti non respondent, & etiam singulariter religiosi, qui se accusant de transgressione regulæ, etiam ad culpam non obligantis; hæc enim est consuetudo frequens, sapientium religiosorum, hæc enim transgressio communiter involvit aliquam deordinationem voluntatis, dissonam rationi & prudentiæ operantis. Vndé conformiter ad dicta, ait Aversa: quód si authores oppositi sentiunt, inconveniens est, de his se accusare pœnitentes, non rectè dicunt, & vsui timoratorum contrariantur; si verò intelligunt, non debere de his fieri materiam absolutionis, maximé adæquatam, si non attingunt deformitatem culpæ, & incarentia maioris perfectionis consistunt, hoc rectè est dictum, & á confessoribus advertendum.

Casus tertius, de peccatis dubijs. Homo quidam, generalem confessionem fecit, totam vitam suam meditando, peccataque omnia scripsit in charta, post eorum seriam reflexionem, illamque confessario legit, & de criminibus suis absolutionem accepit. Aliquot autem mensibus decursis, illi dubium exoritur, satis molestum, an re vera fuerit omnia peccata confessus? Et ex eo movebatur, quod vnum ex peccatis mortalibus, in charta scripsit, minori charactere quam reliqua, & sic fieri potuit, vt facile vissum fugeret, nec vllo modo recordabatur, se tale peccatum fuisse confessum. Quæritur: an illud debeat iterum confiteri? Casus hic, doctrinam continet de peccatis dubijs, pro cuius explicatione, apponimus considerationes sequentes.

Dicendum est 1. si quis est certus se peccasse mortaliter, & est omnino dubius, an fuerit confessus, tenetur suo tempore sub peccato mortali confiteri, dum prudenter dubium illud non deponit. Hæc sentētia, est communis & certa & habetur, apud D. Thom. in 4. dist. 21. q 2. art. 3. ad 3. & in addit. 3. p. q 6. art. 4. ad 3. & ratio est evidens: nam debito certo, nequit satisfieri per solutionem incertam; sed qui certo scit se moraliter peccasse, & dubitat an fuerit confessus, est certus de debito, & in certus de solutione: ergo tenetur de tali peccato iterum confiteri. Min. est certa. Mai. prob. nam si quis est certus de mutuo, aut alio debito á se contracto, & est dubius de solutione, tenetur solvere integre, & idem est in alijs materijs: ergo, &c. *Nec obstat*: quód in dubijs, melior est conditio possidentis; nam hoc est, quando in reliquis, par est vtriusque causa, vt dicitur regula impari de regulis iuris, num. 6. in casu autem nostro hoc non reperitur, nam ex vna parte, datur debitum certum, & ex alia solutio dubia, & sic hæc inæqualitas, prævalet alteriús possessioni. Præterquam, quod in concursu duplicis possessionis, & legis & libertatis, possessio legi favet, cuius conditio melior est.

Dicendum est 2. si quis est certus de suo peccato, & dubitat an sit mortale, tenetur illud vt dubium confiteri, nisi dubium ex motivo prudenti deponat. Prob. 1. ex Trident. in quo licet non explicité, saltim implicité dicitur, peccata dubia esse necessario confitenda, hoc enim indicatur Sess. 14. cap. 5. Tum, quia solum peccata venialia excludit, & mortalia dubia, non continentur sub venialibus. Tum, quia dicit esse confitenda peccata, quorum homo meminerit, & sic videntur excluſa peccata oblita, non vero dubia. Tum, quia decernit esse confitenda illa peccata, quorum homo conscientiam habet, & de peccatis dubijs homo habet conscientiam. *Dices* cum Caramuel: hinc sequi oppositum, nam conscientia, est cordis scientia, seu notitia scientifica quæ de peccato dubio non habetur: Contra est nam scientia sæpé accipitur, pro notitia etiam dubia, vel obscura, nam de notitia fidei dicit Iob: scio quod Redemptor meus vivit, vnde cordis notitia, est cordis scientia, & illa reperitur in cognitione dubia.

Dices aliter: quód iuxta Concil. debet æquitas servari, in pœnis iniungendis, quæ non servaretur, iniungendo pœnam certam, pro delicto incerto. Resp. quód peccatum dubium, est cognitum sub dubio, & ita debet curari, præcavendo á certiori lapsu; præterquam, quod habetur notitia evidens de peccato dubio, & sic servatur æquitas, inter culpam & pœnam. Ratio autem nostræ retolutionis est: quia homo tenetur conteri de peccato dubio, cum obligat præceptum contritionis: ergo etiam tenetur illud confiteri. Pat. consq. nam in homi-

ne

ne baptizato, id quod est obiectum contritionis, est etiam confessionis obiectum. Explicatur: quovis tempore, fuit necessaria contritio de peccatis; sed tempore legis naturæ & scriptæ, offerebantur sacrificia pro peccatis dubijs: ergo etiam in lege evangelica debent confiteri. Min. const. ex D. Tho. cap. 1. Iob, lect. 1. in fine, vbi ait: Dicebat in corde suo Iob, non quidem de peccatis filiorum certus, sed dubitans :: & consurgens diluculo, offerebat holocausta pro singulis: ergo, &c.

Huic rationi, duæ aliæ solent coniungi. Prima: quia diversum iudicium formabit Sacerdos, de pœnitente, habente peccata mortalia dubia, ac de habente sola venialia, diversamque pœnam iniunget: ergo ne iudicium varietur, peccata dubia confiteri debent. Secunda: nam in dubijs, tutior pars est eligenda, quando possessio non favet dubitanti; sed tutior pars, est peccata dubia confiteri, quia sic nulli periculo exponitur, cui exponeretur illis inconfessis; & alias possessio favet præcepto, vt constat ex fidelium praxi. Illud autem principium: in dubio, melior est conditio possidentis, procedit quando dubitans, obligatur ad aliquid, excedens limites dubij, in præsenti autem, non sic obligatur, cum solum teneatur peccata dubia confiteri, sub dubio quod re vera habet.

Resolutionis nostræ comprobationem expressam, accipe ex Ang. D. in addit. 3. p. q. 6. art. 4. ad 3. vbi ait: quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel ommittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se commitens; & similitér periculo se committit, quia de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitativé loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere, inter lepram & lepram.

Sed oppones: in dubio de valore voti, vel de obligatione præcepti, libertati favendum est: ergo etiam in dubio de gravitate peccati. Resp. neg. cons. & disparitas est clara: quia votum, vel præceptum impleri nequeunt, nisi exequendo determinatè illam partem, quæ voto vel præcepto continetur, vt ingressus Religionis vel ieiunium, si de his fuerit votum vel præceptum, & ideo in dubio de his, prævalet ius libertatis, ne obligetur homo, vltra limites dubij; & idem est in dubio de debito iustitiæ, in quo nequit quis cogi ad solutionem certam, vltra dubij limites; præceptum autem confessionis, sufficienter impletur, declarando confessori peccata, eo modo quo sunt in conscientia, scilicet sub dubio quando sunt dubia, & certo, quando sunt certa, & ideo in dubio nulla libertas est, præponderans præcepto confessionis, & sub dubio confitendo, non obligatur quis, vltra dubij limites.

Quid autem dicendum, si semel confitetur peccatum vt dubium, & postea apparet vt certum? Resp. quód tunc debet, vt certum confiteri; sic sentit Diana, Gallego, Lugo, Aversa, Oviedo, quos sequitur Prado. Ratio est: quia si ab initio creditur, aliquid non esse peccatum, vel solum esse veniale, & postea apparet quod est mortale, transfertur de materia libera in necessariam, & alias differentia confessi & non confessi, est moralis specifica quo ad absolutionem, quia infirmitas certa, eget maiori medicina quam dubia. Explicatur: quia Trident. duas causas ponit, cur sit necessaria confessionis integritas, & quia iudicium nequit exerceri incognita causa, & quia æquitas nequit aliter servari, in pœnis iniungendis, sed in casu dubij, erat quis excusatus per accidens, ob ignorantiam vel oblivionem: ergo cessante dubio, tenetur confiteri peccatum vt certum, pro vt est in sua conscientia.

Dices 1. in confitendo numero peccatorum, si quis accusatur, per decem vices paulo plures vel pauciores, in luxuriam consensisse, & postea certo recordatur esse duodecim vices, non est necessarium iterum confiteri: ergo confesso peccato vt dubio, & postea certior factus de illo, non tenetur confiteri. Conseq. pat. nam cur magis vnum quam aliud debet confiteri si vtrumque dixit cum æquali dubio, & postea de vtroque, habet æqualem certitudinem? Secundó, dubius de voto vel irregularitate, petens ad cautelam dispensationem, vel absolutionem, si ea obtenta, inveniat censuram aut votum fuisse certum, non eget dispensatione, vel absolutione nova: ergo pariter in casu peccati dubij, quod postea fit certum, dicendum est.

Resp. ad 1. quód disparitas est facilis: nam in illo numero maiori peccatorum confesso, qui sub dubio dicit: paulo plures, in illis virtualiter exprimit duas vices restantes & dubias, nam confessor iudicium format, quod tertiam partem peccatorum confessorum non excedunt, vt vidimus suprá, & ideo quando numerus ille, certo apparet, non debet iterum confiteri; at peccatum certum, non continetur in peccato dubio, quia vtrumque differt moraliter specifice, in ordine ad confessionem, & ad iudicium ferendum á confessore, & sic diversa est ratio vtriusque; sic Lugo cum pluribus quos citat & sequitur Gobatus. Præterea dicitur: quód Sacramentum pœnitentiæ, maiorem explicationem requirit speciei peccatorum quam numeri, quia numerus, est extra rei essentiam, species verò, est ipsa essentia rei, vndé quo ad numerum, sufficit illum sub dubio explicare, quando aliter non potest haberi, quo ad speciem verò, debet explicari certo, præcipué cum illa facilius cognoscatur quam numerus, quæ doctrina affertur á Diana, Part. 10. Tract. 16. resol. 79. & ideo miror aliquos asserere, paritatem illam, esse argumentum convincens, illa enim efficaciter solvitur, duplici adducta disparitate. Ad 2.

dicatur: quód institutio Sacramenti Pœnitentiæ obligat vt confessori dicantur mortalia, eo modo quo possit de illis recte iudicare, quod non facit qui confitetur peccatum mortale vt dubium, si postea de illo est certus; potestas autem auferendi censuras, vel dispensandi in voto, hoc non postulat, ex quo patet disparitas vtriusque.

Sed contra omnia dicta, adhuc dices: in Tribunali Forensi, non admittuntur delicta dubia: ergo nec in Tribunali Pœnitentiæ. Resp. neg. cons. 1. quia tribunal Forense, institutum est ad puniendum reum, ob commune Reipublicæ bonum; Tribunal autem Pœnitentiæ, est institutum ad eum liberandum, si confitetur delictum, & ideo in hoc, potius attenditur favor personæ quam culpæ. Secundó: quia in Tribunali Forensi, negatio delicti favet reo, quia ex vi illius obtinet libertatem, sed in Tribunali Pœnitentiæ, confessio delicti favet reo ad obtinendam remissionem & animæ salutem, & sic diversa est vtriusque ratio.

Casus quartus, de reiteratione Pœnitentiæ. Nicolaus Papa relatus cap. de his vero, causa 26. q. 7. ait: Verum quia crimina, non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum, propter nimiam hebetudinem, in desperationem cecidisse, alios ob hoc, ad Paganos fugisse, tibi hoc committimus decernendum, nimirum, qui loca & tempora regionis illius, & modum culpæ, necnon & pœnitentiam & gemitus hominum ad confessionem venientium, præsens positus inspicere valeas; & D. Aug. epist. 51. ad Maced. de magnis peccatoribus ait: quamvis eis in Ecclesia, locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos, suæ patientiæ non obliviscitur; circa quæ dubitatur: an homo quantumvis in peccatis relapsus, possit Pœnitentiam reiterare?

De hac re, cuius resolutio, maximum peccatoribus solatium præbet, agit D. T. 3. p. q. 84. art. 10. & præcipua ratio dubitandi, sumitur ex verbis D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 12. vbi ait: Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo, nam si veré agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut vnum Baptisma, ita vna pœnitentia. Sed tamen veritas catholica est, quod homo quantumvis in peccatum lapsus & relapsus, potest itérato ad pœnitentiam accedere. Constat ex pluribus Sacr. Scrip. & SS. PP. testimonijs, nam Math. 18. vers. 22. dicitur: non dico tibi vsque septiés, sed vsque septuagiés septiés, & D. Chrisost. Hom. 2. in Psal. 50. ait: Peccasti? Pœnitere millies.

Deindé D. T. loco citato ad 3. ait: Sed qualis hic Medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est, centies infirmum centies curare: & Chrisost. Hom. 43. ad cap. 23. Math. ait: vbi pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax; si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius, austerus vult apparere? D. Hilar. Canon. 18. in Matth. ait: Neque fas est nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelij gratiam, sine modo nobis á Deo fuerit indulta, quæ omnia, hac adaptantur ratione á D. Thom. nam homo inducitur ad misericordiam, exemplo misericordiæ Dei, iuxta illud: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est; sed Deus hanc misericordiam discipulis imponit, vt sæpiús remittant, fratribus contra se peccantibus: ergo etiam Deus, sæpiús per pœnitentiam peccatoribus veniam præbet; & sic Ministri Ecclesiæ, pœnitentibus ritè confessis, quoties petierint veniam, debent absolutionem conferre.

Nec verba relata D. Ambrosij, aliquid in oppositum suadent, nam S. D. loquitur de pœnitentia solemni, quæ in Ecclesia non iteratur, sic ait D. Thom. ibi & infrá, q. 89. art 3. ad 3. vndé ait D. Ambr. est vna pœnitentia, quæ tamen publicé agitur. Ratio autem, cur non iteratur pœnitentia solemnis assignatur á D. Thom. in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ex tribus. Primó: ne ex iteratione vilescat. Secundó: quia est figura expulsionis hominis a Paradiso, quæ semel tantum est facta. Tertió: quia solemnitas, est quædam professio conservandi pœnitentiam perpetuo, & ideo iteratio solemnitati opponitur; & D. August. Epist. ad Maced. ait: de gravioribus criminibus, semel tantum agitur pœnitentia, scilicet solemnis, nam & de illis si iterentur, iteratur pœnitentia, sed non solemnis, in quo sensu interpretantur ab omnibus Ambrosij verba.

Ad ea quæ insinuantur in verbis Augustini, in initio positis, dicitur: quód Magnus Parens, respondebat Præsidi, seu Pronunsuli Africæ, qui ex consuetudine Ecclesiæ, arguebat adversus Episcopos, qui pro quibuslibet supplicio afficiendis intercedebant, & ideo vt argumentum habeat apparentiam, procedit á praxi fori externi Ecclesiæ, ad praxim fori sæcularis, alias nihil valeret argumentum á praxi fori interni, secretæ administrationis Sacramenti, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur. Nec his obstat, quidam Canon, Conc. Tolet. 3. vbi dicitur, fœdissime homines agere pœnitentiam, vt quotiescumque peccare libuerit, toties á Presbytero, se reconciliari expostulent. Resp. enim, quod ibi reprehenduntur illi, qui committebant pœnitentias imponere, iuxta formam sacrorum Canonum, communionem suspendendo, pro pœnitentibus orando, & manus imponendo, modo quo antiquitus Pœnitentia ministrabatur, sed nullo modo dicitur, quod relapsis iterum absolutio non conferatur, expleta satisfactione, & eorum probatione contemplata.

Casus quintus, de forma Sacramenti Pœnitentiæ. Infirmus quidam extremé periclitabatur, in quodam oppidulo exiguo, vbi solus erat Parrochus,

pro Sacramento Pœnitentiæ ministrando quem celeritér vocant infervientes infirmo, ne sic sine confessione decedat; accedit ad ipsum Sacerdos, eius peccata audit, & cum absolutionem vellet proferre, subita & forti detinetur linguæ paralisi, quin vllum verbum posset proferre. Quæritur, an absolutionē per signa vel nutus, infirmoc onferre posset, vel an ita sint necessaria formalia verba, vt sine illis, nullo modo possit confici Sacramentum essentialiter? Aliquos Doctores pro parte afirma tiva refert Suarez, sed re vera, illi obscuré loquuntur, nec videtur quomodo vir catholicus possit hoc affirmare. Quaproter Resp. certissimum esse, ita vt oppositum sit falsum, improbabile & temerarium, verba proprié dicta esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, ita vt si absolutio, signis vel scripto conferatur, nullum efficitur Sacramentum.

Sic tenet D.T. hic, q. 84. art. 3. ad 3. & præterquam, quod hoc est generale omnibus Sacramentis, constat specialitér de Pœnitentia, nam in Conc. Flor. in decr. de vnione Armenor. dicitur: quod forma illius Sacramenti, sunt verba absolutionis, quæ profert Sacerdes cum dicit: ego te absolvo, & quod ibi sit sermo de verbis proprié dictis, patet: quia postea, dum tradit formam Sacramenti Matrimonij, tantum dicit, verba esse necessaria regulariter; si autem loqueretur de verbis large sumptis, non diceret regulariter, sed semper, quia signa, quæ sunt verba large, semper requiruntur ad explicandum consensum in Sacramento Matrimonij; & hoc idem habetur apud Trident. Sess. 14. cap. 3. de quo alia ratio á priori non datur, nisi institutio Christi, & consensus vniversalis Ecclesiæ. Si autem petas disparitatem, inter hoc Sacramentum & Matrimonium, hæc est: quia Matrimonium, est contractus naturali, & aliás nimis necessarius ad conservationem speciei humanæ & ideo noluit Christus, quod in eius forma, esset tanta verborum necessitas, cuius contrarium in Pœnitentia contingit. *Dices*: quód etiam Sacramentum Pœnitentiæ, est maximé necessarium, & potest contingere quod Sacerdos in extrema necessitate possit confessionem audire, & non possit verba proferre. Resp. quód illa necessitas, non appellatur si impliciter extrema, quia potest homo per contritionem salvari; præterquam, quod ille casus est rarissimus, & non est in consequentiam adducendus; ex quo etiam solvitur paritas de confessione, quæ potest per signa fieri. Dicitur enim, esse disparitatem. Primó: quia hoc regulariter potest contingere. Secundó: quia forma debet esse expressior, quám materia per illam determinata, & ideo confessio, aliquando potest fieri per signa, non veró absolutio.

Nec obstat paritas de iudicio sæculari, in quo profertur sententia, per scripta vel signa; nam dicitur, quód diversum valdé est, iudicium Sacramentale ac sæculare, cum in illo sit idem actor, testis & reus, non autem in isto; vndé similiter ille modus ferendi sententiam, non sufficit ad iudicium, quod simul est Sacramentum. Vel dicatur: quód licet multa iudicia requirant, vt sententia scripto feratur, sed communiter necessarium est, vt proferatur verbis, licet scriptura requiratur vt conditio, vt possit pro dignitate proferri, & sic illa paritas pro nobis est; & est ratio: quia iudices subordinati, debent sequi in proferenda sententia formam á lege præscriptam, & cum Sacerdotes Pœnitentiæ Ministri, sint iudices Christo subordinati, debent sequi legem & institutionem eius, de sententia proferenda, per verba humana.

Dices: etiam hæc verba: ego tibi peccata remmitto; & hæc alia: absolvatis á Deo, & tandem: absolutionem tribuat tibi Deus, deprecativo modo prolata, sunt verba humana; & tamen ad formam absolutionis non sufficiunt. Resp. quód non omnia verba, humana sunt absolutionis forma, sed quæ proprium effectum exprimunt, iuxta institutionem Christi. De verbis autem adductis, laté agunt authores; de illis verbis: ego remmitto tibi peccata, certum est quod validum efficerent Sacramentum, quia conformantur cum verbis Christi dicentis: quorum remisseritis peccata, &c. sed vt notat D.T. hic art. 3. ad 3. ideo Sacerdos potius dicit: ego te absolvo, quám: ego tibi peccata remmitto, quia illa magis congruunt, verbis quæ Dominus dixit, virtutem clavium ostendens, per quam Sacerdotes absolvunt, & idem ait, opusc. 22. cap. 2. ad 12.

De illis verbis: absolvatis á Deo, ait Petrus Ledesma, non conficere Sacramentum validum, quia nequeunt imperativé proferri, nisi blasphemando; Soto autem oppsitum asserit, eo quod sunt verba æquipollentia, & practicé significant, efficiendo suum effectum. Sed re vera, illa est forma dubia, quia per taliá verba, Sacerdos non vult ponere immediaté effectum, sed imperare Deo, vt ipse ponat, quod valdé diversum est; & ideo talis forma, est o nnino vitanda. Undé ait Soto, quod huiusmodi formis vti, esset peccatum, licet non mortale ex genere, nisi daretur scandalum, nam vulgus, non haberet absolutionem illam pro legitima; quod præcipué debet attendi, post Decretum Innoc. XI. vbi tutiorem sententiam debere sequi decernit, circa materiam & formam Sacramentorum.

De vltimis verbis deprecatorié prolatis, certum est, validum Sacramentum non conficere, & oppositam sententiam, D. Thom. opusc. cit. vocat temerariam, præsumptuosam & erroneam; & rationem assignat ibi: quia in Sacramento Pœnitentiæ, verba Scripturæ, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo vtitur, non enim dicit; quæcumque petieris esse solvenda erunt soluta, sed quæcumque solveris, &c. & hic art. 3. ad 1. ait: in Sacramentali absolutione,

non

non sufficeret dicere: absolutionem & remissionem tribuat tibi Deus, quia per hæc verba, Sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit vt fiat; & hæc est communis Theologorum sententia.

Si dicatur: quód Apostoli in sanando, vtebantur forma deprecativa dicendo: sanet te Dominus, & sic idem dicendum, de forma absolutionis. Resp. quód aliquando Apostoli vsi sunt proprio actu in sanitate conferenda, vt cum dixit Petrus claudo: surge & ambula. Vel dicatur: quód Apostolis non est data potestas, vt ipsi sanarent infirmos, sed vt ad eorum orationem sanarentur, sed in Sacramentis data est eis virtus instrumentalis, & ideo in his possunt exprimere actum proprium. *Dices*: quód potestas collata Ministris est ministerialis, & non authoritativa, qualis videtur indicari, per verba indicativa & imperativa. Resp. quód hoc est verũ in iudicibus principalibus, sed non in subalternis, quales sũt Sacerdotes. *Et si* fit argumentum de extrema vnctione, cuius forma est deprecativa, dicendo: indulgeat tibi Deus. Resp. hoc esse, quia sanatio corporis, non statim confertur, sed petitur præstanda á Deo, & ideo interior sanatio, quæ per eam figuratur, deprecatorié á Deo poscitur; Sacramentum verò pœnitentiæ, fit per modum iudicij, in quo re ipsa absolvitur reus, & non verbis deprecatorijs: quod si aliquando SS.PP. dicunt, quod per deprecationem Sacerdotis absolutio confertur, hoc est intelligendum, quantum ad præambula, non vero quo ad ipsam Sacramenti formam, vt ait D. T. q.84. art.3. ad 2.

Casus sextus, circa idem. Confessor quidam, sæpé assuetus erat, ommittere absolutionem á censuris, nam dum verbum *absolvo* pronuntiabat, non habebat adhuc, expressam & determinatam intentionem absolvendi á censuris, nec á peccatis, & tunc determinabatur, quando dicturus erat: á vinculo excomunicationis, vel á peccatis tuis, sed prolato verbo *absolvo*, intendit expresé absolvere á peccatis, antequam pronuntiaret á peccatis tuis; quæritur: an teneatur repetere illa verba, absolvo te, & etiam in casu quo omnia animo distracto protulerit? Notandum: nos suprá dixisse, quod hæc verba: absolvo te á peccatis tuis, sunt de essentia formæ absolutionis. Nec D. Thom. q. 84. art. 3. sentit oppositum. Túm, quia ibi dicit, hæc verba: ego te absolvo esse formam; an verò sint illa sola vel etiam alia, non disputat, sed discipulis suis discutiendum relinquit. Túm, quia ipse ait ibidem, quod forma Sacramenti, significat id quod in Sacramento agitur, proportionabiliter eius materiæ; & post pauca, quod pœnitentia consistit in remotione peccati, pro vt peccata dicuntur esse materiam pœnitentiæ; vndé colligitur, quod verba formæ absolutionis, debent dicere ordinem ad peccata, dicendo: absolvo te á peccatis tuis; hoc enim est tutius, & saltim post primam propositionem ab Innoc. damnatam, circa materiam & formam Sacramentorum, sequendum.

Nunc ad specialem doctrinam deveniamus; & in primis dicimus: quód confessor ille, de quo casus loquitur, non teneretur in eo eventu verba repetere; sic sentit Suarez, & nos cum illo; & ducimur ex eo, quod non est opus, vt quando Sacerdos dicit: absolvo te, habeat tunc formaliter, seu virtualiter, tacité vel expresé, determinatam intentionem absolvendi á peccatis: nam credi non potest, quod verba indicativi modi, quibus conficiuntur Sacramenta, debeant habere determinaté Sacramentalem significationem, quando primo proferuntur, sed sufficit quod illam habeant, in prolatione vltimæ sillabæ, dum non sit contraria intentio; sicut enim illa sillaba vltima efficit Sacramentum, etiam potest determinare, confusam & indeterminatam significationem verborum præcedentium, & sic dum dicis: absolvo te, & dubitas an velis adiungere, á peccatis vel censuris, quando subdis: á peccatis tuis, verbum absolvo, sufficienter determinatur. Exemplum est, in pronomine *hoc* in Eucharistia, quod ex se importat aliquid confusum & vagum, ad panem, corpus Christi, vel aliam substantiam; & tamen in fine propositionis, determinatur vt corpus Christi significet.

Sed tamen, pro confessoribus scrupulosis, dicimus: quód ille de quo casus loquitur, non peccaret, si verba non repeteret, ob rationem proximé dictam; & etiam quia probabile est, per illa prima verba, formam Sacramenti constitui; sed rectius ageret repetẽdo, quia hoc nihil officit Sacramenti valori. Sed quando liceat vel non liceat, formam Sacramentalem repetere? Dicitur: quód ex genere suo, est grave peccatum, repetere formam respectu eorundem omnino peccatorum, in eadem confessione, nisi adsit rationabile dubium, de valore prioris absolutionis; sed multi ex huiusmodi repetitoribus, possunt excusari á peccato saltim gravi, quia vanitatem sui scrupuli, vel inanis dubij non apprehendunt, & ad eas reducuntur angustias vt peccatum cogitent, sive repetant, sive non repetant, & tunc minús malum est, iterare Sacramentum, quod re vera non esset iterandum, quám non repetere, quando erat repetendum; vt enim ait D. Leo. Papa: non intervenit temeritas præsumptionis, vbi est diligentia pietatis, nec gravis iniuria irrogatur Sacramento, quando solum propter scrupulum, fit formæ repetitio.

Si autem extet rationabile dubium, an fuerit forma prolata necne? Tenetur quis illam repetere, sub conditione, mente vel verbis expressa. Ratio est: quia hoc statuunt iura de Baptismo, & eadem est ratio de Pœnitentia, quæ post naufragium est tabula secunda, sicut Baptismus prima; & ideo iudico, quod quando adest tale dubium, est mortale formam absolutionis non repetere, saltem quan-

do pœnitens, mortale peccatum confessus est, non autem si confessus fuerit solum veniale, quia nequit iudicari quod tunc pœnitens velit graviter vrgere, ius quod forté habet ad absolutionem. Dubium autem rationabile non extat, quando quis voluntarié, vel involuntarié distractus, dubitat an protulerit formam, & ex hoc titulo præcisé, non datur motivum illam repetendi; sic sentit Gobatus.

Quodnam autem peccatum sit, pronuntiare absolutionis formam, cum distractione voluntaria? Resp. quód non adest fundamentum sufficiens, damnandi de mortali, sic proferentem formam, sicut idem dicitur, de proferente cum voluntaria distractione formam Baptismi, dum modo exercitatus sit in proferenda forma, licet re vera distractio illa, á peccato veniali gravi nequeat excusari; sic sentit Tamburinus, lib. 1. de Sacram. cap. 2. §. 1. num. 5. Sed quale peccatum sit, non præmittere absolutionem á censuris, ante absolutionem á peccatis? Dicitur: quód si pœnitens irretitus sit excomunicatione maiori, peccat mortaliter confessor, eius absolutionem non præmittendo, vt ait Suarez, quia tali censura ligatus, peccat mortaliter quodcumque Sacramentum recipiendo; sed si ille in articulo mortis existit, & periculum est, ne sine absolutione decedat, & confessor profert hæc sola verba: absolvo te, cum intentione absolvendi á censuris & peccatis, pœnitens ab vtrisque absolutus manet, & prius natura tollitur censura quam culpa; vel meliús erit dicere vnica enuntiatione: absolvo te, á censuris & peccatis, licet enim æger moriatur, antequam confessor pronuntiet, *a peccatis*, quod metaphysicum est, ille erit ab omnibus absolutus, vt idem Suarez sentit, & Tamburinus cum ipso.

Ex his constat, quid dicendum sit, de factis dupliéis confessarij. Primús enim absolvebat omnes pœnitentes sic: si teneris aliquo vinculo excomunicationis, ego absolvo te á peccatis tuis. Secundús, post absolutionem censurarum, absolvebat á peccatis dicendo; & ego auctoritate propria, absolvo te ab omnibus peccatis tuis; vtrumque optimé novi, & ambos idiotissimi damnavi. Primúm, quia sub illa formula, nec á peccatis, nec á censuris absolvebat, vt ex ipso modo enuntiandi constat. Secundúm, quia illa verba: *auctoritate propria*, sunt relativa ad ipsum confessarium, & hic est error, siquidem ille, propria auctoritate non absolvit, sed auctoritate Christi; aliud est dicendo: eadem auctoritate, vel auctoritate ipsius, quia hæc verba, sunt relativa ad antecedens, id est ad auctoritatem Christi, qua Sacerdos fungitur; hæc & similes ignorantiæ, audiuntur quotidié, non sine interno animi dolore.

Casus septimus, circa idem. Confessor quidam vocatus fuit, vt cuiusdam ægrotantis extremé, confessionem audiret, quod & fecit, vixque vllam materiam in eius inculpata vita reperijt absolutionis, sed ista nondum collata, cum infirmo volente & rogante conversatur, de quodam testamentario negotio, cuius occasione, absolutionis impertiendæ fuit oblitus; sed de huiusmodi defectu memoratus postea, iam á domo decumbentis, per viginti passus distans, versus illam faciem vertit, formam absolutionis pronuntiavit, illamque ad infirmum direxit. Quid sentiendum de huiusmodi facto? Resp. talem absolutionem nullam esse, vt pote directam ad illum, qui non erat moraliter præsens; sicut etiam esset nulla, si vocatus ad infirmum in agone positum, formam pronuntiaret in domus ingressu, ex metu ne sine absolutione decederet, antequam confessor perveniret; de quo agetur infrá, circa absolutionem non impertiendam absenti per internuntium; in casu ergo proposito licet non appareat evidens ratio, obligandi sub mortali confessarium, ad revisendum infirmum, pro supplendo defectu; & quia ipse vt diximus erat vitæ integerrimæ, & quia munitus erat sacro viatico, cum magna pietate recepto; & ita sentiunt Navarrus, & Valerus, apud Card. de Lugo; sed tamen valdé conveniebat, reddere ad ægrum, atque ingenué monere de defectu commisso, cui infirmus ipse causam præbuit; quód præcipué est verum, si pœnitens confessus esset, aliquod mortale certum vel dubium, vel non esset vitæ adeo integræ, sicut ille de quo agimus, vel si nullum aliud recepisset Sacramentum; tunc enim, non solum esset rectè consultum, sed necessarium, facere emmendationem. Túm, quia in illis circumstantijs, timere posset prudenter, ne absolutionis defectus, in æternum pœnitenti noceret. Túm, quia ille si novisset defectum, eius suppletionem instanter postularet.

Sed quia inculpabilis absolutionis defectus sæpé contingit, pro illo supplendo, sequentia notanda sunt. Primó: si confessor oblitus est absolvere á censura, á qua absolvere poterat, potest etiam distantem absolvere, quia absolutio censurarum, pœnitentis non exigit præsentiam, de quo agemus infrá, & dabimus disparitatem, de absolutione á peccatis. Secundó: si obliviscitur confessor, absolvere á peccatis, in vanum laborabit, formulam scriptam pœnitenti mittendo, quia ille præsens debet esse, quod designat particula *te*, & oppositum, nec tutum, nec probabile est, præcipué post Decretum Clement. VIII. vt dicetur infrá. Quænam autem exigatur pœnitentis præsentia? Resp. quód moralis sufficit, ita vt aliquo sensu percipi possit, vel tam parum distet, vt possit confessarium aud re loquentem (non loquimur modo de ægro, sensu destituto.)

Si dicas: intra quam pœnitentis distantiam, potest absolutio conferri, si fuerit oblita? Doctores varia dicunt. Sed iuxta Leandrum, Reginaldum, & Tamburinum, sine scrupulo potest absolvi, ille qui

exiſſit adhuc, intra confeſsionalis cancellos, quin ſit neceſſe illi mandare, vt iterum flectat; ſi autem iam per decem vel amplius diſtaret paſſus, debet iterum reuocari. ſi hoc ſine incommodo notabili poteſt fieri, vt quando vix aliquis alijs eſt in Templo, licet ille non videretur, ſed iudicaretur ibi eſſe non procul, quia non eſt neceſſe, vt oculis eum capiam. Quando autem confeſſor, abſolutionis conferendæ obliviſcitur, & poſt dimidiam horã recordatur, & pœnitens tunc præſens ſit, candide poteſt ſuam illi oblivionem fateri, & ei ſi velit, abſolutionem impertiri. Verum neceſſe non eſt pœnitentem de hac re monere, quia cenſetur, illum adhuc intentionem ſervare, abſolutionem percipiendi, vt afferunt Lugo, & Coninch.

Aliqui volunt, quod ſimilis defectus formæ, poteſt poſt quatuor vel ſex dies ſuppleri, ſi pœnitens poſt tale tempus, confeſſori fieret obvius. Sed re vera his non aſſentio, nam eo tempore peracto, poſſet rationabiliter timeri, ne pœnitens in peccatum mortale incidiſſet; quare tunc, non ſolum deberet moneri de eliciendo dolore, ſed etiam de confeſsione facienda. Quia tamen hæc admonitio, iuncta morali certitudini de abſolutionis omiſſione, erit forte pœnitenti gravis, & gignit periculum, non rectè ſentiendi, nec loquendi de confeſſarijs, iudico quod in eo caſu, tota res committenda eſt Deo; cum etiam Lugo ſentiat, cum Suarez, & Vazquez, quod monitio illa facienda non eſt, quando timetur ſcandalum, vel grave detrimentum proprium vel alterius.

Caſus octavus, circa idem. Vexabatur ſcrupulis confeſſor quidam, & die feſtivo ſolemni, plurium confeſsiones audivit; accedit inter alios mulier quædam, & omnia ſua confitetur peccata, & hoc facto, pœnitentia iniuncta á confeſſario, recipit etiam abſolutionem ab illo; & poſt hæc, aliud novum peccatum recenſet per modum dubij, an ſit peccatum, quod re vera erat; Sacerdos dubium ſoluit, & abijt pœnitens ſine illius peccati abſolutione; pergit poſtea confeſſor ad altare Miſſam celebraturus, & poſt conſecrationem recordatur, quod de illo peccato abſolutionem non contulit, & dum pœnitens communicare vult, dicit prius Sacerdos: ego te abſolvo á peccatis tuis. Quæritur: an ritè abſolverit, licet primam abſolutionem non contulerit? Reſpondet Gobatus, talem Sacerdotem egiſſe rectè, licet interveniſſet abſolutionis oblivio, etiam reſpectu aliorum peccatorum, quia memor fuit oblivionis ſuæ, in tempore valdè opportuno, iuxta doctrinam ſuperius adductam.

Huius occaſione ſciendum eſt: quód præter oblivionem abſolutionis, defectus alij, poſſunt á confeſſarijs committi. Primó, quando conferunt abſolutionem invalidé. Secundó, quando non interrogant ſpeciem & numerum peccatorum. Tertió, quando non docent neceſſario docenda; nec monent monenda. Quartó, quando docent non docenda, & ſuadent non ſuadenda. Pro his omnibus, eſt notandum generaliter, quod ſi aliquis ex his defectibus committitur, & poteſt ante datam abſolutionem emmendari, ſic debet fieri, vt per ſe patet; ſi autem tunc non corrigitur, & pœnitens diſceſſit, non emmendato defectu, non debet emmendari, ſi hoc fieri non poteſt, ſine violatione ſigilli.

Specialiter autem dicimus: quód quando confeſſor, invalidé formam abſolutionis protulit, quia ipſe erat excommunicatus vel ſuſpenſus, debet petere á pœnitente facultatem, loquendi cum eo, de confeſsione nuper facta, ad quændam defectum emendandum; quod ſi hoc nequit fieri ſine gravi ſcandalo, vel pœnitens nolit audire, non debet amplius vrgeri. Nec verum eſt, quod aiunt Suarez cum alijs, nempé in eo caſu, poſſe confeſſarium loquí cum pœnitente, etiam hoc invito, de peccatis confeſsis; hæc enim locutio, eſt contra religionem ſigilli, ſi autem pœnitens locutionem permittat, ei dicat confeſſor: quód iterum ſe accuſſet in genere, de his quæ confeſſus eſt proximé, vt rurſus abſolvatur, dum ab illo tempore, Deum graviter non offenderit, nam ſi denuo offenderit, debet aperire cum novo dolore. Si veró ante omnem defectus emmendationem, reddit idem pœnitens ad confeſsionale, non eſt opus aliud dicere, quam: nonne doles, & denuo te accuſas de omnibus mihi confeſsis? Quód ſi dicat: ita, abſolvatur, nulla prioris defectus mentione facta, ſic ſentit Dicaſtillus; & Navarrus cum Silveſtro, dicunt abſolute, quod ſi confeſſarius, ſcienter vel ignoranter, talem defectum commiſsit, ad nihil tenetur, niſi ad debitam pœnitentiam agendam; qua benignitate, facilius vtuntur Doctores, reſpectu abſolventis á reſervatis á quibus abſolvere non poterat.

Quid autem faciendum, in caſu ſecundi defectus, nempé quando confeſſor advertit, ſe non ſufficienter pœnitentem interrogaſſe, ſpecies, & numerum peccatorum? Reſp. quód ſi defectum agnoſcit, quando adhuc abſolutio non eſt impertita, tenetur illum emmendare; ſi veró poſt pœnitentem dimiſſum, probabile eſt quod ad nihil tenetur, niſi ad pœnitentiam agendam de ſua culpa; ſic ſentit Suarez, Lugo, & Dicaſtillo; quia poſtquam eſt prolata ſententia, iudex functus eſt munere ſuo, & ſic non tenetur iterum, cauſam nec ſtatum rei examinare; ſed tamen notant ipſi authores, quod ſi pœnitens poſtea, reddit pro alia confeſsione ad eundem confeſſarium, hic debet illum monere de defectu commiſſo, quia tenetur operam dare, vt pœnitens confiteatur omnia confitenda; licet hoc rectius neget Fagundez, quia confeſſarius vnius confeſsionis, debet ita ſe gerere in confeſsione poſteriori, ac ſi in tota ſua vita, nullam confeſsionem audiviſſet.

Undé confessarius, tenetur pœnitentem monere, de repetenda confessione, vt ipse recordetur speciei vel numeri peccatorum, quorum interrogationem fuit oblitus: quia iudiciaria potestas hoc petit, vt causa discernatur á iudice, quo facere nequit, si speciem & numerum peccatorum ignoret; & sic confessor peccaret mortaliter, non iubendo repetitionem pœnitenti, quæ iussio communiter debet fieri, statim dum advertit defectum, nam si nimium differatur, magna pœnitenti ingeretur molestia. Si autem hanc interrogationem differt vsque ad confessionis finem, & hoc fiat per socordiam, vix confessor excusabitur a mortali, propter dictam rationem, gravis molestiæ pœnitentis, præcipué si ad repetitionem peccati á confessore incogniti, deberent alia iam cognita recenseri, & pœnitens est maximé verecundus, vel delicatus; & sic tunc, in sua bona fide pœnitens est relinquendus, quod præcipué verum est, quando dubitatur de peccato an esset mortale, quia pro defectu incerto, nequit certa molestia, pœnitens gravari, & est præsumendum non extitisse moralem defectum, sed omnia esse rité gesta, vt constat ex L. Merito, §. pro socio.

Quando veró confessor, docuit non docenda, vel docenda non docuit; tunc si eius silentium vel dissimulatio, non reputatur á pœnitente pro signo suasionis, aut dissuationis malæ, vel pro tacita approbatione mali, quod patrabit pœnitens, & non esset patraturus, si fuerit á confessore admonitus, nihil aliud ab isto Deus exposcit, nisi pœnitentiam seriam, quia obligatio contra quam egit, non se extendit vltra ipsum confessionis actum; sic Suarez, & Dicastillo. Si autem confessarij silentium, habetur á pœnitente, pro approbatione operis mali, quod alias non esset patraturus, tenetur confessarius illud impedire, si hoc potest, sine scandalo & detrimento, vt quando dixit aliquid non esse necessario confitendum, quod re vera erat; sed de hoc infrá commodius agemus, dum de Ministro confessionis, eiusque qualitatibus differamus.

ARTICVLVS III.

De Pœnitentia, vt est virtus.

Prima difficultas: Vtrúm Pœnitentia sit virtus specialis? Hæc & sequentes difficultates, alias materias transcendunt, sed ob doctrinæ connexionem, hic breviter apponuntur. Supponimus: quód Pœnitentia, est proprié & simpliciter virtus; sic habet D. Thom. q. 85. art. 1. & rationem assignat: nam pœnitentia, est habitus electivus, secundum rationem rectam, in quo principaliter virtus moralis consistit: ergo est vera virtus. Prob. anteced. nam ad rectam rationem pertinet, vt aliquis doleat, de quo dolendum est; sed hoc facit pœnitentia, nam assumit dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea: ergo, &c. *Dices*: quód verecundia non est virtus, quia est passio corporaliter immutans, & quia non est dispositio perfecti, cum sit de turpi actu, quæ etiam pœnitentiæ conveniunt, & sic virtus non est. Resp. cum D. Thom. ad 2. quód pœnitentia vt passio, non est virtus, bené veró vt habet ex parte voluntatis electionem rectam, quod magis potest dici de illa, quám de verecundia, nam hæc respicit turpe factum vt præsens, quod est contra rationem virtutis, pœnitentia veró, respicit illud vt præteritum de quo dolet.

Si dicas: nullus est stultus, eorum quæ sunt secundúm virtutem, vt ait Arist. sed stultum videtur doleri de peccato præterito, quod non potest non esse: ergo, &c. Resp. dist. min. stultum est, si conaretur ad hoc quod factum non fuerit, conc. si intenderetur eius remotio, & sequela illius, nempé offensa Dei, & reatus pœnæ, neg. & hoc secundum intendit pœnitenti; licet enim non possit intendere quod peccatum non fuerit, implicat enim contradictionem, quod præterita non fuerint, vt ait D. Thom. 1. p. q. 25. art. 4. potest tamen intendere peccati displicentiam & detestationem, cum dolore de eius comissione, quia malitia & offensa, sive præsentes sive præteritæ æqué merentur displicentiam, detestationem & odium, & hic actus est efficax, nam ineficaciter etiam potest intendi earum non præteritio, dicendo: si possem facere, vt peccatum præteritum non fuisset, id facerem; vndé vt ait Soto: quia homo videt impossibile esse non peccasse, contristatur de Dei offensa; sicut de Solone refertur, quod mortuo filio, dictum est ei cur ploraret si nihil proficiebat? Et respondit: Propterea lachrimor, quia nihil lachrimando proficio.

Dicendum est ergo: quód Pœnitentia est virtus specialis; sic ait D. T. art. 2. & ratio est: quia species habituum, summitur ex specie actuum, & ideo vbi occurrit specialis actus laudabilis, poni debet specialis virtus; sed in pœnitentia occurrit specialis actus laudabilis, nempé operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa: ergo, &c. *Sed oppones*: Ratio iniuriæ repertæ in peccato, non est speciale vitium sed circumstantia generalis omnium peccatorum: ergo nec pœnitentia tendens ad destructionem peccati, est virtus specialis. conseq. pat. á paritate. Resp quód antec. est verum, si ratio iniuriæ non intenditur specialiter, secus si specialiter intendatur, sicut inobedientia, est circumstantia generalis peccatorum, & obedientia, actuum implentium præceptum, si specialiter non intenduntur, si autem intenduntur specialiter, inobedientia est vitium speciale, & obedientia specialis virtus; vndé D. Thom. ad 1. ait: quód intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem virtutem.

Sed dices: quodnam est motivum speciale, & quis-

quisnam actus principalis pœnitentiæ? Resp quód proprius & principalis actus pœnitentiæ, postulans virtutem specialem, est detestare peccatum, vt est offensa Dei, expiabilis & delebilis per actum peccatoris; sic D.Tho. art.2. & 3. *Si dicas* 1. eiusdem virtutis est delectari de bono, & detestare malum oppositum; sed continentia, v.g. delectatur de actu castitatis: ergo detestatur incontinentiam, & sic hæc detestatio, motivum speciale pœnitentiæ non est. Secundó, obiectum pœnitentiæ, est peccatum in communi: ergo illa non habet motivum speciale. Tertió, priús quam sit pœnitentia, detestatur peccatum, per actus charitatis, ipsam præcedentem: ergo hæc detestatio, non est propria & peculiaris pœnitentiæ.

Resp. ad 1. quód virtutes particulares, detestantur peccatum sibi oppositum, sub ea ratione speciali quæ contrariatur illis; sed tamen detestare illud, sub ea speciali ratione qua est offensa Dei, emmendabilis & satisfactibilis, solum per pœnitentiam destruitur, & detestatur. Ad 2. quód pœnitentia respicit omne peccatum vt obiectum, ex parte rationis quæ, sed ex parte rationis sub qua, respicit vt perpetratum & offensivum Dei, cui homo vult amicabiliter reconciliari, quod constituit speciale motivum. Ad 3. quód si peccatum consideratur, vt est mala dispositio, & vt Deo vniversali bono contrariatur, per contritionem destruitur, sed tamen consideratum, vt est particularis iniuria Dei, per pœnitentiam aufertur; vndé constat, quod obiectum formale virtutis pœnitentiæ, est ius divinum lesum, vt reparabile per satisfactionem & compensationem quandam.

Secunda difficultas: An pœnitentia sit species iustitiæ? Resp. affirmativé cum D. T. art.4. Ratio est: quia proprius actus pœnitentiæ, est compensatio pro offensa contra Deum commissa; sed hoc ad iustitiam pertinet: ergo, &c. Min. constat, nam ibi est commutatio quædam, quæ pertinet ad iustitiam. Prob. min. quia pœnitentia non est virtus specialis, ex eo quod dolet de malo commisso, sed ex eo quod dolet de illo vt offensa Dei, cum emmendationis proposito; sed emmendatio offensæ, non fit solum per eius cessationem, sed per compensationem. Túm, quia hæc est communis acceptio vocum. Túm, quia remuneratio quæ illi correspondet, fit per retributionem: ergo proprius actus pœnitentiæ, est compensatio iustitiæ; vndé ait Baruch: anima quæ tristis est super magnitudinem mali, dat iustitiam Domino.

Oppones: peccatum detestatum per pœnitentiam, non est iniustitia specialis contra Deum, vt ait D. T. 2.2. q.58. art.8.ad 2. ergo nec pœnitentia est species iustitiæ. Prob. antec. Túm, quia alias in quolibet peccato, præter malitiam specificam daretur alia malitia iniustitiæ. Túm, quia violans iustitiam alterius, tenetur statim damnum resarcire, peccator autem, non tenetur statim confiteri, sed tempore ab Ecclesia statuto: ergo, &c. Resp. quód non semper obligatio compensandi ex iustitia, ex iustitiæ violatione procedit, nam qui aliquid accipit mutuo ab alio, tenetur ex iustitia ad restitutionem ratione rei acceptæ, & tamen accipiendo, nullius iustitiam violavit. Vndé dicitur: quód licet ad satisfactionem ex iustitia, restitutivam honoris vel pecuniarum, supponatur violatio iustitiæ, non verò ad satisfactionem compensativam iniuriæ, sed sufficit quod detur transgressio iuris alteriús, & debitum satisfaciendi, & hoc reperitur in peccato, & in pœnitentia, & ideo vt hæc sit species iustitiæ, non requiritur quod peccatum detestatum per illam, sit specialis iniustitia contra Deum.

Sed dubitabis: quænam iustitia sit hæc, in pœnitentia reperta? Resp. quód illa non est pars subiectiva iustitiæ, sed solum potentialis, hoc est, non continetur sub speciebus iustitiæ specialis directé & simpliciter, sed solum indirectè & secundum quid. Constat ex D.Thom. hic art. 3. ad 2. & 3. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. vbi ait: Cúm ergo inter hominem, & Deum sit maxima distantia, non potest esse propria iustitia hominis ad Deum, sed aliquis iustitiæ modus, quasi per similitudinem; vndé sicut religio, ponitur pars iustitiæ, non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, ita etiam pœnitentia. Ratio primæ partis, nempé quod non sit pars subiectiva iustitiæ, est: quia solum illa iustitia, quæ est eiusdem speciei cum iustitia humana, est iustitia simpliciter & eius pars subiectiva; sed Pœnitentia non est eiusdem speciei cum iustitia humana, siquidem hæc, reddit simpliciter æquale, quod pœnitentia non habet, quia respicit divinum ius, excellentius omni iure humano, quod excellentiorem virtutem requirit; sicut etiam gratitudo ad Deum, altiorem virtutem exigit, quam gratitudo ad homines: ergo, &c.

Secunda pars, nempé quod pœnitentia, sit pars potentialis iustitiæ. Prob. partes potentiales iustitiæ sunt, quæ in aliquo cum iustitia perfecta conveniunt, & in aliquo ab eius perfectione differunt, vndé virtus debitum æquale non reddens, est solum pars potentialis iustitiæ; sed pœnitentia, nequit Deo reddere æquale. Túm, quia quicquid reddimus Deo, est debitum illi. Túm, quia inter Deum & homines, est distantia infinita, & sic nequit dari æqualitas, sicut nec datur inter dominum & servum. Túm, quia ob infinitatem peccati, nequit satisfactio finita puræ creaturæ illud adæquare, vt dicitur, tract de Incarn. ergo, &c. *Sed oppones* 1. Deus non tenetur acceptare satisfactionem pœnitentiæ, ex iustitia stricta, & quia hæc inferioritatem dicit, & quia ipsa pœnitentia, iam exiit sub Dei domino: ergo illa iustitia non est. Secundó: nam saltim respectu peccati venialis, pœnitentia erit iustitia perfecta, cum reddat æquale pro illo.

Ad

Ad 1. multa dicunt Theologi in Tract. de Incarn. nunc dicimus, quod etiam Deus ex iustitia pœnitentiam acceptat, iuxta dictum Psalmi: acceptabis sacrificium iustitiæ, nec est sub Dei dominio positivé & privativé, non enim privat, quo minus iure libertatis, pœnitentia sit propria voluntatis humanæ, nec in Deo dicit inferioritatem quia ius pœnitentiæ, pendet á iure Dei in fieri & conservari, & ideo eius superioritati non obstat. Ad 2. dicunt multi, quod etiam pro culpa veniali, pœnitentia non est satisfactio condigna. Sed adhuc hoc admisso, dicitur: quód primariús pœnitentiæ actus, est satisfacere pro mortali, respectu cuius æquale non reddit, satisfactio veró pro veniali, est actus secundariús, & virtus ab actu primario speciem summit; sicut religio, in solutione decimarum reddit æquale, & tamen solum est pars potentialis iustitiæ, quia in primario eius actu, qui est cultus Dei, perfecté æquale non reddit.

Sed restat adhuc scire. ad quam speciem iustitiæ pœnitentia pertineat? Resp. quód pertinet ad iustitiam commutativam. Ratio est: quia actus compensativus pœnitentiæ, procedit á speciali virtute iustitiæ; sed non ab alia, nisi á commutativa: ergo, &c. Prob. min. quia non procedit á iustitia distributiva, hæc enim respicit bona communia, vt dividenda inter particulares personas, quod non respicit pœnitentia, nec procedit á iustitia legali, quia hæc ordinat ea quæ sunt particularium personarum ad bonum commune, pœnitentia veró, solum attendit compensare pro offensa irrogata Deo; nec procedit á iustitia vindicativa, quia hæc est in solo Deo offenso vt in subiecto, & in humano iudice vt exequente, pœnitens autem, nec gerit vices Dei offensi, nec iudicis exequentis, sed rei & offensoris.

Restat ergo, quod pœnitentia sit iustitia commutativa; quod expressé habetur apud D. Tho. hic art. 3. ad 3. vbi ait: sicut est commutatio quædam in beneficijs, ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam iustitiã vel voluntarié recompensat emmẽdam, quod pertinet ad pœnitentiam. *Dices* 1. quód D. Tho. in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. quæstinc. 2. ait, quod pœnitentia ponitur sub vindicativa iustitia. Secundó: quód pœnitentia, nequit Deo reddere æquale pro offensa quia hæc infinita est. Resp. ad 1. quód pœnitentia reducitur ad iustitiam vindicativam, quantum ad pœnam quam sustinet peccator, non veró quantum ad compensationem, quam exhibet voluntarié, & est eius primariús actus. Ad 2. quód pœnitentia non reddit Deo æquale simpliciter, sed solum secundum quid, ex quo solum sequitur, illam non esse iustitiam commutativam perfectam, sed imperfectam. Quód si D. T. aliquando negat, dari in nobis iustitiam commutativam erga Deum, loquitur de iustitia commutativa commerciali, quæ consistit in datis & acceptis, non veró de illa in sensu Theologorum.

Tertia difficultas: An pœnitentia sit recompensatio iustitiæ, non solum pro pœna, sed etiam pro culpa? Resp. quód pœnitentia, est compensatio ex iustitia imperfecta, pro pœna temporali & æterna, & etiam pro culpa; sic sentiũt communiter Thomistæ, cum Cayet. & Bañez; & de pœna temporali, constat ex Trident. Sess. 6. cap. 14 & D. T. loco ex sent. proximé cit. ait: quód pœnitentia, est quodammodo species iustitiæ vindicativæ, & hæc pœnam respicit. De pœna æterna patet: nam illa remmittitur simul cum culpa; pœnitentia autem, est satisfactio imperfecta pro culpa, & consequenter etiam pro pœna, sed tamen pœnæ remissio, non est terminus immediatus satisfactionis, sed aliquid consequens illam, ex eo quod Deus est satisfactus, & quasi contentus illa satisfactione.

Quo ad satisfactionem pro culpa, constat ex D. Thom. 1. p. q. 21. art. 4. ad 1. vbi ait: Quód in iustificatione impij apparet iustitia Dei, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit, & 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. ait: Quód purus homo, potest satisfacere ex iustitia imperfecta pro culpa. Ratio summitur ex eo, quod sicut per virtutem religionis, satisfacimus Deo pro beneficijs acceptis, ita per pœnitentiam satisfacimus pro peccatis contra illum commissis; sed per virtutem religionis, satisfacimus ex iustitia imperfecta, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 80. art. vnico: ergo etiam per virtutem pœnitentiæ. *Si dicas*: quód pœnitentia, est iustitia imperfecta pro pœnis debitis, peccatis gratis remissis, quæ pœnæ respondent peccatis ex parte conversionis. Contra est: nam D. T. in sentent. citatus, art. 2. ad 1. ait: quidam dicunt, quod peccatum habet infinitatem ex parte aversionis, & sic gratis dimmittitur, sed ex parte conversionis culpa finita est, & sic pro ea satisfieri potest per actum pœnitentiæ. Sed hoc nihil est, ait D. T. quia satisfactio non correspondet peccato, nisi secundúm quod est offensa Dei, quod non habet ex parte conversionis, sed ex parte aversionis.

Deindé prob. contritio exigitur ad remissionem offensæ; sed non ex lege positiva, quia multi dicunt, quod etiam de potentia absoluta nequit remmitti peccatum, sine contritione & pœnitentia; nec etiam requiritur vt iustificatio sit voluntaria, quia ad hoc sufficiebat attritio, vel consensus in amicitiam Dei: ergo requiritur ex sua ratione specifica, quia ex natura offensæ illatæ, oritur obligatio resarciendi Deo iniuriam, per satisfactionem & dolorem. Demum: nam licet daremus pœnitentiam esse virtutem religionis cum Cayet. vel charitatis, cum alijs, vel iustitiam cardinalem cum Durando, vel vindicativam cum Soto, illa per se primo respicit culpam, & tristatur de amici offensa, sicut cha-

ritas, reddit compensationem, sicut iustitia cardinalis, & etiam vindictam infligit pro culpa: ergo sententia nostra, est conformior, cuilibet modo dicēdi.

Sed arguitur 1. Contritio nullo modo est meritoria etiam de congruo remissionis culpæ: ergo nec est satisfactoria pro illa, cons. pat. á paritate. Secundó: nam si pœnitentia esset satisfactoria pro culpa, Deus aliquomodo teneretur culpam remittere quod falsum est, nam gratis iustificamur per gratiam, vt Paulus ait. Tertió: nam etiam sequeretur, nos mereri ex iustitia, quod Deus reconcilietur nobiscum, quod est falsum & hæreticum, quia iustificatio, non est ex operibus nostris. Quartó: satisfactio pœnitentiæ, iam supponit gratiam remittentem peccatum, quia opus peccatoris gratia destituti, satisfactorium non est coram Deo, & sic pœnitentia, ex iustitia peccatum non remmittit, sed gratis remissum supponit.

Resp. ad 1. quód non est eadem ratio de satisfactione ac de merito, quia non satisfacimus pro iustificatione, aut remissione culpæ, quia hæc sunt bona nostra, gratis á Deo collata, & ideo illa non meremur; satisfacimus autem Deo reddendo illi bonum suum, quod ei per peccatum abstulimus, scilicet debitam obedientiā & mandatorum obseruantiam, & licet satisfactio pro offensa disponat ad gratiam, & vt hac informata mereatur vitam æternam, sed tamen adhuc illa existente, meregratis iustificamur; ex eo enim quod quis satisfaciat alteri pro iniuria, non illum obligat, vt iterum amicitiam faciat. Ad 2. Resp. quód Deus incapax est obligationis, & alias, hæc non est satisfactionis intentio, sed solum compensare pro iniuria illata, & ordinari ad honorem, & vtilitatem illius cui fit, quod non esset, si illum intenderet obligare. Quomodo autem dicimur gratis iustificari, explicatum manet, & rursus dicitur, quod iustificatio impij, vt est bonum eius, gratis fit, sed vt est remissio culpæ, vt est Dei iniuria, fit ex iustitia.

Ad 3. Resp. quód illud esset verum, si opus cui ex iustia debetur præmium, supponat amicitiam completam cum Deo, & ordinetur ad bonum operantis, quod tamen pœnitentia non habet, quia nec amicitiam completam supponit, sed ad illam tendit, nec ordinatur ad bonum pœnitentis, sed ad bonum Dei, & ideo pœnitentia, non meretur ex iustitia, Deo reconciliari. Ad 4. quód pœnitentia supponit remissum peccatum, vt est malum peccatoris, non veró vt est offensa illata contra Deum, quia sic remmittitur per satisfactionem. *Si dicas*: offensa iam est remissa ante satisfactionem: ergo nullum debitum offensæ, restat satisfactibile per pœnitentiam. Resp. eodem modo, quod offensa est dimissa vt malum peccantis, non veró vt iniuria Dei, & sic licet in pœnitente nullum restet debitum culpæ, vt est malum eius, benè veró vt est Dei offensa, & per hanc præcisionem, faciliter solbuntur, omnia contrariorum argumenta.

Quarta difficultas: An pœnitentia sit virtus moralis, supernaturalis & infusa? Dico 1. Pœnitentia est virtus moralis, sic habet D. T. art. 3. ad 1. vbi ait: materia pœnitentiæ non est Deus, sed actus humani quibus Deus offenditur vel placatur, ex quo patet, quod pœnitentia non est virtus Theologica, quia non habet Deum pro obiecto & fine; sed hoc pœnitentia non habet, quia eius obiectum, est peccatum commissum quod intendit expiare finis autem, est cui intendit reconciliari: ergo, &c. *Oppones*: ad rationem virtutis Theologicæ, sufficit respicere Deum, vt finem *cui*, vt patet in charitate, quæ etiam in actibus, quibus Deo vult extrinseca bona, est virtus Theologica, & solum respicit illum, vt finem cui; sed hoc ipsum habet pœnitentia: ergo, &c.

Resp. cum D.T. loco suprá citato ex sententiar. quód virtutes infusæ, quædam habent Deum pro obiecto & fine, sicut Theologicæ, quædam non pro obiecto in quod tendat earum actus, sed pro fine proximo, vt latria ad Deum ordinata, & hæc sunt propinquæ virtutibus Theologicis, quædam autem non habent Deum pro obiecto, neque pro fine proximo, sed vltimo, sicut temperantia, quæ habet passiones pro materia, & quietem animi pro fine proximo, & hanc vlteriús ordinat ad Deum; pœnitentia ergo, licet non habeat Deum pro obiecto, benè veró pro fine proximo, quia ad hoc movetur quis, ad destruenda peccata commissa, vt Deo recōcilietur, & ideo quo dammodo virtutibus Theologicis assimilatur, & aliquando charitatis, ad scribitur; vndé ait D.T. hic, art. 3. ad 4. quód licet pœnitentia directé sit species iustitiæ, comprehendit quodammodo, ea quæ pertinent ad omnes virtutes.

Dico 2. solo lumine naturali, potest quis pœnitere & dolere de peccatis, vt sunt malum rationalis naturæ, & offensa Dei; sic tenet D.T. hic, q. 84. art. 7. ad 1. dicens: De iure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat fecisse, & doloris remedium quærat. Ratio est: quia lumen naturale dictat, vt errata displiceant, ad quod sequitur naturaliter dolor, & diligentia medendi malum, ad fit in naturalibus morbis: ergo idem est dicendum, de morbis spiritualibus. Deindé: quia ipsa natura monet, Deum nostris malis offendi, & ideo respublicæ naturales rectè institutæ, Deum sacrificijs placare curabant, credentes retributionem iustorum, & iniquorum, post hanc vitam; & ideo asseruit Seneca, in Traged. quæm penit & peccasse, pené est innocens. & Arist. 7. Ethic. cap 7. ait: Quód incontinens pœnitet, & ideo morbus eius, curabilis est, & tandem Ovid. 1. de Pont. dicit: Sæpé levant pœnas, erectaque lumina reddunt, cum benè peccati pœnituisse vident.

Sed est notandum: quód habitus pœnitentiæ natu-

naturalis, genitus ex actibus repetitis, non habet veram rationem virtutis. Ratio est: quia ille habitus dicitur proprié virtus, qui facit rectam electionem disponendo ad optimum & perfectum in suo genere; sed hoc non habet pœnitentia naturalis, quia non perfectè placat Deum, nec perfectè purgat peccatum, nec intra ordinem naturæ, est aliquod firmum principium, quo quis certificetur de eo quod hac obtinebit: ergo illa, non est perfectè virtus. *Dices*: hinc solum sequi, pœnitentiam naturalem, esse inferiorem infusa, cum quo stat, quod sit verè virtus, vt patet in virtutibus moralibus, quæ sistunt intra ordinem naturæ. Resp. quód virtutes morales, sistunt & satiantur in propria materia, & manent quietæ simpliciter, quod requiritur ad rationem virtutis; pœnitentia verò naturalis hoc non habet, quia non regulatur aliquo habitu intellectûs, habente certitudinem, & ideo non est vera virtus.

Dico 3. Habitus Pœnitentiæ, infunditur nobis immediatè á Deo, sine nobis principaliter operantibus, non verò sine nobis dispositivè operantibus; prima pars constat ex Trident. Sess. 14. cap. 5. & ex D.T. in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 5. & ratio est: quia omnes virtutes ordinantes hominem, secundum statum vitæ gratiæ, sunt ex genere suo infusæ, quia excedunt statum vitæ naturæ; sed pœnitentiæ virtus est huiusmodi: ergo est per se infusa. Prob. min. quia Deus suaviter disponit omnia: ergo sicut actum virtutis naturalis, non producit sine habitu naturali, nec actum supernaturalem, sine virtute supernaturali producit. Secunda pars habetur in Trident. cap. 4. dicente: actum pœnitentiæ, esse donum & impulsum Spiritus Sancti, atque ad iustitiam parare viam; & D.T. in sent. citatus, ait: Virtutem pœnitentiæ Deus nobis infundit, sed dispositio aliqua ex parte nostra præcedit & secundum hoc, habet aliquam originem in nobis.

Quinta difficultas: De subiecto Pœnitentiæ. Dico 1. Proprium subiectum Pœnitentiæ, est voluntas; sic D. T. q. 85. art. 4. constat ex illo Psalm. Voluntariè sacrificabo tibi; & ratio est: quia Pœnitentia vt vidimus, est pars iustitiæ, sed iustitia subiectatur in voluntate: ergo etiam Pœnitentia; vnde ait D.T. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 2. iustitia & omnes partes eius, & per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate, sicut in subiecto. *Si opponas*: quód pars potentialis alicuius virtutis, potest esse in diverso subiecto, quam sua virtus principalis, sicut temperantia, est in appetitu, & eius partes potentiales, vt humilitas, continentia & magnificentia, sunt in voluntate; sed pœnitentiaa, solum est pars potentialis iustitiæ, vt vidimus: ergo, &c. Resp. quód aliqua virtus, potest esse directè in appetitu sensitivo, & participare aliquid á voluntate, vel á virtute in ea existente, & hoc contingit in virtutibus relatis; hoc autem in iustitia non contingit, quia appetitus sensitivus, non considerat proportionem vnius ad alium, sed hoc est proprium rationis, & similiter penitentia, attingit Deum, vt finem intrinsecum, quod appetitui sensitivo non convenit.

Dices 1. actus pœnitentiæ, est pœna & dolor, sed de ratione pœnæ, est quod sit involuntaria: ergo pœnitentia, non est in voluntate. Secundó, tristitia est actus pœnitentiæ, sed illa non est in voluntate, nam tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt: ergo, &c. Tertió, pœnitentia est de præterito; sed hoc est obiectum memoriæ: ergo, &c. Resp. ad 1. quód non est de ratione pœnæ quod sit involuntaria, nam ad rationem pœnæ, sufficit quod opponatur appetitui, vel eius commoditati, quod habet pœna, quæ per pœnitentiam assumitur. Ad 2. quód licet tristitia eveniat nobis nolentibus, sed non requiritur nolitio eiusdem tristitiæ, sed rei de qua tristamur, & sic licet quis volens peccaverit, postea verò, nollet peccasse, ex qua nolitione oritur tristitia, licet nolitio voluntariè assumatur, potest enim quis se sponte flagellare, considerando peccati absurditatem, & bonitatem Dei. Ad 3. quód voluntas movet omnes potentias, & ideo pœnitentia existens in voluntate, potest aliquid in alijs potentijs operari.

Sed an dolor appetitus sensitivi, generet habitum pœnitentiæ, sicut detestatio, illum generat in voluntate? Resp. negativè; constat ex D. T. in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2. vbi ait: quód dolor qui est in concupiscibili, non est actus pœnitentiæ virtutis, sed materiale; sed dolor qui est detestatio culpæ commissæ, est actus eius, & hoc est voluntatis in qua est iustitia, cuius actus est, detestare inæqualitatem præexistentem, & eam ad æqualitatem reducere. Ratio est: quia nullus habitus, potest habere rationem alicuius virtutis, nisi eius rationem formalem attingat; sed appetitus sensitivus, non attingit rationem formalem pœnitentiæ. Tùm, quia sola voluntas detestatur inæqualitatem existentem, & eam ad æqualitatem reducit. Tùm, quia dolor appetitus sensitivi, est effectus pœnitentiæ, & sic nequit esse eius materia circa quam.

Dices: quód dolor appetitus sensitivi de peccato, est laudabilis, & circa obiectum difficile, & sic á virtute pœnitentiæ procedit. Resp. quód ille actus laudabilis est, sed tamen est secundariùs, respectu pœnitentiæ illum ordinantis, ad satisfaciendum pro peccato; quæ doctrina est D. T. in sent. citati, dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiunc. dicentis: quód in contritione, est duplex dolor de peccato, vnus in parte sensitiva, qui passio est, & hic non est essentialiter contritio, pro vt est actus virtutis, sed magis effectus ipsius, sicut enim pœnitentia virtus, exteriorem pœnam suo corpori infligit, ad recom-

pen-

pensandam offensam, quæ in Deum commissa est officio membrorum, ita etiam & ipsi concupiscibili, pœnam infert doloris prædicti, quia ipsa etiam, ad peccatum cooperabatur.

Sed his non obstantibus, per quandam redundantiam motionis, & imperij Pœnitentiæ, possunt in appetitu sensitivo, esse Pœnitentiæ dispositiones, quæ non habent rationem virtutis, nisi ex motione voluntatis, in qua residet Pœnitentia; constat ex D.T. in 4. dist.14. q.1. art.3. quæstiunc. 1. ad 1. vbi ait: Pœnitentia non expellit omne peccatum formaliter, sed quasi active; vndé non oportet quod sit vt in subiecto, in qualibet vi, vbi potest esse peccatum, sed quod ea quæ sunt in illius virtutis viribus, subijciantur ei quasi materialiter; & hoc pœnitentia habet, in quantum est in ratione, cui omnes aliæ vires subduntur, quasi ab ipsa motæ & regulatæ; quibus consonat D. August. Epist. 108. vbi ait: est pœnitentia, bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, &c. vbi per tunsionem pectoris, quasi per effectum cordis contriti, essentiam pœnitentiæ explicuit.

Dico 2. in peccatore, non remanet habitus virtutis infusæ pœnitentiæ. Constat ex D. Tho. 1. 2. q.65. art.2. vbi probat, quod virtutes morales, nequeunt sine charitate reperiri. Ratio est: quia gratia & virtutes comparantur inter se, sicut natura rationalis, & eius potentiæ; sed deficiente natura rationali, etiam eius potentiæ deficiunt: ergo etiam deficiente gratia, deficiunt virtutes; quod summitur ex D.T. 1. 2. q.110. art.4. ad 1. Specialiter autem de habitu pœnitentiæ, habet hæc, in 4. dist. 17. q.2. art. 1. quæstiunc. 3. Habitus virtutum infusarum qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum charitatem consequantur; vndé antequam gratia infundatur, non est habitus, á quo actus contritionis potest elici.

Dices 1. quód fides & spes manent in peccatore, & sic etiam pœnitentia manere potest, quæ est inferior illis. Secundó: quia attritio supernaturalis, manet in peccatore, & illa est actus virtutis pœnitentiæ. Resp. ad 1. cum D.T. loc. cit. 1. 2. art.4. ad 1. quód virtutes mórales pendent á prudentia, & prudentia infusa talis non est sine charitate, nam sine hac, non est debita habitudo ad primum principium, quod est vltimus finis, fides autem & spes, ex suo conceptu, nec á prudentia, nec a charitate pendent, & ideo possunt esse sine ista. Ad 2. quód attritio, sicut etiam pia affectio, non sunt virtutes perfectæ, sed imperfectum quid in genere supernaturali, per modum dispositionis, non autem virtutis, & sic cum alijs virtutibus non connectuntur; sic ait D.T. loc.cit. ex sentent. quæstiunc. 2. A quo autem eliciatur actus attritionis in peccatore? Dicitur: quód ab auxilio prævenientis gratiæ, á quo summitur iustificationis exordium, vt ait Trident. Sess.6. cap.5.

Dico 3. in innocentibus, est habitus virtutis pœnitentiæ, sic D.T. in addit. 3.p. q.16. art.1. & in 4. dist.14. q.1. art.3. quæstiunc.2. quod probat 1. quia innocentibus, in Baptismo infunduntur omnes virtutes, & sic etiam pœnitentia infunditur. Secundó, ille qui nunquam fuit infirmus, dicitur sanabilis per medicinam: ergo etiam qui nunquam habuit infirmitatem culpæ, potest habere habitum Pœnitentiæ. Dices: si in innocentibus est impossibilis actus peccati, quomodo potest dari pœnitentia in illis? Resp. quód talis actus, est possibilis illis ex parte sui, licet per accidens sit impossibilis ex defectu materiæ; sicut patet in exemplo quod adducit D.T. pauper enim, potest habere actum virtutis magnificentiæ, licet actus illi sit impossibilis ex defectu materiæ nempé magnitudinis divitiarū.

Dices: sequi ex hoc, in Christo dari virtutem pœnitentiæ, quia peccatum est possibile naturæ humanæ secundum se, licet actus peccati, sit impossibilis. Hoc tangit difficultatem Theologicam, in Tract. de perfectionibus Christi examinatam; nunc breviter dicitur: quód impossibilitas actus, oriri potest ex impossibilitate materiæ, & talis est impossibilitas peccati in innocentibus, vel ex impossibilitate rationis formalis primariæ, & talis est impossibilitas peccati in Christo, quod ex triplici capite suadetur á D.T. in 3. dist.12. q.2. art.1. nempé, ex gratiæ plenitudine, ex gloria comprehensoris, & ex sanctitate personæ. Dices 1. quód respectu naturæ humanæ secundum se, peccatum est possibile. Secundó: quód voluntas Christi, potest elicere hunc actum conditionatum: si peccarem, vellem Deo satisfacere, quod ad pœnitentiam sufficit. Tertió: nam etiam Beati sunt impeccabiles, & retinent habitum virtutis pœnitentiæ.

Resp. ad 1. quód integrum principium operandi, consurgit ex natura & supposito, & huic est impossibile peccatum in Christo. Ad 2. quód deficiente possibilitate obiecti primarij & actus absoluti, non manet habitus, propter solos actus conditionatos, nec isti pertinent ad eandem speciem; sicut Angelus potest elicere hunc actum conditionatum: si possem, temperate comederem, & tamen ille, non est in specie temperantiæ, & simile quid contingit, in illo actu conditionato voluntatis Christi. Ad 3. quód status Beatitudinis, opponitur cum peccato tunc commitendo, non veró cum habitu pœnitentiæ, ad satisfaciendum pro peccato antea commisso; persona autem Christi, cum vtroque habet oppositionem; sicut sanus, qui nec actu, nec potentia est infirmus, curabilis non est, bené veró qui solum est sanus ex bona dispositione, si ex complexione naturæ, est obnoxius infirmitati.

Dices: sequi ex hoc quod si Christus assumeret humanitatem peccato infectam, posset pœnitere de peccato ab illa commisso. Resp. quód in eo casu, peccatum esset alterius personæ, quia actiones

sunt

sunt suppositorum, vndé non esset materia pœnitentiæ, nec diceretur peccatum hominis Dei, licet esset peccatum, ab humanitate assumpta, ante commissum. Uel dicatur: quód sicut lux expellit tenebras, & ignis consumit stipulam, sic vnio hipostatica, se ipsa consumit peccatum & ita illud peccatum humanitatis assumptæ, consumeretur ab vnione, nec esset pœnitentiæ materia, quia peccata omnino remissa, non sunt materia pœnitentiæ; sicut Beati, licet recordentur de fide habita in via, illam non retinent in patria, quia lux gloriæ destruit obscuritatem viæ, & idipsum de Christo discurrendum est.

Sed an data hipotesi, quod Christus peccare posset, daretur in eo habitus virtutis pœnitentiæ? Interrogatio est satis curiosa, & ex principijs nostris, negativé resoluta; & ratio est: nam obiectum pœnitentiæ, non est possibilitas peccati vt cumque, sed peccati vt expiabilis imperfectè per virtutem, quæ est pars potentialis iustitiæ, hæc autem imperfecta expiatio, non posset á Christo exhiberi, quia etiam tunc, operationes eius á perfecta iustitia procederent, ratione vnionis cum Uerbo, & sic pœnitentia in illo impossibilis foret, ex defectu rationis vltimo differentialis illius, quæ est respicere peccatum, vt imperfectè expiabile & satisfactibile, quod passim attigisse sufficiat, pro præsenti instituto.

Deducitur ex his 1. Beatos qui habuerunt in via, habitum pœnitentiæ infusæ, illum in patria retinere; sic D.T. loc.cit. ex addit.art.2. & in 4.dist. 14. q.1. art.3. quæstiunc. 3. vbi ait: Quód pœnitentia remanebit in Patria, licet non habeat eundem actum ac modo, sed alium, scilicet gratias agere Deo, pro misericordia relaxante peccata; vndé ait D. Greg. Beati peccatorum recordantur, sicut nos sani sine dolore, dolorem memoramur. Nec obstat: quód gratiarum actio, non est actus pœnitentiæ sed religionis; dicitur enim: quód talis actus, vt respicit beneficium acceptum, pertinet ad religionem, & vt respicit satisfeciſſe pro iniuria, pertinet ad pœnitentiam, nihil enim prohibet, quod idem actus, secundum diversas rationes, pertineat ad distinctas virtutes.

Quid autem de Angelis dicendum est? Resp. cum D.T. loc.cit. 3.p.art.3. quód illi nequeunt esse susceptivi virtutis pœnitentiæ, quod probat ibi & in 4. dist.14. q.1.art.3. quæstiunc.4. quia in Angelis bonis peccata commissa non præcesserunt, in malis autem fuit peccatum, sed irremisibile, quo modo, non est materia pœnitentiæ. Sed notat D. Thom. quód Angeli mali, habent aliquos pœnitentiæ motus, sed illa non est vera virtus; primum patet, quia Dæmones, vt ait D. Iacob. credunt & contremiscunt, timor autem est initium pœnitentiæ; secundúm constat, quia peccatum dæmonum, est irremisibile, & sic pœnitentia eorum, dicitur talis improprié & similitudinarié, & sic intelligendum est illud, Sap.5. vbi de dæmonibus & damnatis dicitur: Pœnitentiam agentes.

Deducitur 2. quód in Virgine Beatissima, fuit habitus virtutis Pœnitentiæ, non quo ad denominationem & exercitium, sed quo ad entitatem habitus iustitiæ ad Deum. Contrarium sentit vnus vel alter; sed nostrum dictum est D. Bonav. M. Soto, Lugo, Suarez, & aliorum; constat primum, quia illa fuit pura viatrix, & in statu peccandi, licet per privilegium fuerit reservata; secundum patet, quia B. V. nec venialiter peccavit, hoc enim decebat innocentissimo cordi, puritatis divinæ gestatori. Nec obstat: quód honor matris, ad filium refertur, & in Christo Pœnitentia non fuit, nec quo ad habitum, vt vidimus. Dicitur enim: quód antecedens est verum, non tamen sequitur, quod omnis honor qui attribuitur filio, attribuendus sit matri, quia sic, non esset filium honorare, sed potius filio contumeliam facere, dum honorem sibi soli debitum, quis alijs attribueret; verba sunt D. Bonav. in 3.dist.3. p.1.q.2. num.18. & q.3. num.36. vbi sic concludit: concedendæ sunt rationes ostendentes quod B.Maria, post filij Dei conceptionem peccare non potuit, non propter alicuius potentiæ amissionem, sed propter potentiæ confirmationem, & defectus ablationem.

Sexta difficultas: An principium pœnitentiæ sit ex timore? Non est sermo de causa principali pœnitentiæ, hæc enim est Deus infundens, sed solum de causa dispositiva; circa quod ait D. T. art. 5. quód actus pœnitentiæ procedit á timore servili, sicut á primo motu affectus ordinato ad hoc, & á timore filiali, sicut á principio proximo & immediato; quod probat numerando actus, qui in pœnitentia interveniunt, quorum primum principium est operatio Dei convertentis cor, secundus, motus fidei, tertius motus timoris servilis, quo quis timore pœnæ, peccatum vitat, quartus, motus spei, quo assumitur propositum emmendæ, quintus motus charitatis, quo peccatum detestatur propter se ipsum, & non propter pœnas, sextus motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei assumitur emmenda voluntarié.

Sed est notandum: Quód omnes isti actus, non semper sunt necessarij formaliter ad pœnitentiam, alias homo non posset subito converti, sed egeret tempore, vt hæc series actuum perfici posset, quod falsum est, vt ait D.T. 1. 2. q.112. art.2. & licet in instanti, plures actus fieri possint, regulariter verò egent tempore; de quo aliam rationem tangit D. Thom. in 4.dist.14 q.1. quia istæ non sunt dispositiones, agentium naturalium, ex necessitate & semper operantium, sed agentium libere & moraliter, in moralibus autem, dicitur aliquid absolutè fieri, quando fit vt in pluribus; cum ergo non detur præceptum divinum vel humanum, de ordine

istorum actuum, non est ratio, cur omnes illi ordine facto debeant semper intervenire.

Opponit Vazquez, quod non est ratio, cur tot actus, & eo ordine ad pœnitentiam concurrant, præcipuè cum timor filialis pœnitentiam præcedens à Trident. non numeretur. Sed resp. quód D. T. præcipuè agit de pœnitentia fidelium in mortalia lapsorum, & considerat, quod cum pœnitentia sit revocatio á peccato, eius origo debet accipi, iuxta dispositionem existentis in peccato; hic autem non habet gustum sanum, vt ex dulcedine divinæ bonitatis á peccato removeatur, sed habet affectum, sui amore inordinato infectum, & ideo per pœnas naturæ suæ contrarias, á peccato revocatur, vndé ait Phil. 10. Ethic. vt in pluribus, ex timore pœnitentia initium sumunt, quamvis etiam in aliquibus ex amore inchoetur; Concilium ergo explicat id quod est magis regulare, ratione cuius bonitas Dei, & gloria revocant á peccato, sed non quantum est ex parte peccatoris, qui gustum illorum non habet.

Sed dices: quomodo ait D. Tho. timorem servilem pœnitentiam inchoare, cum tamen asserat Trident. quód initium nostræ iustificationis est fides? Resp. quód cum per peccatum, homo avertatur á Deo, & convertatur ad creaturam per intellectum & voluntatem, vtraque potentia concurrit ad peccati detestationem, amor quidem servilis ex parte affectus, sed ex parte intellectus, præsupponitur actus fidei, & sic timor servilis non est causa ipsius pœnitentiæ, sed generationis eius, nec oportet ambo esse simul; sicut sumptio medicinæ, est causa sanitatis, & vtraque simul non est; vndé rectè D. August. timorem servilem comparat setæ sutoris, quæ linum introducit, & similiter timor pœnitentiam generat.

Licet autem pœnitentia, inchoetur aliquando ex amore, actus amoris præcedentes pœnitentiæ actū, feré semper sunt imperfecti, & ab auxilijs procedunt, & non ab habitibus infusis, qui non residunt in peccatore, & ideo nec semper sunt explicitè in specie charitatis, nec in specie timoris filialis; sed quia timor servilis est pœnitentiæ origo, & illam introducit, quo facto, actus perfectæ pœnitentiæ imperatur á charitate, & ex timore filiali oritur, quod ob reverentiam Dei, quis emmendam voluntatius offerat, ideo D. Thom. hos actus tam exactè distinxit, & ait solut. ad 4. quód pœnitentia, timore servili concipitur, quia pœnam respicit. Vndé dicitur Isai. 26. vers. 18. iuxta versionem septuaginta: A timore tuo Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis, id est, spiritum pœnitentiæ salutaris.

Inquires: an Pœnitentia sit prima inter virtutes morales? Respondet D. T. art. 6. quód in virtutibus, non attenditur ordo temporis, quia cum illæ sint connexæ, incipiunt simul esse in anima, sed dicitur vnam esse alia priorem ordine naturæ, quia actus vnius virtutis, supponit actum alterius; ait ergo: quód actus fidei & spei informes, possunt tempore præcedere actum & habitum pœnitentiæ, actus autem & habitus charitatis, sunt simul cum illo; Pœnitentia igitur, non est simpliciter prima virtutum, quia ordine naturæ, virtutes Theologicæ præcedunt; sed quo ad aliquid est prima, ordine temporis, quia eius actus, primus occurrit in iustificatione, sed ordine naturæ, aliæ virtutes sunt priores, quia hæc videntur per se necessariæ ad bonum hominis, pœnitentia verò solum per accidens, & supposito peccato, id autem quod est per se, priùs est illo quod est per accidens.

Si decas: Quód recedere á termino quod fit per pœnitentiam, est priùs quam accedere ad terminum, quod fit per alias virtutes. Resp. quód in motu successivo, priùs est tempore, recessus á termino, quàm accessus ad terminum, & priùs natura ex parte subiecti, seu in genere causæ materialis, sed in genere causæ effectivæ & finalis, priùs est peruenire ad terminum, quia hoc primò intendit agens, & præcipuè attenditur in actibus animæ, sic respondet D. Thom. ad 2. circa quod lata se offerebat disputatio, de mutua causalitate inter pœnitentiam & gratiam, sed est á præsenti instituto extranea, & á nostris authoribus in Tract. de iustificatione, & de generatione discussa.

ARTICVLVS IV.

Praxis præcedentis Doctrinæ.

Casus primus de virtute & diffinitione Pœnitentiæ quæ est: præterita mala plangere, & plangendo iterum non committere, ex quo habetur, quod malum præteritum debet memoriæ occurrere vt plangatur; circa quod examinandus est casus sequens. Quidam homo, per plures annos, varijs peccatorum generibus illaqueatus, miseram vitam duxit, tactus randem benignissima Dei manu, illa omnia confessus est, & absolutionem accepit; cum autem postea, non semel de peccatis commissis recogitaret, illaque deformitate sua, sæpiùs occurrerent memoriæ. Quæritur: an quoties sic memoriæ occurrebant, teneretur de illis pœnitere? Affirmant Alensis, Ricardus, & Gabriel. Sed oppositum tenent Paludanus, Silvester, Viguerius, Cayetanus Medin, Suarez, & Vazquez, & hoc est verùm & tenendum, propter considerationes sequentes.

Prima: quia præceptum affirmativum, non obligat pro semper; vndé licet homo, sive peccata recogitet, sive non semper teneatur de illis non complacere, non tamen tenetur actu odio habere illa, sicut non tenetur actu diligere Deum, quoties cogitat de illo, alias nullus posset cogitare de Deo

purè

puré ſpeculativé, quin peccaret mortaliter, quia nequit Deus diligi, niſi de illo practicé cogitetur. Secunda: quia ſatis grave eſſet & oneroſum, habere obligationem ſemper dolendi, quoties peccata occurrunt memoriæ; vndé ait Vazquez, quod hoc certiſsimum eſt. Nec infidelitatis arguitur, vt vult Ricardus, qui obtenta Dei amicitia, occurrentibus culpis, de illis non ſemper dolet, ſed cogitationem ad alia divertit, vt in his ampliús non immoretur.

Ex his ruit, quod Gabriel opponit: nempé quod occurrentibus peccatis, cum non poſsit circa illa elici actus complacentiæ, debet eſſe actus diſplicentiæ, alias parvipenderetur res magni momenti. Reſp. enim, quod qui prudenter divertet mentem ab his cogitationibus, non minus vtili remedio vteretur ad propulſandas tentationes; ſi autem mens ad alia divertitur, ipſa peccata quæ occurrunt, parvi fiunt, ſed non parvifit iuſtificationis gratia, imó aliquandó, tutius conſervatur ſic, quám ſi quis conaretur ad contritionem. Nec his eſt contrarius D. Thom qui in 4. diſt. 17. q 3. art. 1. quæſtiunc. 4. ait: Q ód quis ad contritionem tenetur, quando peccata memoriæ occurrunt; nam ibi, ſtatim ſe explicat dicendo: Cúm præcipuè in periculo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſsione, peccatum opporteat eum incurrere ſicut cum tenetur ad celebrandum, ſi deſit copia Sacerdotis, ſaltem conteri tenetur, & habere propoſitum confitendi.

Proponit ergo Ang. D. duos caſus, in quibus opportet conteri de peccatis, ſi memoriæ occurrũt; nempé cum quis eſt in articulo mortis, vel cum tenetur celebrare, & non eſt Sacerdos, qui eum abſolvat, ex quo non infertur, quod in alijs caſibus, hæc obligatio detur, ſed ſufficit ſi ſuſpendatur actus, vel cogitatio divertatur ad alia, quia eſſet nimis durum, quod obligaremur novo præcepto dilectionis, propter id quod nobis contingit naturaliter, quale eſt peccatorum recordatio: Imó vt ait Soto, quædam ſunt peccata, præcipuè carnalia, quæ meliús vitantur, dum eorum cogitatio fugitur, quã ſi home, ad diſplicentiam eorum contendat; ſunt enim valdé lubrica, & ſe violenter inſinuant. Uerum eſt, quod ſi daretur caſus, in quo non poſſet vitari conſenſus in culpam, niſi actu poſitivo repellendo conſenſum, id obligaret; ſed talis caſus non apparet, in quo non ſit faciliús, cogitationem ad alia divertere.

Sed dices: Suppoſito quod non eſt præceptum conterendi de culpa, niſi ſemel, an frequens eius cogitatio, laudabilis ſit? Reſpondetur, de hoc non eſſe certam regulam, ſed prudentiam adhibere opus eſt, ſecundúm ingenium hominum, & ſceleтum qualitatem; nam incipientibus & continentibus, qui ſtimulum carnis patiuntur, memoria præteritorum, eſt periculoſa, & tunc quando periculum offertur, reſcindi debet; ſed quando non datur tale periculum, conſilium eſt peccata memoria obvoluere, quæ penſatis eorum incommodis, cor humilient & firment in bono; ſed re vera, pro illis qui diu peccata luxerunt, & ſunt in virtute progreſsi, licet peccatorum memoria, ſit elationis frenum, tamen accomodatior eſt, altior rerum divinarum contemplatio; ſic ait Soto, in 4. diſt. 14. q. 1. art. 9.

Caſus ſecundus, circa eandem particulam: *præterita*. De D. Petro Apoſtolorum Principe, refertur ex S. Clemente Romano, quod tam alte in corde illius, delicti negationis dolor inſedit, vt toto vitæ ſuæ tempore, quoties gallum cantantem audivit, procidens in genua, lachrimas fundebat, & peccati ſui petebat veniam; & Ludolphus Carthuſ. ait, quod facies eius videbatur aduſta, ex fluxu lachrimarum, & ſemper in ſinu ſuo ſudarium portabat, quo crebro fluentes lachrimas tergebat, quia in quolibet galli cantu, negationem Chriſti recolebat, & amariſsimé deplorabat, & pro peccato negationis, & pro dulcedine amoris Domini; ſic habet, part. 2. vit. Chriſt. cap. 6. & idem in ſimili refert Poſsidius in vita Magni P. Auguſtini, cap. 31. cum ergo pœnitentia ſit de malis præteritis, quæritur, an de peccatis præteritis iam remiſsis, poſsit dari pœnitentia?

Reſp. affirmativé. Ratio eſt; quia regulariter loquendo, qui iuſtificantur per attritionem, cum Sacramento in re ſuſcepto, vel per contritionem cum illius voto, ſolum habent coniecturam vel opinionem, de ſuorum peccatorum remiſsione, quia nec habent ſcientiam, nec revelationem Dei, de ſua diſpoſitione ſupernaturali, ad iuſtificationem ſufficiente, & ideo non poſſunt eſſe certi, de remiſsione ſuorum peccatorum; vndé ait Trident. Seſſ. 6. cap. 9. quód quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum; & ideo vel abſoluté, vel ſub conditione, ſanum conſilium eſt, pœnitentiam ſæpé exercere, vt enim dicitur Eccli. 5. de propitiato peccato, noli eſſe ſine metu.

Deindé, poteſt aliquis, divinitus eſſe certus de venia peccatorum, quo ad culpam, & pœnitere de illis, pro remiſsione reatu pœnæ; ſic exponit D. T. illa verba, Pſalm. 50. ampliús lava me, dicens: hic ponit duplicem effectum miſerendi; remanet autem duplex effectus, ſcilicet reatus pœnæ, & macula in anima; primó ergo petit removeri reatum pœnæ, & ideo dicit: ampliús lava me; & ſciendum, quod dicitur Ierem. 17. peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo, in vngue adamantino, ad ſimilitudinem iudicis, qui ſcribit culpam, quæ tandiu ſervatur ſcripta, quandiu habet animum puniendi, ſed ſi deponit animum, non ſervat ſcripturam, & ſic peccatum ſcriptum dicitur, quando non deletur,

& hoc est quod dicit: dele iniquitatem meam. *Ampliús*; hic petit removeri immunditiam culpæ, nam homo qui habet mentem benè disposítam, plus abhorret immunditiam culpæ, quám austeritatem pœnæ, & ideo dicit: ampliús lava me, id est peto vt deleas pœnam, sed ampliús peto quod mundes maculam. Hæc D. Thom.

Vlteriús, si quis per divinam revelationem certus esset, sibi esse dimissa peccata, quo ad culpam & pœnam, adhuc posset de illis pœnitere, vt patet in D. Petro, Paulo, Magdalena, & Augustino, quibus suorum peccatorum perfecta remissio, revelata fuit, & tamen in illis, pœnitentia locum habuit, nam D.T. 3.p. q.84. art.8. ad 2. ait: Quód pœnitentia interior, etiam in viris perfectis locum habet, vndé Paulis dicebat: non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei; & de Magdalena, q.86. art.5. ad 1. dicit: quód Deus aliquando tanta commotione convertit cor hominis, vt subito perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena; & tamen constat illam in eremo, per triginta annos pœnituisse.

Si arguas: Quód pœnitentia, tendit, ad peccati deletionem, & sic illo totaliter deleto, nihil iam delebile restat, nec restat aliquod debitum, cum sit perfecta remissione extinctum; & sic dicitur in oratione Manasses: Tu Domine, non possuisti pœnitentiam iustis. Resp. quód remissio peccati, non tollit quod peccator velit illud non fuisse; & vlteriús, potest velle compensare pro illo, vt alio & alio titulo extinguatur; sicut diximus suprá, de accedente cum perfecta contritione ad Sacramentum pœnitentiæ. Hoc enim alijs virtutibus est commune, vt possint suo debito satisfacere, vel adæquatè vel abundanter, vt gratitudo potest velle retributionem maiorem, quam exigit beneficium acceptum; obedientia potest velle audire duo sacra, vt abundantius præcepto satisfaciat, & sic de alijs; & ratio est: quia aliud est ad quid obligat virtus, aliud verò ad quid movet perfectio illius; iustitia enim obligat ad restitutionem damni allati, perfectio verò, ad aliquid maius movet, & ideo Zachæus, illi cui aliquid defraudabat quadruplum reddebat, sic ergo pœnitentia, solum obligat ad extinguendum peccati debitum, sed eius perfectio mover, ad abundantiorem satisfactionem exhibendam, & hoc contingit in illis, quibus peccatum est perfectè remissum.

Dices: si hoc esset verum, etiam posset quis pœnitere, de peccatis ante Baptismum commissis, & per illum remissis, vt alio titulo remittantur, quod tamen falsum est. Resp. quód hoc inconveniens non est, & constat in D. Paulo, & Augustino, qui peccatorum conversionem præcedentium, pœnitentiam agebant, & habebant contritionem. Nec est eadem ratio de illorum confessione. Tùm, quia pro peccatis commissis ante Baptismum, non est institutum Pœnitentiæ Sacramentum, quia nondum baptizati, non existunt intra Ecclesiam. Tùm, quia Pœnitentia, est secunda tabula post naufragium. Tùm demum, quia nulla est necessitas pœnitentiæ, in baptizatis qui non peccaverunt, quia per Baptismum, novæ efficiuntur creaturæ.

Casus tertius, de eadem particula: *præterita*. Homo quidam, lethaliter alium vulneravit, & antequam eius sequeretur mors, de facto doluit & pœnituit; quæritur: an ille pœnitentiæ actus, posset tendere, non solum ad vulnerationem præteritam, sed etiam ad homicidium postea secuturum? Difficultatem movet D.T. in addit. 3.p. q.2. art.4. vbi inquirit: Vtrum de peccatis futuris, aliquis debeat contèri? Et respondet negativè. Rationem assignat ibi; & in 4. dist.17. q.2. art.2. quæstiunc.4. dicens: Quód in omnibus moventibus & mobilibus ordinatis, inferior habet motum proprium, & præter hoc, sequitur in aliquo, motum superioris motoris, vt patet in motu Planetarum, qui præter motus proprios, sequuntur motum primi orbis, in omnibus autem virtutibus moralibus, motor est ipsa prudentia, quæ dicitur auriga virtutum, & ideo quælibet virtus moralis, præter motum proprium, habet aliquid de motu prudentiæ.

Vndé, cum Pœnitentia sit virtus moralis, quæ est pars iustitiæ, præter actum proprium, habet motum prudentiæ; proprius autem pœnitentiæ actus, est in eius obiectum, quod est peccatum commissum, & ideo actus eius principalis, qui est contritio, secundum suam speciem, respicit tantum præteritum; sed ex consequenti respicit peccatum futurum, secundum quod habet aliquid, de actu prudentiæ adiunctum; & tamen in illud futurum, secundum rationem propriæ speciei non movetur; & propter hoc, ille qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cavet futurum, sed non dicitur quod est contritio de futuro, sed magis cautio, quæ est pars prudentiæ, contritioni adiuncta; hæc in summa est doctrina D.T. cui consonat dictum D. Augustini. in regula, vbi ait: Vbi autem sibi quicumque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro; ponit enim circa peccatum futurum, cautionem, sed non dolorem.

Sed circa hoc, notandum est: quód respectu peccati futuri pœnitentia potest tendere, & se habere tripliciter; primò, proponendo illud nõ committere, secundò, cavendo ne committatur, tertiò, dolendo de illo, ac si esset commissum; peccatum hoc tertio modo, ad pœnitentiam non spectat, & hoc probat D. Tho. & licet propositum de cætero non peccandi, non sit prima ratio pœnitentiæ, includitur tamen in illa, qui enim verè dolet de peccato præterito, debet curare de vitando futuro, & ita actus iste á pœnitentia elicitur, licet non primario

&

& secundum suam speciem, sed secundum quod est sub prudentia & illi adiungitur, & sic futurum peccatum respicit, cavendo omnia illa, quæ possunt esse illius causa.

Dices: peccatum aggravatur, ex contingenti effectu, vndé ait D.Hyeron. quód pœna Arij, nondum est terminata, quia adhuc est possibile, aliquos per eius hæresim ruere; sed in illo intermedio ante effectum, debet peccator de culpa pœnitere: ergo circa peccatum futurum potest dari pœnitentia. Resp. cum D.Thom. loc. cit. ad 2. quód effectus consequens qui peccatum aggravat, iam in actu præcessit velut in causa, & ideo quando commissum fuit, totam suam quantitatem habuit, & ex consequenti effectu, non accrescit aliquid quo ad rationem culpæ, quamvis accrescat, quo ad pœnam accidentalem, secundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno, de pluribus malis ex suo peccato consecuti, & sic exponitur á D.Hier. vndé non opportet, quod pœnitentia sit, nisi de peccatis præteritis. Huic doctrinæ speciosam præbet comprobationem D.Basil. lib. de ver. virg. dicens: Sicut admirabilem Paulum, alia quidem præcesserunt opera, dum adhuc esset in corpore, alia iam cum Christo regnantem consequuntur, eorum nempé, qui per Epistolarum eius monita, se ad virtutem exercentes, præmia laudis, illi duci ac præceptori suo hinc transmitant, sic aliquorum peccata, qui damnati sunt in inferno, præcedunt, & alia sequuntur, aliquorum qui post iplorum mortem ea imitari satagunt; nam vt B. David, hodie quoque ad verum Dei cultum vtilis est, ita Marcion, & reliqui hæreticorum dogmatum duces, hodie quoque maximé nocent; vndé ait M. Soto, quod quando homo videt, quanta mala ex sua culpa succreverint, acerbius eum pœnitet, quia quantorum fuerit malorum causa cognoscit.

Videndum autem est, cuius virtutis sit actus, cautio illa de peccato futuro? Nuño ait, quod vt respicit peccatum vt summum malum, elicitur á charitate, vt est subiectio ad superiorem, eius præcepta servando; ab obedientia elicitur; & vt est actus necessarius, vt præsens contritio sit vera, elicitur secundario á virtute pœnitentiæ. Meliús autem ait M. Soto, quod pertinet ad virtutem pœnitentiæ, quatenús generali ratione, est detestatio omnium offensarum Dei, non veró secundum eius rationem formalem & specialem, nam hoc modo, solum respicit peccatum præteritum, licet pariat firmum propositum cavendi futurum, vt ait Trident. Sess.14. cap.14. & D.T. 2. Cor.7. ait: Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; eiusdem enim honestatis est, vitare malum ne insit, ac abijcere illud si adest.

Casus quartus, circa illa verba: *præterita mala*. Recogitabat quis, exercitabatque spiritum suum, in criminum præteritæ vitæ contemplatione, illorumque fœditate deviss & maximé exossa, dolebat de iniuria contra Deum commissa, sic. Pœnitet me, quod per culpam, gratiam & virtutes amisi; pœnitet me, quod omnes vitæ pœnalitates pertuli; pœnitet me, quod inferni cruciatibus me exposui. Quæritur: an de his pœnis, posset pœnitentiam habere? Notandum: quód peccati pœnæ, ad quatuor reduci possunt. Prima est ipsa pœna, quam patitur cor contritum, de qua pœnitentia non datur, quia est ipse contritionis dolor; nec per reflexionem potest de illa pœnitentia dari, nam hæc tendit ad destruendum malum, & talis dolor, bonus est. Secunda est, pœnalitas huius vitæ mortalis, de qua etiam pœnitentia non datur, quia dolere de illa, nõ est actus virtutis sed indifferẽs. Tertia est pœna inferni; quarta carentia gratiæ & virtutum.

Resp. cum D.Thom. in addit. 3.p. q. 2. art. 1. quód de malis pœnæ, potest esse dolor, sed non pœnitentia, nec contritio. Ratio est: quia contritio quæ est præcipuus pœnitentiæ actus, dicit cum minutionem alicuius duri & integri, quæ duritia invenitur in malo culpæ, quia voluntas quæ est eius causa, in eo qui male agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cedit; hæc autem similitudo, nequit pœnæ adaptari, quia pœna simpliciter dicit diminutionem, & sic de malo pœnæ, potest dari dolor, sed non pœnitentia, nec contritio. Deindé constat: quia pœnitentia solum est earum actionum, quæ fuerunt in hominis potestate, quo ad facere & non facere; sed pœna non est in potestate nostra: ergo de illa possumus habere dolorem, sed non pœnitentiam.

Sed oppones: attritio veré est de pœna, quia est de culpa, propter vitandas inferni pœnas: ergo etiam contritio est de pœna, nunc enim loquimur de pœnitentia, abstrahente á perfecta & imperfecta. Resp. quód attritio, versatur primo & per se circa peccatum & circa pœnas inferni, sed solum est attritio quia peccatum respicit, quod est pœnarum causa. *Si dicas*: attritio differt a contritione, quia respicit inferni pœnas: ergo per hoc constituitur. Resp. quód attritio differt á contritione, quia illa est dolor imperfectus; licet autem essentia eius explicetur in ordine ad pœnas, sed re vera, habet rationem attritionis, quia tali modo respicit peccatum, nempé vt pœnarum causativum. Vndé actus proprius pœnitentiæ, est dolor vel detestatio, quæ nullo modo sunt de pœna á nobis assumpta, nam de hac potius est gaudium & amor, nam qui veré pœnitet de peccato, gaudet se dolore de illo, nam si de hoc doleret, potiús esset peccatum quam pœnitentia; vt patet ex D.Thom. q.84. art.9. ad 2. vbi ex D. August. ait: Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.

Si autem D.Thom. aliquando ait, dari pœnitentiam de pœna, summit pœnitentiam large, pro quolibet dolore; sic ait loc. in resol. cit. ad 1. di-

cens : Quód pœnitentia secundum S. Aug. debet esse de hac vita mortali, non ratione ipsius mortalitatis, nisi pœnitentia large, dicatur omnis dolor, sed ratione peccatorum, ad quæ ex infirmitate huius vitæ deducimur; & ad 2. ait : Quód ille dolor, quo quis dolet de ammissione virtutis per peccatum non est essentialiter ipsa contritio sed est principium eius, sicut cum aliquis movetur ad dolendum de aliquo, propter malum quod inde consecutus est: quæ doctrina consonat Trident. Sess.14. cap.4. vbi ait : Contritio est animi dolor & detestatio de peccato commisso ; & omnia cinguntur hoc syllogismo D.T. in arg. sed contra: nullus tenet id de quo dolet; sed pœnitens secundum suum nomen, pœnam tenet : ergo non dolet de pœna. Min.pat. nam pœna potiús tenet patientem ipsum, qui re dicitur de socru Petri, quod tenebatur magnis febribus.

Casus quintus, circa idem. De Sanctissimo Patriarcha Dominico legimus , quod peccatis & ærumnis humanis, vehementer diserutiabatur , ob quorum remedium , catena ferrea singulis noctibus acriter nudum corpus affligebat , vt sanguinis rivi defluerent, & similis charitatis fervor de pluribus Sanctis refertur. Dicit enim Paulus 2.ad Cor. 12. lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam , vndé aiebat ipse ad Rom.9. quód illi erat tristitia magna,& continuus cordis dolor, quia optabat anathema esse á Christo pro fratribus;vbi ait D.T.imminet sapienti tristitia laudabilis de peccato proximi, sicut de peccato sui ipsius. Circa hæc omnia , quæritur : an de alieno peccato possit quis pœnitere ? Rem tractat D.Thom. in addit. 3.p. q.2. art.5. & negativé respondet, rationem assignando ex eo,quód contritio & pœnitentia, est de illo quod priús fuit durum & integrum: ergo pœnitentia & contritio de peccato, debet esse in illo subiecto, in quo peccati duritia præcesit, & sic aliquis, solum pœnitere potest de peccatis quæ ipse fecit , & non de alienis peccatis.

Doctrina hæc,explicatur ex eo, quod diversitas subiecti , qualis est inter propriam & alienam personam, inducit in consideratione morali,obiectum diversum specificé formaliter , & sic in alieno subiecto,est impossibilis species honestatis moralis, quæ datur in subiecto proprio ; qua propter nemo dicitur humilis , quia vult alios humiles esse , nec abstinens, quia vult alios ieiunare ; alias Deus diceretur, humilis & pœnitens , quia vult nos esse humiles & pœnitentes; & etiam Angeli dicerentur abstinentes & casti,quia volũt nos esse tales; similiter igitur non dicitur quis pœnitens , quia de peccatis alienis dolet, sed dé proprijs ; & ideo diximus suprá,in Christo impossibilem esse habitum & actum pœnitentiæ, quia peccatum proprium est impossibile , licet pro peccatis alienis satisfecerit ; nam vt ait Eccles. peccata nostra portavit , & pro nobis dolet.

Rationem autem á priori, sæpé assignat D. T. quia displicentia de malo culpæ , petit specialem virtutem, quia est dolor compensativus, deletivus, satisfactivus & emmendativus illius ; sic habet 3.p. q.85. art.2. ad 1. & in 4. dist.14. p. 1. art. 1. quæstiunc.3. sed dolor noster de peccatis alienis , non est ex intentione illa delendi,nec compensandi immediaté , sed ad summum mediaté impetrando á Deo auxilium, vt de illis proximus conteratur: ergo contritio & pœnitentia,non est de peccatis alienis ; vndé sicut aliena infirmitas,non curatur per medicinam applicatam sano,nec purgantur peccata aliena,per pœnitentiam meam,sed per propriam pœnitentiam,illius qui ea commisit. Vbi notetur passim,quod rectum est,vt operibus bonis alteriús, præcipué si pro iusto habetur commendemur, sed etiam est necesse,vt per opera bona propria,de peccatis doleamus,& ad eorum emmendationem,proprijs actibus conemur.

Sed obstat contra hoc,dictum Psalmi 18.ab alienis parce servo tuo;nemo enim remissionem petit, nisi de peccatis de quibus ipse pœnitere potest. Respõndet D.Thom. citatus in resolut. ad 1. quód Propheta petit parci sibi aliena peccata,quia ex cõsortio peccatorum , potest aliquis per consensum, aliquam immunditiam contrahere,iuxta illud:cum perverso perverteris. Sed ait D. Thom. sup. illum Psalm. Nunquid alicui imputatur peccatum alienum?Et respondet, quod non, quando totaliter est alienum,sed quando transit ad te per imitationem, suasionem , consensum , vel dissimulationem , fit tuum & imputatur , nam vt ait Paulus: digni sunt morte , non solum qui ea faciunt , sed etiam qui consentiunt facientibus,& hoc maximé in Prælatis, quando dissimulant scienter , scelera subditorum; hæc D. T. & sic exponitur ille textus : ab alienis parce servo tuo.

Dices cum D.Tho.2. 2. q 17. art.3. quód sicut est eadem virtus charitatis,qua quis diligit Deum, se ipsum & proximum , ita etiam est eadem virtus spei,qua quis sperat sibi ipsi & alijs: ergo etiam eadem virtute pœnitentiæ, dolemus de peccatis proprijs & alienis. Resp. quód est diversa ratio, nam bonum , est commune mihi & proximo , & ideo ambo per eandem charitatem diliguntur,& similiter arduitas, est communis mihi, & omnibus quos diligo amore amicitiæ & concupiscentiæ , & ideo per eandem spem, mihi & proximo bonum spero; delere autem , expiare & tetractare , solum est de peccatis quæ ego commisi,& ideo pœnitentia qua doleo de peccatis proprijs,nõ est de peccatis alienis. *Si dicas*: cur dolor de alteriús peccato , saltem secundario,nequit á pœnitentia procedere ? Resp. quód tenere pœnam in communi , non dicit specialem difficultatem,per pœnitentiam vincibilem,

sed

sed solum ordinati ex natura sua ad delendum peccatum quod solum habet pœnitentia, respectu proprij peccati, ob rationes suprá dictas.

Casus sextus, circa illa verba: *plangendo iterum non committere.* Accessit quidam ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal, pro quærendo peccatorum remedio, integreque omnia confessus est, & quidem in timo dolore cordis, de offensis contra Deum commissis, ipsum super omnia diligendo; cum tamen de futuro cogitaret nihil, propositum expressum non habuit, cavendi peccata de cætero. Quæritur: an veram pœnitentiam habuerit? Notandum: quód quamvis ad pœnitentiam in quantum est pœnitentia, non pertineat respectus ad futurum, tamen in quantum est emmendatoria offensæ commissæ in Deum, exigit respectum in futurum, scilicet propositum de cætero cavendi, & hoc propositum intelligitur cum dicitur: flendo iterum non committere, vel intelligitur quantum ad perfectam pœnitentiam, vt quod additur, non sit de essentia Pœnitentiæ, sed de perfectione, quia sine hoc, non consequitur vltimum fructum suum; omnia notandi verba sumpsimus ex D. T. in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 6. ad 4. quæ roborantur á Trident. Sess. 14. cap. 4. vbi asserit hoc ipsum.

Resp. ergo: quód regulariter & per se loquendo, ad veram pœnitentiam, necessarium est propositum explicitum non peccandi, & vitam emmendandi. Constat ex D. Paulo, ad Ephes. 4. dicente: deponite vos veterem hominem; hic est respectus ad peccatum præteritum; & iterum: renovamini autem spiritu mentis vestræ, hic est propositum in futurum; vndé Christus Pœnitentiæ Magister, dixit mulieri adulteræ: vade & ampliús noli peccare, & sic præter detestationem peccati præteriti, requirit pœnitentia, propositum nõ peccandi de futuro. Deindé constat ex D. T. q. 85. art. 1. vbi ait: quód pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea; & q. 87. art. 1. ad 1. ait: Quód pœnitentia de peccatis mortalibus, requirit quod homo proponat abstinere, ab omnibus & singulis peccatis mortalibus.

Ratio autem horum est, quia pœnitentia regulariter loquendo, requirit propositum expressum, recedendi á statu peccati, & á vita præterita, per dolorem de peccatis commissis: ergo requirit etiam propositum expressum emmendandi vitam, non enim potest quis velle recedere ab vno termino, quin velit accedere ad alium. Quód etiam probatur: impossibile est, aliquem dolere efficaciter de peccato commisso, quia est offensa Dei, quin eius amicitiam desideret, quam cognoscit assequi non posse, sine correctione præteritæ vitæ, & proposito servandi eius mandata; quæ omnia suadent, quod pœnitentia per se & regulariter, exigit propositum explicitum, non peccandi de cætero. Nec obstat: quód vitare peccata longo tempore, videtur impossibile; nam licet sit impossibile nostris viribus, non autem viribus & auxilio gratiæ, cum spe & fiducia divinæ misericordiæ.

Sed tamen per accidens, & in aliquo casu extraordinario, potest quis veré pœnitere & iustificari, cum solo proposito virtuali & implicito, non peccandi de cætero. Vocamus propositum implicitum, cum in animi præparatione, si offerretur cogitatio non peccandi de cætero, haberetur propositum expressum. Quód autem tale propositum possit aliquando sufficere, constat 1. quia apud homines benignos, solum per culpæ detestationem, consequitur eorum venia: ergo multo magis apud Deum, qui est infinité misericors & benignus; nec est credibile, ipsum expectare velle propositum expressum non peccandi, vt culpam remittat. Secundó: quia nequit aliquis efficaciter dolere de furto, quia est offensa Dei, & simul velle offendere illum alio peccato diverso, nam per priorem actum, detestatur offensam gravem Dei super omnia, & sic ille implicité extenditur ad omnia peccata mortalia vitanda; quod insinuatur á Trident. loc. cit. dicente: quód attritio, si voluntatem peccandi excludit, ad gratiam cum Sacramento disponit.

Casus autem, in quibus sufficit tale implicitum emmendationis propositum, exponuntur sic. Non semper necessario requiritur, propositum in posterum vitandi omnia peccata, quod sit distinctum, ab actibus præcedentibus. Primó: quia fieri potest, vt dum quis elicit priores illos actus, nihil cogitet de vitandis peccatis in posterum; quo casu, non potest habere, formale circa hæc propositum, & tamen iustificabitur. Secundó: quia potest fieri, vt quis iam certo moriturus conteratur, quo casu, nullo modo est necessarium tale propositum, ad peccata constanter in posterum vitanda, cum mors, peccandi facultatem sit iam iã ablatura & idem est, cum quis subito rapitur ad martyrium, nec habet tempus cogitandi de peccatis, nec de emmendatione vitæ; sed extra hos casus, perfecta detestatio peccati, semper incitat voluntatem ad propositum, quod in diutius victuro, est vtilissimum; & ideo á confessoribus debet efficaciter suaderi, quia sine proposito, pœnitentia claudicare solet; aliqui enim confessores, multas interrogationes inculcant, & de firmando in pœnitentibus emmendationis proposito, nihil cogitant.

Si dicas: Quód vnius habitus, vnus est actus, hic autem ponuntur quatuor actus pœnitentiæ, scilicet propositum emmendationis, plangere peccata præterita, & odire, & iterum nolle vlteriús committere. Resp. quód ista quatuor, se consequuntur in Pœnitentia, & ideo quasi pro vno actu computantur; quia sicut amor delectationem parit in consideratione amati, ita odium, peccati tristitiam de ipso parit, & tristitia, ad destructionem ipsius mo-

vet;

vet ; & ideo inter quatuor prædicta , primum eſt odire peccata , ſecundum ea plangere , tertium ea deſtruere quantum ad præterita,cum propoſito emmendationis, quantum ad futurum, per hoc quod homo , plangenda committere nolit , quod eſt quartum; omnia verba inſtantiæ & ſolutionis,ſunt D.T. in 4. diſt. 14. exponendo illam litteram Magiſtri: cúm emmendationis propoſito.

Caſus ſeptimus, circa idem. Vir potens culpam commiſſerat , cuius confeſsionem maximé horrebat;ſed cum audiſſet quod peccata oblita,non erant confeſsioni ſubiecta , omnia tentavit, vt tradderet oblivioni, ſed fruſtra,nam ſemper conſcientia interius agitabat; & hac miſeria plures annos decurrit; incidit poſtea in manus confeſſarij ſapientis , qui ex eius collocutione, agnovit ſtatum illius,& caute illi aſſeruit,quod poterat ſine confeſsione habere remedium , dum ipſi & conſilijs eius per aliquot dies acquieſceret;obtemperavit homo, & cum ambo deambularent ſimul , bonus Sacerdos , dœmonum inſidias quibus decipit animas retulit, & inter has horrendum illud ſcelus nominavit; quo audito,ſubito vir ille clamat: en maledictum peccatum quo vrgeor, diſimulat Sacerdos addens, quod alia committuntur graviora ; & vir ille hoc artificio captus, flectit genua, illud & alia omnia cum dolore confitetur peccata,& abſolutione accepta,Dei conſequitur miſericordiam , & cordis gaudium. Huius occaſione inquiritur: An totum tempus vitæ noſtræ, ſit agendæ pœnitentiæ aptum?

Reſp. quód totum tempus vitæ noſtræ mortalis , eſt aptum ad pœnitendum de peccatis. Hæc veritas videtur de fide,& conſtat ex dicto Ezechiel. cap.33. verſ. 12. impietas impij non nocebit ei , in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua; & ex Decr. Leon. Pap. de Pœnit. diſt.7. dicentis: nemo eſt deſperandus,dum in hoc corpore eſt conſtitutus, quia nonnunquam quod confidentia ætatis differtur, conſilio maturiori perficitur, & D.T. q.86. art.1. hoc docet ſatis expreſsé. Ratioque deſumitur ex Dei miſericordia, nam licet ſi tota pœnitentia foret , iure timere poſſet homo iudicium Dei, ſed ſi illa pietati divinæ coniungitur,quæ noſtram malitiam vincit, confidere poteſt homo,nam Deus ita eſt miſericors , vt proprio filio ſuo non pepercerit, vt ingratos redimeret ſervos , hæc autem Dei miſericordia,ſe extendit ad quodlibet tempus vitæ, nam in qualibet ætate , ad ſuam vineam, ſcilicet iuſtitiam & ſanctitatem nos vocat ; vt D. Chryſoſt. explicat,hom.34. in cap.20.Mat.& hom. 80. ad popul. Antioch.

Quód explicatur 1. nam Deus pronior eſt ad miſerendum,quám ad puniendum;in quolibet autem vitæ tempore, poteſt homo,Dei gratiam peccando ammittere, & ſic etiam in quolibet, poteſt illam per pœnitentiam recuperare. Secundó , vita hæc vocatur via , vt aſſerunt ſæpé SS. PP. & per illam omnes tranſeunt , ſed viator dum eſt in via, poteſt ad terminum pervenire : ergo etiam id poteſt conſequi homo; non autem accedere poteſt ad gloriam quæ eſt terminus, poſt peccatum mortale commiſſum , quin illud ſit per pœnitentiam emmendatum : ergo in quolibet tempore vitæ poteſt pœnitere. Nec obſtat : quód SS. ſæpiús dicunt, quod qui ſanus & iuvenis , Deum offendere non formidat, & pœnitere non vult, in morte non obtinebit peccatorum veniam; nam dicitur: quód loquuntur per exagerationem ad peccatores terrendos , quia difficile pœnitet in morte , qui in ſtatu vitæ pœnitere neglexit.

Vndé habetur: quód valdé periculoſum eſt,pœnitentiam vſque ad vltimum terminum vitæ differre. Hæc veritas á SS. PP. exclamatur continuo. D. Ambroſ. in orat. exort. de pœnit. agend. ait: qui poſitus in vltima neceſsitate ægritudinis ſuæ, accipit pœnitentiam , & mox reconciliatus fuerit, & exit de corpore , fateor vobis , non illi negamus quon petit , ſed non præſumo dicere , benè hinc exit ; & poſtea : agens pœnitentiam ad vltimum, an ſecurus hinc exeat,ego non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum,ſecuritatem non poſſum. D. Aug. ſerm.44. de temp. ait : Nemo ſe ad illud tempus reſervet, & tunc pœnitentiam vel charitatis dulcedinem retinere contendat , quando cæperit de hac luce migrare,quia neſcit quid ſuperventura pariat dies; & ſerm.57. ait: Datur quidem & in extremis pœnitentia , quod non poteſt denegari, ſed authores eſſe non poſſumus , quod qui ſic petierit mereatur abſolvi , de quo vid. D. Greg. lib.18. moral. cap. 5. explicans illud Prov. 1. quia vocavi & renuiſtis , ego quoque in interitu veſtro ridebo.

Et ratio horum eſt: quia ille qui in extremo eſt poſitus agone,regulariter vſſum rationis perfectum non habet, vel ex gravitate morbi , vel ex tempeſtate agitante, vel quia in parte ſenſitiva, eſt magnus dolor vel timor,& quælibet ex his paſsionibus ſi vehemens eſt, rationem perturbat. Deindé: quia habitus vitioſi , regulariter committantur hominem vſque ad mortem , conſuetudo enim vertitur in naturam; cum ergo habitus illi,quando exiſtebat homo ſanus , pœnitentiam eius , & converſionem ad Deum impediebant, quid tunc facient, quando hominis vires debiliores ſunt ; & dœmonum tentationes fortiores. Undé ſæpé legimus , multos tunc , ita fuiſſe ſuæ ſalutis ſpiritualis oblitos , ac ſi ſtatim non eſſent Deo rationem reddituri, de quo longas poteramus contexere narrationes ; ex his patet, quantum ſit,pœnitentiam vſque ad extremum differre periculoſum , & ſic ait Aug. ſerm. 57. citatus: pœnitentia quæ ab infirmo petitur , infirma eſt , pœnitentia quæ petitur á morienti, timeo ne & ipſa moriatur.

AR-

ARTICVLVS V.

De effectibus Pœnitentiæ.

Prima difficultas : Vtrum sine Pœnitentia, remmitti possit peccatum ? Dico 1. quód per se loquendo, requiritur actus formalis virtutis pœnitentiæ, vt peccatum mortale remmittatur extra Sacramentum; constat ex D. Thom. q. 86. art. 2. & ex Trident. Sess. 14. cap. 1. & hoc ipsum suadent plura Scripturæ loca. Act. enim 3. dicitur: Pœnitemini & convertimini, vt deleantur peccata vestra, & Luc. 13. si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Et ratio est: quia homo ad Deum conversus, non solum tenetur recedere á peccato, vt est malum Dei, oppositum bono diuino, sed etiam vt est eius iniuria, violans ius illius; sed dolor de peccato, vt est iniuria Dei, pertinet ad pœnitentiam, & non ad charitatem, hæc enim solum detestatur peccatum, quatenús est bono diuino contrarium; ergo, &c.

Sed obstat contra hoc : nam alia dantur remedia ad peccati remissionem, præter pœnitentiam formalem, nempé actus charitatis, de quo dicitur Prover. 10. vniversa delicta operit charitas, & Luc. 7. remmittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: ergo pœnitentia formalis, necessaria non est ad peccati remissionem. Hoc tangit difficultatem de forma iustificante, de qua agitur tract. de iustific. nunc dicitur: quód actus charitatis, præcisivé á detestatione peccati, & vt illam præcedit ordine naturæ, peccatum non expellit nisi remoté, quia est causa proximæ detestationis illius. Nec inferas : ergo pro illo priori, poterunt simul esse charitas & peccatum mortale; quia illa est pura prioritas *á quo*, seu naturæ, causalitatis vel dependentiæ, non autem prioritas *in quo*, seu existentiæ, de quo disputatur in Philosophia, & ad præsens non attinet.

Dices: per charitatem convertitur quis ad Deum, vt ad vltimum finem: ergo nequit illa existente, esse á Deo aversus, alias simul esset amicus & inimicus Dei, quod repugnat. Resp. eodem modo, quod cum illa non sit prioritas in re, sed solum quo ad intelligi, non verificatur quod homo pro illo priori, simul sit conversus & aversus á Deo. Vel dicatur : quód per charitatem, convertitur homo ad Deum per modum actus secundi, cum quo stat, quod per modum actus primi sit aversus, quia conversio pro illo priori, est facilé transiens, & non perfecta & completa. Si dicas : homo ille est actu conversus ad Deum : ergo etiam habitu, quia hoc relinquitur ex illo, sicut ex peccato actuali, relinquitur habituale peccatum. Resp. quód ex conversione actuali perfecta, relinquitur habitualis, & in hoc datur paritas cum actuali peccato, conversio autem facta per actum dilectionis, vt ordine naturæ pœnitentiam antecedit, est inefficax & imperfecta, & ideo, non relinquit habitualem conversionem.

Dico 2. Per accidens, & in aliquo casu extraordinario, potest remmitti peccatum, per solam pœnitentiam virtualem. Prob. assignando duplicem casum, in quo id contingere potest. Primus est de homine, qui totaliter est oblitus peccatorum suorum in particulari & in generali, & talis iustificari potest, quia non est extra statum salutis ; sed tunc non elicit actum formalem pœnitentiæ, quia nequit dari detestatio peccatorum, quorum non recordatur: ergo, &c. Vndé ait D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 5. ad 3. quód homo in statu illo est sic dispositus, vt etiam de his quæ non meminit contereretur si memoriæ adessent. Et idem ait, q. 28. de verit. art. 5. ad 3.

Exemplum huius, est in Baptismo, qui licet sit ad salutem necessarius, si daretur aliquis illum invincibiliter ignorans, sine eius voto explicito, posset in Deum converti, & consequenter, idem de peccatis oblitis dicendum est respectu Pœnitentiæ; quare dixit David: ab occultis meis munda me. Ratio autem horum est : quia posita naturali oblivione, vel inconsideratione peccatorum, ex parte intellectus, potest dari recordatio diuinæ bonitatis ad eam diligendam, & ex parte effectus, datur libertas, & sufficiens distinctio inter actus, vt vnus reperiatur sine alio ; & cum actus veræ charitatis, eminenter contineat perfectionem actus pœnitentiæ, ideo illo stante, virtualiter detestatur peccatum, sine pœnitentia formali.

Dices: Quód si hoc est verum, etiam ille qui peccatorum memoratur, poterit iustificari per actu charitatis, quia in eo est eiusdem valoris. Ad hoc solent multa dici. Aliqui dicunt, quod memor peccati, obligatur divino præcepto de contritione, á quo immemor illius, excusatur ob ignorantiam. Alij asserunt, quod dilectio Dei, potest esse sine detestatione peccati, ratione apprehensionis, qua cogitatur bonitas Dei, quin peccata recordentur ; & hoc reperitur in oblito peccatorum, non autem in recordato, sicut superbia excitat invidiam, si cogitat quis de aliena excellentia, non veró de illa non cogitando; vt ait D. Thom. 2. 2. q. 36. art. 4. ad 1. Ratio autem omnium est : quia actus charitatis, concurrit dispositivé ad iustificationem, & ille qui peccatum cognoscit, non se disponit sufficienter, nisi doleat de culpa, cuius contrarium contingit, in eo qui peccatorum suorum oblitus est.

Secundús casus, in quo potest contingere peccati remissio, sine pœnitentia formali, est cum quis subito rapitur ad martyrium, nec illi dantur inducíæ, vt possit peccatorum memorari, nec eorum recordatur vllo modo, talis per actum dilectionis Dei iustificabitur, sine formali pœnitentia; constat ex

ex D.T. infrá, q.87. art.1. ad 2. vbi ait: Passio pro Christo susceptа, obtinet vim Baptismi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali & mortali, nisi actualiter peccato invenerint inhærentem. Ratio est: quia Martyrium seu Baptismus sanguinis, non est minoris efficaciæ, quam Baptismus aquæ; sed hic ex opere operato remittit peccatum, si non datur obex in recipiente: ergo etiam Martyrium; vndé ait D.Cipr.Epist.73. nunquid potest vis Baptismi esse maior, aut potior quam confessio? Quam passio? Ut cum quis coram hominibus Christum confitetur, & suo sanguine baptizatur?

Si dicas: D.Thom. ponit differentiam inter pœnitentiæ Sacramentum, & pœnitentiæ virtutem, ex eo quod sine Sacramento potest remmitti peccatum, & tamen sine illo in re vel in voto, potest remmitti de potentia absoluta: ergo sine virtute pœnitentiæ, nullo modo potest remmitti. Resp. cum D.Thom. ibidem quod Sacramentum pœnitentiæ, perficitur per officium Sacerdotis ligantis & solventis, sine quo potest Deus peccatum remmittere, sicut remisit adulteræ & Magdalenæ, quibus tamen non remisit, sine virtute pœnitentiæ, nam vt ait D.Greg. per gratiam traxit intus, quam per misericordiam suscepit foris; vndé ex natura rei, non est necessarium pœnitentiæ Sacramentum, benè verò pœnitentiæ virtus, licet per accidens & de potentia absoluta, sine vtraque pœnitentia, remmitti possit peccatum.

Dico 3. peccatum remmitti potest de potentia absoluta Dei, sine vllo actu pœnitentiæ, nec formalis, nec virtualis. Aliqui ex nostris sentiunt oppositum; sed M.Prado cum nobis est, & Nuño ait, hoc evidenter convinci. Ratio est: quia potest Deus peccatori dormienti, gratiam & charitatem infundere; sed tunc peccata remmitterentur, sine pœnitentia formali nec virtuali: ergo, &c. Min. constat, quia gratia & charitas, ex natura sua pugnant cum peccato. Min. prob. Tùm, quia in hoc nulla datur repugnantia, sicut nec datur in eo, quod parvulis infundat Deus gratiam in Baptismo, absque vllo eorum actu. Tùm, quia actus pœnitentiæ formalis aut virtualis, solum sunt dispositio ad gratiam, Deus autem de potentia absoluta, potest producere formam sine dispositionibus.

Explicatur hoc: potest Deus assumere ad suam personam naturam hominis peccatoris, homine non eliciente aliquem actum pœnitentiæ formalis aut virtualis; sed in eo casu, peccatum remmitteretur. Tùm, quia repugnat peccatum in homine Deo, alias simul esset conversus & aversus ad Deum. Tùm, quia si gratia habitualis, quæ est naturæ divinæ participatio cum peccato pugnat, quanto magis ipsa natura divina? Ergo, &c. Hoc idem argumentum fit, de homine peccatore, elevato ad visionem beatam, in quo casu, eius peccatum remmitteretur per beatitudinem, quæ est gratia consummata & perfecta vnio cum Deo, quin vllum actum pœnitentiæ formalis, aut virtualis eliceret: ergo sine his, peccatum remmitti potest.

Oppones: culpa est malum voluntarium: ergo solum potest tolli, per mutationem voluntatis. Resp. dist. conseq. per mutationem ortam ab habitu gratiæ, conc. ortam ab actu pœnitentiæ, neg. si enim peccatori dormienti, infunderetur gratia, remmitteretur peccatum, absque vllo eius actu, vt vidimus. *Dices*: quód tolleretur macula peccati, vt est quid physicum, non verò vt est quid morale, cum nullus actus voluntatis intercederet. Resp. quód daretur actus interpretativus, nam quando aliquid fit nobis nescientibus, si in nostram vtilitatem cedit, iudicatur moraliter & interpretativé nos illi consentire, & huius generis est, infusio gratiæ homini dormienti, ad destructionem maculæ peccati. *Si dicas*: quód libera aversio á Deo, nequit destrui, nisi per liberam conversionem. Resp. sufficere, quod talis sit, actu vel habitu, & hæc secunda iam daretur in casu prædicto.

Secunda difficultas: An remissa culpa per pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ? Et quidem loquendo de pœna æterna, certum est illam remmitti, remissa culpa; ratio est: quia culpa remmittitur per infusionem gratiæ, quæ constituit hominem filium Dei adoptivum, iuxta dictum Pauli: si filij & hæredes, repugnat autem aliquem esse hæredem Regni Cœlestis, & simul addictum æternæ pœnæ. An verò impossibile sit pœnam æternam remanere remissa culpa? A Theologis latè discutitur; nunc dicitur breviter, hoc omnino impossibile esse, quia licet Deus liber sit ad collationem gloriæ, ad hoc tamen necessitatur, ex suppositione collationis gratiæ, & eius finalis conservationis, sicut liber est ad revelanda futura, sed supposita revelatione, necessitatur ad implendum quod dixit.

Hoc habetur expressé apud D.Thom. in 4. dist. 46. q.1. art.2. ad 2. vbi ait: Sed postquam gratiam contulit, quæ est merendi principium, ad iudicium eius pertinet, vt pro meritis præmia reddat, & sic ex suppositione voluntatis, iustitia causatur; & ratio id suadet: nam implicat Deum operari contra leges veræ amicitiæ, de cuius ratione est, amico velle bonum, & eius miseriis succurrere; vndé repugnat summæ bonitati Dei, perpetuo cruciare hominem, in gratia existentem. Vndé dubium est de pœna temporali, de qua etiam est certum, quod aliquando per excellentem contritionem remmittitur, vt visum est in Magdalena, quia cum debitum talis pœnæ finitum sit, potest perfectissima satisfactione deleri.

Est ergo difficultas: an reatus pœnæ temporalis, aliquando remaneat remissa culpa & pœna æterna? Circa quod, Lutherus & Calvinus dixerunt, quod remissa culpa, nulla datur satisfactionis necessitas, quia Christi satisfactio, quæ infinita est,

suf-

sufficit pro omnibus eius membris ; & ex hoc venenato fonte, infecti rivuli fluxerunt, negando Purgatorium, indulgentias, ieiunia, Christianosque reddit ignauos, ad dignos pœnitentiæ fructus proferendos. Sed tamen veritas catholica est, quod remissa per pœnitentiam culpa & pœna æterna, remanet reatus pœnæ temporalis, luendæ in hac vita per actus satisfactorios, vel in alia per Purgatorij supplicia; sic diffinitur in Trident. Sess. 6. Can. 30. & habetur in D.T. hic art. 4.

Huius autem veritatis, sunt quatuor congruentiæ. Prima, quia maior ingratitudo peccantis post fidem Baptismi, tali pœna digna est. Secunda, quia sic gravitas peccati mortalis magis appatet, si etiam eo dimisso, remanet pœna luenda. Tertia, quia ex timore pœnæ, frænatur peccandi licentia. Quarta, quia per actus satisfactorios, tolluntur habitus vitiosi per culpam contracti. Nec obstat: quód objcit Lutherus de infinitate meriti Christi; hoc enim facit omnibus mereri, quo ad sufficientiam, non veró quo ad efficaciam, nisi applicetur per proprios pœnitentiæ actus, quibus virtutem Passionis Christi consequimur ; sic ait D. Thom. loc. cit. sol. ad 3.

Viteriús, aliæ duæ congruentiæ extant. Prima, quia per peccatum, non solum offenditur Deus, vt privatus amicus, sed etiam vt Princeps, & publicus legislator: ergo licet vt privatus amicus, remittat cũ culpa, æternã pœnam, relinquit pœnã temporalem, ob commune bonum luendam, in vltionem commissæ culpæ. Secunda: quia in peccato mortali, est aversio á Deo, & conversio ad creaturam: ergo ei correspondet duplex pœna, nempé aversioni quæ est quodammodo infinita, pœna æterna quæ est aliquomodo infinita, & conversioni quæ est finita, pœna temporalis quæ finita est, & cum non semper, in iustificatione auferatur conversio hæc, nec tollitur pœnæ temporalis reatus.

Oppones 1. ex varijs locis scripturæ constat, quod post iustificationem, iniquitates hominis non recordantur, nec aliquid in eo damnationis manet. Secundò: si remisso peccato remmittitur pœna æterna, multo potiús temporalis quæ minor est, sicut etiam in Baptismo & Martyrio fit. Tertió: remota causa, removetur effectus, cum autem culpa sit causa pœnæ, illa remota seu dimissa, etiam pœna remmittetur. Resp. ad 1. quód in homine iustificato, peccata non recordantur in ordine ad vitam æternam, quia adhoc nihil nocebunt, cum quo stat, quod Deus recordetur peccatorum, quo ad debitum pœnæ temporalis; & similiter nihil damnationis manet in iustificato, quia pœna temporalis, damnatio non est, sed causa salutis, quatenús peccandi licentiam frenat.

Ad 2. quód pœnitentia concurrit ad remittendam pœnam æternam, vt dispositio vltima gratiæ, & sic illa posita, remmittitur pœna æterna ; sed ad remissionem pœnæ temporalis concurrit non solum vt dispositio, sed vt iustitiæ divinæ satisfactio, & ideo illa non sufficit, ad remittendam totaliter pœnam temporalem, sed proportionaliter, iuxta qualitatem contritionis. Nec est idem de Baptismo, in quo fit vitæ spiritualis inchoatio & regeneratio; vndé sicut in generatione naturali, fit resolutio vsque ad materiam primam, & nullum accidens quod erat in corrupto, manet in genito, ita nullum accidens vitæ corruptæ debet manere in homine, per Baptismum regenerato, nec quo ad culpam, nec quo ad pœnam; quod habetur in Trident. Sess. 14. cap. 2. & hoc idem privilegium convenit Martyrio, & quia est opus excellentissimæ charitatis, & quia est perfecta imitatio Passionis Christi.

Ad 3. respondet D. Thom. ad 1. quód in peccato mortali, datur aversio á Deo vt quid formale, quo destructo, destruitur species rei, & datur conversio ad creaturam, vt quid materiale, & hæc remanet dimissa culpa, & ideo etiam remanet reatus pœnæ temporalis. Si dicas 1. quód conversio ad creaturam, est veré culpa, & post pœnitentiam nulla culpa manet, & sic nec manebit talis conversio. Secundó remissa culpa, homo manet amicus Dei, & est crudelis amicus, qui cruciat amicum, pro culpa iam remissa. Resp. ad 1. quod in offensa, datur violatio amicitiæ & iustitiæ Dei, & hæc etiam in compensatione separantur; sic ait D. Thom. in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. vndé remissa culpa, remanet conversio inordinata ad creaturam, quæ est quasi materiale in peccato. Ad 2. quód licet remissa culpa, sit reparata Dei amicitia, non veró iustitia eius, & ideo potest iustè cruciare hominem pœna, vt est satisfactoria, vndé ait D. Thom. 1. 2. q 87. art. 6. ad 2. quód virtuoso, non debetur pœna simpliciter, benè veró pœna vt satisfactoria, quia ad virtutem pertinet, vt satisfaciat pro his, quibus offendit Deum, vel hominem.

Inquires: an post remissionem culpæ, auferantur omnes reliquæ peccati? Respondet D.T. art. 5. negativé, nam remisso peccato quo ad avertsionem á Deo, remanet quo ad conversionem inordinatam vt vidimus, & ideo etiam remanent dispositiones, ex præcedentibus actibus causatæ, & hæc dicuntur peccatorum reliquiæ; manent tamen debilitatæ, dimminutæ, & homini non dominantes, non per modum habitus, sed per modum dispositionis; cuius aliam rationem præbet S.D. loc. ex sentent. citato, quia pœnitentia comparatur sanitati & hac restituta, manent adhuc reliquiæ præcedentis morbi, ante perfectam sanationem, & sic etiam reliquiæ peccati manent, ante completam Pœnitentiam.

Dices: Quód Dominus, nunquam sanavit aliquem nisi perfectè, nam totum hominem sanum fecit in Sabbato, & sic remisso peccato, eius reliquiæ

quæ non manent. Respondet D. T. art. 5. ad 1. quod Dominus totum hominem perfectè curat, sed aliquando subito, sicut socrum Petri, aliquando successivè, sicut cæcum illuminatum, aliquando tanta commotione cordis, vt remittatur culpa, & illius reliquiæ, vt patet de Magdalena, & licet de mirabili hac Apostolorum Apostola, non reputet Suarez omnino certum, sed magis D. T. credere debemus, cui omnes SS. Doctores favent, vt videbitur infra, cas. 6.

Tertia difficultas: De remissione peccatorum venialium; circa quod. Dicendum est: quód ad remissionem peccatorum venialium, non sufficit quodlibet opus bonum meritorium gloriæ, sed requiritur necessario, aliquis actus pœnitentiæ, non quidem formalis, sed virtualis. Prima pars constat ex D. T. q. 87. art. 1. vbi ait: Quód vtrumque peccatum, nempé mortale & veniale, per pœnitentiam remmittitur. Ratio est, quia peccatum veniale, causat aliquam deordinationem, circa media conducencia ad vltimum finem, quæ deordinatio per pœnitentiam debet auferri, quia nihil expellitur nisi á suo contrario. Explicatur: peccatum veniale sicut & mortale, solum expellitur á forma sibi contraria; sed non quodlibet opus bonum contrarium est peccato veniali. Túm, quia manés in isto, nihil mereretur. Túm, quia alias, omnia venialia excluderet, cum eadem sit omnium ratio: ergo, &c.

Dices: si hoc est verum, quomodo ait D. T. ad 2. quód per Baptismum vel Martyrium, tám mortalia, quám venialia purgantur? Resp. hoc esse suppositio actu attritionis, quod constat ex corp. art. vbi ait: Quód ad remitendum mortale, & veniale, requiritur pœnitentia. Et si dicas: hinc sequi, quod posset dubitari, an baptizato propenso ad venialia, illa fuerint remissa, & etiam posset orari pro martyribus, vt eis Deus remmittat pœnas, & vtrumque est absurdum. Resp. quód Baptismus & martyrium, habent vim, ad remmittenda mortalia & venialia, quod si detur obex negativus, ex defectu attritionis, cum primum hæc ponitur, omnia auferuntur, quo ad culpam & pœnam; nec potest pro Martyre orari, quia in instanti separationis animæ á corpore, prorumpit in actum ferventissimum contritionis, quo liberatur ab omni pœna debita venialibus, ante mortem non expiatis.

Secunda pars, de pœnitentia virtuali pro venialibus, constat ex D. Thom. ibidem, vbi ait: Quód ad remissionem mortalis peccati, requiritur perfectior pœnitentia, sed non ad remissionem venialium, non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis, quia sic charitas, non compateretur cum veniali, quod est falsum; vndé sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia, vt si quid occurrere retardans affectum ad Deum, de eo doleret, & si actu de illo non cogitaret. Ratio etiam hoc suadet 1. quia peccatum veniale, non est recessus ab amicitia Dei, sed ab eius familiaritate, ad quam accedit virtualis pœnitentia. Secundó: ad remissionem mortalis, quæ est quid maius, sufficit virtualis pœnitentia vt vidimus, & sic etiam ad remissionem venialis, quæ est quid minus. Tertió: venialia non sunt de necessitate confessionis, & sic nec erunt de necessitate contritionis. Quartó: venialia auferuntur per Sacramentalia devotè suscepta: ergo etiam per virtualem pœnitentiam, quæ est illis magis opposita.

Arguitur: Actus dilectionis, licet non sit displicentia virtualis de venialibus, meretur vitam æternam: ergo etiam meretur remissionem venialium, nam qui potest quod est maius, etiam potest quod est minus. Resp. quód actus charitatis, per se ordinatur ad merendam vitam æternam; non veró ad venialium remissionem, nisi eis opponatur, quod non habet, si non est virtualis displicentia eorum, & ideo meretur primum & non secundum; qui autem potest maius, potest minus, si sint eiusdem rationis, vel subordinata, secus si non ita contingit; sicut homo potest producere hominem, & non formicam, quæ minus est. *Dices*: qui meretur finem, meretur ablationem impedimentorum ad illum; sed peccata venialia, sunt impedimenta ad gloriam: ergo qui meretur gloriam, meretur etiam ablationem venialium. Resp. mai. esse veram, de impedimentis essentialibus, non de accidentibus, qualia sunt venialia peccata.

Dices iterum: macula peccati venialis, consistit in obligatione ad pœnam, illud enim non causat privationem gratiæ, nec convertit ad creaturam, vt ad vltimum finem; sed pœna temporalis, potest auferri sine pœnitentia: ergo etiam macula peccati venialis. Resp. neg. mai. quia obligatio ad pœnam, est quid consequens culpam, & non culpa ipsa, alias veniale posset remmitti, habenti propositum illud committendi de futuro, si solveret pœnam pro prætetito. Sed circa constitutivum maculæ peccati venialis, ait D. Tho. art. 2. ad 3. quód sicut in corpore, macula dicitur, vel per privationem eius, quod requiritur ad decorem, vt debiti coloris, vel per inductionem impedientis, vt luti aut pulneris, ita macula animæ, vno modo dicitur per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale, vel per inclinationem affectus inordinatam, ad aliquid temporare, & hoc fit per peccatum veniale.

Uel aliter potest dici, quod sicut macula peccati mortalis consistit in privatione gratiæ sanctificantis, ita macula peccati venialis, consistit in privatione fervoris charitatis. *Dices*: sequi ex hoc peccatum veniale solum posse tolli per actum charitatis, qui est forma oppositæ eius privationi, & etiam non posse remmitti vllum veniale sine alio, quia charitatis fervor, omnia venialia excludit. Resp. nullum ex his sequi. Non primum, quia si ma-

macula venialis, consistit in privatione fervoris, etiam illi opponitur actus religionis, & aliarum virtutum, quo quis ita fertur ad res divinas, vt venialia displicerent, si ei occurrerent. Nec sequitur secundùm: nam fervor charitatis, habet latitudinem, & potest opponi aliquibus venialibus & non omnibus, quia non est tantus, vt formalem vel virtualem displicentiam omnium includat.

Si dicas adhuc, contra secundam partem, quod pœnitentia virtualis, non opponitur peccato veniali, quia actus fervidus charitatis, potest simul esse cum illo, & sic veniale, per virtualem pœnitentiam non remmittitur. Resp. quód licet fervor charitatis, non opponatur cum veniali, cuius ille non est virtualis pœnitentia vel retractatio, opponitur tamen, si eius retractatio est; & licet mendatium iocosum, v.gr. non opponatur charitati, & devotioni secundum eius rationem specificam, quia sic solum opponitur veritati, opponitur verò secundum rationem genericam peccati venialis, quod retardat promptam tendentiam in Deum. Nec obstat: quód charitas & devotio afferunt gaudium, & sic non dicunt dolorem requisitum ad remissionem peccati; nam illud gaudium, est virtualis displicentia peccati venialis, quia est delectatio de suo opposito.

Quarta difficultas: Utrum ad remissionem peccati venialis, requiratur gratia? Nota: quód gratia habitualis, tribus modis, potest requiri ad venialium remissionem, vel antecedenter, vt persona sit remissionis capax, vel concomitater, quia opus remissivum venialis, est etiam meritorium gratiæ, tertio formaliter, quia expellatur per illam, vt per formam oppositam. Dico igitur 1. quód ad remissionem venialium, requiritur gratia actualis, seu auxilium supernaturale divinæ gratiæ; constat ex D. T. hic, art. 2. ad 3. vbi ait: ad tollendam maculam peccato venialis, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, & art. 4. ad 2. ait: Licet ad remissionem peccati venialis, non requiratur nova infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen, aliquis gratiæ actus; & ratio est: quia veniale peccatum, est malum pertingens ordinem gratiæ, cum retardet proptum affectum ad Deum auctorem supernaturalem, & consequenter, debet tolli per auxilium supernaturale divinæ gratiæ, illi oppositum.

Sed oppones: Peccatum veniale, est actus naturalis contra naturalem virtutem, vt mendacium contra virtutem veracitatis: ergo potest auferri, per contrarium actum naturalem. Resp. quód in statu elevationis naturæ humanæ, peccatum veniale, opponitur etiam perfectioni supernaturali, nempé fervori charitatis & familiaritati Dei, & sic per aliquæm actum supernaturalem debet tolli. Si dicas: quid dicendum foret, si homo in pura natura venialiter peccaret? Resp. quód illud peccatum, esset diversæ rationis á peccatis naturæ elevatæ, & ideo per actum naturalem posset remmitti, cum aliquo tamen auxilio naturæ indebito; sic D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 3.

Dico 2. ad remissionem peccati venialis, semper requiritur gratia habitualis antecedenter; sic habet D. T. art. 4. vbi docet, quod existenti in peccato mortali, nullum remmittitur veniale, quia ille caret gratia habituali, requisita ad remissionem culpæ. Ratio est: quia offensa nequit remitti, nisi fiat satisfactio personæ læsæ; sed nequit dari satisfactio hominis ad Deum sine gratia; hæc enim reddit actum amicabilem & Deo acceptum: ergo, &c. Vrgetur: peccatum veniale minuit charitatis fervorem, & sic per fervorem charitatis debet tolli; sed hic fervor supponit gratiam, quia est posterior illa: ergo, &c. *Dices*: veniale quod simul remmittitur cum mortali, gratiam non supponit, sicut nec illam supponit mortalis remissio, sed per illam fit. Resp. quód remissio venialis, non supponit gratiam ordine durationis, sed ordine naturæ, quia priús natura remmittitur mortale quam veniale; priús enim restituimur in amicitiam Dei, quam in eius familiaritatem.

Dico 3. gratia habitualis, non requiritur formaliter ad remissionem venialium; sic D. T. art. 2. ad 3. Ratio est: quia id requiritur formaliter ad remissionem peccati venialis, quod est forma tollens maculam eius; sed hæc forma non est gratia habitualis, quia macula peccati venialis, non est privatio gratiæ, sed conversio inordinata, retardans promptum affectum ad Deum, vel privatio fervoris charitatis: ergo ad illam tollendam, gratia habitualis non requiritur. *Sed oppones*: actus charitatis & contritionis, quibus remmittitur peccatum veniale, merentur augmentum gratiæ habitualis: ergo hæc semper infunditur, ad venialium remissionem.

Hoc tangit difficultatem celebrem, de augmento gratiæ & charitatis, debito actibus remissis; circa, quod multi multa dicunt; sed quia hoc præsentis instituti non est, breviter dicimus, quod dato per actus remissos, mereri novum gratiæ augmentum, distinctum ab eo, quod debetur actui intensiori (de quo Theologi dubitant) illud tamen non statim confertur, sed differtur vsque ad elicientiam actus ferventioris, & ideo per actus charitatis remissiores, aliquando culpæ veniales remmittuntur sine gratiæ infusione, nec incremento; sic habet D. T. 2. 2. q. 24. art. 6. in fine corp. vbi ait: Non quolibet actu charitatis, charitas actu augetur, sed habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum, & tunc charitas, augetur in actu.

Rem explicat ad instructionem nostram, Venerab. Lud. Granat. serm. 2. de Visit. B.M. num. 14. vbi ait: Quód si quis plures annos in scribendo consumit, sed negligit emendare scribendi curam,

tám longo vſu, non evadet in ſcribendo dexter, ſed ſi poſtea eleganti exemplari appoſito accuratè ſcribat, & ſeipſum quotidié ſuperare conetur, elegantiſsimus fit ſcriptor, & hoc ipſum in augendo charitatis habitu contingit. Quia propter (ait ipſe) multi qui á peccatis reſilierunt, & per multos annos Miſſam celebrarunt, tanto temporis ſpatio, non evadunt meliores, ſed idem in eis languor, eademque levitas, inconſtantia, ariditas, loquendi facilitas, & iræ aculei perſeverant, quia res divinas, & ſacra myſteria, negligenter tractare conſueverunt; nam Dei noſtri mos eſt, vt talem ſe hominibus exhibeat, quales ſe illi homines exhibere ſolent; quæ doctrina, maxima eſt attentione contemplanda.

Quinta difficultas: Quomodo remmittatur veniale peccatum, per Sacramenta & Sacramentalia? De Sacramento pœnitentiæ, certum eſt venialia dimmittere. Túm, quia hæc etiam ſunt materia pœnitentiæ. Túm, quia ſi remmittit mortalia, quanto magis venialia, quæ ſunt minoris momenti. Vndé difficultas eſt, de alijs Sacramentis, & de quibuſ ſã actionibus Sacramentalibus, quæ continẽtur hoc verſu: *orans, tinctus, edens, confeſſus, dans benedicens*, quæ ſic explicantur: *orans*, id eſt dicens orationem Dominicam, in qua petimus nobis peccata quotidiana dimmitti, & etiam oratio in Eccleſia conſecrata. *Tinctus*, id eſt aqua benedicta; *edens*, id eſt panis benedictus: *confeſſus*, id eſt confeſsio generalis quæ fit in Miſſa, in Prima, & in Completorio, ad quam reducitur tunſio pectoris. *Dans*, id eſt conferens eleemoſynam; *& benedicens*, id eſt, accipiens benedictionem Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati.

Dico 1. omnia Sacramenta, habent vim remmittendi peccata venialia, ex opere operato, ſed ſpecialiter Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, & Extrema-Vnctio. Prima pars conſtat ex D.T. hic art. 3. vbi ait: Per omnia Sacramenta novæ legis, peccata venialia remmittuntur; & ratio eſt 1. quia illa, ex opere operato gratiam cauſant, ad cuius infuſionem, remiſsio venialium ſequitur. Secundò: quia ſi Sacramenta ſunt mortuorum, remmittunt mortalia per ſe, ex vi ſuæ inſtitutionis, & ſi ſunt vivorum, remmittunt illa per accidens, & ex inſtitutione ſecundaria: ergo etiam remmittunt venialia, quæ ſunt minoris ponderis, & ſpecialiter ea quæ opponuntur ſpeciali Sacramentorum fini, vt matrimonium, remmittit venialia oppoſita caſtitati, ordo, oppoſita religioni, confirmatio, oppoſita fidei, & Euchariſtia, oppoſita charitati.

Deindé prob. ſigillatim, de Sacramentis aſsignatis. De Baptiſmo eſt conſtans, quia cum ſit ſpiritualis regeneratio, confert gratiam expulſivam omnis maculæ vitæ præteritæ, quæcumque illa ſit, vt ait Trident. Seſſ. 5. Can. 5. De Confirmatione patet, quia confert robur & incrementum vitæ ſpiritualis, cui opponuntur peccata venialia. De Euchariſtia, etiam eſt manifeſtum, quia illa per modum nutrimenti, reſtaurat quod deperditur per calorem concupiſcentiæ, & fervorem charitatis excitat. De Extrema Vnctione colligitur, quia perfectè diſponit animam, ad ingreſſum gloriæ, & ſic venialia removet, quæ eius conſecutionem retardant.

Arguitur: peccata venialia, non ſunt incompoſsibilia cum gratia, quia illa reperiuntur in iuſtis: ergo ex quo Sacramenta gratiam cauſent, ex opere operato, venialia non remmittunt; nec facilé apparet quid cauſent Sacramenta, incompoſsibile cum peccatis venialibus. Reſp. quód etſi venialia non opponantur gratiæ vel charitati, benè veró eius fervori, qui excitatur per gratiæ infuſionem in receptione Sacramentorum; vndé ait D.T. hic art. 2. quód in habentibus vſum liberi arbitrij, non infunditur gratia, ſine actuali motu illius, & ideo quando gratia infunditur, peccata venialia remmittuntur; vndé patet, quod illud oppoſitũ venialibus cauſatũ per Sacramenta, ſunt auxilia efficacia ad actum ferventem pœnitentiæ vel charitatis, per quæm formaliter deteſtantur.

Dices: Quód Sacramenta, non omnia venialia deteſtantur, quia matrimonium, non contrariatur omnibus; nec etiam aliqua deteſtantur, quia attritio recipientis Sacramenta, poteſt non eſſe magis de vno, quam de alio. Reſp. quód Sacramenta, ea tantum venialia remmittunt, quæ ſpecialiter oppo. nuntur eorum fini, vt Euchariſtia, remmittit venialia charitati oppoſita, & ſic de alijs. Vel dicatur: quód ſi attritio ſolum eſt particularis de aliquibus venialibus, ea ſolum remmittit Sacramentum, ſed ſi attritio eſt vniverſalis de omnibus, remmittit omnia, quatenús efficaciter excitat actum charitatis fervidum, oppoſitum cum omni eo, quod illum retardare poteſt.

Dico 2. aliqua Sacramentalia, remmittunt peccata venialia, ex opere operato. Ratio eſt, quia de quibuſdam Sacramentalibus dicitur, ſanctificare nos, vt aſſeritur de aqua, cap. *aquam*, de conſecrat. diſt. 3. ſed hoc meliús explicatur, ſi venialia remmittant ex opere operato, ſicut etiam hac ratione, idipſum dicitur de Sacramentis novæ legis, quo ad cauſalitatem gratiæ: ergo, &c. de quo art. ſeq. caſu 5. agemus. Diximus autem, aliqua Sacramentalia, quia aliqua ſunt, quæ ſolum venialia remmittunt ex opere operantis, excitando charitatis fervorem; ſic ait D.T. q. 7. de malo, art 12. vbi dicit: quód aqua benedicta, & benedictio Pontificialis, de quibus pie creditur virtutem divinam in eis interius operari, remmittunt venialia ex opere operato, ſed oratio Dominica tunſio pectoris, & alia huiuſmodi, quæ non habent ſpecialem conſecrationem, ſolum remmittunt ex opere operantis, excitando fervorem charitatis, per modum conſiderationis.

Oppo-

Oppones: Sacramentalia, non remmittunt venialia quo ad pœnam: ergo nec quo ad culpam, quia hoc est maius illo. Resp. neg. ant. nam vt ait D. Thom. hic, art. 3. ad 3. licet per Sacramentalia, non semper tollatur totus reatus pœnæ, alias immunis á peccato mortali, aspersus aqua benedicta, si tunc moreretur, statim evolaret ad Cœlum, sed tamen remmittitur pœna, secundum modum fervoris in Deum, aliquando magis, & aliquando minus. *Dices*: quód si hoc esset verum, Sacramentalia, omnia venialia dimitterent, quia non est maior ratio vniús quam omnium. Resp. quód fervor excitatus á Sacramentalibus, non se habet æqualiter ad omnia venialia, sed aliqua specialiter potest respicere, & contra illa efficaciús operari. Sic D.T. q. de malo cit. Uel dicatur: quód Sacramentalia remmittunt venialia peccata, stante attritione de illis, quæ potest dari de aliquibus, & non de omnibus, quod habetur apud D.T. hic art. 3. ad 2.

Dico 3. Sacramenta & Sacramentalia, non remmittunt venialia ex opere operato immediaté, sed solum mediaté, quatenús ex meritis Christi, vel orationibus Ecclesiæ, obtinent ea recipientibus digne, auxilia ad actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter venialia displiceant, & retractentur; constat ex verbis relatis D. T. hic, art. 3. vbi ait: Quód Sacramentalia venialia remmittunt, quatenús sunt cum motu detestationis peccatorum, vel cum motu reverentiæ in Deum, aut res divinas; & idem ait ad 1. & 3. Ratio est: quia solus charitatis fervor, est venialibus oppositus, & ille excitatur, habendo ex meritis Christi, auxilia ad actus ferventes; in quo differt á remissione mortalium á Sacramentis facta, nam Sacramenta, immediaté causant gratiam, peccato mortali oppositam, non autem causant immediaté charitatis fervorem, oppositum peccato veniali. Nec dicas: quód remmittere venialia mediaté, etiam convenit imaginibus sacris. Dicitur enim: quód imagines, solum excitant fervorem obiectivé, Sacramenta veró & Sacramentalia impetrativé, quia ex Christi meritis vel precibus Ecclesiæ, obtinent auxilia supernaturalia, quibus homo, actus ferventes eliciat.

Sexta difficultas: An & quomodo peccata venialia, remmittantur potest hanc vitam? Senserunt aliqui, cum Hugo Victorino, fieri non posse, vt quis cũ solis peccatis venialibus decedat, nec quod illa remmittantur post hanc vitam; & movebantur ex eo; quia vel homo agit quod potest ad eorum expiationem, & sic tolluntur quo ad culpam ante mortem, vel id non agit, & sic grave peccatum committit, quia cum videat, peccatis venialibus suam gloriam retardari, illa impedimenta tollere negligit. Sed hæc sententia merito reijcitur á Theologis, & id asserunt SS. PP. citati á D.T. q. 7. de mal. art. 11. vndé asserit D. Aug. illo transitorio igne, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.

Ratio est: quia potest quis ignorare, bona fide se habere venialia peccata, vel inculpabiliter cogitare sufficienter conteri, vel incidere in phrenesim, vel morte repentina decedere, quin habeat tempus dolendi de illis: ergo in his casibus, remmittuntur venialia post hanc vitam, quo ad culpam & pœnam, vt aditus cœlestis pateat. Et cum dicitur: quód contemnit suam salutem, qui negligit pœnitentiam de venialibus ante mortem. Resp. quód sicut venialia, non sunt materia necessaria confessionis, nec materia necessaria sunt virtutis pœnitentiæ, & ideo retractionem eorum ommittere, non est salutem contemnere.

Hoc cum sit certum, discordant authores, in assignando modo, quo venialia remmittuntur post han vitam. Alensis ait, illam remissionem non fieri per aliquæm actum animæ separatæ, sed per finalem gratiam habitualem, quæ cum sit in termino, redditur potentior quam antea, & ideo culpam venialem excludit. Sed hoc falsum est: quia gratia non consumata per visionem beatam, cum peccato veniali non pugnat, cum solum addat suprá gratiam præcedentem, coniunctionem cum morte. Scotus ait: peccata venialia cum quibus moritur homo, remmitti in purgatorio, per condignam pœnæ solutionem, vel in primo instanti separationis animæ, propter opera bona præcedentia, ad hoc reservata, vique ad illud tempus. Sed hoc etiam est falsum, nam veniale peccatum, non solum deputat hominem ad pœnam, sed relinquit maculam & inordinationem in anima, quæ priús debet tolli, quam remmittatur pœna illi debita. Nec opera bona præcedentia, ad hoc conducunt. Túm, quia si antea sufficiebant ad remissionem venialium, ante mortem remmitterent, & si non sufficiebant, nec in instanti separationis remmittere possunt. Túm, quia potest quis iustificatus per Baptismum, statim mori cum veniali, nullo opere meritorio præcedente.

Nec obstat: quód Alensis opponit, nempé quod gratia finalis, ex eius perfectione, superat concupiscentiam, & vires animæ sibi subijcit, ideoque venialia delet. Resp. enim, quod quantum ad causam, hoc frivolum est, eo quod defectus corporalis in fine vitæ, non aufert nec minuit concupiscentiam quantum ad reticem, sed solum quantum ad actum, nec potentias animæ, gratiæ subijcit, quia talis subiectio est, quando inferiores vires, superioribus obediunt, quod tunc non reperitur, nisi vocetur subiectio, privatio pugnæ quod improprium est, nam etiam hoc accidit in dormientibus, & non ideo somnus, concupiscentiam minuit, nec vires animæ gratiæ subdit; quæ doctrina summitur ex D.T. in 4. dist. 21. q. 1. art. 3.

Dico igitur: quód remissio venialium fit post hanc vitam, per actus contritionis vel charitatis, quibus anima talia peccata retractat & detestatur;

sic

sic expresse D.T. q.7. de malo, art.11. vbi ait: Venialia remittuntur post hanc vitam, quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus, in hac vita commissis. Ratio est: quia venialia remmitti non possunt, etiam in alia vita, nisi per formam sibi oppositam, quæ nulla alia est vt vidimus, nisi actus charitatis per quem venialia detestantur. Vndé ait D.T. loc. cit. ad 9. quód peccatum veniale, remmittitur in Purgatorio, quantum ad culpam, virtute gratiæ, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed pro vt exit in actum charitatis, detestantis veniale peccatum.

Et si interroges: quando anima separata á corpore, talem actum eliciat? Aliqui dicunt, illum actum elici in ipso instanti separationis animæ á corpore, quia tunc cognoscit culpas suas, vt impedimentum gloriæ, & familiaritatis Dei, & ideo in actum ferventem prorumpit. Sed meliús dicitur: quód talis actus elicitur in ingressu Purgatorij, nam quando est aliquod magnum bonum quod differtur, & magnum malum quod imminet, excitatur intensum desiderium ad consequendum bonum, & evadendum malum: sed animæ separatæ quæ est Purgatorio obnoxia, imminet magnum malum, scilicet acerba Purgatorij pœna, & differtur á maximo bono, scilicet á vita æterna: ergo statim excitatur in ea fervens desiderium; verba sunt D.T. q.6. de malo, art.11. ad 16.

Sed oppones: Status alteriús vitæ, non est viæ sed termini, nec potest in eo aliquis actus esse meritorius, vel satisfactorius: ergo tunc, non datur actus, causans venialium remissionem. Resp. quód post hanc vitam, non potest esse meritum, respectu premij essentialis, sed respectu alicuius accidentalis, potest esse, quandú manet homo in statu viæ aliquo modo, & ideo, in Purgatorio, potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem culpæ venialis; sic D.T. in 4. dist. 21. q.1. art.3. ad 4. Vel dicitur: quód tunc, peccatum veniale remittitur, non per modum meriti, vel satisfactionis, sed per modum condignæ retractationis & displicentiæ, quæ se habet, vt removens prohibens ingressum Cœli.

Dices: Quód hoc modo, etiam illi actus proficient ad remissionem pœnæ, & sic animæ citissimé á pœnis liberabuntur, quod falsum est. Resp. quod remissio culpæ, est illis necessaria ad ingressú beatitudinis; remissio verò pœnæ, non est necessaria, quia possunt stricté satispati, id est, totam pœnam solvere, debitam veniali peccato, & ideo diversa est ratio vtriusque.

ARTICVLVS VI.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de remissione peccati mortalis. Machinabatur homo, longo tempore in corde suo, quodam turpe peccatum, postea effrenato impetu passionis increscente, illud temere comisit, quod Dei scientia certo ante futurum prævidebat. Quæritur: an Deus illud peccatum remittere posset, antequam committeretur, vel in eodem instanti, in quo fuit commissum? Affirmativam partem tenet Lugo, asserens, quod de potentia absoluta, Deus hoc facere potest; sicut etiam homo, antequam ab hoste ledatur, potest illi remmittere iniuriam quantum est ex se; vndé adveniente peccato, licet Deus haberet odium circa illud, sed non circa personam peccatoris, quia iam ante, cessit curi rationabili contra illum.

Sed oppositam sententiam, vocat Suarez per se notam; & rationem dat: nam peccatum quod remmittitur, tollitur & destruitur, nam de hac remissione loquimur, & non de ficta hæreticorum non imputatione; implicat autem, quod aliquid destruatur antequam sit; & similiter implicat, quod destruatur in eodem instanti in quo fit, alias in eodem instanti, simul esset & non esset, quæ est contradictio aperta, ab ipsis Dialecticis cognita. Hoc ipsum suadet Ripalda, lib. 6. de ente supernat. disp. vlt. sect.29. dicens, quod condonatio peccati, nequit esse, quin existat physicé peccatum, Deus enim non condonat peccata possibilia; affectus autem Dei efficax, habet pro obiecto carentiam existentiæ physicæ peccati, & huius existentiam potest impedire si vult, & sic nequit condonare peccatum antequam sit, nec in instanti in quo est.

Deindé asserit: quód alio modo condonationis, potest Deus remmittere peccatum, antequam sit, nempé si velit non indignari adversus peccatorem, & cedendo iuri puniendi illum, & cum illo se gerere postea, ac si nunquam peccasset; si enim hoc potest facere cum peccato præterito, cur idipsum non faciet cum præsenti & futuro? Præcipué cum Deus sit plus ad condonandum potens, & propensus quam homo. & hic potest offensam condonare álteri homini offendenti, antequam offensa fiat, cedendo iuri sumendi vindictam, vel petendi satisfactionem. Nec per hoc placet Deo peccatum, quia potest malum personæ odio haberi, & persona diligi, vt ait Aug. in regul. quód correctio fiat, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

Hæc explicatio & doctrina, locum non habet in sententia Thomistarum, negantium peccatum posse remmitti, pura extinseca condonatione, & sic contradictionem implicat, quod peccatum remmitta-

tur,

tur, antequam sit commissam. Sed difficultatem tetigit D. Tho. in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. vbi cum sit de fide, quod omnia peccata per Christi mortem sunt deleta, obijcit sic: peccatum non potest deleri antequam fiat; sed multa peccata, facta sunt post Christi Passionem: ergo non omnia peccata delevit; & respondet: quód Passio Christi, quantum ad sufficientiam, potest delere peccata, etiam antequam fiant sed efficientia deletionis non est, nisi postquam aliquis, á peccato commisso avertitur; sicut medicina sufficiens ad sanandum, paratur interdum antequam aliquis infirmetur, sed non sanatur per ipsam actu, nisi postquam infirmus fuerit.

Idem asserit in substantia, 3. p. q. 49. art. 1. ad 3. vbi cum obiecisset, quod nullus potest liberari á peccato quod non dũ commisit, sed ab eo quod in posterum est committurus, & ita non videtur quod per Passionem Christi, liberemur á peccatis, quæ post illam quotidié committimus. Respondet: quód Christus sua Passione, nos á peccatis liberavit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata, quandocumque remmitti, vel præterita, vel præsentia vel futura sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari, etiam in futurum; & idem ait, q. 7. de Malo, art. 11. ad 10. Vndé peccata futura & possibilia, non remmittuntur actualiter, sed causaliter per Christi Passionem, vbi notari debet passim, dictum Pauli asserentis ad Rom. 3. vers. 25. quód sanguis Christi, fuit remissio præcedentium delictorum, quia vissa bonitate Christi patientis pro nobis, præterita delicta debemus odio habere, sed futurorum commissionem reformidare.

Nec obstat his, paritas vnius hominis, remmittentis offensam alteri, antequam sit commissa; nam homo remmittit offensam alteri, absque vlla voluntatis immutatione; hoc enim interest discrimen, inter gratiam Dei & gratiam hominis, quod gratia hominis, non causat, sed præsupponit bonitatem veram vel apparentem, in homine grato, sed gratia Dei causat bonitatem, eo quod bona voluntas Dei, quæ nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati; vndé potest contingere, quod homo remmittat offensam qua offensus est, alicui, absque vlla immutatione voluntatis, quod contingere non potest in Deo, & ideo homo remmittere potest offensam sui antequam committatur, non veró Deus; quæ doctrina est D. T. 3. p. q. 86. art. 2. & 1. 2. q. 110. art. 1.

Casus secundus, circa idem. Fuit homo varijs vitijs assuetus, sed præcipua erant luxuria & avaritia, in quæ affectus hominum cœcus, magis propendit, crescente veró ætate, nondum passionum viror dispalluit, & canorum sensuum frigore congelato corde, adhuc libidinũ incendia buliebãt; nec auri sacra fames, satis appetitum expleverat, semper enim divitiarum aviditas perdurabat. Quæritur: an vtriusque peccatis præteritis memoratis, posset pœnitentiam & contritionem habere de vno, & non de altero? Dixi: memoratis peccatis, quia si aliquorum datur oblivio, resolutio est facilis, vt ait M. Soto, nam si quis in confessione ob negligentiam culpabilem non memoratur, á nullis absolvitur, si autem hoc accidit sine culpa, remmittuntur omnia, directé illa quæ confitentur, & indirecté ea quæ non recordantur, quæ si postea in memoriam venerint, confitenda sunt, & sic idem de contritione dicendum est; ita D. T. 1. 2. q. 113. art. 5. ad 3.

Resp. quód de peccatis mortalibus, quorum homo recordatur, nequit pœnitere & conteri de vno, & non de alio; sic tenet Suarez, cum alijs pluribus. Ratio est: nam formalis pœnitentia de omnibus peccatis, est medium per se necessarium ad iustificationem; & ideo ex suppositione quod homo, velit efficaciter destruere aliquod peccatum, de omnibus debet dolere; cum autem in contritione, includatur formaliter vel virtualiter, illa intentio efficax, ex vi illius, nequit separari contritio vnius peccati, á formali contritione aliorum, nisi ob inconsiderationem, vel ignorantiam ei æquivalentem. Deindé ex intento D. T. q. 86. art. 3. constat, quod contritio requisita ad remissionem peccati, debet esse vltima dispositio ad iustificationem; licet autem in peccatore, possit esse aliqua supernaturalis attritio, vel imperfectus amor, vel odium vniús culpæ, non excludens affectum, ad alia vitia, sed quovsque de omnibus, formaliter vel virtualiter conteratur, non iustificabitur.

Hoc habet expresé D. T. q. 87. art. 1. in corp. vbi ait: Exigitur ad remissionem peccati mortalis, perfectior pœnitentia, vt scilicet homo diligentiam adhibeat, ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula detestetur; & sol. ad 2. ait: Pœnitentia de peccatis mortalibus, requirit quod homo, proponat abstinere, ab omnibus & singulis peccatis mortalibus; & q. 28. de ver. art. 5. ad 4. ait: omnia peccata conveniunt in aversione á Deo, ratione cuius gratiam impediunt. Vndé ad iustificationem non requiritur, quod in ipso iustificationis momento, aliquis de peccatis singulis cogitet, sed sufficit quod cogitet de hoc, quod per culpam suam, est aversus á Deo; recogitatio autem singulorum peccatorum, debet præcedere, vel saltim sequi iustificationem.

Undé, cum omne peccatum mortale, sit aversio á Deo, & eius offensa, graviterque opponatur illius amicitiæ, & charitati, ponit obstaculum lumini gratiæ; dum ergo contritio, non retractet omnem istam aversionem, nec convertetur ad Deum, nec Deus illam per gratiam vivificabit. Nec obstat paritas de amicitia humana, quæ vnum debitum sine alio solvere potest; hoc enim est, quia illa

sulum curat de externa commutatione, vt non aparcat aliquis apud homines eam lædens; Deus verò inuertet cor, & sic quolibet repugnante gratiæ, cum ratione & lege æterna, dissolvitur amicitia, quæ hæc consistit indivisibili, nec semel dissoluta reparatur, nisi per contritionem, explicitè vel implicitè, ad omnia peccata extensam.

Ex his habetur, quòd Deus nequit per pœnitentiam, vnum peccatum sine alio remmittere; sic D. T. q. 86. art. 3. quòd probat 1. quia peccatum remmittitur, quatenùs auferetur Dei offensa per gratiam; omne autem peccatum gratiam excludit, & ideo vnum sine alio, remmitti nequit. Secundò quia vera pœnitentia destruit peccatum, quatenùs est contra Deum, quod omni peccato commune est, & ideo omne peccatum expellit. Tertiò quia hoc esset contra perfectionem misericordiæ Dei, nam vt ait D. Aug. lib. de vera & falsa pœnit. quædam impietas infidelitatis est, ab eo qui iustus & iustitia est, dimidiâ sperare veniâ. *Si dicas* quòd peccata non sunt connexa, & ideo poterit vnum sine alio remmitti. Resp. quòd non sunt connexa quo ad conversionem ad bonum commutabile, benè verò quo ad aversionem ab incommutabili bono, & sic habent rationem offensæ per pœnitentiam auferibilis; sic D. T. ad 3. & 1. 2. q. 73. art. 1. ad 1. & 2. 2. q. 5. art. 3. ad 3. *Si iterum dicas*: quòd Deus diligit hominem quantum ad naturam, & non quantum ad culpam, & sic etiam poterit vnum peccatum remmittere, & non aliud. Resp. quòd dilectio Dei erga naturam hominis, non ordinatur ad bonum gloriæ, quod impeditur per quodlibet peccatum mortale; dilectio autem gratiæ per quam remmittitur culpa mortalis, ordinat ad vitam æternam, nam gratia Dei vita æterna, vt ait Paulus, & ideo est dispar ratio.

Casus tertius, circa idem. Homo salutis animæ suæ negligens, in pluta mortalia peccata cecidit, quorum commissionem, pluta venialia peccata sociabantur. Quæritur: an illa peccata venialia, sine mortali remmitti possent? Punctum tangit D. Tho. 3. p. q. 87. art. 4. & negativè respondet, & rationem assignat ex eo, quod remissio cuiuslibet peccati fit per gratiam; sed ille qui est in peccato mortali, caret gratia Dei: ergo nullum peccatum veniale remmittitur illi. Vim rationis explicat solut. ad 2. quia licet peccatum veniale, non remmittatur immediatè per gratiam habitualem, sed per actualem transeuntem, sed tamen actus iste, nisi sit informatus habitu, cuius exercitium sit actus, non est forma expulsiva peccati, quia requiritur aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato.

Demdè constat hoc ipsum 1. nam remoto priori, removetur posterius, nec hoc restituitur, priori non restituto, sed feruor charitatis, cui opponitur peccatum veniale, est posterior ipsa charitate: ergo quandiù charitas non restituitur, nec potest reparari charitatis feruor, in quo consistit remissio peccati venialis; hoc summittur ex D. T. in 4. dist. 16 q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. Secundò, id constat ex parte Dei remittentis, á quo peccatum mortale separat, & ideo habens illud, non percipit eius effectum, in remissione peccati venialis; & re vera incongruum est, vt Deus reconcilietur in re levi, cum eo, qui graves inimicitias gerit cum ipso, qualis est qui existit in peccato mortali, nec curat Dei gratiam recuperare.

Hanc doctrinam roborat M. Soto in 4. dist. 15 q. 2. art. 4. vbi ait: Quòd nullus potest obtinere remissionem culpæ per eius actum, nisi Deo sit acceptus, quia inter nos & illum, nulla est ratio iustitiæ á nobis dimanans, nisi iuxta eius acceptationem; cum ergò, nullus actus peccatoris, licet moraliter bonus, sit opus amici, nec acceptus Deo, nequit per illũ, nec leviſsimæ culpæ fieri remissio; ideoque dicitur, cap. 34. Eccles. dona iniquorum non probat altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum, propitiabitur peccatis; vndé ait D. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 31. neque enim apud Deum quid datur, sed á quo datur attenditur; respexit enim Dominus ad Abel, & ad munera eius: priùs ait, quia respexit ad Abel, ac deindé ad munera eius, quia non offerens á muneribus, sed munera ab offerente placuerant; & sic quando Deus personam non respicit, nec acceptat eius satisfactionem, quare ait Paul. 1. Cor. 13. si distribuero, in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Demùm in art. 4. cit. in arg. sed contra, id probat D. T. ex illo Mat. 5. Amen dico tibi, non exies indé, id est de carcere, in quæm homo intruditur ob peccatum mortale, quovique reddas novissimum quadrantem, id est veniale peccatum; & ideo ait D. Athan. ad Antioc. q. 6. pœnas dabimus, tum enormium peccatorum, tum etiam levium & minorum; & Tertul. de anima ait: Te in carcerem tradet in infernum, vndé non dimittaris, nisi modico quoque delicto, mora resurrectionis expenso.

Si opponas: Peccatum veniale remmittitur in inferno, alias puniretur pœna æterna, quod videtur nimis durum; sed ibi non remmittitur mortale: ergo potest illud remmitti sine huius remissione. Resp. quòd peccatum veniale punitur pœna æterna, non quidem per se, quasi talis pœna sit ei debita, sed per accidens, quia est coniunctum cum mortali, quod non relinquit subiectum gratum Deo, nec capax satisfaciendi illi pro vllo peccato, nec mortali, nec veniali. Nec obstat: quòd Deus non punit vltra condignum, quod verum non foret, si peccatum veniale pœna æterna puniret. Resp. enim, hoc esse verum, si puniret veniale pœna æterna, attenta eius ratione formali, non verò si id faci-

cit

cit attenta conditione subiecti cui vnitum est; sicut pedis dolor in corpore, non eget remedio vstionis acerbæ per se, & ex natura sua, bené veró per accidens, quando iungitur alteri vulneri graviori; quæ doctrina sumitur ex D.T. q.5. de malo, art.2. ad 8. vbi ait: quód si possibile esset, quod aliquis cum peccato originali, & veniali decederet, puniretur pœna sensus æterna; & rationem assignat, q.7. art.10. ad 5. non propter maioritatem culpæ ipsius venialis diutius punitur, sed propter indelebilitatem, quæ provenit ex adiuncto statu carentiæ gratiæ.

Dices: Quód licet acceptatio hominis ad æternam remunerationem, solum fiat ratione gratiæ; non veró acceptatio ad remunerationem temporalem, & sic possunt acceptari opera extra charitatem facta, ad expiationem culpæ venialis, & pœnæ illi debitæ. Resp. quód talis acceptatio nequit fieri, nisi ordine naturæ præsupponatur habitus vel actus, gratiæ & charitatis, quæ non inveniuntur, in habente peccatum mortale. *Si dicas*: si auxilia ad actus supernaturales, fidei & spei, conceduntur á Deo homini sibi inimico, cur etiam remissio peccati venialis nequit concedi? Resp. quód adhuc inter homines, est imprudens consilium, velle obtinere á Rege, remissionem levis iniuriæ, remanente alia longe maiori quam Rex dimitteret si servus vellet. & sic quanto magis hoc erit Dei maiestati dissimile?

Casus quartus, circa idem. Refert Gobatus, ex vita B. Catharinæ Genuensis, quod huius animi, profunda facta est consternatio, cùm illi aliquando, peccati venialis deformitas, fuerit ostensa, & tunc asserunt ipsa, quod si illa sola obscura visio, quæ non nisi momentanea fuit, diutiús durasset, hab to licet hab ituc corpus adamantinum interijsset: ex quo satis constat, peccati venialis inexplicabilis turpitudo, quàm Christiani pravis suis moribus sæpé contemnunt sed D.T. maximé ponderat dicens: sicut homo debet priús sustinere mortem, quàm peccet mortaliter; ita etiam quam peccet venialiter; sic habet in 4. dist.18 q.2. art.4. quæstiunc. 3. ad 1 & rationem dat, dist.29. q.1. art 2. ad 2. quia peccata, sunt maxima malorum, & ideo ad hoc, nullo modo potest homo constans cogi, imó magis debet homo mori, quam talia sustinere. Circa hæc quæritur, de fœditate peccati venialis, & de modo remissionis illius.

Plura & optima, tangit Ang. D. de hoc puncto, 1. 2. q.88. & 89. & in hac, 3. p. q. 87. & sup. cap. 3. Epist. 1. ad Cor. ex quibus notatu, & scitu digniora hic apponemus, quin suprá dicta, dist. 3. 4. & 5. repetimus; & primo occurrit dictum Pauli, loco cit. vbi ait: si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides prætiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, quod D.T. eleganti commentario exornat, vt venialium peccatorum explicet deformitatem, dicens: quód obiectum humani actus, vel sunt res spirituales perpetuæ, vel corporales trãsitoriæ, illæ sunt claræ, istæ obscuræ, illæ prætiosæ, istæ viles, & ideo opera quibus homo nititur rebus spiritualibus & divinis, comparantur auro, argento, & lapidi prætioso, quæ sunt solida, clara & prætiosa; & per aurum designatur dilectio Dei, per argentum, dilectio proximi, & per lapides prætiosos, opera diversarum virtutum, quibus anima ornatur.

Deindé, opera quibus homo intendit rebus corporalibus, habent diversos gradus, nam alia sunt stabiliora, & alia minús consumptibilia, nam homo inter creaturas, est dignior, & per successionem fit, & sic comparatur lignis; sed caro hominis facilius corrumpitur, & sic comparatur fœno, & gloriæ mundi facilime transeuntes, comparantur stipulæ. Vndé superædificare aurum, argentum, & lapides prætiosos, est insistere amori Dei, obsequio proximorum, & exercitio virtutum, sed superædificare lignum, fœnum & stipulam, est exercere quæ pertinent ad dispositionem rerum humanarum, & ad exteriorem gloriam; & hoc potest fieri tripliciter, vel constituendo finem in his, quod est peccatum mortale, nam tunc superædificatur, sed converso fundamento, aliud erigitur; vel ordinando ad Dei gloriam, & hoc est rectum & perfectum, vel nimis afficiendo se ad illa, & retardando ea quæ Dei sunt, quod est peccare venialiter, & hoc est proprié superædificare lignum, fœnum & stipulam; hæc in substantia asserit D.T. loc. cit. ex Epist. 1. ad Cor. quibus deformitas peccati venialis, aptè describitur.

Circa remissionem peccati venialis, aliquid suprá tetigimus; addimus nunc: quód remissio peccati venialis, est effectus gratiæ. Constat primo ex oratione Dominica, in qua rogamus Deum, vt debita nostra remmittat, quæ sunt peccata mortalia, & emundet nos ab iniquitate, quæ venialia peccata significat; oratio autem, gratiæ divinæ nititur, vt fatentur PP. & Concilia contra Pelagium. Secundó: quia peccatum veniale, dicitur tale imperfectè, in ordine ad mortale, vt ait D.T. 1. 2. q.88. art.1. ad 1. & sic proportione servata, eædem sunt causæ remissionis vtriusque; causa autem efficiens remissionis mortalis, est Deus gratiam donans; meritoria Christus, pro nobis satisfaciens, & formalis, gratia qua renovamur; vndé idem proportionaliter de remissione peccati venialis, discurrendum est. Hæc autem remissio extra Sacramentum, contritionem requirit, vt ait D. T. in 4. dist. 16. q.2. art.2. quæstiunc. 1. sufficit autem displicentia implicita peccati, vt ait ipse D.T. hic, q.87. art.3.

Dices: Si minima contritio, sufficit ad remmittenda omnia mortalia, quomodo requiritur ad remmittẽda venialia, quæ á mortalibus infinitè distant? Resp. quod distantia vtriusque peccati, est ex parte aver-

aversioni;veniale tamen, cum motum gratiæ tardet, motum gratiæ ad eius remissionem requirit; cuius assignat rationem D.T.q.7. de malo, art.11. quia per peccatum veniale,datur in homine minoratio,& impedimentū per indecentiam actus,quod debet tolli per aliquem fortem impulsum, repugnantem tali impedimento; sicut impedimentum gravis ne descendat,per fortem impulsum auferetur, & ideo veniale,quo ad culpam, remittitur, per charitatis fervorem;attritio autem,nō ex charitate, sed ex timore servili procedit,ideoque impedimentum illud per veniale positum, non aufert. Verum quidem est,quod contritio ad remissionem venialium,extra Sacramentum requisita, non exigitur, quod sit formalis,sed sufficit virtualis, quod supra dist.3.manet resolutum,ex quibus patet,quam rectè sancta illa casus nostri, peccati fæditatem explicuit.

Casus quintus, circa idem. Parrochus quidam, in aqua benedicta servanda & aspergenda, maximam curam adhibebat,quod cum á quodam Parrochiano suo,cur ibifaceret,rogaretur?Respondit,se legisse Decretum Alexandri Papæ,cap.aquam sale, dist.3.vbi habentur hæc:aquam sale consperſam,in populis concedimus,vt ea cuncti aspersi,sanctificentur & purificentur,quod etiam omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus, nam si cinis vitulæ aspersus, populum sanctificabat,multo magis aqua, sale aspersa, divinisque precibus consecrata, populum sanctificat atque mundat;super quod quæritur modo: an & quomodo peccata venialia, per aquam benedictam remittantur? Aliquid de hoc diximus suprá,diffic.5. nunc sequentia subiungimus.

Pro quo est notandum,vt de fide certum, quod vsus aquæ benedictæ,licitus est & sanctus, & id suadet communis Ecclesiæ consensus, á tempore Apostolorum, vndé dicit Paul. ad Ephes. 5. quod Deus mundatEcclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ, & sic ait Vualdens. Castro,& catholici omnes, & in Ecclesiasticis historijs, miracula referuntur multa, per aquæ benedictæ virtutem operata; vndé pessimus error est hæreticorum,de benedictione & aspersione aquæ benedictæ audaciter detrahentium. Triplicitér autem aqua benedicitur. Primó, ab baptizandos solemniter Cathecumenos, & sic Ecclesia fontes benedicit in Sabbato Sancto. Secundó, ad reconciliandam Ecclesiam pollutam, quæ benedictio, á solo Episcopo fit, cum vino & cinere, aqua permixtis. Tertió, ad aspergendum fideles & eorum habitacula, contrá Dœmonum insidias,& ad peccata venialia remittenda,vt habetur in eo textu,qui citatur in casu.

Difficultas ergo est: quomodo aqua benedicta, remittat venialia peccata? Resp. quód illa remittit ex opere operantis, excitando devotionem, & affectum voluntatis, & etiam ex opere operato, tangendo ipsam peccati venialis remissionem; sicut enim Sacramenta novæ legis, elevantur áDeo, ad causandam physicé gratiam, per verum & realem contactum,quia nempé materia sensibilis,tangit realiter animam,non tactu quantitativo sed virtuali, sicut Angelus tangit Cœlum quando illud movet; ita etiam aqua benedicta elevatur á Deo, vt veré & realiter tangat animam, tactu virtuali, medio quo movet animam, realiter corrumpendo veniale peccatum. Deindé,sicut in adultis, requiritur aliquis actus,vt Sacramenta causent gratiam, qui secundúm se,non est ad hoc sufficiens, vel non tantam gratiam causat, sicut cum Sacramento; & tamen Sacramenta causant gratiam ex opere operato;similiter vt aqua benedicta, remittat venialia, requiritur aliquis actus,sed hic vel non est sufficiens ad remissionem,vel non remittit omnia, quæ per aquam benedictam remittuntur; & sic ista ex opere operato,peccatum veniale remittit.

Dices 1. Quód ad hoc asserendum,nullum habetur ex sacris litteris fundamentum. Secundó: quód vt ait D.T. venialia non remittuntur, nisi per actum contrarium, qui sit displicentia illorum, quod aquæ benedictæ non convenit. Tertió: quia aqua benedicta,nullam actionem physicam habet erga animam, & sic nequit illam á peccato mundare. Resp. ad 1. quód fundamentum nostri dicti, colligitur ex verbis Christi: quorum remiseritis peccata,& explicatur á SS.Doctoribus ita,vt Sacramenta remittant peccata mortalia, & Sacramentalia, remittant venialia. Ad 2. quód volitio suscipiendi aquam benedictam,simul cum ipsa venialia remittit, sicut attritio,licet secundum se non remittat mortale, bené veró simul cum Sacramento. Ad 3. quód aqua benedicta, veré agit in animam,corrumpendo peccatum veniale,licet nullam entitatem positivam producat; modo quo aqua Baptismi, solum agit in corpus, & animam abluit.

Casus sextus, circa idem. Maria illa, quæ fuit antea in Civitate peccatrix, postea veró Domino gratissima & exemplum pœnitentiæ,domum Pharisæi ingressa, ad pedes Christi flevit, eosque vnxit & tersit, sic manifestans amorem, quo eius viscera flagrabant, quaré á Domino meruit audire: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; de quo hæc Chrysostomus ait, tom.7. hom. in Pharisæum & meretricem: Diruptæ sunt vitæ malæ catenæ, dissoluta sunt nequitiæ vincula ferrea, liberata est,á culpæ pariter & pœnæ reatu;circa quod quæriturtan ipsi non solum fuerint remissa peccata, sed etiam sublatæ omnium peccatorum reliquiæ? De quo agit D.T. q.86. art.5. ad 1. & nos insinuavimus aliquid suprá diffic.2.

Nunc dicimus: quód cum B. Mariæ Magdalenæ, fuerunt culpæ remissæ, etiam omnes peccatorum reliquiæ fuerunt sublatæ;sic expresé tenet D. Thom. loc. cit. cuius hæc sunt verba: Deus quando-

doque tanta commotione convertit cor hominis, vt subito perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solum remmissa culpa, sed etiam sublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena. Uerum tamen est, quod in his verbis, plura continentur, sed diversimode; nam qui negaret Magdalenæ fuisse culpam remmissam, esset hæreticus, contradicens Evangelio & verbis Christi: sed dicere, quod illi non fuit remmissa omnis pœna, esset erroneum, vel saltim errori proximum & temerarium, quia opponitur communi sensui sanctorum, & fidelium; dicere autem, quod remmissæ fuerunt omnes aliæ reliquiæ, est ita certum, vt oppositum sit prorsus improbabile; sic sentit Nuño; sed Prado, acerbiorem censuram confert, quam deducit ex SS. PP. dictis, statim adducendis, quæ æquè de reatu, ac de reliquijs peccati procedunt.

Totum hoc videtur colligi, ex sacra historia, in illis verbis: cui autem minús dimmittitur minús diligit: nam est certum, quod per quamlibet veram & supernaturalem contritionem, remmittuntur omnia peccata, quo ad culpam & pœnam æternam: ergo cum dicitur: cui minús dimmittitur, &c. non est sermo de culpa, sed de pœna, quæ eo magis remmittitur, quo est contritio maior. In Evangelio ergo, fit virtualiter hic discursus: quacumque vera contritione, remmittitur culpa & pœna: ergo quando contritio est magna, vt in Magdalena, remmittitur tota pœna. Ratio etiam hoc suadet, de reliquijs peccati: quando aliquis actus est excellentissimus, ita destruit habitum contrarium, vt nulla maneat dispositio, vel inclinatio in oppositum; sed res certa est, quod B. Magdalenæ contritio excelentissima fuit: ergo abstulit peccata, pœnas & reliquias eorum.

Minor, licet ita prædicetur á fidelibus, comprobatur, elegantibus SS. PP. testimonijs. Primó enim Chrysost. id expressé ait, verbis in casu relatis, & insuper addit: hæc quidem omnia foris fiebant, quæ verò intus animo peragebantur, multo his erant ferventiora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat; si autem nos cum mali simus, hanc ferimus sententiam, considera quanta iam clementis Dei liberalitate fruatur, quantaque etiam Dei dona, ex pœnitentia consecuta sint. Secundó, D. Petrus Chrysolog. serm. 93. dicit de eius luctu: in peccatricis caput, purgandis criminibus refluebat, vt suo fonte mulier, in novum Baptisma, suorum diluere illuviem peccatorum. Tertió, D. Greg. hom. 33. in Evang. ait: Incendit plane peccati rubiginem, quia ardet valdé per amoris ignem; tanto namque ampliús, peccati rubigo consummitur, quanto peccatoris cor, magno charitatis igne concrematur.

Quartó, S. Laurent. Iustin. in fest. Magd. ait: Erat quippé ipsa, sed altera, per essentiam ipsa, & per gratiam altera; in meliús illam reformavit gratia, quam natura condiderat. Demúm, vt innumera prætermittamus: nam primum in vnoquoque genere videtur esse maximum, vt ait Phil. 2. Metaph. tax. 4. Magdalena autem, fuit pœnitentium prima, fidelibus in exemplum data, vt ait Eccles. & comprobat Chrysostomus, loc. cit. D. Ephrem. Syrus, serm. de mul. peccat. & D. Ambr. lib. 2. de Pœnit. cap. 8. ergo eius contritio, & dilectio maxima fuit, & sic peccatorum reliquias abstulit. De quibus videatur Silvest. in Rosa aurea, fer. 5. post Pasc. Ludov. Granat. serm. 1. in fest. Magd. Noster venerabilis Lanuza, hom. 37. & D. Vicent Ferrer, serm. de illius festo: quæ brevis commemoratio, sit cultus aliqualis admirabilis charitatis, & pœnitentiæ Magdalenæ, singularis nostri ordinis Protectricis, cui assidue me præce commendo.

Casus septimus, circa idem. Uir quidam perditissimæ vitæ, cum delaxis & obscenis moribus, ad frugem meliorem se per pœnitentiam recepisset, sæpiús vrgebatur stimulis carnis, & maximas in vincendo patiebatur angustias. Quæritur: an sic per gratiam & pœnitentiam iustificatus, in eo habitus præcedentium vitiorum remanerent? Respondet D. T. q. vnica de virtut. art. 10. ad 16. actus contritionis, habet quod corrumpat habitum vitij, generatum ex virtute gratiæ, vndé in eo qui habuit habitum intemperantiæ, cum conteritur, non remanet cum virtute temperentiæ infussæ, habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis, quasi dispositio quædam; dispositio autem, non contrariatur habitu perfecto; & idem ait hic, q. 86. art. 5. dicens: Quód in iustificato, remanent peccati reliquiæ, magis per modum dispositionum, quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes, post Baptismum.

Hoc ipsum tenet Scotus, in 4. dist. 14. q. 1. §. Dico; & suadet ab experentia, his verbis. Habitus vitiosus, vel dispositio ad illum, manet in iustificato subito, & patet, quia in principio pronus est, ad sequendam illam inclinationem habitus vitiosi, sed pugnando contra eam bené meretur & acquirit sibi habitum in contrarium; vndé magni peccatores, non statim quando sunt iustificati habent illam pacem, quam habent perfecti, & exercitati in virtutibus; & insuper constat hoc 1. quia si in homine iustificato, non maneret illa propensio ad vitia, posset suam iustificationem experimento cognoscere. Secundó: quia hæreticus recenter ad fidem conversus, non statim ammittit omnes habitus falsos, quibus affectus erat, vt experientia constat.

Ratio autem horum, assignatur ab aliquibus ex eo, quod virtutes infussæ, non contrariantur directé habitibus vitiorum, quia illæ sunt in potentia obedientiali, & hæc in potentia naturali; sed licet assumptum sit verum, probatio non convincit; aliàs nulla darentur contraria, si vnum esset in subiecto

ratione potentiæ obedientialis,& aliud ratione potentiæ naturalis, & sic simul possent esse peccatum & gratia, imó peccatum & vnio hypostatica,quod est absurdum; sufficit enim quod subiectum quod, receptivum vtriusque,sit idem ; quà propter D. T. lib.2. de Cœlo , lect.10. ait : Quód vt aliqua sint contraria,sufficit quod sint nata esse in eodem subiecto , vel proximo vel remoto , nam calor contrariatur frigori , quod non est natum esse in igne, sed in materia ignis, quæ est primum subiectum.

Verum ergo est,quod gratia & virtutes infusæ, non opponuntur directé cum habitibus vitiorum; sed ratio ex eo sumittur,quod non sunt sub eodem genere,& sic eis deficit essentia contrariorum,quod deducitur ex D.T. in 4. dist. 14. art. 4. ad 4. vbi ait: Virtus infusa & acquisita , non sunt eiusdem speciei , vndé cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus,virtuti acquisitæ contrarius sit, non contrariatur directé, virtuti infusæ;& hoc maximé conducit, vt homo exercitio virtutum acquirat, quod amisisit, vitia exercendo, & ex vsu virtutum perdat , quod vitiosa consuetudine acquisivit.

Sed dices 1. quód si hoc esset verum,homo diceretur simul iustus á gratia iustificante , & vitiosus á vitijs retentis, quod est absurdum, & contra Concil. Sess.6. cap.7. vbi ait: quód in iustificatione,homo ex iniusto fit iustus.Secundó: quód scientia infusa, excludit ab intellectu,omnem ignorantiam privationis,& pravæ dispositionis,& sic idem dicendum de virtute infusa respectu vitij. Tertió: nam D.Prosper.lib.3. de vita contempl.cap.3. ait: Quód adveniente virtute,vitia fideliter expulsa discedunt , si virtutibus cedant. Resp. ad 1. quód ad denominationem vitiosi,requiritur,non solum forma vitij,sed etiam status & complementum illius, quod non habent vitia in recenter iustificato,quia sunt per modum dispositionis & via corruptionis, & ideo illum non denominant vitiosum ; exemplum est,in transmutatione elementorum,vbi quatuor qualitates , non denominant mixtum , quia sunt in esse dispositionis , & via corruptionis , vt diximus, Tract. de gener. q.4. art.1.*Si dicas*:quomodo vitium quod est habitus,potest habere rationem dispositionis,cum habitus & dispositio essentialiter differant? Resp. quód habitus habet rationem dispositionis,per accidens & quo ad modum, attenta conditione subiecti, non verò per se, & ex sua ratione specifica;pro quo vid. dicta in Logica, Tract. de Prædicam. q 6. art 3. arg.1.

Ad 2.quód scientia & fides Theologica , conferunt intellectui omnimodam certitudinem veritatis, quæ non patitur secum, aliquam inclinationem ad oppositum, nec ignorantiam,nec errorem; virtus verò non statim á principio convincit intellectum circa suum actum,& ideo patitur secum inclinationem ad oppositum, per modum dispositionis. Vel dicatur : quód etiam scientia infusa , aliquando relinquit in intellectu, inclinationem ad oppositum,vt videre est in hæreticis,recenter ad fidem conversis, qui tám loquentes, quám scribentes de veritatibus fidei , experiuntur inconstantes, titubantes, erronei, & mutantes per momenta singula.Ad 3. quód S.Prosper. solum intendit exhortare iustificatum, vt exercitio actuum virtutis , conetur eradicare habitus pravos,ne compellatur exire in actum, & gratiam obtentam deperdat ; quare ait D.T. art.5. cit. ad 3. quód pravus ad meliores exercitationes deductus , ad modicum aliquid proficiet vt melior sit, multiplicato autem exercitio,adhoc pervenit , vt sit bonus virtute acquisita, hoc autem multo efficacius facit divina gratia;vndé ex auctoritate illa, potiús nostra doctrina comprobatur.

ARTICVLVS VII.

De redditu peccatorum , & recuperatione virtutum.

Prima difficultas: An peccata per pœnitentiam remmissa, per subsequens peccatum redeant? Resp. quód peccata per pœnitentiam remmissa, non redeunt simpliciter & proprié , per sequens peccatum, quo ad esse physicum , nec quo ad modum moralem , nec quo ad pœnam ; redeunt tamen secundum quid. Prima pars patet: nam peccata nequeunt physicé redire,nisi redeat idem numero actus , quo fuerunt commissa , id autem nequit fieri de potentia ordinaria Dei,nam res semel destructa,nequit eadem numero iterum reproduci: ergo, &c. Quód autem non redeant , quo ad modum essendi moralem, constat ex cap.18.Ezechiel. vbi dicitur: si impius egerit pœnitentiam,omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Vndé ait Gelasius Papa , cap. fin. de pœnit. dist.4.divina clementia,dimissa peccata,in vltionem vlteriús redire non patitur.

Ratio etiam id suadet 1. quia peccata delentur absoluté , sine vlla dependentia á peccato futuro, nec oppositum constat ex aliqua scriptura vel revelatione. Secundó: nam si quis peccaret peccato infidelitatis , & postea pœniteret , & iterum labaretur in luxuriam, per hanc ammitteret fidem, quod absurdum est. Tertió: quia si redirent peccata dimissa tollerentur per pœnitentiam,& sic teneretur quis, illa iterum confiteri, quod falsum est. Quartó: quia alias,etiam peccatum originale,dimissum per Baptismum,posset redire,cum de illo sit eadem ratio, & cum solum sit remisibile per Baptismum, hic posset reiterari,quod est hæreticum:ergo ex his omnibus infertur,peccata semel dimissa, non redire simpliciter,per sequens peccatum.

Quód autem redeant secundum quid,constat 1. quia communiter dicimus aliquid redire , quia ei

su-

succedit aliquid simile, qualiter dicitur redire febrim, pluviam, vel hyemem. Secundó: quia peccata semel remmissa, per sequens peccatum fiunt graviora, propter ingratitudinem, quia homo post acceptum beneficium remissionis divinæ, iterum offendit Deum. Sed est notandum: quód sunt quædam peccata, specialiter lædentia beneficium remissionis, & illa continent maiorem ingratitudinem, & hæc assignantur á D.T. hic, q.88. art.2. nempé odium fraternum, quod offendit remissionem debitorum; apostasia á fide, quæ offendit beneficium motus fidei; contemptus confessionis Sacramentalis, qui opponitur detestationi peccatorum, & retractatio pœnitentiæ prioris, quæ offendit beneficium propositi, & ideo dicitur quod horum peccatorum ingratitudo, specialiter facit reddire peccata priús remmissa.

Arguitur: contra resolutionem, ex pluribus scrip. locis, nam Psalm. 108. dicitur: In memoriam redeat iniquitas Patrum eius, vbi est sermo de peccato Iudæ, de quo ibi ait D. Augustin. quia non tenuit adoptionem in familia Dei, redijt iniquitas Patrum eius, vt in eo, etiam ipse puniretur; & 3. Reg. 17. ait Eliæ mulier Sareptana: quid mihi & tibi vir Dei, ingressus es ad me, vt reminiscerentur iniquitates meæ? Deindé Mat. 18. dicitur: Quód cum cuidam servo dimmississet dominus, iratus est illi, quia conservum tractavit crudeliter, & tradidit toribus, donec redderet vniversum debitum; ex quibus omnibus colligi videtur, peccata semel dimmissa per pœnitentiam, per sequens peccatum reddire.

Resp. quód iniquitates parentum, dicuntur reddire in memoriam Dei pro filijs, non quo ad culpam, sed quo ad aliquam pœnam inflictam á Deo, vt dicitur Exod. 20. visitans iniquitates patrum in filios, & Ier. 5. patres nostri peccaverunt & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus, quod non intelligitur de antiquis peccatis redeuntibus, sed de peccatis filiorum qui peccata parentum imitantur; & idem dicitur, ad illud de vidua Sareptana. Ad parabolam de servo, dicitur: Quód propter eius immisericordiam, peccatum redijt specialiter secundum quid, nam vt vidimus, odium fratris maiorem ingratitudinem continet, & sic dicitur Iacobi 2. iudicium sine misericordia, illi qui non facit misericordiam. Quód si aliquando SS. PP. dicunt, peccata semel dimmissa redire per sequens peccatum, hoc intelligitur quo ad ingratitudinem, qui est reddit us tantum secundum quid.

Dices: Merita quæ fuerunt per peccatum mortificata. redeunt per pœnitentiam, vt patebit ex dicendis infrá: ergo etiam peccata remmissa per pœnitentiam, redeunt per sequens peccatum, cum eadem videatur vtriusque ratio. Resp. neg. conseq. & disparitas est: quia Deus est pronior ad miserendum, quam ad puniendum, & ipse est author meriti & non peccati, & sic merita per peccatum mortificata, manent in acceptatione divina, non autem manent sic, in divina indignatione, peccata remmissa, quod habetur apud D.T. infrá, q. 89. art.5. ad 1. & in 4. dist.21. q.1. art.1. ad 6. vbi ait: Quód remmissio peccatorum, est opus Dei, & mortificatio meritorum, est opus hominis; homo autem sua actione, nequit anullare opus Dei, licet possit impedire, ne sibi proficiati & ideo homo per peccatum sequens, non potest remmissionem præcedentium peccatorum anullare, potest autem sua actione evacuare, quod per ipsum factum est, & ideo potest mortificationem præcedentium meritoram per merita sequentia anullare, præcipué gratia adiutus.

Infertur ex dictis: quód nec de potentia Dei absoluta, non possunt peccata semel remmissa redire, quo ad esse physicum, benè verò quo ad modum essendi moralem. Prima pars constat: nam licet res semel destructa, possit de potentia absoluta reproduci, non verò ipsum peccatum, quia sic Deus, esset author illius, cum esset causa proxima reproductionis, quod tamen absurdum est. Secunda pars patet: quia cum Deus sit supremus dominus, posset de potentia absoluta remittere alicui peccatum, sub conditione quod postea non peccet, quod si postea peccaret, culpa & pœna prioris peccati rediret: ergo id de potentia absoluta fieri potest.

Secunda difficultas: An merita & opera bona, per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant? Certum est, per pœnitentiam recuperari gratiam remmissivam culpæ, & etiam virtutes quæ sunt eius proprietates; quare Luc. 15. restituta est prodigo stola prima, anulus & calceamenta, id est gratia & virtute; de aliquibus est speciale dubium, vt de virginitate, quæ consistit in totali inexperientia rei venereæ; sed tamen illa recuperari potest, quo ad formale, nempé quo ad inclinationem ad actum, licet non quo ad materiale, quod est carnis integritas, sicut magnificentia recuperari potest formaliter per pœnitentiam, ab eo qui divitias consumpsit, licet divitiæ illi non restituantur; sic D. Thom. 2. 2. q.152. art.3. ad 3. & 1. p. q.25. art.4. difficultas est: an merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant?

Notandum est: quód opera quæ homo potest elicere, alia sunt viva, quæ ex gratia & charitate procedunt, alia mortua, quæ sunt bona ex genere, sed eliciuntur ab homine existente extra statum gratiæ; alia mortifera, quæ animam privant gratia quæ est eius vita, & alia mortificata, quæ elicita ab homine existente in gratia, per sequens peccatum mortificantur, eo quod impediuntur, ne habeant vim & efficaciam, ducendi hominem ad vitam æternam, sicut membra corporis, tunc dicuntur mortificata, quando sunt á suis effectibus &

exer-

exercitijs impedita, dubium non est de operibus vivis, quæ non egent reviviscentia, nec de mortiferis, quia per pœnitentiam destruuntur, nec de mortuis, quia cum nunquam fuerint viva, nequeunt reviviscere, sed de operibus mortificatis per peccatum.

Dicendum est: merita seu bona opera per peccatum mortificata, reviviscunt per Pœnitentiam; sic D.T. q.89. art.5. & constat ex illo Ioel.2. reddam vobis annos, quos comedit locusta, quæ verba intelliguntur á SS.PP. de reviviscentia meritorum; vndé ait Glossa: si post pœnitentiam, tantam vbertatem Deus pollicetur, quid respondebit Novatus, negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera Pœnitentiæ? Et D.T. sup. Epist. ad Hebr. cap.14. lect.3. ait: Sicut prióra bona, per sequentia mala mortua fuerunt & irrita facta, ita ipsa eadem, per pœnitentiam, & alia bona sequentia reviviscunt. Hoc ipsum habet Trident. Sess.6. cap.16. dicens: Quód recuperantibus gratiam amissam, proponenda sunt Apostoli verba: non enim est iniustus Deus, vt obliviscatur operis vestri boni.

Licét autem resolutio nostra, specialiter desumatur ex Scrip. & PP. passim id affirmantibus, & ideo asserere oppositum est erroneum, & temerarium. Ratio autem D. T. loco citato, hoc ipsum convincit: quia opera bona, non habent vim perducendi ad vitam æternam, solùm secundum quod actu existunt; sed etiam postquam actu desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina; sed sic remanent quantum est ex se, etiam postquam per peccatum mortificantur; nam Deus, illa opera, pro vt facta fuerunt semper acceptavit, licet illi qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in viram æternam, ob impedimentum peccati supervenientis, quod per pœnitentiam aufertur: ergo opera mortificata per peccatum, recuperant talem vim per pœnitentiam. Explicatur: sublato impedimento, detinente lapidem in aere, statim ille descendit ad centrum: ergo idem dicendum est, de ablatione peccati per pœnitentiam, vt opera bona reviviscant; quare ait D.T. in 4. dist.14. q.2. art. 2. sicut ventus auferens nubem, nobis Solem restituit, ita pœnitentia, tanquam removens prohibens, gratiam gratum facientem, & omnes virtutes nobis restituit.

Dices: Quód animal semel mortuum, nequit iterum vivificari, & consequenter, idem dicendum de operibus mortificatis. Resp. quód opera in charitate facta, non mortificantur secundum se, quia manent in acceptatione divina, vt ait D. T. hic ad 2. & art.4. ad 1. & ideo ablato impedimento reviviscunt, animal autem simpliciter est mortuum, & ideo non vivificatur; quód si illud vel aliqua eius pars solum essent mortificata, idem diceretur de illis, vt quotidié experitur in medicina, quæ reviscere facit membra debilia. Nec obstat: quód opera bona, iam non sunt. Primó: quia hoc etiam probaret, quod opera bona præcedentia, & perseverantia sine mortificatione, non conducerent ad gloriam, quod hæreticum est. Secundó: quia manent in acceptatione Dei, sicut peccatum transiens actu, remanet reatu; sic habet D.T. in sentent. citatus, art.3. q.3.

Alio accommodatissimo exemplo, doctrinam nostram explicat D. August. tom.8. sup. illa verba, Psal.125. converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro, ait enim: quod sicut aqua torrentis, quæ suo cursu ad mare properat, hyemis atque Aquilonis frigore congelatur, & ideo impeditur, ne ad suum terminum perveniat; Austro autem flante, resolvitur in toto vel in parte iuxta calorem Austri, & movetur sicut antea; sic gratia & opera meritoria, sunt fons aquæ salientis in vitam æternam, quæ frigore peccati mortalis congelatur & mortificatur, nam vt ait Ierem. cap.6. anima frigidam facit malitiam, sicut frigidam facit cisterna aquam; sed postea, Spiritus Sancti calore resolvitur aqua, & fluit iterum sicut priús; quare dicitur Psalm. 147. ante faciem frigoris eius quis sustinebit; emmittet verbum suum & liquefaciet ea, flavit spiritus eius & fluent aquæ; in quibus eleganti similitudine explicatur, mortificatio meritorum per culpam, & eorum reviviscentia per pœnitentiam.

Arguitur: Merita præcedentia, extinguuntur omnino per sequens peccatum: ergo per pœnitentiam non reviviscunt. Anteced. prob. quia peccatum omnino destruit merita, sicut etiam gratia peccatum; sed gratia sic destruit peccatum, vt nihil illius remaneat: ergo pariter, &c. Resp. quód licet peccatũ æqué destruat gratiã, sicut gratia destruit peccata secundum se, non verò vt subest legi divinæ misericordiæ, quæ vult acceptare merita præcedentia ad præmium, non autem vult punire peccata semel remmissa. *Si dicas*: Vndé ista lex colligitur? Resp. illam colligi ex locis Scripturæ, & SS. PP. relatis, & etiam ex maiori Dei proclivitate ad præmiandum, quam ad puniendum, & ideo etiam peccata destructa per pœnitentiam, non redeunt per subsequens peccatum vt vidimus; merita verò mortificata, redeunt per pœnitentiam subsequentem.

Dices: Ideo gratia omnino destruit peccatum, quia est forma illi opposita; sed etiam peccatum subsequens, opponitur valori meritorum: ergo, &c. Resp. neg. anm. peccatum enim, non opponitur valori meritorum, sed est impedimentum, ne suum affectum præstet, & illo sublato per pœnitentiam, merita præcedentia, ius suum recuperant; nam vt ait D.T. in sent. citatus, peccatum solum facit peccatorem indispositum, ad effectum meritorum præcedentium, non autem ab ipsis meritis aliquid aufert. *Si dicas*: peccatum subsequens destruit gratiam:

tiam : ergo etiam destruit valorem meritorum, á gratia desumptum. Resp. quód licet valor meritorum, pendeat infieri á gratia tanquam a fundamento, sed in conservari non pendet ab illa, sed á Dei acceptatione, in qua conservantur merita, vt vidimus.

Et si dicas: quód voluntas Dei conservandi merita, est solum sub conditione, quod obex non apponatur, qui tamen per peccatum apponitur. Resp. quód illa voluntas Dei, est sub conditione quod impedimentũ positum, postea auferatur, nec sit perpetuum, quod iam verificatur stante pœnitentia sequenti. Sed an hæc meritorum reviviscentia, sit ex iustitia vel ex misericordia? Latè discutitur á M. Prado. Breviter dico: quód partim est ex misericordia, & quia Deus hominem ob peccatum, iure meritorum præcedentium non privat; & quia hominem lapsum ad pœnitentiam excitat, & illi confert gratiam. Partim verò est ex iustitia, quia sic insinuatur á Paulo dum ait: Iustus est Deus, &c. & quia non per quamlibet pœnitentiam restituit merita, sed solum per illam, quæ est eis proportionata, vt dicemus infrá.

Tertia difficultas: In qua proportione reviviscant per pœnitentiam, opera per peccatum mortificata? Hæc difficultas, quæ valdé subtilis est, ad Theologos Scholasticos pertinet, illam tamen apponimus modo, vt integre sciatur, an merita mortificata, reviviscant in eo gradu, quæm habuerunt ante peccatum, an verò, iuxta intensionem contritionis, per quam quis resurgit? Circa quod, aliqui Thomistæ sentiunt cum Ioan. á S. T. quód contritio per quam quis resurgit, est dispositio ad duplicem gratiam, nempé ad eam quæ de novo datur, ex vi præsentis dispositionis, & ad restituendam antiquam, in eadem intensione, ita vt si hæc fuit vt octo, & etiam contritio per quã resurgit est vt octo, recipit gratiam vt sexdecim. Alij asserunt, quod per pœnitentiam resurgunt gratia & virtutes, secundum aliquæm gradum, non verò secundum totum ius ad gloriam eis correspondens, sed iuxta proportionem contritionis & dispositionis præsentis, vt si quis ante peccatum, habuit merita vt viginti, & resurgit per contritionem vt quatuor, datur ei gratia vt 8. quatuor propter dispositionem præsentem, & alij quatuor, propter merita præcedentia.

Dico 1. per pœnitentiam, non recuperatur tota gratia præcedens in esse qualitatis, sed illa commensuratur præsenti dispositioni in qua quis resurgit. Constat hoc expresé ex D. Tho. q. 89. art. 2. in fin. corp. vbi ait: Pœnitens, quandoque resurgit in maiori gratia quam priús habuerat; quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori, quod non esset verum, si semper recuperaret maiorem gratiam. Ratio autem est: quia forma intensibilis & remissibilis, debet proportionari cum quantitate dispositionis; sed gratia est intensibilis & remissibilis: ergo cum dispositione proportionatur, vndé asserit Trident. Sess. 6. cap. 7. quód vnusquisque recipit iustitiam, secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus, partitur singulis pro vt vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem.

Dices: gratia ad quam habent ius antiqua merita, non habet impedimentum, vt tota reviviscat in esse physico, per pœnitentiam: ergo ita reviviscit. Resp. quód non habet impedimentum ex parte sui, benè verò ex parte subiecti, cuius dispositioni debet proportionari. *Si dicas*: accedens per se á contritus ad pœnitentiam, maiorem gratiam recipit etiam in esse qualitatis, quam contritus extra Sacramentum: ergo idem dicendũ de contritione, per quam merita reviviscunt. Resp. neg. conseq. quia author Sacramentorum, sicut supplet defectum dispositionis ad gratiam, in parvulis recipientibus Baptismum, ita supplet defectum maioris dispositionis in adultis, quando eis confert gratiam per Sacramenta, sed hunc defectum non supplet in contritione per quam merita reviviscunt, sed secundum propriam cuiuslibet dispositionem gratiam confert, vt Concil. ait.

Dico 2. cúm quis resurgit per actum pœnitentiæ vt quatuor, non recipit octo gradus gratiæ in esse physico, quatuor pro dispositione præsenti, & quatuor pro gratia antiqua. Constat 1. ex Trident. citato dicente: Quód gratia datur, secundum propriam dispositionem, & contritio vt quatuor non est dispositio ad gratiam vt octo, quia non habet proportionem cum illa. Deindé: nam sic homo, semper resurgeret in maiori gratia, nam antea erat vt quatuor, & recuperata esset vt octo, quod opponitur dicto proximé ex D. T. quód nempé pœnitens, resurgit aliquando in minori gratia.

Si dicas: quód contritio præsens, habet duplicem causalitatem dispositivam, vnam per se respectu gratiæ de novo conferendæ, & aliam per accidens respectu gratiæ vivificandæ. Contra est: nam contritio est dispositio physica, respectu gratiæ novæ, est tamen solum moralis, respectu gratiæ antiquæ restituendæ; sed gratia in esse physico, solum confertur, iuxta proportionem dispositionis subiecti, & in esse morali, solum petit vt resultet in esse moris, vt dicemus: ergo, &c. Nec obstat illa duplex causalitas dispositiva contritionis, quia non est eiusdem lineæ, & ideo ei correspondet physicé gratia nova, & antiqua gratia, solum moraliter.

Restat ergo examinandum specialiter, quænam sit illa proportio, in qua merita per pœnitentiam reviviscunt? Quód est satis captu difficile, tum ex varietate sententiarum, tum quia res satis obstrusa est & non revelata. Sed sensus noster, vt ad præsens attinet, in eo consistit, quod merita per peccatum mortificata, resurgunt per actum pœnitentiæ adæquaté, & quo ad omnem gradum intensionis,

non physicé, & in esse qualitatis & informationis, sed solum moraliter & in esse gratiæ, quo ad ius ad gloriam substantialem, per modum præmij & coronæ, & non per modum hæreditatis. Prima pars constat ex D. T. hic, art.5. vbi ait: Peccatum solum se habere vt impedimentum, vt merita mortificata, non perducant cum effectu in vitam æternam, & illud per actum pœnitentiæ adæquatè tollitur, & sic etiam merita adæquatè reviviscunt, sicut ablato impedimento detinente lapidem, hic statim ad centrum descendit, & hoc congruit divinæ misericordiæ iuxta quam iusti assequentur gloriam pro suis meritis, vt ait Trident. Quód autem non statim recipiatur gratia & merita, quo ad intrinsecam informationem patet, quia gratia debet recipi in subiecto dispositò, & cum actus pœnitentiæ adæquetur in ratione dispositionis, cum gratia ad quam directé disponit, nequit disponere ad receptionem gratiæ mortificatæ.

Sed arguitur 1. quia D.T. in 3. dist.31. q.1. art. 4. quæstiunc.3.ad 4.loquendo de reviviscentia meritorum ait: Quód homo per peccatum, factus est alter, & non plenariè ad pristinum gradum restitutus, & ideo non plenariè recipit effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale. Secundó: nam vt vidimus ex D.Tho. hic art.2. pœnitens aliquando resurgit in gratia minori illa quam antea habebat, & iuxta explicationem nostram, semper in maiori resurgeret. Tertiò: nam gratia debet recipi in subiecto dispositò, vel physicé vel moraliter; sed actus pœnitentiæ, nequit esse dispositio moralis, ad receptionem gratiæ deperditæ, cum hæc aliquando excedat actum pœnitentiæ, in multis gradibus intensionis: ergo, &c.

Respond. ad 1. quód rectè salvatur, hominem non recipere plenariè effectum priorum meritorum, nec statum pristinum, quia ante habebat gratiam physicé, quo ad omnes suos gradus, & per intrinsecam informationem, & illa solum reviviscit per pœnitentiam, moraliter, & quo ad ius perducendi ad gloriam. Et si infras: ergo gratia non reviviscit plenariè. Dist. conseq. quo ad gradus, nego, quo ad modum habendi illos, conc. Ad 2. Resp. quód ius ad gloriam per modum hæreditatis, fundatur in informatione intrinseca gratiæ, & hoc modo non resurgit per pœnitentiam, sed solum quo ad ius per modum præmij & coronæ, in meritis & operationibus fundatum; vndé iustus, non semper resurgit in maiori gratia per intrinsecam informationem, benè verò vt est communis ad gratiam quo informationem, & quo ad ius morale ad gloriam.

Ad 3. quód illa dispositio moralis, non provenit ab actu pœnitentiæ, ob rationem argumenti, sed provenit à meritis præteritis, per peccatum interruptis, & per pœnitentiam recuperatis; gratia enim & charitas, reviviscunt mediatè, vt effectus præcedentium meritorum, quæ etiam per pœnitentiam resurgunt, vt ait D.T. art.5. cit. *Dices*: quód D. Thom. ibi ad 3. ait: Quód qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequitur præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur, habebit tamen gaudium maius, de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in secunda facit, quod pertinet ad præmium accidentale: ergo non confertur tota gratia & merita, nisi iuxta quantitatem charitatis.

Resp. dist. conseq. iuxta quantitatem charitatis, informantis physicé, neg. moraliter & secundum ius ad gloriã, conc. *Si dicas*: si correspondet charitati recuperatæ idem præmiũ essentiale, ac si interrupta non fuisset, quomodo ait D.T. quód correspondet maius præmium accidentale? Resp. hoc non esse, quia operibus vivificatis non correspondeat præmium essentiale substantiale, sed quia maius gaudium inducunt, quam si interrupta non essent. *Dices*: ergo melioris conditionis erit gratia recuperata, quam semper continuata. Dist. conseq. secundum quid, conc. simpliciter, neg. quia in recuperatione, magis explicatur divina misericordia, quam in prima collatione; & ratio est: quia multoties gaudemus plus, de bono deperdito & recuperato, quam de nunquam amissò, vt patet ex Evangelio, in muliere gaudente ob drachmæ perditæ inventionem, & idem de prodigo dicitur: gaudere oportebat, quia frater tuus perierat & inventus est; & idem fuit de Magis invenientibus stellam, qui gavisi sunt gaudio magno, & D.T. in Cat. ait: Non satis fuit dicere gavisi sunt, sed gaudio magno, quia magis gaudent homines, de rebus perditis, quam de semper possessis; idem ergo dicendum, de meritis amissis, & per pœnitentiam inventis.

Quarta difficultas: An actus remissi, vivificantes merita, mereantur distinctum augmentum gratiæ, ac actus ferventes? Resp. affirmativé. Ratio sumitur ex Trident. dicente: Iustos crescere in gratia & charitate, per bona opera quibus mandata Dei servant, quod etiam de actibus remissis intelligitur, nam sunt opera bona, cum non detur præceptum vtendi habitu, secundam totam eius intensionem; sed si actibus remissis non correspoderet distinctus gradus gratiæ, hoc non verificaretur: ergo, &c. Nec valet dicere, quod idem præmium, confertur diversis titulis; non inquam valet, quia augmentum de quo loquitur Concil. est intensivum, quod nequit dari sine novo gradu, vel maiori radicatione in subiecto; quia si Rex confert alicui mille aureos, quia in militia rectè se gessit, & etiam quia innocentem liberavit, non ideo talis homo crescet in divitijs, licet tituli essent diversi: ergo pariter, &c.

Deindé prob. nam augmentum debitum actibus remissis, non statim confertur, sed quando subiectum, per actum ferventiorem disponitur, vt vidimus; sed si solum daretur novo titulo, non esset

ratio,

ratio, quaré ſtatim non conferretur, nam actus remiſsi, ſupponunt habitum intenſiorem, cuius aliquis gradus, poteſt novo titulo pro præmio conferri: ergo: &c. *Dices*: Quód talis habitus præſuppoſitus, eſt principium meriti, & ſic nequit ſub merito cadere. Contra 1. quia licet habitus ſupponatur quo ad entitatem, non veró quo ad titulum ſub quo mereretur, & ſic hoc modo poteſt mereri. Secundó, licet Chriſtus per primum actum, meruerit noſtram redemptionem, meruit etiam per actus ſequentes illam novo titulo & ſimiliter peccator, per primum peccatum mortale, meretur carentiam viſionis beatæ, & per peccata ſequentia illam meretur novo titulo: ergo idem in noſtro caſu dicendum eſt.

Probatur etiam ab inconvenientibus. Primúm eſt: quia ſi per actus remmiſſos, non mereretur novus gradus gratiæ & gloriæ, ſi daretur homo ſanctiſsimus, per plures annos eliciens actus intenſos, vt 8. & per actum intenſum vt decem, pateretur martyrium, non reciperet maius præmium, quam homo peraditiſsimus, qui totam vitam in vitijs conſumpſit, & vnico actu charitatis vt decem, vitam terminavit. Secundúm eſt: quia ſi vir ille ſanctus in ſui iuſtificatione accepit gratiam vt duodecim, & poſtea elicuit actus vt decem, & alias vir turpis in hora mortis recenter iuſtificatus, eliceret actum vt vndecim, hic ſecundus reciperet præmium maius quo ad intenſionem, ſed hæc ſunt abſurda, oppoſita iuſtitiæ Dei, & eius liberalitati in præmiando: ergo, &c.

Sed arguitur: Poteſt dari verum meritum, quin aliquid accipiatur de novo, ſed idem novo titulo: ergo id poteſt contingere in actibus remmiſsis vivificantibus merita. Ant. prob. Túm in Chriſto, qui per primũ actum, meruit redemptionem quo ad entitatem, & per actus ſequentes, meruit illam novo titulo. Túm, quia damnatus, per primum peccatum, meruit ſuam damnationem, & per peccata ſequentia, eandem novo titulo meruit. Reſp. neg. antec. ad 1. prob. dicatur: Quód cum quælibet operatio Chriſti, ſit meritoria ſimpliciter infinité promerita redemptione, nihil novum quo ad entitatem promerendum reſtabat, ſed idem novo titulo; cæterum præter intenſionem charitatis debitam actibus ferventioribus, poteſt dari maior intenſio, & ideo actibus remmiſsis, nova charitatis intenſio poteſt aſsignari.

Ad 2. quód privatio viſionis beatæ, in qua conſiſtit pœna damni, non ſuſcipit magis & minús, & ſic illa pro merita per primum peccatum, non poteſt alia maior mereri per peccata ſequentia, ſed eadem novo titulo; gratia veró & charitas in ratione intenſionis, non ſunt æquales, & ideo de illis non eſt eadem ratio. Vel dicatur: quód per peccata ſequentia, non meretur eadem privatio viſionis beatæ novo titulo, quia in illa ſola, non conſiſtit pœna damni, ſed vt conotat actum illam cauſantem, & ideo ex divina iuſtitia provenit, quod ille qui ob plura peccata, excluditur á gloria & Dei amicitia, plus afligatur, quam ille qui non tot peccata commiſit; vndé Theologi, inæqualitatem pœnæ damni, per ordinem ad ſuam cauſam aſsignant, nẽpé ad peccata propter quæ quis damnatur, & ſic ob plura peccata, licet ſolum detur pro pœna, vnica privatio divinæ viſionis phyſicé, eſt tamen multiplex moraliter.

Deducitur primó: Quód hoc augmentum gratiæ & charitatis, non confertur actibus remmiſsis vivificantibus merita, vſque ad elicientiam actus ferventioris, ſed non in hac vita, ſed in alia. Prima pars conſtat ex D. T. 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. vbi ait: Quolibet actu meritorio, meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſumationem quæ eſt vita æterna; ſed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore, ita nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore, cum ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus, ad gratiæ augmentum; & 2. 2. q. 24. art. 6. ad 1. ait: Quilibet actus charitatis, meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad huiuſmodi augmentum; ex quo deducitur ſecunda pars: nam homo non diſponitur ſufficienter in hac vita, ad augmentum charitatis, debitum actibus remiſsis, nec per ipſos actus remmiſſos, quia iſti non ſunt diſpoſitio ſufficiens ad augmentum, vt patet ex auct. D. T. nec per actum intenſum, quia iſte adæquatur in ratione diſpoſitionis, cum augmento ſibi debito, & etiam illius eſt meritorius, & ſic nequit eſſe diſpoſitio augmenti debiti actibus remmiſsis; vndé reſtat, quod hoc detur in alia vita, vel in primo inſtanti ſeparationis animæ, vel in primo inſtanti glorificationis, quando actus ſervidus, tantum eſt diſpoſitivus ad augmentum gratiæ, & non eſt meritorius, quia ſubiectum eſt extra ſtatum viæ.

Si dicas: vndé colligitur, animam ſeparatam prorumpere in illum actum ferventiorem, qui ſit diſpoſitio ad augmentum? Reſp. hoc colligi ex eo, quod anima ſeparata, præcipué in gloria, perfectiús & intenſius operatur, quam dum eſt in corpore, quod retardat & aggravat operationes; & deinde: quia Deus qui acceptavit merita remmiſsé vivificata, & eis ſtatuit præmium, debet conferre omnia ad hoc præmium neceſſaria, & cum conſonum ſit rationi, quod formæ recipiantur iuxta diſpoſitionem ſubiecti, & actus ferventior in hac vita, non ſolum ſit diſpoſitivus, ſed etiã meritoriús augmenti gratiæ, debet expectari actus, qui tantum ſit diſpoſitivus, & non meritoriús, qualis eſt ille actus, in alia vita elicitus, in qua omne meritum ceſſat.

Deducitur 2. quód habitus charitatis, non augetur per actus ferventiores, ſecundum omnem iſtorum intenſionem, ſed ſolum ſecundum gradus habitum excedentes, v. gr. ſi quis habet habitum

cha-

charitatis vt sex & elicit actum intensum vt octo, cuilibet ex his gradibus, correspondet augmentum & præmium, non secundum æqualitatem gradus ad gradum, sed solum illud augmentum correspondens duobus gradibus, quibus habitum excedit, non veró correspondens alijs gradibus, sicut etiam habitus naturales, non augentur secundum totam intensionem actuum, sed secundum gradum in quo habitum excedunt. *Dices*: quód nullum datur fundamentum, vt actus acceptetur ad præmium, secundum illam partem, & non secundum totum. Resp. quód fundamemtum est, vt per hoc homines excitentur ad eliciendos actus ferventiores, pro quorum gradibus habitum excedentibus, correspondeat augmentum; sed re vera, circa hoc nihil est revelatum, nec ab Ecclesia diffinitum, nec á Theologis demonstratum, vt ait M. Prado, & ideo in re valdé incerta, dictis Ang. D. assentimur, quæ in præcedentibus sunt posita, & á Theologis laté discussa, & attacta modo pro doctrinæ continuatione, licet magis sint subtilia quam vtilia.

ARTICVLVS VIII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

CAsus primus, de reditu peccatorum. Lapsus fuit quidam in peccata innumera, & quidem satis gravia, quæ tamen media confessione, absolutionis beneficio credebat remmissa; postea tamen iterum fuit in peccata lapsus, & Dei beneficia oblitus; quæritur: an in posteriori confessione, deberet peccata præcedentia explicare, tanquam circumstantias peccatorum? Respondet Scotus, in 4. dist. 22. q. vnic. art. 3. in fin. litera. R. quód quanquam hoc sit licitum & forté vtile, non tamen videtur necessarium, illa peccata in speciali confiteri, quia in quantum aggravant, possunt sufficienter exprimi in confessione, quin explicentur in speciali, nempé dicendo: de multis & magnis peccatis alias pœnitui, & credo quod Deus mihi remmiserat, & ideo nunc fui magis ingratus in peccando.

Sed tamen Mag. Soto, dist. 16. q. 1. art. 4. §. *Hoc solum*, id non admittit, nisi cum limitationibus multis; dicit enim: quantum ad id quod ait, forte esse vtile, omnia peccata præcedentia confiteri; certum est, non esse necessarium, imó nec semper vtile, illa toties in memoriam revocare, quando sunt multa absurda, & homo est certus, legitimam fecisse confessionem; confessio autem illa generalis: peccavi in multis, &c. salubris est, & humilitatem atque verecundiam auget; sed tamen, neque ad explicandam ingratitudinem est necessaria, nam illa non est speciale peccatum, nec est tanta, vt necessitatem confessionis inducat; sed tanta esse potest, vt si quis sæpissimé remissionem peccatorum obtinuit, & liberatus fuit á multis periculis, in quæ propter peccata fuerat coniectus, tunc ingratitudo, etsi speciale peccatum non sit, est circumstantia necessario confitenda; sed præter ingratitudinem, necessarium est inolitam consuetudinem confiteri, vt in posterum, remedia & cautelæ adhibeantur commodiús.

Prudentissimé autem & sapientissimé Ang. D. litem dirimit, & casum resoluit, in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. sic dicens: Videtur distinguendum esse, quod in confessione, aliquid est exponendum dupliciter; vno modo directé, & sic exponi dicitur, cuius abolitio per confessionem quæritur, & sic peccata dimmissa, recidivans nullo modo confiteri tenetur, nec in generali nec in speciali; alio modo indirectè, sicut illud sine quo sciri non potest, debitus satisfaciendi modus; cum enim contritio, secundum quod est de necessitate salutis, votum confessionis, & satisfactionis debitæ includat, tenetur ille qui confitetur, Sacerdoti exponere ea, quibus possit scire, quæ satisfactio iniungenda sit congrua, sicut confitens, confitetur Sacerdoti interdum, se esse infirmum, vt ei ieiunium non imponat; & per hunc modum, tenetur recidivans, notificare peccata dimmissa, quantum sufficit ad hoc vt sciatur, quæ satisfactio est ei iniungenda, vt si ipse frequenter lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præscindatur per satisfactionem, & sic de alijs peccatis, & ad hoc videtur sufficere, confessio dimmissorum peccatorum in generali; tamen quantum ad alia specialia, opportet descendere, secundum quod confitens viderit opportunum, non enim in his, potest aliqua mensura præfigi; hæc D. Tho. quibus mirabiliter interrogationi respondet.

Sed adhuc est dubium: si ille qui in peccata labitur & relabitur, habet complacentiam de aliquo eorum in particulari, an committat duo peccata in confessione aperienda? Resp. negarivé, & oppositum vt ait Nuño, est improbabile; alias nunquam posset homo committere, vnum solum peccatum mortale, quia impossibile est dum peccat, non habere complacentiam formalem vel virtualem; consequens autem est falsissimum & absurdum. *Si dicas*: quód qui complacet de furto, peccat contra præceptum iustitiæ, & etiam contra præceptum pœnitentiæ, & sic, duo peccata committit. Resp. quód quando vnum præceptum obligat ratione alteriús, vnicum tantum censetur, & eorum fractio, vnicum peccatum est; sicut cum quis comedit hora qua debebat Missam audire, violat præceptum temperantiæ, & præceptum audiendi Missam vnico peccato, & quia non semper quod aliquis complacet de peccato, habet præceptum contritionis pro illo tempore, ideo duplex peccatum non committit; sic tenent Nuño, & Coninch. Vel secundo dicatur: quód pœnitentia, potest meditari secundum suam rationem specificam, vt ab alijs virtutibus

distin-

distinguitur, vel secundum modum generalem, qui per omnes virtutes divagatur, nam omnis virtus, habet aliquod peccatum contrarium per pœnitentiam delendum, quando enim, non præcedit specialiter præceptum contritionis, complacentia de peccato, non est contra virtutem pœnitentiæ in prima consideratione, sed in secunda, & ideo illa, speciale peccatum non est, nec peccans, duo peccata committit.

Casus secundus, circa idem. Duo homines reperiebantur, quorum vnus speciali divinæ gratiæ adiutus auxilio, post acceptam Baptismalem innocentiam, hanc seruavit, nec contra illam graviter deliquit; alter verò, varia & enormia commisit peccata, de quibus pœnitentiam egit. Quæritur quisnam ex his, plus obligetur Deo, & ad maiores teneatur gratias agendas, innocens, an pœnitens? Rem proponit mater Ecclesia, de duplici Maria his verbis. Laudemus opus Dei in Maria genitrice, sed Virgine, laudemus in Maria peccatrice sed pœnitente, Maria est data speculum innocentiæ, Maria hæc est exemplum pœnitentiæ; Maria ergo sacratissima Dei genitrix, semper innocentiam servavit, nec per vllam quantumvis leviſsimam culpam vel maculã infecit; Magdalena verò quæ fuit, in civitate peccatrix, pœnitentiam egit, de innocentia ergo, & pœnitentia horum vel aliorum, casus procedit, quia innocentia Virginis matris, nec primam similem vissa est, nec habere sequentem.

Resp. quód gratia hominis innocentis & pœnitentis, possunt dupliciter comparari, vel in ratione boni, vel in ratione doni & beneficij; primo modo gratia innocentis est maior, secundo verò modo, maior est gratia pœnitentis; sic habet D. Tho. hic, q. 88. art. 2. ad 3. vbi ait: Beneficium aliquod habet pensari dupliciter, vno modo ex quantitate ipsius beneficij, & secundum hoc, innocentia est maius Dei beneficium quam pœnitentia; alio modo ex parte recipientis, qui minús dignus est, & sic magis fit sibi gratia, vndé & ipse est magis ingratus si contemnat, & hoc modo, beneficium remmisionis culpæ est maius, in quantum præstatur totaliter indigno, & ideo ex hoc, sequitur maior ingratitudo.

Vndé pœnitens & innocens, & illorum gratia, se habent tanquam excedens & excessum, nam absoluté ille est melior, qui maiori gratia exornatur, sed cæteris paribus, innocentia magis est dignior, & á Deo magis dilecta; & cum dicitur in Evangelio, quod Deus plus gaudet de pœnitente, quam de innocente; hoc est quia sæpiús pœnitens resurgit cautior humilior, & ferventior; vndé vt ait D. Greg. hom. 34. in Evang. & D. T. cum illo, 3. p. q. 89. art. 3. in corp. dux in prælio, eum militem plus diligit, qui post fugam conversus, fortiter hostem præmit, quam qui nunquam fugit, nec fortiter fecit. Vel alia ratione, quia æquale donum gratiæ, plus est comparatum pœnitenti qui meruit pœnam, quam innocenti qui non meruit; sicut centum monetæ, maius donum est si dentur pauperi, quam si dentur Regi.

Ex quo habetur, quod simpliciter loquendo, & in quantitate absoluta, innocentia est maius bonum Dei, sed respectivé ad subiectum, & in ratione doni, pœnitentia est maius beneficium. Quód explicantur eleganter á D. T. 2. 2. q. 106. art. 2. vbi ait: Quód ex parte dantis, potest esse maior gratia, vel ex quantitate dati, & sic innocens, maiorem gratiam recipit á Deo, & magis continuatam cæteris paribus absoluté loquendo, & tenetur ad maiorem gratiarum actionem; vel quia magis datur gratis, & sic maior est gratia facta pœnitenti, & ad maiores gratias agendas tenetur, nam cum esset dignus pœna, datur ei gratia; & sic donum datum innocenti, est absoluté maius, sed datum pœnitenti, est maius comparativé ad ipsum, sicut parvum donum pauperi datum, est ei maius, quam diviti magnum; idem habet D. Thom. in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.

Explicatur ex Cayet. dicente: quód innocentia est maius beneficium Dei, ex parte dãtis & in ratione boni, quam pœnitentia, non verò in ratione doni, & ex parte recipientis. Primó: quia innocentiam confert minori sui incomodo quam pœnitentiam, sicut creatio est maius bonum, redemptio verò maius beneficium, quia hæc facta fuit á Christo, cum incommodo passionis & mortis crudelis. Secundó: quia peccator est minús dignus, vt sibi fiat gratia, & sic est magis ingratus si contemnit, vndé beneficium remissionis culpæ est maius, quatenús præstatur totaliter indigno, & ideo ex hoc sequitur maior ingratitudo, & sic ait Paul. ad Rom. 5. commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; ita D. T. locis suprá relatis.

Dices 1. hoc esse verum quando beneficium supponit merita, quod non habent homines respectu Dei, & sic exemplum adductum á D. T. de divité, non est ad rem, quia hic dignior est quam pauper. Secundó, conferre beneficium indigno, per se loquendo, est malum: ergo hoc non facit, quod beneficium maius sit. Resp. ad 1. quód peccator ante pœnitentiam, supponitur positivé indignus talis doni, innocens verò supponitur indifferens, & sine vllo impedimento, & in hoc stat vtriusque disparitas; & ad hoc, exemplum de divite est optimum, nam ille consideratur proportionaliter, quasi iustus, pauper verò, quasi peccator. Ad 2. quód illud est verum, quando conferens beneficium, non est potens facere suscipientem dignum; Deus autem, hominem indignum, facit dignum beneficio; & ideo pœnitens magis obligatus manet quam innocens. Consideremus modo, quam immane facinus est, Deum iterum offendere, post obtentum

beneficium remmiſsionis peccatorum?

Caſus tertius, circa idem. Voluptabatur homo in luxuriæ peccatis, vel potiús volutabatur in eius fetenti cœno per plures annos, in quibus pluries, erectioni per pœnitentiam, iterum ſequebatur caſus; levabatur rurſús, Deo ſupponente manum, & en iterata ruina, ſic in præceps ruit libido cœca. Quæritur an præter novum peccatum luxuriæ quo fœdabatur, etiam peccato ingratitudinis ſpecialis macularetur, eo quod Dei repetita beneficia á memoria delebat? Reſp. cum D.T. q.88. art.4. quód ingratitudo ratione cuius, per peccatum ſequens redeunt peccata dimiſſa, ex ſe non eſt ſpeciale peccatum, ſed circumſtantia generalis concommitans omne peccatum, quia non operatur ex intentione in contemptum Dei & beneficiorum; ſicut nec eſt ſpeciale peccatum invidiæ odium proximi, niſi moveatur ab eius excellentia, nec operatio mala eſt peccatum ſcandali, niſi intendatur proximi ruina. Vndé ingratitudo peccantis aliquando eſt peccatum ſpeciale, & aliquando non. Ratio eſt: quia peccatum ſummit ſpeciem ex intentione peccantis, vndé ait Ariſt. 5. Ethic. cap.2. ille qui mœchatur vt furetur, magis eſt fur quam mœchus: ergo ſi aliquis peccator, aliquod peccatum committit in contemptum Dei, & beneficiorum eius, tunc peccatum ingratitudinis, erit ſpeciale, iuxta quod dixit Paulus ad Rom. 2. an divitias bonitas eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?

Sed tamen, ſi aliquis intendens aliquod peccatum committere, vt homicidium vel adulterium, non retrahatur ab hoc, propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit ſpeciale peccatum, ſed trahetur ad ſpeciem alteriús peccati, ſicut circumſtantia quædam; vt autem ait D. Auguſt. lib. de nat. & grat. cap.29. non omne peccatum eſt ex contemptu, & tamen in omni peccato, Deus contemnitur in ſuis præceptis, & ſic ingratitudo peccantis, ſi ſpecialiter intenditur, eſt ſpeciale peccatum, ſecus ſi non ita intendatur. Explicatur hoc ex D.T. 2. 2. q.59. art.2. vbi ait: Quód in his quæ ſunt propter finem, per ſe dicitur aliquid, quod eſt intentum, per accidens autem, quod eſt præter intentionem, & ideo ſi aliquis faciat aliquid quod eſt iniuſtum, non intendens iniuſtum facere, tunc non facit iniuſtum, per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolum per accidens, & quaſi materialiter, faciens id quod eſt iniuſtum; & ſic idem de ingratitudine peccatoris diſcurrendum eſt.

Deindé, hoc ipſum comprobat S.D. 2. 2. q.107. art.2. ad 1. dicens: In quolibet peccato, eſt materialis ingratitudo ad Deum, in quantum ſcilicet facit homo aliquid, quod poteſt ad ingratitudinem pertinere, formaliter autem ingratitudo eſt, quando actualiter beneficium contemnitur, & hoc eſt ſpeciale peccatum; iuxta hoc ergo eſt dicendum, quod ingratitudo peccantis, non eſt peccatum ſpeciale, non ſolum quia ipſa & peccatum, v.gr. fornicatio poſt pœnitentiam, non conſtituunt duo peccata; ſed etiam quia circumſtantia ingratitudinis, non addit deformitatem ſpecialem, imó trahitur ad ſpeciem peccati quod circumſtat; ſicut idem eſt de odio Dei, reperto in peccato, & ſpecialiter non intento, quæ doctrina eſt Cayet. 3. p. q. 88. art. 4.

Sed obſtat contra reſolutionem: nam qui furatur in loco ſacro, committit ſacrilegium licet de loco ſacro non meminerit tempore furti; & ſimiliter, qui rem habet cum nupta, adulterium committit, licet intentio eius, non feratur ad læſionem coniugij nec mariti: ergo idem dicendum de peccante poſt pœnitentiam, quod nempé committit ſpeciale peccatum ingratitudinis, licet hoc formaliter non intendat. Reſp. quód malitia quæ eſt pura circumſtantia generalis peccati, debet ſpecialiter intendi, vt ſpecialem deformitatem conſtituat, & huiuſmodi eſt ingratitudo peccantis, & ideo niſi ſpecialiter intendatur, ſpeciale peccatum non eſt; ſicut nec odium proximi eſt invidia, niſi moveatur ab eius excellentia, nec operatio mala, eſt ſcandalum, niſi intendatur proximi ruina; adulterium veró & ſacrilegium, non ſunt circumſtantiæ generales peccatorum, & ideo licet expreſsé non intendantur, ſpecialia peccata conſtituunt.

Quia tamen hoc inſtantiam habet in invidia & ſcandalo, quæ non ſunt circumſtantiæ generales, & tamen ſpecialiter debent peculiaria motiva intendere; meliús dicitur cum D. T. in 4. diſt. 16. q.3. art.2. quæſtiunc.3. quód aliquando variatur ſpecies peccati, ſine hoc quod intentio feratur ad circumſtantiam, ſicut fur, ita libenter acciperet vas aureum non ſacratum ſicut ſacratũ, & tamen in aliam ſpeciẽ peccatũ mutatur, ſcilicet de furto ſimplici in ſacrilegium; de quo rationem affert, q.2. de malo, art.6. ad 6. quia licet principaliter voluntas furantis, non feratur ad rem ſacram, ſed ad aurum, fertur tamen ſuper rem ſacram ex conſequenti, magis enim vult rem ſacram accipere, quam auro carere, & idem proportionaliter debet dici, de appetente mulierem coniugatam, nam ex conſequenti, matrimonium offendere vult; peccans veró poſt pœnitentiam, nec ex conſequenti vult contemnere Dei beneficia, & ſic patet vtriuſque diſparitas.

Caſus quartus, circa idem. Commiſit quis peccatum furti, de quo per pœnitentiam, fuit remiſsionem & veniam conſecutus; poſtea tamen, grave peccatum homicidij, vel adulterij commiſit; é contra veró, alter commiſit homicidium, quod per pœnitentiam delevit, & poſtea incidit in peccatum furti; cum autem ex peccato ſubſequenti peccata remiſſa, quo ad ingratitudinem redeant; quæritur: cuinam ex his duobus, conſurgit maior reatus? Senſit Mag. Sentent. in 4. diſt. 22. quód

per

per ingratitudinem peccati sequentis, homo ita reus & peccator constituitur, sicut antea fuerat. Huic dicto favet Cornel. Iansen. dicens: quód cum Paul. ait ad Rom. 11. dona Dei esse sine pœnitentia, sic est intelligendum, quia reatus delictorum præcedentium iam dimissorum, in virtute continetur, in ingratitudine peccati subsequentis, quasi peccata priora, nunquam fuissent remmissa.

Sed Ang. D. hic, q. 88. art. 3. & in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. respondet: Quód non est necesse, quod per ingratitudinem peccati recidivantis, redeat simpliciter tantus reatus, quantus fuit in peccatis præcedentibus; sed solum reatus æqualis, secundum proportionalitatem. Prima pars constat: nam quantitas reatus, sequitur quantitatem peccati, iuxta illud: pro mensura peccati, erit plagarum & modus, vndé ex parvo peccato post pœnitentiam commisso, non consurgit magnus reatus, quantitas autem peccati recidivantis, est aliquando multo minor ex genere suo, quam peccata priús dimmissa, & ingratitudinis circumstantia, nequit dare tantam quantitatem, vndé quantitas ingratitudinis, nequit esse maior, quam sit quantitas peccati.

Ratio autem huius, assignatur á D. Thom. hic: quia reatus peccatorum præcedentium, non redit per sequens peccatum, in quantum sequitur ex actibus illorum peccatorum præcedentium, sed in quantum sequitur actum sequentis peccati, & ideo iuxta huius quantitatem, reatus consurgit; potest autem contingere, quod gravitas peccati sequentis, adæquetur gravitati præcedentium, sed hoc non semper est necesé, quia non oportet quod quantitas ingratitudinis, sit absoluté æqualis, quantitati beneficij recepti, quæ attenditur secundum quantitatem peccatorum dimissorum; nam contingit, quod contra idem beneficium, vnus est multum ingratus, vel secundum intensionem contemptus beneficij vel secundum gravitatem culpæ contra benefactorem commissæ, alius autem sit parum ingratus, vel quia minús contemnit, vel quia minús agit contra benefactorem.

Secunda pars probatur á D. T. loc. cit. ex Sententiar. sic: non redit æqualis reatus, secundum quantitatem absolutam, sed secundum proportionalitatem, quia quanto fuerint peccata dimmissa graviora, tanto fuit beneficium remissionis maius, & quanto beneficium fuit maius, tanto ingratitudo maior; & sic aliquomodo, quantitas reatus præcedentium peccatorum, manet in ingratitudine recidivi, non autem secundum æqualitatem absolutam. Quód explicat Cayet. super dictum, art. 3. dicens: Quód ingratitudo non habet quantitatem, ex quantitate beneficij, licet ex hoc habeat speciem, sicut nec odium habet quantitatem ex obiecto odio habito; non enim oportet, tantum esse odium, quantum est odibile, nam contingit vnum & idem, plús & minús odio haberi, nec oportet tantum esse amorem, quantum est amatum, nam contingit aliquid esse plús amabile quam ametur, & sic de alijs, quod contingit propter libertatem voluntatis, quia sæpé implicat contradictionem, quod obiectum ab inferiori ametur, quantum amabile est.

Vndé ait D. T. 2. 2. q. 27. art. 5. impossibile esse in amore Dei, quod modus diligentis, adæquet modum rei dilectæ, quia nulla creatura, potest Deum infinité diligere, iuxta dictum Bern. causa diligendi Deum, Deus est, modus sine modo diligere; quantificatur autem ingratitudo ex beneficio, vt ait D. T. proportionaliter, & hoc est dicere, quod si comparentur duæ ingratitudines ad duo beneficia, cæteris paribus, quantum vnum beneficium aliud superat, etiam vna ingratitudo, alteram excedit; & ideo tanto peccatum post pœnitentiam, est secundum ingratitudinem maius, quanto est contra maius beneficium remissionis peccatorum, & quia hoc quantificatur secundum peccata dimmissa, ideo tanto graviús quis post pœnitentiam peccat, quanto maior peccator priús fuit, & cæteris paribus, quanto pluries sibi fuerunt remmissa peccata; reatus autem peccati præcedentis, non consurgit, nisi iuxta peccati præsentis quantitatem, & sic maiorem reatum incurrit, qui ante peccavit leviús, & postea graviús, quam é contra, qui ante peccavit graviús & postea leviús.

Nec obstat: Quód servus á Domino suo manumissus, si illum offendit, reducitur in eandem servitutem & forté graviorem: ergo idem dicendum de offendente Deum, post remmissum peccatum. Resp. enim, quod servus manumissus, non reducitur in pristinam servitutem, pro quacumque ingratitudine, sed solum pro ingratitudine gravi, & sic hoc, nostram resolutionem probát, qua asserimus redire reatum, iuxta præsentis culpæ modum; sicut idem proportionaliter dicitur, de meritis mortificatis, quæ per pœnitentiam subsequentem resurgunt, iuxta qualitatem præsentis dispositionis, vt vidimus art. præced. diffic. 3.

Casus quintus, de reviviscentia meritorum. Homo quidam, suis bonis operibus, meruit de cõgruo alicuius amici sui conversionem, & antequam iste converteretur, merens peccavit mortaliter & pœnitentiam egit. Quæritur: an per pœnitentiam reviviscat illud meritum mortificatum, quatenús respicit amicum, vt hic convertatur & pœnitentiam agat? Aliqui tenent, quod talia opera, quantum ad meritum de congruo pro alio, proprié non mortificantur, & sic revivíscere nequeũt; sed oppósita sententia probabilior est, vt ait Nuño; & quod mortificentur, quo ad meritum de congruo patet, quia tale meritum, fundatur in dignitate operantis, & cum iam illa dignitas non sit, nec est tale meritum de congruo quod antea fuit, sed mortificatũ manet,

Quód

Quód autem postea, illud meritum per pœnitentiam reviviscat, constat: nam in rebus moralibus, quando reviviscit fundamentum, reviviscunt etiam omnia quæ fundantur in illo; sed tale meritum congruum, fundatur in gratia operantis, & in bonis operibus eius: ergo simul cum illis reviviscit. Nec obstat: quód ea quæ nemo novit, nisi Deo revelante, nequeunt nisi ex sacris literis, vel Concilijs cognosci; vt ait D. T. 3. p. q. 1. art. 3. & huiusmodi est, reviviscentia meriti de congruo, respectu alteriús. Resp. enim, quod illa doctrina est vera, de rebus altissimis & gravibus, vt ibi D. Thom. explicat, & constat ex ipsa materia, in qua loquitur de Incarnatione facta ex motivo peccati; casus autem præsens, non est tanti momenti, vt pro eius decisione sit necesse ad sacras literas, vel ad Concilia recurrere, & ideo rationibus probabilibus, possumus arbitrari, vt sciamus quid sit dicendum.

Si dicas: Quód illa opera quo ad meritum de congruo, proprié non moriuntur, quia peccatum, solum peccanti potest obesse. Resp. quód quantum ad ea quæ debentur ex iustitia, peccatum solum obest peccanti, non verò quantum ad ea quæ ex iustitia non debentur, quale est meritum de congruo respectu alteriús. *Dices*: in qua igitur quantitate, illud meritum congruum revivisci? Resp. quód in eadem quantitate, in qua reviviscit ad meritum de condigno, sed diversimodé, nam præmium correspondens merito condigno, statim infallibiliter confertur, non autem præmium correspondens merito de congruo. Sed pro pleniori huius explicatione, obiter venit examinandum, an maior intensio gratiæ, augeat meritum, etsi opus non sit alias meliús? V. gr. Petrus habet gratiam vt decem, & Paulus vt quinque, & operantur actionem æqualiter bonam, an Petrus ob maiorem gratiæ intensionem, mereatur plus Paulo?

Resp. negativé: Quia præmium correspondet operi, sed ex maioritate gratiæ, opus non est perfectiús: ergo nec magis meritorium. Mai. constat: quia habitibus nec meremur, nec demeremur. Min. etiam patet, quia gratia non communicat totum suum valorem cuilibet operi. *Si dicas*: Quod persona Verbi communicat totum suum valorem operi Christi: ergo etiam gratia intensa, illum communicat operi hominis. Resp. quód est magna disparitas: quia persona Verbi est infinita, & sic totum valorem indivisibiliter communicat, quod non currit in intensione gratiæ. *Etsi vis*: persona infinita communicat operi infinitatem: ergo etiam gratia intensa communicat intensionem. Neg. conseq. quia gratia confertur per modum habitus, & habitibus vtimur cum volumus, & sic gratia communicat valorem, iuxta proportionem operis, cuius contrarium contingit in personaVerbi, quæ non subditur voluntati Christi, quo ad valorem, & sic ab ea limitari non potest, de quo Theologi examen faciunt, Tract. de Incarnat.

Secundó constat resolutio: nam alias, quantus fuerit in operante excessus gratiæ, tantus erit excessus meriti, vt si Petrus habet gratiam vt decem, & Paulus vt quinque, licet operentur æqualiter, meritum Petri erit duplo maius, quia nequit alia proportio assignari, quod tamen absurdum est. *Dices* 1. quód á maiori amico Dei, maius meritum procedit, sicut etiam apud homines contingit. Secundó, quia in Gen. dicitur: Quód respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, vbi prius ponitur dignitas personæ quam meriti. Resp. ad 1. quód quando præmium confertur gratiosé, attenditur amicitia subiecti, non autem si ex iustitia conferatur, vt in præsenti contingit. Ad 2. quód ex eo solum sequitur, quod gratia sit principium vniversale meriti, ad illud præsuppositum, & sic respexit Dominus ad Abel; sed tamen ipsum opus, est proprium meriti principium, & sic respexit ad munera eius.

Casus sextus, circa idem. Extant duo homines, Petrus & Paulus, habentes charitatem vt octo, sed Petrus elicit actum charitatis intensum vt decem, & meritorium vt sex; Paulus verò é contra, elicit actum intensum vt sex, & meritorium vt decem; quæritur, per quæm actum illorum, magis augeatur charitas & gratia? Vel aliter: an possit actus esse magis intensus, & minús meritoriús? Seu an intensio habitus, fiat per actus magis intensos, vel per magis meritorios? Casum hunc possibilem esse, suadet M. Zumel, ex eo quod intensio actus, attenditur penes conatum operantis, & sic quo aliquis vehementiori conatu agit, eius operatio est intensior; sed quantitas meriti, attenditur ex bonitate, & excellentia obiecti, quorum vnum potest reperiri sine alio, v. gr. sunt duo homines æqualiter iusti & divites, & vnus maiori conatu tribuit parvam eleemosynam, & alius minori conatu, ingentem eleemosynam tribuit, actus primus fuit magis intensus & minús meritoriús, & sic possibilis est casus.

Resp. quód si loquimur de augmento in esse meriti, certum est, quod gratia & charitas magis augentur, per actus magis meritorios, nam hæc propositio, fere identica est. Sed dubium stat in eo, quomodo actus sit magis meritoriús, si alius est intensior, vel habet maiorem bonitatem, vel altiorem speciem, vel excellentiús obiectum in individuo? Circa quod. Dicendum est: quod licet regulariter & per se, intensio actus plus conducat ad meritum quam alia quæcumque bonitas, sed tamen aliquando potest contingere, quod actus charitatis minus intensus, sit magis meritoriús. Primúm constat, quia actus charitatis, respicit immediatè summum bonum, in quo est bonitas infinita, nunquam maior nec minor, & sic in illo, ex parte intensionis attenditur per se meriti perfectio.

Secundúm patet: Quia actus charitatis, potest impe-

imperare actum excellentissimum alterius virtutis, vt cum quis cum actu charitatis intenso vt quatuor, confert suam substantiam pauperibus, alius autem cum actu charitatis vt quinque, solum confert vnum denarium, magis meretur primus quam secundus. Ratio est: quia meritum intensionis actus charitatis est finitum, meritum verò aliarum virtutum, augetur in infinitum sincathegorimaticè, & ideo sic potest multiplicari, quod excedat intensionem actus charitatis; nam omne finitum, potest superari ab alio finito multiplicato. *Etsi dicas*: quód actus charitatis & aliarum virtutum, differunt specie, & sic quasi infinitè negativè distant, & ideo vnus, nequit attingere perfectionem alterius. Dicitur: hoc esse verum, de distinctione in esse naturæ, sed in esse meriti, eiusdem specie sunt, & sic vnus, potest alium superare. Nec obstat: quód actus charitatis, est meritorius per se, & hoc est perfectiùs, quam esse meritorium per aliud. vt in actibus aliarum virtutum, qui per charitatem merentur; nam hoc tenet in metaphysicis, sed non in moralibus, in quibus bonitas præcipuè summitur, rex circumstantijs in singulari contingentibus.

Deindè est dicendum: quód si comparentur actus eiusdem virtutis, cæteris paribus, plus conducit ad meritum intensio actus, quam aliæ bonitates, v.gr. si Petrus motus intensa misericordia vt decem, confert pauperi quinque aureos, & Paulus decem donet, motus misericordia vt quinque, plus meretur Petrus quam Paulus. Ratio est: quia in eo casu, actus Petri est meliòr essentialiter, nam bonitas essentialis actus, desumitur ab intensione, & omnis alia quæcumque perfectio, est illi accidentalis. Verum quidem est, quod ita potest multiplicari bonitas ex obiecto numerico, vt actus minùs intensus, sit magis meritorius, vt in casu apposito, si Petrus actu misericordiæ intenso vt quatuor dat pauperi omnem substantiam suam, & Paulus cum actu intenso vt quinque, det solum vnum denarium plus merebitur Petrus quam Paulus.

Ex dictis deducitur: quód quando actus specie differunt, per se loquendo, actus excellentioris virtutis, est magis meritorius, licet sit minùs intensus, vt si Petrus elicit actum iustitiæ intensum vt quatuor, & Paulus actum temperantiæ intensum vt quinque, actus Petri, est magis meritorius; sed tamen ita potest multiplicari actus inferioris virtutis, vel intensivè, vel extensivè, vt sit magis meritoriùs, quam actus virtutis superioris, v.g. si Petrus ieiunet in pane & aqua, quod pertinet ad temperantiam, quæ est virtus inferior, plus meretur quam Paulus, qui confert vnum denarium, quod debebat ex iustitia, quæ est virtus superior, excessus enim iste, compensatur ab actu virtutis inferioris, ob circumstantias individuales.

Casus septimus, circa idem. Quidam in statu peccati mortalis existens, fecit aliqua opera bona ex genere suo, mortua tamen; quia sine charitate fiebant, egit pœnitentiam postea de peccatis suis. Quæritur: an illa opera mortua, per pœnitentiam vivificarentur? Ratio dubitandi sumnitur ex D. Hyer. super Amos 1. vers. 6. dicente: Si quando videris inter multa opera peccatorum, facere quem piam, nonulla quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala, ob iviscatur paucorum bonorum. Difficultatem tetigit D.T. 3.p. q. 89. art. 6. & respondet, esse omnino impossibile, quod opera totaliter mortua, per pœnitentiam vivificentur; ad quod notat, quod opus dicitur mortuum effectivè, quia est causa mortis, & sic opera peccati sunt mortua, iuxta dictum Pauli: Sanguis Christi, mundabit conscientias nostras, ab operibus mortuis, & hæc opera mortua, per pœnitentiam non mortificantur, imò abolentur, vt ait ipse D. Paul. ad Hebr. 6. non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Alio modo opus dicitur mortuum privativè, quia caret vita spirituali charitatis, & sic dicitur, quod fides sine operibus mortua est, sicut si dicamus sonum citharæ, vocem mortuam, iuxta quod dicitur 1. Cor. 14. vers. 7. quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia sive cithara.

Probat D. Thom. resolutionem suam, ex eadem Epist. 1. ad Cor. cap. 13. vers. 3. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ratio autem est: quia opera habere vitam, est procedere á principio vitali; sed hoc repugnat operibus mortuis; nam licet eadem materialis entitas possit á Deo reproduci, si tamen produceretur cum vita, iam esset diversa á præcedenti, implicat enim quod eadem res sit viva & mortua, quia hæc sunt species diversæ, sicut etiam repugnat in alijs rebus, quod natura non vitalis, vt lapis, habeat vitam: ergo idem est dicendum, de operibus mortuis.

Dices: Corpus Christi vivum & mortuum, est idem numero, vt ait D.T. 3.p. q. 50. art. 5. & consequenter, idem de nostris operibus dicendum est. Resp. quód corpus Christi vivum & mortuum, est idem numero idemtitate suppositi, non verò idemtitate formæ, quod speciale fuit in Christo, propter subsistentiam in duabus naturis, quod reperiri nequit in operibus nostris. *Si dicas*: quód Sacramentum pœnitentiæ informe, quod esse possibile dicemus infrá, mortuum fuit, & postea vivificatur a Deo, & idem est de Baptismo ficte recepto. Resp. hoc esse, quia opera illa, habent certam vitam, quatenús sunt opus Dei, sicut est eius opus ipsum Sacramentum, & sic postea vivificari possunt, quod tamen non habent opera mortua, de quo agetur infrá, tractando de Sacramento Pœnitentiæ informi.

Ad rationem dubitandi. Resp. cum D.T. ad 2

quòd Deus recordatur bonorum operum quæ fiunt in statu peccati, non quo ad remunerationem vitæ æternæ, quæ solum debetur operibus vivis, ex charitate factis, sed quo ad remunerationem temporalem; quare ait D. Greg. quòd diviti dictum est: recepisti bona in vita tua, quia pro aliquibus operibus bonis, in præsenti sæculo remunerationem accepit. Nec dicas: quòd si talia opera nihil valerent, homini postea quando est in gratia, non esset consulendum vt operaretur recte. Resp. quòd licet talia opera extra charitatem facta, per pœnitentiam non reviviscant habent tamen meritum congruum alicuius boni, vt est consecutio boni temporalis, evasio omissionis, aliqualis dispositio ad bonum, & pœnæ inferni diminutio; sic D. Tho. in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4 & 5.

Vnde ait M. Soto, quod si quis in concubinatu vivens, fecit multa opera bona moralia, si pro luxuria deberet cruciari vt decem, propter illa opera bona, pœna remitteretur vsque ad novem; congruum enim est vt cum illo Deus mitius se gerat, quia assuetus operibus bonis, vitavit maiora peccata, pro quibus puniretur acerbius; quibus addit ipse, quod illa opera mortua, non solum non vivificantur per pœnitentiam, quo ad præmium essentiale, sed nec quo ad accidentale, quod dicitur aureola; hæc enim supponit auream, sicut comparativum supponit positivum, & sic dicitur in Exod. cap. 25. facies super coronam auream, alteram aureolam, & ideo qui non meretur auream, quæ est præmium essentiale, nec meretur aureolam, quæ est præmium accidentale.

ARTICVLVS IX.

De Contritione, & eius obiecto.

Prima difficultas: In quo consistat essentialiter contritio? Hoc nomen *contritio*, derivatur á verbo *contero*, quod significat rem duram in minutissimas partes dividere, nam cum per peccatum induretur cor, actus quo hæc duritia tollitur, contritio vocatur, vnde asserit David: cor contritum & humiliatum non despicies. Contritio autem ex D. T. sic diffinitur: dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi; vel iuxta Trident. animi dolor & detestatio, de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Propositum autem explicitum non peccandi de cætero, non est de essentia contritionis, vt suprá vidimus, quia potest quis dolere de culpa, quin aliquid cogitet de vita futura, sed solum de Dei bonitate, vel gravitate offensæ; sed illud est proprietas contritionis, ad quam subsequitur voluntas amplius non peccandi.

Dicendum est: essentia contritionis, non consistit in aggregato ex odio peccati, & dolore de illo, licet vtrumque includat, sed solum consistit formaliter in dolore de peccato, & præsuppositivé in odio illius. Prima pars patet: quia Pœnitentia est vna simplex virtus, cuius actus priorius, debet etiam esse simplex, & non compositus ex duobus; secunda pars constat: quia ad destructionem peccati, requiritur odium illius, & tristitia de ipso, nam nemo dolet, nisi de malo quod displicet. Tertia pars prob. Tùm ex D. T. qui contritionem diffinit per dolorem. Tùm, quia contritio consistit in actu destruente peccatum, qui actus non est odium peccati, sed dolor de illo, siquidem per odium peccati, nec honor Deo redditur, nec homo aliquid mali patitur, nempé tristitiam & pœnam: ergo, &c.

Explicatur: contritio est diminutio rei in minimas partes; sed hæc diminutio, non fit per odiũ peccati, quia tunc solum incipit displicere, sed fit per dolorem, quo spiritus afligitur & conteritur: ergo in dolore consistit contritio, & non in odio peccati, licet hoc præsupponatur, quia nequit quis de aliquo doleri, nisi priùs natura, illud odio habeat & detestetur. Præterquam, quod si contritio consisteret essentialiter in odio peccati, etiam in Beatis, daretur proprié contritio, cum illi habeant odium peccati, consequens autem falsum est, vt contrarij concedunt. Quæ doctrina robur accipit ex D. T. in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. vbi ait: Quòd duplex est dolor, vnus in parte sensitiva qui est passio & hic non est essentialiter contritio, sed effectus ipsius; alius in voluntate, & sic contritio, est dolor per essentiam, & actus pœnitentiæ virtutis.

Dices 1. quòd contritio consistit essentialiter, in eo quod opponitur peccato per se primo, quod solum convenit odio & detestationi peccati, nam amori inordinato, per se opponitur odium ordinatum. Secundò, nam id per quod homo primo separatur á peccato, est odium illius, quod est quasi fuga ab illo. Resp. ad 1. quòd odium peccati, opponitur peccato, vt est amor contra Deum summum bonum, non verò vt est offensa Dei, & hæc secunda oppositio requirebatur, vt in tali odio, consisteret essentialiter contritio. Ad 2. similiter resp. quòd odium est separatio & fuga á peccato, vt est summum malum, non tamen vt est iniuria Deo facta, cui debet compensationem exhibere, hoc enim est proprium doloris, ad quod odium peccati, meré præsuppositivé se habet; & sic interprætandi sunt Trident. & D. T. cum asserunt, contritionem in odio peccati consistere, loquuntur enim præsuppositivé, & non formaliter.

Si dicas: Quòd iniuria inter homines, compensatur per separationem á culpa & odium illius, quin petatur quod Satisfaciens sustineat pœnam, & sic idem dicendum, de compensatione iniuriæ facta Deo. Resp. quòd etiam compensatio apud homines, requirit per se, quòd homo reddat id

quod

quod abstulit, quod respectu Dei fit per dolorem, & non per odium, & sic argumentum, pro nobis est. *Etsi dicas*: possibile esse, quod quis habeat dilectionē Dei & odium peccati, absque vllo dolore, & tunc habebit veram contritionem. Resp. quód in eo casu, quando fit sine peccato omnissionis, quia homo incolpabiliter, non cogitat de dolore, manebit iustificatus & salvabitur, si tunc moritur, per solam pœnitentiam eminentem & virtualem, quæ invenitur in actu charitatis, sed cum hac dependentia, quod tenetur habere dolorem, statim ac advertat, & tunc fiet recompensatio pro iniuria, formaliter.

Ex his deducitur, quam recta sit diffinitio contritionis, quæ adducitur á D.T. hic, nempé. Dolor pro peccatis assumptus, vt sunt Dei offensa, cum proposito emmendandi vitam, confitendi & satisfaciendi, cum spe veniæ divinitus obtinendæ. Dicitur *dolor*, quia sic habetur in Trident. Sess. 14. cap. 4. & quamvis peccata fuerint voluntaria quãdo committebantur, tamen quando de eis conteritur, voluntaria non sunt, nam vellemus quod nunquam fuissent, & sic verificatur dictum Aug. quod dolor est de his quæ nobis nolentibus accidũt. Dicitur: *pro peccatis*, id est de actualibus quæ sunt materia pœnitentiæ, non de originali, quod non est propria voluntate commissum, nec etiam de alienis peccatis, quæ non sunt pœnitentiæ obiectum, nec etiam de futuris, de quibus non datur proprié pœnitentia, sed cautio, vt ait D.T. de quibus omnibus egimus suprá, art. 4.

Dicitur: *assumptus*, quia hic dolor, debet esse spontaneus, ad differentiam doloris qui ab intrinseco causatur, propria voluntate non concurrente. Licet autem hic dolor, causetur in nobis á Deo quantum ad formam, sed quantum ad substantiam actus, ex nostra voluntate procedit. Dicitur: *vt est offensa Dei*, nam hoc requiritur, vt reconcilietur Dei amicitiã, & ideo semper ex charitate procedit. Dicitur: *cum proposito emmendandi vitam*, quia pœnitentia est vitæ mutatio, quæ requirit propositum non peccandi. Dicitur: *cum proposito confitendi*, quia contritio evangelica, dicit omnem ad confessionem, & ideo maiorem gratiam causat, quam in lege naturæ. Dicitur: *& satisfaciendi*, quia sic explicatur ratio iustitiæ repertæ in pœnitentia. Dicitur: *cum spe veniæ, &c.* quia hoc est pœnitentiæ motivum, vt non ab alio, nisi á Deo, venia expectetur.

Secunda difficultas: An contritio, differat essentialiter ab attritione? Contritio dividitur in perfectam, quæ vocatur talis simpliciter, & in imperfectam, quæ dicitur attritio, vt ait Trident. & hæc, alia procedit ex motivo mere naturali, vel quia est contra Deum authorem naturalem, vel contra naturalem rationem, vel ex infamia, aut infirmitate orta ex peccato; alia procedit ex timore pœnarum inferni, vel carentiæ gloriæ quæ supernaturalia sunt, vt per fidem cognitæ; alia procedit ex amore Dei imperfecto; prima attritio, est puré naturalis, & de illa non loquimur, sed de alijs duabus, & præcipué de tertia, quæ in linea attritionis, perfectior est alijs; quæ tamen extra Sacramentum non iustificat, vt ait Trident. Sess. 14. cap. 4. quia non secum affert charitatem, & amorem Dei perfectum.

Inter contritionem autem & attritionem, plures dantur differentiæ. Prima est: quód contritio elicitur immediaté ab habitu pœnitentiæ, attritio verò ab auxilio. Secunda: quód contritio oritur á dilectione perfecta Dei, attritio verò, ab amore imperfecto. Tertia: quód contritio, & cum Sacramento & extra illud, hominem iustificat, attritio verò, extra Sacramentum non iustificat. Quarta: quód contritio est dolor perfectus, efficax ad destruenda peccata, quare vocatur á D.T. anihilatio; attritio verò, est dolor imperfectus, peccata totaliter non auferens, sed auferre incipiens. Quinta: quód contritio, cadit super omnia peccata, quia omnia sunt offensa Dei, sed attritio, potest esse de aliquo peculiari peccato, ab eius specialem deformitatem, vel quia causat peculiarem pœnam.

Sexta: quód contritio semper imperatur á charitate, attritio verò procedere potest á timore servili. Septima: quód contritio, nunquam potest esse informis, quia affert secum infallibiliter gratiam, attritio verò hoc non habet, & ideo potest esse informis. Has omnes differentias Ang. D. in addit. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. mirabiliter comprehendit, dicens: attritio non dicit accessum ad perfectam contritionem, vndé in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquomodo diminuta sunt, sed non adhuc perfectè sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul, per divisionem ad minima, & ideo attritio, significat in spiritualibus, quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam, contritio autem, perfectam.

Ex his facile est, dubitationi respondere. Dicimus ergo: quód contritio perfecta, essentialiter ab attritione distinguitur. Constat 1. ex allatis inter vtramque differentijs, quæ re vera, essentiales sunt. Secundó, nam vtriusque rationes formales, sunt diversæ, quia obiectum contritionis, est ratio iniuriæ Deo illatæ, attritionis verò obiectum, est malum ipsius peccatoris. Tertió, nam illi actus, eliciuntur á principijs diversis, contritio nempé, á virtute pœnitentiæ, attritio verò, á virtute spei, vel ab aliqua virtute morali influsa, opposita speciali turpidini peccati, vt á temperantia, attritio de intemperantia. *Si dicas*: quód quando homo est in peccato, non habet virtutes infusas, & naturales acquisitæ, non sufficiunt ad actum supernaturalem attritionis eliciendum. Resp. quód tunc elicitur á voluntate

elevata per auxilium supernaturale, licet non vt elevata per habitum, vndé semper stat differentia essentialis illius á contritione.

Deducitur ex hoc: quód attritio, nequit fieri contritio formaliter; quia essentialiter differunt, & essentiæ rerum non immutantur; sic D.T. hic, art. 3: *Dices*: contritio & attritio, differunt vt formatum & informe; & id quod est informe, potest fieri formatum, vt patet in fide informi, quæ per charitatem formatur. Resp. quód non solum differunt, vt formatum & informe, sed vt res diversæ speciei essentialis. Vel 2. quód non omne informe, fit formatum, nec fides informis fit formata, quasi transiens in eius naturam, sed quia formatur á charitate, á qua ante non formabatur. Vel 3. quód informe potest fieri formatum, si vtrumque sit habitus permanens, qualiter contingit in fide, non veró si sint actus qui statim transeunt, quales sunt attritio & contritio, & ideo vna non fit altera, vid. D.T. 1. 2. q.88. art.4. ad 3. & 4.

Si dicas: Quomodo communiter dicunt Theologi, quod homo in Sacramento Pœnitentiæ, ex attritio fit contritus? Resp. quód licet illa locutio sit vera, sed non est formalis, vndé sicut dicitur: frigidum fit calidum, non veró frigiditas fit calor, ita dicitur, quod subiectum attritum fit contritum, non veró ipsa attritio formaliter, fit contritio; vndé consulto diximus, quod attritio nequit fieri contritio formaliter, vt notat Soto, in 4. dist. 17. q.2. art.5.concl.2. *Etsi inquiras*: quomodo intelligitur, quod homo in pœnitentia, ex attrito fit contritus? Resp. ita intelligi 1. quia mediante habitu pœnitentiæ, advenit habitus charitatis, attritionem informans, & gloriæ meritoriam reddens. Secundó dicitur, quod homo fit ex attrito contritus habitualiter, quia infunditur ei habitus pœnitentiæ & gratiæ. Tertió ex parte effectus, quia id præstat attritio cum Sacramento in te susceptо, quod contritio cum Sacramento recepto in voto præstaret.

Tertia difficultas: An attritio sufficiat, vt Sacramentum Pœnitentiæ, digné & fructuosé recipiatur? Suppono: quód attritio ex metu gehenæ, est actus bonus & ad salutem vtilis; sic habet Trident. Sess.6. Can.8. & Sess.14. cap.4. idque constat ex repetitis Scripturæ & PP. testimonijs, in quibus dicitur, quod timor est initium, expulsionis peccati, de quo egimus suprá, art.3. diff.6. Ratio est: quia gloria cui adversatur gehena recto desiderio appeti potest: ergo etiam fuga á gehena, nam fuga mali, summit speciem á bono cui opponitur. Deindé: nam in attritione reperiuntur tria, nempé intentio finis, quæ est voluntas fugiendi pœnam, medium quod est detestatio peccati, & ordinatio eius; & omnia hæc, sunt bona & honesta; primum quia pœna inferni, est odio digna; secundum, nam detestatio peccati, ex se est bona; tertium quia illa est medium aptum ad excitandam pœnam: ergo actus attritionis, est bonus, laudabilis, & honestus.

Sed oppones 1. nam dolere de peccato, ex solo metu gehenæ est peccatum, sicut peccatum est desinere furari, ex eo solum quod quis videtur, vt ait Aug. Secundó, nam magis debemus doleri de maiori malo vt est culpa, quam de minori vt est pœna, & contrarium culpabile est, & hoc facit attritio. Tertió, nam in hoc actu, includitur voluntas moraliter mala, qua quis dicit: peccata non detestarem, si nulla esset pœna imposita. Quartó, nam attritio, ordinat maius bonum, nempé vitationem culpæ, ad minús bonum, vt est vitatio pœnæ. Quintó, nam si hic timor servilis est bonus, etiam bonus erit timor mundanus, quod est falsum, nam hic facit homines malos. Sextó, quia si attritio esset actus bonus, ab aliqua virtute procederet, quod negat D. Thom. hic, art.2. ad 2.

Hæc opponunt hæretici, falsa imaginatione ducti, de quibus & de alijs, eis præbentibus auditum, M. Soto, Patres Concilij Tridentini, per hæc alloquitur elegantia verba: sunt inter Catholicos multi, qui eos audientes, quæstionarios posthabent, quæstionarios abijciunt, & solis volunt linguarum ferculis convivium instrui, vt poté quarum cognitione & subsidio, arbitrantur absque Theseo, per se posse, tum Sanctorum Patrum, tum etiam sacræ Paginæ adire volumina; cui profecto malo, nisi obviam publicitus occurratis, & Vniversitates, melius sibi & bono publico consultum properent, totum brevi Christianum orbem, errores ebulire dolebimus; quæ verba, contra quændam Ioannem Morinum Blesensem possunt aptari, qui vocem attritionis exprobare nititur, & eius vsum pro Theologis demiratur.

Sed quam sint debiles instantiæ positæ, constabit ad singulas respondendo. Ad 1. quód qui detestatur peccatum ob pœnas inferni non retinet voluntatem peccandi, sicut fur cum videtur, habebat voluntatem furandi, & sic est disparitas. Ad 2. quód in attritione, nulla fit comparatio maioris mali cum minori, vndé nec illa culpabilis est, nec vltimo tendit ad pœnam, sed ad Deum, sicut actus spei, proximé tendit ad Deum, vt bonum speranti, sed virtualiter tendit ad Deum secundum se; ex quo pat. ad 3. Ad 4. quód ordinatur maius bonum ad minús, non tanquam ad finem vltimum cuius gratia, sed tanquam ad finem proximum cui, quod inconveniens non est, sicut etiam Incarnatio Uerbi, ordinatur ad nostram salutem, vt ad finem cui, & orationes & sacrificia, ordinantur ad sanitatem corporalem.

Nec dicas: Quód attritio, non tendit ad Deum vt ad finē vltimum, alias homo duos vltimos fines haberet, nempé peccatum & Deum. Resp. enim, quod non tendit efficaciter ad Deum, sed inefficaciter, & vnus finis potest efficaciter intendi, & alius inefficaciter. Ad 5. quód timor mundanus,

est

est timor hominis, sed timor servilis, est timor Dei, & sic patet vtriusque disparitas. Ad 6. quód attritio non est actus perfectus, & ideo á speciali virtute non elicitur, nam hæc est, dispositio perfecti ad optimum. Nec obstat: quód actus fidei & spei, sunt imperfecti, & oriuntur á specialibus virtutibus; nam illi actus, sunt perfecti in sua linea, actus fidei, quia certior, & spei quia securior, sed attritio non est dolor, quo nullus potest esse maior.

Respondetur ergo principali quæsito: quód attritio ex metu gehenæ, est dispositio sufficiens, ad iustificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Constat ex Trident. Sess. 14. cap. 4. vbi de attritione ait: Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Nec dicas: ibi loqui Conc. de dispositione remota. Hoc enim est falsum. Primó: quia dicit, attritionem disponere ad gratiam cum Sacramento, sicut contritio extra Sacramentum, hæc autem extra Sacramentum, proximé disponit. Secundó: nam disponere puré remotè ad gratiam, etiam convenit attritioni extra Sacramentum, & sic aliquid plus debet habere cum Sacramento, nempé disponere proximé.

Si dicas iterum: quód Concil. sæpiús ait, & præcipué loco citato, quod motus contritionis, fuit omni tempore necessariús, ad consequendam remissionem peccatorum. Resp. quód ibi summitur contritio generaliter, vt co nprehendit perfectam, & etiam imperfectam quæ est attritio, non autem specialiter, vt ab attritione distinguitur. Vel dicatur: quód Concil. loquitur, de motu contritionis, extra Sacramentum in re susceptum, & ille quovis tempore, fuit ad iustificationem necessariús, non veró loquitur de motu contritionis intra Sacramentum; nam in eodem loco dicit, quod attritio supernaturalis cum Sacramento Pœnitentiæ, est dispositio sufficiens, ad habendam gratiam.

Ratio autem omnium est: quia Pœnitentia est Sacramentum mortuorum, per se ad causandam primam gratiam instituetum; sed si exigeret in subiecto contritionem, nunquam primam gratiam, causaret, sed illam causatam supponeret per contritionem, quæ est vltima dispositio ad gratiam etiam extra Sacramentum obtinendam: ergo, &c. Explicatur 1. quia vt ait D. T. sup. q. 80. art. 4. ad 2. pœnitentia est instituta per modum medicinæ peccati; medicina autem, non supponit morbũ ablatũ, & sic nec Pœnitentia supponit contritionem auferentẽ peccatum. Secundó: nam vt dicunt Theologi, Pœnitentia facit de attrito contritum, quod non esset verum, si subiectum iam supponeretur contritum. Tertió: nam si requireretur contritio ad obtinendam gratiam in Pœnitentia, hæc esset onus gravius lege antiqua, nam in hac, sufficiebat contritio ad iustificationem. & in lege gratiæ, vlteriús requiritur confessio peccatorum: ergo ne hoc dicatur, dicendum est, quod sufficit attritio, quæ iuncta cum Sacramento, contritioni æquivalet & gratiam confert.

Sed arguitur: Qui accedit ad Pœnitentiam cum sola attritione, accedit fictus, quia facto externo, protestatur se converti ad Deum, & mente aversus est: ergo non iustificatur, cum per fictionem, obicem gratiæ ponat. Resp. quód talis non accedit fictus, sed rectè dispositus, quia tantum protestatur ipso facto, se accedere ad Sacramentum, quod ex propria institutióne & virtute, potest convertere aversos, reconciliare inimicos, & suscitare per culpam mortuos, inter quos ipse computatur.

Si dicas: Quód de iure divino est, quod quis doleat de peccato modo perfecto, ad quod non sufficit attritio. Resp. hoc esse verum, si dolor sit seiunctus á Sacramento in re suscepto, non veró si existat simul cum Sacramento, sic enim attritio supernaturalis, est dispositio sufficiens. *Etsi* adhuc dicas: quód hæc attritio, quæ in pœnis inferni sistit & vltimo quiescit, non videtur, quod posit esse bona, & sic nec dispositio ad gratiam. Resp. quód hoc esset verum, si quiesceret positivé & contrariè in pœna, cum exclusione ordinis ad Deum, quod tamen non habet, sed solum negativé & præcisivé quiescit, non referendo in Deum, illum actum doloris.

Quarta difficultas: Quænam attritio requiratur, ad consequendum Pœnitentiæ effectum? Dicendum est 1. ad consequendum effectum pœnitentiæ, requiritur attritio realis & vera, & non sufficit apparens vel existimata. Ratio est: quia attritio, non solum est necessaria ad dignam susceptionem pœnitentiæ, necessitate præcepti, sed etiam necessitate finis; sed ea quæ sic sunt necessaria, requiritur quod in re ponantur, & non sufficit eorum existimatio; sicut hac ratione, requiritur aqua realis & vera ad Baptismum, & non sufficit aqua existimata & apparens, & similiter in Ministro requiritur iurisdictio vera, & etiam vera & realis intentio, & non sufficit quod sint existimata: ergo idem de attritione dicendum est. Explicatur: forma non introducitur, nisi materia veré & realiter disponatur; sed attritio supernaturalis, requiritur vt dispositio, ad recipiendam gratiam in Sacramento: ergo, &c.

Dicendum est 2. attritio supernaturalis cognita, est sufficiens dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, & eius effectum recipiendum. Constat ex D. Thom. suprá, q. 80. art. 4. ad 2. vbi differentiam statuit, inter Eucharistiam & pœnitentiam, in eo quod Baptismus & Pœnitentia, sunt medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; Eucharistia veró, est medicina confortativa, quæ non debet dari nisi liberatis á peccato; vndé

non tollitur effectus Pœnitentiæ, licet accedens cognoscat, se tantum attritionem habere. Ratio autem huius, deducitur ex multis. Primó, ex auctoritate citata Trident. dicentis: quód contritio, est dispositio ad recipiendam gratiam in Sacramento, & sic qui cognoscit se esse attritum, cognoscit esse sufficienter dispositum. Secundó, quia Pœnitentia ordinatur per se, ad dandam vitam mortuis vt medicina contra ægritudines animæ, quæ sunt peccata mortalia, & sic á mortuis, cognoscentibus suam attritionem, digne suscipitur. Tertió, quia attritio tollit complacentiam peccati, quæ poterat esse gratiæ obex, & sic subiectum recté dispositum relinquit. Quartó, licet attritio existimaretur contritio, hoc nihil conducit, cum tale iudicium sit falsum & erroneum, & alias nullum datur præceptum, de contritione habenda intra Sacramentum, & sic attritio, sufficiens dispositio est.

Nec obstat: quód ad pœnitentiam digne ministrandam, non sufficit attritio cognita, eo quod tractaret mundissima misteria subiectum immundum & indignum, & sic non sufficit attritio, ad pœnitentiam digne suscipiendam. Resp. quód est dispar ratio, quia ministrans pœnitentiam, habet rationem agentis respectu gratiæ, & sic debet esse actu sanctus, nam omne agens agit, in quantum est in actu; suscipiens verò, habet rationem patientis, & sic sufficit quod taliter sit dispositus, quod gratiæ obicem non ponat, quam dispositionem habet, cum attritione accedens, cum auferat complacentiam peccati, & iungatur cum Sacramento peccatorum remissivo.

Sed arguitur: Homo qui alium offendit, & vult ei reconciliari, & dicit: doleo de offensa, non quia est iniuria tui, sed ob incommoda mihi secuta, non esset dignus venia: ergo idem de cognoscente suam attritionem, dicendum est. Resp. quód homines dum sunt offensi, magis attendunt ad propriam vtilitatem suæ existimationis, quam offensoris, vndé facile ei veniam negant, si alias cognoscunt, eis offensam displicere; Deus autem bonus, optimus, præstabilis super malitiam, & vincens hominis culpam, ad maiorem sui gloriam, non quærit suam vtilitatem, quia bonorum nostrorum non eget, & ideo á nobis, in Sacramento Pœnitentiæ, contritionem non exigit, sed attritionem, vt eius gratiæ magis innitamur, dum nostram inopiam cognoscimus, & gratias agamus, de eo quod fragilibus consulit, & dolorem imperfectum attritionis, pro dispositione ad gratiam admittit.

Dices: Quód Pœnitentia, requirit pro materia, fidelem accusationem, quæ debet esse propter Deũ, secundum iudicium pœnitentis, ad quod attritio non sufficit, cum per hanc, quis non convertatur in Deum. Resp. quód attritio ob incommoda & pœnas, vt talis cognita, non est veræ accusationi dissona, nam licet respectum ad Deum expressé non includat, illum tamen non excludit contratié & positivé, sed solum præcisivé, vt proximé dicebamus; & similiter, non est conversio ad Deum perfecta, bené verò conversio imperfecta, quæ ad perfectam conversionem viam parat. Sed tamen notat Medina, quod licet talis attritio in Sacramento sufficiat, debet pœnitens admoneri, quod illa, solum cum Sacramento est sufficiens, & vltetiús excitari ad Dei amorem perfectum, vt æmuletur charismata meliora, ne pereat de via iusta.

Dicendum est 3. attritio Sacramentalis, debet esse vniversalis circa peccata mortalia, non verò circa venialia. Ratio est: quia in hoc Sacramento, nullum mortale potest remmitti sine attritione; sed vnum mortale, nequit sine alio remmitti: ergo attritio de mortalibus, debet esse vniversalis; non sic autem de venialibus, quia vnum potest remmitti sine alio, & sicut de illis non tenemur confiteri, ita etiã ea manifestare possumus sine debito dolore ad maiorem confusionem nostram, dummodo de aliquo eorum, sufficientem afferamus dolorem. Dices: quód qui non dolet de omnibus venialibus, ponit pro materia Sacramenti aliquid ineptum, & sic mortaliter peccat, sicut si quis poneret ad consecrandum Hostiam papiraceam, simul cum triticea.

Resp. quód talis, non proponit venialia pro materia, sed illa inter confitendum exponit ad humiliationem sui; nec paritas tenet in Eucharistia, nam huius consecratio tendit ad transubstantiationem, cuius papirus non est apta materia, etiam inter panem appositus; confessio autem, non solum tendit ad absolvenda peccata, sed etiam ad sanandas infirmitates pœnitentis, & ad custodiam novæ vitæ, & ideo aliqua venialia, ad humilitatem possunt proponi, licet non sint materia pœnitentiæ, nec pœnitens doleat de illis, si dolet & atteritur de alijs. Nec ideo irritum est Sacramentum, nec eius forma falsa; nam sensus verborum est: absolvo te á peccatis rité confessis, cum sufficienti dolore; nihil enim deficit valori Sacramenti, licet non habeat omnem effectum quæm habere potest, hoc enim, non est per se malum, quia non tenemur accedere ad Sacramenta, cum dispositione ad omnem eius effectum, vt patet in accedente ad Eucharistiam mente distracto, cui non confertur gratia spiritualis dulcedinis & refectionis.

Quinta difficultas: An detur præceptum speciale contritionis? Resp. quód qui peccavit mortaliter, tenetur ex præcepto divino, actum contritionis elicere. Constat ex D.T. 3.p.q.85. art.1. vbi ait: Præceptum divinæ legis est de pœnitentia, secundum illud Mat.4. Pœnitentiam agite. Et ratio est: nam ex triplici capite, debemus de peccato pœnitere; primo ex lege iustitiæ, vt satisfaciamus quantum possumus, pro iniuria illata; secundo, ex lege charitatis erga Deum, quæ obligat ad

cuius

eum amandùm ſuper omnia, & eius amicitiam recuperandam; tertio, ex lege amoris proprij boni, quia tenemur noſtris neceſsitatibus ſpiritualibus ſubvenire, & æternam animæ ruinam vitare; prima obligatio, per ſe oritur á pœnitentia, & aliæ duæ, ex præcepto charitatis & ſpei: ergo omnes qui ſunt in peccato mortali, tenentur actum contritionis elicere.

Explicatur: omnes tenemur ſpeciali præcepto charitatis, ad procurandam ſalutem ſpiritualem proximi; in hoc enim præceptum correctionis fraternæ fundatur: ergo ſtrictius tenemur, ad procurandam propriam ſalutem ſpiritualem; ſed contritio eſt medium ad ſalutem, omnibus qui in peccato mortali exiſtunt; ſalus enim noſtra, conſiſtit in perfecta reconciliatione cum Deo, quæ per contritionem fit: ergo, &c. *Dices*: quód ſi hoc eſſet verum, etiam daretur præceptum de habenda gratia, quæ eſt medium ad ſalutem neceſſarium. Contra eſt, licet detur præceptum de medio ad ſalutem neceſſario, ſi eſt actus virtutis, & in noſtra poteſtate poſitus, qualis eſt contritio, non veró, ſi eſt principium vel habitus, & non eſt opus noſtrum, ſed Dei, qualis eſt gratia, & non tam habet rationem medij ad ſalutem, quam finis, quia eſt ſalus ipſa & vita animæ, & præcepta non dantur de fine, ſed de medijs ad illum obtinendum. Vel poteſt dici: quód tempore quo inſtat præceptum dilectionis Dei, tenemur ad gratiam nos diſponere per divinum auxilium, nam quod per amicos poſſumus, præcipué per auxilium Dei, ſimpliciter poſſe dicimur; ſic tenet D.T. 1. 2. q. 100. art. 10. & 2. 2. q. 44. art. 1.

Sed arguitur: Impenitentia finalis, quæ opponitur pœnitentiæ vel contritioni, non eſt peccatum ſpeciale, ſed quædam circumſtantia illius peccati, in quo permanet homo, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 14. art. 2. ergo non datur ſpeciale præceptum de contritione, nam ſpeciali præcepto, opponitur ſpeciale peccatum. Reſp. explicando ant. impenitentia non eſt peccatum ſpeciale, quando non occurrit articulus præcepti pœnitentiæ, conc. ſi talis articulus occurrit, neg. ſicut manere in peccato homicidij, ſolum eſt circumſtantia illius, ſi autem occurrit articulus mortis, eſt peccatum ſpeciale de illo non pœnitere; quæ doctrina conſtat ex D.T. in 2. diſt. 43. q. 1. art. 3. ad 3. vbi ait: Quód ſicut perſeverantia eſt virtus ſpecialis; vt dicit propoſitum perſeverandi in bono incepto vſque ad mortem, & eſt circumſtantia aliarum virtutum, vt dicit actualem durationem in earum actibus; ita impœnitentia, ſecundum quod dicit propoſitum non pœnitendi, eſt ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, ſed ſecundum quod dicit permanentiam in peccato vſque ad mortem, eſt circumſtantia aliorum peccatorum.

Dices: quód omnia præcepta naturalia & moralia, reducuntur ad præcepta Decalogi; & præceptum contritionis, ad nullum eorum reducitur. Reſpondent aliqui cum Vega, quod reducitur ad quintum præceptum, non occides, quo quis tenetur alios non occidere, & multo minús ſe ipſum, & per peccatum, occidimus ſpiritualiter animam. Sed re vera, hæc ſolutio & reductio, eſt nimis remota. Túm, quia ſic diceretur, eodem præcepto obligari hominem, ad non peccandum mortaliter, ne ſe occidat ſpiritualiter. Túm, quia hoc modo, non explicaretur in contritione, iuſtitia erga Deum; ſed charitas erga ſe ipſum. Túm, quia eodem modo poſſet reduci contritio ad ſeptimum præceptum, quia continet iuſtitiam ad alterum, & etiam ad octavum, quia debet ſervari Dei honor.

Meliús ergo reſp. quód non oportet omnia præcepta legis naturæ, in Decalogo contineri, ſufficit enim, vt ex principijs naturaliter notis colligantur; ſicut præceptum dilectionis Dei vel proximi, non continetur formaliter in Decalogo, ſed eſt principium & radix illius, & alia præcepta particularia, ex Decalogo per conſequentias inferuntur, & huiuſmodi eſt præceptum contritionis. Sic habet D.T. 2. 2. q. 148. art. 2 ad 1. vbi ait: Non omnia peccata mortalia, directé contrariantur præceptis Decalogi, ſed ſolum illa quæ iniuſtitiam continent, quia præcepta Decalogi, ſpecialiter pertinent ad iuſtitiam & partes eius; & 1. 2. q. 100. art. 4. ad 1. ait: Præceptum fidei, præſupponitur ad præcepta Decalogi, ſicut præceptum dilectionis.

Si dicas: Si præceptum contritionis eſt naturale, quomodo Deus diſpenſat in illo, ſiquidem hoc præceptum impletur, per attritionem cum Sacramento, vt vidimus? Reſp. quód licet Deus nequeat diſpenſare in præceptis naturalibus negativis, & permitere vt homo eliciat actum prohibitum, vt odium Dei, poteſt tamen diſpenſare in præceptis affirmativis, quantum ad ceſſationē actus, vt quod homo non eliciat actum religionis, & ſic diſpenſavit in lege gratiæ, vt attritio cum Sacramento, pro contritione ſufficiat. Vel dicatur: quód ſatisfactio hominis ad Deum, exigit acceptationem Dei, qui poteſt eſſe contentus ſatisfactione minori, ſcilicet attritione cum Sacramento, quod non eſt diſpenſare præceptum, ſed mutare medium.

Dices adhuc: Quód valdé periculoſum eſt, præceptum rei nobis occultæ, qualis eſt contritio, quæ debet eſſe ſupernaturalis, ex auxilio gratiæ, coniuncta cum fide & charitate, & excluſione affectus peccandi, & vltimo ad gratiam diſponere, quæ omnia, extra revelationem, nequeunt nobis conſtare. Reſp. quód hoc idem reperitur, in præcepto charitatis, quod licet tale ſit, poteſt quis ex ignorantia invincibili excuſari, putans ſe illud implevisſe; cum ergo quis more humano, ad arbitrium prudentis, putat ſe eſſe contritum, licet re vera contritus non ſit, excuſatur á tranſgreſsione præcepti, licet gratiam non recipiat; nec tenetur confiteri,

quoniam

quóvsque advenerit Ecclesiasticum tempus; sic ait M. Soto, in 4. dist.17 q.2. art.6.

Deducitur 1. quód præceptum contritionis, non est solum positivum á Dei libera voluntate ortum, sed etiam ipso naturali iure obligans. Constat ex D.T.3.p. q.84. art.7. ad 1. vbi ait: De iure naturali esse, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit. Ratio est 1. quia iure naturæ tenetur quis, dolere de iniuria alteri illata, quanto magis de iniuria Dei? Secundó: quia sicut iure naturali tenemur, ius divinum illesum conservare, ita etiam tenemur quantum possumus, lessum reparare. Tertió: quia iure naturali, tenemur conservare D.i amicitiam, & illã reparare deperditam. Quartó: quia iure naturæ, debemus amare proprium bonum, & liberari à tanto malo quale est peccatum, & vitare eternæ damnationis periculum.

Nec obstat: Quód ius naturæ, ad impossibile non obligat, conteri autem est impossibile, quia est velle non peccasse, quod constat impossibile esse. Resp. cum D.Thom.in 4. dist 17. q.2. art.2. quæstiunc. 1. ad 3. quód quamvis voluntas completa, quæ vocatur executiva & efficax, non possit esse de impossibili; tamen voluntas conditionata, quæ velleitas dicitur, & est ineficax & affectiva, esse potest de impossibilibus, qua etiam sapiens vellet quod impossibile est, si possibile foret, & ista voluntas, sufficit ad dolorem causandum, & præcipué, quando impossibilitas obtinendi quod volumus, ex nobis provenit. Hæc D.T. vid. quæ diximus suprá, art.2. difficult. 1.

Deducitur 2. quód motivum ex quo oritur obligatio præcepti contritionis, est triplex, nempé obligatio iustitiæ erga Deum, obligatio charitatis ad integrandam eius amicitiam, & amor charitatis erga se, quo quis tenetur, animæ mala repellere, & eius infirmitates curare. Colligitur hoc ex D. T. 3.p. q.84. art.5. ad 2. vbi ait: Requirit enim charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico studeat satisfacere, requiritur etiam ipsa fides, & misericordia, vt homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit. Sed non est contendendum, an præceptum charitatis vel pœnitentiæ violetur, dummodo sit speciale peccatum, non pœnitere; sicut enim cum quis cibum necessarium ad salutem non sumit, immediatè peccat contra temperantiam, & ex consequenti, contra charitatem, ità qui non pœnitet ad salutem animæ, directé præceptum pœnitentiæ frangit, & ex consequenti præceptum charitatis; impenitentia ergo est peccatum speciale, quando contritionis præceptum instat, licet committentur transgressionem, præcepta charitatis erga Deum, & erga se ipsum.

Sexta difficultas: An præceptum contritionis, obliget statim post commissum peccatum? Resp. negativé, quod certum est, si attendatur Ecclesiæ & fidelium consuetudo; nullus enim á confessoribus reprehenditur, tanquam de novo peccans, si statim post peccatum non conterat, si autem ex præcepto teneretur statim conteri, de novo peccaret non conterendo; imó singulis momentis peccaret, si in illis præcepti adimpletionem omitteret, quod nimium esset rigidum & gravosum. Deindé: quia præceptum contritiouis, est affirmativum, sed præcepta affirmativa, licet semper obligent, non tamen pro semper, sed tempore determinato: ergo idem est dicendum de contritionis præcepto; sed tempus præcepti contritionis, non est statim post peccatum, quia hoc, neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus colligitur: ergo, &c.

Dices: præceptum contritionis, esse formaliter affirmativum, sed virtualiter negativum, quia tenemur non esse extra Dei gratiam & amicitiam, sicut tenemur non furari. Sed hoc non obstat: quia licet teneamur non esse extra gratiam & amicitiam Dei, id tamen non est, ex præcepto speciali, sed sicut hæc aliã, non occides; non furtum facies; sed homicida vel fur, qui multo tempore in peccato manent, speciale peccatum impœnitentiæ non committunt: ergo idem de peccatore statim non conterente, dicendum est. Præterquam, quod licet præcepto negativo teneamur, ut non simus inimici Deo, per actum quo inimicitia contrahitur, non autem sumus adstricti, ne simus inimici Dei secundum reatum. *Si autem dicatur*: quód velle esse inimicum Dei secundum reatum, etiam est intrinsecé malum. Hoc verum est, nam vt volitio sit mala, sufficit quod eius obiectum malum sit; sed non indé sequitur, quod sit præceptum, de non perseverando in peccato, sed solum ne velimus malum, quod cum recta ratione pugnat, & vt vno verbo dicam, velle Dei inimicitiam directé, opponitur charitati, sed non sic contrariatur, non velle amicitiam, tempore quo non tenemur velle.

Sed contra hanc doctrinam, sunt instantiæ sequentes. Primó, datur præceptum de non peccando mortaliter, & hoc frangit qui statim non conterit, quia se periculo peccandi exponit, nam vt ait D.Greg. hom.11.in Ezech. peccatum quod cito per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit. Secundó, corporali morbo imminenti mortem, occurrendum est statim, & sic etiam morbo spirituali, qui peior est. Tertió, si quis proximum lædit, per furtum vel aliter, tenetur statim damnum compensare, & debitum solvere & restituere, & sic homo statim tenetur, per pœnitentiam iniuriam Dei compensare. Quartó, ex præcepto tenemur, statim corrigere fratrem delinquentem, & sic multo magis tenemur, statim nos á peccato liberare.

Resp.ad 1. quód illud est verum, quando datur probabile periculum eventus peccati, & sic intelligitur dictum Ecclesiast. qui amat periculum, peribit

bit in illo, & in casu conclusionis, non datur tale periculum; D. autem Gregorius, loquitur de periculo remoto. Vel etiam intelligi potest de peccatore, qui á Deo expectatus diu, pœnitentiam contemnit, quæm Deus in peccato putrescere permittit, & in graviora cadere peccata, iuxta dictum Psalmi: putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, á facie insipientiæ meæ. Ad 2. quód corporalis morbus, nisi statim curetur, agravatur & augescit vsque ad mortem, quod in spirituali morbo, non ita contingit. Præterquam, quod non est de necessitate salutis corporalis, quod statim quæratur medicus, sed quando necessitas curationis incumbit, & sic idem est de morbo spirituali; sic D.Tho. in addit. q.6. art.5. ad 2. quód si ipse, 2. 2. q.62. art. 8. ait: Quód nec per modicum tempus, licet in peccato morari; hoc est quia illa permanentia, auget circumstantiam peccati, non verò quia novum peccatum sit.

Ad 3. quód debitum ex offensa, reddi debet cum offensus vult; homo autem vult sibi statim reddi quod aufertur, & ideo non reddens statim peccat; Deus autem non statim petit sibi debitum reddi, quia pro sua misericordia, tempus ad pœnitendum confert. Vel dicatur: quód homo á quo aliquid ablatum est, leditur in bonis vtilibus, quorum carentia, ei damnum continuatum infert, & ideo datur obligatio restituendi statim, Deus autem, per peccata nostra, non leditur in bonis sibi vtilibus, licet privetur honore sibi debito vt vltimo fini; vndé ait Iob: si peccaveris quid nocebis ei? De quo D.T. 1. 2. q.21. art.4. ad 1. Sed tamen potest dari casus, in quo teneatur quis, statim redde re Deo, honorem extrinsecum quod abstulit per culpam, vt si extirpetur fides, violentur sacra, & tunc debet statim errorem revocare, ne falsa existimatio de Deo crescat, sic D.Thom. 1. 2. quæst. 73. art.8. ad 2.

Dices: multoties non augetur damnum hominis, ex dilatione restitutionis, & tamen tunc datur obligatio statim restituendi: ergo disparitas est nulla. Resp. quód per se loquendo, dilatio restitutionis, est hominibus nociva, quia privat eos, bonis sibi debitis, & ideo per se loquendo, datur obligatio restituendi statim, licet per accidens, aliquando sint circumstantiæ, vt prudenter iudicetur, quod dilatio restitutionis est domino voluntaria, Deo autem per se loquendo, non crescit iniuria ex dilatione satisfactionis, quia ex nostra culpa, nihil á Deo tollitur, & ideo non datur fundamentum ad interpretandum, quod suo præcepto statim nos obligat, sed quando nostræ saluti spirituali necessarium est, propter quam, satisfactionem Deo exhibemus, & non propter aliquod bonum ei accrescens. Vid. D.T. 2. 2. q.30. art.4. ad 1.

Ad 4. quód non tenemur statim corrigere fratrem delinquentem, sed data opportunitate, vel si timetur periculum novi peccati, vel alia opportunitas similis non expectetur, & idem est dicendum cum proportione, de correctione propria. Vel dicatur: quód nostra salus, semper est in potestate nostra, non autem salus proximi; vndé cum nobis non constet, correctionem habituram effectum tempore necessitatis, statim ad corrigendum obligamur, cuius contrarium contingit in nobis, ob rationem dictam. Vndé ait D.Tho. 2. 2. q.33. art.2. correctio fraterna, ordinatur ad fratris emmendationem, & ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem ita, quod quolibet loco vel tempore, frater delinquens corrigatur.

Sed contra omnia dicta, instabis: si homo statim post peccatum non pœnitet, peccat mortaliter, quia vult statum peccati mortalis: ergo tenetur statim pœnitere. Resp. quód effectus ex ommissione secutus, tunc solum censetur voluntarius, quando quis potest, tenetur & non facit; vt enim ait D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1. gubernator non dicitur causa subversionis navis, ex hoc quod non gubernat navim, nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens; cum ergo peccans mortaliter, non teneatur statim conteri & pœnitere, ideo non censetur virtualiter velle statum peccati. Nec hoc est pœnitentiam retardare, si suo tempore impletur, sicut Deus promissiones non tardat, licet statim non impleat, si tamen implet suo tempore, nec tardat puer pergere ad scholam, si statim non pergit, si hora debita pergat.

Ex dictis infertur 1. quód præceptum de contritione, non obligat diebus festivis. Contrarium tenent Scotus & Marsilius; sed nostra resolutio est verior, cuius ratio est: quia ex vsu fidelium, satisfit præcepto servandi festa, cessando á servilibus, & Missam audiendo, nec de ommissione contritionis in talibus diebus se accusant, nec de hoc confessores interrogant, nam nimis populus ex hoc præcepto gravaretur, cum sit tantus festorum numerus. Nec obstat: quód colere festos dies, est animam sanctificare, quod per contritionem fit; non inquam obstat, quia finis præcepti, non cadit sub præcepto, nec Ecclesia præcipit directé actus interiores, sed solum indirectè, & quatenús ad exteriores conducunt, & ad colendos festos dies, non conducit contritionem elicere, sed in alijs rebus temporalibus non occupari. Si dicas: quód Levit. 23. dicitur: Sabatum requietionis est, afligetisque animas vestras. Resp. ibi loqui de afflictione externa, per abstinentiam á voluptatibus, quæ debet in festis fieri. Uel dicitur: quód tale festum expiationis, celebrabatur semel in anno, die decima mensis septimi, & sic potest dici, quod pro illo tempore, & die, poterat contritio interna obligare, ex quo nihil arguitur contra nos.

Infertur 2. quód præceptum contritionis, obli-

gat per se in aliquibus casibus, & in alijs per accidens. Primó obligat per se, in articulo mortis vero vel præsumpto, quia tunc tenemur ratione charitatis erga nos, & satisfactionis erga Deum, perfectam agere pœnitentiam, vt cum eo reconciliemur; quare D. Aug. dicere solebat: neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, vt sine pœnitentia migraret é vita. Sed vtrum ante mortis articulum, obliget aliquando per se contritionis præceptum? Resp. affirmativé; sic tenent Soto, Nuño, Cãdidus, Coninch, Henriquez, & Lugo, nam qui diu pœnitentiam differt, iram Dei thesaurizat, vt ait Paulus; vndé ait Aug. serm. 52. de temp. Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ autem á moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur, & D. Bonav. lib. opusculor. colat. de contemp. sæculi, ait: Hoc teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita. Determinare autem tempus quo obligat contritio difficile est. Soto intra annum ad minus, obligationem agnoscit. Nuño autem & Candidus, ad tres vel quatuor menses extendunt, & re vera, optimum esset, intra octo vel quindecim dies, contritionem renovare, contemplatis Dei beneficijs, & eius patientia, quæ expectat, vt misereatur nostri.

Secundó, per se obligat hoc præceptum, in morali periculo vitæ, vt in bello, peste, aut longa navigatione, quæ æquivalent mortis articulo. Quomodo autem in articulo mortis, hoc præceptum obliget? Resp. non obligare ex vi præcepti Pœnitentiæ, si copia confessoris adsit, & Sacramentum suscipi potest; nam vt vidimus, attritio cum Sacramento, sufficit ad implendum præceptum, sed obligat ex vi præcepti charitatis erga Deum, nam moraliter est impossibile, quod qui peccatorum memoratur & non conteritur, Deum diligat, & etiam ex charitate erga se ipsum, ex qua tenetur quis succurrere sibi, tutiori modo quo possit, præcipué in mortis articulo, in quo instat periculum salutis æternæ, cum alias non sit certum, an pœnitens sit Sacramenti capax, & ritè absolvatur, & iuxta dictum Aug. in his quæ salutis sunt, tene certum, & dimitte incertum.

Deindé, obligat præceptum contritionis per accidens. Primó, quando homo tenetur recipere aliquod Sacramentum vivorum, nam hæc Sacramenta, solum á iustificatis recipi possunt. Secundó, quando quis debet Sacramenta ministrare, vt sic conformetur in sanctitate, cum Deo principali agente, vt diximus suprá. Tertió, casu quo instat præceptum confessionis annuæ, & deest confessor, quia per contritionem, debet suppleri defectus Sacramenti. Quartó quando vrget aliqua gravis tentatio quæ sine contritione superari non potest. Quintó, quando præmit necessitas publica, in qua probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia, sicut ob peccatum Achan, punivit exercitum Israel, tunc enim tenetur quis, per contritionem se disponere, ad Dei iram placandam, & eius pietatem obtinendam.

Septima difficultas: An de singulis peccatis mortalibus, requiratur singularis contritio? Notandum, quod contritio dicitur specialis, singularitate actus, ita vt numerus actuum contritionis, correspondeat numero peccatorum, vel quia ex parte obiecti non solum detestatur rationem communem offensæ, sed etiam species, circumstantias & individuationem illius; & quidem est certum, quod ex parte principij, quod est recogitatio peccati, omnia mortalia in singulari recogitari debent. Tùm, quia sic habet D. T. in addit. q. 2. art. 6. in corp. Tùm, quia hoc requiritur, vt singula peccata, in confessione explicentur; qua propter ait Isai. cap. 16. recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ suæ, & D. Paul. 1. ad Cor. 11. si nos metipsos diiudicaremur, non vtique iudicaremur, nempé iudicio condemnationis, & tandem David ait: cogitavi dies antiquos, de quo D. Greg. lib. 4. moral. cap. 17. & lib. 8. cap. 8.

Dico igitur: vt peccator iustificetur, non est necessarium, vt numerus actuum contritionis, iuxta numerum peccatorum multiplicetur, licet sit optimum consilium, singulas contritiones de singulis peccatis habere, sed sufficit vna contritio expressa generalis, quæ omnia peccata intendat destruere implicité & virtualiter, licet non expressé & formaliter. Sic tenent communiter Thomistæ, cum Cayet. & Soto. Ratio est: quia nec quo ad actum displicentiæ, nec quo ad actum confessionis, nec quo ad actum satisfactionis, requiritur quod tot sint numero contritiones, quot sunt peccata. Non primùm: quia valor & æstimabilitas contritionis, non consistit in multitudine, sed in perfectione, quia charitatem secum ducit, quæ est aurum ignitum; vndé sicut vnum numisma aureum, æquivalet mille æreis, ita vnica contritio perfecta, pluribus imperfectis æquivalet.

Et hoc ipsum constat de satisfactione, cuius vnicus actus, est compensatio pro pluribus mortalibus commissis, & similiter vnica enuntiatione, potest quis mille mortalia confiteri, dicendo: luxuriatus sum millies. Ex quo ruit instantia, quam paucis ab hinc diebus audivi, nempé quod peccata in particulari debent confiteri: ergo etiam in particulari debent detestari. Ad quod dicuntur quo 1. quod totum est verum, sed sicut de singulis peccatis, non requiruntur singulæ confessiones, sed vna sufficit, ita de omnibus, sufficit vna contritio. Secundó: quód quando dicimus cum D. T. loco cit. quód sufficit vna contritio generalis pro pluribus peccatis, hoc non est quia peccata, quo ad specialem malitiam & numerum non detestentur, sed quia non debet fieri proportio numeri ad numerum

rum, inter actus contritionis, & offensas, vndé paritas de confessione, potiús pro nobis, quam contra nos est, cum etiam pro pluribus peccatis in particulari, sufficiat vna confessio.

Deindé prob. nam iustificatio impij, fit in instanti, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 113. art. Sed si de singulis peccatis, requirerentur singulæ contritiones, hoc non posset ita fieri, vt patet, nam ad multas contritiones tempus requiritur, imó aliquando multum tempus, si maximus esset numerus peccatorum: ergo, &c. Quód autem illa generalis contritio, debeat omnia peccata virtualiter detestare cõstat: quia omnia & singula peccata, efficaciam habent avertendi hominem á Deo, & convertendi ad creaturam: ergo contritio quæ avertit á creatura, & ad Deum convertit, omnia peccata debet implicité detestare; ex quo patet, quod hæc detestatio, non debet esse explicita, quia sic deberent multiplicari contritiones, iuxta numerum peccatorum, quod vt vidimus, necessarium non est.

Sed oppones: Quód hæc resolutio, videtur opposita D. T. qui, q. 87. art. 1. ait: Exigitur ad remissionem peccati mortalis, perfectior pœnitentia, vt scilicet homo diligentiam adhibeat, ad rem. moran dum singula peccata mortalia, vt singula detestetur. Resp. quód D. T. loquitur, de indagatione & examine peccatorum, vt patet ex illo verbo: ad rememorandum, & illa debet esse singularis, & cuilibet peccato respondere, hoc autem est contritionem esse specialem ex parte principij, & dispositionis ad contritionem, non autem ex parte termini, ita vt iuxta peccatorum numerum, totidem contritiones respondeant. Vel dicatur: quód D. T. apponit consilium & non præceptum, quasi optimum consilium sit, actus contritionis multiplicare, quod patet ex art. 6. q. 2. addit. vbi vtitur verbo opportet, quasi hoc sit conveniens & meliús, magnamque vtilitatem secum afferens.

Vndé conformiter ad hoc, ait M. Soto: quód pœnitentium vsus non est, nisi habere in principio contritionem generalem, quæ ad gratiam inducendam sufficit, & deindé peccata investigare ad confitendum, & illis rememoratis, vnicam detestationem omnibus applicare; nam sic etiam collectim homo confitetur dicendo: decies sum adulteratus; quod patet etiam in meretricibus, quibus non est necessarium, suas turpitudines figillatim recensere, sed satis est vnica oratione numerum dicere, imó aliquando sufficit dicere, tempus vitæ pravæ, & sic idem proportionaliter dicendum, de contritione & detestatione peccatorum. Quód robur accipit ex D. T. q. 28. de verit. art. 5 ad 3. dicente: Ad iustificationem non requiritur, quod in ipso iustificationis momento, aliquis de peccatis singulis cogitet, sed sufficit quod cogitet de hoc, quod per culpam suam, est aversus á Deo.

Octava difficultas: De quantitate contritionis; circa quod. Dicendum est 1. dolor contritionis, debet excedere omnes alios dolores; sic D. T. in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. & probat primo: quia dolor in amore fundatur; sed amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, est maximus: ergo etiam dolor contritionis maximus est. Secundó: quia dolor est de malo; sed culpa, est maximum malum: ergo contritio, est maximus dolor. Tertió: quo magis aliquid placet, eius contrarium magis displicet; sed Deus vt finis vltimus maximé placet: ergo peccatum maximé displicet, quæ displicentia contritio est; quæ doctrina est adeo vera, vt M. Soto, illam vocet catholicam doctrinam, ex Evangelio collectam, quod colligitur ex dicto Christi: diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

Sed notandum: quód quantitas actus, potest attendi, vel ex graduali intensione, & sic dilectio intensionem habet ex parte diligentis, vel appretiativé, & sic dilectio, habet speciem ex obiecto; sic D. T. 2. 2. q. 26. art. 6. & 7. Contritio ergo debet esse maximus dolor appretiativé, id est, magis debemus dolere de peccato, quam de omni malo pœnæ, & ratio est: nam quantitas displicentiæ de aliqua re, mensuratur ex eius deformitate, quæ in peccato meritur ex persona in quam peccatur, quatenús est ei nociva; & quia homo, plus debet diligere Deum, quam se ipsum, ideo plus debet dolere de offensa, vt est nociva Dei, quam vt est nociva sibi; vndé sicut amor Dei, est super omnia amabilia, ita propositum vitandi peccata, debet esse super omnia vitabilia, & odium peccati, super omnia detestabilia.

Loquendo autem de actu quo ad intensionem, non requiritur quod contritionis dolor, sit maximus intensivé, quod commune est inter Theologos; & est ratio: quia dilectio Dei, licet non sit summe intensa gradualiter, valet ad consequendam gratiam: ergo idem dicendum de contritione, quæ Dei dilectionem includit. Antec. constat ex pluribus Scrip. locis nam Psalm. 144. dicitur: prope est Dominus, omnibus invocantibus eum in veritate; & Paul. ait, quod Deus est dives, in omnes qui invocant illum; quod roboratur ex Chrysost. qui refertur de pœnit. dist. 3. cap. talis, vbi ait: Deum nunquam pœnitentiam peccatoris respuere, & quod præstantius est, quantulamcumque, & quantumlibet, brevi tempore gestam pœnitentiam, Deus non respuit, nec exiguæ conversionis, patitur perire mercedem.

Quód vlteriús prob. 1. quia ex oppositio sequeretur, posse simul esse peccatum mortale, & dilectionem Dei super omnia, si hæc esset remissa, & non ex toto conatu, quod absurdum est. Secundó: quia vt vidimus ex D. Tho. intensio gradualis actus, summitur ex parte subiecti, hoc autem non sem-

semper intensissimé operatur. *Si dicas* 1. D.Hyer. explicans illud Apoc. 3. quia tepidus es, incipiam te evomere, ait: Tepidum discipulum non diligit Deus. Secundó: Deus gratiam non denegat, facienti quod in se est, quod facere non videtur, qui totum conatum non ponit, vt actum intensum eliciat. Tertió: vt ait Aug. serm. 11. ad frat. in erem. graviora peccata, gravioribus lamentis indigent; quod sine actu intenso non habetur.

Resp. ad 1. illud testimonium & similia, sic debere intelligi, vt in his ad quæ quis tenetur, diligenter agat, non agendo in parte, & in parte non; non autem tenetur quis, ad actum intensissimum eliciendum, & sic ex eius omissione, tepidus non est. Ad 2. quód vt homini conferatur gratia, non debet facere totum quod potest, absolutè & simpliciter, sed quod potest auscultando motionem Dei, quod sine actu intensissimo fieri potest. Ad 3. quód si peccata considerentur quantum ad pœnam, quæ graviora sunt, egent graviori lamento, vt plena fiat satisfactio, & sic intelligitur dictum D. Cipr. serm. 5. de lapsi. quam magna deliquimus, tam graviter deflemus, alto vulneri, diligens & longa medicina non desit, si autem peccata summantur quo ad culpam, quavis minima contritione delentur.

ARTICVLVS X.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de obiecto contritionis. Sacerdos quidam, vocatus ad assistendum infirmo extremé periclitanti, reperit illum, sapientiæ & virtutis decore pollentem, cum autem sibi extremam videret imminere horam, ex intimo cordis meditullio, in hos actus contritionis prorupit. O amabilissimé Deus, sic execror me ipsum, & offensas contra te commissas, & sic opto, tibi semper infinito bono placere, vt libenter descenderem ad infernum, si id fieri posset absque offensione tui, dum in hoc tua exequeretur voluntas. Et rursus: sic de peccatis doleo, vt nimia videretur mihi pietas Dei, si pro illis me in infernum demergeret, vbi si possibile foret, quietus existerem, vt in hoc eius voluntatem implerem. Quæritur: quid sentiendum, de huiusmodi contritionis actu?

Dicendum est 1. contritus in re, ita debet esse dispositus, vt potiús vellet esse anihilatum, vel in inferno detrusum, quam commisisse mortale peccatum, nec illud potest licité eligere, pro vitandis pœnis inferni, vel sui anihilatione. Vndé ait D. Anselmus, lib. de similitudinibus, cap. 190. si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessário vni illorum haberem immergi, priús me in infernum mergerem, quam peccatum committerem. Hoc ipsum D.T. quodlib. 1. art 9. hac D. Anselmi auctoritate probat; & eum sibi obijciat, quod pœna inferni, est æterna & irremediabilis, & de peccato potest homo liberari per pœnitentiam, & sic videtur quod possit magis velle peccare, quam in inferno esse; respondet: quód culpa mortalis de se, est perpetua, & ex sola Dei misericordia remedium habet; & quia alias, plus præponderat bonum divinum contra quod agit culpa, quam bonum naturæ creatæ, cui opponitur pœna.

Sed tamen non requiritur reflexio, & comparatio istorum, in actu signate, sed sufficit quod exercité fiat, & licet talis debeat esse contriti dispositio, vt plus detestetur culpam, quam pœnam inferni, vt tamen ait D.T. de his tentandus non est, quia homo affectus suos, non potest facile mensurare, & quandoque illud quod minús displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius sensibili nocumento, quod magis est nobis notum. Licet autem David asserat: Quid mihi est in Cœlo, & á te quid volui super terram? Et D. Paulus: quis nos separabit á charitate Dei? Quia tamen alij non ita perfecti, nec in gratia confirmati, non possunt hoc dicere, comparatio hæc, non est infirmioribus consulenda, potest enim quis legitimam contritionem habere, & si ei fiant hæc comparationes, animo vacillare.

Vndé stultè faceret quis, se ipsum vel alium solicitando, super particularibus pœnis; & etiam male faceret confessor, qui diceret pœnitenti, quid velit magis, comburi, aut occidi, quam peccare mortaliter? Et ratio est, quam assignat D.T. (cuius est ista doctrina) quodlibet. 1. art. 9. quia sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; & aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui forte maiori caderet. Sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem, descendit ad singulas illicebras, magis movetur. Sic aliquis non refugeret pati mortem pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas, magis retraheretur, & ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominē in tentationem, & præbere occasionem peccandi. Ita D. T. vbi suprá & Soto, in 4 dist. 17. q. 2. art. 4.

Dicendum est 2. de maiori peccato debet dari maior contritio appretiativé; sic D.T. in sentent. relatus, & hic q. 3. art. 3. Quod probat ex illo Deut. 25. secundúm mensuram peccati, erit plagarum & modus. Ratio est: quia de hoc debet homo conteri, quod debuit vitare; sed magis debet vitare vnum peccatum, quam aliud quod gravius est, si necessitas incumberet alterum faciendi: ergo magis debet dolere de peccato graviori. Nec obstat: quód D. Hyer. Paulum laudat, quia minora peccata, sicut magna plangebat; nam vt ait D.T. Paulus non laudatur de hoc, quod de omnibus peccatis dole-

ret

ret æqualiter, sed quia de parvis ita dolebat, ac si essent magna, per comparationem ad alios, qui de peccatis dolent.

Sed vt benè notat Soto, non est necesse, quod fiat reflexe & explicitè peccatorum comparatio, sed satis est quod homo, sic peccatorum pœniteat, vt pro nullo damno vitando, nec commodo assequendo, ea iterũ committat, & sic potest reperiri virtualiter maior dolor de graviori peccato; quod eleganter explicat D.T. dicens: Quód qui aliquod totum diligit, etiam diligit partes eius, quamvis non actu, & hoc modo vt dicunt ordinem ad totum, quasdam plus, quasdam minus diligit; sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit, plus & minús, secundum ordinem in bono communi; & similiter, qui dolet se offendisse Deum diversis peccatis, implicitè dolet diversimodè, secundum quod plus vel minús, per ea Deum offendit.

Hæc doctrina vt advertit Soto, procedit contra eos, qui plus abhorrent peccata, humanæ æstimationi opposita, vt furtum quod est vitium vile, quam adulterium vel homicidium, quæ re vera, charitatis perversio est, nam licet omni peccato mortali sit commune, esse offensam Dei, illa tamen sunt absurdiora, quæ sunt peioris obiecti; ex quibus doctrina nostra roboratur. Primó, nam sicut ad ordinem charitatis pertinet, Deum super omnia diligere, ita vitia magis ab eo execrabilia magis detestare. Secundó, nam qui peccatum sibi magis infame citius vitaret, quam illud quod plus Deo displicet, famam suam, amori Dei præponeret, quod ex genere suo peccatum est; non tamen duplex, sed simplex, vt casu quo quis deberet eligere, & priús eligeret adulterium, hæresim vel blasphemiam quam furtum, crimen non esset nisi vnum peccatum.

Casus secundus, de tempore contritionis. Iuvenis quidam, in Vigilia Assumptionis B. Mariæ, cui erat devotus maximè, decrevit conscientiam expiare in die festi sequentis, omnibusque culpis recogitatis ante somnum, elicuit de illis verum dolorem; postridie ad Ecclesiam vadit, totus in præces effusus, quibus persolutis, ad confessionale pergit, & de suo more, peccata confessori manifestat, sine vllo dolore tunc elicito; cumque postea didicisset, dolorem esse moraliter confessioni iungendum, dubitavit: an prima confessio fuerit valida, an vt in valida repetenda? Et quænam inter contritionem & dolorem, debeat esse coniunctio? Resp. quód dolor actualis de peccatis, non est necesse, vt coniungatur physicè cum ipsa narratione peccatorum, sed sufficit quod moraliter coniungatur; sic sentiunt communiter Doctores. Primum patet; Tùm, quia nulla datur lex, de tali coniunctione physica. Tùm, quia illa est moraliter impossibilis, præcipuè in illis, qui debilem habent memoriam, & plura peccata, & sunt oblivioni subiecti, & periculo ommitendi aliquam eorum partem, si debent curare, de dolore realiter & actualiter habendo, cum singula peccata narrant.

Secundùm, de coniunctione morali, etiam est certum: quia partes cuiuslibet Sacramenti, debent saltim moraliter vniri, nam hac vnione, compositum morale resultat; & sufficit inter partes, talis ordo & simultas, vt sit sufficiens ad constituendum vnum actum iudicialem, cum absolutio fiat essentialiter, per modum iudicij. Sed in examinanda huiusmodi simultate doloris & contritionis, authores disentiunt. Aliqui volunt cum Coninch, quod dolor debet confessionem præcedere. Hoc autem non approbamus; nam licet sit optimum consilium excitari ad dolorem, ex proposito confessionis faciendæ; sed id non est necessarium, vt dicunt Hurtado, Lugo, Dicastillo, Anton. á Spirit. Sancto, & alij plures. Ratio est: quia authores oppositi dicunt, illam præcedentiam doloris requiri, vt confessio non sit pura narratio sed accusatio, & vt dolor fiat sensibilis per confessionem.

Neutra verò ex his causis, est sufficiens. Non prima, quia manifestatio peccatorum, fit á pœnitente in ordine ad absolutionem, & nemo absolvitur, in hoc foro, quin se accuset. Non secunda: quia quandiu pœnitens flectit, expectando sententiam iudicis, in confessione prius facta perseverat, quæ perseverantia durat, quovsque sententia feratur. Præterquam, quod ex fidelium praxi constat, quod qui peccata sine dolore confitentur, & ad illũ exhortatione confessoris excitantur, sufficienter satisfaciunt, si dolorem habent ante absolutionem; ideoque confessores facient rectè, quando dubitent de contritione, exhortando ad illam & dicendo: Nonne summe doles, quod Deum summum bonum offenderis? Et si pœnitens dicit quod sic, nullus est confessarius adeo rigidus, vt iubeat peccata confessa priús repetere, licet sciat alium dolorem non præcessisse.

Dices 1. quid dicendum, si pœnitens dolet dum Sacerdos profert illa verba, absolvo te? Secundó: quænam præcedentia doloris ad confessionem requiritur? Tertió: qui dolet priús, de confessione non cogitando, potestne postea aliam contritionem ommittere? Resp. ad 1. quód probabile est, talem dolorem sufficere, quia terminus prolationis essentialis, vt suprá diximus, completur in illa clausula, á peccatis tuis; sic tenent Granado, Perez, & Meratius. Sed re vera, debet quis cavere, ne ad istas reducatur angustias. Ad 2. non est vnus Doctorum sensus. Tamburinus ait, dolorem posse præcedere, quatuor vel quinque diebus. Alij cum Tãcredo, extendunt ad mensem; alij cum Leandro latius extendunt ad longum tempus, dummodo semel habitus dolor, nec expresè, nec implicitè retractetur; hæc omnia dicta, iudicat probabilia Ant. á Spirit. Sanct. sed tutius ait, esse renovare

dolorem, quod breviſsimé fieri poteſt, & ita ſentit Baſſeus.

Ad 3. Reſpondet Coninch negativé, ſed Tamburinus affirmat, cum quo dicendum, quod ſi in examine præcedenti, nihil cogitatur de confeſsione, non debet poſtea dolor renovari, ſed ſufficit dolor præcedens, coniunctus moraliter cum confeſsione præſenti. Ratio eſt: quia licet antea tempore doloris, nihil fuerit cogitatum de confeſsione, quia tamen moralis coniunctio vtriuſque poteſt fieri, ſine formali, aut virtuali relatione, doloris præcedentis ad confeſsionem, non eſt cur illam moralem vnionem, ſpatium vnius diei, vel noctis interrumpat. Vel meliùs dicatur: quód licet antea, tempore quo quis doluit, nihil de confeſsione cogitaverit, quando tamen peccata ſua ad iudicem defert, cum ordine ad abſolutionem, oſtendit ſe eo fine ante doluiſſe: ex quo patet reſponſio ad propoſitum caſum, dicendo, quod ille valide confeſſus eſt, iungendo moraliter dolorem cum confeſsione, vt ex dictis conſtat.

Caſus tertius, circa idem. Confeſſus fuit quis, & ſtatim poſt abſolutionem, meminit alicuius peccati, de quo non fuerat recordatus, tempore quo fecit antecedentem confeſsionem. Quæritur: an ſit neceſſarius novus actus doloris de hoc peccato, vel an ſufficiat dolor præteritus, cũ nova huius peccati confeſsione, vt Sacramentum fiat? De hoc caſu, non loquuntur expreſsé Doctores; aliqui autem ſupponunt, quod ad ſecundam abſolutionem, requiritur nova confeſsio & novus dolor; ſic ſentit Bañez; quod licet ſit tutius & probabilius, ſed tamen oppoſitum probabile iudico cum Henriquez, Lugo, Dicaſtillo, Meratio, Gobato, Perez & Ant. á Spirit. Sanct. Ratio ſummitur, ex frequenti, & communi confeſſorum praxi, qui communiter non curant, de eo quod pœnitens renovet dolorem, licet vnus vel alter, fortaſſe admoneat hoc.

Deindé hoc ipſum conſtat: quia ſi propter inſtans periculum mortis, impertitur alicui abſolutio, priuſquam omnia peccata narret, poteſt ab alijs peccatis, quæ poſtea dicet abſolvi, licet novus dolor non ſuperveniat; & ſimiliter, ſi quis confitetur ſuperiori ſola reſervata, & ab eis abſolvitur, & accedit poſtea ad confeſſarium inferiorem, pro confitendis non reſervatis, novo dolore opus non eſt. Vndé, qui hodie incipit confiteri cum veró dolore, & abſolvi non potuit, non ſolum die ſequenti non erit opus dolore novo, ſed ſi noctè illa apoplexia læſus, nequeat dare aliquod doloris ſignum, poteſt abſolvi ab eo, qui antea partem confeſsionis excepit; imó etiam á quolibet alio, ſciente tale quid fuiſſe operatum. Nec obſtat: quód alteri fuerit confeſsio incepta, cum intentione accipiendi ab eo abſolutionem; nam tale factum particulare, non derogat generali Chriſtianorum intentioni, recipiendi in articulo illo abſolutionem, á quocumque Sacerdote.

Si dicas: Dolor eſt materia proxima Sacramenti, & ſuper eandem materiam, duplex Sacramentum cadere non poteſt. Reſp. quód licet ſuper eandem materiam, formaliter ſumptam, non poſſit cadere duplex Sacramentum, bené veró ſi illa ſolum ſit materialiter vna, ſed formaliter diverſa, de quo datur duplex accomodatum exemplum. Primùm eſt, in corpore Chriſti, quod idem materialiter ſumptum, eſt materia conſecrationis & ſub diverſa ratione formali, diverſis conſecrationibus ſubeſt. Secundùm eſt, quia idem opus impoſitum in Pœnitentia pro ſatisfactione, in vna confeſsione, poteſt in ſententia probabili, iterum imponi in alia confeſsione; & ſic etiam idem dolor materialiter ſumptus, pro prima confeſsione deſerviens, poteſt ſub diverſa formali ratione, pro ſecunda confeſsione deſervire.

Dices: Quód ſatisfactio ab vno Sacerdote impoſita, quatenús imponitur ab altero, eſt formaliter diverſa, quæ diverſitas, in illo primo dolore non reperitur. Reſp. quód idem proportionaliter dicimus de dolore, quod nempé quatenús ſignificatur per confeſsionem primam, differt formaliter á ſe ipſo, quatenús ſignificatur per ſecundam. *Etſi inferas*: ergo etiam poterit eadem confeſsio, duplici abſolutioni deſervire, nam illa eſt materia proxima, ſicut dolor. Neg. conſeq. nam eſt diverſitas, quia cum Sacramentum Pœnitentiæ, ſit inſtitutum per modum iudicij, non poteſt de novo exerceri, ſine nova accuſatione, nam ſemel prolata ſententia, nequit iterùm proferri, niſi fiat accuſatio nova, cum iudex iam fuerit functus munere ſuo, quod totum poteſt poni ſine novo dolore, & ſic eſt diverſa ratio.

Adhuc inquis: vt nova accuſatio ſit vera, requiritur quod ſit doloroſa: ergo ad novam accuſationem, requiritur novus dolor. Reſp. quód vt ſit doloroſa nova accuſatio, ſufficit quod dolor præcedens, virtualiter extendatur ad ſecundam confeſsionem, & moraliter perſeveret; ſicut eadem ſatisfactio, poteſt ſignificari per duplicem ſententiam in duplici Sacramento vt vidimus, quia vtrobique remánet integrum iudicium, & completur proceſſus iudicialis, conſtans ex accuſatione, teſtificatione & ſententia, quæ requiruntur novæ, ad novum iudicium, nam ſuper eandem accuſationem, nequit duplex valida ſententia proferri, quæ accuſatio doloroſa eſt, ratione virtualis permanentiæ primi doloris.

Ex his deducitur: quód etiam peccata iam confeſſa cum dolore, poſſunt iterum ſine novo dolore confiteri, & efficere duplex Sacramentum; contrarium ſentit Henriquez, Diana, & alij; ſed noſtrum dictum tenent Lugo, Dicaſtillo, Ledeſma, & Ant. á Spirit. Sanct. nam in caſu præcedenti & iſto, currit eadem ratio: ſi enim aliquod inconveniens daretur in hoc, eſſet, quod dolor eſt materia proxima Sacramenti, quæ nequit duplici formæ appli-

applicari; sed hoc non convincit, & vitatur dicendo, quod materia est eadem entitativé, sed formaliter diversa, vt vidimus: ergo si id potest contingere in primo casu iam resoluto, etiam poterit in hoc secundo contingere; sed pro vtroque debet notari, quod inter primam & secundam confessionem, non debet intercedere multum tempus, sed tale vt iudicetur, quod adhuc moraliter perseverat præcedens dolor.

Casus quartus. Erat quidam homo perfectus, vir Religiosus ac timens Deum, eius mandata servans in operatione boni, & fuga á malo, sed tamen cum adhuc iustus, in die septies cadat in peccatis minoribus, ille etiam aliquando cadebat sic, licet enim Dei adiutus gratia, mortalia peccata vitaret, sed venialia committebat. Quæritur: an de his venialibus, præceptum contritionis haberet? Punctum tangit D.T. in addit. q.2. art.3. vbi arg.4. sic proponit: De illo peccato non debet esse contritio, quod per contritionem non tollitur; sed quædam peccata, non tolluntur per contritionem sicut venialia, quæ adhuc post contritionis gratiam manent: ergo non de omnibus peccatis debet esse contritio; & respondet: ad 4. dicendum: quód post contritionem de mortali, potest remanere veniale, sed non post contritionem de veniali, & ideo de venialibus, etiam debet esse contritio, eo modo quo & pœnitentia, sicut suprá dictum est.

Remittit ergo se D.T. ad q.87. in 3.p. art. 1. & ad 4. dist.16. q.1. art.2. vndé patet, quod de venialibus debet esse contritio, sicut & pœnitentia; sed ad confessionem venialium non tenemur necessitate absoluta, quia vt ait D.Thom. nec de eis pœnitere, nec ea vitare tenemur, quod intelligitur de præcepto simpliciter & absoluté, quia vt ait ipse, 1. 2. q.88. art.1.ad 1. peccatum veniale non est contra legem, quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec prætermitit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quæm lex intendit; sed horum sensus non est, quod peccatum veniale, nulli legi opponatur, nam mendacium, prohibetur per legem non mentiendi, & est contra illam, sed quia non est contra legem simpliciter necessariam, sed contra legem secundum quid, & non contra substantiam eius, sed contra modum, & accidens illius.

Quód autem per se loquendo, nullum sit præceptum simpliciter conterendi de venialibus, constat; quia tale præceptum non est positivum, cum nullibi habeatur; nec est naturale, ob præceptum servandi vitam spiritualem, quia ex hoc solum tenetur quis, adhibere omnia media ad perseverandum in gratia quando illam habet, vel ad acquirendam cum non habet; & inter hæc media, non continetur vitatio venialium, quia hæc possunt esse simul cum gratia. Nec obstat quód peccatum veniale, est dispositio ad mortale, & sic tenemur illud vitare, ne exponamur periculo damni maioris; dicitur enim: quód illud periculum, non est magnum & notabile secundum se, quia peccatum veniale, solum est dispositio remota, & indirecta ad mortale, non veró directa & per se, vt ait D.T. 1. 2. q. 88. art.3.

Verum quidem est, quod si homo cognosceret speciale periculum incidendi in peccatum mortale propter venialia, teneretur conteri de his, vt potest contingere in articulo mortis, si homo cognoscit, se involutum esse, multis peccatis venialibus; ex quo tamen non sequitur, quod tale præceptum sit per se loquendo, quia non tenetur conteri propter ipsa venialia, sed propter periculum quod inducunt. *Si dicas*: talis homo per fidem cognoscit, quod propter venialia, magnas pœnas in Purgatorio patietur; sed hoc velle, est peccatum mortale secundum se: ergo etiam erit mortale, non conteri de venialibus. Resp. neg. min. quia in Purgatorio, est homo securus de visione beata, & ideo illa mala peccati venialis, censentur parva in vitá spirituali. Nec est idem de volente se privare multo tempore amici præsentia in humanis; quia respectu amicitiæ humanæ, illa privatio est gravis, quia non continet alia bona maiora, cuius contrarium in pœna Purgatorij contingit.

Sed tamen regulariter, talis homo peccabit saltim venialiter, propter stultissimam negligentiam, sed non quia de contritione venialium, sit præceptum speciale. Nunquam tamen licet complacere de peccato veniali commisso, quia hoc esset de novo peccare, imó velle positivé de venialibus non pœnitere, quod regulariter est veniale, cum sit actus otiosus, propter negligentiam vt diximus, sed non propter speciale præceptum conterendi; eo fere modo, quo plurium Religionum leges, solum ad pœnam obligantes, vt contingit in constitutionibus nostris, si franguntur, regulariter inducunt peccatum veniale; nam cum violatio legis, sit de male sonantibus, eget fine bono vt honestetur. Nec obstat: quód D. T. ait, de venialibus debere conteri; nam verbum debere, non dicit semper obligationem præcepti, vt patet in ipsis constitutionibus nostri ordinis.

An veró de peccatis oblitis, debeamus conteri? Tangitur á D. T. loc. cit. ad 2. & videtur quod non, quia contritio est actus voluntatis, qui nequit dari, circa rem non cognitam; sed ipse respondet dicendo: quód oblivio potest esse dupliciter de aliquo, vel ita quod totaliter á memoria exciderit, & tunc non potest aliquid inquiri de illo, vel partim in memoria manendo, vt cũ quis de aliquo recordatur in generali, & non in speciali, & tunc requiritur memoria ad inquirendum, & ad id tenetur homo, quod si invenire non possit, sufficit conteri de illo pro vt est in notitia, & doleri de

obli-

oblivione orta ex negligentia, quid si omnino excidat ex memoria, sufficit generalis contritio de omni offensa Dei; sed quando ad memoriam revocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri; sicut pauper qui nequit solvere quód debet excusatur, sed tenetur cum primo poterit; hæc D. Thom. de quibus iterum agemus, dum explicemus confessionem informem.

Casus quintus, de quantitate contritionis. Victorinus Septempedanus, vt refert Ado in Martyrolog. Nonis Septembris, vitæ perfectionem aspirans, in vastam solitudinem fugit; diabolus autem suæ virtutis invidus, simulata fœminæ specie, illum tentavit decipere, quod & fecit, Victorino assentiente perversæ suasioni; dœmon autem quasi victor statim disparuit, triumphum decantans; confussus remanet Victorinus, & in se ipsum exardet, tactus intima contritione de peccato intento; arborem scindit, manus per foramina ponit, illasque pessulo cum cortice trunci fortiter claudit, & sic mansit per trienium, carnibus & manibus pené resolutis, & hisce sævis tormentis, pristinam fuit perfectionem nactus; de quo infrá, rursús aliquid attingemus; cuius occasione quæritur: an contritionis dolor, possit esse nimius? De hoc agit D. Tho. in addit. 3. p. q. 3. art. 2. & in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2 ad 3. & ait: Quód dolor essentialis contritionis, qui est in ratione, scilicet displicentia peccati, in quantum est offensa Dei, non potest esse nimius, sicut nec amor charitatis, quo intenso, talis displicentia intenditur, potest esse nimius; sed quantum ad dolorem sensibilem, potest esse contritio nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio.

Ratio autem huius, assignatur ab ipso loc. cit. in sententiar. quia omnis virtus moralis, corrumpitur per superabundantiam & defectum, quæ sunt extrema vitiosa, inter quæ virtus ponit medium; contritio autem, est actus virtutis moralis, scilicet pœnitentiæ: ergo in illa potest esse nimius dolor & pœnitentia. *Si dicas*: Quód dolor si est tantus, quod mortem vel corruptionem corporis inferat, est laudabilis, vndé ait D. Anselm. lib. medit. in fin. vtinam sic impinguentur viscera animæ meæ, vt medullæ corporis mei exicentur; & D. August. dicebat, se esse dignum oculos cæcare plorando, & sic dolor contritionis, nequit esse nimius. Resp. quód D. Anselm. desiderabat exicari medullas corporis, non quo ad humorem naturalem, sed quantum ad desideria & concupiscentias corporales; & similiter D. Aug. nolebat oculos corporaliter cæcare, sed dicebat, huius se esse dignum, quia quilibet peccator, non solum morte æterna est dignus, sed etiam morte corporali.

Ex quibus, vt ait M. Soto, deducitur aliquorum consolatio, qui non afliguntur, nec plorant ob peccata sua, nec tantas lachrimas pro eis fundunt, sicut propter res temporales amissas, est enim natura in causa, & sic non vergit in culpam; licet sit optimum pro pœnitentibus consilium, eos ad lachrimas excitare, quæ solent esse causa, maioris detestationis peccati, iuxta celebre dictum Augustini; non sunt in te, christianæ charitatis viscera, si plangis corpus á quo recessit anima, & non plangis animam, á qua recessit Deus; vndé ait ipse, lib. 50. homil. in vlt. cap. 1. sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lachrimæ sunt testes doloris, & Ovid. lib. 4. trist. eleg 3. ait: Expletur lachrimis, egeriturque dolor.

Doctrina traddita, comprobationem accipit ex D. T. in sentent. relato, vbi ait: Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore voluntatis, vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores, sequuntur motum superiorum; vel ex electione, secundum quod homo pœnitens, in se ipso habet dolorem, & excitatur vt de peccatis doleat, & neutro modo oportet, quod dolor contritionis qui est in appetitu sensitivo, sit maximus dolorum, quia vires inferiores, vehementius moventur ab obiectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium, & ideo quando istarum operatio, est propinquior obiectis inferiorum, tanto magis hæc sequuntur eorum motum, & ideo maior dolor est in parte sensitiva, ex læsione sensibili, quam ille qui in ipsa redundat ex ratione, & similiter maior est, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex illa, considerante spiritualia; hæc D. T. quibus resolutio, novum accipit robur.

Sed obstat contra illam, quia pœnitentia, præcipué ordinatur ad tollendum peccatum mortale, quod non cognoscitur á sensu, sicut nec ab eo cognoscitur Deus, neque lex æterna cui illud opponitur: ergo dolor in appetitu resultans, non est circa peccatum, & ideo nequit dici, quod dolor pœnitentiæ, consistit in medio. Resp. sufficere ad hoc, quod sensus cognoscat peccatum materialiter, quatenús est quodam bonum apparens sensibile. *Si dicas*: Quód aliquando, peccatum etiam hoc modo non cognoscitur á sensu, vt cum quis peccat per infidelitatem, desperationem, vel odium Dei, quæ peccata, sunt puré spiritualia. Resp. quód etiam in illis procedit voluntas, ratione alicuius boni proprij sensibilis, quod percipitur á sensu; & ideo quando homo postea pœnitentiam agit, est ibi aliquid cognitum á sensu, ratione cuius, est aliquis dolor in appetitu sensitivo; ex quo patet responsio ad propositum casum de illo Victorino, cuius pœnitentia & contritio, non fuit nimia, quo ad dolorem rationalem, bené veró quo ad afflictionem sensibilem, quæ semper debet pro mensura conservationis subiecti & virium eius, á ratione moderari, quare dixit Paulus: rationabile obsequium vestrum.

Casus sextus, de duratione contritionis. Ioannes

nes Garinus, cuius historiam infrá, art.18. casu 7. proponemus, in silicibus præruptis Montis Serratis habitabat olim, vbi dœmonis captus insidijs, fœdum carnis perpetravit scelus, postea occidens fœminam, ne illud manifestum fieret; contritus postea de tot criminibus, pœnitentiam assumpsit talem, vt more feratum quadrupes reptaret per montes, septem annorum spatio, quousque miraculosé Deum pacatum esse cognovit. Super quod celebre factum, quæritur: an contritionis dolor, requirat determinatam temporis durationem, vt conferatur gratia? Negativé resp. quód prob. ab auctoritatibus, nam D. Petro, & Magdalenæ, in instanti fuit culpa remissa, vndé notavit Cayet. sup. cap. 7. Luc. quód non dixit Christus: remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multoties, sed multum, quoniam semel diligere multum, delet innumerabilia peccata.

Deindé D. Leo. Papa, Epist. 91. ad Theodor. ait: Si periculum vrgeat, cuique petenti, est absolutio danda, quia misericordiæ Dei, non possumus tempora diffinire nec mensuras ponere, apud quam nullas patitur veniæ moras conversio. Ulteriús D. Chrysost. relatus de Pœnit. cap. talis, ait: Talis est erga homines pietas Dei, quod nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur, etiam si non potuerit quis explere in præsenti satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen, & quamlibet brevi tempore gestam, suscipit etiam ipsam, nec patitur, quantumvis exiguæ conversionis perire mercedem. His assentitur Celestinus Papa, Epist. ad Episcop. Galliæ, cap. 2. dicens: Vera conversio, mente potius quam tempore metienda est; & rationem dat Iulius II. Decret. 2. quia Dominus, non solum temporis, sed etiam mentis inspector est; sicut latro, vnius momenti pœnitentia, meruit esse in paradiso; qua propter D. T. 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. & q. 113. art. 7. ait, iustificationem in instanti fieri, iuxta illud Eccles. 11. facile est in oculis Dei, subitò honestare pauperem, quod roborat Ambr. lib. 1. in Luc. dicens: nescit tarda molimina, Spiritus Sancti gratia.

Ratio etiam, suadet hoc ipsum: quia si determinata temporis duratio, requireretur ad contritionem, posset contingere, quod homo sit in statu in quo veré conteratur, & pœnitentiam non agat, vt si actum contritionis eliciat in fine vitæ, quando non supereſt tanta duratio temporis, qualis requiritur ad contritionem, quod tamen est absurdum & erroneum. *Nec dicas*: Quód per se loquendo, requiritur determinata duratio pœnitentiæ, vt in eius fine perficiatur contritio, sed in fine vitæ, minor acceptatur á Deo per accidens, & ob articulum necessitatis vrgentis. Contra hoc enim est: nam vel Deus dispensat tunc ob necessitatem, vel solum requiritur certa duratio, quando potest haberi, tunc autem haberi non potest; sed vterque iste modus discurrendi, sinister est. Primus: quia contritio, non habet quod possit fieri in instanti ex Dei dispensatione, sed ex natura sua, cum sit actus voluntatis á tempore non pendens; & etiam quia in articulo mortis, plus obligat contritio quam extra illum, & sic maior datur causa durationis tunc, si hæc exigitur; secundus, quia si statim á principio est necessaria illa contritio, statim etiam esse debet, totum quod pertinet ad illam: ergo, &c.

Deces contra hoc 1. contritio est dispositio ad gratiam, quæ debet expellere formam oppositam, & sic per aliquam temporis partem, durare debet. Secundó, contritio debet habere aliquam intensionem, quæ in instanti fieri nequit. Tertió, ad contritionem, præcedunt multi actus fidei, spei & timoris, qui nequeunt esse simul. Quartó, homo multo tempore disponitur ad gratiam, vt experientia constat, & sic hoc in instanti non fit. Resp. ad 1. quód prioritas dispositionis ad formam, solum est in genere causæ materialis, quæ non est prioritas temporis, sed naturæ, vt latè disserunt Philosophi. Ad 2. quód nec requiritur in contritione determinata intensio, vt suprá vidimus; præterquam, quod in instanti potest produci, actus perfectissimus doloris; sicut proposita perfectissima demonstratione, potest intellectus prorumpere in instanti, in actum perfectissimæ scientiæ; sic D. T. 1. 2. q. 113. art. 7. ad 3. Ad 3. quód licet omnes illi actus, antecedant contritionem, non sunt de essentia illius, sed realiter distincti ab illa, & nunc solùm loquimur, de contritionis essentia. Ad 4. quód licet illud regulariter contingat, homo tamen subito potest moveri ad contritionem eliciendam; Garinus autem ille, de quo casus loquitur, multum tempus consumpsit, in actibus contritionem sequentibus, vel antecedentibus, non veró in ipso actu contritionis essentialiter sumpto, ex quo ad casum patet responsio.

Casus septimus, circa idem. Iuvenis quidam filius familias, ancillam domi retinebat, quæ ipsum ad turpes sæpé provocabat actus; quæritur, an iste ad pœnitentiæ Sacramentum accedens, verum haberet dolorem atque propositum, & an posset illi absolutio exhiberi? Allegabat enim duo, primum, se prudenter timere, quod si aliam ad res domesticas receperit, illam etiam seducturum foret; secundum, quod ipse in tali statu posito, videbatur quod causa culpæ, potiús erat fragilitas propria, quam puella illa. Resp. quód si tentatis emendationis remedijs, ille iuvenis non sit correctus, præcipiendum est ei, vt occasionem dimittat, quæ est illi tot ruinarum causa. Nec obstat, quod primo dicitur: nam est incertum, se non inventurum aliam pudicam, & damnum incertum, debet periculo certo postponi; nec obstat, quod dicitur secundo, quia imbecillitas propria, est causa incompleta peccati, nisi adsit fœmina quæ integram occasio-

nem compleat. Sed tamen, quia ille est filius familias, in cuius potestate non est ancillam ejicere; sunt interdum remedia salutaria, nempé vitatio mutui colloquij, non manere soli cum sola, carnis maceratio, Sacramentorum frequentia, & quotidiana renovatio, propositi eliciti in confessione.

Quia tamen, res hæc de occasione peccandi, debilitante propositum & dolorem, gravissima est, decernimus in illa tantisper immorari, quod licet directé ad præsens non pertineat, sed ad difficultatem de conditionibus confessionis, & specialiter ad sextum Decalogi Præceptum, aliqua tamen modo tangemus, & alia pro alijs locis reservabimus, punctum enim adeo est diffusum, vt integrum possit volumen implere, & primo est notandum: quód occasio, alia est remota, quæ non semper adest, sed eget inquisitione vt inveniatur, quod difficile fit, & hæc ipsa difficultas, retrahit hominem á culpa, & hanc non tenetur homo vitare, quia si peccare nolet, esset necesse de hac vita migrare, nam omne quod est in mundo, potest esse remota peccandi occasio, iuxta Sapientiæ dictum, cap. 14. creaturæ Dei, factæ sunt in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

Alia est occasio proxima, & dicitur illa, quæ ponitur, moraliter & pro vt in plurimum peccatum sequitur, cum præmanibus fere semper habeatur, ex qua adest in homine facilitas cadendi; & similiter consuetudo peccandi, alia est remota, quæ fundatur in prava inclinatione, appetitus non subditi rationi, quam etiam vitare non tenemur, quia est naturæ congenita; alia est proxima, ex qua sine resistentia peccata nascuntur; nec est idem consuetudo proxima, ac occasio proxima; nã hæc dicit appositionem obiecti extrinseci, vt cum quis concubinam domi habet, ad quam facile & sepissimé accedit; consuetudo veró proxima, ab intrinseco provenit, nullo expectato obiecto extrinseco, vt si quis est assuetus se polluere, iurare, &c. pro decisione igitur huius rei valdé necessariæ, sequentia proponimus.

Primó dicimus: quód propositum formale, aut virtuale, de cætero non peccandi, stare potest per se, cum consuetudine proxima peccandi, nec illam habenti, absolutio est deneganda, si verus dolor, & efficax propositum cognoscantur; ita sentiunt Sanchez, Hurtado, & alij. Ratio est: quia talis consuetudo, est intrinseca, & inseparabilis á nobis, & quocumque pergamus, illam nobiscum adducimus, cum á nobis ipsis, non possimus recedere, & sic concepto vero dolore de præterito, & proposito de futuro, rectè homo dispositus est, nec potest ei absolutio denegari; aliud esset, si ex aliquo capite iudicaretur prudenter, deficere verum dolorem, & esse debile propositum, tunc enim deberet absolutio differri, vt firmius conciperentur, quod regulariter contingere potest, in se frequenter polluentibus, vel sæpé iurantibus, nec in eis ex confessionum vsu, aliqua percipitur emmenda, in diminutione inumeri peccatorum.

Secundó dicimus: quód voluntariè permanens in proxima occasione peccandi, nec veram contritionem, nec efficax propositum habet, nec absolvi potest. Ratio est: quia nullus á mortali excusatur, nec absolvi potest, si firmum propositum non habet, vitandi peccata de cætero, quod non potest componi, cum permanentia voluntaria in occasione proxima mortifera; firmitas enim propositi, & eius efficacia, consistit in appositione mediorum, vt vitetur culpa; quæ non apponuntur ab eo, qui in occasione manet, nam sciens & amans periculum, si illud aggreditur, suam perditionem vult, iuxta Eccli. dictum, qui amat periculum, peribit in illo; & similiter, volens causam peccaminosam, ex qua infallibiliter sequitur culpa, etiã culpam vult; licet autẽ quis, liber sit in vsu voluntatis suæ, & posita causa & occasione, possit non amplecti effectum ad quæm inclinat, moraliter tamen iudicatur ad peccatum adstrictus, vt experientia suadet.

Sunt tamen aliquæ causæ, quæ si concurrunt, potest absolutio conferri, manenti in occasione, si veré concipitur dolor & propositum illius. Prima est: articulus mortis, nam tunc periculum se habet puré materialiter, nec censetur voluntarius, cum non adsit potentia moralis illum vitandi, dummodo sit firmum propositum hoc faciendi, quam primum exequi possit. Secunda, quando pœnitens non accedit ad confessionem, compulsus necessitate præcepti, & temporis annuæ confessionis, sed ex alio motivo irregulari, vt est mors cognati vel amici, vel auditio sermonis, quorum contemplatione, ad pœnitentiam excitatur. Tertia, si forté afferat extraordinarium dolorem & propositum, amarissimis lachrimis contestatum, quia hoc facit, quod homo sit multo fortior quam antea. Quarta, si periculum morale cadendi cessare videatur, vt si mulier gravi infirmitate laboret, vel vir vxorem duxerit, & ancillam exosam habet, & aliæ similes causæ, sufficientes ad peccatum remonendum, etiam permanente habitatione in eadem domo.

Extra hos casus, pœnitens qui permanent in occasione proxima peccandi, non debet absolvi, nisi firmiter promitat, quam primum possit illam vitare; quod si post tale propositum iterum reincidat, nullatenús est absolvendus, nisi re ipsa prius occasionem auferat. Quót autem vicibus, possit ei absolutio impertiri? Asserit Diana, quod conferri potest, per tres vel quatuor vices, licet pœnitens in promissione defecerit, præcipuè si aliquam emmendationem, licet modicam inchoavit. Sed huic non acquiesco: quia praxis docet, quod talis pœnitens, si est ex illis qui semel confitentur in anno, raro expellit occasionem iam absolutus, sed iterum atque iterum, graviús relabitur; quare iudico: quód solum

lum pro prima, & ad summum pro secunda vice, credendus est pœnitens, offerens occasionem vitare, & si bis in promissione defecit, ampliús ei fidendum non est; sicut frangẽs propositum restituendi per duas vices, non ampliús á confessario creditur, circa restitutionis propositum.

Tertió dicimus: quód personæ quæ non sunt sui iuris, vt sunt filij non emancipati, vxores, servi & ancillæ quorum electio & facultas, omnino libera non est, ad occasiones vitandas, absolvi possunt, si cognoscitur dolor & verum propositum, & apponuntur illa media ab initio posita, nempé non habendi solitaria colloquia, &c. Et ratio est: quia cum occasionis remotio, non sit in sua manu, est eis quasi moraliter impossibile, tales occasiones vitare. Hoc tamen intelligitur, dum cognóscitur spes emendæ, quod percipi potest ex ipso confessionum vsu, alias enim, si sæpiús labuntur, & relabuntur, nec propositum habent, nec absolvi debent, quia suæ conscientiæ non consulunt, nec talis separatio est absoluté impossibilis; sicut licet alicui sit necessarium in sua domo manere, si tamen incendium imminet, aut aliud periculum, deberet per fugam procurare recessum; & similiter in occasione lasciviæ est dicendum, quæ ignis est omnia eradicans; vndé si res nihilo meliús se haberet, vel in peius abiret repetitis prolapsionibus, omnino debet á domo recedere, nec aliter potest absolvi; sed' personæ quæ sunt sui iuris, nunquam absolvi possunt, extra casus suprá positos, nisi hospitium & occasionem vitent.

Nec huius excusatio esse potest, quod fœmina sit vtilis, ad oblectamentum gustus; hoc enim damnatum est ab Alexand. VII. propos. 41. & ab Innocent. XI. prop. 62. nam vt Evangelium ait, nonne anima plus est quam esca? Excipiunt aliqui, casum necessitatis vrgentis; quænam autem hæc sit? Hoc opus, hic labor; asserunt Sanchez, Basilius, Henriquez, Lorea, Candidus & alij, illam necessitatem esse, damnum grave spirituale vel temporale, in fama honore, vita vel divitijs, & aiunt, quod si datur simul cum his verus dolor, & propositum firmum, pœnitens absolvi potest, nam illa occasio proxima, reputatur moraliter involuntaria. Sed re vera, hoc eget maxima prudentia, ne fucato pretextu, in periculo vivatur cadendi, ne quis infamiam incurrat, vel scandalum proximi vitetur, nam D. Aug. dixisse fertur, iniquam esse compensationem, si vt quis infidelem convertat, se infidelem fingat; & similiter esset iniqua excusatio mulieris, á lasciviendi viro subito impetitæ, dicere quod non exclamavit, ne vir ille infamaretur, aut scandalizarentur vicini, & idem proportionaliter, de occasione proxima discurrendum est.

Casus octavus, de varijs eventibus circa idem. Quidam homo 1. artem vel modum vivendi habebat, per se licitum, ex quo per accidens ei oriebatur peccandi occasio. 2. inserviebatque domino, cuius mandato chartas ad concubinam sæpé portabat. 3. & præterea monialis cuiusdam allocutionem frequentabat. 4. ipseque vxoratus erat, in occasione cognoscendi coniugem suam innaturaliter. Quæritur; an iste verum dolorem & proprositum haberet, atque absolvi posset? Hic casus inculcat multa, scitu necessaria, & per numeros resolvemus singula, quæ conducunt ad praxim.

1. *Artem vel modum vivendi, &c.* Dico: talem absolvi posse, nam quod ars sit occasio peccandi, non oritur ex natura sua, sed ex fragilitate subiecti, & sic de isto, formari debet idem iudi ium, ac de habente peccandi consuetudinem; sic sentit Navarrus, Tanerus, Sanchez, Cayetanus, Armilla, Suarez, & Hurtado. Vndé cum milites & negotiatores, interrogarent Ioanni, cap. 3. Luc. quid facere tenerentur, ad consequendam salutem? Non dixit, quod officia desererent, sed quod nemini facerent iniuriam, & stipendijs suis essent contenti. Hinc fit, quod scribæ, tabelliones, citharedi, Magistri chorearum, sartores, Ministri Regis, medici, & chirurgi, quibus officia sua, sunt occasio per accidens peccandi, illa non tenentur deserere, & possunt absolvi, si verum dolorem habent, quia occasio illa, censetur involuntaria, quia dant operam rei ex natura sua licitæ; sicut idem est de confessore, qui ex auditis fœminarum confessionibus, vel ex studio rerum venerearum, aliquas involuntarias titillationes patitur.

Sed tamen licet hæc officia, ex se non inducant ad malum, sunt tamen auferendi eorum abussus, & si pro aliqua parte inducunt probabiliter periculum, pro ea debent vitari, licet non in totum, alias illis vtentes, absolvendi non sunt, v.gr. in officio chirurgi, si est tactus illecebrosus fœminæ, in partibus pudendis ad curationẽ, ab hoc debet abstinere, licet non á toto suo officio; & similiter negotiator maximé proclivis ad contractum mohatrarum vel alios similes, est revocandus ab illis, licet officium non debeat totaliter deserere, & idem dicendum de confessore, qui tentationes suprá dictas patitur, confessiones fœminarum audiendo, si ex sua fragilitate vltra progeditur, & se voluntarié polluit, nec spem emendæ percipit, postquam remedia consentanea ponit, tenetur omnino á fœminarum confessione cessare, etsi expectaretur illarum conversio, nam iuxta dictum Christi: quid prodest homini, si vniversum mundum lucretur, animæ veró suæ, detrimentum patiatur.

2. *Inserviebatque Domino, &c.* Dico: quód si talis servus fuerit captivus, semper est absolvendus, nam talis occasio, est illi involuntaria, cum fugere non possit, absque magno sui detrimento, sic ait Hurtado. Servi autem liberi, possunt exercere actiones, in quibus non peccent, licet eis abstantur domini, vt sunt parare lectum, servire mensæ,

caput

caput componere, munuſcula & literas ferre, dominum comitare; hæc enim actiones, ex ſe indifferentes ſunt, & poſſunt licité fieri titulo famulatus, licet Dominus eis vtatur ad culpam, cuius ſervus cauſa non eſt; ſic ſentiunt Hurtado, & Thomas Sanchez cum alijs. Sed aliæ ſunt actiones ex ſe indifferentes, peccato tamen proximiores, vt domino præbere ſcapulas, dum eſt in concubinæ domo, illam in ſella vel curru portare ad aliquæm locum, pro exequenda culpa, illam convenire pro tali hora, ſcalam domino admovere, ad has & ſimiles actiones faciendas, requiritur motivum vrgentius, quam cauſa communis famulatus, & ſic famulus, tenetur eas ommittere, ſi hoc poteſt ſine gravi damno, alias non poteſt abſolvi, quia ſe exponit periculo proximo peccandi; & tutiús erit in hoc caſu, deſerere illum dominum & quærere alium, qui non tot tetia paret.

Hoc ipſum proportionaliter dicendum eſt, de omnibus illis, qui ſui iuris non ſunt, vt dictum manet de filljs familias, & etiam de conſanguinea paupere, quæ alitur á ſuo conſanguineo divite, & aliunde non habet vndé vivat; & idem eſt de iuvene, qui ob paupertatem dormit cum alio in eodem lecto, á quo provocatur ad tactus, ſi aliud commodum non habet vt dormiat, niſi humi iaceat cum magno ſalutis detrimento; ſi veró commode poſſit ſeparari ad id tenetur, & ſic feciſſe audivimus pium Scholaſticum, qui nuper obijt in quadam Religione, cum opinione virtutis; & idem eſt dicendum, de adeunte domum concubinæ, cauſa ſuſtentandi filios ex ea genitos; ſi eis aliud auxilium non adſit vt vivant; hæc enim omnes, cenſentur occaſiones involuntariæ.

Quid autem dicendum, de ſuſtentante fœminam, non vt concubinam, ſed quia eſt pauper vel pulchra, vel quia gratias naturales habet, ne ob inopiam ruat; & tali viro eſt proxima occaſio peccandi? Sentit Ioannes Sanchez, idem ac de prædictis, ſi non habet aliter vndé ſuſtentetur. Sed contrarium, verius ſentit Hurtado: quia talis caſus, nunquam poteſt moraliter accidere, quia fœmina regulariter, labore manuum ſuarum, ſuſtentari poteſt, ſi honeſte vivere vult, & licet caſus poſsit evenire, convenientiús erit tali fœminæ mendicare, quam ſe proſtituere. Nec eſt ſimile, quod diximus de ingrediente domum concubinæ vt filios alat; nec de dormiente cum alio á quo provocatur. Non primúm: quia filij ſunt infantuli, qui niſi ita ſuſtententur, fame peribunt; non ſecundúm: quia duos viros ſimul dormire, non eſt actio ex natura ſua periculoſa moraliter, licet aliquando culpam producat per accidens, vt diximus ſuprá de officijs, cuius contrarium invenitur, in frequenti conſortio fœminæ, vt ex ſe patet.

3. *Monialis cuinſdam allocutionem frequentabat.* Hic lata ſe offerebat pertractatio, de prava frequentatione Conventuum Monalium de qua forte alibi, Deo dante diſſeremus. Nunc dicimus: quód Monialis nolens relinquere converſationem cum ſuo devoto, propter lucrum vel aliud motivum humanum, eſt in occaſione proxima, & non poteſt abſolvi; ſic tenent Hurtado; & ratio eſt: quia aures abhorret dicere, fœminam ſacram, poſſe quærere turpe lucrum, quæ ob amorem Chriſti ſponſi, elegit mundi contemptum. Nec poteſt hoc, aliquando honeſtari dicendo, quod Monaſteriorum inopia ſumma eſt, nec monialibus in neceſſarijs aſsiſtit. Ad hoc enim argumentum, quod diabolus ſuggerit, Chriſtus cap. 12. Luc. ita reſpondet: Primúm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis; & idem eſt de viro, qui non vult á Monialis collocutione deſiſtere, quia ab ea ſuſtentatur; vtrumque enim vidimus & audivimus; ſi enim hoc in fœminis non valet, quanto minús in viris, qui mille vijs poſſunt tranſigere vitam, quin panem malitiæ atque ſacrilegij comedant?

Vndé habetur: quód ille qui non proponit vitare occaſiones, ex quibus oritur veniale peccatum, quo experientia cognovit, ſe ad mortalia trahi, abſolvendus non eſt, v.gr. curiòſius deſiderare conſpectum alicuius fœminæ, quæ inſigni decore fulget, ſolum eſt veniale, ſicut eius domum adire, ex ſola curioſitate videndi eam, & in illam oculos figere; ſi tamen ex his, ſæpiús confabulatio & implicatio ſubſequitur, & alicientia ad conſenſum, licet in principio ſolum eſſet veniale peccatum, quia tamen ſunt cauſa lethalis vulneris, omnino vitari debent, quod eſt iuxta D. Aug. qui in ſua regula hæc ait: Si hanc de qua loquor oculi petulantiam, in aliquo veſtrum adverteritis, ſtatim admonete, ne male cepta progrediantur, ſed de proximo corrigantur; & iterum: non ſolo tactu & affectu, ſed & aſpectu quoque appetitur, & appetit, concupiſcentia fœminarum; ratio eſt, quia in caſu prædicto, talis homo, ſe exponit morali periculo peccandi mortaliter, præcipué, ſi fragilis eſt, & ideo tales occaſiones vitare debet.

4. *Ipſeque vxoratus erat.* Dicendum: quód vir exiſtens in proxima occaſione, cognoſcendi vxorem non naturaliter, non tenetur ab ea diſcedere, cum indé ſequatur grave damnum honoris & vitæ; ſufficit enim, quod habeat propoſitum firmum non relabendi, cum dolore præteritorum; ſic Sanchez, Baſilius, & Hurtado. An veró vxor, quæ eſt in periculo recedendi á fide, niſi á marito hæretico ſeparetur, poſsit abſolvi, ſi hoc non faciat? Reſp. affirmativé, quando notabile damnum in bonis vitæ, famæ vel fortunæ, imminet ex ſeparatione; hoc enim facit periculum illud involuntarium, vt ipſe Hurtado ſentit.

Sed quia materia hæc, eſt nimis diffuſa, & forté vt vidimus alibi tractanda, ex dictis breviter deducun-

ducuntur sequentia. Primó: quód si concubina minatur alicui, se illi propinaturam mortale venenum, si eam á domo ejicit, talis potest absolvi, quia illa occasio censetur involuntaria, non enim cum tanto incommodo tenetur eam vitare, & idem de fœmina respectivé dicendum est, si exitus eius magnam causaret famæ iacturam, & tales debent absolvi, veró existente proposito & dolore, sicut illi qui habent consuetudinem peccandi. Secundó: quód absolvi potest, qui concubinam domi habet cui debet centum aureos, & illa protestatur, se eum infamaturam si ejicit, ob eandem rationem, nempé, quia occasio illa iudicatur involuntaria, & idem est, si fœmina viro aliquid debet cuius amissio grave damnum infert ei, & si fœmina ejicitur non manet spes recuperandi. Tertió: quód omnia dicta intelliguntur, de occasione proxima, & de concubinarijs occultis, respectu absolutionis in suis casibus, nam si res fuerit publica, cum scandalo plebis, & vicinorum, statim debet præscindi, & tales subiacent excomunicationi, si post trinam admonitionem ab Episcopo factam non emmendantur.

Resumpta igitur duplicis casus præcedentis doctrina, reducitur ad hoc, quod qui ad pœnitentiam accedunt sine dolore, & proposito recedendi á peccatis mortalibus, & occasionibus eorum, confessionem sacrilegam faciunt, & etiam confessores sacrilegi sunt, & Sacramenti contemptores, si tales absolvunt; cuius documenti neglectus, in causa fuit, quod multi in suis peccatis veterascerent, cum scandalo proximorum, quos tandem infernum devoravit, qui ad hoc dilatavit os suum, eo quod confessores, scientia, zelo, fortitudine & constantia caruerunt; si ergo contingat, pœnitentem non habere propositum, vel quia renuit restituere, vel quia vult manere in occasione peccandi, vel quia officium quod sine mortali exerceri nequit, non vult deserere; tunc benigne est remittendus, aliquot assignatis diebus ad arbitrium confessoris, pro experimento emmendæ; quod si non revertitur, commendetur Deo; si veró revertitur emendatus, absolvatur; quod si in peccatis perseverat, nec ad sanam redierit mentem, dimmittetur sine absolutione dicendo, alium tibi confessorem quære, nam ego nihil tibi proficio; nec magni æstimet pœnitentis querelas, nec damna ab eo ponderata, hæc enim omnia, suæ malitiæ debent adscribi, quia voluntarié in statu peccati mortalis, vult permanere.

ARTICVLVS XI.

De Confessione.

Prima difficultas: An confessio, sit de iure divino? Certum est, illam non esse de iure naturali. Túm, quia vt ait D. Tho. in addit. q. 6. art. 2. Sacramenta non sunt de iure naturæ, sed de iure divino, quod est suprá naturale. Túm, quia natura, ad confitenda peccata occulta non inclinat. Túm, quia vt ait Tullius ius naturale est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit, & sic omni genti commune est, quod non habet confessio. Dubium ergo est, de iure divino positiuo. *Dico ergo:* confessio Sacramentalis, est iure divino præcepta; sic ait Trident. Sess. 14. cap. 5. contra hæreticorum errores. Ratio est 1. quia Christus Ioan. 20. dedit Apostolis potestatem absolvendi & retinendi peccata, quæ frustranea esset, nisi daretur in fidelibus obligatio illa confitendi. Secundó: nam vt vidimus Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, quo ad omnes suas partes, & sic etiam eius vsum præcepit, sicut & fecit in Baptismo; hoc enim est munus legislatoris sapientis, vt leges quas instituit, faciat obseruare.

Tertió: quia præceptum confessionis in lege gratiæ, succesit præcepto contritionis, alias Christus non aleviasset onus, si præcepto contritionis taddidisset confessionis præceptum; sed ante legem gratiæ, iure divino obligabat præceptum contritionis. Túm, quia sic ait Trident. loc. cit. cap. 4. Túm, ex lege iustitiæ, ad satisfaciendum Deo. Túm. ex lege charitatis, ad illum amandum, & detestandum quod ei displicet. Túm, ex lege amoris proprij, qua tenetur homo suis necessitatibus spiritualibus sub venire: ergo etiam obligat confessio, ex iure divino in lege gratiæ; quod robur accipit ex Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 24. dicente: Quód vniversa tenet Ecclesia, nec á Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimé creditur; hoc autem habet confessio, & ideo illa est de iure divino. Vndé plures Theologi sentiunt quod Ecclesia, non posset fidelibus confessionem absoluté præcipere, nisi illa esset de iure divino, non enim posset gravitatem præcepti linire, sicut Deus linit internis consolationibus, & plura inconvenientia sua providentia vitat, quæ per providentiam humanam, vitari non possent.

Si dicas: Quód pluribus sine confessione, est peccatum remissum; vt patet in D. Petro, Paulo, & Magdalena, & gratia nunc, minoris efficatiæ non est. Resp. quód etsi horum sanctorum confessio non legatur, potuit tamen fieri, quia multa sunt facta, quæ non sunt scripta. Vel dicatur: quód Christus propter suam potestatem excellentiæ, potuit sine Sacramentis, effectum eorum conferre; modo autē non ita facit, nā cum pœnitentia sit peccatorum remissiva, debet illa subijcere Sacerdoti, ad quæm pertinet Sacramentum dispensare, & satisfactionem imponere. Nec sufficit, quod homo sibi maiorem pœnam & satisfactionem imponat; nam satisfactio, non exigit pœnam peccati, ex quantitate pœnæ impositæ, sed vt est pars Sacramenti, á quo habet virtutem, & ideo illa, per Ministros Sacramenti dispensatores, debet imponi.

Inquires: Quas personas obliget, hoc confessionis præceptum? Resp. quód non obligat infideles, nec confirmatos in gratia; sed solum baptizatos, habentes conscientiam peccati mortalis. De infidelibus prob. quia Baptismus, est ianua ad alia Sacramenta suscipienda, & sic ante Baptismum susceptum, nullus est Sacramentorum capax, & multo minús Pœnitentiæ cuius materia, sunt peccata post Baptismum commissa. *Dices*: præceptum de sumptione Eucharistiæ, obligat etiam infideles, nam illi sunt capaces talis obligationis: ergo etiam obligat illos, præceptum divinum de confessione, cum eadem sit vtriusque ratio. Respondet Suarez, Tract. de Confes. disp. 35. sect. 2. neg. cons. & disparitatem assignat, ex eo quod confessionis præceptum, non obligat per se & absoluté, sed suppositá materia Sacramenti, quæ non datur in infidelibus ante Baptismum, & ideo non sunt capaces suscipiendi pœnitentiam, cuius contrarium in Eucharistia contingit, quæ non requirit in subiecto materiam peccati, sed eius susceptio obligat per se.

Sed hæc solutio falsa est, & expressa contra D. Thom. 3. p. q. 73. art 3. vbi ait: Quód per Baptismum, ordinatur homo ad Eucharistiam, & sic ante Baptismum, in re vel in voto susceptum, nulla datur obligatio recipiendi Sacramenta, & specialiter de Eucharistia constat, nam vocatur á SS. PP. vitæ spiritualis consumatio, Baptismus veró initium illius, & ante initium rei, nequit illa consummari. Nec illa disparitas, inter Pœnitentiam, & Eucharistiam á Suarez statuta, est recta, quia non omnium Sacramentorum, est materia peccatum, omnia tamen debent supponere capacitatem ad eorum susceptionem, quæ capacitas non datur in infideli ante Baptismum, ad recipiendam Eucharistiam nec Pœnitentiam, nec vllum aliud Sacramentum. Vndé ad arg. neg. ant. & sic ex illo nulla desumitur ratio contra nostrum dictum; de quo vid. Soto, in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. in fine.

Dices: licet infideles non baptizati, non obligentur immediaté ad confessionem, benè veró mediaté, quia si habuerint notitiam nostræ fidei, tenerentur Baptismum suspere, & sic non recipiendo Baptismum, omissio præcepti Pœnitentiæ imputatur illis. Contra est: licet quis teneatur ex voto ad ingressum religionis, non tamen tenetur ad eius ceremonias & leges, vsque dum illa profiteatur, vt communiter docent Theologi: ergo licet infideles in fide instructi, teneantur suscipere Baptismum, sed ante eius receptionem, non tenentur Ecclesiæ præcepta servare, nec Sacramenta suscipere; vndé ait Trident. Sess. 14. cap. 2. Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius ipsam, per Baptismi ianuam, fuerit ingressus. Uid. suprá dicta, q. 4. art. 9. diffi. 6. Secunda pars nostri dicti, de confirmatis in gratia, patet: nam illi non habent materiam necessariam Pœnitentiæ, quæ sunt peccata mortalia, propter quorum remissionem, est primario instituta. Vid. quæ suprá diximus, art. 2. casu 1. de non habentibus peccata, & de B.V. quæ fuit ab omni peccato immunis.

De habentibus conscientiam peccati mortalis, constat evidenter: quia pœnitentia, ad remissionem mortalium fuit præcipué instituta, vt SS. PP. vno ore fatentur; qua propter, illa est medium ad salutem necessarium, lapsis in mortali post Baptismum; venialia autem, hoc remedio non egent, quia nec gratiam ammitere faciunt, & quia alia via, & per plura alia media, possunt expiari, vt constat ex suprá dictis. *Si dicas*: quód ad destruendum peccatum mortale, & reparandam amicitiam Dei, sufficit contritio interior, secum afferens gratiam remissivam. Resp. quód licet gratiæ infusio, causetur per actum interiorem contritionis, modo tamen causatur per Sacramenta sensibilia, quæ applicant Passionem Christi, per Sacramentum actu susceptum, vel saltim in voto, in casu necessitatis.

Secunda difficultas: De præcepto Ecclesiastico confessionis. Dicendum est 1. datur præceptum Ecclesiasticum de Sacramentali confessione; constat ex cap. omnis vtriusque sexus; & illud est riguroſum præceptum, obligans ad mortale. Túm, quia sic decernitur in Trident. Sess. 14. Can. 8. & patet ex pœna gravissima, transgressoribus imposita. Túm, quia præceptum Ecclesiasticum de confessione, est determinatio præcepti divini quantum ad tempus; sed præceptum divinum est riguroſum, & obligat sub mortali: ergo etiam præceptum Ecclesiasticum. *Dices*: quód confessio Sacramentalis, exigit dolorem, qui cum sit actus puré internus, ab Ecclesia præcipi non potest. Resp. quód licet Ecclesia, non possit directé & primario præcipere actum internum, benè veró indirectè & secundario, quando actus interior est necessarius, vt exterior sit bonus & honestus, & sic per accidens & ratione confessionis, ab Ecclesia præcipitur dolor. Uid. dicta suprá, q. 4. art. 9. difnc. 7. dubiol. 2. vbi hoc idem, de annua communione dicebamus.

Rogabis: quas personas, obliget præceptum hoc? Resp. quód non obligat infideles non baptizatos, nec fideles carentes vsu rationis, nec habentes sola peccata venialia. De infidelibus non baptizatis constat ex dictis, circa præceptum divinum, cuius est determinatio, præceptum Ecclesiasticum. De carentibus vsu rationis patet, quia nullus obligatur ad actum impossibilem, confessio autem, impossibilis est, carentibus vsu rationis, cum non possint habere actum liberum, ad confessionem necessarium. De habentibus sola venialia, etiam constat: quia in cap. cit. omnis vtriusque sexus, solum imponitur præceptum confitendi omnia peccata, confiteri autem omnia venialia, est impossibile, & sic de hoc, præceptum non datur. *Si dicas*: quód

etiam

etiam est moraliter impossibile, omnia mortalia cognoscere & confiteri. Resp. hoc esse falsum, quia mortalia propria voluntate commissa, non habent impedimentum vt cognoscantur, nec ob entitatem minimam, quia alia cognoscimus entitatis minoris; nec ob infinitatem, quia á primo instanti vsus rationis, homo habet fere infinitos actus deliberatos, & licet etiam venialia, sint propria voluntate commissa, sunt cognitu difficiliora, quia plura & minutiora sint quam mortalia, sicut homo cognoscere potest cumulum hominum, & non cumulum granorum arenæ.

Dices adhuc: Ecclesia nequit obligare fideles, ad aliquid minuens attributa Dei, confessio autem omnium peccatorum, Dei misericordiam minuit. Resp. quód peccatorum confessio, Dei misericordiam non minuit sed auget, quia licet per confessionem, remittantur peccata illa, est purum instrumentum, & causa principalis remissionis est Deus, cuius misericordia maximé manifestatur, in eo quod in peccatorum confessione, illorum remissionem possuerit; nec auferetur locus sperandi in misericordia Dei, quia cum ad peccatorum remissionem, requiratur debita confessio, & non cognoscamus evidenter, nos illam fecisse, semper debemus in Deo confidere, & eum implorando, cum timore & tremore, nostram salutem operare.

An autem in hoc Ecclesiastico præcepto confessionis, possit cum aliquo dispensari? Respondet D. Thom. art. 6. negativé & probat, ex eo quod Ecclesia fundatur in fide & Sacramentis, sed ad Ministros non pertinet novos articulos edere, vel editos removere, sed hoc est potestatis excellentiæ convenientis Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum: ergo sicut Papa nequit dispensare, vt aliquis salvetur sine Baptismo, ita nec vt salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex vi Sacramenti. Hoc dixi: quia si præcisé attenditur præceptum confessionis, vt puré Ecclesiasticum, obligans intra annum, potest aliquando ex causa rationabili á Pontifice dispensari; nam quodlibet præceptum pendet á voluntate præcipientis: ergo cum præceptum confessionis, quo ad determinationem temporis á Pontifice pendeat, ab eo potest aliquando, ex rationabili causa dispensari; sic D. T. ibi.

Sed hoc aliquibus non placet 1. quia dispensare cum aliquo, ne confiteatur intra duos annos, est contra ius divinum, quod non est Papæ subiectum. Secundó: quia nulla datur causa huius dispensationis. Resp. ad 1. quód nos solum dicimus, posse dispensari hoc præceptum, vt est simpliciter Ecclesiasticum, & licet aliquomodo sit determinatio iuris divini, hoc solum est, ad vitandum periculum oblivionis; vndé si detur rationabilis causa, & periculum vitetur, dispensari potest. Ad 2. quód causæ rationabiles dispensandi, possunt diversæ assignari, nempé distantia Ministrorum, & occupatio in conversione infidelium, si non extet alius qui confessionem audiat; & etiam defectus copiæ confessoris, si non suscipiatur longus iter, cum incommodo gravi; deindé, si timetur gravis infamia, vel notabile nocumentum, vel quia nequit secreto confiteri, quia confessor est surdus, & alij circumstant.

Oppones contra primam resolutionem: Papa potest dispensare in voto, sed hoc obligat ex iure divino: ergo etiam potest dispensare in præcepto confessionis absolutè, etsi obliget de iure divino. Hoc argumentum, pertinet directé ad materiam de voto; & ideo ad illud breviter resp. quod cum Papa dispensat in voto, non dispensat in eo quod est de iure divino, sed eius obligationem tollit; & ideo integro manente voto non dispensat, ita quod non obliget, sed illud aufert, & sic obligationem tollit, sed tollere non potest confessionis obligationem; & disparitas est, quia votum pendet ab humana voluntate, quæ non potest omnia providere, quod non reperitur in confessione, vt ex lege divina, & ex vi Sacramenti obligante. Nec sequitur, Papam posse dispensare in matrimonio rato, quia hoc pendet á voluntate humana. Primó: quia ex non impletione voti, nullum Deo sequitur incommodum, sicut ex dispensatione matrimonij, sequeretur magna reipublicæ christianæ perturbatio. Secundó: quia in voto solum fit simplex promissio, quæ sæpé convenit vt mutetur; at in matrimonio fit traditio mutua, ex cuius non impletione, multa possunt inconvenientia sequi; de hoc vid. D. T. 2. 2. q. 88. art. 11.

Ex dictis infertur: quód etiam Summus Pontifex, si eum contingerit mortaliter peccare, tenetur præcepto divino, & Ecclesiastico confessionis; sicut etiam tenetur alijs præceptis Ecclesiæ, non quo ad vim coactivam, sed quo ad vim directivam, sic enim legislator, est suis legibus subiectus, vt ait D. T. 1. 2. q. 96. art. 5. Et ratio est: quia Summus Pontifex in eo casu, potest considerari, vt Prælatus Ecclesiæ, & hoc modo superiorem non habet, & potest considerari vt peccator, & sic confessori se subijcit, quatenús ille est peccator, & Sacerdos Christi Minister; sicut vnus Medicus, ab alio curatur, non in quantum Medicus, sed in quantum infirmus; sic D. T. in addit. q. 6. art. 3. ad 2. *Dices*: Pontifex nequit alteri dare facultatem, vt eum excomunicet: ergo neque vt eum absolvat. Resp. quód Summus Pontifex in foro externo, nulli subijci potest, bené veró in foro interno, & quia excomunicatio pertinet ad forum externum, & confessio ad internum, potest dare facultatem alteri, vt eum absolvat, non vero vt illum excomunicet.

Tertia difficultas: Quando obliget Præceptum confessionis? Suppono: præceptum hoc vt Ecclesiasticum, non esse novum & distinctum quo ad substantiam, á præcepto divino de confessione, sed determinativum illius quo ad tempus; hæc sentiunt com-

communiter DD. & patet ex cap. omnis vtriusque sexus, vbi substantia actus, præcepta supponitur per præceptum divinum, & solum tempus determinatur; & ratio est: quia alias fideles, tenerentur bis in anno confiteri, semel ex præcepto divino, & semel ex Ecclesiastico, quod falsum est. Sed tamen hoc præceptum, est á præcepto annuæ communionis distinctum. Tùm, quia per se obligat, independenter á præcepto Eucharistiæ, vt patet in his qui non sunt ad Eucharistiam idonei, & sunt capaces peccandi mortaliter. Tùm, quia hoc suadet maxima Pœnitentiæ necessitas, independenter ab Eucharistia, ad iustificationem peccatoris, & salutem animarum.

Dico 1. homo tenetur ex præcepto divino ad confessionem, in articulo mortis. Ratio est: quia præceptum confessionis, est affirmativum, & sic aliquando debet obligare; sed non potest alio tempore obligare, nisi tempore necessitatis extremæ, qualis est mortis articulus: ergo tunc obligat. *Si dicas*: quisnam dicitur mortis articulus? Resp. quód est ille, in quo quis iuxta prudentum iuditium, est proximus morti, sive ex infirmitate, sive ex sententia iudicis; periculum autem mortis est, in quo mors non est tam proxima moraliter, vt est certamen militum, periculosa navigatio, tempus pestis, & partus in mulieribus, & maximé primus, & hæc sunt æqualia, quo ad obligationem confitendi, sed non quo ad potestatem absolvendi, nam in articulo mortis, potest absolutio conferri quorumlibet peccatorum & casuum, non verò in mortis periculo, nisi alias mors proximé immineat, ex vulnere vel infirmitate; sed hoc non intelligitur de absolutione, quæ semel in vita per Bullam confertur, sed de illa quæ conceditur, in articulo mortis.

Infertur ex hoc: teneri medicos, cum vocantur ad visitandum infirmos, eos admonere de periculo, vt confessionem faciant, quod habetur in cap. cum infirmitas de pœnit. & renovatum est á Pio V. anno 1566. & addit, debere ab eis præstari de hoc iuramentum, cum accipiunt Doctoratus gradum; sed hoc in vsu non est, & vt Cayet. ait, medicus satisfacit præcepto, si per se vel per assistentes infirmo, illum moneat, & hoc sæpé convenientius fit, nam Ecclesiæ Ministri, ex longa experientia & vsu, anuntiant suavius infirmo periculum moriendi; vidi enim aliquando medicum intrepidum, subito ictu ægrotanti mortem intimasse; quasi ex scloppo globulus plumbeus emitteretur; moneant ergo infirmum per eos qui assistunt, & sufficit hoc; quod si infirmus admonitionibus non acquiescit, nec confiteri vult, non ideo medicus illum desserere debet, quia præceptum, non est tam rigide interpretandum; si autem dubium est, an sit mortis periculum; homo confiteri tenetur, alias exponitur periculo frangendi præceptum divinum in eo casu, sunt autem alij casus, in quibus extra mortis articulum, per accidēs obligat confessio, nempé omnes in quibus obligat contritio, & suprá sunt positi, diffic. 6. in fine.

Dico 2. Præceptum Ecclesiasticum confessionis, non obligat per se, in determinata parte anni; sic tenent M. Soto & Cano, & constat ex illo, cap. sæpiús citato: omnis vtriusque sexus, nam ibi tantum dicitur, quod semel in anno fiat confessio, non limitando tempus, ad certam partem anni. Si dicas: quód D.T. hic, q. 6. art. 5. ait: Obligationem confessionis, oriri ex obligatione ad communionem, & hæc obligat in determinata parte anni. R. D.T. loqui, secundum communem vsum fidelium, qui ad communionem Paschalem, confessionem præmittunt, vndé illa obligatio ad confessionem, est per accidens, & ratione communionis, quæ omnia patent ex cap. omnis vtriusque, &c. vbi de Eucharistia dicitur, debere suscipi, ad minús in Pascha, de confessione vero, semel in anno, vndé limitat tempus ad primum, & non ad secundum.

Sed circa temporis limitationem, sensit Cayet. præceptum confessionis, Religiosos arctius obligare, & sic ait, illos teneri semel in mense venialia confiteri, propter Clementinam: Ne in agro Dominico. Sed dicendum est cum M. Soto, in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. hoc verum non esse, quia lex illa, esset nimis aspera, si venialium confessionem præciperet. Nec obstat decretum illud, quia commune ius non mutavit, & solum obligat, quando simul cum peccatis venialibus, sunt mortalia, & pro Religiosis, tempus abbreviat, vt si alij singulis annis, tenentur mortalia confiteri, id facere teneantur Religiosi quolibet mense, nec id imponitur vt præceptum, sed vt consilium, attendendo perfectioni status illorum.

Infertur ex his: quód ille qui intra annum non est confessus, nec præceptum implevit, tenetur statim confiteri, alias mortaliter peccat, ita discipuli D.T. quos sequitur Navarrus & Maior. Ratio est: nam præceptum annuæ confessionis, eo tendit, vt confessio nimium non differatur: ergo sic obligat intra annum, quod si tunc non fit, semper obligat, ne ampliús differatur. *Dices*: qui in die festo non audit Missam, non tenetur eam audire die sequenti: ergo idem de non confitente intra annum. Resp. quód est diversa ratio: nam tempus audiendi Missam in die festo, præfigitur ad extinguendam obligationem, & sic eo transacto, non manet obligatio; annus autem non assignatur, vt terminus ad obligationem confessionis exinguendam, sed ad illam solicitandam, & sic transacto anno, remanet obligatio, quam primum confitendi; sicut qui non solvit debito tempore, non ideo á solutione liberatur, sed tenetur solvere quam primum possit. Sed tamen, qui legitimé est confessus intra annum, & oblitus fuit aliqua peccata, & Sacramentum validum fecit, non tenetur ad confessionem oblitorum,

vsque

vsque ad annum sequentem. Sic sentit Victoria, Navarrus, & Petrus Ledesma. Ratio est: quia præceptum Ecclesiæ, solum obligat ad confitenda peccata illo anno, vt occurrunt memoriæ, facta morali diligentia & inquisitione: ergo quando ita fit, non datur obligatio confitendi, vsque ad annum sequentem.

Nec obstat: Quód Ecclesia obligat ad confitendum omnia peccata, quod non facit qui non confitetur oblita. Dicitur enim, quod Ecclesia obligat, ad omnia peccata confitenda, quæ facto diligenti examine, memoriæ occurrunt, quod non habent peccata inculpabiliter oblita. Ex quo passim habetur: quód qui ex inculpabili oblivione alicuius peccati, facit confessionem veram, sed informem, præceptum confessionis adimplet, quia præceptum, solum est de Sacramento, & non de eius fructu; sed tamen, si confessio vera non est, non adimplet, nam si confessio non est vera, non est confessio, & idem est, si aliqua causa pœnitens absolutionem non recipit, tenetur enim tunc, eo anno iterum confiteri, quia integram confessionem non facit, illa enim per absolutionem completur.

Vlteriús infertur: quód qui scit, in posteriori parte anni, se habiturum impedimentum ad confessionem, vt est longa navigatio, defectus confessoris, aut aliquid huiusmodi, tenetur confessionem anticipare. Ratio est: quia præceptum obligat fideles intra annum: ergo qui prævidet impedimentum, tenetur anticipare præcepti adimpletionem; sicut qui scit in die festo, ab hora decima non posse sacrum audire, tenetur id anticipare. *Si opponas*: quód præceptum obligat intra annum, & hic ante illum non debet impleri; sicut nec tenetur audire Missam in Sabbato, qui non potest in die Dominica, nec ieiunare ante Vigiliam, qui in Vigilia non potest. Resp. quód tempus anni, designatur ad solicitandam obligationem, & sic tenetur anticipare, qui impedimentum prævidit, quia obligatio iam incepit; vndé patet disparitas ad illud de auditione sacri in Sabbato, & de ieiunio ante Vigiliam, quia tunc non dum incepit obligatio, & ideo non debet anticipari adimpletio.

Si dicas: Quód hoc modo, etiam oblivioso tueretur confessionem anticipare dum recordatur, si prævidit, postea non recordaturum. Resp. quód præceptum non ita tegurosé obligat, nec tenetur homo extraordinaria diligentia prævenire, vt peccata servet in memoria; sed solum moralem inquisitionē facere, & si hac facta, peccata sunt oblita, post eorum recordationem, obligatio præcepti non resurgit, vt proximé dicimus. Vid. suprá, q. 4. art. 10. casu 10.

Inquires: Quomodo debeat annus computari, ad implendum præceptum annuæ confessionis? Resp. quód annus Ecclesiasticus, computatur á Quadragesima ad quadragesimam, quod probatur ex fidelium vsu; vndé hic annus, non physicé numeratur per tot menses vel dies, sed more Ecclesiæ, cum enim tempus mobile sit, possunt aliquando inter vnam & aliam confessionem, mediare tredecim menses, & aliquando vndecim; ex quo fit, quod qui in festo Natalis Domini, vel in alio anni festo confitetur, non tenetur per se in Quadragesima confiteri, ex vi præcepti, tenetur tamen per accidens, si habuerit conscientiam peccati mortalis, quia debet ex præcepto in Paschate communicare; si autem talem conscientiam non habet, ad confessionem non tenetur; sed sufficit vt præceptum adimpleat, quód Sacerdoti se præsentet, & ostendat se esse sine mortali, & hoc ei pro confessione reputatur; sic D.T. in addit. q. 6. art. 3. ad 3.

Si Petas: An pœnitens teneatur aliquando, bis confiteri eadem peccata? Resp. ad id teneri, in casibus sequentibus. Primó, quando ante absolutionem á peccatis, non fuit absolutus ab excomunicatione quam incurrerat. Secundó, quando vovit se facturum generalem confessionem omnium peccatorum. Tertió, quando non potest explicari malitia peccatorum præsentium, nisi repetendo præterita confessa. Quartó, quando vrgente præcepto, vel gravi necessitate, habens reservata, confitetur inferiori Sacerdoti, cui reservata declaravit, tenetur ea confiteri superiori cui sunt reservata, quia ab inferiori, solum indirectè, & per accidens fuit absolutus, cum obligatione confitendi ea superiori, suo tempore. *Dices*: vt quid in eo casu, peccata reservata debent Sacerdoti inferiori manifestari, si ab eis non absolvit, & confessio ad absolutionem ordinatur? Resp. D.T. in addit. q. 9. art. 2. ad 4. quód & si inferior Sacerdos, non possit á reservatis absolvere, tenetur pœnitens, ei omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat.

Quarta difficultas: De integritate confessionis. De hoc agitur á D.T. in addit. q. 6. art. 4. & q. 9. art. 2. Dicendum est 1. Negare peccatum mortale in confessione, quod non est materia necessaria confessionis; non est contra integritatem confessionis; bené verò negare peccatum mortale, quod est materia necessaria. Primùm constat, in peccatis mortalibus iam ritè confessis, & in venialibus, quia ea negando, nulla iniuria fit Sacramento, nec Sacerdoti; imó ait Suarez, quod negatio illa, nec veniale peccatum est. Secundùm, de negatione mortalis, quod sit materia necessaria, constat: quia tunc peccaretur contra iustitiam in re gravissima, iustitia enim dictat, quod quis suo superiori obediat, in his ad quæ se extendit suum ius, qualiter extenditur ius confessoris, vt iudicis, circa pœnitentem; & deindé, irrogaretur iniuria Sacramento, faciendo quod eius forma, suprá materiam debitam non caderet.

Sed dices: Aliquando est licitum, ommittere in confessione aliquod mortale, vel circumstantiam illius; primum constat, nã si quis habet peccata reservata superiori, potest inferiori non reservata confiteri tacendo reservata, si detur necessitas vrgens, nec sit facilis aditus ad superiorem; secundum patet, nam potest ex manifestatione circumstantiæ, grave scandalum, vel notabilis infamia suboriri, in quo casu potest negari. Resp. ad 1. quód pœnitens in eo casu, tenetur etiam reservata confiteri, inferiori Sacerdoti vt iudici, licet non vt medico, vt statum pœnitentis cognoscat, & pro reservatis ad superiorem remittat, vt proximé diximus cum D.T. Ad 2. quód confessio peccatorum & circumstantiarum, obligat absolutè & secundum se, non verò si grave scandalum, aut detrimentum subsequatur, præceptum enim vitandi scandalum, & servandi famam, est naturale, & gratia naturam non destruit.

Dicendum est 2. mendatium circa peccatum veniale, quod non est materia totalis confessionis, non est peccatum mortale, benè verò si illud est materia totalis. Prob. quia licet in primo casu, pœnitens non faciat iniuriam Sacramento, cum non mentiatur circa materiam necessariam, nam veniale, potest pro libito dici vel ommitti; sed in secundo casu, iniuriam Sacramento facit, cum sit causa, vt eius forma, non cadat suprá debitam materiam: ergo licet in primo casu, non sit mortale, benè verò in secundo. Sed notandum cum Cayet. pro scrupulosis, quod si quis eorum, vnum pro alio dicat, etiam circa materiam necessariam, non peccat mortaliter quia hoc facit ex turbatione, & non animo fallendi confessorem, sed quia cogitat confessionem sic debere fieri, & oppositum talis dicti, in mente non habet, quod ad mendatium requirebatur; cuius doctrinæ substantia, habetur in D. Tho. in addit. q. 6. art. 4. ad 1.

Obijcies contra resolutionem: qui mentitur circa veniale, etsi non sit materia totalis confessionis, iniuriam facit Deo: ergo mortaliter peccat. R. quód nulla fit iniuria Deo, nec iudicio Sacramentali, negando tale peccatum, nam est mendacium, circa id quod non est materia necessaria, nec confessor de hoc interrogat iuridicé, & sic pœnitens, non tenetur respondere, & non negat absolutè veniale commissse, sed solum negat, quod teneatur in tali foro illud revelare. *Dices*: licet veniale sit materia imperfecta, respectu mendatij secundum se, non verò vt substat iudicio; sicut materia leuis secundum se, est gravis vt substat iuramento, & sic qui mentitur in materia levi iurando, mortaliter peccat. Resp. quód quando actus mentiendi est materia iudicij, defectus veritatis, etiam in re levi est peccatum mortale, & sic contingit in iuramento, cuius veritatis materia, est etiam res levis, & defectus, gravem iniuriam Deo infert; peccatum verò veniale secundum se, non est materia confessionis, nisi pœnitens hoc ex intentione faciat, & ideo dispar est ratio vtriusque.

Dicendum est 3. ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, requiritur confessio integra formaliter quantum ad speciem, & numerum peccatorum. Dicimus formaliter, id est confitendo omnia peccata pro vt sunt in conscientia, licet ex oblivione, vel iusta causa ommittantur aliqua; non vero materialiter, id est, confitendo quicquid per se loquendo, est necessarium. Resolutio nostra est de fide diffinita in Trident. Sess. 14. cap. 5. vbi ait: Qui scienter aliqua peccata retinent, nihil divinæ bonitati, per Sacerdotem, remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus, vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat. Deindé: quia Deus in Sacramento pœnitentiæ remmittit peccata media accusatione rei, & sententia iudicis, præsupponit integram accusationem rei. Vndé vt ait D T. q. 9. art. 2. ad 2. sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt contereretur, ita non esset confessio nisi quis de omnibus quæ memoriæ occurrunt confitearur, ex quo patet nostrum dictum.

Dices: potest quis absolvi de vna excomunicatione, & non de alia: ergo etiam vnum peccatum, potest sine alio remmitti, & vnum sine alio confiteri. Resp, quód excommunicatio consistit, in extrinseca privatione bonorum spiritualium, quæ potest poni ob plures titulos, & vnus auferri sine alio; peccatum vero, dicit privationem gratiæ & amicitiæ Dei, quæ cum nullo peccato mortali stare potest, & ideo repugnat vnum peccatum, sine alio remmitti, & vnum sine alio confiteri. Ad integritatem autem confessionis, necessarium est, non solum actus internos, sed etiam exteriores dicere, quia licet malitia peccati, præcipué consistat in actu interiori, sed tamen etiam ad exteriorem extenditur, quia multoties per istum, additur interiori malitia, vt scandalum vel damnum proximi; & etiam, quia saltim actus exterior, est complementum actus interioris.

Dicendum est 4. integritas materialis confessionis, non semper est necessaria ad eius valorem, & ad consequendum fructum Sacramenti; sic tenent communiter Theologi, & constat ex Trid. Sess. 14. cap. 5. vbi ait: Quód confessio diminuta per accidens, propter oblivionem inculpabilem peccatorum, recta est, & eadem ratio ac de oblivione datur, de qualibet alia impotentia, physica vel morali. Túm, quia integritas confessionis, debet esse moraliter possibilis. Túm, quia non debet repugnare præcepto charitatis, quod maius est, nam vt ait D. Bern. quod propter charitatum introductum est, non debet contra charitaté exerceri.

Quænam autem sint causæ, excusantes á materiali confessionis integritate? Resp. quód sunt plu-

res.

res. Prima est oblivio, de qua loquitur Concil. cum quis posita sufficienti diligentia, peccatorum non recordatur. Secunda impotentia, vt est loquelam ammittere, vel in phreneſim verti, & etiam tempore incendij, belli vel tempestatis, potest dari absolutio pluribus, aliquod peccatum alta voce confitentibus. Tertia, periculum gravis damni, vt si timetur prudenter, confessarium non servaturum sigillum, vel infamaturum pœnitentem, vel complicem, vel ad peccatum incitaturum (quæ tamen de Ministris Christi, nequeunt excogitari) stantibus his & similibus causis, præceptum integræ confessionis, non obligat cum tanto detrimento.

Sed notandum: quód vt hoc debité fiat, requiruntur tria. Primó: quód periculum damni, vel scandali sit grave, & in levibus indicijs non fundatum. Secundó: quód confessio non possit commodé fieri, nec sit alius Sacerdos, cui confessio integra fieri possit. Tertió: quód solum illud peccatum celetur, quod ad hæc vitanda sit necessarium. Deindé, ex parte Ministri, excusatur confessionis integritas, si timeatur mors eius, vel defectus loquelæ antequam possit totam confessionem audire, nec possit alius Sacerdos facile vocari, tunc audito aliquo peccato, potest absolutionem conferre; & similiter, si tempore pestis, Sacerdos mortem timet, si diu cum ægroto immoratur.

Sed dices 1. in nullo casu licitum, est dimidiare Eucharistiam, consecrando vnam speciem sine alia: ergo nec licet dimidiare confessionem. Secundó, contritio non remmittit peccata, nisi cadat super omnia: ergo nec confessio. Tertió, peccata non remmittuntur, nisi clavibus Ecclesiæ subijciantur, quod non habent peccata quæ tacentur. Resp. ad 1. quód confessio est actus moralis & humanus, & sic præceptum de eius integritate, debet per regulas prudentiæ, moraliter regulari; materia verò Eucharistiæ, non est aliquis actus humanus, & ideo præceptum de eius integritate, intelligitur absque limitatione. Ad 2. quód solum confessio integra formaliter, succedit contritioni, non autem materialiter integra, & ideo sufficit prima integritas, & non requiritur secunda. Ad 3. quód illa peccata, quæ tacentur in confessione ex causa iusta, indirectè subijciuntur clavibus Ecclesiæ, & simul remmittuntur cum confessis, vt ait Trident. de peccatis inculpabiliter oblitis, de quibus dicit, quod intelliguntur in confessione inclusa.

Quarta difficultas: An ad integritatem confessionis, debeant confiteri circumstantiæ notabiliter aggravantes peccata? Notandum, quod ex circumstantijs peccatorum, aliæ mutant speciem, vt si furtum fit in loco sacro, transit ad speciem sacrilegij; aliæ notabiliter aggravant, vt furtum mille aureorum, notabiliter aggravat, suprá furtum vnius aurei; aliæ sunt impertinentes, quæ nec agravant, nec speciem mutant, vt occidere hominem ligno vel ferro; certum est, circumstantias mutantes speciem debere confiteri, quia novam malitiam superadduut actui; impertinentes autem, quæ nihil ad confessionem faciunt, confitendæ non sunt; vndé difficultas est, de circumstantijs notabiliter aggravantibus, in cuius decisione authores maximé discordant; sed nos cum cautela procedemus, memores doctrinæ D.T. qui quodlibeto 9. art. 15. ait: Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressé veritas habeatur, periculosé determinatur, & rationem assignat: quia error quo non creditur esse peccatum mortale, quod mortale est, conscientiam non excusat á toto, licet forté á tanto, id est non est tam grave peccatum, quam si non esset error; error verò quo creditur esse peccatum mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale, quod præcipué est periculosum, vbi veritas ambigua est.

Dico ergo: circumstantiæ notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem, necessario sunt explicandæ in confessione, vt hæc integra sit. Contrarium sentiunt plures Doctores, cum Durando, Paludano, Silvestro, Angelo, Navarro, Toleto, Vazquez, Volentia, Becano, Mercatio, Salmant. & Lugo; sed nostra resolutio, est Thomistarum communis, quos sequitur Suarez, Coninch, Martinonus, Amicus, Sa, & alij. Ratio autem nostræ assertionis est: quia licet Trident. hanc difficultatem, expressé non diffinierit, illam Theologis relinquens, sed videtur colligi ex Sess. 14. Can. 5. vbi docet, talem requiri confessionis integritatem, vt confessor rectè de criminum gravitate iudicet, & debitam pœnam imponat; sed hoc nequit fieri, nisi explicentur circumstantiæ aggravantes notabiliter; nam furtum mille aureorum graviús est, & maiori pœna dignum, quam furtum vnius denarij: ergo, &c.

Explicatur hoc: Concilium ibidem docet, quod debent in confessione explicari, species & numerus peccatorum mortalium: ergo etiam circumstantiæ aggravantes notabiliter, explicari debent. Conf. prob. quia peccatum ob circumstantiam notabiliter aggravantem, vel habet plures malitias, vt multi asserunt, vel saltim est virtualiter multiplex, & æquivalet in gravitate pluribus peccatis, vt patet in ipso exemplo furti mille aureorum, & in odio per multum tempus, quia continuatio peccati, est virtualis quædam peccatorum distinctio.

Dices: quód ex Trident. potiús videtur inferri oppositum, nam loc. cit. ait: Quód solum sunt explicandæ circumstantiæ, mutantes speciem, & quod nihil aliud á pœnitentibus exigitur. Contra est: quia licet Concil. vt vidimus, hanc difficultatem expressé non explicuerit, sufficienter colligitur, ex eius doctrina, vt proximé dicebamus; nam aliquando vt statim dicemus, circumstantia notabiliter aggravans, maiorem malitiam addit, quam circumstan-

stantia mutans speciem. Quando autem ait Concil. nihil aliud á pœnitentibus exigi, hoc non est ob solam confessionem speciei & numeri peccatorum, sed quia solum requiritur, examen debitum, integra confessio & sufficiens dolor, vt patet ex Concilij verbis statim subiunctis, vbi hoc expressé asserit.

Deindé prob. nostra resolutio: quia peccata reservantur á Prælatis, ratione circumstantiæ notabiliter aggravantis, nam sæpiús sibi reservant incestum cum matre vel sorore, & non cum consobrina: ergo illæ circumstantiæ, sunt necessario confitendæ. Cons. pat. quia Ecclesia nunquam reservat sibi, venialia nec mortalia rité confessa, & sic reservando peccatum, ratione circumstantiæ notabiliter aggravantis, hæc est materia necessaria confessionis. Explicatur: hæc circumstantiæ notabiliter aggravantes, multoties addunt maiorem malitiam, quam circumstantiæ mutantes speciem, vt patet in incestu cum matre vel sorore, in furto mille aureorum, & in occisione centum hominum: ergo illæ debent confiteri, nam materia confessionis, ex malitia colligi debet.

Denique prob. ex varijs absurdis, quæ ex oppositæ sententia sequuntur. Primó enim sequitur, quod actus externus, non est in confessione aperiendus, nam iuxta communem sententiam, tota malitia peccati, desummitur ab actu interno & externus, est sola circumstantia peccati. Secundó sequitur: quód qui incestum commisit cum matre vel sorore, rectè confiteretur dicendo, se incestum commisisse, quia iuxta communem sententiam tactam á D.T. 2. 2. q.154. art.9. ad 2. omnia peccata incestus, sunt eiusdem speciei. Tertió sequitur, quod qui hominem vulneraret, amputando illi manus, brachia & caput, & oculos eruendo, sufficeret quod confiteretur dicendo, quod graviter hominem vulneravit, si mors non fuit secuta; & similiter, qui occideret vno ictu viginti homines, satisfaceret dicendo, se homicidium commisisse, & qui rempublicã, & eius habitatores omnibus bonis suis expoliasset, sufficeret si diceret, furatum fuisse in materia gravi; sed hæc omnia sunt absurda vitanda: ergo circumstantiæ notabiliter aggravantes explicari debent, vt seruetur confessionis integritas; quod sic expressé habetur in Catechismo Romano, de Sacram. Pœnit. §. Sed quoniam, vbi dicitur, quod iuxta Tridentini mentem, in confessione, non solum debent explicari peccata, sed etiam circumstantiæ, quæ grauitatem eorum, valdé augent vel minuunt.

Sed dices 1. quód hoc modo, etiam deberent explicari circumstantiæ notabiliter minuentes, quod falsum est, quia pœnitentia, non est tribunal excusationis, sed accusationis. Secundó: quia valdé difficile est, circumstantias aggravantes notabiliter discernere, & sic adhoc nequit obligare, suaue iugum Christi. Ad 1. dicunt aliqui, circumstantias notabiliter minuentes, non debere explicari, ob rationem dictam; sed oppositum est verum, nam adeo possunt gravitatem minuere, vt diversum de pœnitente formetur iudicium, vt si mulier motu mortis in fornicationem consentit. Licet autem Pœnitentiæ tribunal, sit ad accusationem; hoc tamen debet esse ita, vt confessor mensuram delicti cognoscat, & debitam pro illo satisfactionem iniungat.

Ad 2. quód licet omnes circumstantias notabiliter aggravantes, ad vngem cognoscere sit difficile, sufficit tamen, quod morali modo sint notæ, iuxta diversitatem præceptorum & materiarum, vel etiam virtutum quibus peccata opponuntur, vt patet in exemplis adductis suprá; intensio etiam & duratio peccati, facile cognoscitur, & modus extraordinarius illius, vt diximus de hominis crudeli vulneratione; quod si hæc omnia á pœnitentæ non discernuntur, diligentia & solertia confessarij potest suppleri; si autem pœnitens, tales circumstantias notabiliter aggravantes ignoret, & ideo illas ommitrat, non ideo impeditur Sacramenti valor, nec confessionis integritas.

Præcipua instantia contra hoc, summitur ex verbis D.T. qui in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. ait: Quód circumstantias, quæ ad aliam speciem peccati non trahunt, non debere confiteri, probabilius est; & expressius, opusc. 12. art. 6. ait: Circumstantias aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut neque venialia, licet sit laudabile, quod homo ea confiteatur. Fateor quod D.T. locis prædictis, videtur oppositam sententiam aperte indicare; sed illum dupliciter exponimus, & sic fortasis, vtraque sententia de confessione circumstantiarum aggravantium notabiliter, concordatur. Primó dicimus: quód D.T. ait, illarum confessionem, per se & directé non obligare, quia præceptum directé & per se, solum cadit suprá peccatum, & non suprá circumstantiam, quæ est quantitas illius, & accidens substantiæ peccati.

Ratio est: quia contritio & satisfactio imponenda, ratione quarum, circumstantiæ aggravantes notabiliter debent explicari, vt sit proportio inter pœnitentiam & culpam, habent esse quasi substantiale, & quantitatem quasi modalem, seu gradualem, quorum primum constituit speciem, & secundum aggravat vel minuit, & similiter in peccato, hæc duo debent distingui; nempé essentialia speciei & individui, & gradus seu quantitas augens speciem constitutam, quæ in eo differunt, quod primum est ipsa malitia peccati essentialiter, secundum verò, est perfectio accidentalis illius; nam hæc etiam distinguntur in omni entitate physica vel morali; sed præceptũ directé & per se, solum est de peccato mortali, & non de illi annexis; ergo confessio circumstantiarum notabiliter aggravantium, dire-

directé & per se non obligat.

Sed tamen illa obligat indirectè, & quasi secundario; & ratio est: quia tunc aliquid in confessione indirectè debet explicari, quando illo non expresso, nequit sciri debitus satisfaciendi modus; pœnitens enim debet habere satisfactionem in voto, & Sacerdos est iudex absolvens á culpa, & ligans ad pœnitentiam satisfactoriam pro factis, & medicinalem ad præcavenda futura peccata, vt ait Trident. cap.5. sit; sed hæc haberi nequeunt, sine manifestatione circumstantiarum notabiliter aggravantium, nam regulariter his non expressis, nequit cognosci ipsa species peccati, vt patet in exemplis adductis, de furto & de incestu, & clarius patet in circumstantia recidivandi ex occasione proxima, quæ aggravans est, & sine eius cognitione, nequit debita satisfactio imponi: ergo saltim indirectè obligat, harum circumstantiarum in confessione explicatio; quæ doctrina in substantia, summitur ex D. Thom. in 4. dist. 22. q.1. art.2. quæ conducit ad eius authoritates exponendas, & sententias oppositas in hoc puncto concordandas.

Secundó dicimus, quód etsi locis prædictis, D. Thom. illam sententiam expressé tenuerit, loquebatur tamen puré speculativé, nam quo ad praxim & vsum fidelium & confessariorum, parum refert, quod circumstantiæ aggravantes directé sint, vel non sint de necessitate confessionis, & sic loquendo absolutè, affirmandum est, teneri fideles ad illas explicandas, nec oppositum potest ad praxim deduci, nisi cum limitatione á nobis posita. Undé licet contrarium sit probabile, sed cavendum est, ne ex opinionibus probabilibus in scholis, summatur deceptionis occasio, & sub specie benignitatis, detur libertati carnis occasio, contra præceptum Apost. ad Galat.5. vers.13. quam doctrinam ex M. Prado desumpsimus hic, q.2. dub.2.§.2. per totum.

Sexta difficultas: An propter confessionis integritatem, possit pœnitens, personam complicis revelare? Sciendum est: quod si potest peccatum integre explicari, sine complicis manifestatione, ad hoc tenemur ex charitate, vt si mulier rem habuit cum Prælato, non est necesse hanc circumstantiam dicere, sed sufficit dicere, rem habuisse cum Sacerdote; similiter si adest confessor, non cognoscens complicem, pœnitens tenetur illum adire, & etiam debet se occultare si potest, ne confessor in cognitionem complicis veniat; nec tenetur complicem manifestare, si huic, grave damnum vel infamia immineat, quia si pœnitens potest occultare suum peccatum, ad vitandam infamiam propriam, quanto magis, ad vitandam infamiam proximi. Undé dubium est, quando non extat aliud medium ad integritatem confessionis, nisi complicem peccati revelare, an possit ita fieri?

Resp. quód hoc potest, imó ad illud tenetur pœnitens. Contrarium sentiunt plures, cum Navarro, Marsilio, Ualentia, Bañez, Rodriguez, & Villalobos; sed dictum nostrum verius est, & videtur expressé colligi ex D. Bern. opusc. de form. hon. vitæ, vbi ait: De nullo sinistre loquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc vbi non potes aliter, manifestare peccatum tuum; quod etiam habetur apud D. T. in 4. dist.16. q. 3. art.2. quæstiunc. 5. ad 5. & opusc. 12. art.6. in fine, vbi ait: Si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, vt exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Nec obstat: quód hinc, alteriús infamia sequitur; nam animus pœnitentis, non est informare, sed confessionem integram facere; & vt ait D.T. 2. 2. q.73. art.2. quando aliquis loquitur de alio, per quæ diminuitur eius fama, non hoc intendens, sed aliquid aliud, hoc non est detrahere formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens; hoc autem contingit in complicis infamia, ex pœnitentis integra confessione secuta.

Ratio autem horum est: nam quando aliquis vtitur iure suo, etsi ex hoc alteri sequatur damnum, non ideo peccat, vt in pluribus exemplis patet. Primó, in occidente alium, vt conservet vitam, si aliter illam conservare non potest. Secundó, in eo qui petit iuramentum á Gentili, ad valorem contractus, si nequit alio modo assecurari, licet indé sequatur periurium proximi. Tertió, in muliere se decenter ornante, licet hinc sequatur amor inordinatus in iuvene. Quartó, quia extra confessionem, potest pœnitens complicem manifestare, ob huius vtilitatē, vt contrarij dicunt, & sic potiori iure id poterit intra confessionem, cuius tribunal, secretius & sacratius est, & ipse potius debet suæ vtilitati spirituali, & integritati confessionis consulere, quam complicis famam conservare.

Respondent: omnia hæc vera esse, si sequitur vtilitas in pœnitente, ex complicis manifestatione, vel damnum ex silentio, quod tamen non apparet; si enim aliquod daretur damnum, esset non accipere gratiam, & hoc non, quia confessio est dolorosa, formalitet integra, cum proposito confitendi peccatum, in tempore opportuno; & retorquetur ratio: quia etsi quis in adulterio, non intendat iniuriare virum, sed libidinem explere, veré iniuriat & adulterium committit, & sic idem dicendum, de infamante complicem, sine intentione. Sed contra hæc est: nam hoc ipso quod quis, se voluntariè fecit socium peccati, renuntiavit ius quod habebat apud pœnitentem: ergo hic nullam irrogat iniuriam, complicem manifestando; per quod patet disparitas de adultero, nam vir iuri suo non renuntiavit, & ideo semper ei sequitur iniuria, etsi hæc non sit de intentione offendentis; & si argumentum fiat de viro consentiente mulieris turpitudinem. Di-

citur, quod tunc vinculo Sacramentali fit iniuria, & cessio illius, in manu viri non est.

Malum ergo pœnitenti secutum ex non manifestatione complicis, est non recipere medicinam á Sacerdote, qui aptior est vt illam conferat, quam pœnitens ipse; bonum autem, quod sequitur ex manifestatione, est humilitas & confusio propria, quibus privaretur si complicem occultaret. Explicantur hæc: quia ex oppositio sequeretur 1. quod pravi homines, summerent occasionem patrandi gravissima crimina, si cognoscerent, quod mutuo erant excusati, ad illa confitenda. Secundó sequeretur, quod coniugati non obligarentur ad confitenda crimina, in abusu matrimonij commissa, præcipuè cum vterque, confessori est notus, ex quibus oriretur, nimia Sacramenti relaxatio.

Argumentum præcipuum, formatum ex eo, quod complici sequitur infamia, ex eius manifestatione, solutum manet ex verbis D.T. in conclusione adductis, quibus ibidem S. D. addit hæc: si verba per quæ alteriús fama diminuitur, proferat aliquis, propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantijs obseruatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Nec obstat: quód si pœnitens sciret, confessorem revelaturum socium criminis vni personæ, posset illud reticere; hoc enim verum est, quia complicis manifestatio extra confessionem, non est necessaria, ad confessionis integritatem, & sic ex illa, sequeretur infamatio iniusta, quæ non sequitur, si criminis socius, intra confessionem manifestetur.

Dices: quód credibile non est, Christum hoc Sacramentum instituere voluisse, cum dispendio famæ proximi. Resp. quód imo colligitur hoc, ex ipsa institutione Sacramenti, quæ facta fuit per modum iudicij; vndé sicut in iudicio ciuili, potest quis complicem criminis declarare, vt illud integre fiat, ita in pœnitentiæ tribunali, pœnitens qui accusator est sui, habet ius declarandi in confessione socium criminis, si declaratio illa necessaria fuerit, ad confessionis integritatem, licet ex hoc sequatur per accidens, & præter intentionem pœnitentis, aliqua complicis infamatio; sicut etiam pœnitens ipse, in confessione se infamat, dum proprium crimen manifestat. Nec dicas: hoc esse quia infamatio sui, compensatur ex ingenti bono gratiæ indé secuto, quod nec aliud simile, complici non redundat; nam manifestare proprium crimen, non est, quia hæc infamatio ex gratia compensetur, alias etiam posset manifestari crimen proprium confessario reuelaturo, quia etiam hoc malum, compensaretur ex copioso fructu gratiæ, quod tamen est falsum: ideo ergo pœnitens, se ipsum infamare potest, quia iuri suo cessit dum peccavit, quod idem in cõplice contingit; & ideo á pœnitente potest manifestari.

Sed adhuc instabis: quia si hæc essent vera, etiam posset in confessione, ob eius integritatem, manifestari peccatum alteriús non complicis, quod falsum est. Respondent aliqui, concedendo hoc, sed dicunt, in eo casu, maiorem cautelam adhibendam fore, in quærendo confessarium, cui talis persona incognita sit. Sed meliús dicitur, quod est disparitas: nam per crimen quod proximus, sociatus mecum non commisit, non amisit ius famæ suæ, in iudicio circa me exercendo; cuius contrarium contingit in crimine complicis, propter rationem oppositam, suprá iam attactam. Quód si aliquando SS.PP. dicunt: quód Pœnitentia, pro charitate introducta, non debet contra charitatem exerceri, & sic nec complex manifestari. Resp. hoc intelligi, quando grave damnum, vel infamia est ei secutura vt vidimus, non veró quando hæc non sunt sequenda, sed sola culpæ manifestatio.

Ex dictis deducitur 1. quód si quis per vim, suam sororem cognoscit, hoc non debet manifestare in confessione, bené veró si illa consensit, nam in primo casu, non fuit socia & complex criminis, bené veró in secundo; & sic tunc sufficiet dicere, se commisisse incestum cum consanguinea per vim, quin personam explicet. Deducitur 2. quód si aliquis sine causa rationabili & necessitate, manifestaret confessori peccatum complicis, teneretur illi famam restituere, quia contra iustitiam peccavit; licet valdé sit difficile, talem restitutionem facere; vndé pœnitentes, debent esse prudentes & cauti, ne absque vrgenti necessitate, personam complicis manifestent, alias detractioni aperiretur via, in sacro pœnitentiæ tribunali, de quo multi inconsiderati, debent á confessoribus admoneri.

Septima difficultas: An possit dari confessio Sacramentalis, valida & informis? Notandum: quód confessio informis de qua loquimur, non est illa cui deficit forma Sacramentalis, sed illa cui deficit effectus gratiæ, non veró requisita ad verum Sacramentum, nam cum vltima forma, quasi extrinseca Sacramenti sit gratia, si datur confessio cum valore & absolutione, gratiam non producens, dicitur informis, sicut producens, vocatur formata; & quidem alia Sacramenta, facile concipiuntur valida & informia, ob indispositionem subiecti gratiam non causantia, sed hoc in pœnitentia difficile apparet, quia in hac, contritio vel attritio, quæ est dispositio ad gratiam, est pars essentialis Sacramenti, quod in alijs Sacramentis non reperitur.

Hac ratione permoti, Doctores extra Scholam D.T. sentiunt, in nullo casu posse dari, confessionem Sacramentalem, validam & informem; sed Thomistæ, vniversaliter oppositum tenent, licet non conveniant in assignandis casibus, in quibus hoc potest contingere; casus enim præcipui, sunt tres. Primus, quando aliquis non facit confessionem integram, ex defectu examinis, quod ipse ex ignorantia invincibili, cogitat esse sufficiens, non

veró

veró ex ignorantia crassa & affectata, tunc enim, erit Sacramentum nullum. Secundus quando aliquis habet attritionem,& formale propositum non peccandi, quod non excludit implicitam peccandi voluntatem, licet hoc pœnitens non cognoscat, quia mentita est iniquitas sibi. Tertius, quando attritio non est vniversalis, nec se extendit ad peccata, ex inculpabili oblivione omnissa, vt si habet quatuor peccata mortalia, vt furtum, periurium, homicidium, & luxuriam, tria prima confitetur,& ex motivo particularis deformitatis eorum,de illis dolet, quartum veró, ex oblivione inculpabili non confitetur,nec dolet de illo, quia cogitat illud non commisisse; difficultas est:an detur confessio valida & informis, & in quibus ex casibus prædictis?

Resp. quód potest dari Sacramentum Pœnitentiæ, validum & informe; sic tenet D. T. expresé, in addit. 3.p. q.9. art.1. & prob.ex ipso in arg.sed contra: nam si tale Sacramentum non daretur,pœnitentia quæ instituta est ad conscientiæ quietem, illam perturbaret,& anxietatibus confunderet nam posset quis discurrere sic: qui non recipit fructum Sacramenti,non conficit verum Sacramentum pœnitentiæ, & tenetur confessionem iterare; sed ego dubito,an receperim fructum Sacramenti:ergo dubito,an tenear ad iterandam confessionem, quod est contra D.T. *Si dicas*: quód sufficit certitudo moralis de receptione gratiæ, vt animus quietetur. Contra est:nam multi sic de dolore dubitant,quod nec certitudinem moralem habent,de eo quod receperint gratiam, & semper manent cum dubio; peccata autem dubia confiteri debent, vt suprá vidimus.

Deindé constat ex D.T.ibidem sic dicente:confessio potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subijcere, & quamvis tunc, non percipiat absolutionis fructum,tamen recedente fictione percipere incipiet, vndé non tenetur postmodum, nisi suam fictionem confiteri; ex his ergo sic arguitur 1. recedente fictione, percipit homo absolutionis fructum; vt ait D.T. ergo absolutio informis valida erat; nemo enim absolutionis prætetitæ fructum percipit, nisi illa valida fuerit. Secundó, si Sacramentum validum non fuisset, non sufficeret fictionem confiteri, sed confessio deberet iterari; sed hoc negat D.T. ergo Sacramentum validum fuit.

Ratio autem istorum est: quia effectus, est extra essentiam & quidditatem suæ causæ,& potest actualiter non causari, ob aliquam indispositionem subiecti, vt patet in igne,non semper actu producente calorem, ob indispositionem subiecti; sed confessionem esse validam & informem,nihil aliud est, quam illam suo effectu carere, illumque actualiter non causare,ob subiecti indispositionem: ergo potest confessio esse valida & informis. Explicatur: plus est confessionem esse validam & formatam, quam esse solum validam & informem, quia primum exigit valorem, & effectum Sacramenti, & secundum, valorem tantum sine effectu: ergo hoc potest esse sine primo. Specialis autem difficultas est, in quibus ex assignatis casibus, possit contingere hoc?

Dicendúm: quód in duobus primis casibus, hoc non contingit, sed solum in tertio. Prob. de primo: quia vel pœnitens, bona fide credit inculpabiliter,se feciisse sufficiens examen, vel culpabiliter? Si primum non ponit obicem gratiæ,nam iuxta Trident. Sess.14. cap. 5. peccata non occurrentia, censentur in confessione inclusa, & sic confessio erit formata;si secundum, confessio erit invalida, nam si ommittitur peccatum ex ignorantia vincibili, confessio non est formaliter integra: ergo, &c. Prob.de secundo casu: nam Sacramentum nequit habere valorem,deficiente eius parte essentiali; attritio autem, omne peccatum excludens,est pars Sacramenti Pœnitentiæ, vt Trident. ait: Ergo si illa non adest, Sacramentum Pœnitentiæ,validum non erit.

Prob. de tertio casu: & in primis, quod confessio sit informis, nam in confessione, vnum peccatum non remmittitur sine alio; sed peccatum inculpabiliter oblitum, non remmittitur: ergo nec alia remmittuntur. Prob.min. peccatum non remmittitur, nisi detur formalis vel virtualis dolor de illo;sed in eo casu, pœnitens nullum potest habere dolorem de peccato oblito; non formalem, quia de illo non cogitat; non virtualem & implicitum, quia dolor de peccato furti, v. gr. ex eius speciali turpitudine, non est dolor adhuc virtualis peccati diversæ rationis, vt est luxuria, v. gr. ergo, &c.

Dices: quód attritio illa,præcisé ex motivo specialis deformitatis peccati, non se extendit virtualiter ad peccatum oblitum, bené veró vt iungitur voluntati recipiendi Sacramentum, & recuperandi amicitiam Dei. Contra est: nam talis voluntas, & intentio recuperandi amicitiam Dei, nec virtualiter opponitur peccato oblito, vt patet in eo qui orat, vt obtineat Dei amicitiam,quam si est in statu peccati non obtinet, nisi actum contritionis eliciat. *Si dicas*: quód illa attritio,est dolor propter Deum, quod est motivum vniversale. Resp.quód est motivum vniversale,comparativé ad Deum,sed non comparativé ad peccata, cum non extendatur ad omnia, vt vidimus.

Et quod in hoc casu, confessio sit valida constat: quia tunc confessio,est formaliter integra, vt quando aliquod peccatum tacetur ex naturali oblivione; & alias attritio,se extendit ad omnia peccata confessa, quod sufficit vt confessio sit formaliter integra. *Dices*: sufficit confessio formaliter integra, etsi non confiteantur peccata oblita, vt detur Sacramenti effectus: ergo etiam sufficit dolor for-

formaliter integer, etsi non sit de peccatis oblitis. Resp. quód est disparitas: quia confessio exterior, non est per se dispositio, nec medium necessarium ad remissionem peccati, dolor autem interior, est dispositio ad hoc, & ideo si non extenditur vniversaliter ad peccata invincibiliter oblita, Sacramentum validum est, sed informe. Hæc doctrina resolutionis nostræ, comprobatur ex D. T. in addit. q.3. art.3. ad 2. vbi ait: Si peccatum omnino á memoria exciderit, tunc ex impotentia faciendi, excusatur á debito, & sufficit generalis contritio, de omni eo, in quo Deum offendit; sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam revocatur peccatum, tunc tenetur homo specialiter conteri; sicut etiam pauper qui non potest solvere quod debet, excusatur, & tamen tenetur, cum primo poterit.

Sed arguitur: Ille qui confessionem efficit, vel habet attritionem vel non? Si primùm, causatur in eo gratia, vt Concil. ait; si secundum, peccat mortaliter, & nullum efficit Sacramentum: ergo nulla datur confessio valida & informis. Resp. quód vt colligitur ex Trid. Sess. 14. cap. 5. triplex potest dari dolor de peccatis in anima. Primus est dolor perfectus, nempé contritio propter Deum summe dilectum; secundus est dolor imperfectus, nempé attritio propter pœnas inferni; tertius est imperfectissimus, cum aliquali voluntate, non peccandi, propter peccati deformitatem; & deindé dolor potest habere rationem partis materialis Sacramenti, & rationem dispositionis ad gratiam. Dicimus ergo: quód primus dolor & est pars Sacramenti, & est dispositio ad gratiam; secundus idem habet simul cum Sacramento; tertius verò, est pars Sacramenti, non verò dispositio ad gratiam, & hic est dolor repertus, in illa confessione informi.

Dices: nullum datur fundamentum, cogitandi illum tertium dolorem; eadem enim attritio, quæ est pars Sacramenti, est etiam dispositio ad gratiam. Resp. quód fundamentum summitur ex ipso Trident. dicente: attritionem de peccatis propter pœnas inferni, vel deformitatem peccati, esse dispositionem ad gratiam, si totaliter excludit affectum peccandi, & sic videtur sentire, dari aliam attritionem, quæ totaliter talem affectum non excludit, qualis est dolor positus á nobis, in confessione informi, qui non est vniversalis ad omnia peccata, sed solum ad ea quæ memorantur, ex motivo particulari deformitatis eorum, & ideo est pars Sacramenti, non verò dispositio ad gratiam. Nec obstat: quód eadem attritio, habet vtrumq; munus. Resp. id verum esse, regulariter & per se, non verò per accidens, & in casu raro & extraordinario, vt contingit in casu nostro, in quo ex peculiari deformitate alicuius peccati procedit, quin extendatur ad alia peccata.

Si dicas: quód attritio debet esse talis, vt super ipsam cadat forma Sacramenti, nempé: absolvo te á peccatis tuis, quod nequit habere, si non sit dispositio ad gratiam. Resp. quód in eo casu, sensus verborum est: ego tibi Sacramentum absolutionis impendo, vt suprá diximus cum D. Tho. q.84. art.3. ad 5. vel tibi confero Sacramentum absolutivum, remmissivum peccati, & collativum gratiæ, quod iam habet, licet attritio ad gratiam non disponat, nec peccata remmittantur de facto; ex quo passim solvitur alia instantia, nempé quod si Sacramentum est causa gratiæ, quomodo potest eius valor consistere, quin gratiam causet? Dicitur enim: quód non est de ratione Sacramenti, actualiter gratiam causare, sed esse causativum illius, licet de facto eam non causet per accidens, ob aliquam indispositionem subiecti, & hoc accidit, in casu confessionis informis.

Sed contra doctrinã sic explicatam, dices adhuc 1. dolor requisitus ad pœnitentiam debet esse reconciliativus cum Deo, nam pœnitentia est Sacramentum reconciliationis, si autem dolor vniversalis non est, nec est reconciliativus. Secundó, oblitis peccatis & posita attritione, ex motivo particularij fœditatis alicuius peccati, non ponitur obex gratiæ, & sic confessio non solùm erit valida, sed formata. Tertió, propositum de cætero non peccandi, debet esse vniversale, & sic idem est de dolore peccatorum. Quartó, posita attritione ex motivo particularis deformitatis peccati, homo facit ex auxilio gratiæ, totum quod potest, ad recipiendum effectum Sacramenti, & sic sufficienter est dispositus, nec ei Deus denegat gratiam.

Resp. ad 1. quód ille dolor, est reconciliativus quantum est ex se, licet per accidens quia est aliud peccatum non cognitum, non sit reconciliativus, sicut etiam Sacramentum pœnitentiæ, ex se causat gratiam, & tunc eam non causat per accidens, ob indispositionem subiecti. Ad 2. quód in eo casu, non ponitur obex positivus, bené verò negativus, scilicet negationem extensionis attritionis, ad alia peccata quæ invincibiliter ignorat. Ad 3. quód est disparitas: nam dolor respicit præteritum, de quo potest dari oblivio, sicut & memoria; propositum verò est de futuro, circa quod sicut nec datur memoria, nec datur oblivio, & ideo peccata futura, nequeunt obliviscì in ordine ad propositum, vt hoc sit particulare, possunt tamen obliviscì peccata præterita in ordine ad dolorem, vt hic sit particularis, & ad oblita non extendatur. Ad 4. quód in eo casu, licet homo faciat quod potest moraliter, ex hoc solum sequitur, quod excusetur á nova culpa, non verò quod gratiam recipiat, quia non facit totum, quod singulariter & absolutè fieri potest, nempé elicere actum doloris vniversalis, qui est dispositio ad gratiam recipiendam.

Octava difficultas: An confessio informis, debeat iterari, & quando consequatur effectum? No-

tan-

tandum: quód si confessio est informis, ex defectu iurisdictionis, vel intentionis Ministri, vel quia non datur absolutio, vel quia ex parte pœnitentis non datur intentio, vel integritas confessionis, vel doloris necessarij, culpabiliter & directé, tunc valida confessio non fit, & iterari debet, nam valida non fuit, cum ei requisita necessaria deficiant; dubium ergo est de confessione informi, in qua gratia non confertur, sed substantia Sacramenti servatur. De hac ergo dicimus, quod non est necessario iteranda. Hoc iam aliqualiter suassum manet ex dictis in auct. D.T. in addit. q.9. art.1. & idem expressiús habet, in 4. dist. 17. q.3. art.4. quæstiunc. 1. vbi ait: quód recedente fictione, percipitur absolutionis fructus, sicut etiam est in alijs Sacramentis; vndé non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

Et quia hæc sententia, præcipué nititur dictis D.Tho. hoc ipsum asserit in addit. q.9. art.2. ad 3. dicens: Quidam dicunt, quod quando aliquis recordatur eorum, quæ priús oblitus erat.debet etiã ea quæ priús confessus fuit, confiteri; sed hoc non videtur necessarium,quia peccatum habet quantitatẽ & ex se ipso,& ex adiunctione alteriús,peccatorum autem de quibus confessus est, manifestavit quantitatem quam ex se ipsis habent; ad hoc autem quod Sacerdos, vtramque quantitatem huius peccati cuius fuerat oblitus cognoscat, sufficit quod hoc peccatum, confitens dicat explicité, & alia in generali dicendo,quod cum alia multa confiteretur, huius oblitus fuit. Hæc D.T. vbi notanter ait, non videri necessarium,talem confessionem iterare, quia libere iterari potest, sicut etiam aliæ confessiones, quæ iam habuerunt suum effectum.

Ex quibus infertur: quód per talem confessionem informem, impletur præceptum divinum & Ecclesiasticum. Ratio est: quia præceptum Dei vel Ecclesiæ, tantum dicit, quod fideles confiteantur,id est quod recipiant Sacramentum confessionis; sed in eo casu, verum recipitur Sacramentum vt vidimus;sicut etiam recipitur verum Sacramentum Baptismi, posita legitima forma materia & intentione, nec requiritur quod Baptismus iteretur licet non recipiatur effectus,ratione fictionis; sed solum quod hæc postea confiteatur: ergo, &c.

Nec valet dicere: quód per Baptismum, imprimitur caracter, nec est iterabilis vt pœnitentiæ Sacramentum. Non inquam valet: nam ratio cur Baptismo convenit,ratio Sacramenti informis,non est quia in illo imprimitur caracter, sed quia substantia Sacramenti,& eius effectus,sunt duæ res distinctæ, & ideo potest illa reperiri sine isto;sed hoc idem contingit in pœnitentia: ergo, &c. quod vlteriús constat, in Sacramento extremæ vnctionis, quod est iterabile, & per illud non imprimitur caracter; & tamen, si quis non contritus, recipit extremam vnctionem, & post horam conteritur, nec Sacramentum iteraretur, nec infirmus illius fructu careret.

Ratio autem nostræ resolutionis, iam suprá ex D. T. insinuata manet, nempé quod ex oppesito, maximé turbarentur conscientiæ,nescientes an sint in gratia,& sic anxiæ manerent de impletione præcepti, quod grave inconveniens est. Doctrina hæc, comprobationem accipit ex D.T. 1. 2. q.100. art. 9. dicente: Modus virtutis, non cadit sub præcepto, neque legis divinæ, neque legis humanæ,neque enim ab homine, neque á Deo punitur, tanquam præcepti transgressor, qui debitum parentibus honorem impendit, quamvis non habeat habitum pietatis;hæc D.T.& hoc ipsũ reperitur in præceptis Sacramentorum,nam qui sciret inSacramento á se recepto, fuisse omnia requisita essentialia licet non sciret fuisse iustificatum per illud,impleret præceptum, nec teneretur Sacramentum iterare; aliud enim est præceptum implere,& aliud gratiam consequi;primum est facile,& ita cognoscibile; secundum á Deo fit,& solum coniecturando percipitur, quod non sufficit dare securitatem de adimpletione præcepti.

Sed arguitur: Si talis confessio informis non esset iteranda,per illam impleretur præceptum Dei & Ecclesiæ; sed hoc nequit fieri, nam finis horum præceptorum, est hominis iustificatio, quæ tunc non obtinetur: ergo, &c. Resp. quód vt præceptum impleatur, satis est quod efficiatur substantia actus, licet non efficiatur eius modus,nec finis ponatur in re, vt patet in eo qui ieiunat, vel honorat parentes in peccato mortali, qui veré implet præceptum ieiunij & pietatis, nam finis præcepti,non cadit sub præcepto, sed solum substantia actus, vt proximé vidimus cum D. T. Nec obstat: quód per actum malum, non impletur præceptum, & actus confessionis informis, malus est. Resp.quód per talem actum, homo non peccat, quia invincibiliter suam, indispositionem ignorat, sicut nec peccat quis suscipiendoEucharistiã in peccato mortali,si hoc nõ cognoscitur á suscipiẽte.Vel dicatur: quód per actum intrinsecé malum, non impletur præceptum, benè veró per actum bonum, qui male & cum peccato fit, vt patet in exemplo appositio de ieiunio, & de honore parentum, quando in peccato mortali fiunt.

Dices: præceptum orationis non impletur, si quis orat sine attentione:ergo nec præceptum confitendi, per confessionem informem impletur,cum vterque indebité agat.R.quód attentio est de substantia orationis, & ideo non est vera oratio, si attentio deficiat; dolor veró requisitus ad iustificationem,non est de substantia confessionis,sed est modus requisitus ex parte finis, & ideo non continetur sub præcepto confessionis; *Etsi* quæras disparitatem, hæc est: quia attentio per se loquendo, re-

quiritur vt ratio particularis, ad quamlibet humanam locutionem; iustificatio verò, est ratio communissima, & potiùs est omnium Sacramentorum finis quam substantia.

Quòd autem dicendum de confessione invalida, facta cum obice positivo, qui est novum peccatum, an hæc sufficiat ad implendum Ecclesiasticum confessionis præceptum? Affirmarũt olim aliqui, sed re vera hoc est nimis durum, nam in cap. sæpé citato: omnis vtriusque sexus, expressé præcipitur, vt homo fideliter & veré confiteatur; & ratio est: nam idem est homo, ac verus homo, & sic idem est confessio, ac vera confessio. Nec obstat: quòd Ecclesia nequit præcipere interiores actus; nam licet hoc directé non possit, benè verò indirectè, quando requiruntur vt substantialiter fiat actus exterior; vndé sicut per sacrilegam communionem, præcepto communionis non satisfit, & contrarium ab Inn. XI. damnatum est, nec etiam satisfit præcepto confessionis, per confessionem sacrilegam, & invalidam, sed solum per illam quæ fit bona fide, cogitando quod sunt omnia requisita, quæ re vera non sunt.

Circa secundam difficultatis partem, quando scilicet confessio informis, consequatur suum effectum? Dicitur: quòd tunc consequitur effectum seu gratiam, quando aufertur indispositio, quam Doctores fictionem vocant. Constat ex verbis D. Tho. sæpé relatis in quibus ait: quòd recedente fictione, percipitur absolutionis fructus. Ratio est: quia cum quis confessionem informem facit, Sacerdos veré absolvit & peccata remmittit, & consequenter etiam Deus, iuxta dictum Christi: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis: ergo si remissio tunc non fit quo ad efficaciam, fiet saltim quo ad sufficiẽtiam, & obice ablato, quo ad efficaciam fiet; eo feré modo quo ablato impedimento, lapis descendit, & ignis comburit.

Oppones: effectus in actu, petit causam in actu; sed cum aufertur impedimentum, iam non est confessio informis: ergo tunc, suum effectum non habet. Resp. quòd in eo casu, confessio informis manet aliquomodo virtualiter, quatenùs manet homo, qui Sacramentum Pœnitentiæ recepit, & eius affectus immutatus fuit; sicut etiam de Baptismo dicitur, qui transacta receptione, manet aliquomodo in homine baptizato, & hoc sufficit, vt fictione recedente gratiam causet. Nec hoc est, quia imprimit characterem; vt suprà vidimus, sed quia substantia Sacramenti, distinctum quid est ab eius fructu, quod etiam in pœnitentia contingit.

Dices aliter: quòd opus mortuum & sine charitate, vivificari non potest; qui autem fictè confessus est, facit confessionem mortuam, & sic ista nequit vivificari, vt gratiam recipiat. Resp. quòd in illa confessione, reperitur opus Dei, nempé Sacramentum, & opus hominis, nempé actio, vt ab eius voluntate procedit; opus ergo Dei, non est mortuum, sed vivum, & habet substantialem Sacramenti rationem, opus autem hominis mortuum est; postea igitur, non vivificatur opus hominis, nam fictus ille, nunquam recipiet illam gratiam, quam recepisset, digne recipiendo Sacramentum, sed vivificatur opus Dei, nam Sacramentum quòd erat quasi mortuum, quia non produxit gratiam propter obicem, hoc sublato, illàm producit; sic D. T. in addit. 3. p. q. 14. art. 3. ad 2.

Si dicas: Hoc modo, daretur gratia correspondens fictioni præteritæ, & confessioni præsenti, & sic homo, commodum ex sua fictione reportaret, quod est absurdum. Resp. quòd si loquimur de gratia data ex opere operantis, & secundum eius dispositionem, aliquando homo recipit maiorem gratiam, & aliquando minorem; si verò est sermo de gratia collata ex opere operato, non datur gratia maior illa quam recepisset, non accedendo fictus, nisi coniungatur illa, quæ respondet Sacramento præterito, & dispositioni præsenti; nec ideo homo commodum reportat de fictione. Tùm, quia solum confertur, iuxta præsentem dispositionem. Tùm, quia collatio gratiæ, dilata fuit propter fictionem, & hac non existente, statim fuisset collata, & hoc potiùs est, nam cito recipere, auget perfectionem doni.

ARTICVLVS XII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de præcepto divino confessionis. Vir erat, pluribus enormibusque criminibus, oneratam habens conscientiam, quam viginti annis, apud Sacerdotem nunquam deposuit, & quidem prævidens periculum obliviscendi multa, nec carens copia confessarij, cum sese obtulerit ter vel quater in anno, Religiosus paratus excipere confessionem eius, & ex vicibus illis, vna ex morbo periculosissimo decumbebat, altera occurrebat solemnissimum Iubileum, & tertia votum emmisserat de conscientia exoneranda. Quæritur: an & quot peccata lethalia commisit, contra præceptum divinum de confessione facienda? Sunt non pauci eius imitatores, qui instar paralitici, triginta & octo annos habent in infirmitate sua, Dei abutentes patientia, quæ diu expectat, vt misereatur nostri. Pro huius decisione, sequẽtia subiungimus.

Dicimus ergo: quòd lex divina, non obligat per se, ad confitendum venialia peccata; sic tenent omnes; sed per accidens ad hoc potest obligare, vt si Sacerdos in mortali existẽs, vocetur subito ad aliquod Sacramentum conficiendum, & dubitet rationabiliter, an sit perfectè contritus, & adsit Sacerdos iurisdictionẽ & approbationem nõ habens, tenetur huic confiteri aliquod venjale, vt ex attritio fiat con-

contritus; & ita insinuari videtur á D. T. in addit. 3.p. q.6. art.3. ad 3. vbi ait: Quód ex vi Sacramenti, non tenetur quis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur, & secundum hoc, qui non habet mortalia, sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, vt se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat, absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur. Sed tamen ex præcepto divino, tenemur manifestare Sacerdoti omnia peccata mortalia, vt ait Trident. Sess.14. cap.5. vndé hoc præceptum vrget in articulo mortis, quæmlibet reum peccati mortalis, nondum confessi; si enim tunc non confitetur, nunquam præceptum implebit.

Ex quo habetur, quod homo ille, de quo casus loquitur, quia positus in articulo mortis confessionem neglexit, peccatum mortale commisit, necessario aperiendum in confessione, si illam postea peregerit. Quód attinet ad confessionem in Iubileo solemni, & ex voto promissa, dicitur: Quód qui occasionem Iubilei spernit, videtur non leviter peccare, si tunc confessionem ommittit, parvifaciendo pias Ecclesiæ exhortationes & gratias; licet per se solum sit veniale, opera præscripta pro Iubileis ommittere, de quo audiendus est omnino D. Anselm. lib.1.cur Deus homo, cap.21. dicens: graviter peccamus, quotiescumque scienter aliquid quantumlibet parvum, contra voluntatem Dei facimus, quoniam semper sumus in conspectu eius, & ipse semper præcipit nobis, ne peccemus. Quo ad confessionem ex voto promissam tenendum est, illam sub mortali obligare, vt tenent Sanchez, Gobatus, & Dicastillus; & consequenter vir ille nostri casus, tria peccata mortalia commisit, si tres illas confessiones neglexit, vnum verò, si tantum neglexit vnam.

Huius occasione, obvius est eventus mirabilis, in domo quorundam nobilium Bohemiæ contingentis, nempé quod cistam magnam habent in quadam domus arce, pro asservandis sacris indumentis ad Missæ celebrationem, & illa strepitu magno, quasi per vim clausa & aperta, mortem personæ alicuius illius familiæ prænuntiat, & sono audito, arcis incolæ familiam monent, vt se ad mortem alicuius subeundã præparet. Simile quid, refert Iosias Simlerus, de cænobio Agaunensi in Vallesia á S. Sigismundo fundato; in eius enim piscina, pro numero fratrum, totidem asservantur pisces, quorum si aliquis moritur, brevi cognoscunt, alicui fratrum mortem imminere; ex quo non inutiliter quæritur: an ex præcepto divino, confessionis faciendæ, in periculo mortis, teneantur omnes, vel aliqui ex familia, vel Monasterio prædictis, se per confessionem ad vltimam horam disponere?

Resp. quód si in tali Monasterio vel familia, maximus sit numerus, ducentorum vel trecentorum, non incumbit obligatio cuilibet eorum, ad faciendã necessaria, ad horam extremam Christiano ritu obeundam, bené verò, si numerus sit exiguus. Ratio est: quia in primo casu, nemini eorum generatur morale & prudens dubium, de morte iam imminente, bené verò in secundo. Exemplo, res nota fiet: Si ego certo scirem, esse vnum hominem Cæsaraugustæ, qui veré baptizatus non est, non ideo deberem, nec possem baptizari sub conditione, quia hic & nunc, non habeo fundamentum prudens, ad dubitandum de meo Baptismo, aliquin deberent omnes, iterum baptizari & ordinari, quia moraliter est certum, inter Christianos dari aliquæm, qui ex defectu materiæ, formæ vel intentionis, baptizatus vel ordinatus non est, quia in tanta multitudine, hoc non generat dubium morale, respectu alicuius in particulari; sicut etiam ex eo quod aliquis, soleat repente mori, non generatur dubium prudens, de morte hodierna, huius qui modo bene valet; alias teneretur sub mortali, statim confiteri, ne suam æternam salutem, dubio morali exponeret; si autem certo sciatur, vnum ex decem hominibus baptizatum non esse, possent & deberent omnes, sub conditione baptizari, quia tunc de Baptismo singulorum, daretur prudens & morale dubium; idem ergo in nostro casu discurrendum est, cum Lugo, Dicastillo, & Gobato.

Sed tamen in casibus dictis, ex illo Monasterio vel familia, saltim fuit obligatus ille, qui ægritudine, licet non periculosa laborabat, vt per confessionem disponeretur ad mortem, nam ipse maius fundamentum habebat mortis vicinæ, quam cæteri bené valentes; simile quid refertur apud nos, de sono mirabili in cænobio S. Victoriani, & in Monasterio Monialium S. Benedicti Calataiubij, qui vt dicitur, alicuius mortem proximam prænuntiat; sed de his dicimus idem; verus enim & indefectibilis sonus, vt semper de præparatione ad mortem simus soliciti, est dictum Christi asserentis: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Sed an extra mortis articulum, obliget præceptum divinum confessionis, pro aliquo tempore determinato? Dico: quód immediaté, & per se non obligat, sed solum radicaliter, quatenús Christus voluit obligare, pro tempore ab Ecclesia determinando; & etiam per accidens, cum Eucharistia est recipienda, si quis existit in mortali; vel quando confessio est medium, ad superandam aliquam tentationem. Nec propter periculum relabendi, tenetur quis ex præcepto divino, intra annum sæpiús confiteri, quia hoc per contritionem deleri potest, nec ad id tenetur, ob periculum oblivionis peccatorum; nam nemo tenetur confiteri, nisi ea peccata quæ memoriæ occurrunt, facta morali diligentia; & circa tempus, dicunt aliqui, teneri hominem confiteri ex præcepto divino, si in mortali existit, tertio vel quarto anno, licet Ecclesia præceptum divinum non determinasset; alij dicunt, te-

neri

neri quolibet anno, quibus assentimur, cum Nuño, Victoria, Leandro, & Salmantic.

Casus secundus, de præcepto Ecclesiastico confessionis. Rusticus quidam, persuasus erat, quod gravissimé á quodam offensus fuit, nec poterat convinci, vt offensam condonaret, ideoque obdurato corde, tres annos integros, sine confessione, nec sacra comunione transegit. Quæritur: an ob omissionem confessionis annuæ, tria mortalia peccata commisserit, an veró plura? Resp. quód ipse ter deliquit, contra præceptum Ecclesiasticum de annua confessione, quod constat ex cap. omnis vtriusque sexus, vbi dicitur: Quód omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur omnia sua peccata, semel in anno confiteri proprio Sacerdoti; vndé fractio præcepti confessionis in tribus annis, triplex fuit mortalis culpa. An autem, si Christus Sacramentum non instituisset, Ecclesia potuisset præcipere annuam peccatorum confessionem? Resp. negativé; quia res gravissima est, & videtur Ecclesiæ potestatem excedere; sic Ant. á Spir. S. & dictum est art. præced. diff. 1. *Nec ob stat*: quód in aliquibus Religionibus, præcipitur secunda & tertia confessio eorundem peccatorum, vt in Cistercienſi & Societate Iesu, vbi præcipitur Religiosis, confiteri intra annum, omnia peccata de quibus iam confessi sunt, & tamen hoc non est necessarium ex vi Sacramenti; & sic licet Christus non instituisset Sacramentum, Ecclesia posset præcipere confessionem peccatorum. Resp. enim: quód illa obligatio provenit in illis Religionibus, ex statutis specialibus, quæ licet respectu totius Ecclesiæ, non possint imponi, bené veró respectu particularis Religionis, in qua præcipi possunt, quæ ad maiorem perfectionem pertinent, quæ est illius Religionis finis, vt patet in paupertate & castitate, & clausura, quæ nequeunt præcipi toti Ecclesiæ, bené veró Religiosis, ob eandem rationem.

Sed circa verba, quæ præceptum continent, est notandum: quód per annos discretionis, intelligitur ætas illa, quæ sufficiens est, ad peccandum mortaliter, sicut idem in simili diximus suprá, de discretione requisita, ad Eucharistiam recipiendam. Verum quidem est, quod facilius permmittitur dilatio communionis, quam confessionis; & sic qui excusantur á communione, vel propter ætatem vt pueri, vel propter aliud impedimentum, non censentur excusari á præcepto confessionis; vndé qui committit confessionem & communionem annuam, duo peccata committit, & vtrumque vt distinctum confiteri tenetur, vt ait Cayet. Soto, Medina, Salmant. & alij; & sic rusticus ille de quo casus loquitur, tribus annis non confessus, nec communicatus, sex mortalia peccata commisit.

Circa id quod dicitur: omnia peccata, intelligitur de mortalibus, quia Concil. loquitur de omnibus peccatis, & omnia venialia confiteri, fere impossibile est. Sed dubitatur: an Ecclesia præcipere possit, confessionem omnium venialium? Communis sententia negat, ob magnam difficultatem; sed tamen potest aliquorum confessionem præcipere. Ratio est: Túm, quia si quis potest obligari ad menstruam confessionem ex voto, etsi mortalibus peccatis gravatus non sit; cur sic obligari non poterit, ex lege aut præcepto? Túm, quia aliquorum venialium confessio, est actus exterior, laudabilis & honestus, & ad salutem spiritualem maximé vtilis, nec ita difficilis, vt sit lex intolerabilis; & alias hoc, non est mutare materiam pœnitentiæ, sed solum illam præcipere, quam Christus quo ad confessionem venialium reliquit liberam, & sic non extat caput, ex quo dicamus, id ab Ecclesia præcipi non posse.

Sed notandum: quód habens sola venialia, quantumcumque parisimus est intra annum, tenetur se Parrocho præsentari, iuxta dicta casu 1. cum D.T. Si autem aliquis esset talis, non posset imperio compelli, sed sola exhortatione ad manifestandum aliquod veniale, vt sentit Palaus, & Escobar; sed re vera, si ille diceret, se non egere confessione, nec absolutione, motivum suspicioni præberet, ne sub hoc prætextu, carentiæ peccati mortalis, annuam confessionem omitteret. Sed rogabis: an pro Iubilæo lucrando, necessaria sit venialium confessio? Resp. quód in praxi, tutius est pro Iubilæo lucrando, venialia confiteri, nam verba indulgentiæ, tantum valent quantum sonant; & sic quando in Iubilæo imponitur confessio, hæc verba, necessitatem indicant; sic Diana, Sanchez, Ulvaldo, Granado, Villalobos, Leander, & Fagundez.

Quia tamen, de confessione rustici loquitur casus noster, non erit extra rem, breviter annotare, varios rusticorum idiotismos circa confessionem, & modum quæm confessor cum ipsis observare debet. Alij enim, solent confiteri sic: nunquam iuravi, nec iratus sum, nec furatus, & á confessario interrogati, an desideraverint proximo malum, vel sint mentiti, & similia, ad omnia negativé respondent. Isti ergo, incapaces absolutionis sunt, & eis debet dicere confessor: filij mi, quia nihil vis confiteri, nec ego te possum absolvere, vade in pace; & aliquando hoc facto, meliús culpas sunt recogitati, & vnam vel alteram nominarunt. Vel etiam possunt interrogari, de aliquo peccato vitæ præteritæ, quod iterum confiteantur & pro eo doleant, & sic absolvantur, nisi cognoscatur aperte, oblivionem illam, ex ruditate vel incuria oriri.

Alij interrogati, ad quædam respondent affirmativé, & dicunt se iam esse confessos. His dicatur, quod vt possint absolutionem recipere, dicant: Domine iterum confiteor & doleo, quod ante offenderim te modica ira, v. gr. & cum tua gratia emmendationem propono, & sic absolvantur. Alij dicunt, se esse iratos, sed hoc fuisse necessa-

rium

rium ad correctionem filiorum, quærendo excusationes in peccatis. His dici debet: nonne fuistis irati, plusquam necesse erat? Etsi dicunt quod sic, absolutionis redduntur capaces. Alij peccata confitentur dicendo: ter in hebdomada iuravi, vel iratus fui; sed interrogati, quot hebdomadæ transierunt cum his vel sine his? Ad omnia respondent: nescio Domine, ex quo á confessore, nequit certus numerus peccatorum colligi; cúm his patienter agatur, rogando sic vel sic, vt ex suis dictis, possit moraliter coniectari peccatorum numerus.

Alij, postquam sua peccata dixerunt, insuper addunt, quod scrupulum habent duplicis peccati, quæ ob verecundiam non sunt confessi, nempé quod pueri adhuc, furati sunt duos nummos, & quod in die communionis, biberint vinum, quod post sex horas, provocavit ad vomitum. Isti sunt interrogandi, quoties venerit in memoriam, peccatum inconfessum præ verecundia, & an tacuerint sciendo ex hoc graviter offendi Deum, & responsione audita, admonean tur de eo, quod Dæmon, falsam opinionem iniecit, de malitia mortali, in duobus illis casibus relatis, vt diaboli fraudes agnoscãt, & in posterum, quicquam ex rubore non taceant. Demúm sunt alij, misteria fidei ob ruditatem ignorantes, hos si fieri possit, discrete instruat confessor; quod si adeo sint ingenij hebetis, vt nullam propriam notionem de rebus fidei penetrent, sunt quo ad hoc, inter fatuos & infantes computandi. Vid. Gregorius Teretius, in prudenti & erudito libello, cui titulus: confessio, seu instructio idiotæ.

Casus tertius, de examine conscientiæ, confessioni præmittendo. Homo quidam, confessionem generalem totius vitæ facere desiderans, per quindecim dies, ad illam se præparavit, & plurima folia de suis peccatis conscripsit, pro quibus legendis, plures requirebantur dies; sed his non contentus, novum formavit examen, quo facto; cum iam per dies aliquot cæpisset confiteri, nimia confusione atque turbatione mentis, ad eas fuit redactus angustias, vt ipsemet, pugione sibi inflixerit vulnus lethale, sed providente Deo, ante mortem, potuit iterum confiteri; quæritur, quid sentiendum de hoc, & quale pro confessione facienda sit præmittendum examen? Cardinalis Lugo, qui hunc casum proponit, respondet sic: Certum est, quod iuvenis ille, non tenebatur, ad tantum studium adhibendum, circa examen, licet illa nova & assidua recogitatio, nova peccata, vel maiorem illorum distinctionem, in mentem revocaret, minús ergo tenebitur confessarius, ad eas interrogationes & examen, quod ex se aptum sit, ad generandum tædium, & horrorem circa hoc Sacramentum; hæc ille.

Vt autem hoc percipiatur plene, quæ de examine faciendo authores adducunt, apponimus hic. Certum ergo est, quod pœnitens tenetur, per se loquendo, facere accuratam examinationem conscientiæ ante confessionem, vt habetur in Trident. Sess. 14. cap. 5. dicente: Post diligentem inquisitionem; & iterum: postquam quis diligentius se excusserit; & ratio est: quia præcepto divino tenemur, aperire omnia, per quæ mortaliter offendimus Deum, quod nequit præstari, nisi diligenter conscientiam excutiamus; & dicitur per se loquendo, quia per accidens, hoc non est necesse; tum, quando paulo post confessionem, in crimen mortale relaberis, & statim ad confessarium accurris; tum, quando quotidié annotas quæ delinquis, tunc enim, solum de vltimo die, examen constituendum est.

Sed qualis censeri debeat, diligens peccatorum inquisitio, ne oblivio eorum culpæ tribuatur? Hoc ex qualitate personæ confitentis, numero & speciebus peccatorum, ex diuturnitate temporis, peccandi consuetudine, & alijs circumstantijs pendet; pro quo certa regula statui non potest, sed arbitrio prudentum relinquitur; sed tamen non exigitur diligentia summa, sed mediocris, qualem viri prudentes adhibere solent, in rebus magni momenti; generaliter veró, minori examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur; maiori autem, qui multis comercijs & negotijs, sunt implicati, quam illi qui vitam quietam agunt, homines autem rudes, non sunt ad tã strictum examen cogendi, sicut alij acutiores, quia forte ex maiori intlagatione, magis obtenebrantur, & illos confessor, industria iuvare debet, semper tamen ex parte pœnitentis, apponenda est diligentia moralis, pro eius captu.

Qui autem lubricam habet memoriam, non tenetur pro examine, in charta notare peccata, quia hæc, est extraordinaria diligentia, non levibus periculis exposita; sic sentiunt Uazquez, Suarez, Palaus, & alij. Si autem confessarius advertat, pœnitentem notabiliter in examine defuisse, nec ille possit, hunc defectum per interrogationes supplere, dimmittat pœnitentem, & imperet ei, vt debitam diligentiam præstet, & iterum redeat ad ipsum, dummodo tamen, non adsit periculum, vel articulus mortis, tunc enim, debet confessarius, eam diligentiam adhibere, quam pro circumstantia temporis & personæ, iudicaverit expedire, & postea, absolutionem conferre. Sed tamen, licet plurimo tempore impenso in conscientiæ examine, plura occurrant forte peccata, non ideo pœnitens tenetur ad hoc, ne Sacramentum grave reddatur & exosum, vt suprá vidimus.

Sed quomodo cognoscatur, an præparatio pro examine faciendo, fuerit sufficiens necne? Dicitur: quód si post confessionem, plura peccata mortalia memoriæ occurrant, quam in confessione fuerint explicata, non fuit diligentia sufficiens; si autem occurrant aliqua, sed multo pauciora quam confessa, credendum est, diligentiam fuisse sufficientem ad valorem Sacramenti; vndé homo obligatus non

est ad confessionem iterandam, satis est, quod de commissis vel omissis se accuset, & de negligentia ad cautelam; Hi autem, qui ter vel quater tantum confitentur in anno, compendio iuvabuntur ad faciendum examen, tribus temporibus meditatis. 1. vnum diem perfectum, & quid in illo per singulas horas fecerint, nam eadem erit cæterorum ratio. 2. vnum diem festum similiter. 3. dies extraordinarios, vt conviviorum, itinerum, recreationum, &c. in quibus peculiares occasiones peccandi occurrere solent, quo peracto quiescent, tanquam officio suo bene functi, quin etiam ipsa conscientiæ quies, facto examine consecuta, testimonium perhibebit, negotij rite peracti; sic habet Matthæus Stoz, in instruct. confessar. num. 320. & ante illum Diana, & Nuño.

Pro huius autem casus complemento sciendum est, quomodo confessor se gererere debeat, pro pœnitentis examine iuvando, & illius defectum interdum dexteritate supplendo; ad quod sequentia notare debet. Primó: quærere á pœnitente, vel ab initio, vel in decursu confessionis, cuius sit status, quæ tractet negotia, & á quo tempore vltimo sit confessus, vt per hebdomadarum, vel dierum numerum, possit colligere numerum peccatorum. 2. desinat pœnitentem peccata dicere, modo quo potest, etiam ruditer, nisi copia pœnitentium vrgeat, & appareat ipsum nihil dicturum, tunc enim confessor, statim ad interrogationes procedat. 3. si pœnitens rusticus est, licet dicat se sufficienter examinasse, & nihil amplió occurrere, sed tamen proponendæ sunt ei aliquæ quæstiones, circa illa peccata, quæ hoc genus hominum committere solent, vt confessor sciat cognoscere, quæ debet iudicare, iuxta dictum Aug. cap. 1. de pœnit. dist. 6. Diligens inquisitor, & subtilis investigator, sapienter & quasi astute, interrogat á pœnitente, quod forsitam ignorat, vel verecundia velit occultare.

4. Non differat confessor, quærenda circa numerum & speciem peccatorum, quovsque á pœnitente confessio fuerit finita, sic ait Lugo, & Vazquez, nam hac ratione, multa forsam erunt oblita, & etiam pœnitenti, molestè iterum obiecta, & sic salubriús & faciliús est statim interrogare, quando non est periculum, vt pœnitens turbetur vel obliviscatur, vel etiam aliqua peccata exterritus taceat; si autem expediens iudicetur, interrogationem ad finem differre, ad hoc iuvabit praxis Layman, nempé quod illis peccatis mortalibus communibus, assignentur in occulto certæ notæ, vt possit confessor postea recordari de illis. 5. quód non faciat confessor examen curiosum, sed solum substantiale quo ad speciem & numerum, & præcipué circa peccata carnalia, non nimis fœminas interroget, ne forte doceat ipsas quod ignorant. 6 confessor præsumere potest, pœnitentem iudicasse de obiecto, iuxta eius naturam, si non sit illi peculiaris dubitandi ratio, nec pœnitens, est interrogationibus molestandus, quando moraliter cognoscitur peccatum, ob eius dictum, vt mulier fornicata, præsumitur seducta & non seducens, & sic proportionaliter de alijs.

Casus quartus, de confessione informi. Celeberrimus Decreti compilator Gratianus, & insigne Ordinis S. Benedicti decus, fratrem habuit Petrum Lombardum, Episcopum Parisiensem, vulgo Magistrum Sententiarum; insuper etiam alium germanum habuit, Petrum Comestorem, historiæ Scholasticæ laudatum Magistrum; hos tres, mater conceperat ex adulterino concubitu, cum autem post plures annos, illa videret & audiret, quanta filij sui fama & nominis celebritate excellerēt, sæpiús dicere solebat, se peccasse dum eos concepit, sed cum peperit filios adeo Ecclesiæ vtiles, non poterat de illo peccato dolere. Quæritur: an si re vera omisisset in suis confessionibus, detestationem & manifestationem illius triplicis peccati, inducta ea falsa persuasione, quod nec confitendum, nec dolendum erat de crimine, per quod tale commodum Ecclesiæ redundavit, illæ confessiones fuissent invalidæ & infructuosæ, etiam sine remissione aliorum criminum, quæ sincere aperiebat?

Hunc casum proponimus, pro maiori explicatione confessionis informis, de quo iam egimus, art. præced. diffic. 7. & 8. & quia vt diximus, illa coniunctio valoris cum informitate confessionis, potest fieri, casu quo deficit vniversalis omnium peccatorum dolor, ideo proponitur factum prædictum, in quo exprimitur defectus doloris. De illius veritate dubitat Card. Bellarm. lib. de Scrip. Eccles. verbo Petrus Lombardus, & ait, fundamento carere, Gratianum, Lombardum, & Comestorem, fratres fuisse, cum Gratianus fuerit Hetruscus, Lombardus Novarinus, & Comestor, Trecensis Gallus; sed tamen Tiraquell. de nobilit. cap. 15. num. 32. ait: sunt qui ferant, Gratianum, Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem, ex adulterio natos, cuius admissi, cum mater eorum pœnitere non posset, quod tantos viros ita genuisset, idque confessori suo, plane profiteretur; pœniteas ergo inquit, quod pœnitere non possit.

Posito autem, illum casum fuisse verum, quod possibile est, pro statuenda confessione informi, resolvitur sic. Si fœmina illa confidit se conceptura filios, plurimum bono Ecclesiæ profuturos, & insuper adeo fuit rudis, & ignara præceptorum Dei, vt ex ignorantia invincibili existimaret, adulteria, ex quibus procreantur proles, bono publico pervtiles, non esse peccata mortalia, nec ad confessionem deferenda, & eius confessionibus, nihil aliud obfuit, quam silentium trium adulteriorum, confessiones fuerunt validæ, ob integritatem formalem, & etiam fructuosæ, quia omissio inculpabilis peccati mortalis, non privat fructu Sacramen-

menti; si autem ponamus, quod illa dum adulterium committebat, existimabat se graviſimé peccare, & confeſsionem criminum diſtulit, dum filios omnium ore laudatos cognovit, cogitans ſtultè agere, ſi doleret de conceptione talium filiorum, & ea credulitas fuit inculpata, ſed iuncta confeſsioni, & dolori aliorum peccatorum, abſque motivo illũ extendente, etiam virtualiter ad illa adulteria, confeſsio fuit valida, ſed infructuoſa.

Vndé iuxta ſuperius dicta, Sacramentum poteſt eſſé validum, ob aliquæm dolorem particularem, & ſimul informe, ob defectum doloris vniverſalis, ad omnia peccata extenſi. De valore conſtat, nam ad eſſentiã Sacramenti, ſolum requiritur, dolor ſupernaturalis, propoſitum emmendationis, & confeſsio formaliter integra, quæ omnia in caſu prædicto reperiuntur. Deindé probatur de informitate, nam hæc tria, re vera poſſunt reperiri in peccatore, cui non infundatur gratia, quia nullum dimmittitur peccatum, ſine dolore ſaltim virtuali vt ſuprá diximus, & alias vnum mortale, ſine altero non remmittitur; ſed fieri pot ſt, vt quis veré doleat de aliquo peccato á ſe commiſſo, & non de altero, quia motivum primi doloris eſt particulare, & non ſe extendit ad aliud, memoriæ non occurrens, & ſic in eo caſu, confeſsio valida eſt, ſed informis.

Nec obſtat: Quód pœnitens in eo caſu, ponit obicem gratiæ, & ſic Sacramentum validum non facit; nam vt vidimus ſuprá, obex ille, non eſt poſitivus, ſed negativus, conſiſtens in carentia extenſionis doloris ad peccata inculpabiliter oblita. *Dices*: ille pœnitens, poteſt elicere actum doloris vniverſalis, & non elicit illum: ergo poſitivé ſe indiſponit; quod præcipué vrget in eo, qui ſcit eſſe neceſſarium dolorem vniverſalem; nam poteſt dubitare, an habeat peccatum occultum, quia neſcit homo, an ſit dignus odio vel amore; quare ait Paulus: nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, & David ait: ab occultis meis munda me: ergo tenetur elicere dolorem vniverſalem; alias ſe exponeret periculo, non conficiendi Sacramentum. Propter hoc argumentum, limitant aliqui reſolutionem, ad eum caſum, in quo quis neſciat, quod requiritur dolor vniverſalis, ad percipiendum Sacramenti fructum. Qua propter, aliquando audivi á quodam, quod iſte caſus pœnitentiæ informis, nullo modo videtur poſſe contingere; ſi enim quis hoc neſcit, nec de tali cogitat, confeſsio non eſt informis, ſi autem cogitat, & dolorem vniverſalem non habet, confeſsio non erit informis, ſed ſacrilega.

Sed re vera, hæc omnia ſine fundamento excogitantur; nam licet quis ſciat, quod ſi eſt in peccato mortali, Euchariſtia non cauſabit ei gratiam, ſi tamen illius conſcientiam non habet, poſt ſufficientem inquiſitionem, non tenetur ad confeſsionem prævíam, & forté eſt in peccato mortali, & non confitetur cum poſsit, exponendo ſe periculo; vt ait D. Tho. 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. ergo idem dicendum in noſtro caſu. Nec dicas: ſufficere quod tunc eliciat actum contritionis; quia etiam neſcit, an ſit contritus vel non, & poteſt exire á dubio, ſi confiteatur, alias ſe exponit periculo. Túm, nam qui non habet confeſſoris copiam, cum attritione exiſtimata contritione, licité accedit ad Euchariſtiam, vt fert ſententia communis; & tamen non poteſt dici de illo, quod indiſpoſitus accedit, licet non eliciat actum contritionis, quæm elicere poteſt.

Iuxta hanc ergo doctrinam. Reſp. ad inſtantiam, quod licet quis ſciat, requiri dolorem vniverſalem ad recipiendum fructum Sacramenti, & illum non elicit, non propter hoc poſitivé ſe indiſponit, eo quod voluntarié non ponit obicem poſitivum gratiæ, cum enim peccata de quibus non dolet in memoria non ſint, nequit ad illa dolor extendi. Ad id quod additur, dicitur: quód in eo caſu, cogitat quis ſufficienter peccata, & ſolum habet dolorem particularem, ſed dolorem vniverſalem poſitivé non excludit, ſed ab hoc præſcindit, eo quod omnia peccata non occurrunt memoriæ, & vt confeſsio ſacrilega eſſet, debebat poſitivé exclu ere dolorem vniverſalem.

Caſus quintus, de confeſsione generali. Iuvenis quidam, cum proximé paratus eſſet, ad habitum cuiuſdam Religionis induendum, intellexit á quodam illius alumno, cum quo vocationem ſuam contulerat, eſſe laudabilem conſuetudinem, in omnibus qui habitum veſtire deſiderabant, conſcientiam generali confeſsione mundare, ad inchoandam religioſam vitam, quod iuveni prædicto maximé difficile viſſum eſt, quia vt aiebat ipſe, non poterat ſine ingenti confuſsione, recenſere omnia peccata quæ patravit, quæque iam apud alium confeſſorem depoſuit. Quæritur: an qui facit confeſsionem generalem, peccatorum rité confeſſorum, teneatur omnia mortalia vitæ præteritæ aperire, vel an poſsit ommittere aliqua, ſaltim graviora?

De confeſsione generali agit D. T. in addit. 3. p. q. 10. art. 5. & ait: Quód peccata oblita, per confeſsionem generalem delentur, ſed tamen ſi in memoria ſunt, egent ſpeciali confeſsione, vt erubeſcentia confeſsionis peccati, pœnam minuat. *Si dicas*: ad quid cum peccata redeunt in memoriam, debent confiteri, ſi iam per generalem confeſsionem ſunt remmiſſa? Reſp. quód in confeſsione, non ſolum requiritur abſolutio, ſed iudicium Sacerdotis, ſatisfactionem imponentis, & ideo quamvis fuerit abſolutio collata, tenetur quis confiteri poſtea peccata cum recordantur, vt ſuppleatur quod ad Sacramentalem confeſsionem defuit.

Ad caſum ergo propoſitũ, reſpondent aliqui, quod in generali confeſsione, tenetur quis omnia peccata iã cõfeſſa aperire, ſic ſentit Victoria, & Ledeſma;

sed oppositum est communius, ita Lugo, Suarez, Perez, & Dicastillo, & Ant. á Spir. S. Ratio est: quia peccata iam confessa, non sunt materia necessaria, sed voluntaria confessionis, & sic pœnitens, non tenetur aperire omnia. *Dices*: quód hoc modo, pœnitens confessarium deciperet, cum diceret, se facere generalem confessionem, quam re vera non facit. Resp. quód illud mendacium, non est circa materiam Sacramenti, cum nihil omnittatur, simpliciter necessarium ad eius valorem, & sic solum erit peccatum veniale, quod non obstat valori Sacramenti.

Deducitur ex hoc: quód si quis habet duos confessarios, & vni primo confitetur peccata gravia, & alteri postea levia, hoc non officit per se, Sacramenti valori; hoc enim honestatur, si quis intendit rectum æstimationem, apud suum confessarium ordinarium servare, & maximum habet ruborem, illi manifestandi peccata gravia; sic sentiunt Coninch, Navarro, & Suarez. Sed tamen per accidens, in hoc potest esse gravis inordinatio, vt si hæc sit causa sæpiús relabendi, quia confessor, parum peccata ponderat, nec ea reprehendit, & levem pro gravibus satisfactionem imponit; quia sic non posset facile, de eis per confessorem emmendari, ob ignorantiam status ipsius, & de his potest valdé timeri, ne habeant sufficientem dolorem, & propositum emmendationis. Undé confiteri dicto modo, licet per se fieri possit sine peccato, nisi adsit vrgens causa, diffuidendum est, & quia talis confessio sic duobus facta, videtur hipocrita, & quia indicat plus æstimari famam quam animam, quod rectum non est; quam enim commutationem dabit homo, pro anima sua?

Sed dubium specialius est: an qui in confessione generali, confitetur peccata, post vltimam confessionem commissa, & nunquam confessa, debeat dicere, illa nunquam fuisse confessum, vt confessor intelligat, esse materiam necessariam. Aliqui affirmant cum Perez, & Turriano; sed oppositum est commune, & id tenent Sanchez, Suarez, Lugo, Dicastillo, Tamburinus, Tancredo, & Ant. á Spir. Sancto. Ratio est: quia sive peccatum antea fuerit confessum sive non, idem est invariatum in se, quia illa circumstantia non se tenet ex parte peccati, sed ex parte pœnitentis, & ea non explicata, adhuc explicatur tota gravitas peccati. *Nec obstat*: quód confessor potest interrogare, an illud peccatum fuerit iam confessum; nam plura potest confessor interrogare, vt melius suum munus exerceat, quæ tamen pœnitens, non tenetur fateri, vt patet in circumstantijs aggravantibus, iuxta sententiam communem dicentem, quod confiteri non debent, & possunt á confessore interrogari.

An vero, qui heri peccatum commisit, satisfaciat dicendo, quod id fecit anno præcerito? Tamburinus ait, quod sic confessus mortaliter peccat, quia tunc dicit peccatum antiquum, quod non fecit. Sed probabiliús est oppositum, quod tenent Tancredo, Lugo, & Dicastillo. Ratio est: quia mentiri in confessione, quando hoc non impedit, quod omnia mortalia integre explicentur, confessionem irritam non facit; sed id contingit in casu prædicto, nam non est necessarium explicare tempus, in quo peccatum commissum est, vt ait Sanchez: ergo, &c. *Si dicas*: quód tunc pœnitens, negat id quod fecit, & confitetur quod non fecit. Resp. quód homo ille duo dicit, nempé se peccasse, quod est verum, & peccasse anno præterito, quod est falsum, ex quibus solum primum ad confessionem pertinet, & non secundum, & ideo confessio bona sunt, nam circumstantia temporis, non pertinet ad substantiam actus, nisi illa afferat novam speciem peccati, vel necessaria sit ad pœnitentem dirigendum.

Dices: plus distant peccatum dimissum, & non dimissum, quam mortale & veniale; sed pœnitens tenetur explicare an peccatum sit mortale, vel veniale: ergo etiam explicare tenetur, an sit dimissum vel non. Resp. quod est disparitas, nam datur Christi præceptum, vt de omnibus mortalibus accusemur, quod nequit fieri, nisi explicentur circumstantiæ, ex quibus peccatum sit mortale vel non; sed non datur tale præceptum, explicandi, an illud confessi fuerimus vel non, quia de hoc non constat nobis, ex nullo capite vel principio. Hæc omnia, speculativé sint dicta, nam ego consiliarem in praxi, peccatum nondum confessum, vt tale explicari in generali confessione, quia alias potest non leviter censeri, dari malitiam implicandi illud, inter iam confessa, quasi vnum ex illis, prætextu generalis confessionis.

Casus sextus, de integritate confessionis. Mulier quædam nobilis, turpe commisit peccatum, statui suo maximé indecorum, quod silentio in varijs confessionibus præsit; sed post varia sacrilegia in omnibus illis patrata, serio resipiscendi proposito concepto, integre confiteri decrevit, & cum exorta fuerit peccatorum narrationem, severius insto á confessore increpata; proh dolor! peccatum illud, consueto silentio rursus involuit, & venenum iterato deglutit, sicque deinceps continuato rubore, apponit iniquitatem super iniquitatem, & misserrima sorte decedit, suæ verecundiæ pœnas in æternum passura. Quæritur, quam necessaria sit confessionis integritas, & quæ pro illa sint observanda? De hoc puncto, plura vtilissima congerunt authores, & de illo agit D.T. in addit. q. 9. art 2. & nos cum ipso suprá, diff. 4. tetigimus aliqua & illis nunc iungimus sequentia.

Primo ergo, hanc integritatem confessionis, statuit Trident. Sess. 14. cap. 5. vbi ait: Constat Sacerdotes, æquitatem in pœnis iniungendis servare non potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius

in

in specie ac sigillatim, fideles sua peccata declarassent; ex his colligitur, oportere á fidelibus, omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima sint; & post pauca: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, vniversim eadem confessione inclusa intelliguntur. *Nec dicas*: quód sufficiens pœna, potest á diversis Sacerdotibus imponi; nam si quis solum consideraret vnum peccatum per se, & non gravitatem ex adiunctione alterius, non posset ei pœnam proportionatam iniungere, sicut etiam contingit in morbo, qui ex alteriús adiunctione aggravatur, & eget medicina maiori.

Sed pro maiori huius explicatione, sciendum est, quod integritas confessionis, in eo stat, quod aperiantur omnia peccata mortalia, non dum confessa, quorum pœnitens conscientiam habet, & circumstantias eorum, species mutantes; quæ integritas, alia est materialis, cum omnia explicantur absoluté, & hæc per se & ordinarié requiritur; alia formalis, cum explicantur ea, quæ hic & nunc occurrunt, & ad quorum manifestationem, nulla datur excusatio, quod si ex vrgenti causa, vel impossibilitate morali, aliquod ommittitur, illis cessantibus, debet explicari. Et hæc integritas formalis, sufficit per accidens, in aliquo casu extraordinario. Vt ergo confessionis servetur integritas, debent omnia peccata explicari, secundum speciem, & numerum.

Primó secundum speciem, quia in confessione, omnes species, & circumstantiæ quæ speciem mutant manifestari debent, vt ait Trident. loc. cit. sed hoc intelligitur de speciebus diversis in esse morali, & non in esse physico, quia de illis & non de istis, debet confessor iudicium ferre; vndé sive homicidium fiat veneno vel gladio, semper est eiusdem speciei moralis, licet physicé sit diversum; & é contra, duo homicidia, parentis & Sacerdotis, possunt esse eiusdem speciei physicé, & moraliter sunt diversa, quia in primo, præter malitiam homicidij reperitur ratio parricidij contra pietatem, & in secundo ratio sacrilegij, contra reverentiam debitam personæ sacræ; sic communiter Doctores sentiunt.

Secundó, pro integritate confessionis, debent explicari peccata quo ad numerum, si ille certo constat, quod si non constet, dicatur probabiliter, vt si quis decies peccavit, plus minúsve, etsi postea certus numerus appareat, vt si sūt duodecim, necesse non est, illa duo aperire, vt diximus suprá, art. 2. cas. 3. & ita tenent plures authores, quos citant Salmantic. Si autem probabilis peccatorum numerus nequit haberi, dicenda est consuetudo peccandi, tempus & frequentia, in die vel septimana, quantum fieri possit, quod in actibus externis, facilius erit, quia non adeo frequenter committuntur; interni verò, declarari possunt dicendo, se fuisse paratum ad committendum, vel desiderandum tale peccatum, quoties occasio, vel memoria occurrebat; sic Suarez, Cayet. Soto, Ledesma, Navarro & Ant. á Spir. S. nec pœnitens debet nimis vrgeri, vt certum numerum proferat, quia hoc, sæpé est moraliter impossibile; quod observari debet, pro fœminis communibus ad fornicandum expositis, quæ nequeunt determinatas peccatorum species, & numerum aperire.

Cúm autem diversitas numerica peccatorum, ab interruptione temporis desummatur, sciendum est, quod illa interruptio requiritur ad hoc, vt per illam censeatur quod aliquis, nec formaliter, nec virtualiter perseverat, in voluntate priori. Dicitur formaliter perseverare, quando quis intendit, & vult aliquid facere; virtualiter verò, quando operatur in virtute intentionis præcedentis, quamvis hæc formaliter non duret; vt si quis elicito actu odij, mora interposita, novum actum odij eliciat, committit novū peccatū odij, quia prior nullo modo perseverat, si autem quis intendat inimicum occidere, gladium summat, & in via intentionem repetat, committit vnum peccatum numero, quia in illa actione externa, remanet virtualiter, prior intentio.

Et notandum, quod in eodem actu numero physicé, possunt esse plures malitiæ morales, & in pluribus actibus, vna numero malitia; exemplum primi, quando quis vno ictu gladij, tres homines occidit, vel vno flatu linguæ plures infamat; exemplum secundi, quando tribus ictibus, vnum hominem interficit. *Si dicas*: quód iuxta D. Thom. sententiam, plura accidentia numero, nequeunt esse in eodem numero subiecto, & sic, neque plures malitiæ in eodem actu. Resp. hoc esse verum de accidentibus physicé, vel metaphysicé sumptis, quia hæc á subiecto habent esse numericum, non verò in esse moris, quia sic distinguuntur numero, ex obiectis numero distinctis, quorum quodlibet completum sit, nec ordinetur ad aliud, si enim ordinentur inter se, vnum peccatum numero constituunt, vt dicitur communiter, de osculis & amplexibus, lascivam copulam frequenter committantibus.

Maxima ergo cura & vigilantia, integra confessio fiat, in qua sita est animæ salus, proindeque adversarius noster diabolus, illam integritatem impedire studet; ideoque illum, aliquando dixisse fertur, quod hominibus confitentibus, restituit quod eis abstulit; cum enim peccatum commisserint absque verecundia, illud postea in confessione, verecundia & silentio tegere conantur. Iudas, cuius nomen interpretatur confessio, viscceribus diffusis, crepuit suspensus dœmonum socius, quia licet dum dixit: peccavi traddens sanguinem iustum, confessus fuerit, sed confessionem integram non fecit, ta-

cuit enim circumstantiam avaritiæ, scandali, & alias quæ sacrilegum facinus committarunt; & idipsum continget, his qui integre confiteri non satagunt, culpas & sacrilegia cumulando; ideoque Deus per Oseam, cap. 10. conquerebatur de peccatoribus sic: Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, nam quemadmodum arans, terra operit semen, quod postea multiplices producit aristas, ita peccata in confessione, verecundia quasi terra operta, multiplicia sacrilegia faciunt repullulare.

Ne autem infelicitas hæc, aliquibus eveniat, ex imprudentia confessariorum, isti semper habeant præ oculis, dictum Innocent. III. in cap. sæpiùs citato: omnis vtriusque sexus, vbi dicitur: Sacerdos sit mansuetus ac cautus, vt more periti medici, superfundat vinum & oleum, vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intellectis, intelligat quale debeat ei præbere consilium, & eiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis vtendo, ad salvandum ægrotum. Iuxta hoc ergo, caveat confessor, ne pœnitentem in criminum narratione increpationibus terreat, imó nec admirationis signa faciat, quantumvis atrocissima, & indignissima audiat crimina, donec sit expectorata conscientia, ne occasionem præbeat celandi peccata, & crimina & sacrilegia repetendi.

Casus septimus, de circumstantijs in confessione aperiendis. Homo quidam, bonorum cuiusdam Domini administrator, pergit ad confessarium, & ita confitetur: Fui per meam incuriam, causa damni notabilis in rebus mihi á Domino commissis; at confessor illum non interrogat, quanta fuerit incuria & negligentia, nec quanti æstimet damnum illud, nec obligat ad restitutionem & imponit pœnitentiam levem; postmodum aliquo tempore peracto, iterum ad eundem revertitur confessarium, cum remorsu conscientiæ, pro eo quod circumstantias illas, ommisserit in confessione priori. Occasione huius quæritur, quomodo & quales circumstantiæ, explicandæ sint in confessione?

Concil. Trident. Sess. 14. cap. 5. hæc de circumstantijs confitendis habet: eas circumstantias, in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutãt, quod sine illis, neque peccata ipsa, integre á pœnitentibus exponantur nec iudicibus innotescãt, & fieri nequeat, vt de gravitate criminum, rectè censere possint, & pœnam quam opportet pro illis, pœnitentibus imponere. Circa quod actum est, art. præcedenti, diffic. de circumstantijs speciem mutantibus, & de aggravantibus notabiliter confitendis. Nunc de circumstantijs generaliter sumptis agendum est, quæ hoc versiculo continentur: *Quis quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo quando*; hæc sunt circumstantiæ celebriores, ad quas possunt aliæ revocari, si quæ occurrant, de quibus agit D. T. 1. 2. q. 7. art. 3.

Prima circumstantia est *quis*, quæ denotat qualitatem personæ peccantis, & si mutat speciem, necessario confitenda est, vt si persona sacra, coniugata vel religiosa, peccatum turpe commisserit, transfert actionem intemperantiæ, in vitium iniustitiæ vel sacrilegij. Quando autem persona est nota confessario, necesse non est illam explicare, & oppositum ridiculum apparet. *Nec obstat*: quód licet confessior, iam sciat peccata pœnitentis, debet hic de illis se accusare, & sic idem de persona dicendum est; nam de peccatis, non se accusavit adhuc virtualiter, licet confessor de illis haberet notitiam; de persona verò, virtualiter se accusãt, quando manifestat substantiam actus, & sic si illa cognita est á confessore, non est necessarium, hanc circumstantiam explicare.

An autem excellentia personæ peccantis, aggravet peccatum? Resp. affirmativé cum D. T. 1. 2. q. 73. art. 10. quod ex quatuor principijs oritur. 1. quia qui excedunt in scientia & virtute, faciliùs peccato resistere possunt, & sic dicitur Luc. 12 quod servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit, vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. 2. propter ingratitudinem, quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, & quælibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, iuxta illud Sap. 6. Potentes, potenter tormenta patientur. 3. propter specialem repugnantiam peccati, cum magnitudine personæ, vt si Princeps iustitiam violat, qui ponitur iustitiæ custos. 4. propter scandalum, vt enim ait D. Greg. in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus, peccator honoratur.

Secunda circumstantia est, *quid*, & indicat materiam peccati, quo ad conditiones eius, ei accidentaliter avenientes, non verò ipsum primarium obiectum, quia hoc, pertinet ad substantiam actus, vt ait D. T. 1. 2. q. 7. art. 3. ad 3. vt quando quis furatur, quod res sit aliena, est substantia actus, quod verò sit magni vel parvi pretij, est accidens & circumstantia illius. Ad hanc circumstantiam, reducitur circumstantia *circa quid*, in qua consideratur persona contra quam peccatur; sicut ergo cum fornicatur habens votum castitatis, hanc circumstantiam tenetur explicare in confessione, ita etiam cum fornicatur quis cum coniugata, tenetur hoc explicare, etiam si vir eius consentiat, contrarium enim damnatum est ab Innoc. XI. in propos. 50. & idem proportionaliter de alijs personis, circa quas peccata committuntur.

Tertia circumstantia est *vbi*, quæ pertinet ad locum in quo patratur delictum, vt si quis luxuriam vel furtum, facit in loco sacro, actiones illæ, indicunt malitiam sacrilegij, ex circumstantia loci. Quarta circumstantia est, *quibus auxilijs*, in qua denotantur instrumenta, quibus fuit commissum

pec-

peccatum, & etiam concausæ quibus adiuvatur; quantum ergo ad instrumenta, regulariter non est necessarium ea explicare, vt quod homicidium factum sit gladio vel sclopo, nisi detur prohibitio specialis, vt endi tali instrumento, & illa obligat sub mortali; si veró media seu instrumenta peccati, continent aliam specialem malitiam, alteri virtuti oppositam, explicari debent, vt si quis abuteretur Sacramentis aut rebus sacris, ad pravum finem, vel etiam pacto Dœmonum, aut arte-magica, quæ omnia ex alijs titulis, continent specialem malitiã.

Quinta circumstantia est, *cur*, quæ denotat finem extrinsecum, propter quæm aliquis operatur. An veró, quando prava circumstantia adveniens, est simul finis, vt cum quis furatur propter fornicationem, possint seorsim illæ duæ malitiæ confiteri, dicendo prius peccatum furti, & postea peccatum fornicationis? Negat Nuño cum alijs; sed oppositum verius est, nam licet illa duplex malitia, subordinetur vt medium & finis, sed re vera est duplex malitia, distincta in specie athoma, scilicet furti & fornicationis, & ambæ possunt, sufficienter explicari seorsim, sic sentit Angel. Navarro, Diana, Lugo, Leander, & Salmantic.

Sexta circumstantia est: *quomodo*, ad quam reducuntur hæc omnia. 1. modus peccandi intensius & cum maiori conatu, qui cum sit solum circumstantia aggravans, non debet confiteri, iuxta sententiam probabilem dicentem, circumstantias aggravantes, non debere explicari. 2. reducitur ad hoc, modus peccandi ex consuetudine, qui an debeat explicari, dicetur infrá. 3. modus peccandi ignoranter. 4. modus violentiæ quæ in furto transfert ad speciem rapinæ, & in luxuria resistente fœmina, ad speciem raptus. 5. modus quo homicidium committitur, discerpendo cadaveris membra, dissecando viscera, quia hoc est peccatum sevitiæ & feritatis specialis, vt ait D.T. 2 2. q.159. art. secundo. 6. modus durationis, qui necessario non debet exprimi, nisi ex hoc contingat, peccata quo ad numerum moraliter multiplicari.

Vltima circumstantia est: *quando*, quæ indicat tempus, quo delictum patratum est. Sed an sit specialis circumstantia, peccare in die festo? Plures affirmant á Salmant. citati; sed communis sententia contrarium asserit, quam tenent Navarro, Covarrubias, Suarez, Vazquez, Coninch, Ledesma, & alij plures, & constat 1. quia licet præceptum de observatione festorum, habeat pro fine, cessationem á culpis, sed finis præcepti, sub præcepto non cadit. 2. quia in præcepto de cultu festorum, nullo modo includitur cessatio á peccato; quod tamen limitant aliqui, quando festum, non est specialis sanctitatis dies, vt sunt dies Iovis aut Veneris sancti; sic Diana, Leander, & Henriquez; sed hoc intelligitur, si talibus festis, gravis irreverentia fieret, vt faciendo ludos, vel comedias publicas vel similia; & simile quid esset, si Sacerdos, finito sacro altaris ministerio, immediatè pergeret ad peccandum cum concubina; hæc enim esset gravissima sacrificij irreverentia; ex quibus pro casu posito constat, quid circa generales circumstantias manifestandas in confessione, discurrendum est.

Casus octavus, de circumstantijs in particulari. In vario & feré innumero hominum cumulo, sequenti modo peccabant plures, & his circumstantijs peccata vestiebant; alius sic, alius autem sic. 1. vnus habens votum, commisit turpe peccatum. 2. alter cum filia confessionis. 3. alter peccandi consuetudinem habuit. 4. alter contumelias dicere consuevit. 5. alter de peccatis suis se iactavit. 6. alter consilium ad peccandum dedit. 7. alter, odio erga proximos afficiebatur. 8. alter loquebatur turpia. 9. alter quandoq; blasphemabatur. 10. alter luxuriatus fuit in loco sacro. 11. alter fuit incitans ad culpam. 12. alter tandem studio deditus, Missam audire omnisit. Quæritur: quid servandum de omnibus his peccatis, & circumstantijs eorum, ad confessionem integre faciendam? Casus hic, cingit multa, singula singulis numeris, sic respondentia.

1. *Habens votum, commisit turpe peccatum.* Probabile est, quod circumstãtia voti simplicis, vel solemnis, est in confessione aperienda, & ex parte peccantis, & ex parte complicis; sic tenent Soto, Medina, & Azor; sed oppositũ sentiunt plures, quos citant & sequuntur Salmant. quia esse votum simplex vel solemne, non variat specie malitias, nec eas numero multiplicat; & etiã esse Sacerdotem, vel tantum subdiaconum, non est necessario in confessione aperiendum, nam maior consecratio, non addit circumstantiam specie distinctam; sic Sanchez, Diana, & Lugo. Sed an Novitius vel Novitia, peccantes contra castitatem, debeant hanc circumstantiam manifestare? Verius est, quod non, quia nondum votum castitatis emisserunt; idemque dicendum de clerico, in minoribus ordinibus constituto; ita Diana, Lugo, & Dicastillo; & similiter discurrendum est, de sponsis de futuro, inter se vel cum alijs peccantibus, nam læsio sponsalium, non sufficit ad adulterium, vt dicunt Megala, Covarrubias, Vivaldus, & Basilius. De virgine veró, dum primo voluntariè fornicatur, probabilius est, debere hanc circumstantiam exprimere, quia licet ipsa consentiat, parentibus tamen, sub quorum cura est, fit notabilis iniuria, & ipsis & familiæ, ex hoc innumera sequuntur mala; sic D.T. 2. 2. q.154. art.6. ad 3.

Hoc limitat Ant. á Spirit. S. ad eum casum, in quo re ipsa, hæc mala sequantur, ex peccati manifestatione, quia tunc peccatur, contra pietatem debitam patri, secus si crimen in occulto manet, vel commissum fuit, cogitando bona fide, non fore manifestandum, quia tunc mala secuta, eveniunt

præ-

præter intentionem fœminæ peccantis. Hæc autem circumstantia virginitatis, á viris explicari non debet, quia in ipsis nõa est speciale virginitatis signaculum, amissibile per culpam, sicut in fœminis. Sed circumstantia imporentiæ in frigidis & eunuchis, debet explicari, quia illorum coitus, deficit á naturali copula, & constituit vitium contra naturam; sic Henriquez, Lesius, Diana, Salmantic. & Lugo.

2. *Cùm filia confessionis peccavit.* Non est sermõ, de abutente sacrilege ipsa confessione, ad pœnitentem solicitandum, quia hoc crimen, est speciale & horrendum, merito ab Ecclesia gravissimis punitum pœnis; nec sermo est, de confessore frequenter visitante pœnitentem, & occasione confessionis præteritæ in turpia cadente, hoc enim, pessimum etiam sacrilegium est; sermo igitur est de confessore, qui solum occasione oblata, libidinem explet cum filia confessionis. Aliqui sentiunt, ibi dari circumstantiam incestus, alij sacrilegium vocant, & ideo asserunt, esse circumstantiam in confessione explicandam; sic tenent Sotus, Navarro, Gallego, & plures alij. Oppositum alij dicunt, cum Bonacina, Diana, Basilio, Lugo, Hurtado, & Ledesma, moti ex eo, quod in Sacramento Pœnitentiæ, non contrahitur cognatio spiritualis, sicut in Baptismo & confirmatione. Sed re vera, ego iudico, ibi esse specialem circumstantiam in confessione exprimendam, licet illa non sit incestus nec sacrilegium, sed scandalum & ministerij sacri contemptus, quod vrgentius esset, si cum spe faciliter consequendæ absolutionis ab ipso complice, patraretur peccatum.

3. *Peccandi consuetudinem habuit.* De consuetudine peccandi est dicendum, quod per se loquendo, necessario explicanda non est, vt tenent Salmantic. cum pluribus; alias per se loquendo, obligaretur pœnitens, ad confitendum sæpiús eadem peccata. Sed tamen per accidens, necessarium est talem consuetudinem explicare, vt confessor, pœnitentis dispositionem inspiciat, vt vidimus suprá, art. 8. casu 1. quód maximé verum est, quando confessor de consuetudine interrogat, tunc enim pœnitens, obligatur illam fateri, vt decrevit Innoc. XI. in damnatione propos. 58. & 60. Tenetur ergo pœnitens consuetudinem luxuriandi, vel iurandi explicare in confessione, de illa interrogatus, quia sic confessor intelligit, quod illam non curat præcavere, sed in eam se coniecit, & periculo morali frequenter se exposuit, vt rectè notat Dicastillus. Ex habitu enim & consuetudine peccans, ex certa malitia peccat, quod graviús est, quam solum ex passione peccare, vt ait D. T. 1. 2. q. 78. art. 4.

4. *Contumelias dicere consuevit.* In contumelijs, detractionibus, & iudicijs temerarijs, sentiunt Cayet. Reginaldus, Sa, Lugo, Diana, Salmant. & Dicastillus, quod omnes illæ actiones, summunt speciem malitiæ, ex eo quod lædunt honorem vel famam proximi, sicut furta lædunt fortunam, & sic sicut furta sunt eiusdem speciei moraliter, sive fiant per hoc vel illud medium, ita læsiones illæ proximi, licet per diversa media factæ, eiusdem speciei sunt in genere moris, & ita dicendum probabiliter, satisfieri posse obligationi explicandi peccata in confessione, si dicatur iniuriam fuisse proximo factam, in hac vel illa materia, quin explicetur an fuerit in fama, honore vel existimatione, quia in iudicio & æstimatione prudentum, pro eadem specie morali reputantur; licet oppositum teneant Suarez, Navarrus, & Layman.

5. *De peccatis se iactavit.* Sentiunt aliqui non variari malitiam, ex varietate peccatorum, de quibus iactatur quis, & tunc sufficienter satisfit dicendo: de peccato mortali me iactavi, nam ratio gloriandi se de male facto, eiusdem rationis est, licet facta mala sint diversa, sicut proximé de contumelijs dicebamus, sic tenent Leander, & Pellizarius. Sed veriús est oppositum, nempé iactantiam novam malitiam induere, ex varijs speciebus peccatorum, de quibus quis iactatur, & quod hæc in confessione debent declarari; sic Lesius, Sanchez, & Salmant. Moventur ex eo: quod iactantia de re mala, continet eius approbationem (nisi forté narretur opus, vt appareat ingenium, sine approbatione mali, nec scandalo audientium) approbatio autem peccati mortalis, reducitur ad speciem peccati approbati, vt luxuriæ, furti, &c. Nec tota iactantiæ malitia, consistit in captanda gloria; sed in approbatione peccati illius, quod est iactantiæ materia, cuius malitia, se habet per se ad iactantiam; licet enim iactantia, prohibeatur á virtute sibi opposita, sed illa specialis iactantia de fornicatione, v. gr. prohibetur á virtute opposita fornicationi.

6. *Consilium ad peccandum dedit.* Datur obligatio explicandi peccatum, quod consultum fuit, nam consilium, reducitur ad speciem peccati quod consulitur, vt dicunt Medina, Lugo, Salas, & Dicastillo; & sic, in consilio de opere illicito, datur duplex malitia, vna contra charitatem proximi, qua quis tenetur vitare occasionem ruinæ alteriús; altera, quæ reducitur ad speciem peccati, de quo consilium est. *Si dicas:* ergo graviús peccat, qui consulit fornicationem, quam qui eam committit. R. quód in aliquibus peccatis, hoc est verum, nam qui consulit homicidium, est homicida, & alias committit scandalum, & ideo graviús peccat, ipso occidente; sed hoc non est in alijs peccatis, vt in luxuria, nam licet consilium, in malitia scandali excedat, sed fornicatio excedit aliundé, nam plus opponitur castitati, obliganti singulos, magis ad servandam castitatem in se, quam ad eam procurandam in alijs; sicut pœnitentia plus obligat, ad dolendum de peccatis proprijs, quam ad procurandã pœnitentiã aliorum; sic sentiunt authores prædicti.

7. *Odio*

7. *Odio erga proximos afficiebatur.* Si odium fuerit erga parentes, est exprimendum ob circumstantiam specialis impietatis; sic tenent plures apud Salmant. & sic videtur declaratum ab Innoc. XI. in propos. 14. & 15. ex damnatis, & idem est de odio patris erga filios; & etiam erga avos & nepotes, aliosque ascendentes & descendentes, vel coniugis erga coniugem, vel erga fratres & sorores, vel erga prælatos, nam in omnibus his, præter communem rationem odij circa proximum, datur circumstantia specialis contra pietatem, quæ in confessione debet explicari; & idem dicendum, si odiū sit erga singularem benefactorem, qui vt beneface-ret alteri, nullis laboribus & periculis pepercit, & hunc magis debemus diligere, quam fratrem carnalem, in quo sæpiùs beneficiati peccant, qui beneficio affecti, peiores & crudeliores fiunt, quibus præsens sæculum satis abundat.

8. *Loquebatur turpia.* Explicandæ sunt qualitates & numerus personarum, coram quibus aliquis turpia fuit locutus, aut scandalum præbuit; sic Diana, Layman, Bonacina, & Palaus. Ratio est: quia multiplicitas peccatorum, non solum specifica, sed etiam numerica in esse morali, etiam si in eodem actu sit, debet in confessione aperiri, & ideo non solum qualitates personarum, quibus scandalum fuit datum, sed etiam numerus, explicari debet. *Dices*: peccata á parte rei commissa, debent esse determinata, quod nō posset esse in hoc casu, in quo quis scandalizaret totam civitatem, numerum personarum ignorando. Resp. quód tunc peccata multiplicantur, iuxta eum numerum personarum, qui moraliter iudicari potest fuisse scandalizatum, ad quod sufficit, quod ille cognoscatur in confusso, nam ad peccandum, non requiritur quod quis certo iudicet, quod res mala fiet, sed sufficit quod se exponat periculo illam faciendi, quod in prædicto casu contingit.

9. *Blasphemabatur.* In peccato blasphemiæ, explicandum est, an fuerit illa hæreticalis, & licet non sit hæreticalis est declarandum, an fuerit contra Deum, B. Virginem vel Sanctos, quia sic differunt specie blasphemiæ, ex oppositione ad virtutem latriæ, hiperduliæ, vel duliæ. *Si dicas*: quód vota facta Deo, B. Virgini vel Sanctis, specie non differunt, & sic idem est dicendum de blasphemijs. Resp. hoc esse verum de votis, quæ cuilibet fiunt ratione excellentiæ increatæ Dei, quæ relucet in omnibus, & illa est vna, secus de votis, quæ fiunt propter æstimationem particularis excellentiæ, nam tunc diversa sunt, ratione diversæ excellentiæ cui fiunt. *De hæresi* est dicendum: quód sive sit Paganismus Iudaismus vel hæresis, eiusdem speciei sunt, quia eadem fide privant, differunt tamen specie, vt opponuntur virtuti religionis, & includunt diversas ceremonias & ritus, & ideo explicari debet, qualis fuit secta, per quam quis á fide recesit, nam in Paganismo, datur idolatria, in Calvinismo, vsus Sacramenti invalidi in Eucharistia, & sic de alijs, quas ceremonias amplectitur, qui amplectitur sectas illas; an veró Atheismus, differat specie á Paganismo? Resp. negativé; solum enim differunt penes magis & minus, sicut hæresis negans plures articulos fidei, differt ab ea quæ negat pauciores, & ita Paganismus credit Deum, & negat Christum, Atheismus autem vtrumque negat; sic tenent Palaus. & Ant. á Spir. S.

10. *Luxuriatus fuit in loco sacro.* Ecclesia polluitur, ex effusione sanguinis vel seminis, quia hæc actiones, specialiter opponuntur sanctitati loci; circa effusionem sanguinis, solum occisio hominis, vel percussio peccaminosa cum sanguinis effusione, habent malitiam sacrilegij, non veró si sint iustæ, causa defensionis factæ, nec si homicidium, vel percusio sint casuales, lapide cadente, nec si fiant per iocum, vel ab homine stulto, quia hæc omnia, peccata non sunt; sic Henriquez, Suarez, & Coninch. Si quis in Ecclesia existens, occidat existentem foris, non datur sacrilegium, quia actio in Ecclesia non consumatur; bené veró si existens foris occidit existentem intra, ob rationem oppositam. Vt autem seminis, vel sanguinis effusio, Ecclesiam polluant, debet esse publica; sed licet occulta sit, probabile est, quod habet circumstantiam sacrilegij, explicandam in confessione; sic Raphael de la Torre, Sanchez, Bonacina, Lugo & Dicastillo. Sed non quælibet seminis effusio, in Ecclesia, est sacrilegium, sed debet esse in magna quantitate.

Aspectus & verba inhonesta in Ecclesia, sacrilegium non sunt, nec etiam tactus leves; secus si graves sint. vel maximé indecentes, vt in pudendis, vel alij similes. De peccatis internis in Ecclesia commissis, ait Medina esse sacrilegia; sed hoc communiter negatur, ad quod distinguendum est, nam si quis desiderat turpia in Ecclesia, si locus se habet ex parte obiecti, sacrilegium est, sive desiderans sint intra Ecclesiam sive extra; si autem se habeat solum ex parte subiecti, ita vt dum est in Ecclesia illa desideret, malitia sacrilegij non contrahitur; sic Azor, Lugo, & Ant. á Spir. S. Alia plura sunt; circa sacrilegij circumstantiam, per furtum in Ecclesia, vel ex bonis Ecclesiæ factum, quæ commodius attinguntur in Tract. de sacrilegio, ad primum Decalogi præceptum.

11. *Fuit incitans ad culpam.* Circumstantia inductionis ad culpam, est manifestanda in confessione, si non censetur explicata in actu principali; nam potest dari fornicatio, v. gr. sine inductione activa, vt frequenter in fœminis videtur, sed in viris qui regulariter inducunt, non est opus explicare, quia iam subintelligitur, dum contrarium non exprimatur; sic Palaus, & Coninch. Si autem ille qui inducitur ad peccatum, iam paratus erat ad illum committendum, non datur circumstantia in-

ductionis, vt cum quis rem habet cum fœmina,ad luxuriandum expoſita, licet eam rogaverit, ſolum eſt materialis inductio;ſi autem inductio fuerit formalis, præter peccatum luxuriæ, datur peccatum ſcandali activi, quod non opponitur caſtitati, ſed charitati. Sic Lugo & Perez.

10. *Studio deditus, Miſſam audire ommiſſit.* Debet explicari finis,quando ex ſe habet malitiam, vt cum quis ſtudet ad furandum, medium enim malum non eſt. Dubium eſt, quando finis ex ſe non eſt malus,vt cum quis ommittit Miſſam propter ſtudium; & tunc dicendum eſt, quod ſufficit confiteri, ommiſsionem voluntariam Miſſæ, nam actus qui eſt illius cauſa,ſi ex ſe non eſt malus,non habet niſi vnicam malitiam,deſumptam ex ordine ad ommiſsionem, & eiuſdem rationis cum illa; ſic tenent Medina, Cornejo, Zumel, Monteſinos, & Salmantic. Nec obſtat: quód tale ſtudium,exercetur extra tempus debitum, & ſic videtur oppoſitum virtuti ſtudioſitatis; nam ſtudioſitas, ſolum prohibet exceſſum,in diſcendo quod non opportet; vndé ſicut qui aliena comedit, peccat contra iuſtitiam, & non contra temperantiam, ita qui tempore auditionis ſacri ſtudet,non peccat contra virtutem ſtudioſitatis,ſed contra virtutem religionis. Hæc & alia plura,lato calamo afferuntur ab Ant. á Spir. S. & quia varias materias concernunt, illa ſic attigiſſe ſufficiat, ex quibus reſponſio ad omnia quæ in caſu proponuntur conſtat.

Caſus nonus,de conditionibus confeſsionis. Acceſsit quidam homo ad confeſſarium, & ſic eius peccata expoſuit. 1. habeo vxorem peſsimam,quæ me ſæpiús excitat ad blaſphemias. 2.bis ad crapulã bibi.3.ſemel nõ rectè ieiunavi.4.quater fui locutus de alijs non honorifice.5.occidi aliquos,nõ gladio, ſed lingua. 6. dixi vnum vel alium peccatum confeſſario tuſsiente quod non intellexit ipſe. 7. de his & alijs pro vt Deus novit,poſtulo pœnitentiam ſalutarem. Quæritur: quid de hac confeſsione ſentiendum ſit? Reſp illam eſſe valdé imperfectam, quia plures confeſsionis perfectæ conditiones non ſervat, quas adducunt authores, & D.T. 3.p. q.9. art.4. & his verſiculis continentur.

Sit ſimplex, humilis confeſsio, pura, fidelis
Atque frequens,nuda,diſcreta,libens,verecunda
Integra,ſecreta, lachrimabilis,accelerata
Fortis & accuſſans, & ſit parere parata.

Explicantur conditiones iſtæ, ex quibus aliquæ ſunt de neceſsitate confeſsionis, aliæ veró de bené eſſe illius, vt ait D. T. *Simplex* dicitur confeſsio, dum eſt talis, vt omnia ſuperflua ommittantur, non recitando in confeſsione,niſi ea quæ pertinent ad quantitatem peccati. Vndé ait Suarez, quod omnia illa quæ materia confeſsionis non ſunt, debent á confeſſore reſecari; & ſic non probat Sanchez, morem illorum, qui integram generalem confeſsionem, ſeu *Confiteor Deo* dicunt, & multo minús probari debet,formula longiſsima, quæ verbis impertinentibus contexta, præmiti ab aliquibus ſolet; ſufficit enim dicto: Perſignum Crucis, adiungere. *Confiteor Deo & tibi Patri, cum ſequentibus.* Vel *Peccavi Domine miſerere mei*; & ſimiliter debent corrigi qui dicunt: peccavi vna hebdomada turpiter cum tribus ſolutis, cum ſingulis ſemel, alia hebdomada cum duabus, tertia cum ſingulis,faciliús enim dicitur: luxuriatus ſum per octo vices. Nec rectum eſt dicere: me accuſſo ſicut Deus ſcit, nam confeſsio non eſt facienda, pro vt cognoſcit Deus, ſed pro vt cognoſcit peccator.

Humilis; talis dicitur confeſsio, ſi fit in ſpiritu contrito & humiliato, quæ humilitas, etiam in exteriori habitu pœnitentis relucet. *Pura*, dicitur confeſsio,ſi fit ex ſola intentione placandi Deum,obediendi Eccleſiæ, & vitandi animæ periculum. *Fidelis*, quia debet eſſe ab omni mendatio libera. *Frequens*, quia fieri debet, in illis temporibus, in quibus id præcipit lex divina, Eccleſiaſtica, votiva vel Regularis. *Nuda*, quia non debet eſſe velata obſcutitate verborum, ſed ita clara, vt confeſſor patenter cognoſcat peccatorum gravitatem. *Diſcreta*, quia debet quæri confeſſarius aptus, & peccata diſcrete referri, præcipuè ſi ſint luxuriæ, illa referendo per verba pauca, honeſta & pudica. *Libens*, quia debet eſſe voluntaria & non coacta. *Verecunda*, manifeſtando exteriús erubeſcentiam in corde conceptam,nihil tamen ex verecundia tacendo, quod horrendum ſacrilegium eſt, vt vidimus; & Religioſi ſpecialiter debent erubeſcere, quando venialia peccata,ſine emmendatione committunt & confitentur; quare refertur de Emmanuele Rodriguez, qui fuit Seraphici Ordinis illuſtre decus, quod notabili pudore,confitebatur veniales culpas, ſæpé iteratas.

Integra, nihil ex neceſſarijs ad confeſsionem celando, vt ſuprá diximus. *Secreta*, quia ſoli Sacerdoti debet fieri,nec publicé confiteri poteſt peccatum per ſe loquendo, ne quis ſe infamet, aliquando tamen,id poteſt per accidens fieri,vt in caſu imminentis procellæ,incendij,vel ſimilibus. *Lachrimabilis*,quia lachrimæ, ſæpé ſunt diſpoſitio vel effectus contritionis;ſed ſine culpa ommitti poſſunt in ſenſu, dummodo in corde fundantur, & hic eſt dolor intenſior, iuxta Eccleſiaſtici dictum, cap.22. pungens oculum deducit lachrimas, ſed qui pungit cor, profert ſenſum. *Accelerata*, non quia poſt peccatum commiſſum, teneatur quis ſub præcepto ſtatim confiteri, ſed quia non multum confeſsio differri debet;refertur enim Angelicum Doctorem ſolitum dicere,ſe intelligere non poſſe,quomodo aliquis, peccati mortalis reus, & illud per contritionem vel confeſsionem non delens, ſomnum quietum capere poſſet.

Fortis confeſsio dicitur,quando ſuperatur terror

aut

aut pudor, quæ á manifestatione delictorum retrahunt. *Accusans* verò, quando quis se ipsum accusat & non alium, illi culpam imponendo, quamvis per se non sit malum dicere, quod alius precibus aut minis, ad peccatum induxit; nec quis se debet sub conditione accusare dicendo: si fecerim; sed certo si certo novit, vel sub dubio, si dubius est. *Parere parata*, obediêdo monitis confessarij, acceptando pœnitentiam, & vitando culpam. Has omnes cõditiones, aliqui ad tria capita reducunt; *ad veritatem* quod confessio sit simplex, pura, fidelis, nuda, discreta, accusans; ad integritatem, quod sit frequens, integra, secreta & fortis; *ad dolorem*, quod sit humilis, libens, verecunda, lachrimabilis, accelerata, & parare parata.

Ex his apparet, quod confessio illius hominis, de quo casus loquitur, fuit multis modis defectuosa. 1. quia incepit ab accusatione vxoris, nec satis explicuit verbum blasphemiæ, per quod aliqui, imprecationes & iuramenta intelligunt. 2. quia nomen crapula, multis significat ebrietatem plenam, & alijs semiplenam. 3. quia nescitur, quid sit ieiunare non rectè. 4. quia non loqui honorificè, indifferens est ad scandalum, detractionem vel rem turpem. 5. quia occidere lingua, est addere verba superflua. 6. quia non expressit, quænam erant illa peccata, confessori tusienti dicta. 7. quia confessionem, prolixo illo epilogo clausit; quare asserit Ioannes Sanchez, quod si ipse posset, tali sic confitenti, os oppesulasset.

ARTICVLVS XIII.

De Satisfactione.

Prima difficultas: Vtrum homo, possit de condigno satisfacere, pro pœna temporali, debita peccato mortali? Notandum est: quód satisfactio, est actio reparativa iniuriæ alteri illatæ, per quod differt á restitutione, quæ iniuriam non reparat, sed solum inæqualitatem ortam ex ablatione rei alienæ, & etiam differt á satispassione, quæ non est actio pœnitentis, sed passio quædam ab extrinseco iudice inflicta, & sic reus non dicitur satisfacere, sed solum satispati, & similiter animæ purgatorij, non satisfaciunt, sed satispatiuntur. Hæc autem satisfactio, alia est Sacramentalis, per quam tribuimus Deo compensationem pro peccatis, iuxta sententiam Sacerdotis, alia non Sacramentalis, in qua homo voluntarié se punit, ad compensandam iniuriam, & ad placandum Deum, vt remmittat pœnam.

Resp. ergo quæsito: quód homo, potest satisfacere de condigno, pro pœna temporali, peccato mortali debita, sed non ex rigore iustitiæ. Prima pars constat ex Trid. Sess. 14. cap. 8 & 9. & ex D.T. in addit. 3. p. q. 13. art. 1. vbi absolutè & simpliciter dicunt hominem satisfacere posse Deo, pro pœna temporali, peccato mortali debita; solum autem satisfactio condigna, est absolutè & simpliciter talis. Ratio autem est: quia satisfactiones quas exhibemus Deo, possunt esse moraliter æquales tali pœnæ; hæc enim, finita est, sicut etiam satisfactio; imó aliquando actus contritionis, possunt esse ita fervidi & intensi, vt superent pœnam, vt ait Cayet. 3. p. q. 85. art. 3. vndé ait Iob. cap. 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.

Deindé prob. quia homo per opera bona, potest mereri vitam æternam de condigno: ergo etiam potest satisfacere pro pœna temporali. Cons. pat. quia plus est vitam æternam mereri, quam pro pœna temporali satisfacere. Quód autem hæc satisfactio, non sit ex rigore iustitiæ prob. nam vt dicitur, Tract. de Incarnat. satisfactio de rigore iustitiæ, non solum exigit æqualitatem, sed insuper quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex proprijs bonis satisfacientis, & quod hæc, alio titulo non debeantur; sed hæc non reperiuntur in satisfactione nostra, quia hæc fit per gratiam Dei, ex bonis receptis ab illo, & pluribus alijs titulis debitis: ergo illa, ex rigore iustitiæ non est; vndé ait D. Bernard. Deus nos onerat cum exonerat, onerat enim beneficijs, cum exonerat peccatis, & sic satisfactio nostra, pertinet ad pœnitentiam, quæ est iustitia imperfecta, vt suprá vidimus, non verò ad iustitiam perfectam.

Sed dices 1. pœnæ huius vitæ, sunt multo inferiores & improportionatæ cum pœnis vitæ futuræ, & sic nequeunt esse condigna satisfactio pro illis. 2. satisfactio debet fieri ex proprijs, omnia autem opera nostra, sunt Dei, & illi debentur. 3. offensa in Deum commissa infinita est, & sic satisfactio finita, illi nequit condigne adæquari. 4. nam vt ait Isai. cap. 64. iustitiæ nostræ, sunt quasi pannus menstruatæ, & ad Rom. 8. dicitur: Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, quæ omnia, defectum condignitatis in nostra satisfactione probant. Sed ad omnia dicitur: quód ex his convincitur, illam non esse condignam ex rigore iustitiæ, quod fatetur secunda pars resolutionis, non verò condignam non esse absolutè; & quidem si gloria, quæ est aliquid maius, condigne meretur per opera nostra bona, quanto magis remissio pœnæ temporalis, quæ quid minùs est?

Resp. igitur ad 1. quód pœnæ huius vitæ, sunt inferiores physicè, pœnis alteriùs, sed tamen sunt proportionaliter, & moraliter æquales; sicut idem de operibus bonis respectu meriti condigni gloriæ dicitur, de quo ait Paulus: momentaneum & leve nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; datur enim inferioritas physica durationis

in

in operibus nostris,& tamen gloriam æternam con digné promerẽtur ob æqualitatem moralem. Ad 2. quod vt ait D.T. loc. cit. ad 2. opera nostra, licet sint Dei, etiã sunt specialiter nostra; Deus enim, qui nos ad imaginem suam fecit, libertatem nobis reliquit, qua opera faceremus nostra, iure aliquo, & dominio. Ad 3. quod licet actio nostra, non sit omni no æqualis offensæ, est tamen illi æqualis proportionaliter, quod sufficit, vt sit condigna satisfactio pro illa, sic D.T. 2. ad Cor. 4. lect. 5. circa fin. Vel dicatur cum D.T. hic ad 1. quod sicut offensa habet quandam infinitatem ex maiestate Dei, etiam satisfactio illam habet, ex infinitate divinæ misericordiæ, pro vt satisfactio est informata gratia, quæ opera hominis, Deo reddit accepta. Nec inferas: quod si satisfactio habet infinitatem, erit ex iustitia riguros; nam illa infinitas, solum se habet ex parte Dei, & non ex parte ipsius operis, quod requirebatur ad riguros iustitiam. Ad 4. quód loca illa suadent, satisfactionem nostram á Dei gratia pendere, & ab illa ad debiti solutionem, eficatiam mendicare, quod etiam & nos asserimus.

Deducitur ex his: quod ante ingressum gloriæ, necessaria est homini satisfactio, si ei totaliter non est condonatus reatus pœnæ; hæc veritas est de fide, diffinita á Leon. X. contra Lutherum, qui temerario ausu, satisfactionem quam SS. PP. & DD. prædicant, & eius nomen, execratur valde, contra quem perversum errorem, aliquid diximus sup. art. 5. dif. 2. Nunc iterum probatur: quia si ante ingressum gloriæ, satisfactio non esset necessaria, Purgatorium tolleretur de medio post hanc vitam; ideo enim, Ecclesia Catholica docet, Purgatorium dari, quia multi fideles in egressu á corpore, non plene satisfecerunt Deo pro culpis commissis, quod frustra esset, si satisfactio non esset necessaria, & sic nec Purgatorium necessarium esset, quod aperte pugnat cum fide, & cum Concil. Flor. in decr. vnionis, & cum Trid. Sess. 6. Can. 30. ein Decreto de Purgat. & Sess. 12. cap. 2. & Can. 3.

Nec valet frivolum hæreticorum effugium, nempe, quod ad hoc sufficit satisfactio Christi, quæ nobis, vt membris eius imputatur, satisfactio vero nostra non requiritur. Hoc enim est falsum; 1. quia si satisfactio Christi sufficeret, frustra Scriptura, & PP. ad satisfactionẽ nos monerent, quod tamen sæpe faciunt, vt patet Math. 11. vbi dicitur: Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; & alibi, pœnitentiam agite, appropiquabit enim Regnum Cœlorum, & D. Chrisost. Homil. 41. de pœnit. Ambros. Ser. de Abraham, & Ciprian. Ser. 5. de lapsis, hoc idem suadent. 2. quia si satisfactio nostra necessaria non esset, omnes æqualiter satisfaceremus, cum eadem Christi sanctitati essemus sancti, & etiam in vanum laborarent homines, curando excedere alios in sanctitate, & in alia vita omnes essent æquales in gloria, contra dictum Christi: in Domo Patris mei, masiones multæ sunt, quæ omnia sunt satis absurda.

Si dicas: quód ex hoc sequitur, magnam iniuriam fieri satisfactioni Christi, si post illam, á nobis exigeretur altera satisfactio, siquidem illa est cõ digna, & superabundans; vnde ait Paulus, quod sumus iustificati gratis, per gratiam ipsius, per Redemptionem quæ est in Christo Iesu, quæm proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius. Resp. quod Christus, plenissimé, & superabundanter pro omnibus hominibus satisfecit quo ad sufficientiam, non vero quo ad efficatiam, ad hoc enim, satisfactio nostra fuit necessaria, vt per actus nostros, satisfactio Christi, nobis applicaretur; quare ait Paul. ad Colos. 1. adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea; quod non est, quia passio Christi defectum vllum habuerit, sed quia restabat, vt applicaretur Paulo, per proprium eius actum; vndé ait D.T. hoc enim deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in alijs.

Secunda difficultas: Quæ conditiones requirantur ad satisfactionem? Resp. quód istæ conditiones, aliæ se tenent ex parte satisfacientis, aliæ ex parte personæ cui fit satisfactio, & aliæ ex parte ipsius satisfactionis, & sunt sequentes. *Prima* est, quod persona satisfaciens sit in gratia, & sic opera elicita ab homine, in peccato mortali existente, non sunt satisfactoria, pro pœna temporali peccatis debita, ita D.T. in addit. 3. p. q. 14. art. 2. & ratio est: quia actio temporalis ex se, & secluśa gratia, non habet proportionem cum pœna Purgatorij: ergo non potest pro illa satisfacere, nisi extet gratia valorans. *Si dicas*: quód ad hoc sufficit gratia auxilians, & non requiritur gratia sanctificans. Contra est: quia omnis valor moralis operis, ad solvendum debitum, procedit á dignitate personæ, & ideo genuflexio Regis, maiorem habet valorem, quam genuflexio civis; sed persona nullam habet dignitatem, nisi per gratiam habitualem quæ nos sanctificat, & filios Dei constituit: ergo, &c.

Deindé: quia non possumus satisfacere Deo ex iustitia stricta, pro pœna peccatis debita, vt vidimus, & sic satisfactio, fit tantum ex amicitia, & satisfactio in amicitia fundata; gratiam supponit: Sed tamẽ, licet talia opera, extra charitatem facta, noõ sint satisfactoria pró pœna, valent ad satisfaciendũ pro peccato, ad mitigãdas passiones, ad præmiũ aliquod accidentale, & vt disponatur homo ad similia opera bona elicienda, quando sit in statu gratiæ; & præterea, sunt aliqua opera bona, ex quibus manet aliquid in satisfaciente, etiam postquam transijt actus satisfactorius, quæ licet eliciantur á peccatore, possunt ab illo iustificato postea, in satisfactionem offerri, vt ex ieiunio, manet corporis debilitas, ex eleemosyna, diminutio substantiæ, quæ si offerantur ab homine iustificato, erunt satisfactoriæ,

&

& Deo acceptæ, sic D.T. art. 3. ad 3. Ratio autem, cur tales satisfactiones non reviviscant adveniente statu gratiæ, sicut Baptismus recedente fictione, suum præstat effectum, & opera mortificata, per pœnitentiam resurgunt, assignatur á D.T. ibidem ad 2. quod etiam manet attactum suprá, art. 11. diffi. 8. in fine.

Vel etiam potest probabiliter dici: quód est valdé pium, satisfactionem reviviscere sublato obice peccati, sicut dicitur de Baptismo fictè susceptо ablata fictione, & de Sacramento Pœnitentiæ valido & informi; sic sentiunt Cayet. Nuño, Victoria, Ant. á Spir. S. Suarez, Coninch, Bonacina, & alij plures citati, & secuti á Salmantic. & rationem assignant, ex eo quód satisfactio vt Sacramentalis, est opus Dei, & sic potest reviviscere obice ablato, sicut Baptismus fictè susceptus, & merita mortificata. Nec contrarium sentit D.T. loc. proximé citato, solùm enim negat satisfactionem reviviscere, quatenús est opus hominis, vt in eius textu videre est.

Dices: si opus in mortali factum, non esset satisfactorium, sequeretur quod cum nemo sciat se esse in gratia, nec etiam sciret se satisfeciisse, & deberet satisfactionem repetere, quod est inconveniens. Resp. cum D.T. art. 2. ad 2. quod licet quis nesciat, an plene satisfecerit, & ideo dicitur Eccli. 5. de propitiato peccato, noli esse sine metu, non tamen exigitur, quod propter hunc metum, satisfactio impleta iteretur, si quis conscientiam peccati mortalis non habet, quia non incurrit reatum omissionis, ex satisfactione neglecta; sicut qui accedit ad Eucharistiam, sine reatu peccati mortalis, non incurrit reatum indignæ sumptionis. *Si dicas* 1. quód inter homines, taxata pœna pro culpa, & illa soluta, nihil aliud exigitur, & sic idem de satisfactione est dicendum. 2. qui satisfactionem impositam non implet, facit male, & sic qui illam implet, facit rectè.

Resp. ad 1. quód est disparitas, nam inter homines, potest intercedere ratio iustitiæ, & æquale reddi pro debito, sed nostra satisfactio, talis non est respectu Dei, sed solum amicabilis & secundum proportionem, vndé nisi homo sit in gratia, nequit talem satisfactionem facere, nec debitum solvere. Ad 2. quód talis homo rectè facit, quo ad substantiam implendo & non omittendo, non tamen rectè agit meritoriè nec satisfactoriè, quia est extra statum gratiæ.

Secunda conditio satisfactionis est, quod satisfaciens, sit in statu viatoris. Ratio est: quia eodem modo debemus discurrere de satisfactione, ac de merito, cum omnis actus satisfactorius, etiam meritorius sit vt vidimus; sed meritum, necessario requirit statum viæ, quare dicitur Ioan. 9. venit nox, quando nemo potest operari: ergo idem dicendum de satisfactione. Deindé: quia si homo post mortem satisfacere posset, animæ quæ in Purgatorio degunt, cum actus ferventissimos, & frequentissimos charitatis eliciant, statim satisfacerent pro maximis pœnis, nec diu ibi detinerentur, vt detinentur plurimæ; consequens est falsum: ergo &c. quare Orig. hom. 3. in Psalm. 36. ait: Quód sicut manna commedebatur in die Sabbati, quod colligebatur in die sexta, ita nunc, velut sexta quædam dies putanda est, & id circo, dum in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, dum advenerit vera Sabbati observatio populo Dei; si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti sæculo sufficiant, & in futuro, in diebus famis non saturabimur.

Tertia conditio operis satisfactorij est, quod sit liberum, bonum, supernaturale, & pœnale. Quód debeat esse liberum, patet. Túm, quia actus satisfactoriús, est actus moralis & humanus, fundamentum autem moralitatis, est libertas. Túm, quia sicut homo, solum peccat libere operando, ita etiam operando libere satisfacit, & in hoc distinguitur satisfactio á satispassione vel punitione coacta, & á pœna quam quis invitus patitur. *Dices*: quód per flagella præsentis vitæ, Deo satisfacimus. & illa non sunt libera nobis, sed ab extrinseco provenientia. Resp. cum D.T. hic, q. 15. art. 2. quod licet flagella temporalia, á Deo immissa, non sint in potestate hominis, sed ab extrinseco veniant, si tamen illa voluntariè homo acceptat, & patienter tolerat, sunt satisfactoria, quia sic fiunt aliquomodo ipsius patientis, quod insinuatur á Trident. Sess. 14. cap. 9. *Etsi dicas*: quód satisfactio, est solum bonorum, & flagella ista, etiam malis infliguntur. Resp. quód sicut eodem igne, aurum rutilat & palea fumat, ita etiam eisdem flagellis, & boni purgantur, & mali magis inficiuntur per impatientiam, & ideo licet flagella sint communia, satisfactio verò, tantum est bonorum.

Quód autem opus satisfactorium, debeat esse bonum, evidens est, quia per opera mala, nec meremur, nec satisfacimus pro pœna, imó novam pœnam incurrimus. Quód debeat esse opus supernaturale prob. Túm ex Trident. Sess. 14. cap. 8. vbi ait, quod satisfactiones nostræ, sunt opera ex meritis Christi, & talia opera sunt supernaturalia. Túm, quia satisfactio, semper coniungitur cum aliquo merito, quia per illam meremur remissionem pœnæ Purgatorij, quæ pertinet quodammodo ad ordinem supernaturalem, cum per fidem revelętur, & consecutionem finis vltimi supernaturalis retardet: ergo sicut ad meritum præmij supernaturalis, requiritur supernaturalis actus, etiam hic requiritur, ad satisfactionem pro pœnis Purgatorij.

Demúm, quod opus satisfactorium, debeat esse pœnale, constat ex Trident. loc. cit. vbi opera satisfactoria, vocat pœnas satisfactorias, & Can. 13. dicit, esse pœnas sponte susceptas, vel á Deo infli-

ctas, vel á Sacerdote iniunctas,& Scriptura sæpiús assignat opera pœnalia pro satisfactione, vt Ioel. 1. convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio fletu & planctu. Ratio etiam assignatur á D. T. hic, q.15. art.1. quia satisfactio fit, vt peccata præterita vindicentur, & futura caveantur; sed ad vtrumque requiritur opus pœnale; ad primum, vt peccator quantum se glorificavit, tantum habeat tormentum & luctum; ad secundum, quia vbi homo expertus est pœnam, non facilé reddit ad culpam, & ideo ait Phil. 2. Ethic. quod peccatorum medicinæ, sunt pœnæ & idem ait Trident. Sess.14. cap.8. dicens: Quód satisfactoriæ pœnæ, quasi fræno quodam coercent, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.

Oppones: omnis actus virtutis, est satisfactoriús; sed dantur actus virtutis qui non sunt pœnales, vt comedere temperate cibos delicatos: ergo non omnis actus satisfactoriús, debet esse pœnalis. Propter hoc sentiunt aliqui, quod illi actus virtutis, qui pœnalitatem non afferunt, sed delectamentum, non sunt satisfactorij, vt sunt manducare & bibere temperate. Sed hoc falsum est. Túm, quia Trid. loc. cit. absolutè asserit, satisfactionem fieri per opera pietatis. Túm, quia id constat ex formula absolutionis, in qua dicitur: quicquid boni feceris, &c. sit tibi in remissionem peccatorum. Resp. ergo, quod actus illi & alij similes, licet non habeant annexam pœnalitatem ex parte subiecti, bené veró ex parte obiecti, & talis est, carentia maioris delectationis, quæ ex maiori comestione proveniret.

Dices: hoc modo, posset confessarius pro satisfactione iniungere, comedere delicatos cibos, vel bibere vinum optimum, quod videtur ridiculum. Resp. quód si hoc iniungeretur absolutè, ridiculum esset, non veró si iniungatur sub forma pœnalitatis, scilicet, vt moderatè sumantur; sed tamen peccaret mortaliter confessor, si confessio esset facta de mortalibus, vel venialiter si esset de venialibus, nam quando peccata sunt gravia, satisfactio debet esse gravis, & opus simpliciter pœnale, vt oratio, ieiunium, aut eleemosyna, non veró pœnale tantum secundum quid, vt est comestio cibi delicati.

Quarta conditio satisfactionis est, quod acceptetur á Deo, sic habet Trident. Sess.14. cap.8. Ratio est: quia pœnalitates huius vitæ, multo inferiores sunt pœnis Purgatorij, & alijs pluribus titulis debentur Deo: ergo vt prosint, requiritur Dei acceptatio. Deindé: animæ Purgatorij, exercent plures actus charitatis & contritionis, ferventiores quam eliciti in hac vita; & tamen illi satisfactorij non sunt, & hoc non alia ratione, nisi quia non acceptantur á Deo, qui pro satisfactione statuit tempus huius vitæ: ergo talis acceptatio requiritur, vt opus sit satisfactorium. Vndé fit, quod positis operibus pœnalibus, infallibiliter consequitur remissio pœnæ ordinariæ, correspondentis peccatis, non tamen pœnæ extraordinariæ, á Deo statutæ, vt patet in David, qui licet probabiliter apposuerit aliquid æquale, pro pœna debita adulterio, & homicidio, voluit Deus alias pœnas infligere illi, pro aliorum terrore & exemplo, & opera priora ad satisfactionem non acceptavit, vndé David gemens aiebat. tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, &c.

Tertia difficultas: Per quæ opera, satisfactio fieri possit? Resp. quód satisfactio fieri potest, per actus internos, & etiam per externos, vt ab internis aliquomodo procedunt. Prob. de actibus internis: quia isti per se sumpti, sunt boni, liberi & difficiles, & sic nihil deficit illis, vt valeant ad satisfactionem; vndé actus charitatis & contritionis, non solum sunt meritorij, sed etiam satisfactorij. Nec obstat: quód tales actus in viris perfectis, nullam pœnam causant; nam vt opus sit satisfactorium, non requiritur quod sit pœnale subiectivé, sed solum obiectivé, vt proximé vidimus, quod convenit illis actibus ex natura sua, licet per accidens, & ex bona dispositione subiecti, pœnam non causent; ex quo fit, quod confessor potest pro satisfactione iniungere opus internum, quia illud est veré satisfactorium, & est sufficienter sensibile per aliud, nempé per acceptationem pœnitentis, sicut etiam contritio sensibilis est, ratione confessionis.

Prob. de actibus externis: nam actus interni, si actum externum producunt, maiorem vim satisfactoriam habent. Túm, quia actus exterior, est consumatio interioris, quia actus exterior si coniungitur interiori, maior pœna est & vltio, quam solus actus interior. Túm, quia actus internus, dum foras prodit in opus, novo semper conatu augetur, non solum per accidens, quia actus interior, fit intensior, efficacior & diuturnior, sed etiam per se, quia pœnalitas actus externi, satisfactionem auget; vndé affectus interior, cæteris paribus, non est tanti prætij apud Deum, quanti si in externum opus paorumpat. Nec obstat: quód actus exterior, non addit bonitatem, vel malitiam, suprá actum interiorem, vt ait D.T.1.2. q.20. art.4. nam licet non addat novam bonitatem, bené veró novam pœnalitatem, ob rationem dictam.

Deindé, hoc ipsum constat, quia vt ait Trident. citatum, dum satisfaciendo pro peccatis, aliquid patimur, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur; sed Christus non solum satisfecit per actus internos, quibus pœnas acceptebat, & illas Patri offerebat, sed etiam per ipsos dolores & pœnas externas, quas patienter sustinuit; quamvis ab extrinseco illatas: ergo etiam nos veré satisfacimus per actus externos; & ideo qui maiorem sustinet pœnam, satisfacit plus; vndé si innocens patitur, magis satisfacit quam si patitur reus, licet pœna sit æqualis, & etiam qui ab extrinseco

feco pœnam patitur, plus satisfaciet, quam qui eam sponte tolerat, ob difficultatem in tolerando occurrentem; licet enim pœna propria voluntate assumpta, sit plus satisfactoria, qua parte est magis propria, quia tamen est maior difficultas, in sustinenda pœna ab extrinseco proveniente, potest hæc pœna patienter tolerata, illam multum excedere.

Ex his deducitur: quód satisfactio fieri potest, tantum per actus pœnales & meritorios á gratia procedentes. Ratio est 1. quia satisfactio facta ab homine iusto, ad hoc ordinatur, vt pœnam Purgatorij compenset iuxta Dei ordinationem, & optima providentiæ ratio petit, vt vna pœna compensetur per alteram. 2. satisfactio est pars pœnitentiæ; pœnitentia autem pœnam includit, nam vt vidimus suprá, pœnitentia est pœnæ tenentia, & D. Ambros. ait, quod pœnitentia est, præterita mala plangere, quod pœnam includit. 3. quia nullus potest dari actus, quantumvis spiritualis, qui secum aliquam pœnam non afferat, nam contemplatio, aliquatenús vires debilitat, & sic de alijs: ergo actus satisfactorius, solum potest esse pœnalis.

Patet ex hoc, discrimen inter meritum & satisfactionem repertum, nam cum satisfactio, præcipué attendatur penes laborem, difficultatem & pœnalitatem operis, sicut in actu exteriori est diversa pœna, est etiam distincta vis satisfactoria; meritum verò, præcipué summitur ex bonitate actus, & cum actus exterior, nullam addat bonitatem intrinsecam suprá actum interiorem, ideo nec meritum auget. Undé Paul. 2. ad Cor. 8. invitans ad eleemosynam, ait: Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit perficiendi, ex eo quod habetis; si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, secundum id quod non habet; quasi asserens, quod satisfactio in opere externo perficitur, sed meritum ex voluntate pensatur, iuxta dictum D Greg. hom. 5. in Evang. ante oculos Dei, nunquam vacua est manus á munere, si fuerit arca cordis, repleta bona voluntate.

Sed restat examinandum, quænam sint opera pœnalia, specialiter satisfactoria? Quód eleganter attingitur & resolvitur á D. T. in addit. 3. p. q. 15. art. 3. vbi ait: Quód talia opera sunt tria, nempé eleemosyna ieiunium & oratio; quod probat 1. quia satisfactio fit, quatenús aliquid nobis subtrahimus in honorem Dei; cum autem non habeamus, nisi tria bona, nempé bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, prima subtrahimus, non quantum ad essentiam, sed illa Deo submittendo, quod fit per orationem, secunda per ieiunium, & tertia per eleemosynam, & sic tria sunt opera pœnalia satisfactoria. 2. quia vt dicitur 1. Ioan. 4. tres sunt species peccati, nempé concupiscentia carnis, & contra hanc operatur ieiunium; concupiscentia oculorum, contra quam ordinatur eleemosyna, & superbia vitæ, contra quam ordinatur oratio, & sic hæc sunt opera satisfactoria.

Dices 1. quód oratio, pœnam non habet, sed delectationem, iuxta dictum D. Iacobi: tristatur aliquis in vobis? Oret. 2. quod Luc. 11. dicitur: date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, & sic alia duo sunt superflua. 3. nam Trident. Sess. 14. Can. 13. ait: Quód ieiunijs, orationibus & eleemosynis, vel alijs pietatis operibus, possumus satisfacere. Resp. ad 1. quod oratio contemplativorum, quorum conversatio in Cœlis est, est totaliter delectabilis, & non est satisfactoria, sed oratio quæ pro peccatis lachrimas fundit, pœnam adiunctam habet, & satisfactoria est. Vel dicatur: quód oratio, licet habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis, nam vt ait D. Greg. dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmamur fortitudine carnis; vndé & neruus fœmoris Iacob, ex lucta Angeli, emarcuisse legitur.

Ad 2. quód licet singula opera satisfactoria prædicta, singulis peccatis appropiétur, nam congruum est, vt in eo in quo quis peccat puniatur, sed tamen, quolibet opere potest satisfacere pro quolibet peccato, vndé ei qui non potest vnum implere debet aliud iniungi, & præcipué eleemosyna, per quam quis quodamodo mereatur sibi alia opera satisfactoria; sed tamen hæc, vt sunt opera medicinalia, diversimodé applicantur, nam avaris, iniungitur eleemosyna; peccantibus peccata carnalia, imponitur ieiunium; oratio vero, imponitur omnibus, sed specialiter Ecclesiasticis, qui defectus committunt in celebrando & recitando, & in alijs operibus spiritualibus. Ad 3. quód oratio, eleemosyna & ieiunium, sunt opera satisfactoria, quasi per antonomasiam, quia sunt aptissima ad satisfaciendum, & expressé pœnalitatem significant, sed tamen, etiam post fieri satisfactio, per alia opera pietatis, quæ aliquomodo ad illa tria reducuntur, nam omne quod pertinet ad afflictionem, reducitur ad ieiunium, quod pertinet ad vtilitatem proximi, ad eleemosynam, & quod pertinet ad cultum Dei, ad orationem.

Infertur ex dictis: quod omne opus satisfactorium, est meritorium, & é contra. Ratio primi est: quia opus meritorium, tantum requirit, quod sit liberum, bonum, & supernaturale, quæ omnia satisfactioni conveniunt. Ratio secundi est: quia omne opus meritorium, est laboriosum & pœnale: ergo est etiam satisfactorium. Ant. prob. quia tale opus, cum sit actus virtutis, habet difficultatem annexam: ergo est laboriosum. *Dices*: quód D. T. in 4. dist. 15. q. 1. art. 4. ait, quod ad meritum, consideratur difficultas actus, ad satisfactionem vero, pœnalitas illius, & sic, non omne opus meritorium, est etiam satisfactorium. Resp. D.T. solum velle, quod licet satisfactio & meritum, reperiantur in eodem actu, sed summuntur á diversis rationibus formalibus, meritum scilicet, á bonitate actus, satisfactio verò, á labore & pœnalitate operis.

Quar-

Quarta difficultas: An satisfactio sit pars Sacramẽti pœnitentiæ,& quæm effectum causet? Resp. ad 1. partẽ: quód satisfactio, est pars integralis pœnitẽtiæ. Prima pars, est certa de fide,& diffinita in Cõc. Flo. in decret. vnionis,& in Trid. Sess. 14. cap. 8. & D.T. 3.p.q.90. art.2. ait: Quód requiritur ex parte pœnitentis, voluntas recompensandi, quod fit per contritionem, secundo quod se subijciat arbitrio Sacerdotis, quod fit in confessione, tertio quod recompenset secundum arbitrium Ministri Dei, quod fit in satisfactione, & ideo contritio, confessio & satisfactio, ponuntur partes pœnitentiæ, de quo aliquid suprá tetigimus. Quód autem satisfactio, solum sit pars integralis pœnitentiæ, patet. Túm, quia punitio rei, non est de essentia iudicij; sed de eius integritate & complemento extrinseco. Túm, quia satisfactio, supponit essentiam Sacramenti,& gratiam quæ est effectus illius. Túm, quia alias moribundus, qui nullam satisfactionem potest implere, esset incapax Sacramenti Pœnitentiæ, quod absurdum est.

Ad secundam partem quæsiti. Resp. quód satisfactio Sacramentalis, habet tres effectus ex opere operato, qui sunt, remissio pœnæ temporalis, relictæ post peccata remmissa, auxilia supernaturalia, ad facilius præcavenda peccata in futurum, & augmentum gratiæ habitualis. Prima & secunda pars constant, ex eo quód Sacramenta novæ legis, id efficiunt ex opere operato quod significant; satisfactio autem Sacramentalis, significat remissionem pœnæ relictæ, post remissionem peccatorum, & præcautionem eorum in futurum: ergo vtrumque causat ex opere operato, & remissionem pœnæ debitæ peccatis, & auxilia ad peccata in futurum præcavenda.

Tertia pars, quæ negatur ab aliquibus, expressé habetur apud D.T.q.90. cit. art.2. ad 2. vbi objcit sic: in Sacramentis novæ legis, confertur gratia; sed in satisfactione, non confertur aliqua gratia: ergo satisfactio, non est pars Sacramenti; & respondet: ad secundum dicendum; Quód satisfactio, confert gratiam, pro vt est in proposito, & auget eam, pro vt est in executione, sicut etiam Baptismus in adultis. Nec valet dicere, loqui D. Thom. non de augmento intensivo, sed de extensivo, quo ad liberationem á reatu pœnæ, quæ est quidam effectus gratiæ. Non inquam valet: Túm, quia sic, non solveret argumentum, quod loquitur de gratia causata per Sacramenta, cuius augmentum intensivum est. Túm, quia alias, non esset ad rem exemplum Baptismi, qui quando adultis confertur, iam iustificatis per contritionem, causat augmentum intensivum gratiæ.

Si autem dicitur: Quód per satisfactionem in executione, intelligit D. T. totum Sacramentum Pœnitentiæ. Contra est: quia in toto articulo, considerat satisfactionem, vt est pars Sacramenti pœnitentiæ, & in eodem sensu loquitur argumentum: ergo sic etiam solutio intelligenda est, & non de toto Sacramento, alias objectioni non satisfieret. Urgetur: satisfactio, nequit esse pars pœnitentiæ, nisi participet aliquomodo naturam totius Sacramenti; sed hoc confert gratiam, ex opere operato: ergo etiam satisfactio vt pars illius, & cum iam supponat primam gratiam, per confessionem & absolutionem productam, debet causare augmentum eius, ex opere operato. 2. ideo confessio Sacramentalis, causat aliquæm gradum gratiæ ex opere operato, quia est Sacramenti pars: ergo idem de satisfactione dicendum est.

Nec obstat Quód satisfactio, est solum pars integralis; nam ex hoc solum probatur, quod gratia causata per satisfactionem, non sit de essentia pœnitentiæ, sed tantum de eius integritate, quod constat: quia enim confessio Sacramentalis, est pars essentialis, causat gratiam essentialem: ergo quia satisfactio est pars integralis, causat gratiam integralem. *Si dicas*: quód confessio præcedit absolutionem, satisfactio veró, subsequitur ad illam. Contra est: Túm, quia cum hoc stat, quod dicat aliquam habitudinem ad absolutionem, ratione cuius, habeat vim productivam gratiæ. Túm, quia licet satisfactio, regulariter impleatur post absolutionem, est tamen moraliter coniuncta illi, & alijs partibus pœnitentiæ, vt simul cum illis, constituat vnum Sacramentum.

Sed arguitur D.T. in 4. dist.16. q.1. art.1. ait: Ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis, gratiam præsupponat; vel dicendum, quod per satisfactionem consequitur pœnitens, perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberat totaliter á reatu peccati. R. quod licet D. Tho. videatur ibi sentire hoc, sed in summa Theologica, nostrum assertum tenet, & huic standum est, in quo est eius vltima resolutio. Vel meliús dicitur: quód cum ait D T. satisfactionem actualem gratiam supponere, hoc intelligitur de gratia principali & essentiali Sacramenti, cum quo stat, quod satisfactio novum gradum gratiæ conferat, qui sit complementum & perfectio integralis, gratiæ collatæ per confessionem & absolutionem.

Dices 1. per vnum Sacramentum, vnica confertur gratia; sed in instanti prolationis verborum absolutionis, causatur gratia: ergo satisfactio, aliam gratiam non causat. 2. in Eucharistia, sumptio speciei vini, non causat novum gradum gratiæ, ac sumptio panis, & sic nec satisfactio, causat gratiam distinctam ab absolutione. 3. nam sequeretur, quod pœnitentia, esset Sacramentum vivorum, quo ad satisfactionem, & etiam sequeretur, quod implens satisfactionem in peccato mortali, peccaret mortaliter, quia obicem gratiæ poneret, & tandem sequeretur, quod qui satisfactionem in eo statu impleret, cum sola attritione iustificaretur, & fieret

de

de attrito contritus, quæ omnia sunt satis absurda.

Resp. ad 1. quód cum gratia causata per satisfactionem, sit de integritate & complemento gratiæ essentialis, non ponit in numero cum illa, sicut manus quæ est de perfectione integrali hominis, non ponit in numero cum eius essentiali perfectione. Ad 2. quód virtus productiva gratiæ in Eucharistia, est Christus ibi contentus, qui totaliter continetur sub speciebus panis, & ideo pro speciebus vini, nulla gratia producenda restat; confessio autem & absolutio, non continent totam virtutem productivam gratiæ in Sacramento pœnitentiæ, & ideo est aliqua pars virtutis communicata satisfactioni, ad causandum aliquæm gradum gratiæ, saltim integralis. Ad 3. quód nullum ex illis inconvenientibus sequitur; non primum, quia ratio Sacramenti vivorum, vel mortuorum, sumitur á gratia essentiali & principali, non verò ab integrali, qualis est gratia causata per satisfactionem; non secundum, quia in eo casu, non ponitur obex gratiæ, essentiali, sed solum integrali, sicut dicebamus supra, de eo qui accedit ad Eucharistiam mente distractus; non tertium, quia reddere de attrito contritum, est proprium totiús Sacramenti, & non partis eius seorsim; & etiam quia satisfactio gratiam causat in virtute absolutionis præcedentis, quæ non se extendit ad peccatum, in quo satisfactio impletur, quia hoc sequitur ad illam, & ideo virtute satisfactionis de præcedentibus peccatis, de illo peccato novo, nequit fieri quis de attrito contritus.

Quinta difficultas: Verum vnus homo, possit satisfacere pro alio? Resp. quód si satisfactio sumitur, vt est medicinalis, nequit vnus satisfacere pro alio, bené verò si sumitur, vt est compensativa pœnæ. Sic D. T. in addit. 3. p. q. 13. art. 2. Prima pars constat: quia medicina debet recipi, in subiecto, in quo est morbus; non enim sanatur morbus vnius, per remedium applicatum alteri, nam ex ieiunio vnius, non domatur caro alterius, nec ex actibus vnius, alius bené agere consuevit, nisi per accidens, quatenús aliquis per bona opera, potest alteri mereri augmentum gratiæ: ergo si satisfactio sumitur vt medicinalis, solum prodest satisfacienti & non alteri. Secunda pars, de satisfactione compensativa prob. Tùm, quia id docet articulus fidei, quo credimus communionem sanctorum, in qua bona opera vnius, alteri commodum afferunt. Tùm, quia sic habet Trident. Sess. 25. cap. 1. vbi ait, animas Purgatorij, suffragijs fidelium iuvari. Tùm, ex illo Pauli ad Colos. 1. adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, quia dolòres Pauli, toti Ecclesiæ proficiebant, vt ait Aug. Psalm. 61. & 86.

Ratio etiam hoc suadet: quia omnes nos sumus Christi membra, imbicem cohærentia, vndé sicut in corpore naturali, quodlibet membrum, non solum operatur in sui vtilitatem, sed etiam in commodum aliorum, idem de membris mysticis est dicendum, & ideo ait David: Particeps ego sum omnium timentium te. & ad Galat. 6. dicitur: alter alterius onera portate. Nec obstat: quód ibidem subiungitur: vnusquisque onus suum portabit; sensus enim est, quod quantum ad meritum vel demeritum, vnusquisque portet onus proprium, sed quo ad ferendam infirmitatem alienam, condolendo & compatiendo, vnus portare potest onus alterius; vndé legitur in vitis Patrum, quod vnus frater innocens, fingens se fornicatum esse, pœnitentiam egit pro alio, qui hoc crimen commisserat.

Oppones 1. aliquando iustus eget satisfactione, pro pœnis quas ipse debet: ergo saltim tunc, nequit pro alio satisfacere, nam charitas rectè ordinata incipit á se ipso. 2. debitum culpæ, est propriù & personale peccatoris: ergo etiam debitum pœnæ. 3. vnus nequit confiteri pro alio: ergo nec satisfacere pro illo. Resp. ad 1. quód etiam in eo casu, charitas incipit á se ipso, quia per talem satisfactionem, potest quis maiorem gratiam & gloriam consequi, & aliquando charitas optat aliquomodo visione Dei carere, si ex hoc maior visio expectatur, & ideo dicebat Paulus: optabam anathema esse á Christo pro fratribus meis. Ad 2. quód solutio pro culpa, fit solum iuxta dispositionem intrinsecam subiecti, proportionaliter ad gratiam introducendam, quod non habet remissio pœnæ & ideo hæc, non requirit propriam actionem subiecti.

Ad 3. quód confessio & contritio, ordinantur contra culpam, & per illas subijcitur quis Sacramentis & Ecclesiæ, & ideo nequit vnus, conteri & confiteri pro alio. *Si dicas*: quód etiam per satisfactionem hoc fit, cum sit Sacramenti pars. Resp. quód est pars solum integralis, non verò essentialis, vt confessio & contritio. Sed circa hanc resolutionem, notandum est 1. quod vnum posse pro alio satisfacere, solum intelligitur ex voluntate confessoris, cuiús præceptum tenetur pœnitens implere, quod per se debet intelligi vt verba sonant, præcipuè si est actio personalis, nam alias potest per alterum impleri, vt eleemosyna quæ potest per alium largiri. 2. est notandum: quód cum quis pro alio satisfacit, se privat fructu satisfactionis, quo ad remissionem pœnæ, quia cum illa sit finita, nequit pro duobus debitis æquè satisfacere; sed hæc carentia restauratur in operante, quia augetur meritum præmij essentialis, non enim repugnat, quod actio sit meritoria pro se, & satisfactoria pro alio; sic D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. quæstiunc. 4.

Infertur ex his: quód vnus nequit satisfacere pro alio, satisfactione Sacramentali. Constat ex Trident. Sess. 14. cap. 3. vbi ait: Quód materia pœnitentiæ, sunt actus pœnitentis, qui virtute clavium elevantur ad esse Sacramenti: ergo actus satisfactorij vnius, non sunt satisfactio Sacramentalis pro alio. *Si dicas*: confessarius potest imponere peni-

tenti ad petitionem ipsius ; satisfactionem implendam per alium: ergo potest satisfactio Sacramentalis pro alio fieri. Resp. quód in eo casu, actus præcisé vt fit ab alio, non est satisfactorius, nec pars Sacramenti, sed quatenús fit ex pœnitentis petitione, á quo ad satisfaciendum ordinatur; vndé satisfactio vt est Sacramentalis formaliter, est actus pœnitentis, & non alterius.

Dices : Eleemosyna collata per famulum iussu domini, censetur esse domini: ergo etiam pœnitentia impleta ab alio, ex consensu pœnitentis, censetur propria istius. Resp. neg. conseq. nam eleemosyna fit á famulo, tantum instrumentaliter, quia illā non facit ex bonis suis, á domino autem principaliter fit; pœnitentia verò, impleta ab alio ex consensu pœnitentis, fit ab illo alio principaliter, cum fiat ex proprijs operibus ipsius, & non ex operibus pœnitentis, & sic, diversa est ratio vtriusque.

Sexta difficultas : An confessor, teneatur satisfactionem imponere pœnitenti ? Resp. quód ad id tenetur per se loquendo, licet aliquando per accidens, possit nullam satisfactionem imponere, vel etiam leviorem, quam peccata mereantur. Prima pars prob. quia Sacerdos minister pœnitentiæ, tenetur facere Sacramentum integrum ; satisfactio autem vt vidimus, est pars integralis pœnitentiæ, & illa ommissa, iniuria fieret Sacramento, sicut si in extrema vnctione, ommitteretur vnctio alicuius sensus; quare ait Trident. Sess. 14. Can. 8. debent Sacerdotes pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones iniungere. Ratio autem est: quia Sacerdos est Minister, iudex & medicus in Sacramento pœnitentiæ, & sic quia Minister, debet facere Sacramentum integrum, quia iudex, debet iudicare, secundum leges á Deo præscriptas, & æquitatem servare, proportionatam cum gravitate criminum, & quia medicus, applicare remedium, iuxta qualitatem vulnerum.

Quód possit Minister aliquando, nullam satisfactionem imponere, constat, in casu quo ex confessione, vel alias cognoscat pœnitentem integre satisfeciisse, cum satisfactio non sit pars essentialis Sacramenti, & eius compensatio, potest per contritionem suppleri ; sed re vera casus est difficilis, quia nequit confessor, sine revelatione certo cognoscere, pœnitentem integre satisfeciisse. Possunt tamen dari alij casus, in quibus licitum est Ministro, nullam satisfactionem iniungere. 1. si pœnitens est morti proximus & nihil audit, nec vllam potest exequi satisfactionem. 2. quando pœnitens est scrupulosus, & sæpiús reddit cum novis levissimis culpis, tunc potest non imponi pœnitentia nova, sed eadem antea posita sub novo titulo, & sic dicunt confessarij timorati ; sub eadem pœnitentia : ego absolvo te, &c. Sed tamen potest dari causa rationabilis, pro imponenda satisfactione leviori, vt si pœnitens, gravi infirmitate laboret, vel lucretur indulgentiam plenariam, vel fragilis sit, & detur periculum tacendi aliquod peccatum in alijs confessionibus, vel quod deterreatur á confessione, vel satisfactionem non adimpleat. Ratio est : quia in pœnitentia, magis intenditur salus, & emmendatio pœnitentis, quam satisfactio pro pœna, quia id cedit in maiorem Dei gloriam ; vndé ait Gerson, in reg. mor. cap. de pœnit. tutius esse, cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & virisimilius adimplebitur, ducere confessos in Purgatorium, quam cum magna non implenda, præcipitare in infernum; de quo vid. D.T. in addit. 3. p. q. 18. art. 4.

Sed circa leviorem pœnitentiam iniungendam, hæc sunt notanda. 1. quód vt confessor scrupulis nō vexetur, addat: quicquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c. 2. quód pœnitens moneatur, de eo quod pœnitentia levior est, quam eius peccata mereantur; tum, ne ob levitatem pœnitentiæ, cogitet peccata esse leviora; tum, vt excitetur ad maiorem satisfactionem voluntarié assumendam. 3. quód cum extreme ægrotanti ob eius impotentiam, levissima pœnitentia imponitur, dicatur ei, quod si Deo favente, de infirmitate convaluerit, talem vel talem pœnitentiam maiorem agat.

Sed arguitur contra resolutionem 1. quia si confessor teneretur pœnitentiam imponere pœnitenti, obligaretur ad aliquid impossibile, quia illa debet proportionari gravitati criminum, cuius cognitio est moraliter impossibilis confessario. 2. quia hoc modo, teneretur quibusdam peccatis, vt odio Dei & similibus, imponere satisfactionem infinitam, vt seruetur æqualitas iustitiæ, nam hæc peccata, in infinitum alia excedunt. 3. nam si confessor prudens, imponeret satisfactionem leviorem, teneretur pœnitens, residuum debiti, in Purgatorio luere, quod videtur falsum. Tùm, quia si votum commutatur in quid minus, ad nihil amplius tenetur pœnitens; tum, quia si confessor prudenter vtitur potestate clavium, videtur remittere totam pœnam; tum, quia alias nihil amplius haberet satisfactio virtute clavium, quam voluntarié assumpta; tum, quia pœnitens, solum tenetur explicare numerum, speciem & circumstantias peccatorum, licet alias satisfactio imposita, sit inæqualis.

Resp. ad 1. quód cognitio gravitatis peccatorum, est possibilis confessori modo humano, iuxta dispositionem pœnitentis, & circumstantias ad hoc concurrentes. Ad 2. quód non debet imponi infinita satisfactio, alias pro omni peccato mortali deberet imponi, quia omnia mortalia, infinita sunt; satisfactio enim, salutaris est, & intendit bonum pœnitentis, in quo differt á pœna Purgatorij, quæ fit ad æqualitatem culpæ. Ad 3. conc. sequellam, & ad 1. dicitur: quód si commutatio voti, esset in rem evidenter minorem, vovens teneretur residuū

sol-

ſolvere; ſi autem ita non eſt evidens, ſi aliud iudicium maneret, poſt commutationem primam, in quo fieret ad æqualitatem commutatio, ſic fieri deberet; ſicut poſt iudicium confeſsionis, manet in alia vita aliud iudicium, in quo ſolvitur quicquid inſolutum eſt; ad 2. & 3. dicitur: Quód virtute clavium, aliquid pœnæ remittitur, ſed non totum, & ideo reſiduum pœnæ, ſolvitur in Purgatorio.

Ex his ſequitur 1. quód qui voluntariè confitetur venialia, tenetur acceptare ſatisfactionẽ pro illis, nam ſuppoſito quod ſubijciantur clavibus Eccleſiæ, tenetur pœnitens apponere neceſſaria ad integritatem Sacramenti. 2. ſequitur quod pœnitens, nullam pœnitentiam acceptare volens, non debet abſolvi, quia legitimo iudici obedire recuſat, nec eſt ad Sacramentum diſpoſitus. 3. ſequitur, quod pœnitens, nequit ſibi pœnitentiam commutare, etiam in evidenter meliorem, quia ipſe nequit eſſe iudex & reus, nec opus illud, iniungeretur virtute clavium, & ſic non eſſet ſatisfactio Sacramentalis. *Si dicas*: quód poteſt quis, ſibi commutare votum, in rem evidenter meliorem, & ſic idem de ſatisfactione dicendum. Reſp. quód eſt diverſa ratio: quia obligatio voti, oritur ex propria voluntate voventis, & ideo loco vnius materiæ, poteſt aliam meliorem ſubrogare; commutatio verò pœnitentiæ, eſt actio Sacramentalis, & actus iuriſdictionis, quæm pœnitens erga ſe ipſum nequit exercere, ſed hoc debet á ſuperiore fieri. 4. ſequitur, quod tenetur pœnitens, quam primum poſsit, pœnitentiam implere, vt ita Sacramentum perficiat, antequam ad aliud Sacramentum accedat, quod ſi ex oblivione, aut negligentia, impletionem omniſsit, tenetur alio tempore implere. 5. ſequitur, quod ſatisfactio ſuum effectum non confert ex opere operato, ante abſolutionem, licet antea fuerit impleta; quia talem effectum debet conferre, vt eſt pars integralis pœnitentiæ, quod ante abſolutionem non habet, cum pars integralis, pendeat á parte eſſentiali, ſicut manus pendet ab homine eſſentialitér conſtituto.

Septima difficultas: An vnus confeſſor, poſsit tollere, vel commutare pœnitentiam, ab alio confeſſore impoſitam? Duo notanda ſunt 1. quód ſi pœnitentia á priori confeſſore impoſita, non eſt rationabilis & prudens, poteſt alius, licet non ſuperior, eam commutare vel moderare. Túm, quia confeſſor ex vi clavium, nequit imponere pœnitentias irrationabiles, & improportionatas fini Sacramenti. Túm, quia hic, non eſt actus iuriſdictionis, ſed prudentiæ, & tunc quilibet homo doctus per viam conſilij, poteſt moderare pœnitentiam, quæ iniuncta eſt errante clave, vt dicunt Theologi. 2. eſt notandum: quód idem ipſe confeſſor, qui pœnitentiam impoſuit, poteſt illam commutare, ſi intra breve tempus, pœnitens redierit, ſi adhuc peccata ſunt in memoria, & detur rationabilis cauſa: quia tunc videtur eſſe idem iudicium moraliter cum præcedenti; hoc autem nequit fieri, poſt longum temporis ſpatium, quia in eo caſu, iudicium eſt diverſum, & pœnitens ſe habet reſpectu ſui ipſius, quaſi alius reus.

Dicendum eſt igitur: quód nullus confeſſor, nec æqualis, nec ſuperior, poteſt omnino tollere pœnitentiam ab alio iniunctam, poteſt tamen illam commutare, auditis in confeſsione peccatis, propter quæ impoſita fuit; inferior autem, nequit commutare pœnitentiam impoſitam á ſuperiori, propter peccata reſervata. Prima pars conſtat: quia Sacramentum Pœnitentiæ, debet eſſe integrum, & hoc eſt de iure diuino, & de inſtitutione Chriſti, quod non fieret, ablata omnino ſatisfactione, quæ eſt pars integralis Pœnitentiæ. Secunda pars prob. nam pœnitens, habet ius confitendi peccata ſemel confeſſa: ergo quilibet confeſſor, habet poteſtatem illa iudicandi; & cum alias pœnitens, non teneatur ad duplicem ſatisfactionem, poterit ex cauſa rationabili, exequi pœnitentiam ſecundo impoſitam, priori relicta.

Explicatur: poteſt ſuperior commutare pœnitentiam, ab inferiori iniunctam: ergo id facere poteſt quilibet alius. Prob. conſeq. quia licet vnus Sacerdos ſit alio ſuperior quo ad iuriſdictionem, omnes tamen ſunt æquales, quo ad iudicium Sacramentale, cum æqualem poteſtatem á Deo accipiant in ſuſceptione ordinis; ſed confeſſor pœnitentiam non iniungit, niſi vt iudex in foro Sacramentali: ergo omnes confeſſarij, quo ad comutandam pœnitentiam æquales ſunt dummodo illa, propter peccata reſervata, non ſit impoſita vt dicemus. *Si dicas*: quód in foro exteriori, niſi iudex ſuperior ſit, nequit commutare ſententiam alterius, quia par in parem, poteſtatem non habet, & ſic idem dicendum de confeſſoribus. Reſp. quód eſt diverſa ratio. Túm, quia forum externum, non eſt inſtitutum in favorem rei, bené verò forum Pœnitentiæ. Túm, quia mutatio ſententiæ in foro externo, faceret iniuriam famæ prioris iudicis, cuius contrarium invenitur in foro interno, vbi omnia manent occulta. Vel dicatur: quód confeſſarius Pœnitentiam commutans, non revocat ſententiam alterius ſibi æqualis, nec ſuprá illum exercet iuriſdictionem, ſed ſuprá pœnitentem, in cuius favorem, Sacramentum inſtitutum eſt.

Quód autem, ad hanc commutationem, requiratur audire in confeſsione, peccata propter quæ pœnitentia fuit impoſita. Prob. quia illa commutatio, eſt actus iudicialis, & hic nequit rectè exerceri, niſi cognita cauſa. Deindé: quia pœnitentiam commutare, eſt relaxare vnam, & imponere aliam; ſed pœnitentia Sacramentalis, ſolum poteſt imponi, in tribunali confeſsionis: ergo ſolum in illo, poteſt commutari. *Dices*: vnus confeſſor, nequit tollere, aut mutare abſolutionem alterius, etiam auditis peccatis: ergo nec poteſt ſatisfactionem commuta-

mutare. Resp. quód est differentia, nam absolutio, statim sortitur suum effectum, si clavis non erret, & ita nec tolli, nec mutari potest; executio autem pœnitentiæ, non statim fit, & ideo datur locus, vt etiam stante effectu obligandi, commutetur in alteram.

Ultima pars, de pœnitentia incommutabili ab inferiori, si propter reservata peccata imponitur. Prob. quia eadem est ratio imponendi, & commutandi pœnitentiam, quia vtrumque procedit, ab eadem virtute clavium; sed inferior Sacerdos, nequit imponere pœnitentiam pro peccatis reservatis: ergo nec potest commutare pœnitentiam, á superiore pro illis impositam. Deindé: vt commutetur pœnitentia, debet Sacerdos ferre iudicium de peccatis; sed Sacerdos inferior, nequit iudicium ferre, de peccatis reservatis superiori: ergo nec potest commutare pœnitentiam pro illis iniunctam. Contrarium huius, sentit Lugo, & Dicastillo, cum alijs pluribus, quos citat & sequitur Ant. á Spir. S. ex eo ducti: quód per absolutionem á superiori factam, ablata fuit á peccatis reservatio, & sic inferior confessor, de illis iudicare potest, sicut de alijs non reservatis. Sed resp. quód in non reservata, confessor inferior, habet potestatem per se, sed in reservata, solum per accidens, & supposito priori iudicio, in quo virtualiter includitur tacitum præceptum, vt non posit pœnitentia ab inferiori commutari, nisi vrgeat necessitas, nec facilis sit aditus ad superiorem.

Pro complemento huius articuli, inquires: an teneatur pœnitens, implere satisfactionem, in statu gratiæ, sub obligatione peccati? Resp. negativé, sic tenent Salmant. Ant. á Spir. S. & alij plures. Ratio est: quia in alijs præceptis, non est obligatio adimplendi ea in statu gratiæ, sed sufficit ponere substantiam rei præceptæ, licet non obtineatur præcepti finis: ergo idem est dicendum, de præcepto satisfactionis; alias si imponeretur pro pœnitentia, recitatio Rosarij, singulis diebus per annum, in omnibus illis teneretur pœnitens, se in statu gratiæ constituere, quod est nimis asperum, & contra fidelium vsum. Nec obstat: quód sic implens satisfactionem, ponit obicem gratiæ; nam vt suprá diximus, gratia causata per satisfactionem non est essentialis, sed integralis, & sic peccatum non est, illi obicem ponere, sicut dicitur de illo, qui per actualem distractionem, impedit gratiam spiritualis dulcedinis in Eucharistia.

Dices: quód præceptum de oratione vel ieunio, v. gr. non est de illis absoluté, sed vt sunt pars Sacramenti, ad quod status gratiæ requiritur. Resp. quód illa opera, etiam in peccato facta, sunt Sacramenti pars, licet non afferant fructum remissionis pœnæ, vt enim sint pars Sacramenti, sufficit quod sint voluntaria punitio, á iudice imposita, & apponere obicem remissioni pœnæ, peccatum non est, alias etiam esset peccatum audire Missam, vel accipere benedictionem Pontificalem in peccato, quia poneretur obex remissioni pœnæ. Vndé habetur: quód licet satisfactio impleatur in peccato, satisfit præcepto, vt sentiunt Lugo, Villalobos, Candidus, & Leander. Ratio est: quia alia præcepta, implentur per opus peccaminosum, vt patet in auditione sacri: ergo idem de præcepto satisfactionis dicendum est.

Si interroges: an circumstantiæ operi iunctæ, vt recitare flexis genibus, debeant impleri? Resp. quód si res imposita est gravis, & circumstantia levis, vt recitare coram tali imagine, mutatio illa levis est, & etiam illa stante, præcepto satisfit; si autem res est levis, & circumstantia gravis, vt recitare Rosarium flexis genibus, si hæc omittitur, præceptum non impletur, quia tunc illa circumstantia, transit in substantiam operis; sic tenent Diana, & Lugo, & idem dicendum, si imponatur recitatio Rosarij sine socio, tunc enim nequit socius assummi; bené veró, si tantum præcipiatur recitatio; & si imponitur integrum Rosarium, potest recitari per partes, quia illud opus est divisibile, & sic etiam dividendo illud, præceptum impletur, sicut eodem modo impletur præceptum, recitandi horas canonicas per partes.

ARTICVLVS XIV.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus. Fecit quidam votum ieiunandi in Sabbato, propter ardentem devotionem ergá Beatissimã Virginẽ, & præterea Sabbatum illud, in Vigilia, vel Temporibus incidit, ex quo tale ieiunium, & ex præcepto & ex voto, debitum erat. Quæritur: an hoc idem ieiunium, possit ei á confessario pro satisfactione imponi? Resp. affirmativé, & sic tenent authores communiter, cum Cayet. Soto, & Navarro. Constat ex Trident. Sess. 6. cap. 10. & 16. vbi ait: Quód per bona opera, licet ex præcepto debita, mereri possumus, & consequenter, etiam possumus satisfacere. Hoc probant aliqui, ex eo quod Christus moriendo, pro nobis satisfecit ex rigore iustitiæ, & tamen per eandem mortem, præceptum Patris implevit. Sed hæc paritas non convincit; nam operationes Christi, erant valoris infiniti simpliciter, quod nostræ actiones non habent, & sic de illis ad istas, non rectè arguitur.

Meliús ergo probatur resolutio: quia opera bona pœnalia, licet alias præcepta, possunt habere rationem punitionis liberæ pro peccato, nam præceptum & obligatio, libertatem á nobis non aufert, nec ab operibus nostris, bonitatem aut pœnalitatem. Vndé ieiunia Quadragesimalia, & quatuor temporum, obligant sub præcepto, & per illa possumus

sumus Deo satisfacere;dicitur enim in præfat.Quadrag. corporali ieiunio, vitia comprimis, mentem elevas, &c. opus enim alias debitum, potest ex virtute clavium, habere specialem vim satisfactoriam. Verum quidem est, quod si confessor id non explicat, regulariter intelligitur imponere pro pœnitentia, opera supererogationis,alias non debita, vt sic pœnitenti detur occasio, plura rectè operandi. Si autem quis,pro satisfactione debeat eleemosynam, non satisfacit illam conferendo, ex bonis quæ restituere debebat, quia tunc, illa non esset eleemosyna, nec donatio liberalis; & eadem ratione, nequit esse eleemosyna ex pœnitentia, quæ datur patribus & fratribus, nam illa potius est solutio debiti legalis, cuius contrarium erit,si conferatur consanguineis, non ita coniunctis; sic tenent Salmant.

Si dicas:non possumus Deo satisfacere,per opera debita alio titulo: ergo si opus debetur ex præcepto vel voto, nequit per illud fieri satisfactio. R.quód ant. est verum,de satisfactione de toto rigore iustitiæ, cuius vna condicio est, quod fiat per opus,alio titulo non debitum, non autem de satisfactione solum condigna, & non ex iustitia rigurosa, nam hæc solum petit,æqualitatem moralem cum re debita; cum autem satisfactio quam Deo exhibemus, licet fiat per opera debita, ex præcepto vel voto,sit moraliter æqualis pœnæ temporali debitæ peccato,possumus per illam satistacere de condigno; ex quo intelligitur dictum D.Anselmi, lib. 1. cur Deus homo, cap.20. vbi ait: Cùm reddis aliquid quod debes Deo,etiam si non peccasti,non debes computare pro debito, quod debes ex peccato; nam ibi solum negat operibus nostris,vim satisfactoriam ex toto rigore iustitiæ pro pœna temporali, non autem satisfactionem solum condignã.

Dices: nequit quis vnica solutione, duplici debito satisfacere:ergo si opus,est iam debitum,nequit per illud fieri satisfactio pro pœna temporali peccati. Resp. quód si opus habet multiplicem bonitatem & valorem, vnum cum sit,secundum diversam rationem,potest duplex debitum compensare; & huius generis sunt opera nostra bona, ex voto vel præcepto debita,nam cum habeant bonitatem, ex obiecto & circumstantijs, pro vt sic possunt implere obligationem religionis vel obedientiæ, & cum alias habeant bonitatem satisfactoriam,ortam ex eorum difficultate & labore, hoc modo, possunt esse satisfactio pœnæ temporalis; sicut si moneta aurea, haberet valorem vt quinque, ratione sigilli Regis, & alium vt quinque ratione metalli, per illam,possent decem ad æqualitatem solvi.

Nec paritas de solutione inter homines facta, quæ si vnica est, nequit debitum satisfacere, probat aliquid, & ratio est: quia satisfactio facta homini, fundatur in sola iustitia, quæ dicit ordinem ad alium, & petit æqualitatem in re; impossibile autem est, quod reddatur æquale per aliquid alias debitum; satisfactio autem quæ fit Deo, licet habeat aliquam iustitiam, sed præcipuè fundatur in gratia, & principaliùs attenditur in illa actus voluntatis, quam res exterius exhibita; Deus enim, cor & non substantiam rei pensat, nec perpendit quantum in eius amore confertur, sed ex quanto conferatur, vt ait D.Greg. ideoque respectu Dei, vnica solutione, potest duplex obligatio compensari.

Casus secundus. Pœnitenti cuidam, confessarius ita satisfactionem imposuit:Ora pro fidelibus defunctis, & pro eis recita B. Virginis Rosarium. Quæritur: an ille deberet, tám impetrationem, quám satisfactionem ex opere operantis, eis applicare? Ratio dubitandi est: quia vtrumque applicari potest,& non appareat ratio, cur confessor,vnum potius quam aliud præcipiat;ex alia verò parte,non videtur, quod confessarius, possit impetrationis fructum pro animabus imperare, nam applicatio illa, non est pœnalis, nec medicinalis, & in multis casibus, pœnitens eget ea pro se, præcipuè si est consuetudinarius; nec pro se compensabit, per honestam applicationem, factam ex obedientia, charitate vel misericordia, quia iam omnia opera sua, & quicquid per illa potest,applicavit defunctis.

Resp. quód in tali casu, verosimilius videtur, pœnitentem obligari ad applicandum pro defunctis, vtrumque operis fructum, nempé satisfactorium & impetratorium;sic sentit Gobatus,& probat ex eo, quod qui ex stipendio, tenetur offerre pro alio sacrificium Missæ, obligatur ad applicandum pro defuncto, illum vtrumque fructum,& sic idem dicendum,de fructu satisfactionis,cuius obligatio orta ex præcepto confessarij,similis est, ortæ ex stipendio. Verum quidem est, quod qui solum applicaret opus,quo ad fructum satisfactorium,non poterat iudicari reus peccati gravis. Tùm, quia præceptum confessarij, videtur simile, præcepto ex obedientia religiosa, & sic obligatus, satisfacit si offerat Missam, præcisé vt satisfactoriam. Tùm, quia animæ in Purgatorio, non videntur exigere amplius, nisi quod alter pro ipsis,quo ad possit satisfaciat.

Ad 2. dicitur: quód talis applicatio, est actus singularis mortificationis, cum per illam, quis se privet fructu satisfactorio, pro levanda anima, in statu gratiæ constituta; sed tamen confessarius, discrete non aget, si pœnitentem, gravibus pœnitentijs obnoxium, velit obligare ad satisfaciendum pro alijs, & non pro se; Demum illa oblatio generalis, quæ in fine casus proponitur, non obest,vt aliqua talium operum pars, hic & nunc possit iniungi, ad illam ipsam intentionem,nam vt dictum manet casu præcedenti, illa eadem opera,ad quæ iam obligatur pœnitens, possunt in satisfactionem imponi, & sic non incurreret culpam saltim gra-

vem, ille qui postquam pro defunctis, generalem operum applicationem fecit, aliqua ex illis, pro vivis obtulit.

Iniunctio pœnitentiæ, probabilius est, quod debet á confessario fieri per modum præcepti, & non per modum consilij, quod colligitur ex verbis Trident. Sess. 14. cap. 8. dicentis: debent Sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones iniungere; sed tamen probabiliter potest sustineri, cum Gobato & alijs, quod pœnitentia potest imponi dicendo: ieiunabis tribus diebus, si tibi placuerit; nam etiam hoc modo ligat Sacerdos, quia vult quod talia opera, non prosint ex opere operato, nisi dependenter á determinatione pœnitentis. Vlterius, etiam sunt pœnitentiæ salutares, quæ iniunguntur sub conditione, vt, si relapsus fueris in tale peccatum, conferes talem eleemosynam, osculabis terram, &c. sic sentit Suarez.

Casus tertius. Quidam homo, per annos plurimos, in prava mulieris familiaritate, in proxima occasione vivebat, Dei & ministrorum eius pias exhortationes contemnens, & quidem, eius varia & continuata crimina, toti circumviciniæ, imó & loco vniverso, in quo ipse degebat erant nota, & cum scandalo vniversorum facta. Quæritur: an huic, posset confessor imponere publicam pœnitentiam? Et quidem, si peccata secreta sint, conveniunt omnes in eo, quod non est cogendus pœnitens, ad pœnitentiam publicam, alias indirectè manifestaretur pœnitentis peccatum; nisi forte, hoc ipse petierit, ex maiori devotione & fervore; si tamen peccata sint publica & scandalosa, nec scandalum cesset, non solum est licitum, sed etiam aliquando necessarium, imponere pro illis publicam pœnitentiam, qua emmendentur; sic D. T. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 4. ad 4. & in addit. 3. p. q. 28. quæm sequuntur plures authores, á Salmantic. citati.

Ratio autem est 1. quia medicina, debet proportionari morbo, & sic pro culpa publica, debet imponi publica pœnitentia. 2. quia dignus est maxima confusione etiam in hoc mundo, qui gravissimum peccatum commisit. 3. vt in alijs cauletur terror. 4. vt sit pœnitendi exemplum, ne quis ob maxima peccata desperet. Nec sequitur hinc, violari sigillum, nam hæc obligatio, ex consensu pœnitentis imponitur, sicut etiam iniurianti, imponitur onus petendi veniam offenso, absque violatione sigilli. Præterquam, quod licet ex hoc oriatur suspicio enormis peccati, non revelatur confessio, & quia potest quis pro alio pœnitere, & quia confessio, semper manet in occulto licet executio pœnitentiæ sit publica, quam pœnitens ipse ob publicitatem peccati manifestat.

Si dicas: pœnitentia omnes defectus revocat ad perfectum, eius autem solemnitas, pœnitentem multis defectibus subijcit, vt sunt laicum sic pœnitentem, non posse ad clericatum promoveri, nec clericus ad ordines superiores. Resp. quód pœnitentia revocat omnes defectus, restituendo pristinam gratiam, non vero pristinam dignitatem; vndé mulieres, peracta pœnitentia de fornicatione, nõ velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant; & similiter dicendum de peccatore, publicé, & solemniter pœnitente, qui nequit ad clericatum assumi, nisi ob necessitatem vel consuetudinem, sed non ad ordines sacros, ob eorum dignitatem, & propter timorem recidivi, & etiam ob scandalum populi, & quia talis non haberet frontem corrigendi alios, cum peccatum suum, fuerit publicé notum; sic D. T. loc. cit. art. 1. ad 3.

Quæres: quomodo fit pœnitentia solemnis? R. quod in Quadragesima, pœnitentes cum præsbytero suo præsentantur Episcopo ante fores Ecclesiæ, sacco induti, pedibus nudis, & vultu in terram demisso, & coma deposita, & eis in Ecclesia introductis, Episcopus cum clero, septem Psalmos dicit, & postea eis manum imponit, aquam benedictam aspergit, & cinerem capiti superponit, cilicio collum operit, & eis denuntiat cum fletu, quod sicut Adam fuit de paradiso eiectus, ita ipsi ab Ecclesia expelluntur, & iubet Ministris, eos foras ejicere, quod ita faciunt, cantando responsorium, in sudore vultus tui, &c. & in cœna Domini á præsbytero in Ecclesiam reducuntur, & ibi manent vsque ad octavas Paschæ, sine communione nec pace, & sic fiet quolibet anno, quovsque impleatur tempus ingressus in Ecclesia. Hoc ita fiebat olim, sed modo in vsu non est, quia pia mater Ecclesia, per indulgentias & gratias, reddit pœnitentias suaviores; vndé communiter conceduntur, tot vel tot remissionis anni, & sunt ex illis, qui secundum antiquos canones, peccatis correspondebant.

Si autem, hæc publica & solemnis pœnitentia, necessaria non est ad scandalum auferendum, aut ob aliam similem causam, confessarius si iudicat id esse valdé expediens, posset pœnitenti eam imponere, si tamen iste non reluctaret, secus si resisteret, quia hæ curationes, sunt maximé duræ atque periculosæ, & adhibendæ non sunt, quando alio modo, salus obtineri potest, vt sentiunt Coninch, & Aversa. Hæc autem pœnitentia solemnis, potest etiam cum opportuerit, mulieribus imponi, licet eis coma non auferatur, vt ait Paul. ad Cor. 11. quia eius retentio, signum subiectionis est; non autem potest imponi clericis, propter scandalum, quia licet clericus, in eodem genere peccati plus peccet quam laicus, si tamen ei pœnitentia solemnis imponeretur, ordo in contemptum veniret, quod vitari debet.

Casus quartus. Confessor quidam, maximé angebatur, nam cum varia in administranda pœnitentia, peccatorum genera audivisset, desiderabat maximé

ximé, pro eis salutarem pœnitentiam, iuxta Trident. dictum imponere. Quæritur: quas regulas in hoc poterat observare? Resp. quód præter dicta, art. præced. diff. 6. sequentia in pœnitentia imponenda servanda sunt. 1. quód taxatio pœnitentiæ, arbitrio confessoris permittitur, non ita quod ipse pro vt voluerit, quamlibet satisfactionem iniungere possit, sed iuxta prudens iudicium, secundum multitudinem & gravitatem criminum, & eorum recordationem saltim confusam, & iuxta pœnitentis facultatem, aut impotentiam satisfaciendi, sic vel aliter. Vndé provide aget confessor, si præsis paupertate, morbo, vel afflictione aliqua, iniungat pro pœnitentia, vt per vnam aut duas hebdomadas, quotidié bis vel ter, offerant Deo illa mala, protestando se velle patienter ea sustinere, in peccatorum satisfactionem; sed pauperi aut filio familias, non imponatur pro satisfactione eleemosyna, nec homini laborioso ieiunium, hæc enim, illis non sunt accomodata, vt ait Layman.

Secundó: quód licet pœnitentia debeat imponi, attenta criminum gravitate, sed præcipué debet attendi, spiritualis pœnitentis fructus, & sic ratione infirmitatis corporalis, aut spiritualis pœnitentis, sæpé multum pœnitentia est moderanda, vt fatentur Doctores, & constat ex praxi Ecclesiæ; quare ait Nazianz. Orat. 26. Hanc rationem tene, vt partim eum corrigas, idque leniter & humane, non vt hostis neque vt durus & rigidus medicus. Ratio est: Túm, quia Sacramentum, in pœnitentis vtilitatem institutum est. Túm, quia si pœnitentia est nimis levis, pœnitens gravius in Purgatorio punietur, si autem eius excedit vires, est periculum, vt non adimpleat, nec graviora peccata confiteatur, vel tales confessores quærat, qui sine certo iudicio, levissimam pœnitentiam, pro quibusvis peccatis imponant, vt sunt non pauci hoc exequentes. Caveat autem confessor, ne pro gravibus culpis, imponat pœnitentiam levem sine causa, quia sic iustitiam negligit, communicat peccatis pœnitentis, & ei occasionem confert, vt minus æstimet criminum gravitatem.

Tertió: occurrentibus circumstantijs id exigentibus, prudenter confessor pro pœnitentia iniunget, simul cum opere determinato, aliquod aliud, non determinando illud, v. gr. impono pro pœnitentia, vt tot orationes recites, vel tot diebus ieiunes, & simul quicquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, hoc mense, ita Salmantic. Fagundez, Diana, & plures alij, quibus favet D. T. quodlib. 3. art. 28. docens: Quód videtur conveniens, vt Sacerdos non oneret pœnitentem gravi satisfactione, nam sicut parvus ignis, á multis lignis suppositis, facile suffocatur, ita contingere potest, quod parvus effectus contritionis, excitatus super in pœnitente, propter onus grave satisfactionis extinguatur, & ita meliús est pœnitenti dicere, quod eius peccata, multo maiorem pœnitentiam exigebant, sed minor iniungitur, vt tolerabilius ferar, & ad maiorem impletionem assuefiat, & hæc quæ præter intentionem expressam facit Sacerdos, accipiunt maiorem vim expiationis culpæ, ex illa generali iniunctione: quicquid boni feceris, &c. & quantum ad hoc, talis satisfactio est Sacramentalis, in quantum virtute clavium, est culpæ commissæ expiativa; hæc D. T.

Quartó: potest confessarius iniungere pro pœnitentia, cessationem ab aliquo bono opere, ob maius bonum, vt si quis per ieiunium extenuatur, & ab alijs exercitijs vtilioribus impeditur; possit ei præcipi cessatio á ieiunio, & moderatus cibus; & similiter potest dari casus, in quo prudens confessarius iudicet, maioris vtilitatis & profectus esse, aliquæm á communione cessare, vt maiorem reverentiam acquirat, & ardentius communionem desideret, aliquasque imperfectiones præcavere studeat, & ex his motivis potest præcipi cessatio á communione. Sed an Eucharistiæ sumptio, possit in pœnitentiam imponi? Resp. affirmativé, quia sumptia illa, est actus virtutis religionis, & apta medicina, ad præservandum á peccatis futuris, & vindicativa á præteritis, nam semper habet adiunctum laborem præparationis, & gratiarum actionis; sic tenent Lugo, Dicastillo, & Leander. *Nec obstat*: quód Ecclesia nequit obligare, ad opus exigens statum gratiæ, vt est sumptio Eucharistiæ; hoc enim falsum est; sicut enim Sacerdoti præcipitur, vt ministret Sacramenta in statu gratiæ, hoc idem pœnitenti præcipi potest, quo ad sumptionem Eucharistiæ.

Quintó: potest confessarius in satisfactionem imponere, confessionis frequentiam, vt tenent Vazquez cum pluribus, quod constat ex vsu communi Ecclesiæ, nam sæpiús ad remedium eorum, qui sunt peccatis assueti, imponitur frequens confessio, quia hæc est opus maximé Deo gratum, & ad auferendos habitus pravos, & impediendam reincidentiam, efficax remedium. Similiter, potest quis obligari, ad suscipiendam confirmationem nondum susceptam, & ad recipiendam extremam vnctionem, si sit in extrema hora constitutus; ad susceptionem autem ordinis sacri, vel religionis ingressum, vel ad matrimonium, nequit aliquis á confessario obligari, quia hæc omnia, maximam libertatem requiruntur, nisi forté cognoverit confessor, Matrimonium remedium esse, ne quis ruat in peccata carnis, tunc enim, potest illud imponere, vt sentiunt probabiliter Navarro, & Leander.

Sextó: quód confessor rectius imponit pœnitentiam ante absolutionem, quam post, licet hæc moraliter coniungantur. Túm, quia sic fert communis Ecclesiæ vsus. Túm, quia ex eius acceptatione, vel repulsa, cognosci potest dispositio pœnitentis. Túm, quia sic, omnes Sacramenti partes, absolu-

solutioni subijciuntur, vt parti formali. Tùm,quia sic meliùs servatur ordo iudicij & iustitiæ vindicativæ, si pœnitens satisfactionem prommittat antequam absolvatur; sic tenent Bonacina, Layman, Salmantic. Gobatus, Lugo, & alij; quod præcipuè verum est,post Decretum Alex VIII. in quo propos.16. 17. & 18. contraria sententia damnatur.

Casus quintus. Accessit quidam ad sacrum Pœnitentiæ tribunal,& peccatis apud confessorem depositis, ab eo pœnitentiam salutarem accepit, ipsi tamen pœnitenti,visa fuit nimis gravis & onerosa, confessariumque rogavit, vt illam minueret, quod cum ipse facere nollet,pœnitens, impositam pœnitentiam non acceptavit. Quæritur: an si pœnitentiam nullatenus admittere vellet, absolvi posset? Certum est: quód si manifestè constat, pœnitentiam impositam esse iniustam, non tenetur pœnitens ad eam exequendam, nec acceptandam, vt notant Granados, Valentia, & Aversa; casus ergo procedit, quando satisfactio iniuncta rationabilis est, vel certo non constat de illius excessu.

Resp. ergo, quod pœnitens tenetur ad pœnitentiam acceptandam & implendam,si vult absolvi, quæ obligatio, ex genere suo gravis est; sic tenent D.T. in 4. dist.18. q.1. art.3. quæstiunc.3. & idem sentiunt plures authores,quos citant Salmant. Constat 1. ex Trident.Sess.14. cap.8 vbi docet,datam esse Sacerdotibus á Christo potestatem ligandi atque solvendi; ligare autem explicat iniunctionem pœnitentiæ, & non percipitur,quomodo hæc esset ligandi potestas, si pœnitens non teneretur pœnitentiam acceptare & exèqui. Deindé: quia vt habetur apud Trident. ibidem, confessor tenetur pœnitentiam strictè præcipere pœnitenti & sic pœnitens, etiam illam acceptare tenetur; potestas enim in iudice ad præcipiendum, & in inferiori ad obediendum, correlativæ sunt. Demúm, quia pœnitens sicut & confessor, tenentur Sacramentum integrum facere, ad quod requiritur in confessore, pœnitentiæ impositio,& in pœnitente, eius acceptatio.

Si dicas 1. duo sunt remedia peccati, vnum in hac vita, & aliud in altera: ergo potest homo eligere quod voluerit, & sic non tenetur pœnitentiam acceptare. 2. quód homo in hac vita, luat pœnis Purgatorij,est maxima misericordia Dei:ergo potest homo,pœnitẽtiam nõ acceptare,& pœnas in Purgatorio luere. Resp. ad 1. quod licet homo posset sic eligere absolutè, non verò supposita institutione Sacramenti pœnitentiæ á Christo facta, iuxta quam tenetur legitimo iudici obedire,&Sacramentum integrum facere. Ad 2.quód non solum est misericordia Dei, quod in hac vita possimus satisfacere pro pœnis Purgatorij,sed quod levibus pœnis,possimus graviores luere;vndé contra propriam charitatem operatur, qui hoc facile medium non assumit,vt subeat Purgatorij pœnas, quæ sunt tanto maiores. Præterquam, quod hæc esset irreverentia Sacramenti, cum illud non fieret integrum, vt dictum est.

Sed tamen,stante resolutione nostra, potest pœnitens incepta confessione cum aliquo Ministro, eius absolutionem & sententiam declinare, & alũ quærere aptiorem scientia & pietate; quod si hoc fiat sine rationabili,& legitima causa,illicitũ est, vt sentiunt Doctores, ob irreverentiam Sacramenti, & quia inchoatum iudicium interrumpitur & non consumatur; si autem rationabilis detur causa, sic relinquere confessionem,solum est indecentia quædam, non excedens peccatum veniale, vt sentit Hurtado, Leander, & Salmant. quod in praxi accidisse novimus, cuidam pœnitenti perito, qui cum in confessarium nimis scrupulosum incidisset, nec longo tempore,posset formam absolutionis proferre, illum reliquit & ad alium declinavit, cum quo iterum fuit confessus. Ratio autem horum est:quia non videtur conforme pietati Christi, velle gravare pœnitentem, vt perficiat confessionem cum eo confessore, cum quo incepit illam, sed potest alteri magis idoneo,se iudicandum submitere; sic enim Sacramentum pœnitentiæ, suavius redditur, pœnitentes apertius peccata pandunt, & impositas pœnitentias, facilius acceptant & exequuntur.

Hæc autem obligatio,acceptandi & implendi pœnitentiam, ex genere suo gravis est, & sub reatu peccati mortalis, quia materia ex se est gravis, & ad religionem & iustitiam vindicativam pertinens, vt sentit Perez; sed ommittere aliquam partem pœnitentiæ impositæ, ob levitatem materiæ, solum est culpa venialis, nam peccata ex levitate materiæ, levia sunt. Si verò ob peccata venialia, vel ob mortalia iam ritè confessa, imponitur pœnitentia gravis, verius est, illam sub mortali obligare: nam gravitas obligationis, non summitur ex præcepto pro quo imponitur, sed ex materia quæ præcipitur; si enim quis ieiunium vovet,vt pro solis venialibus satisfaciat, votum sub mortali obligat, & sic idem dicendum de confessario, si ob eundem finem, ieiunium præcipiat; sic Salmantic. & alij plures.

Sed an ommittere totam pœnitentiam, si ex se est levis, licet pro mortalibus imposita, sit grave peccatum? Negant aliqui cum Ant. á Spir. S. nos autem oppositum iudicamus verius cum Nuño, Ducti 1. quia gravissima irreverentia est, Sacramentum integrum non facere, licet alias materia sit levis. 2. quia si quis postquam audivit confessionem venialium,proferret formam sine intentione, mortaliter peccaret, & tamen materia levis esset. 3. si quis iurat rem levissimam mentiendo, peccat mortaliter, & idem in iuramento promissorio, si iuretur res levis cum animo non adimplendi; & similiter, si ommittuntur in consecratione verba,quæ sunt de integritate, vel aqua modicissi-

ma

ma in calice non miſcetur cum vino; & ratio omnium eſt: nam licet omnes iſtæ, ſint materiæ leves phyſicé, & ſecundum ſe, moraliter veró graves ſunt reſpectu ſuorum finium, & idem dicendum de totali pœnitentia levi, quæ licet ſecundum ſe ſit levis, eſt tamen gravis & graviſsima, quatenús eſt pars integralis Sacramenti, requiſita ad eius perfectionem; & per hoc ſolvitur contrariorum effugium, dicentium, quod materia illa, levis eſt.

Caſus ſextus. Quidam Pœnitenti, confeſſor ſuus pro ſatisfactione iniunxit, vt per ſpatium vnius anni, menſtruam confeſsionem faceret; ſed tamen aliquando eam per ſex vel octo dies antepoſuit, vel poſtpoſuit, occaſione ſolemnitatis magnæ, ante vel poſt advenientis. Quæritur: an ſufficienter ſatisfaciat, pœnitentiæ á confeſſore impoſitæ? Reſp. affirmativé; ſic tenet Leander, & Ioan. Sanchez cum alijs; & ratio eſt: quia res morales, non mathematicé, ſed prudentialiter computari debent, qualiter in propoſito caſu contingit; & moraliter iudicari debet, quod hæc fuit voluntas confeſſoris pœnitentiam imponentis. Nec obſtat: quód pœnitentia impleri debet, tempore á confeſſore præfixo. Reſp. enim, hoc eſſe verum de tempore morali, non de tempore phyſico, & illud iam ſervatur in illo caſu, dummodo tamen per confeſsionem antepoſitam vel poſtpoſitam, non impleatur ſatisfactio duplicis menſis, nam eadem ſolutione, nequit duplex debitum compenſari. Bené verum eſt, quod ſi in honorem alicuius diei, imponeretur in illo confeſsio, nec poterat anteponi, nec poſtponi, vt ſentit ipſe Leander; cum Thoma Sanchez.

Occaſione hac, examinandum venit, quo tempore teneatur pœnitens, implere pœnitentiam ſibi iniunctam? ad quod dicitur: quód pœnitens tenetur pœnitentiam implere, tempore ſtatuto á confeſſore; quod ſi hic nullum determinatum tempus aſſignaverit, debet pœnitens adimplere pœnitentiam, quam primum commodé poſsit, quia ea eſt confeſſoris intentio, & pœnitentiæ finis; & ideo ſi dilatio fuerit nimia, erit peccatum mortale, ſi autem parva, erit veniale, quod prudenter debet iudicari, iuxta circumſtantias rerum, perſonarum & occaſionum, vt notant Palaus, Averſa, Bonacina, & Dicaſtillus. Sed quanto tempore poſsit impletio pœnitentiæ differri, quando confeſſarius, non aſsignat tempus? Aliqui cum Diana ſentiunt, poſſe differri per annum; hoc tamen nobis non placet, eſt cum ſine fundamento dictum, vt ſentiunt Tamburinus, & Dicaſtillus; hæc enim eſſet gravis inobedientia; præcipué cum pœnitentia iniungatur, ad præſervandum á peccatis futuris, quod tanta dilatione conſequi non poterit. *Nec valet* dicere, quod in cap. omnis vtriuſque ſexus, aſsignatur annus; hoc enim eſt ad actum confeſsionis, ſed non ad actum implendi pœnitentiam.

Inquires: an ille cui iniungitur aliqua pœnitẽtia certo die, vt in Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ. & ob malitiam vel impotentiam, eo die adimpletionem omittat, poſtea teneatur implere? Aliqui negant dicentes, quod tunc obligatio ceſſat; ſic tenent Henriquez, Fagundez, & Diana. Sed oppoſitum verius eſt; nam licet opus illud, præcipiatur exequi in honorem Beatiſsimæ Virginis, hic tamen non eſt finis vltimatus illius, ſed finis medius, ordinatus ad finem ſatisfaciendi pro peccatis præteritis, & præcavendi futura; vndé licet ceſſet ille finis medius, cum tamen maneat finis vltimus & præcipuus, non ceſſat obligatio; ſic ait in terminis, Palaus cum Suarez dicens, quod ſi confeſſor deſignat tempus pro implendo ieiunio, non eſt eius intentio quod ſtatim obligatio ceſſet, ſi ex aliqua cauſa differatur, quia finis illius fuit imponere ſatisfactionem pro peccatis, & ille perſeverat, tali die tranſacto.

Dices 1. quód præterito die, cui affixa eſt recitatio, non tenetur quis recitare, & ſic etiam tranſacto die quo fuit præfixum ieiunium, non tenetur quis ieiunare. 2. nam tale ieiunium, imponitur á confeſſario die Veneris in honorem Paſsionis Chriſti, vel in honorem matris eius, in ipſius Vigilia, quæ ceſſant ceſſante die. Reſp. ad 1. quód eſt diverſa ratio: nam præceptum recitandi, primario diffinit diem, etſic eo præterito ceſſat, ſicut etiam ceſſat obligatio ieiunij ex præcepto, tranſacto die obligationis; ieiunium autem in ſatisfactionem impoſitum, non ceſſat tranſacto die, quia ſemper manet finis vltimus ſatisfaciendi, etſi ceſſet finis intermedius. Ad 2. dicitur idem: quód honor talium dierum eſt finis medius, ieiunij, finis autem vltimus, eſt ſatisfacere pro peccatis, & hic permanet etiam finito die.

Caſus ſeptimus. Confeſſor quidam, impoſuit pœnitenti ſuo ſatisfactionem, quam ipſe audivit & acceptavit, poſtea veró, illius oblitus fuit. Quæritur: an talis pœnitens, teneretur peccata confeſſa iterum confiteri, vt novam ſatisfactionem & pœnitentiam, pro illis poſſet recipere? Reſp. quód ſi talis pœnitens, commodé poſſet iterum redire ad confeſsorem, qui ei pœnitentiam impoſuit, ita debebat exequi, atque ipſum interrogare, quænam fuerit pœnitentia ab eo impoſita; ſic ſentit Leander & communiter Doctores; ſi veró non dabatur opportunitas talem interrogationem faciendi, talis pœnitens obligatus non erat, peccata ſemel rité confeſſa, iterum confiteri; ſic tenent Cayet. Diana, Hurtado, Coninch, Soto, & Paludanus. Ratio eſt: quia confeſsio ſemel valida, ſemper valida eſt, nec iterari debet; confeſsio autem illa valida fuit, & ſic non debet iterari.

Hoc comprobatur in ſimili, in confeſsione informi, de qua diximus ſuprá, art. 11. diffic. 8. quod non debet iterari, quando aliquis recordatur alicuius peccati prius obliti, vt habetur expreſsé apud

D.Tho.in addit. q.9. art.2. ad 3. & sic idem dicendum de oblivione satisfactionis; si enim stante confessione valida & informi, deficiente dolore peccati obliti, confessio iterari non debet, cum tamen dolor sit pars essentialis Sacramenti, quanto minus debet iterari deficiente satisfactione, quæ solum pars integralis est? Sed tamen, si illa oblivio satisfactionis, ex negligentia culpabili fuit exorta, illa in confessione sequenti confiteri debet; nam fuit peccatum mortale, & mortalia peccata, in confessione debent manifestari.

Dices: talis pœnitens, ex oblivione, reliquit Sacramentum incompletum & imperfectum, privando illud sua integritate: ergo tenetur confessionem repetere. Resp. quód licet repetat confessionem secundam, non ideo primam integram faciet, quæ diversum omnino iudicium fuit. Vndé non negamus, quod si oblivio illa, ex negligentia culpabili fuit orta, fuerit peccatum grave, quod postea debet confiteri, sed quod negamus est, dari obligationem repetendi confessionem peccatorum, quæ prius fuerunt rité confessa, & inftatur á paritate de confessione informi, cuius repetitio necessaria non est, licet optimum esset eam libere iterare, & idem dicimus, in casu oblivionis satisfactionis; v ideantur suprá dicta, loco citato.

His additur: quód non tenetur pœnitens, quicquam in confessione repetere, si materialiter, & integre exequatur opus, pro satisfactione iniunctum, licet tunc non cogitet exequi, vt liberetur ab obligatione; sic tenent Sanchez, Lugo & plures alij; & constat: nam ille qui audit sacrum in die festo, ignorans festum esse, satisfacit præcepto audiendi sacrum, & sic idipsum in præsenti, de satisfactione dicendum est. Vndé etiam liberatur quis, ab onere recitandi Rosarium pro pœnitentia impositum, si illud ex devotione recitet, vel quia est membrum confraternitatis SS. Rosarij, licet expresé dum globulos voluit dicat. Uolo hodie recitare, quia sum congregationis sodalis, & alio die recitabo, vt solvam obligationem, á confessario impositam; quia præcepta particularia, debent interpretari, iuxta normam vniversalium præceptorum.

Solvitur ex his scrupulus, cuiusdam interrogantis, an quando imponitur alicui Sacerdoti pro pœnitentia, recitatio alicuius himni, vltima stropha, v. gr. Iesu tibi sit gloria, recitanda sit, iuxta tempus & diem, quo pœnitentia peragitur, án verò conformiter ad totius anni ritum? Dicitur enim, quod non videtur confessarium velle, suum pœnitentem ad hoc adstringere, nam ridiculum esset, quod prædicto modo hoc imponeret; & etiam si posset fieri, esset tamen minima portio pœnitentiæ totalis, quam omittere, solum est veniale vt vidimus, & in casu præsenti, nec veniale esset, nam hoc esset scrupulis impertinentibus pœnitentes vexare, cum sufficienter pœnitentiam posint implere, hanc vel illam strophæ formulam servando.

Casus octavus. Pœnitens quidam, ad sacrum pœnitentiæ tribunal accessit, & pro peccatis suis recepit satisfactionem. Quæritur: an posset satisfacere pro pœna debita vni peccato, & non pro debita alteri? Rem tangit D. T. in addit. 3.p. q. 14. art.1. cum quo dicendum: quód quando pœnitens exercet absoluté opera satisfactoria, non applicando illa pro pœna debita vni peccato, potuis quam pro pœna debita alteri, tunc non magis satisfacit pro vno quam pro alio; sed pro omnibus proportionabiliter, & sic omnes pœnæ debitæ peccatis, proportionabiliter remmittuntur. Ratio est: nam cum per satisfactionem auferatur offensa præcedens, talis debet esse modus satisfactionis, vt sit offensæ ablatio, quæ est amicitiæ restitutio, vndé si detur aliquid impediens restitutionem amicitiæ, etiam apud homines, non datur satisfactio, & cum quodlibet peccatum impediat amicitiam Dei, nequit homo pro vno peccato satisfacere, alio retento, sicut nec aliquis homini satisfaceret pro alapa ei data, si aliam conferret.

Dices: potest contingere, quod satisfactio habeat maiorem proportionem, ad satisfaciendum pro vna pœna, quam pro alia, quia habet maiorem oppositionem cum peccato, vt cum quis peccavit comedendo, & postea ieiunat: ergo tunc satisfactio fiet pro illa, nam satisfactio fit, per opus magis proportionatum. Resp. quód Deus solum attendit ad valorem satisfactionis secundum se; vndé illa maior proportio, sive oppositio satisfactionis cum peccato, conducit vt sit magis valorosa in ratione medicinalis, non verò in ratione satisfactoriæ. Verum quidem est, quod si pœnitens speciaiter applicat satisfactionem, pro pœna vnius peccati, & non alterius, solum remmittitur illa pœna, ab eo signata, quia satisfactionis applicatio, á propria voluntate pendet, & potest applicari vni pœnæ &, non alteri; si autem sit superexcedens respectu illius, excessus ille, applicatur ad pœnas aliorum peccatorum, quia hæc videtur rationabilis intentio satisfacientis, nisi oppositum explicet.

Si dicas: pœnitens potest non applicare satisfactionem, ad pœnas aliorum peccatorum, nec formaliter, nec virtualiter, & sic tunc non sufficiet pro illis. Resp. neg. antec. quia ipsa volitio satisfaciendi, per se loquendo, tendit ad omnem pœnam debitam, nisi á pœnitente, expresé & formaliter intendatur oppositum, vt sentit Nuño. *Etsi contra* id quod dicitur, posse hominem applicare satisfactionem ad pœnam vnius peccati, & non alterius, dicas: Quód peccatum mortale, nequit esse cum gratia, & ideo vnum non remmittitur sine alio: ergo nec pœna debita vni peccato, potest esse cum perfectione gratiæ, quia eadem videtur vtriusque oppositis. Resp. quod gratia quæ est amicitia Dei, nullo modo potest esse cum peccato mortali,

li, quod inimicitia est; perfectio autem gratiæ, potest esse cum aliqua pœna debita, præcipué quando á pœnitente, sic libere applicatur satisfactio pro vna pœna, & non pro alia, vt in casu præsenti contingit.

Denique, circa satisfactionem, sciendum est ex Trident. Sess. 14. tantam esse divinæ magnificentiæ largitatem, vt non solum pœnis, sponte á nobis pro vincendo peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis á Deo inflictis, & á nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Christum Iesum satisfacere valeamus; ex quibus habetur, quod ille qui patienter infirmitatem, vel alios labores á Deo provenientes sustinet, veré satisfacit, pro pœnis debitis peccatis. Qualiter autem hoc fiat, non vno modo explicatur; aliqui dicunt, id fieri ratione voluntatis interioris, qua patienter illa tolerantur, ita vt opus exterius nihil superaddat; alij asserunt, quod pœnæ speciales, v.gr. mors filij sunt satisfactoriæ, etiam per opus externum, non verò pœnæ generales, vt sunt bella, ægritudo & similia, nisi cum limitatione proximé dicta, nempé ratione voluntatis interioris.

Demum alij dicunt, quod vtriusque generis pœnæ, sunt satisfactoriæ, non solum ratione actus interioris, sed etiam ratione exterioris, si per honestam voluntatem acceptentur, & in Deum, formaliter vel virtualiter referantur. Vndé si duo homines, æquali voluntate interiori patiantur, ille magis satisfaciet, qui maiores patitur pœnas. Hoc videtur colligi. Tùm ex verbis adductis Trident. in quibus dicitur, quod per pœnas á Deo inflictas fit satisfactio, sicut per illas quæ sponte assumuntur. Tùm ex D. Tho. in addit. 3. p. q. 15. art. 2. vbi ait: Quód si flagella, quæ pro peccatis nostris á Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis rationem satisfactionis accipiunt; fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat, ad purgationem peccatorum, eis vtens patienter; quibus assentiunt communiter Doctores Sancti, dicentes, quod per hæc flagella, purgat Deus homines in hac vita, sicut per ignem purgatorij, purgat in alia.

ARTICVLVS XV.

De Ministro Pœnitentiæ.

Prima difficultas: An solus Sacerdos, sit Minister Sacramentalis confessionis? Senserunt impius Uvicleph. & Ioannes Hus, potestatem absolvendi, esse Sacerdotibus & laicis communem, & idem sensit Lutherus, quorum error damnatus est in Trident. Sess. 14. Can. 6. Quare veritas catholica est, solos Sacerdotes, esse Sacramenti Pœnitentiæ Ministros; sic tenent D. T. in addit. 3. p. q. 8. art. 1. & probat 1. quia absolutio á peccatis, propter quam fit confessio, solum á Sacerdotibus datur, quibus claves Ecclesiæ sunt commissæ; & ideo Lazarum suscitatum, Christus tradidit discipulis, á vinculis solvendum. & idem fuit in lepra sis, quos ad Sacerdotes misit. Deindé probat: quia gratia in Sacramentis collata, derivatur á Christo, sicut á capite in membra: ergo solum ille est Sacramentorum Minister, qui habet ministerium, suprá corpus Christi verum, quod convenit solis præsbyteris in Eucharistiæ consecratione.

Secundó prob. ad ministerium confessionis requiritur potestas clavium & iurisdictio, nam hæc sunt necessaria in quolibet iudicio; & illa potestas & iurisdictio, in solis Sacerdotibus reperitur, quibus fuit á Christo collata, Ioan. 20. per illa verba: quorum remiseritis peccata, &c. & D. Hyer. ait: Hoc fuisse in antiqua lege figuratum in qua iudicium inter lepram & lepram, Sacerdotibus reservatum erat. Vlterius: quia Sacramentum Pœnitentiæ, est institutum per modum iudicij & in republica benè ordinata, vt est Ecclesia, non oportet quod omnes sint iudices; nam actus iudicialis requirit scientiam, prudentiam & alia, quæ non reperiuntur in omnibus; & eadem ratione, hoc non fuit solis Episcopis committendũ, quia iudicium pœnitentiæ, est frequenter & communiter exercendum, quod Episcopi alijs negotijs occupati, non poterant exhibere: ergo solis Sacerdotibus, hoc ministerium convenit.

Dices 1. quod D. Iacob. cap. 5. ait: Confitemini alterutrum peccata vestra. 2. nam cap. si fures, dicitur: Quód si fures furando, fuerint comprehensi vel vulnerati, præsbytero vel Diacono confiteantur. 3. quód confessio requiritur, vt taxetur satisfactio, quæ multoties, discretius taxaretur á non Sacerdote, quam á Sacerdote. Resp. ad 1. quód D. Iacobus, loquitur supposita divina institutione, de confessione Sacerdotibus facienda, & sic non cuilibet homini confiteri debemus, sed ministris á Deo destinatis. Ad 2. quód textus ille, forte vitiatus est, nam in Conc. Tribur. ex quo desumitur, nulla fit mentio de Diacono. Vel etiam potest dici, quod est sermo de reconciliatione canonica cum Ecclesia, sed non de Sacramentali. Ad 3. quód in satisfactione, non solum attenditur quantitas pœnæ, sed virtus eius, vt est pars Sacramenti, & ideo convenit, quod per Sacramentorum dispensatores imponatur; sic D. T. loc. cit. ad 3. & q. 6. art. 1. ad 4.

Si dicas aliter. Quód simplex Sacerdos, ex Papæ dispensatione, potest esse confirmationis minister: ergo etiam laicus, potest esse minister confessionis, quia eadem videtur vtrobique distantia. R. quód est diversa ratio: quia ministri confessionis, qui sunt Sacerdotes, regulariter de esse non possunt, quia nulla est Provincia civitas vel vicus,

vbi

vbi non reperiantur; minister autem ordinarius confirmationis, est Episcopus, qui aliquando potest deesse, etiam in tota aliqua regione, & sic circa ministrum confirmationis, potest á Pontifice dispensari, non verò circa confessionis ministrum. Nec dicas: quód D. Thom. q. cit. art. secundo, videtur asserere, quod confessio potest fieri laico. R. enim, quod non loquitur de confessione Sacramentali, etiam in casu necessitatis, & ideo illam quodamodo Sacramentalem vocat, & summus Sacerdos Christus, intuitu humilitatis, supplet Sacramenti defectum, & pœnitentem iustificat per illius votum.

Sed dubitabis: An in casu necessitatis, possit confessio fieri laico? Resp. quód ad hoc non tenentur ex præcepto fideles, potest tamen fieri. Sacerdote non existente. Prima pars, patet ex Trident. Sess. 14. Can. 10. vbi absolute diffinit, solum Sacerdotem esse confessionis ministrum; & constat ex dictis, quia minister Pœnitentiæ, constituitur quis, per potestatem clavium, quam Christus solis Sacerdotibus concessit; sicut illi solum, habent characterem Sacerdotalem, in quo illa potestas fundatur. Secunda pars, non aliter probatur, nisi auct. D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 10. vbi ait: Tanta vis est confessionis, vt si deest Sacerdos, confiteatur laico; & hoc est in vsu nautarum, quibus in more est, ingruente procella, & mortem ob oculos adferente, alterutrum confiteri; & idem habetur in D.T. q.8. addit. art.2.

Et est notandum: quód confessio hæc laico facta, aliquando est vtilis. 1. ad explicandum desiderium reconciliationis Ecclesiæ, virtute clavium. 2. ad manifestandam humilitatem cordis. 3. ad implorandam divinam misericordiam, per illum actũ exteriorem. 4. vt si Sacerdos postea venerit, possit communicare infirmum, per informationem laici, testantis illum ostendisse signa doloris, si tunc freneticus est. 5. vt in simili casu, veniente Sacerdote, possit infirmus absolvi, tunc destitutus loquela. 6. si aliquis egeret consilio, & non esset Sacerdos, qui illud posset conferre, & esset laicus prudens, á quo sine gravi damno sperari posset, tunc cum isto poterit confiteri, nam illa quæ infamia videtur, per spirituale commodum compensatur, & etiam homo, cedit iuri suo in prædicto casu.

Duo tamen notanda sunt circa hoc. 1. quód in tali casu, laicus confessionem audiens, teneretur servare sigillum, maiori vinculo, quam ex naturali secreto, nam illa confessio, licet non sit Sacramentalis, est tamen eius similitudo; vndé laicus, tale secretum frangens, graviter deberet puniri, non tamen sicut Sacerdos, violans cõfessionis sigillum, quia cum illa confessio Sacramentalis non sit, nec eius revelatio, erit sacrilegium; sic ait M. Soto. 2. est notandum: quód in eo casu, laicus nõ debet verba formæ Sacramentalis proferre dicendo: Ego te absolvo, sed vti verbis deprecativis, dicendo: Absolvat te Deus, vel, absolvat te summus Sacerdos Christus, quia absolutio Sacramentalis, supponit in conferente potestatem, quam laicus non habet, & sic sacrilegus esset, verba formæ proferendo.

Dices: quód si hoc esset verum, confessus laico in casu necessitatis, non teneretur si articulum necessitatis evadit, iterum Sacerdoti confiteri, sicut nec baptizatus in necessitate á laico, non debet iterum á Sacerdote baptizari. Resp. quód per Sacramenta, homo reconciliatur Deo & Ecclesiæ, & huic reconciliari nequit, nisi sanctificatio Ecclesiæ, ad illum perveniat, quæ in Baptismo pervenit per elementum exterius adhibitum, quod verbo vitæ sanctificatur, á quocumque detur, & ideo semel baptizatus, non oportet vt baptizetur iterum; in pœnitentia verò, non accedit ad hominem sanctificatio, nisi per ministrum, quia ibi non est corporale elementum, & ideo confessus laico in casu necessitatis, opportet quod extra illum, iterum Sacerdoti confiteatur, cum copiam habere possit, quia antea, Sacramentum perfectum non fuit; sic D.T. loc. cit. ad 3. sed tamen vsus confessionis cum laico, licet olim in Ecclesia fuerit, modo tamen, solum in casu raro fieri debet, propter exortam Lutheri hæresim, qui ait laicum esse confessionis ministrum.

Secunda difficultas: Vtrum in Ministro Pœnitentiæ, potestas ordinis, distinguatur á potestate iurisdictionis? Supponimus: quód iurisdictio est necessaria in ministro, vt nõ solum vt licitè, sed etiam vt validè absolvat; sic tenet D. T. in addit. 3. p. q.8. art.4. vbi ait: Opportet quod ille qui dispensator huius Sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquid agendum; imperium autem, non convenit alicui in alium, nisi cui habet super eum iurisdictionem, & ideo de necessitate huius Sacramenti est, vt minister habeat iurisdictionem, & idem habetur in Trident. Sess. 14. cap. 7. Nec ex eo quod quis, teneatur confiteri proprio Sacerdoti iurisdictionem habenti, arctatur via salutis, nam frequenter, alijs pluribus committitur hoc ministerium á superiori, qui non debet esse difficilis ad hoc concedendum, sunt enim multi adeo infirmi, quod potius morerentur sine confessione, quam confiterentur tali Sacerdoti; vndé qui nimis sunt soliciti, vt conscientias subditorum per confessionem sciant, sibi & illis, laqueum damnationis parant; sic D.T. ibi ad 6.

Resp. igitur: quód potestas iurisdictionis, est distincta á potestate ordinis. Contrarium huius sentiunt plures, quorum dicendi modos, breviter referemus & refellemus. Armacanus enim ait, quod quilibet Sacerdos, ex eo quod est ordinatus, validè potest absolvere, licet Ecclesia prohibeat, vt hoc non possit licitè facere; vndé qui confitetur Sacerdoti non habenti iurisdictionem, invalidè confitetur, quia obicem ponit, confitendo se ei cui non debet;

debet; si autem bona fide confitetur illi, confessio valida est. Sed hoc dictum, aperte repugnat Trid. citato, dicenti: Absolutionem eam, nullius esse momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quæm ordinariam, aut subdelegatam iurisdictionem non habet; vndé ille qui confiteretur bona fide, Sacerdoti iurisdictionem non habenti, non absolveretur validé.

Secundó ait Cayet. quod vt validé quis absolvatur, tantum requiritur, quod voluntariè subijciatur Sacerdoti, habenti solam potestatem ordinis, licet careat iurisdictione ordinaria, vel delegata; sicut in arbitro habetur potestatē iudicandi á partibus, nulla alia requiritur nova potestas iudicandi ex parte Principis, sed solum quod partes ei subijciantur. Sed etiam hoc falsum est: nam ex Trident. constat, quod confessor debet esse pastor pœnitentis, vel habere facultatem & delegationem superioris; sed subiectio voluntaria pœnitentis, nec dat confessori iurisdictionem ordinariam, nec delegatam cum non sit potestas regendi, nec delegandi ex officio, hæc enim ad superiorem pertinent, & pœnitens in ea subiectione, non superior, sed inferior est: ergo, &c.

Tertió ait Navarrus, Sacerdotem in sui ordinatione, totam potestatem iurisdictionis accipere, ligatam verò, ita vt non possit validé in actum exire, nisi ex permissione Ecclesiæ. Sed hoc etiam opponitur Trident. dicenti; quod aliqui sunt Sacerdotes, qui non habent iurisdictionem ordinariam, nec delegatam, quod falsum esset, si in ordinatione reciperetur potestas, quo ad substantiam. Deindé: quia potestas á Christo collata, nequit ab Ecclesia ligari, vt validé non operetur, vt patet in potestate consecrandi, confirmandi & ordinandi: ergo si potestas iurisdictionis, ab Ecclesia ligatur, ne validé in actum exeat, ex vi ordinationis, non est Sacerdotibus, quo ad substantiam collata.

Quartó ait Vazquez, quod in ordinatione, confertur Sacerdotibus, potestas absolvendi completa, quantū est ex parte principij, sed illi deficit materia, ab Ecclesia designabilis; sicut videre est in Episcopis titularibus, quibus in sui consecratione, confertur potestas Episcopalis, licet deficiant subditi in quos illa exerceatur. Sed hoc falsum est 1. quia Sacerdotes, non accipiunt in sui ordinatione completam potestatem, sicut eam accipiunt Episcopi titulares, alias sicut isti validé ordinant, etiam Sacerdotes, ex vi solius ordinationis, validé absolverent, quod falsum est. 2. quia hic modus sentiendi, non consonat Trident. qui loc. citato ait: Quoniam natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quæm ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

Ex his constat, resolutionem nostram, esse Decretis Concilij Trident. conformem; & illa robur accipit ex D.T. in addit. 3. p. q. 20. art. 1. ad 1. vbi ait: Ad absolutionem á peccatis, requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis; prima quidem potestas, est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda & ideo vbi Dominus Ioann. 20. dedit omnibus Apostolis communiter, potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem; vndé & Sacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur, sed Petro singulariter dedit potestatem dimmittendi peccata, Matt. 16. vt intelligatur, quod ipse præ alijs, habet potestatem iurisdictionis; potestas autem ordinis, quantum est ex se, se extendit ad omnes absolvendos, & ideo indeterminatè Dominus dicit, quorum remiseritis peccata, intelligens quod vsus illius potestatis, esset deberet præsuppositā potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem; hæc D.T.

Ex quibus formatur duplex syllogismus; primus est: potestas iurisdictionis, secundum D.T. consequitur ad potestatem ordinis; sed nihil consequitur ad se ipsum; ergo illæ potestates sunt diversæ; secundus est: potestates habentes diversos actus, diversæ sunt; sed potestas ordinis, habet diversum actum, ac potestas iurisdictionis, actus enim illius, est consecrare, & actus istius est iudicare: ergo idem quod prius.

Sed aduersus dicta, sunt instantiæ sequentes. 1. si quis suspendatur á celebratione, & non habeat panem quæm consecret, non aufertur ab illo potestas consecrandi: ergo nec per defectum subditorum, aufertur potestas absolvendi. 2. si requireretur potestas iurisdictionis, distincta á potestate ordinis, nullus posset absolvere Summum Pontificem, quia hic, nequit alteri dare iurisdictionem suprá se, nec est alius superior, á quo illam recipiat. 3. in articulo mortis, quilibet Sacerdos absolvere potest, & solum habet potestatem ordinis. 4. in exordio Ecclesiæ, quilibet Sacerdos poterat absolvere quoscumque pœnitentes, ei voluntariè subiectos, & sic ex vi ordinationis, ad hoc habet potestatem. 5. Sacerdoti in sui ordinatione, datur potestas remmittendi peccata, dum dicitur: quorum remiseritis peccata, & ita potestas iurisdictionis, in ordinatione confertur.

Resp. ad 1. quód Sacramentum Euchatistiæ, non requirit imperium in aliquæm hominem, secus autem est de Sacramento pœnitentiæ; sic D.T. q 8. cit. art. 4. ad 2. Præterquam, quod tota & completa potestas consecrandi, confertur in ordinatione, vndé quando suspenditur quis á celebratione, non aufertur potestas, sed exercitium illius, cuius contrarium contingit, in potestate iurisdictionis, vt vidimus. Ad 2. quód Summus Pontifex subijcitur alteri, non in quantum est superior, sed in quantum est peccator, sicut vnus medicus in quantum

infirmus, curatur ab altero; vid. sup. dicta, art.11. diffic.2. in fine. Ad 3. quód in illo articulo extremæ necessitatis, confertur iurisdictio Sacerdoti, ex concessione Ecclesiæ, declarata per continuum vsũ ad quod pie attendit, ne aliquis fidelũ pereat, vt ait Trid. Sess.14. cap.7. sicut ex hoc eodem vsu, conceditur Sacerdoti potestas absolvendi á venialibus, & á mortalibus iam confessis; licet aliqui existiment, ad hoc iurisdictionem non requiri, quia nemo ad eorum confessionem potest cogi. Ad 4. neg. ant. id enim nunquam licebat. Vel hoc admisso dicitur: quod tales Sacerdotes, iurisdictionem habebant, ex concessione Ecclesiæ ita volentis, sicut nunc vult, vt quilibet Sacerdos absolvat ab omnibus peccatis in articulo mortis, & extra illum, á venialibus & mortalibus iam confessis, vt dictum est.

Ad 5. dicatur: quód Sacerdotes in sui ordinatione, recipiunt potestatem physicam absolvendi, sed non moralem, in qua iurisdictio consistit; quod si Apostoli tunc, receperunt iurisdictionem, hoc non fuit ex vi ordinationis, sed ex privilegio speciali, ratione necessitatis, & Apostolicæ dignitatis. *Dices* 1. ex vi illorum verborum, Sacerdotes accipiunt potestatem iudiciariam, & hæc, moralis est. 2. potestas physica, consistit in caractere, quæm Sacerdotes iam habent ante illa verba, & sic per illa, potestas moralis confertur eis. Resp. ad 1. quód Sacerdotes tunc, constituuntur iudices quo ad aptitudinem, actu tamen non constituuntur, quousque ipsis subditi designentur, tunc enim primo habent ius, ad ferendam sententiam. Ad 2. quód potestas physica absolvendi, non solum consistit in caractere, dante potestatem suptá corpus Christi reale, ad consecrandum; sed in modo maioris perfectionis, dante potestatem supra corpus Christi misticum; primum confertur ante dicta verba: quorum remiseritis, &c. secundum veró confertur per illa.

Tertia difficultas: Quisnam dicatur proprius Sacerdos fidelium? Communiter dicitur, quod confessionis minister, est proprius cuiuscumque Sacerdos; & sic habet D.T. q.8. addit. art.4. Nomine autem proprij Sacerdotis, intelligitur confessor ordinarius, cui ex proprio officio & iurisdictione, animarum cura incumbit, & est iudex in foro pœnitentiæ; aliud enim est esse iudicem legitimum, quod etiam convenit delegato, aliud veró esse proprium, quod solum ordinario ministro convenit. *Dicendum* est ergo: Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopi in sua Diœcesi, & Parrochi in sua Parrochia, sunt proprij Sacerdotes, & ministri ordinarij Pœnitentiæ. De Pontifice constat, quia ipse est supremus Ecclesiæ, Pastor, iuxta dictum Christi. Ioan.21. pasce oves meas; De Episcopis, patet ex Paul. ad Ephes.4. vbi ait: Quód Deus posuit in Ecclesia, alios pastores & Doctores. De Parrochis, colligitur ex cap. omnis vtriusque sexus, & etiam quia illi sunt iudices ordinarij in foro conscientiæ, iuxta sensum Theologorum. Archiepiscopi autem in Diœcesibus suffraganeorum, regulariter non sunt proprij Sacerdotes, bené veró si contingat eas actu visitare, quia illud munus, est visitationi annexum.

Maius dubium est: An Vicarius Generalis Episcopi, habeat ordinariam iurisdictionem, vt possit confessiones audire, & alijs facultatem audiendi concedere in tota Diœcesi? Affirmant Sanchez, Granados, Averia, Villalobos, Bosius, Leander, Azor & Dicastillus; ex eo quod ille est ordinarius, & veré Prælatus, Parrochis superior in tota Diœcesi, & constituit vnum tribunal cum Episcopo, cuius personam repræsentat, & constat ex cap.2. de consuetud. in 6. & ex cap. Romana de appellationibus. Oppositum sentiunt Ancarranus, Soto, Ledesma, & alij; ex eo moti, quod Vicarius Generalis, non habet potestatem á Canone, sed ab Episcopi institutione; sed dicitur: quód supposita nominatione Episcopi, Vicarius Generalis, immediaté á Canone habet iurisdictionem; Episcopus enim non mediat vt dans iurisdictionem, sed vt instituens; & idem dicendum, de Vicario Generali Capituli, Sede vacante.

Si inquiras: Quinam habeant iurisdictionem ordinariam suprá prædictos, & á quo possint absolvi? Resp. quód super Summum Pontificem, nullus habet iurisdictionem ordinariam, sed potest Sacramentalitet absolvi, á Sacerdote quæm ipse elegerit. Parrochi autem proprius Sacerdos, regulariter est Episcopus, Episcopi autem, est Summus Pontifex, & idem est de Archiepiscopo, Patriarcha, & Cardinalibus. De Parrocho patet, quia Episcopus est superior immediatus illius; sed diximus regulariter, quia sunt aliqui Parrochi, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt aliqui Abbates. De Episcopis Archiepiscopis, & Patriarchis, idem constat, quia solus Pontifex est illis superior, & idem de Cardinalibus, qui ratione dignitatis, sunt Pontifici maximé propinqui. Deindé respectu familiæ Papæ, secum degentis Romæ, ille est proprius Sacerdos, vel cui ipse comisserit & idem de familia Cardinalium, & Episcoporum dicendum est: Vlteriús, nomine proprij Sacerdotis, intelliguntur Prælati Religionum vt Generales, Provinciales, & etiã Prælati locales, vt Priores, & Guardiani, quo ad subditos suos, & omnes illi, quibus ex iure cura immediata animarum commissa est.

Sed interrogabis: Quisnam est proprius Sacerdos Peregrinorum? Resp. quód si illi sunt vagi, certum domicilium non habentes, eorum proprius Minister, est Parrochus, sub quo actu reperiuntur, quia illa habitatio actualis loco domicilij succedit, sicut etiam Parrochus illius loci, tenetur illis Sacramenta ministrare; sic Suarez, Medina, Silvester, Coninch, Salmant. & alij; si veró in vno loco domici-

micilium habent [redacted]tionem diuturnam pro aliqua pa[redacted]lites, litigantes, mercatores, Scholastici, [redacted] confiteri Parrocho illi, apud quæm habitant, ex consuetudine quæ introducta est, & ex tacito superiorum consensu; si verò sint itinerantes, licet alibi domicilium habeant, possunt confiteri Parrocho illius loci, ad quæm accedunt, ne diutius maneant sine Sacramentorum perceptione; sic Sotus, Coninch, Lugo, Vazquez, & Ledesma.

Ex quibus deducitur: quód fidelis qui mortaliter peccavit, necessario debet confiteri proprio Sacerdoti, vel eius commissionem habenti. Constat ex Trident. suprá adducto, dicente, quod absolutio data, á non habente ordinariam, vel delegatam iurisdictionem, nullius momenti est, & idem probat D.T.q.8.cit. Ratio est: quia de ratione iudicis est, quod habeat iurisdictionem in reum; confessor autem, iudex est in foro pœnitentiæ, & solum proprius Sacerdos iurisdictionem habet, aut alter cui ipse commisserit: ergo proprio Sacerdoti, confessio fieri debet. Nec obstat: quód cum plures fideles sæpiús confiteantur, eos audire, esset valdé onerosũ Sacerdoti; nam hoc petit pastoris officium, quod oves pascat, in omni patientia & doctrina; vel si subditi sunt nimis onerosi, & superior sit legitimé impeditus, alteri debet facultatem concedere, vt confessiones audiat.

Dices: quód confessio, ad animæ salutem ordinatur, & si fieret proprio Sacerdoti, aliquando causaret ruinam, vt si ille esset hæreticus, vel ad malum inducturus. Resp. quód in tali casu, pœnitens, debet petere facultatem á proprio Sacerdote, vt possit alteri confiteri; quod si denegetur, tunc pœnitens se habebit, ac si non haberet confessoris copiam, quia præcepta Ecclesiæ, obligant secundum intentionem Dei, qui charitatem intendit, & in eo casu destructio sequeretur; sic D.T. loc.cit. ad 6. *Si inquiras*: an casu quo, ex malitia negetur pœnitenti talis facultas, possit ipse pro libito confessorem eligere? Resp. cum D.T. in 4. dist.17. q. 3. art.3. quæstiunc. 4. ad 5. & 6. & opusc. 19. vbi ait: Superiorem negantem iniuste hanc facultatem, & sibi & subdito, damnationem acquirere; sibi, quia peccat mortaliter; subdito, quia privat illum vtilissimo remedio; ex quo patet, quod talis cui facultas negatur, nequit pro libito suo confessorem eligere, quod etiam sentiunt Cayet. Soto, Cano, & Victoria.

Prob. etiam ex cap. omnis vtriusque sexus, vbi diffinitur, quod si subditus, velit alteri quam proprio Sacerdoti confiteri, licentiam prius petat, & acquirat: ergo si petit & non acquirit, nequit alteri confiteri. Tùm etiam, quia ad absolvendum requiritur iurisdictio; confessor autem tunc electus, non haberet iurisdictionem; nec á Christo, nam deficiente remedio ad salutem, non statim dispensat, vel providet aliud, vt si aqua deficit ad Baptismum; nec habet illam ab homine, quia in nullo textu vel canone, tale decernitur. *Si dicas*: quód Deus neminem privat beneficio pœnitentiæ, absque propria culpa, & in eo casu privaret, nam malitia proprij Sacerdotis, noceret pœnitenti. Resp. quód Deus tunc, sufficienter de remedio providet, nam tali homini sufficeret contritio, quod si hanc non habet, & existimat se esse contritum, potest ad Eucharistiam accedere; si autem expressé cognoscit, se solum esse attritum, procuret contritionem, nam vt ait M. Soto, pluris est, ordinem Hierarchicum servare, vt nemo absolvat sine iurisdictione, quam vni fortuito casui providere; cum enim humana providentia, omnia hæc particularia incommoda vitare non possit, non est mirum, quod ex incuria superioris, subditus ad has angustias reducatur.

Quarta difficultas: Quisnam sit minister delegatus, ad confessiones audiendas? Supponimus cum D.T. in addit 3.p.q.8. art.5. quod qui nequit confiteri proprio Sacerdoti, potest ex privilegio, vel ex eius mandato & commissione, alteri confiteri. Ratio est: nam ea quæ sunt ordinis, possunt simílem ordinem habenti committi; superior autem vt Episcopus, potest confessiones audire, illius qui est de Parrochia alterius, quia ipse est principalis rector: ergo potest hoc alteri Sacerdoti committere. Difficultas est: quinam sint ministri delegati, & quisnam delegare possit? Resp. quód omnes illi qui habent potestatem, & iurisdictionem ordinariam, eam delegare possunt; constat. Tùm ex cap. omnis vtriusque sexus. Tùm, quia vnus ex actibus iurisdictionis ordinariæ, est delegatio. Vndé Pontifex pro omnibus Christianis, Episcopus & Parrochus pro suis ovibus, possunt iurisdictionem delegare; sed requiritur in eo cui delegatur, iurisdictio & capacitas, nempé non esse impeditum per aliquam censuram, & post Tridentinum, respectu Parrochorum requiritur, in eo cui delegatur, quod habeat Parrochiale beneficium, vel Episcopi approbationem; sic ait Alex. VII. prop. 16. & patet ex ipsius Concilij Decreto, ad varia inconvenientia vitanda; & quod dicitur de Episcopo & Parrocho, dicendum est de Prælatis Religionum, quo ad suos subditos.

Dices contra hæc: nullus potest dare privilegium, contra ius alterius, quod si concedit, non tenet: ergo nec Pontifex, nec Episcopus, possunt dare facultatem alicui, vt confessiones audiat contra voluntatem Parrochi, & si dederint, nulla erit. R. quod etiam in eo casu, delegatio valida est, nisi expressé dicatur, quod Parrocho resistente sit nulla; sic D.T. opusc. 19. cap. 4. & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc. 5. Ratio est: nam si esset necessaria facultas Parrochi, præter facultatem superioris, superflua esset & impertinens, superioris facultas, quod falsum est. Nec hoc est contra Parrochi ius.

Tùm

Tùm, quia hoc, semper subordinatur superiori. Tùm, quia iurisdictio, non committitur homini in favorem suum, sed in vtilitatem plebis, & honorem Dei, & ideo si superioribus Prælatis, expedire videatur ad hoc, quod alijs iurisdictionem committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis eam committendo; sic D. Tho. q. 8. cit. art. 5. ad 1.

Si dicas: sequi ex hoc, religiosum non egere facultate sui Prælati, ad audiendam confessionem illius, qui habet privilegium Summi Pontificis, ad confessorem eligendum. Resp. quód licet hoc sit verum ex parte iurisdictionis, quia tamen religiosus, non habet velle vel nolle, vt occupetur in hoc, vel illo opere, sed semper debeat superioris voluntatem respicere, nequit sine illius licentia, in confessionibus audiendis occupari. *Dices*: Pontifex potest, inconsulto & invito Prælato, iubere subdito istius, vt confessiones audiat: ergo religiosus poterit absolutè, absque sui Prælati licentia confessiones audire. Resp. quód licet Pontifex, id possit iubere, sed per privilegia quæ dat, nihil tale iubet, sed facultatem dat pœnitenti, vt confessorem eligat, quæ electio religiosum non cogit, & ideo si inconsulto Prælato talem confessionem audiret, posset puniri vt inobediens, absolutio tamen esset valida, quia á Pontifice iurisdictionem accepit per pœnitentis electionem.

Ex dictis plura inferuntur. 1. quód Sacerdos actualis, á Parrocho relictus in sui absentia, vel substituitus ab Episcopo loco Parrochi per aliquod tempus, sic delegatus, potest alteri subdelegare facultatem, non amplam & vniversalem, sicut ipse habet, sed respectu particularis actus, & non ad totum officium suum; sic tenent Lugo, Aversa, & Salmantic. & in hoc locum habet regula iuris dicens: quód delegatus ad vniversitatem causarum, potest subdelegare alterum, ad causam particularem, non verò in vniversum ad omnes causas. 2. infertur: quód ille cui delegatur iurisdictio, debet habere notitiam delegationis; vndé si quis putat se non habere iurisdictionem, actus est invalidus, quia non videtur habere intentionem absolvendi; si autem putat se iurisdictionem habere, licet erret in titulo, & illam re vera habet ex titulo aliquo, validè absolvit; sic Lugo, & Ant. á Spir. S.

3. Infertur: quód qui confitetur regularibus, habentibus á Papa, privilegium absolvendi omnes fideles, satisfacit præcepto confessionis annuæ, nec opus est, iterum Parrocho confiteri; nam privilegia Regularium, sic expresé loquuntur, & omnium fidelium vsus, ita observat, & declaratum est á Clement. VIII. speciali Decreto, die 21. Decembr. anno 1592. vt referunt Lugo, & Diana. Ab hoc autem excipiuntur regulares, quibus permissum non est, vt extra suum ordinem confiteantur, quia privilegium generale, non derogat statuto particu-

lari, nisi hoc c[illegible] quidem est, quód ex præsumpta su[illegible]unrate, regulares itinerantes sine socio, possunt absolvi á quolibet confessario, etiam sæculari, exceptis casibus in suo ordine reservatis. 4. infertur: quód ad conferendam iurisdictionem delegatam, requiritur actualis delegantis consensus, aliquo signo externo manifestatus, & quia est actus voluntatis illius, & quia modo humano debet fieri, vt ab alio cognoscatur & acceptetur; sic Suarez, Coninch, & Lugo.

5. Infertur: quód ad hunc consensum delegantis, non sufficit eius ratihabitio, seu facultas præsumpta, & si ratihabitio est voluntas consequens, supponens actum factum, hoc est certissimum, quia Sacramentum, nequit esse suspensum, & pendens á futuro consensu superioris, nec hic potest ratificare & validare Sacramentum, quod in sui exercitio, non fuit validum, iuxta regulam iuris: quód ab initio non valet, tractu temporis non convalescit. *Nec obstat* alia regula dicens: ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari; hoc enim est verum, de ratihabitione, in ordine ad actus, qui licet non fuerint validi á principio, possunt tamen postea, fieri validi, & eorum valor per iurisdictionem retrotrahi, quales non sunt actiones Sacramentales, quæ si ab initio non valent, nequeunt accipere valorem, quando iam non sunt.

6. Infertur: quód qui incipit audire confessionem, per iurisdictionem delegatam, potest illam finire, etiam si interim expiret delegatio; quia hoc in iure statutum est, vt delegatio quæ aliquando expirat, non cesset re non integra, quando illa vti inceptum est, vt habetur cap. gratum, & cap. relatum, de offic. delegati, & licet ibi sit sermo de iurisdictione in foro externo, at idem de interno foro discurrendum est. Undé habens facultatem audiendi confessiones ad tempus, eo transacto potest prosequi confessionem antea inceptam; sic tenent Sanchez, Rodriguez, Diana, Lugo, Salmantic. & Ant. á Spir. S. & similiter transacto tempore Bullæ Cruciatæ, potest confessarius concedere longius tempus pœnitenti, vt recordetur voti, quod scit emississe, & eius speciem non memoratur, & postea transacto tempore illud commutare, quia iam acceptavit potestatem, & inchoavit causam, & quodammodo concessit commutationem in tempore habili; sic sentiunt authores prædicti.

Sed dubitabis adhuc: an iurisdictio delegata ad audiendas confessiones, expiret morte concedentis? De iurisdictione á Summo Pontifice delegata, certum est, quod nõ expirat per eius mortem; ita tenet Eccleſiæ praxis, & constat ex cap. si super gratia, de offi. deleg. in 6. De alijs ergo inferioribus Prælatis est dubiũ; affirmant aliqui, talem iurisdictionẽ delegatam expirare, sic Vazquez, Dicastillus, Diana, & Amicus; sed alij, meliús sentiunt oppositum, sic Salmant. cum pluribus quos citant; & constat.

Tùm,

Tùm, quia id tenet praxis communis, quod mortuo Episcopo vel Parrocho, non cessat iurisdictio ab eis delegata, non solum ad confessiones inceptas perficiendas, sed etiam ad novas inchoandas. Tùm, quia regula generalis, & certa in materia gratiarum est, quod gratia facienda, expirat per mortem concedentis, non verò gratia facta; hæc enim est, quæ perfectè conceditur alicui, independenter ab alio cui facienda committitur, & huiusmodi est iurisdictio delegata in nostro casu. Tùm, quia iura quæ hoc statuunt de iurisdictione á Papa delegata, extenduntur ad alios Prælatos intra suos terminos, vt ait Garcia, Basilius, Coninch, Suarez, & Palaus.

Si dicas: iurisdictio Vicarij Generalis Episcopi, quæ ordinaria est, expirat Episcopo mortuo: ergo potiori iure expirabit, iurisdictio confessarij delegati. Neg. conseq. nam Vicarius Generalis, censetur idem cum Episcopo, quia eius personam repræsentat, & ambo constituunt vnum tribunal, quod non reperitur in confessore delegato, qui non habet idem tribunal internum cum delegante, & ideo est dispar ratio vtriusque; & hoc idem quod dicimus de morte delegantis, asserendum est de cessatione ab officio, vel ob depositionem, renuntiationem aut terminationem, vt in superioribus regularibus contingit; quia eadem ratio est in omnibus illis casibus, licet detur materialis diversitas. Similiter discurrendum est, de facultate concessa pœnitenti, ad eligendum confessarium, quæ morte concedentis non expirat, cum sit gratia facta ipsi, & beneficium ab eo possessum; & idem dicitur de facultate ei data per Iubileum, vel per Bullam Cruciatæ.

Quia tamen sæpiùs confertur facultas audiendi confessiones pro tempore beneplaciti concedentis, potest inquiri, an illa, ex morte concedentis expiret? Resp. quòd si dicatur, pro tempore beneplaciti Sedis, vel alio modo æquivalenti, non expirat, quia Sedes non moritur; si autem dicitur, ad beneplacitum nostrum, vel quousque voluero, vel fuerit nostra voluntas, sentiunt aliqui, quod talis facultas, expirat per mortem concedentis, quia voluntas, ex ip a persona pendet; sic sentit Suarez, & Bonacina; sed re vera, contrarium fert vsus communis, quia facultates communiter delegantur illo modo, & tamen non expirant morte concedentis, nisi succedat actus contrarius revocationis, vel novæ dispositionis; sic tenent Aversa, & Antonius á Spirit. Sanct.

Quinta difficultas: De approbatione Ministri, ad confessiones audiendas. Punctum hoc, satis est grave, de quo authores lato calamo tractant, sed ego summatim necessariora perstringam; circa quod Concil. Trident. Sess. 23. cap. 15. de reformat. hæc statuit: Nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi ad Parrochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur. & approbationem quæ gratis detur obtineat, privilegijs, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Hæc ergo approbatio ministri, licet requiratur ad vsum iurisdictionis, ab hac tamen distinguitur, quia iurisdictio, est superioritas respiciens subditos, approbatio verò, respicit dispositionem, & idoneitatem personæ approbatæ.

Ex verbis allatis Concilij, constat 1. quòd vt religiosi audiant confessiones religiosorum, non requiritur Episcopi approbatio, quia ibi solum loquitur de sæcularibus, etiam Sacerdotibus; voluit enim saluti religiosorum consulere, illos suis statutis relinquendo. Constat 2. necessariam esse approbationem Episcopi, ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, quia hoc ex ipsis verbis Decreti colligitur. Constat 3. quòd habentes curam animarum, alia approbatione non egent, quia eos Concilium excipit. An verò inter illos, debeant computari Prælati Regulares, ita vt sine approbatione Episcopi, possint confessiones sæcularium audire? Affirmat Ant. á Spir. S. cum alijs quos ipse citat. Sed verius est oppositum, quod defendit Suarez, Lugo, Diana, Tamburinus, & Bossius, nam Prælatura, licet dignitas sit, non significatur proprié, nomine Parrochialis Beneficij quod excipitur á Concilio.

Sed circa materiam hanc de approbatione Ministri, aliqua dubiola resolvenda sunt. *Primùm* est: an approbatio collata, ab Episcopo excomunicato non tolerato, vel suspenso ab officio, & iurisdictione, sit valida? Resp. negativè: quia approbatio, verè est actus iurisdictionis, & sic nequit conferri ab Episcopo, iurisdictione destituto; sic sentiunt Bonacina, Soto, Victoria, Silvester, Ledesma Suarez, & Salmantic. *Nec obstat*, quod ait Bossius oppositum tenens, nempè quod approbatio non est actus iurisdictionis Episcopalis, sed testimonium probativum sufficientiæ; dicitur enim, quod approbatio, verè est actus iurisdictionis, quia conferetur ab Episcopo, vt iudice & per modum sententiæ, & sic si ille est á iurisdictione suspensus, nequit approbationem conferre.

Secundùm dubiolum est: an si Episcopus, iudicet mente, aliquem esse inhabilem, & voce vel scripto conferat approbationem, illa valida sit? R. quòd licet sic approbando, peccaret graviter Episcopus approbans, quia requiritur approbatio interna, ad licitum actum, sed tamen approbatio valida esset. Tùm, quia alias, approbatio relinqueretur multis periculis, & scrupulis exposita. Tùm, quia ex instituto Ecclesiæ, valor actus, non summitur ab interno sensu, sed ab exteriori iudicio. *Si dicas* cum Barbosa, & Reginaldo, quod Concilium duo petit, nempè iudicium Episcopi & approbationem, & sic deficiente iudicio interiori, non da-

tur approbatio. Resp. quód illa verba: idoneus iudicetur, idem sunt, ac idoneus pronunctetur, sicut quando in iudicio forensi, aliquis declaratur innocens, licet aliter iudex in mente sentiat, quod iam reperitur in nostro casu.

Tertium dúbiolum est: An Magistri & Doctores in Theologia, vel iure canonico, censeantur approbati quin egeant approbatione Episcopi? Resp. negativé: quia illi, nec habent Beneficium Parrochiale, nec sunt per Episcopum examinati, & hic est duplex titulus á Concilio asignatus; sic censent Salmant. cum alijs pluribus. *Nec obstat*: Concilium asserere, nisi alias idoneus iudicetur, & tales idonei sunt iudicati ab Academia, quæ authoritate Pontificia eos examinavit, & illis gradum contulit, sic senserunt plures Magistri Salmantic. vt Mantius, Gallo, Medina, Pontius, Perez. Resp. enim, quod licet sint idonei iudicati in scientia, restat veró vt approbentur ab Episcopo, quo ad morum probitatem & discretionem. Sed tamen decens erit, vt tales examini non obligentur quo ad scientiam; quare Concil. ait: Si illis videbitur esse necessarium, quod videtur necessarium non esse, in viris probatæ sapientiæ, quales sunt illi; sic tenent Layman, Palaus, & Ant. á Spir. S.

Quartum dubiolum est: An Regulares á suo Prælato, Episcopo præsentati, & ab hoc iniustè reprobati, maneant approbati? Resp. negativé cum Suarez, Lugo, Vazquez, Mendo, Trullench, & alijs pluribus, á Salmant. citatis & secutis; ratio est: quia vt ait Trident. citatum: nullus Regularis, absque Episcopi approbatione, potest confessiones sæcularium excipere, non obstantibus, quibuscumque privilegijs, quæ lex revocat quodcumque privilegium in oppositum, alias robur non haberet; vndé quo ad hoc, revocata manet Clementina: *dudum*, in qua fundantur aliqui, oppositum sentientes; quod olim poterat defendi, non autem modo, nam ab Alexand. VII. damnatur hæc propositio, num. 13. sati facit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, & ab eo injustè reprobato. Præterquam, quod casus hic difficilis videtur, nam Prælati non sunt adeo indiscreti, vt sine iusta causa, aliquem regularem velint reprobare.

Maius dubium est circa hoc: An approbatio regularium, sit perpetua, ita vt semel data revocari non possit, nec eos iterum examini subijcere? Hoc dubium, non semel magnarum contentionum inter Episcopos & regulares, seminarium fuit: nunc breviter attingemus doctrinæ substantiam. Dicendúm est ergo: quod ex iusta causa, potest ab Episcopis revocari approbatio, regularibus etiam sine limitatione concessa; sic Vazquez, Lugo, Dicastillo, Franc. Bonæ spei, & Salmant. Ratio est: quia cum approbatio, sit sententia, testimonium perhibens de idoneitate alicuius, obiecto mutato, non est cur non possit licité revocari; nam ille qui hodie est idoneus, postea tamen ex oblivione doctrinæ, vel improbis moribus, reddi potest ineptus, & sic potest vt talis declarari, revocando approbationem pro tempore sequenti; alias Episcopi, non possent recté suo gregi consulere nec confessarium patenter ineptum reprobare, quod absurdum est; & quidem, si medici corporales semel approbati, possunt iterum á prothomedico, vel eius successore examinari & reprobari, propter periculum exercitij talis artis, quanto magis in medicis animarum, quorum exercitium est difficilius & altius, idipsum exequi potest?

Hoc tamen intelligitur, stando in iure communi; sed ex privilegio speciali, contento in Clement. *dudum*, Fratres Prædicatores & Minores, semel approbati, semper approbati sunt, & possunt Episcopo resistere, si eos iterum pro approbatione velit examinare. Ratio est: quia si iterum examinari possent, hoc esset propter Decretum relatum Concil. Trident. sed prædicta Clementina, in nullo revocatur á Concil. quo ad hoc: ergo in suo robore manet. Prob. min. Concil. tantum revocat concessiones, quæ vim privilegij habent, vt constat ex verbis suprá adductis; sed concessio in Clement. facta illis fratribus, non habet vim provilegij, quia vt ibi dicitur, isti semel approbati, pro curatis reputantur, & huiusmodi curati, habent approbationem ex iure, vt idem Concil. ait.

Sed oppones 1. Constitutionem Pij V. datam Romæ, anno 1571. octavo idus Augusti, anno 6. sui Pontificatus, in qua decernit, quod licet idem Episcopus approbans, non debeat semel approbatos ab ipso iterum examinare, bené veró eius successor, pro maiori conscientiæ quiete. 2. quia medici corporales, semel approbati, possunt iterum examinari & approbari, vel reprobari á prothomedico vel eius successore, ob periculum exercitij talis artis, & sic idem dicendum de spiritualibus medicis. Resp. ad 1. quód illa constitutio, reducta est ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini, & cum ius commune in Clementina dicta, Fratres Prædicatores & Minores, á novo examine excipiat, ideo talis constitutio, nihil officit ad hoc. Ad 2. quód paritas tenet; si stemus iuri communi; sed tamen Fratres prædicti, habent privilegium speciale, concessum propter excellentissimos viros in talibus religionibus degentes, qui pollent sanctitate & litteris, & in vinea Domini Sabaoth, infatigabiliter laborant, quibus Prælati prudentes sæpé attendunt, ne litibus fomitem subministrent, & ne forté zizaniam colligentes, simul cum eis triticum eradicent.

Ex quibus habetur: quód si datur iusta causa ad confessionem pertinens, cognita & probata ab Episcopo, potest vnum vel alterum Regularem, á munere audiendi confessiones suspendere, etsi opus fue-

fuerit examinare & reprobare si opporteat,non tamen potest omnes regulares suspendere, & iterum ad examen vocare. Hoc constat ex const. citata Pij V. quæ loquitur de casu particulari, & de hoc vel illo confessore;& sic declaratum est á Sac. Congreg. anno 1615. quæ præcipit, vt nunquam omnes confessores vnius Conventus,in genere & vniversaliter suspendantur, Sacra Congreg. inconsulta; quia non licet dubitare de idoneitate regularium, propter vnum vel alium minus idoneum, nec æquum est, sed sacis exorbitans, omnes benemeritos molestare, propter vnius particularis demerita. Vid. Ant.á Spir.Sanct. Tract.5.de Pœnit. Disp.13. Sect.12. vbi authores plures citat,in huius comprobationem.

Sexta difficultas: A quo Episcopo, debeat approbari confessarius, ad confessiones audiendas?R. quód talis Episcopus approbans, debet esse Episcopus Sacerdotis, & etiam pœnitentis. Prob. quia approbatio est actus iurisdictionis:ergo nequit exerceri in non subditum, quia iurisdictio est superioris ad subditum, alias erit omnino nulla. Deindé prob. de Episcopo Pœnitentis:quia Episcopo commissa est cura animarum sui Episcopatus, non verò alijs Episcopis extraneis:ergo ad illum tantum spectat,approbare ministrum pro confessione suorum subditorum, conf. pat. quia ad debitam Pastoris curam pertinet, ovibus suis, idoneos ministros designare, pro earum indigentia, iuxta dictum Pauli 2. ad Cor 3. idoneos nos fecit ministros novi testamenti: ergo cum Episcopi sint animarum pastores, ad illos pertinet,pro ovibus suis idoneos confessores approbare & designare.

Vndé infertur 1.quód approbatus ab vno Episcopo, non intelligitur approbatus ab alio, nec potest in Episcopatu, in quo non est approbatus confessiones audire. Ratio est: quia actus cuiuslibet iurisdictionis, non amplius se extendit, quam ipsa iurisdictio; cum autem confessores approbare, sit actus iurisdictionis Episcopalis, non se debet amplius extendere quam illa, & cum hæc non se extendat vltra limites proprij Episcopatus, nec approbatio confessorum, vltra se extendit. Oppositum senserunt aliqui dicentes, quod regulares semel approbati in vno Episcopatu,censentur approbatis in toto orbe, sic Corduba, Præpositus, Bauni, Leander, & alij. Sed re vera hoc nequit sustineri, vt enim dicunt Salmant. cum Diana: novissimé de hac quæstione, non est amplius dubitandum, stante Brevi Innocent. X. in causa Angelopolitana,vbi statuitur,quod approbati in vna Diœcesi, nequeunt in alia confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani, & idem habetur in Declarat.Cardinalium ad Archiepiscopum Valentinum. D. Ioannem de Ribera, vndé ait Suarez, quod hæc sententia, sine dubio est valdé consentanea rationi, ac debitæ gubernationi.

Infertur 2. quód nullus regularis audire potest confessiones,nisi approbatus sit ab Episcopo Diœcesis in qua eas audire debet,licet sit approbatus in alia. Ratio est: quia si Regulares id possent, esset ex privilegio; sed nullum tale datur privilegium, quod non sit revocatum per Trident. loc.suprá citato; vbi diffinitur, quod nullus regularis, confessiones sæcularium audire potest, nisi ab Episcopis sit approbatus, quæ verba designant, non sufficere approbationem vnius Episcopi, sed omnium Episcoporum;vt in omnibus Diœcesibus possint confessiones audiri. Licet autem suprá dixerimus, quod Concil.non revocat Clementinam. *Dudum*, quo ad Fratres Prædicatores & Minores, sed illa solum continet speciale privilegium, de examine iterum non subeundo,non verò de audiendis confessionibus, in Episcopatibus in quibus approbati non sunt.

Dices 1. quód si Episcopus approbans, debet esse Episcopus approbati, sequeretur non posse Episcopum approbare in suo Episcopatu, Sacerdotem sibi non subditum, quod falsum est. 2.Regularis approbatus in vno Episcopatu,potest in eo audire confessionem subditi alterius Diœcesis, volentis ibi confiteri, vt dicunt omnes, & sic idem facere potest in alia Diœcesi. Resp. ad 1. quód licet talis Sacerdos,non sit subditus Episcopi approbantis, fit tamen ei subditus ratione examinis vel ministerij, vel quia in eius Diœcesi, pro aliquo tempore vult morari. Ad 2. quia licet existentes in Cæsarauguſta sint extranei, potest confessor ibi approbatus, eorum confessiones audire, quia dum ibi existunt, more incolarum se gerunt, & aliquomodo pertinent ad eius Diœcesim, & confessori in ea approbato subduntur,quod non reperitur,quando confessor existit in Diœcesi, cuius Episcopi approbationem non habet.

Sed est dubitatio specialis: An regularis virtute Bullæ Cruciatæ, possit eligi ad audiendas confessiones in vna Diœcesi, non approbatus in ipsa, sed id altera? Resp. negativé, & constat ex Tridentini verbis sæpiús relatis, in quibus dicitur: quód regularis, nequit confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nisi ab Episcopis sit approbatus; si enim sufficeret vnius vel alterius approbationem habere,nõ loqueretur de Episcopis in plurali. Nec valet dicere, quod hoc intelligitur excluso privilegio;nam hoc non tribuit approbationem,sed illam supponit & extendit. *Etsi dicas*: quód hoc modo, Bulla nullam conferet gratiam; siquidem etiam sine illa, quilibet confessor á proprio Episcopo approbatus eligi potest. Resp. quód gratia est,iurisdictionem extendere, & ampliare ad certos casus, de quibus sine Bulla, etiam confessor sic approbatus non potest absolvere. Hæc est sententia communis, quam tenet Rodriguez, & pro ea citat decisionem Vniversitatis Salmanticensis; & licet

olim

olim posset oppositum defendi, modo tamen, defendi non potest.quia nuper damnatum est á Clemente XI.die 19.Aprilis,anni 1700. in brevi quod incipit:cúm sicut non sine animi nostri dolore,vbi contrariam sententiam, vocat falsam, temerariam, scandalosam, & pernitiosam in praxi, quod expeditum fuit, ad instantiam plurium Episcoporum Hispaniæ, qui varia ovium suarum peticula,ex tali sententia sint experti; nunc ergo, nostra debet sequi & practicari?

Occasione huius, dubitabis 1. An approbatus ad audiendas confessiones virorum & non fœminarum, ex defectu ætatis, possit á fœminis eligi, virtute Bullæ? 2. an approbatus ad audiendos pueros & rusticos tantum,possit eligi ab alijs virtute Bullæ, vel Iubilei? Ad 1. Respondent aliqui cum Nuño,& Dicastillo, quod talis sic approbatus, potest á fœminis eligi, quia solum habet defectum ætatis & non scientiæ; quæ maior requiritur ad excipiendas confessiones virorum; alij cum Salmantic. sentiunt oppositum, quia hoc pertinet ad detentiam, vt quis dum non habeat quadraginta annos, fœminarum confessiones non audiat;ob aspectum iuvenilem, & minorem gravitatem, & sic ille approbatus ad viros, non censetur simpliciter approbatus, *Nec obstat*: quód favores ampliandi sunt; nam hoc est verum,dum non extendantur extra latitudinem significationis verborum; & hoc secundum probabilius iudicamus,cum Suarez, Vazquez, Lugo, Fagundez,& Dicastillo. Ad 2. Resp. negativé, quia talis non fuit approbatus absoluté, sed solum limitato modo pro talibus personis; sicut etiam approbatus determinaté pro vno oppido,nequit eligi in toto Episcopatu, nam in hoc occurrere possunt maiora negotia, quæ egent maiori peritia; sic tenent Leander, Nuño, Filliucius, Lugo, & Mendo.

Hinc passim se offert examinare, quænam sint personæ, quæ possunt sibi confessorem eligere? Sciendum est:quód quando persona est in spiritualibus inferior, non tribuit Sacerdoti iurisdictionem,sed illa tribuitur á superiori,& electio est quasi conditio requisita. Vndé quando Rex Hispaniæ Philippus V.(qui Cæsaraugustam ingreditur die 2. Ianuarij,anni 1703. dum hæc scribo) sibi confessorem eligit, ipso facto, Pontifex ei iurisdictionem confert,qui Regi dedit facultatem, ad confessorem eligendum. *Dicendum* est ergo: quód Summus Pontifex, habet potestatem eligendi sibi confessorem ex iure divino,Sacerdotem simplicem. Constat: quia ille confiteri debet, & cum nullum in terris habeat superiorem,immediaté habet á Christo talem potestatem. Nec ideo absolvitur per suam propriam iurisdictionem;nam Summus Pontifex, vt peccator subijcitur, & vt Vicarius Christi, confert iurisdictionem suprá se ipsum in foro confessionis. Sicut etiam Reges eligunt iudices in suis causis, qui habent iurisdictionem ad absolvendum, vel condemnandum ipsum Regem,in bonis fortunæ; sic D.Tho. in 4. dist.19. q.1. art.3. quæstiunc.2. & nos suprá diximus cum ipso.

Deindé, præter Pontificem, hac facultatem habent ex iure,omnes de familia Papæ,qui sunt Prælati, vt Prothonotarij Apostolici, Referendarij, Auditores Rotæ, Magister Sacri Palatij, omnes enim dicti,sunt Prælati exempti,alij verò qui Prælati non sunt,hoc privilegio non gaudent; sic Anta Spir. S. cum Pasqualig. Hoc ipsum dicitur,de Cardinalibus Episcopis & Legatis,& etiam de non Episcopis, sive Romæ, sive alibi morentur, vt ait Toletus. Vazquez. & Reginaldus; & idem dicendum de familia Cardinalium, nam cum isti, sint ordinarij suæ familiæ, possunt huic talem facultatem concedere. Item Episcopi, & Prælati eis superiores,vt Archiepiscopi, Primates & Patriarchæ, & alij Prælati inferiores exempti, eodem privilegio potiuntur, vt constat ex cap. vlt. de pœnit. & remiss. quod etiam est verum de Episcopis titularibus, postquam sunt confirmati, quia sunt veri Episcopi,non verò si sunt degradati, quia tunc privantur omni privilegio Episcopali; non autem si solum sint depositi,suspensi vel excomunicati,quia isti, privilegijs non privantur.

Hoc ipsum sentiunt aliqui de Parrocho; sed post Tridentinum, hoc non est verum, & certius est, quod nunquam tale privilegium habuerunt, quia veré Prælati non sunt; & incertius est modo post Alex. VII. qui damnat hanc propositionem, num.16.qui Beneficium curatum habent, possint sibi eligere in confessarium,simplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario. Sed quinam dicantur Prælati exempti, vt illo privilegio possint vti? Aliqui dicunt,esse illos qui in hoc foro,subijciuntur immediaté Summo Pontifici. Sed melius dicitur cum Silvest.quod sunt illi,qui Episcopis non subijciuntur;licet in Religione, Prælati inferiores, subiecti sint Provincialibus & Generalibus, & tamen omnes isti dicuntur exempti, & possunt sibi confessorem eligere, nisi aliter in constitutionibus sui ordinis disponatur,tunc enim illis standum est. Abbatissæ autem & Priorissæ Monialium,confessorem eligere nequeunt, quia ipsæ nullam spiritualem habent iurisdictionem.

Septima difficultas: Quisnam sit minister Pœnitentiæ in articulo mortis? Uocatur articulus mortis, illa pars temporis, in qua proximé instat mors, certo moraliter eventura, in quo differt á periculo mortis,quod tunc occurrit, quando adest dubium prudens & probabile,de morte imminente, vt sunt bellum, prolixa navigatio, &c. Dicendum est ergo 1. in articulo mortis, verò vel præsumpto, quilibet Sacerdos absolvere potest, á quibusvis peccatis & censuris.Prob. 1. ex Trident. Sess.14. cap. 7. vbi ait.: Custoditum semper fuit, vt nulla sit ca-

casuum reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, á quibusvis peccatis & censuris, absolvere possunt. Deindé constat de absolutione á peccatis ex D. Tho. in addit. q. 8. art. 6. nam in extrema necessitate corporali, potest quis vti rebus alienis: ergo etiam in extrema necessitate spirituali quæ maior est, potest quis á non proprio Sacerdote absolvi. Hoc ipsum patet, de absolutione á censuris; nam hæc debet præcedere absolutionem a peccatis.

Si dicas: Quis tribuit in eo casu iurisdictionem Sacerdoti? Resp. quód ordinatio Ecclesiæ & eius vsus, quod constat ex D. T. loco cit. & in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. & hoc insinuatur in Trident. in illis verbis: ne aliquis petiret, custoditum semper fuit in Ecclesia, &c. & id tenet Ecclesiæ vsus, quæ quando aliqua peccata reservat, semper addit exceptionem articuli mortis. *Dices*: si omnes Sacerdotes in articulo mortis, possunt absolvere ab omnibus peccatis, & censuris ex iure communi, quodnam privilegium tribuitur fidelibus per Bullam, ad talem absolutionem? Resp. quód privilegium absoluti per Bullam, in eo stat, quod si absolvitur á reservatis, & postea convalescit, non tenetur præsentari superiori (excepto pro crimine hæresis) si autem absolvitur sine Bulla, tenetur pro omnibus præsentari postea, & sic per Bullam, fit ei singularis gratia.

Dicendum est 2. in prædicto casu, non est necessarium servare ordinem inter ministros Sacramenti Pœnitentiæ, ita vt prius vocetur Parrochus, aut habens iurisdictionem ordinarium, quam delegatus, & priús iste, quam simplex Sacerdos. Ratio est: quia vt constat ex Concil. citato, ista concessio fundatur, in benigna & prudenti Ecclesiæ providentia, curans ne quis pereat, in quo nullam limitationem ponit, quæ meliús salvatur, nullum ordinem servando inter Ministros. *Si dicas*: quód quando in articulo mortis, adest confessor approbatus, tunc infirmus non existit in extrema necessitate, & sic necessario servandus est ordo, vt priús illi, quam simplici Sacerdoti confiteatur. Resp. quód licet motivum Ecclesiæ, ad conferendam facultatem eligendi quæmlibet pro articulo mortis, fuerit extrema necessitas infirmi, hoc tamen absolutè concedit, absque declaratione alicuius ordinis, & sic non solum ob extremam necessitatem, sed etiam ob Ecclesiæ consuetudinem, hoc fieri potest.

Vndé habetur: quód in articulo mortis, licitum est hæreticis, excomunicatis, suspensis, interdictis, absolutionem conferre; ita Silvester, Cayet. Palud. Antonius á Spiritu Sanct. & alij plures quos ipse citat; constat ex Trid. citato, vbi ponitur triplex distributio, prima est, quoslibet pœnitentes, quæ omnes pœnitentes etiam hæreticos comprehendit; secunda est, á quibusvis peccatis, quæ comprehendit omnia peccata & censuras; tertia est, omnes Sacerdotes, quæ etiam hæreticos comprehendere debet, vt distributiones illæ proportionentur. Ratio est: nam quod hæretici & excomunicati, &c. nequeant pœnitentiam ministrare, habetur per legem Ecclesiæ, nam illi ex se, capaces sunt iurisdictionis; sed in casu necessitatis, non obligat lex: ergo in articulo mortis, qui maximæ necessitatis est, lex Ecclesiæ non obligabit.

Sed quid faciendum, si adsint duo Sacerdotes, vnus hæreticus vel excomunicatus, & alter liber ab his; poterit tunc pœnitens in articulo mortis, primum eligere, & secundum deserere? Resp. quód speculativé loquendo, potest quæmlibet eligere, ordine non servato; sed practicé tutius est non excomunicatum eligere, & excomunicatum relinquere. Ratio primi est: quia vt constat ex Concil. citato, in eo articulo, nulla est casuum reseruatio, & nullus Sacerdos impeditus, & sic quilibet eligi potest, absque ordine vel differentia aliqua. Ratio secundi est. Tùm, quia non videtur rationabile, Ecclesiam commisisse absolutionem morientis, Sacerdoti excomunicato. Tùm, quia illius electio, relicto non excomunicato, nunquam posset fieri sine scandalo pusillorum. Tùm, propter præceptum non communicandi cum hæreticis, & excomunicatis.

Si autem pœnitens ignoraret, Sacerdotem esse hæreticum vel excomunicatum, validé & licité illum eligeret, etiam in præsentia aliorum Sacerdotum, quia tunc opinio probabilis Doctorum, præberet ei iurisdictionem, licet alias præsentibus alijs, illam non haberet, vt ait Dicastillo; sed in tali casu, Sacerdos excomunicatus, tenetur facere quod in se est, vt digne Sacramentum administret, eliciendo actum contritionis, si excomunicationis absolutionem non possit obtinere; quod si contritionem habere nolit, ipsi imputabitur & non pœnitenti, qui petit ab excomunicato, rem quam licité facere potest; vndé tunc pœnitens, potest & tenetur illi confiteri, licet sit indigné ministraturus; hoc intelligitur per se loquendo, & si non timetur nocumentum maius, vt si Sacerdos est hæreticus, & timetur publicum scandalum, vel contagium pœnitētis, tunc enim non obligatur ad hoc pœnitens, imó tenetur oppositum facere.

Oppones: quia in articulo mortis, licet Sacerdoti alieno baptizare, ita etiam licet non Sacerdoti: ergo etiam licebit non Sacerdoti, in illo articulo absolvere. Resp. neg. conseq. nam Baptismus, habet efficaciam, ex ipsa sanctificatione materiæ, & ideo á quocumque conferatur, verum Sacramentum recipitur, vis autem Sacramenti pœnitentiæ, consistit in sanctificatione Ministri, & ideo qui confitetur laico, licet impleat quod est ex parte sua de confessione, sed absolutionem Sacramentalem, non consequitur, & ideo aliquid valet ei quo ad dimminutionem pœnæ, quæ fit per meritum &

pœnam confeſsionis, ſed non conſequitur dimminutionem pœnæ, quæ eſt ex vi clavium, & ideo opportet, quod iterum Sacerdoti confiteatur; & confeſſus cum non Sacerdote, & ſic decedens ex hac vita, magis punitur in alia, quam ſi Sacerdoti fuiſſet confeſſus. Infertur ex dictis quod id quod diximus de articulo mortis, non eſt intelligendum de mortis periculo, & ſic nullus Sacerdos, poteſt abſolvere á caſibus, vel excomunicationibus reſervatis, exiſtentē in tali periculo, vt ſunt navigantes tēpeſtate agitati, milites in bello, itinerantes per loca expoſita latronibus, captivos, damnatos ad mortem, prægnantes, & bannitos, & alij morbo periculoſo laborantes. Ratio ſummitur ex Concil. citato, qui poſtquam dixit, in articulo mortis, nullam eſſe reſervationem, addit: extra quæm articulum, Sacerdotes cum nihil poſsint in caſibus reſervatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, &c. ſed periculum mortis verum vel præſuptum, non eſt articulus mortis: ergo in periculo mortis, nequeunt Sacerdotes abſolvere á peccatis, vel excomunicatione reſervatis.

Deindé: quia ex oppoſito ſequeretur, quod ille qui in hæreſim incurriſſet, ob quam excomunicatus eſſet, vel etiam in aliud peccatum Papæ reſervatum, poſſet ab illis abſolvi, ex eo ſolum, quod navigationem, aut pugnam aliquam aggredi vellet, quod falſiſsimum eſt. Denique: nam quando aliqua conceſsio, eſt contra ius commune, non debet nimis ampliari, maximé in re tam periculoſa, vt eſt abſolutio Sacramentalis, quia abſolutio ſine iuriſdictione facta, nulla eſt; ſed omnes Canones, & omnia iura, nunquam concedunt facultatem abſolvendi á reſervatis, vel excomunicatione, non habenti iuriſdictionem, niſi in articulo mortis, non autem in mortis periculo: ergo illa conceſsio, ad periculum mortis, non debet ampliari. Vid. ſuprá dicta, art. 11. diffic. 3. in initio.

Inquires: an miniſtrans Sacramentum pœnitentiæ, cum iuriſdictione ſolum probabili, validé abſolvat? Reſp. affirmativé, ſi hoc facit in caſu neceſsitatis, licet ex conſilio, meliús eſſet, certam partem eligere; ſic ſentiunt Salmantic. cum pluribus quos citant; & ratio eſt, quia tunc Sacramentum, nulli periculo exponitur, nam ſi datur opinio de iuriſdictione exiſtimata probabili, datur communis error, & facta ex tali errore ſunt valida, quia iuriſdictio tacite confertur, & ſuppletur ab Eccleſia. Nec eſt idem, de materia & forma Sacramentorum, circa quam non licet ſequi opinionem probabilem; eſt enim diverſa ratio de iuriſdictione, nam in primo caſu, cum materia & forma Sacramentorum, non pendeat ab Eccleſia, ſed ab inſtitutione Chriſti, Eccleſia nequit in caſu neceſsitatis, earum defectum ſupplere, & ſic exponeretur quis periculo faciendi Sacramentum nullum; iuriſdictio autem, pendet ab Eccleſia, & ſic hæc illam ſupplet in caſu neceſsitatis, quando probabiliter aliquis exiſtimat, ſe habere iuriſdictionem, quam de facto non habet.

Octava difficultas: An poſsit confeſsio fieri Sacerdoti abſenti, per litteras vel internuntium? Suppono: quód abſolutio, debet proferri voce humana, & ideo in ſcriptis prolata, nulla eſt; nam vt dicunt Concil. Florent. & Trident. verba ſunt forma Sacramentorum, á quo ſolum excipiunt Sacramentum Matrimonij, de quo aſſerunt, regulariter verba exigere, & idem ait D. Tho. 3. p. q. 60. art. 6. & ideo Angeli de via ordinaria, Sacramenta nequeunt miniſtrare, quia verba humana nequeunt proferre: ergo idipſum ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur; idque eſt maximé conveniens, ex parte Sacramenti, vt in eo per modum iudicij, vocibus ſententia proferatur; & ex parte miniſtri, cui valdé honorificum eſt, expreſsis verbis peccatorem abſolvere; & etiam ex parte pœnitentis, quia expreſſa verba abſolutionis audiens, cognoſcit latam eſſe illi remiſsionis ſententiam.

Si dicas: non eſt de eſſentia confeſsionis quod vocibus fiat, & ſic poteſt fieri nutibus vel ſcripto, vt patet in mutis: ergo idem de abſolutione dicendum eſt. Reſp. neg. neg. conſeq. 1. quia in Sacramentis, forma debet eſſe expreſsior quam materia, & cum abſolutio habeat rationem formæ, & confeſsio rationem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ, ideo illa requirit expreſſam verborum ſignificationem, non veró confeſsio. 2. quia plures cauſæ, poſſunt pœnitentem impedire á confeſsione vocali, vt patet in hominibus mutis, barbaris & ignotæ linguæ, in quibus nutus, ſcriptura vel interpres, verba ſupplent; in Sacerdote veró, vix occurrit cauſa, quæ ipſum á vocali prolatione abſolutionis, poſsit impedire; ideoque iſta, ſolis verbis poteſt conferri. Vid. ſup. art. 2. caſ. 5.

Reſp. ergo quæſito: quód in nullo caſu, etiam extremæ neceſsitatis, licet pœnitenti confiteri abſenti Sacerdoti, per litteras vel internuntium, & ſic faciendo, non ſolum mortaliter peccaret, ſed etiam faceret Sacramentum nullum; ſic tenet D. Tho. in addit. 3. p. q. 9. art. 3. vndé neſcio quo fundamento, Coninch oppoſitam ſententiam, antiquis Thomiſtis imponit, quæ modo nequit vlla ratione tueri, poſtquam Summus Pontifex Clemens VIII. die 20. Iulij, anni 1602. vt falſam temerariam, & ſcandaloſam damnavit, præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio, nec in publicis, nec in privatis lectionibus doceatur, nec vnquam in aliquo caſu, vt probabilis defendatur, & quod contrarium facientes, excomunicationem latæ ſententiæ incurrant, á qua non poſsint niſi in articulo mortis abſolvi, ab alio quam á Romano Pontifice.

Ad hoc dicunt aliqui 1. talem confeſsionem non fuiſſe damnatam vt invalidam, ſed vt illicitam, nam ſolum damnatur hæc propoſitio: licere per litteras abſen-

absenti confiteri. 2. dicunt : quód solum prohibetur, absenti absolutionem dari, non verò in absentia confessionem fieri. Sed vtrumque dictum, falsum est. Primúm, quia talis confessio absenti facta reprobatur, vt non dicatur probabilis in aliquo casu, nec deducatur ad praxim ; si autem valida esset, in aliquo casu extremæ necessitatis, posset ad praxim deduci. Secundúm etiam dictum, est falsum: quia vtraque pars copulativé, de absolutione & confessione, revocabatur in controversiam, & Pontifex, totam hipoteticam propositionem damnat: ergo etiam damnat absolutionem, & confessionem, in absentia factas. Vndé merito, á libris authorum oppositum defendentium, iussu Sac. Congregationis, talis propositio deleta est.

Si dicatur: quód etiam absolutio, potest absenti conferri. Contra est : nam confessor sic faciens, operaretur contra formam absolutionis, quæ exigit præsentiam pœnitentis, vt constat ex verbis formæ, absolvo te, quæ expressé ad personam præsentem diriguntur; sicut in Eucharistia, illa verba, *hoc est*, respiciunt præsentem materiam : ergo sicut Sacerdos, nequit consecrare panem absentem, nec pœnitentem absentem, potest Sacramentaliter absolvere. *Dices* : quód pœnitens potest absolvi, per hæc verba: absolvo Petrum, vel absolvatur Petrus, quæ præsentiam absolvendi non designánt. Sed contra: quia pœnitens potest absolvi per illa verba, quatenús æquivalent istis: absolvo te, & vt ex circumstantijs intelliguntur, de Petro præsenti: ergo si ille absens est, erit invalida absolutio.

Deindé prob. resolutio, ex Trident. Sess. 14. cap. 2. vbi ait: Quód peccatores ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit Christus, vt per Sacerdotum sententiam possent liberari; sed ante tribunal sisti, est præsentem confiteri cum præsente, & peccata per se ipsum manifestare : ergo confessio Sacramentalis, nequit in absentia fieri. *Si dicas* : hoc instari, in absolutione ab excomunicatione, quæ fit per sententiam iudicis, & potest absenti conferri. R. cum D. T. opusc. 22. quód est diversa ratio: nam absolutio ab excomunicatione, non est Sacramentalis, sed iudiciaria, in qua verba efficaciam habent ab intentione dicentis, & sic potest in absentia conferri; verba autem absolutionis, habent efficaciam ex institutione divina, & illa nequeunt verificari, nisi ad personam præsentem dirigantur, vt patet ex dictis.

Roborantur hæc, ex facto leprosorum, qui ostendere se Sacerdotibus á Christo sunt iussi, vt illi de lepra mundata iudicarent, per quod indicatur, quod pœnitentes, in præsentia confessarij se debent sistere, vt ab eo recipiant absolutionē. Undé ait D. Aug. lib. de vera & fals. pœnit. cap. 10. præcepit dominus mundandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per scriptum manifestanda:: Tanta itaque vis confessionis est, vt si deest Sacerdos confiteatur proximo ; sæpé enim contingit, quod pœnitens, non potest confiteri coram Sacerdote, quæm desideranti, nec locus nec tempus offert, etsi ille cui confitetur, potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus venia, ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis; & simile docet D. T. loc. cit. ex addit. ad 3. vbi ait: Quód in absentia proprij Sacerdotis, etiam potest laico fieri confessio, & sic non oportet quod per scriptum fiat, quasi consulens, quod in extrema necessitate, potius est confiteri laico præsenti, quam Sacerdoti absenti.

Vlteriús prob. nostra conclusio : nam casu quo confessio fiat per litteras Sacerdoti absenti, vel ille confessione lecta profert absolutionem, vel scriptam mittit, vel accedit ad pœnitentem, & eum præsentem absolvit ; primum & secundum nequeunt sustineri, vt ex dictis constat ; si autem dicitur tertium, vel pœnitens præsens ratificat confessionem antea scriptam, & sic cessat difficultas, vel illam non ratificat, & tunc absolvi nequit, quia pro absente reputatur; nam confessor, nequit habere certitudinem de statu pœnitentis, cum potuerit mutare voluntatem, & carere dolore prius habito, & esse cum actuali affectu ad peccatum, & tunc absolutio, caderet suprá indebitam materiam : ergo &c. *Si dicas* : quód confessor, potest esse moraliter certus de statu pœnitentis, cum parum distat ab eo, & præsumitur in tam brevi tempore, voluntatem non mutasse. Contra est : nam ad validitatem Sacramenti, non sufficit quod confessor sit moraliter certus de statu pœnitentis, sed quod hic sit præsens, quod tunc non verificatur.

Sed arguitur contra dicta 1. quód S. Thomas Cantuariensis, absens petijt absolutionem á Sede Apostolica, ut ait Scotus, in 4. dist. 17. & D. Cipr. dicit, quod lapsi, per Epistolam, reconciliationem petierunt ab ipsō. 2. in iudicio forensi, iudex potest absolvere absentem, & sic idem dicendum, de tribunali pœnitentiæ. 3. Matrimonium celebratur inter absentes per procuratorem, & sic etiam pœnitentia poterit celebrari. 4. Christus instituens pœnitentiam, solum dixit ; quorum remiseritis, &c. in quo præsentia pœnitentis non explicatur. 5. moribundus qui ante adventum Sacerdotis, dedit doloris signa, & confessorem petit, si hic postea advenerit, & inveniat ægrum omnino sensibus destitutum, & de petitione habeat legitimum testimonium, illum absolvere potest, quod videtur fieri in absentia per interpretem. 6. confessio per interpretem confessore præsenti, est valida : ergo etiam in absentia.

Sed hæc, veritatem resolutionis nostræ, non infringunt. Ad 1. Resp. quód factum illud quod de S. Thoma Cantuariensi refertur, omnino certum non est. Sed tamen illo admisso, dicatur : quód San:

Sanctus non postulavit á Sede Apostolica Sacramentalem absolutionem, nec hæc fuit illi collata, sed solum absolutio Canonica, quia non satis animosé in consilio Regis Angliæ, defendit iura Ecclesiæ; quod constat ex Epist. 1. cap. 26. Alexand. III. ad eundem Sanctum, vbi ait: Si aliquid re recolis commisisse, de quo propria te debat conscientia remordere, quicquid sit, Sacerdoti qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri; & postea per modum indulgentiæ, relaxat pœnas & iuramentum; vndé ex illo casu, potius roboratur nostra resolutio; & in hoc eodem sensu, intelligitur dictum D. Cipr. qui sermonem facit de absolutione iudiciaria & non de Sacramentali, quia in casu necessitatis, eam Diacono committit, quod non esset verum, si Sacramentalis esset, vt videre est, lib. 3. Epist. 17.

Ad 2. dicitur: quód iudicium Sacramentale, in multis differt á forensi, quia hoc non instituitur in favorem rei, nec in eo est idem reus & testis, nec in eo absolvitur ab intrinseca culpa, & oppositum horum, in Sacramentali iudicio reperitur, & ideo in hoc, requiruntur expressa verba, & non in illo. Ad 3. quód Matrimonium, hoc speciale habet, quod sit contractus naturalis elevatus ad esse Sacramenti, & omnes contractus civiles, possunt per interpretem vel scriptum, celebrari inter absentes, quia bonum reipublicæ quod respiciunt, hoc petit, vt ait M. Soto, in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. pœnitentia veró, ordinatur ad bonum spirituale privatum pœnitentis, & ideo eius præsentiam petit. Ad 4. quód licet Christus hoc expressé non dixerit, colligitur tamen, ex institutione Sacramenti per modum iudicij, ad quod requiritur, quod pœnitens sit præsens, & quod se Sacerdoti ostendat.

Ad 5. quód est difficilius, sunt inter Thomistas qui dicant; non posse absolvi moribundum, qui tantum signa doloris dedit. Sed re vera D. Thomá non sunt recté consulti, qui expressé oppositum tenet, 3. p. q. 80. art. 9. in fine corp. vbi ait: Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; quæ verba desumpsit ex Concil. Carthag. 4. cap. 63. Deindé idem D. T. opusc. 65. ait: Si infirmus qui petit vnctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus vngat eum Sacerdos, quia in tali casu, debet etiam baptizari, & á peccatis absolvi; quibus verbis, aperte continetur nostra doctrina.

Nec obstat: Quód confessio, est pars essentialis pœnitentiæ, & qui tantum signa ostendit, non confitetur; nam tunc datur confessio facta per signa, quæ sufficiens est, vt patet in confessione mutorum. *Nec iterum* obstat, quod pœnitentia, habet rationem iudicij, quod requirit individualem cognitionem causæ, quæ tunc non habetur; nam dicitur: quód sufficit quælibet notitia generalis, quæ hic & nunc potest haberi, sicut contingit in oblito peccatorum quo ad speciem, qui debet confiteri peccatorum in generali, vt ait D. Tho. in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. & re vera, hoc est maximé consentaneum divinæ misericordiæ, vt in ea necessitate, lapsibus succurrat humanis, & suæ bonitatis præsidia, ordinet erga baptizatos, vt infirmis petentibus pœnitentiam, & de hoc habentibus testimonium, non denegetur.

Nunc ad 5. dicimus, quod in eo casu, moribundus, non in absentia Sacerdotis, sed in eius præsentia, quasi per interpretem confitetur, testimonio eorum qui audierunt postulantem, vel viderunt signa doloris, & confessor est satis certus moraliter, de eo quod æger non mutavit voluntatem priorem. & sic secure absolvit, & saltim sub conditione, hoc facere debet, quæ omnia non reperiuntur, quando confessor est absens ob rationes oppositas iam attacta. Ex his patet ad 6. nam quando quis cõfitetur in absentia, se habet meré negativé, nec signo aut nutu declarat, se dicere Sacerdoti, quod littera dicit, cuius contrarium reperitur, cum confitetur per interpretem præsenti Sacerdoti. An veró teneatur quis sic confiteri, quando aliter non potest facere? Resp. quód per scriptum tenetur, quia in hoc nulla difficultas apparet, nec grave damnatum; sed non tenetur per interpretem, quia hoc colligitur ex cap. omnis vtriusque sexus, & in Trident. qui Sess. 14. cap. 5. ait: non dari præceptum vt delicta, publica confessione aperiantur; sed ab hoc excipitur articulus mortis, in quo tenemur præcepto charitatis erga nos, confiteri per interpretem, si aliter non possumus, etiam coram alijs, & cum detrimento famæ, quia tunc agitur de æterna animæ salute, quæ præferenda est, omni temporali bono.

Nona difficultas: De sigillo confessionis, & eius obligatione. Notandum cum D. T. in addit. q. 11. art. 3. quod sigillum confessionis, est obligatio confessarium adstringens, ad servandum secretum, de his quæ in confessione audivit, metaphora sumpta, á sigillo chartas obsignante. Hoc sigillum obligat confessorem, ex iure naturali, divino & humano; ex naturali, quia iure naturæ, debemus famam proximi servare, & non facere alteri, quod nolumus nobis fieri; ex divino, quia confessio sine secreto, esset nimis odiosa; ex humano, quia Ecclesia, strictissimé sigillum præcipit, & fractoribus eius, gravissimas pœnas imponit, depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ, in arcto Monasterio, vt patet ex cap. omnis vtriusque sexus.

Ratio autem huius strictæ obligationis, assignatur á D. T. loc. cit. art. 1. nam ea quæ geruntur exterius in Sacramentis, sunt signa eorum, quæ interius fiunt; & sic confessio exterior Sacerdoti facta,

cta ; est signum interioris quæ Deo fit ; sed Deus omnino tegit peccatum, sibi per pœnitentiam subiectum: ergo idipsum Sacerdos facere debet ; vndé confessor, temere sigillum frangens, tria peccata committit; contra fidelitatem, ob tacitam promissionem non revelandi quæ audivit ; contra iustitiam, quia hæc obligat ad occultanda aliena peccata; & contra religionem, quia derogatur institutioni Sacramenti ; qua propter Christus audiens peccata Samaritanæ, iuxta puteum sedit, vt dicitur Ioan. 4. vt ita confessores instrueret, vt peccata in confessione audita, sic haberent secreta, ac si caderent in puteo, quæ phrasis vulgaris est, qua secreta maxima explicantur.

Dicendum est ergo: quód nulla potest cogitari causa, nec casus contingere, in qua liceat sigillum confessionis revelare. Ratio est: quia maius est conservatio Sacramenti pœnitentiæ, quam conservatio vitæ, non solius vnius, sed totius mundi ; sed illud non conservaretur fracto sigillo: ergo hoc in nullo casu licet. Mai. patet. Túm, quia conservatio reipublicæ christianæ, pendet á conservatione pœnitentiæ, alias omnia iniquitatibus replebuntur. Túm, quia bonum commune, debet particulari anteponi, & bonum commune spirituale, bono communi corporali præferri. Min. prob. quia ex tali revelatione, tolleretur significatio Sacramenti pœnitentiæ, quod totaliter peccata remmittit, nec illa revelabuntur amplius ad pœnitentis confusionem, & etiam quia fracto sigillo, confessio redderetur exosa, ex prudenti hominum timore, ne adveniret casus in quo eorum peccata revelarentur.

Hoc adeo verum est, quod licet peccatum confessum sit hæresis, quod potest esse fidei contagium, obligat sigillum ; alias hæretici, errores suos non confiterentur, sed eos studerent occultare ; quare ait D.T. hic, art. 1. quód oppositum erroneum est, & contra veritatem Sacramenti, etiam in casu quo hæreticus, emmendationem non proponat ; nam sicut Baptismus est Sacramentum, quamvis quis fictus accedat, ita confessio non desinit esse Sacramentalis, quamvis ille qui confitetur emmendationem non proponat, & ideo sub occulto tenenda est. Nec id opponitur charitati; nam hæc non obligat, ad ponendum remedium peccato, quod homo nescit; illud autem quod in confessione scitur, est quasi nescitum, cum illud non sciat confessor vt homo, sed vt Deus ; sed aliquod remedium in eo casu debet adhiberi, sine revelatione confessionis, monendo pœnitentem, apponendo diligentiam, ne alij hæresi inficiantur, & dicendo Prælato, quod diligentius invigilet super gregem suum.

Dices: licet integritas confessionis, sit de iure divino, in aliquibus casibus suprá positis, licet facere confessionem non integram: ergo etiam in aliquo casu, licitum erit revelare sigillum. Resp. quód est disparitas, nam præceptum sigilli confessionis, licet sit formaliter affirmativum, est virtualiter negativum, obligans ad non revelandum peccatum, & non diffamandum alium, & sic obligat semper & pro semper, cuius contrarium contingit, in præcepto integritatis confessionis, quod affirmativum est, & solum obligat eo tempore, quo moraliter exequi potest. *Si dicas*: quód confessionis integritas, potior est quam sigillum, quia hoc, ad illam ordinatur. Resp. hoc verum esse de integritate formali, quæ in aliquibus casibus potest non fieri; licet autem sigillum ad confessionem integram ordinetur, sed ex eius fractione, maior iniuria irrogatur pœnitenti, quia ex hoc á confessione arceretur, quod peius est, quam deficere ab integritate materiali, in aliquo particulari casu.

Ex his inferuntur sequentia 1. quód confessarius interrogatus, de peccatis auditis in confessione, potest etiam cum iuramento negare se illa scire, & quia interrogatio non est legitima, & quia illa non scit vt homo, sed vt Deus. 2. quód etiam ad explicandum peccatum proprium, nequit pœnitens in confessione revelare sigillum, quia huius præceptum, strictius est vt vidimus, quam præceptum de confessionis integritate. 3. quód nec duo confessores, qui eadem peccata audierunt, possunt de illis absque licentia pœnitentis confabulare, quia licet vtrique sint nota, nequeunt illa extra iudicium Sacramentale educere. 4. quód possunt exerceri actiones indifferentes, ad explicandum peccatum confessum & non confessum, vt declinare silvam, quæ per confessionem scitur, esse latronibus infestam; nõ bibere vinum venenatum in calice, & prætextu infirmitatis Missam ommittere, vt vitetur mors, & Sacramenti irreverentia, hæc enim actiones, ex alijs motivis fieri possunt, quin ex eis nec indirecté, sigilli fractio inferatur.

Sed est notandum: quód de licentia expressa pœnitentis, potest confessio revelari; sic tenet D. T. q. 11. cit. art. 4. Ratio est: quia sigillum obligat in favorem pœnitentis, vt confessio ei non reddatur onerosa, quod cessat si ille facultatem revelandi præbet. Nec hoc est, pœnitentem dispensare in iure divino, sed solum auferre circumstantiam necessariam vt obliget; nam tale ius, non obligat simpliciter & absoluté ad non revelandum, sed solum ne hoc fiat contra voluntatem pœnitentis; facultas autem revelandi, á pœnitente collata, debet esse expressa, & non sufficit præsumpta, quia est res gravissima, & forté confessor, id sibi persuadebit, & pœnitens non approbabit. Insuper, facultas debet esse spontanea, & non per metum, nec præces importunas obtenta, & vtrumque est apud authores commune.

Vndé confessor, tali facultate vñ non debet, quando pœnitens, coactus á iudice tirano illam concedit, hoc enim vergeret in pœnitentis damnum. Nec illa vti debet, in causa matrimoniali,

cum quis petit eam quæ alteri nupsit, dicens, prius clam sibi nuptam esse, quod ipsa negat; sic enim daretur ansa mentiendi in confessorem, his puellis. Nec etiam debet vti facultate hac revelandi, quando ignati homines, vxores de quibus adulterium præsumunt, mittunt ad confessorem, vt ei det licentiam revelandi, quia etiam daretur fœminæ mentiendi motivum; quod etsi crimen confiteatur, cum veritas extorqueri non possit, confessor absque peccato potest affirmare pudicam esse, licet sit adultera; in his ergo casibus, non potest confessor, vti licentia pœnitentis, nisi vt in pœnitentis commodum, sapientiores consulat; sed hoc rectius fieri potest, explicando crimen, & occultando personam; sic tenet M. Soto, in 4. dist. 18. q. 4. art. 6.

Sed adhuc est dubium: Quas personas, & de quibus rebus obliget sigillum confessionis? Ad primam partem. Resp. quód ad sigillum confessionis, obligantur sequentes. 1. ipse confessor, ita vt nec indirectè, nec ex vllo motivo possit audita in confessione revelare vt diximus. 2. tenetur interpres, quia cum confessore, in actu Sacramentalis confessionis communicat. 3. Superior cui petitur facultas absolvendi á reservatis, si in notitiam pœnitentis venit, quia tunc fit eadem persona cum confessore. 4. consiliarius, sive á pœnitente, sive á confessore de eius licentia sit consultus, quia hoc fit, in ordine ad confessionem Sacramentalem. 5. qui casu vel ex proposito, audit confessionem alterius, quia talis notitia, ex Sacramentali confessione provenit. 6. ille cui confessarius, inique confessionem manifestavit. 7. qui invenit chartam, in qua peccata alterius erant conscripta, tenetur non legere, vel si legit, sub sigillo servare, sive ante, sive post confessionem alterius legat. 8. dicunt aliqui, teneri pœnitentem servare sigillum; sed verius est, ad id solum teneri sub secreto naturali, ne se iniuste infamet, vel confessarij æstimationem minuat, vel ei damnum inferat, v. gr. si dicat concubina suo complici, ipsi fuisse interdictum á confessario, ne iterum conversetur cum illo; Doctrina hæc, habetur communiter, apud authores plurimos, quos citat Ant. á Spir. S.

Ad secundam partem, de materia sigilli dicendum: quód omnia hæc, sunt sigilli materia. 1. peccata mortalia, non solum in specie, sed etiam in genere, ne gravis fiat pœnitenti iniuria, nec confessio reddatur exosa; & etiam peccata venialia in specie, sunt materia sigilli, quia licet sint levis materia in se, non veró respectu pœnitentis; non autem in genere, quia si quis confitetur, est certum, saltim venialia dixisse, licet confessor dicere nequeat, pœnitentem habere peccata venialia gravia, nec plura, quia hæc ex confessione non inferuntur. Nec si confessor audit duos, potest dicere, de vno, habere sola venialia, vel eum laudare de bona conscientia, quia occasionem dat, suspicandi de altero, habuisse mortalia, vel non esse conscientiæ tam rectæ; secus est, si de vno seorsim loquatur, quia tunc nulla inter vtrumque fit comparatio; & his etiam rationibus patet, circumstantias & obiecta peccatorum, esse materiam sigilli. 2. sunt materia sigilli, defectus occulti sive mortales, sive naturales, qui ad famam pœnitentis pertinent; vt defectus natalium, macula sanguinis, & alij similes; si autem defectus non pertinent ad famam, non sunt sigilli materia, licet de eis caute debeat loqui confessor; & idem est de defectibus, qui in pœnitente clare videntur vt si pœnitens sit rudis aut scrupulosus, confessarium nimis vexans; hoc autem intelligitur, quando extra confessionem sunt noti, nam si ignoti sint, cadunt sub sigillo, quia possunt pœnitenti, grave præiudicium inferre, vt ne detur ei aliquod officium, quod ipse ferret ægre. 3. sunt materia sigilli, peccata publica, nam est per accidens, quod alij habeant notitiam eorum; vndé non potest dicere confessor, quod meretrix suas turpitudines confessa fuit, nam licet hoc sit eam laudare, Sacramento est iniuriosum.

Demum, est materia sigilli, peccatum complicis, sive confiteatur ad explicandum peccatum pœnitentis, sive non. Túm, quia ex eius revelation, facile cognosceretur pœnitentis peccatum. Túm, quia sacrum sigillum etiam urget in favorem complicis. Ex quo habetur, nimis errare confessorem, si zelo indiscreto, vel potius ignorantia ductus, extorquet á pœnitente complicem, vt illum corrigat; quia hoc non est medium ad corrigendum, nec ad id tenetur confessor, si aliud medium non datur, ex hoc enim, gravis irrogaretur iniuria; nec confessio instituta est, vt complex corrigatur, sed vt pœnitens emmendetur; si enim hæc aperiretur ianua, multi criminatores, aperirent superiori peccata venialia propria, vt proderent aliorum mortalia corripienda; pœnitenti enim credendum est contra se, non veró contra alterum, alias confessionis prætextu, daretur occasio proximum infamandi.

Nec est idem, de manifestatione complicis in pœnitente, quando alia via, eius confessio integre fieri non potest, vt suprá vidimus; nam pœnitens suo vtens iure, potest confessionem suam, ad commodum proprium vel alterius ordinare, licet inde sequatur alteri damnum, præter pœnitentis intentionem; non tamen licet ei, suam confessionem ad complicis correctionem dirigere, quia non est medium ordinatum ad hoc; nam Christus aliam modum instituit corrigendi proximum, & sic est disparitas. Ex omnibus dictis constat, quod in peccato fractionis sigilli, per se non datur materiæ parvitas, nam licet respectu pœnitentis, revelatio vnius venialis sit res levis, sed respectu Sacramenti, gravis est; sed per accidens, ex inadvertentia, vel ignorantia excusari potest, vt si confessarius historiam refert, cogitans non agnosci personam, quæ re ve-

ra

ra cognoscitur, & datur in illo, levis imprudentia. Hæc omnia, sicut & præcedentia, tenent plures authores á Salmant. & Ant. á Spir. S. citati.

ARTICVLVS XVI.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de Ministro confessionis. Henricus Angliæ Rex, Galliam ingressus cum exercitu suo, inimicis vndique cinctus, promisit si cum gente sua dimmitteretur incolumis, se restituturum aliqua loca quæ cepit; hocque Galli, & etiam inducias denegantes, Rex noctu vocatis ducibus, angustias quibus præmabatur exposuit, & vt se Deo commendarent iniuxit, dicens: Ite, & alter alteri, vestra peccata confitemini, & pusillum terræ, in memoriam Eucharistiæ mutuo porrigete, quo peracto, postea milites eius fortes facti sunt in bello, sortemque & fortunam meliorarunt; sic refert Æneas Silvius, qui Pontifex Romanus fuit, Pius Secundus dictus, & ex ipso Nacelerus, in Cornolog. generat. 48. ad annum 1415. Quæritur: an illis militibus licuerit, suas imbicem excipere confessiones?

Diximus art. præced. diffic. 1. solum Sacerdotes esse confessionis Ministros, quod ex Trident. & D. Thom. probavimus; licet aliquando in defectu Sacerdotis, possit quis confiteri laico, vel ad confusionem sui, vel ob alios fines ibi attactos. Vndé mandatum illud, vel consilium Regis Henrici, & confessiones illo modo factæ, non possunt excusari á peccato, nisi forté ob ignorantiam, vel bonam fidem, nam sic confitendo, tales milites imbicem infamabantur, absque sufficienti causa, & inducebant illos confessarios fictos, ad fungendum sacrilege munere illo, & plurium discordiarum semina iaciebant, quæ facile poterant annis futuris exoriri, ex revelatione criminum, vel exprobratione illorum. Sed quia in hac veritate non debemus dubitare, cum sit in Trident. expressa, & in Ecclesia, inconcusse in praxi habita, proponimus pro casu dicto confessoris munera.

Dicimus ergo: quód generaliter, cuilibet confessori, tria munera conveniunt, nempé Medici, Doctoris, & Iudicis. Primúm est, munus medici, vt applicet necessaria remedia, pro curandis animæ morbis. Vndé graviter delinquet, si non præscribit opportuna remedia, quando credit rationabiliter, illis egere pœnitentem, ad alicuius peccati mortalis emmendationem; circa quod D. Chrysost. hom. 30. ita monet: Imitandi sunt boni medici, qui non vno curationis modo vtuntur, sed cum viderint primis remedijs, non esse depressum morbum, alia atque alia, rursus excogitant. Vndé timere debent qui aliter faciunt, querelam illam Ezechiel. cap. 34 de pastoribus Israel: quód infirmum fuit, non consolidastis.

De remedijs autem specialibus peccatorum, integros conscripserunt libellos, Busæus, Costerus, Fornarius, & Reginaldus, hæc sunt; pro superbia, actus humilitatis, pro avaritia eleemosyna, & sic de alijs, ita vt contraria, contrarijs curentur. Pro recidivis, dedimus remedia suprá art. 10. casu. 8. Pro vitio autem illo, quod iuvenibus & otiosis, solet esse commune, nempé peccatum mollitiei quo se polluunt, habeat confessor medicinas præservativas in promptu; de quo hæc ait Cardin. Tolet. in sum. lib. 5. cap. 13. Peccatum mollitiei, est difficilimæ curationis, quia occasio semper est cum homine, & est adeo vniversale, vt crediderim, maximam partem damnatorum, hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem, cum vno eodemque confessore, vt fiat ter in hebdomada, si fieri possit; est enim hoc Sacramentum maximum frænum, & qui hoc non vtitur, non sibi promittat emmendationem, nisi per miraculum á Deo factum, vel rarissimum privilegium; hæc Toletus & ego.

Alia pro huiu modi contagioso morbo curando, remedia iungo. 1. quód confessor á pœnitente inquirat, quisnam cælitum, sit eius singularis Patronus? Et vt cognoverit, pro pœnitentia iniungat, vt per aliquot hebdomadas, quotidié mane & vespere, flexis genibus illi promitat, tali die & nocté abstenturum, ab omni turpi sui tactu, ad quod eligat pro patronis, Sanctos qui singulari puritate enituerunt, vt Beatissimam Virginem, eius sponsum Ioseph, Patriarcham Dominicum, & Doctorem Angelicum. 2. prodest, offerre ante aram B. Virginis manus suas, easque illi donate, cum firmissimo proposito, non extendendi ad rem turpem; & tandem remedium efficax est, maceratio carnis, meditatio mortis, & pœnarum inferni, quæ sunt pro lascivis paratæ.

Secundúm munus, est Doctoris, vt pœnitentem discreté instruat; si enim necessaria ad Sacramenti susceptionem ignoret, debet illum ante absolutionem docere; quod si mysteria ignoret nostræ fidei, debet sine absolutione dimmiti, vt habetur in Decret. Innoc. XI. propos. 64. Deindé, debet docere pœnitentes, infinitam gravitatem offensæ peccati mortalis, ex eo quod infinitam Dei maiestatem lædit, & ipsum in affectu vellet non esse. *Sed dicet* forté, Scholasticus aliquis: quód si homo per peccatum mortale, vellet non esse Dei, etiam vellet suum non esse, quod repugnat; ideoque probat D. T. Angelum Dei omnimodam æqualitatem non appetijsse, quia indé sequeretur illum appetere suum non esse. Hoc nuper audivi, & passim notavi, ad quod dicitur: quód vtinam possibile esset argumentū verū fore, quia sic nō daretur peccatum mortale, quod est animæ mors, & non esse vitæ spiritualis hominis, quod nullus dixit, nec dicere potest. Dicatur ergo: quód Angelus si appetijsset

fet omnimodam Dei æqualitatem, appeteret ſuum non eſſe directé, nam eſſe Dei, opponitur cum eſſe Angeli; peccator verò, non vult directé ſuum non eſſe, ſed ſolum indirectè & interpretativé, nam directé ſolum vult, ſuum appetitum ſatiare. Quód ſi huius diſparitatem petis, hæc eſt: quia in Angelo perfecta & plena fuit advertentia ſpeculativa, & ideo ſciebat impoſsibile eſſe, quod omnimoda æqualitas cum Deo, componeretur cum eſſe proprio, & impoſsibile cognitum vt tale, appetitum nequit terminare; vndé ait D.T.1.p. q.63. art.3. quód Angelus non potuit appetere eſſe vt Deus, quia ſcivit hoc eſſe impoſsibile; peccator verò, non habet plenam cognitionem effectuum peccati, licet culpabiliter, nam omnis peccans eſt ignorans, ideo enim peccat quis, quia ſi mala adverteret, non peccaret; quare dicitur in Pſalmo: dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, nam velle auferre Dei eſſe, ex inſipientia oritur. Hoc ſit cauſa digreſsionis dictum, nunc regredior ad intentum.

Tertiúm munus eſt *Iudicis*, ad examinandum pœnitentem, & iudicandum de peccatis illius, an ſint mortalia vel venialia, & ad conferendam vel negandam abſolutionem, iuxta diſpoſitionem vel indiſpoſitionem eius; & hoc tertium munus, eſt præcipuum ex tribus numeratis, iuxta dictum Chriſti: quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Quando autem confeſſor, teneatur confeſsiones excipere? Dicitur: quód qui non tenentur ex officio & iuſtitia, ſed ſolum ex charitate, vt religioſi, non obligantur ſub mortali adhoc, niſi deficientibus alijs, in extrema vel gravi neceſsitate moribundi, vt eſt communis Doctorum ſenſus; qui autem tenentur ex officio vt Parrochi, debent excipere confeſsiones, quoties pœnitens confiteri tenetur, & etiam hoc debent exequi cum periculo vitæ, quando pœnitens exiſtit, in extrema vel gravi neceſsitate animæ, vt dicunt Lugo, Bonacina, & Reginaldus.

Caſus ſecundus, de approbatione confeſſarij. Confeſſarius quidam Monialium, excepit confeſsiones Sæcularium, qui Monaſterio famulabantur, ex vi privilegij á Sede Apoſtolica, tali Monaſterio conceſsi, idque fecit, ſine approbatione Epiſcopi, & quia cenſuit, privilegium neceſsitatem approbationis excludere, & quia iudicavit, quod poteſtas excipiendi confeſsiones Monialium, eſt quaſi beneficium Parrochiale, non exigens approbationem peculiarem, & alias prædeceſſores eius, nunquam poſtularunt approbationem Epiſcopi, qui eos de hoc non monuit. Quæritur: quid ſit de hoc ſentiendum? Attigimus iam præced. art. diffi. 5. de approbatione Miniſtri aliqua, iungimus modo ſequentia; & in primis huic caſui reſpondemus dicendo: quod confeſſor ille, abſolvit invalidé, ſi conſiderentur duæ primæ rationes; validé autem, ſi conſideretur tertia.

Prima pars dicti patet: quia nec privilegium audiendi confeſsiones etiam ſæcularium, continet privilegium audiendi, ſine approbatione Epiſcopi, vt patet ex praxi Ordinum mendicantium; nec etiam munus audiendi Moniales, vllo modo appellari debet beneficium Parrochiale, cum valdé accidentaliter & ſecundario, reſpiciat ſæculares; idque decretum eſt in Congreg. Concil. Trident. allata ab Aſcanio, Tamburino, de iure Abbat. tom.2. diſp.6. quæſit.16. Secunda pars dicti conſtat: quia ſi anteceſſores illius confeſſarij, etiam ſine approbatione Epiſcopi, ſæcularium confeſsiones exceperunt, illo non contradicente, tam longa conſuetudo, etiam poſt Concilium continuata, vel induxit præſcriptionem, vel fuit cauſa erroris communis, qui iunctus titulo colorato, ſupplevit defectum, vt ait Leſsius.

Sed inquires: an & quomodo error communis, tribuat iuriſdictionem? Reſp. quód error communis dicitur, quando in loco in quo aliquis confeſsiones audit, feré omnes cogitant, illum eſſe iuriſdictione præditum, cum tamen careat illa; & ad hunc errorem communem, accedit aliquando titulus coloratus, quando ſcilicet, accipit quis á legitimo ſuperiore titulum, ſed invalidé, propter vitium occultum, vt cum Epiſcopus confert beneficium Parrochiale, alicui excomunicato, vel non præſentato á legitimo patrono, quod feré omnes ignorant; quando ergo datur, hic error communis (nam privatus non ſufficit) tribuit Eccleſia Sacerdoti iuriſdictionem, vt conſulatur ſaluti animarum, errore inculpabili laborantium, iuxta commune dictum iuriſperitorum: communis error facit ius, & veritati præfertur; quam doctrinam, Theologi feré omnes tenent.

Obſervat tamen Ioannes Sanchez, cum Maſcardo & alijs, hanc doctrinam intelligi, de errore ſolius facti, non autem iuris, nam iura deteſtantur iuris ignorantiam. Undé ſi Sacerdos, titulum coloratum non habet, quia exiſtimatur Parrochus cum veré non ſit, cum nunquam veré aut apparenter, fuerit ab Epiſcopo inſtitutus, nec á patrono legitimo præſentatus, approbatus non cenſetur, nec ſunt validæ, abſolutiones ab eo impertitæ, quod probabilius reputat Thomas Sanchez, licet alij cum Pontio, ſentiant oppoſitum. Sed quid ſi miniſter reputetur Sacerdos, cum ſolum ſit Diaconus? R. quód tunc error communis non favet, nam Eccleſia, non ſupplet defectus, repugnantes legibus divinis, ſed ſolum repugnantes humanis.

De approbandorum examine, diximus aliquid, art. præced. diffic.5. quibus addimus modo, quod approbator poteſt alteri remmittere, ſi aliundé ſit cognita ſatis idoneitas approbandi. Sed an ille cui Epiſcopus, aliquæm examinandum remmittit, poſſit iterum remmittere alteri? Reſp. quód ſi remiſſio eſt generalis, vt ad Priorem talis Conventus, vt examinatos & idoneos approbet, poteſt prædictus

ctus Prior per alium examinare, quia commissio illa, respicit officium & non personam, quod patet ex cap. penult. & vltim. de offic. deleg. si autem commissio fiat in casu particulari, non potest examen ad alium remmitti, nam commissio illa personalis est, & personam exprimit; ita Ant. á Spirit. Sancto; quicquid autem sit, de hoc vel illo modo examinandi, vel examen remmittendi, ad approbandos confessores, valdé est rectus, quæm Excell. D. D. Antonius Ibañes de la Riba Herrera, Archiep. Cæsaraug. in praxi habet, id faciendo per tres, aut saltim duos Examinatores, ad hoc junctim destinatos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & sic remissionibus particularibus non factis, possunt iudices illi, facilius & liberius, reprobare malum, & eligere bonum.

Casus tertius, de discretione confessoris. Puerulus ferè octo annorum, confessionale accessit, & facto signo crucis dixit: non didici diligenter, non lavi manus quando surrexi, per plateas saltavi, reperij sub mensa numum, & matri non manifestavi, semel contra veritatem dixi; si hoc non est verum, non abeam hinc vivus; semel iuravi dicens: Hoc est verum, & tamen verum non erat, nihil aliud; & dum hæc dicebat, digitis fricabat cratem confessionali affixam, aliquando globulos rosarij voluebat & pileum, & oculos ad alios pueros vertebat. Quæritur: quid cum puero isto & similibus, á confessario sit exequendum? Sæpiús audivimus á ministris expertis valdé, se potius velle plurium adultorum confessiones audire, quam puerorum, eo quod plura inculcant, quæ iudicium confessoris maximé reddunt perplexum, circa absolutionem conferendam vel non.

Sed pro resolutione dicendum: quód iudicium de pueris ac puellis, ad dignoscendum, an sint absolutionis capaces, non præcisé formandum est ex ætate, sed multo magis ex qualitate ingenij & educationis, quia multi post ætatem dictam, & alij ante illam, rationis discretionem assequuntur, ita vt non solum venialiter, sed etiam mortaliter peccare possint; cuius rei, D. Greg. exemplum affert de puero quinquenni, in blasphæmijs mortuo & damnato. Vndé postquam confessor perpensis circumstantijs, iudicet puerum veré & deliberaté peccasse, examinare debet, an doleat de culpa, solum ex motivo humano, nempé ex timore patris vel matris, vel ex motivo supernaturali, per fidem cognito, vt quia opponitur Deo, vel quia pœnam inferni, vel Purgatorij meretur; quia sunt pueri aliqui sic male educati, vt cum fuerint satis dispositi ad peccandum, non satis disponi possunt ad Sacramentum recipiendum; & in eo casu, imponatur oratio loco pœnitentiæ, & crucis benedictio loco absolutionis; opportet autem pueros, non dum absolutionis capaces audire, vt paulatim instruantur, & confessioni assuescant.

Quód si omnibus consideratis, adhuc dubium extet, de pueri capacitate, tunc absolvi potest sub conditione animo retenta, imó in articulo mortis debet absolvi; si autem materia confessionis quam puer affert, mortalis iudicetur, & ob eius incapacitatem non absolvatur, debet puer moneri de hoc, vt sciens se absolutum non esse, maiorem afferat dispositionem, ad confessionem sequentem. His addit Læsius, quod pueri iudicantur rationis capaces, si sciant quid eventurum sit, malé & benè operantibus, quia tunc concipiunt Dei timorem, & affectum servitutis erga illum, & ita de hoc sunt interrogandi, & si de hoc dubitetur, imponatur præcatio, & detur benedictio, nec de hoc vexetur confessor. Sed ait Lugo: quód cum dubitatur de vsu rationis pueri, & confitetur aliquod veniale, absolvendus est, etiam extra mortis articulum in Paschate, si confitetur mortale dubium, vt non privetur gratia Sacramentali, & quia forté habet aliquod mortale occultum, quod tunc indirectè absolvitur.

Ex his concluditur: quód puer ille, de quo casus loquitur, absolvendus erat, quia afferebat materiam ex se mortalem, nempé iuramentum; sub conditione autem animo retenta, quia tot actiones pueriles, tali ætati & subiecto coniunctæ, de sufficienti discretione dubium ingerebant. Maximé autem iuvat, vt pueri maturitas cognoscatur, eius servare vultum, gestus & actione, dum ingreditur confessionale, & genua flectit. Cavcat autem confessor, ne pueros catervatim, & iunctim audiat, quia licet nondum certus sit de discretione illorum, actio illa debet fieri iuxta modum ab Ecclesia præscriptum, secreto modo, vt sic instruantur pueri de confessionis sigillo, & per hoc paulatim alliciantur ad illam; vndé vsus quorundam inexpertorum, multos pueros simul audientium pro confessione, omnino est relegandus.

Vt autem pueri maturitas, & dispositio coniectari possit, interrogari potest, cur ad confessionem veniat? Nec de sistere donec dicat, peccatores qui non confitentur, á Deo puniri, & qui ritè confitentur, ad cœlum deferri; & deindé, vt excitetur ad actum fidei, iterum debet interrogari: an putet Deum posse falli, vel fallere nos? Etsi dicat, quod non; vrgere amplius: ergo tu credis, esse vera omnia quæ Deus dicit; etsi dixerit, credo, in maiori dubio de fide actuali instetur: quot digitos habes in manu? Et eo dicente, quinque; dicatur vlterius: si Deus mitteret tibi Angelum dicentem, digitos manus tuæ quatuor esse, crederes ita? Et ferè omnes dicent quod sic, & interrogata ratione dicent: quia Deus nequit mentiri, & omnia eius dicta, vera sunt; his minutulis interrogationibus, confessor cum pueris repueraſcens, eorum discretionem, fidem & maturitatem apprehendet.

Casus quartus, de confessore fatuo, surdo & mu-

ti. Homo quidam, vt reputabatur mente captus, intra palacium cuiusdam Principis cui inseruiebat, ludum pilæ ludendo, vidit confessarium prætereuntem, & subito accurrit ad illum, & ab alijs segregavit, quasi pro aliquo secreto ei dicendo, & ante ipsum genua flexit, & peccata gravia satis narravit, & cum confessarium pro absolutione vrgeret, vt ipse fatuo illi sati faceret, loco absolutionis, benedictionem contulit. Quæritur: quid de hoc sentiendum, circa peccata, & confessionem eorum? Resp. quód peccata á veré stulto patrata, veré peccata non sunt. Vocatur autem veré stultus, plene fatuus, qui inter bonum & malum morale nequit discernere, cum tamen in ea sit ætate, vt iuxta regularem cursum naturæ, id facere posset. Ratio est: quia de ratione peccati est, discretio inter bonum & malum, & sic actiones illius fatui, peccata non sunt, nec ille est absolutionis capax.

Sed potest dubitari: an ille de quo casus loquitur, posset inter bonum & malum discernere; & quia noluit, nisi secreto confiteri; & quia genua flexit, & quia actiones ex obiecto valdé peccaminosas dixit, nam singula quæ non possunt, simul collecta iuvant; qua propter tali homini, saltim in extremo agone, posset absolutio conferri, nisi alias sciretur ab eis qui eum pertractarunt, ipsum hæc non facere ex instinctu suo, sed ex aliorū instigatione talia narrasse, licet non esset reus illorum. Vndé monet Teretius: quód dum ad confessarium accedit surdus, & mutus á nativitate, debet ille ab eius domesticis petere aliquam instructionem, vt debita cautela procedat; & ideo confessarius, de quo in casu fit mentio, rectè se gessit, quia iam ex optimis testibus noverat, hominem illum esse mentis emotæ, proindeque, sine rationis vsu ad peccandum, nec capacitate ad recipiendam absolutionem.

Quid autem dicendum, si fatuus ille, discerneret hominum status, clericos veneraretur, varia exequeretur mandata, & tamen peccatorum confessionem, maximé abhorreret? Resp. quód in hac re, standum est iudicio eorum, cum quibus vitam agit, si enim isti eum iudicant mente destitutum, absolvendus non est; si veró in Deum credit, infernum & peccatum timet, saltim in articulo mortis absolvi potest, quia debet præsumi, illum in puncto confessionis, inculpabiliter stultescere, & in alijs habere semiplenum rationis vsum, qui sufficit ad venialiter peccandum, & ad actus supernaturales imperfectos exercendos. Simile refert Gobatus, de quodā Sacerdote, qui in eam dementiā incidit, vt confessionem haberet maximé exosam, & alias vitam inocentem agebat, de quo iudicatum fuit, quod circa hoc, inculpabiliter delirabat.

De surdis, qui non nisi magnos clamores audiunt, dicendum est cum Læsio: quód illi in magno populi concursu, non debent absolvi, quia confitentur imperfectè, & sic remmitti debent ad aliud tempus, in quo possint examinari, nisi in periculo, vel articulo mortis existant. Vndé si quis talis ad confessorem accedit, & dicit, quod vult confiteri, sed ægré audit, vt mihi non semel contigit, illi confessor dicere debet alta voce: non possum tibi præbere aures, veni alio tempore, & isti sunt in loco remoto audiendi, interrogando eos de necessarijs præcisè, sine ministri, nec eorum fatigatione. Si autem aliquis sit surdus, qui alta voce peccata dicit, potest confiteri, nemine præsente, & clausis ianuis, vt fœminam talem piam satis, optimé novi; licet autem sciret scribere, non deberet confessor, ad peccata scribenda illum obligare, quia verisimile non est, Christum hoc præcepisse.

Circa mutos dicendum: quód non videtur quomodo eis extra mortis articulum, possit absolutio conferri, nisi peccata scripta confessori exhibeant, ad quod tamen non tenentur vt proximé vidimus, vel etiam si confessor sit instructus, ab eis qui mutos cognoscunt, de signis quibus peccata & dolorem manifestant, & tunc poterunt tempore præcepti & Iubilei, & etiam in festis solemnibus absolvi, si nequeunt aliquod peccatum in specie explicare, vt dicunt Naldus, & Diana; semper autem servari debet instructio domesticorum, pro illis mutis cognoscendis. Vndé habetur, quod muti tenentur ex præcepto, confiteri nutibus & signis, cum nequeant verbis; si autem detur confessor, optimé capiens eos, ad illum remmittrentur, nec audiantur ab eo qui percipit imperfectè.

Casus quintus, de Ministro audiente pœnitentem linguæ ignotæ. Sacerdos quidam, Gallicam linguam eatenus callebat, vt loquens intelligeretur ab eius linguæ peritis, audiens tamen non capiebat, nisi lente & emendate loquentes; ille igitur á superiori suo mittitur, ad excipiendas confessiones aliquot militum Gallorum, quos cum non rectè perciperet, singulis dixit: non capio satis, vos ordinatè interrogabo, & dicetis: *si Padre*, vel: *no Padre*, & percontanti de numero dicetis: *tantas vezes*, & aderit Deus, vt cum animarum fructu, absolutionem percipiatis, & factum est ita. Quæritur: an talis Minister temere egerit, tale officium suscipiendo? Resp. non temere egisse, quia iussus fuit á suo superiori, & quia forté aderat necessitas, quia in eo loco vbi degebat, non erat alius confessor, in Gallica lingua peritior; sic sentit Gobatus.

Sed quia hoc frequenter potest contingere, apponimus Navarri doctrinam, pro eius decisione; ille igitur, lib. 5. consil. de Pœnit. & remiss. ait Æthiops in Provincia Brasilica potest absolvi, si solum vnum aut aliud peccatum intelligat confessarius, esto alia non intelligat; quibus addit Henriquez: quód vir ignotæ linguæ, tempore præcepti absolvendus est, si confiteatur quæ potest, licet confessarius, quædam non satis intelligat. Et idem sen-

sentiunt Tanerus, Sa, & Bonacina; & Ludov. Lopez, in instruct. p.1. cap.27. ait: Quód pœnitens extraneæ linguæ, potest audiri & absolvi á confessario, semiperito in eius lingua, qui aliqua peccata intelligit, & aliqua non, si non patet facilis accessus, ad alium plenè peritum; sicut muti possint confiteri per nutus extra mortis articulum, talis enim facit totum quod potest, & confessio potest dimidiari, quando peccatum nequit aperiri, sine damno pœnitentis, vt suprá vidimus.

Ex his, sequentia deducuntur ad praxim. 1. quód pœnitens qui sibi conscius est, vnius vel plurium mortalium, de quibus dubitat an possit percipi á confessario, quo ad species & circumstantias peccatorum, quia suæ linguæ non est satis peritus, accedendo ad illum peccat, si possit commodè assequi alium, de cuius peritia non dubitat, quod si commodè non possit, & præceptum vrget, licitè accedit, licet sciat illum non omnia intelligere, dum proponat talia peccata confiteri postea, alteri magis perito; sic sentiunt Reginaldus, & Palaus, si autem talis pœnitens, non habeat conscientiam mortali crimine oneratam, libere ad confessarium linguæ semiperitum accedere potest.

Secundó deducitur: quód si confessori, pœnitens aliquis linguæ ignotæ accedat, & ille cognoscit, non esse alium, qui melius eum possit intelligere, sine scrupulo audire potest, in quocumque tempore veniat, quia est molestum satis pœnitentibus, accedere ad confessionale pro confessione præparati, & sine illa nec absolutione recedere: quód si pœnitens ille fatéatur aliquid, de quo meditatis circumstantijs, non possit confessor satis capere an sit mortale, adhuc tentatis vocabulis varijs, moneat illum: quod si fieri possit, sine incommodo notabili, ante communionem, alium confessorem quærat, qui eum rectè capiat. Novimus enim rectè confessarium, virum timoratum, cui tale quid accidit; nullatenús enim, peccatum lingua ignota confessum cognoscere potuit, & per varias circumlocutiones, longa fatigatione novit, ad hoc enim confessarius non obligatur in eo casu, dum faciat quod in se est, vt peccatum noscat, & moneat vt non intellecta, pœnitens alteri aperiat.

Quia tamen communiter, ministri exponi solent ad excipiendas rusticorum confessiones, qui vtuntur verbis, licet eiusdem linguæ, extraneis valdé, & difficile intelligibilibus, nisi á doctis longo vsu, cum illis maxima est adhibenda cautela, vt eorum termini percipiantur & voces, quod præcipué cum fœminis servandum est, non nimis interrogando, præcipué circa res venereas, ne forté veniat eis laqueus quæm ignorant; minús enim inconveniens est, primis vicibus intelligere quid pro quo, quam indicare semitam, per quam culpas decurrant. Audivimus enim non semel, ab expertis ministris, quod aliquæ puellæ, circa fornicationem interrogatæ, cuius praxim ignorabant, rogaverunt quid hoc esset? Quód cum eis dictum fuisset, in sequentibus confessionibus fuit experta ruina, quia experire voluerunt, quod ante nesciebant.

Casus sextus, de confessore pœnitentis scrupulosi. Mulier quædam nobilis, innumeris scrupulis agitata erat, & vt talis ab omnibus nota, illa ergo ad confessorem accessit, qui eam auditurum, & directurum promisit, dum parata esset suis consilijs acquiescere, nec ad confessionem iterum deferre peccata, semel ritè confessa, quæ confessor deferenda non iudicaret; & similiter, quod ad communionem erat accessura, quando ei præciperetur, & alia huiusmodi; noluit fœmina his assentire, & illa vt immedicabilis, ab ipso confessore, & alijs pluribus dimissa est. Quæritur: quid circa hoc obseruandum sit? Thomas Tamburinus, de simili fœmina mentionem facit, & illam delire scrupulosam appellat, cui haud multum dissimiles sunt aliæ plures, quas alij & ego iumus experti, adeo á scrupulis vexatæ, vt aliquando in eis ratio penè suffocata fuerit.

Obseruandum est ergo, quod hoc nomen *scrupulus*, sumitur 1. pro timore vel anxietate, ne forte peccata præterita, etiam postquam adhibentur remedia á Deo præcepta, non sint remissa. 2. pro suspicione levi aut existimatione, ex levibus rationibus orta, qua creditur, aliquid esse peccatum, quod re vera non est. 3. pro apprehensione & timore, inani ratione nixis, quibus timetur alicubi esse peccatum, vbi non est, quæ omnia habent adiunctam animi anxietatem, inquietudinem atque punctionem, & ideo scrupuli vocantur. De quo Doctores Scholastici, & mistici, varios ediderunt Tractatus, & novissimè M. Fr. Franciscus Carrasco, ex Ordine nostro, & P. Tobias Lobner, in sua instructione practica, vbi plures scrupulorum modos, eorum causas, remedia, & regulas confessariorũ pro illis medendis adducit, & de hoc etiã Venerab. noster Ludov. Granat. agit, Tractat. de devot. cap. 3. §. 3. de quo aliquid suprá tetigimus in quæst. præambula, art. 4. fol. 7. col. 2.

Licet autem prædicti authores, diffusè rem agant, nos ad scrupulorum medicinas proponendas accingimur. Primúm ergo remedium, illudque summum, ad tota scrupulorum asignata genera medenda est, vt scrupulosus, manifestet sincere, alicui viro prudenti & pio, & in rebus spiritualibus experto, animæ suæ statum, pro vt directè vel indirectè scrupulos tangit, & eo sic aperto, stet firmiter eius iudicio & consilio, certus omnino, quod licet confessor erraverit, scrupuloso non imputabitur culpa apud Deum. Vndé ille pro scrupuloso reputatur, qui iuxta prudentis viri iudicium pro tali habetur. *Si autem* scrupulosus instet, quod confessor illum non benè novit, alioquin resolveret aliter; et dicat confessor: ergo habes me pro ani-

mæ

mæ tuæ proditore, cum aperte dicam, tuas apprehensiones, & imaginationes, scrupulos esse inanes; ignoras æquè á me, ac á te, reddendam esse supremo iudici animæ tuæ rationem? Aliquando hæc consideratio proficit, sed non semper.

Secundùm remedium est, vt in ea materia, in qua confessarius, aliquæm scrupulosum iudicat, hic dicat apud se: ego relictus privato meo iudicio, hoc esse peccatum apprehendo; sed quia hoc non clare video, & meus confessor dixit mihi, me posse in hac materia facere, sine Dei offensa, ea omnia, de quibus claré perspectum non habeo, esse peccata ideo nolo stare, eo privato iudicio & apprehensioni, sed regulæ traditæ á meo confessario, cui tanquam interpreti voluntatis Dei me subieci. Sæpé hoc remedium vtile est, & sæpé non, nisi scrupulosus doceatur dicere: non audeo per sancta Dei Evangelia iurare, hoc aut illud esse peccatum: ergo peccatum non est, id quod scrupulus, & imaginatio mea suggerit; vndé scrupulosi consiliandi sunt, quod agant contra scrupulos, licet apprehendant, operationem esse materialiter á Deo prohibitam.

Tertiùm remedium, contra scrupulos volentium confessiones iterato repetere, sive vnius, sive plurium, sive omnium peccatorum, est, permittere vt bis vel ter, etiam scrupulosè repetant aliqua, de quibus dubitant, an absolutè aperuerint, vel dixerint debito modo, & postmodum nullis præcibus assentire, ad iterum præbendas aures, vt priora peccata repetant, nisi liquido dicant, se certo scire, talia peccata non manifestasse & aliquando, si magnæ deprehenduntur scrupulorum furiæ, dicatur pœnitenti: iura per venerabile Sacramentum, te scire quod non sis confessus. Hæc & alia plura congerunt authores; sed re vera, scrupulosi aliqui adeo sunt imaginationis tenacis, vt nullis confessoris acquiescant consilijs, & semper invtilia machinamenta repetant, sub eadem longissima narratione, ita vt ipsi maximé vexentur, & confessarios vexent, & interdum plures mutent, vt videant quisnam eorum, patientius sinat, ea inutilia suffarcinare. Audivimus enim aliquando, virum doctum & pium ex scrupulis impertinentibus cuiusdam pœnitentis demolitum valdé, illum clanculé intra confessionalis cancellos reliquisse, & reversus post horam, eum invenisse adhuc, stultis & prolixis verbis aerem verberantem; cum his, tentatis remedijs sine fructu, nullum aliud remedium ego appono, nisi pro eis ad Deum preces effundere, nec illos iterum exaudire, vt licet ipsi vexati scrupulis confundantur, non confundar ego.

Casus septimus, de absolutione conferenda vel neganda. Confessor quidam, recenter pro excipiendis confessionibus fidelium expositus, satis erat in veritatibus instructus, sed tamen anxietatibus vexabatur, pro exercendo rectè munere formidando, & præcipué vt sibi statueret regulas, quibus dignosceret, quando pœnitentibus deberet absolutionem conferre, quando verò non; cum res sit gravissima, inter iustitiam vel iniustitiam Sacramenti. aut pœnitentis versata. Quæritur: quid ille teneretur servare, pro exacta ministerij sui executione? Resp. quòd aliquæ debent servari regulæ, pro huius recta praxi. Prima est: quòd pœnitenti, rité confitenti peccata, & rité é dispositio, teneatur cõfessarius, absolutionem conferre. Tùm, quia hoc petit ratio iusti iudicij, & æquitas inter confessorem & pœnitentem. Tùm, quia alias, magna pœnitenti fieret iniuria, si privaretur Sacramento, & cogeretur iterum confiteri; quod etiam est verum, de absolutione venialium, vt ait Suarez, ne Sacramentum, vacuum relinquatur sine causa.

Secunda regula est: quòd teneatur confessor, statim absolutionem conferre, rectè dispositio, nec licitè potest sine causa rationabili eam differre; quia pœnitens, iustè potest exigere, vt confessione facta, & recta dispositione apposita, non relinquatur suspensus, nec iterum redire cogatur; si verò requiratur maior diligentia ad excutiendam conscientiam pœnitentis, vt integra confessio fiat, vel experientia temporis, ad eius animum explorandum, & cognoscendum an re vera peccata retractet, & ea in futurum vitare firmiter proponat, tunc confessor, non solum licitè absolutionem differet, sed etiam ad hoc ex obligatione tenebitur. Sed quomodo se gerere debeat confessor, cum eo qui occasionem proximam peccandi, physicé aut moraliter, nequit relinquere, nec in eo apparet peccatorum emmendatio, si de illius firmo proposito constet probabiliter, explicuimus suprá, art. 10. casu 7. & 8.

Tertia regula est: quòd illi qui peccata confitetur sine debito dolore, vel non integré pro eius captu, debet absolutio denegari, quia indignus est, quovsque debitum concipiat dolorem, & confiteatur integré; ita Suarez, Coninch, & Palaus, qui rectè notat, quod pœnitens accedit sæpiùs ad confessionem, sine verò dolore, sed confessarij monitis & exhortationibus dolorem concipit, & sæpé non confitetur integre, ob ignorantiam vel malitiam, quam instructione confessarij purgat, & confessionem integram facit; ideoque ille, non debet statim sine absolutione dimmitti, vt postea cum legitima dispositione revertatur, nam forté non redibit vt faciunt multi; vndé oportet, quod confessor memor ardentissimæ charitatis Christi, pœnitentem illum patienter & prudenter, quo ad fieri possit disponat.

Quarta regula est: quòd minister debet pœnitentem admonere; si enim doctrinam christianam ignoret, doceri debet, vel ab ipso confessario, vel ab altero, ad quæm remmittat illum, & si fuerit necesse, instruatur á confessario, de requisitis, ad confessionem rité peragendam, &

ad

ad peccata mortalia vitanda;& similiter,debet pœnitentes monere,de his ad quæ ex confessione cognoscit manere obligatos, vt ad tollendam occasionem peccandi, ad restituendas pecunias vel famam, ad implenda vota, & satisfactiones Sacramentales exequendas, ad reparanda scandala, ad corripiendos delinquentes, ad egentes iuvandos,& ad alia quæcumque opera,& officia obligantia,circa quæ pœnitentes defecerunt,& adhuc remanent adimplenda. Deindé,debent pœnitentes doceri á confessario, si forté tenentur superiori aliqua crimina denuntiare, quando eius præcepta vrgent,vt de manifestandis hæreticis,& specialiter,vt denuntient confessarios,commitentes facinus horrendum solicitationis ad turpia, in actu Sacramentalis confessionis, vel eius prætextu, immediaté antea vel post, de quo laté agit Ant.á Spir. S. disp.18.sect.4.

Quinta regula est: quód si pœnitens laborat ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tenetur confessor illum monere, & docere veritatem, quia alias manebit pœnitens ille, in statu peccati mortalis, cum talis ignorantia, cum non excuset á culpa gravi, nec sit capax absolutionis, quandiu in ignorantia perseverat;si autem pœnitens, ignorantia invincibili laboret,si talis ignorantia,sit de medio ad salutem necessario, vt de dolore peccatorum,de hoc est instruendus, aliter enim, nec Sacramentum recipiet,nec salutem consequetur;si verò ignorantia, sit de re præcepta, quæ medium ad salutem non est,adhuc est subdistinguendum, nam si confessor ex sua monitione fructum non sperat, sed timet pœnitentem, in eodem statu permansurum, v. gr. vxoratus in matrimonio nullo, debet á monitione cessare, & illum in bona fide relinquere, alias monitio esset peccandi occasio; sic tenent Salmant. & alij plures,& constat ex dicto D, Aug. si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem; si autem confessor probabiliter sperat, eius monitionem profuturam, pœnitentem monere tenetur, quia error ille, quodam malum est, & occasio plura peccata commitendi; hoc autem est,secluso gravi incommodo vel scandalo,nam sic possunt lites,infamia vel damna crescere,quod tunc confessor debeat dissimulare,vt dicunt Palaus, Granadus, & Dicastillus.

Sed pro pleniori huius explicatione, sequentia notanda sunt. 1. quód si agitur de matrimonio contrahendo,& pœnitens impedimentum ignoret, de hoc moneri debet, ob Sacramenti reverentiam, & quia ex irrito matrimonio damna oriuntur,quæ non facilé reparantur; sed si agitur de matrimonio invalidé contracto, vel de petendo debito,si est casus in quo confessor potest dispensare, pœnitens monendus est, nam ignorantia illa, esset occasio commitendi plura peccata materialia,nec credendum est, pœnitentem ab hoc liberari nolle, cum id faciliter possit. 2. est notandum: quód si pœnitens est dubius,de valore matrimonij, vel facultate petendi debitum,& de his confessorem interroget, debet hic aperire veritatem, quia pœnitens cæpit ignorantiam vincibilem habere & confessoris silentium, posset in sui favorem interpretare,& ita silentium, esset virtualiter approbatio erroris, quod nunquam licet.

Tertió est notandum: quód confessor, debet pœnitentem monere, licet concipiat quod tunc monitio non est profutura, si tamen aprehendit quod proficiet postea;& si dubitat, an sit profutura vel non, debet monere,si solum dubitat de profectu,& damnum non imminet,quia id petit charitas,& officium Magistri;si autem est dubium, an sit profutura vel obfutura, pensare debet prudenter vtilitatem & damnum, & his rectè collatis, illud eligere, quod magis præponderet; sic sentiunt Lugo, Filliucius, & Dicastillus. Denique, si confessarius Principis, Gubernatoris vel Prælati,scit eos officijs suis non satisfacere, tenetur monere de obligatione; nec satisfacit muneri suo, absolvendo á peccatis confessis, quia facit sibi propios,errores quos in pœnitente dissimulat;si enim formidat faciem potentis, non assumat officium Pastoris, vt ait sapienter Lugo.

Rogabis: an si reus in carcere detentus, & in causa capitali per testes convictus veritatem neget,debeat á confessore moneri, vt veritatem pandat? Resp. affirmativé, alias enim,in peccato perseverat,negando veritatem legitimé interrogatus, & in hoc perseverans, non est absolvendus. Nec confessor id monens, irregularitatem incurrit. Túm, quia non præbet causam proximam mortis, nec ad hoc eius intentio fertur, sed ad manifestationem veritatis. Túm, quia credendum non est, Ecclesiam velle ministrum punire ob executionem muneris Sacerdotalis; sic tenent Salmantic. cum alijs. Verum quidem est, quod confessor cum talis casus occurrit, non debet esse facilis,in præcipiendo dicere veritatem, nec vecors, in permitendo silentium, sed maturitate maxima,circumstantias expendat, & in re dubia potius faveat reo, nisi luce clarius constet, quod ille tenetur veritatem dicere, & præcipué in causa capitali, vel inducente grave damnum famæ vel honoris; sic Soto de iust. & iur. lib.5. q.6. art.2.

Casus octavus, de sigillo confessionis. Mulier quædam, recenter desponsata,ad confessionem accedit, & confessori dicit, se esse desponsatam, cum homine illo,qui confitebitur immediaté postea,cui ab vltima confessione ante mensem peracta, sui corporis per quatuor vices copiam fecit,atque dolore supposito absolutionem percipit. Sequitur sponsus, & ait, sex percurrisse menses ab vltima confessione, & in his nihil contra castitatem egisse, nisi quod fœminam aliquam, semel & iterum turpiter tetigit. Quæritur:quid faciendum, & quo-

modo prioris confessionis debeat servari sigillum? Casum hunc, non semel accidisse novi, & confessarium aliquæm satis vexasse, varios modos quærendo, vt secundus pœnitens veritatem aperiret; sed immerito, nam factis legitimis interrogationibus, & illo nihil respondente, nec poterat inabsolutus dimitti, nec aliquid vllo modo dici de confessione priori, ob sanctitatem sigilli.

Vadé in eo casu, pœnitens commendetur Deo, nec sponsæ peccatum, etiam leviter indicetur Præterea, quia non tenetur confessor, plus sponsæ fatenti, quam sponso neganti, fidem adhibere, vt asserunt Toletus, Lugo, & Dicastillus; si autem aliundé quam ex complicis confessione, certo nosset confessor eum mentiri, deberet illum dimittere sine absolutione, quia nefas est, ministrare aliquod Sacramentum subiecto indigno; quod si confessor suspicetur, aliquod mortale peccatum á pœnitente omitti ex mera oblivione, vel ignorantia inculpabili, probabile est, non teneri ad illum interrogandum, dum ei certo constet, illum diligenter conscientiam excussisse. Quia tamen casus hic, materias varias circa observationem sigilli confessionis concernit, pro modo quo loqui debent confessores de hoc, iungimus sequentia.

Primó: si confessor dicit aliquod peccatum in confessione auditum, cum talibus circumstantijs, vt deprehendatur persona peccatoris, frangit sigillum, vt ait Aversa; & similiter frangit, si asserit pœnitentem non absolvisse, quia licet de hoc, possint dari plures honestæ causæ datur tamen occasio, sinistre suspicandi de pœnitente; sic sentit Coninch cum pluribus. Aliqui volunt, sigillum non frangi, si dicatur causa negatæ absolutionis, vt quia fuit impeditus á supervenientibus, vel sufficientem materiam non habuit; sed hoc est limitandum cum Dicastillo, quando ex ea responsione, nihil mali suspicari possit de pœnitente, circa peccata vel indispositionem eius; nec sibi aliquis suadebit, materiam sufficientem non dedisse, sed forté cogitabit, quod cum haberet nimis multam, nondum totam apposuit, nec rectè circa illam dispositus fuerit.

Secundó: si confessor interrogetur, an alicui contulerit absolutionem? Respondeat: functus sum officio meo, & etiam interrogatus de peccato in confessione audito, potest affirmare cum iuramento se nescire, vt ait D. T. in addit. q. 11. art. 1. ad 3. & quia hoc legitimé nō interrogatur ab aliquo, & quia confessor nescit vt homo, sed vt Deus, quatenús eius vices gerit, nec ad revelandum scit; modo quo Christus dixit, se nescire diem iudicij, quæm re vera sciebat, quia nesciebat ad illum manifestandum. Tertiò: si pœnitens aliquis, non fuit absolutus, & confessor interrogetur á sacrista, an pro eius communione, debeat formulam apponere? Respondeat: quòd ab ipso pœnitente inquirat. Si autem ille pœnitens á confessario, petit schedulam confessionis; aliqui dicunt, eam debere negare, ne aperiatur fraudum via; sic Ant. á Spir. S. sed tamen Salmant. cum pluribus affirmant dari posse, quia hoc forté potest esse necessarium, vt servi præbeāt dominis, de confessione testimoniū, & ex negatione, pœnitentis indispositio declaratur, quod opponitur sigillo. Nec in eo casu, mentitur confessor; solum enim dicit, eum esse confessum, quod verum est; si autem pœnitens, abutitur schedula ad decipiendum, vel perseverandum in peccato, ad hoc confessor non concurrit, quia est omnino per accidens, & extra confessoris intentionem.

Quartó, violatur sigillum si confessarius ait, se in confessione audivisse, peccatum publicum pœnitentis, vt furtum, homicidium, concubinatum, &c. quia illa significatio peccati auditi, per se displicet pœnitenti, & potest illum á confessione retrahere, licet alias per accidens, resultet in laudem pœnitentis, nam per se confessor, nunquam de auditis in confessione, vllo modo loqui potest, ne data exceptione, loquatur sæpiús sine causa sufficienti; sic D. Bonav. Salmant. Lugo, & Dicastillo; & similiter confessor frangeret sigillum, loquendo de peccato in confessione audito, licet publicum sit, corā alijs qui illud norunt, quia illa locutio ex se, manifestat ea quæ sunt omnino celanda. Deindé, si confessor manifestat in particulari, pœnitentiam quam imposuit, sigillum frangit, præcipué si est gravis, & culpæ mortalis indicium; secus si fuerit levis, & ex illa solum colligatur, pœnitentem venialia fuisse confessum.

Quintó, confessor frangit sigillum, dicendo, pœnitentem scrupulis & impertinentijs caput obtundere; sic sentit Gobatus, & Coninch cum pluribus, ne ex tali locutione, confessio exossa reddatur; & licet aliqui oppositum asserant, eo quod illa nescit confessarius, vt confessionis materiam, & per se videntur ex evidentia rei, sicut videtur quod pœnitens est iuvenis, velox vel tardus ad loquendum & similia; sed tamen illa locutio cavenda est, in qua manifestatur nimietas vel defectus, in confessione cognitus, quæ ex se aliquomodo, ignominiam & erubescentiam pœnitenti inferunt, & á confessione retardare possunt, vt ait Lugo. Et etiam est contra confessionis sigillum, si confessor pœnitenti, asperiorem ostendat vultum, aut minus affabiliter, quam ante auditum peccatum colloquatur, vt ait Bonacina.

Sextó, si confessor, etiam generaliter dicit, quod in aliquo oppido forté non amplo, vbi confessiones excepit, committuntur varia crimina, vt adulteria & veneficia, datur periculum gravissimum violandi sigillum; nam ex tali dicto, communitas infamatur, & infamia in pœnitentes, tanquam in eius membra redundat, & qui de aliquo pravam conceperant opinionem, firmantur in ea; quod

ma-

maximé vrget, si talia dicuntur de aliqua communitate religiosa, quia etiam communitatis infamia, redundat in membra; præcipué cum religiosi plures, adeo sint suæ communitatis amantes, vt eius infamiam, reputent propriam, vt ait Lugo, & Dicastillus; & sigillum adeo strictè obligat, vt confessor non solum certam notitiam, sed nec dubitationem, aut suspicionem causare possit, ex dictis de rebus á se in confessione notis. Undé dicitur in cap. omnis vtriusque sexus, quod confessor caveat omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenús prodat pœnitentem.

Inquires: an confessor possit extra confessionem, loqui cum pœnitente, de peccatis eius in confessione auditis? Omnes conveniunt in eo, quod extra confessionem, sine pœnitentis licentia hoc non licet, ne confessio reddatur odiosa. Nec sufficit licentia præsumpta, quia pœnitens á confessione retraheretur, cogitans ne confessarius eius licentiam præsumendo, de peccatis confessis loquatur, & ei ruborem causet. Dicitur, extra confessionem, quia si est in alia confessione eiusdem pœnitentis, confessor potest loqui de peccatis antea auditis, quia est in eodem toro Sacramentali, præcipué si vtile sit ad bonum spirituale pœnitentis, aliquid recolere de confessione priori; sic tenent Lugo, Dicastillus, & Salmant. Probabile etiam est, quod finita confessione, potest in continenti, aliquid circa illam advertere pœnitenti, quia iudicium non dum est totaliter finitum, licet partes essentiales Sacramenti sint positæ.

Dicitur; sine pœnitentis licentia, quia si cum eius licentia fiat, licitum est, vt ait D.T. addit. q. 11. art. 4. nam sigillum, est institutum in gratiam pœnitentis, & hic potest iuri suo renuntiare, & facultatem concedere; iudicatur autem, quod pœnitens licentiam concedit, quando ipse loqui incipit de aliquo confesso, vt ait Suarez, Bonacina, & Palaus. Sed an renuente pœnitente, possit confessor loqui cum eo de auditis in confessione, ad emmendandum defectum in priori confessione commissum? Affirmant aliqui cum Nuño, quia talis locutio, intra confessionem est, cum ordinetur ad perficiendam confessionem præcedentem, & pœnitens in hoc, esset irrationabiliter invitus. Sed oppositum verum iudicamus, cum Salmant. & pluribus citatis ab eis: quia illa locutio esset tacita peccati exprobratio, & iudicium prius, iam completum est; oportebit tamen, confessarium facultatem petere á pœnitente, ad emmendandum defectum, si spes detur obtinendi eam.

Sed quid, si confessor alicuius pœnitentis, gravia peccata in confessione cognovit, & forté ipsum absolutum dimisit, poterit iterum vocatus, eum non adire, sine sigilli violatione? Tale quid, nuper accidisse novi, & in Ant. á Spir. S. resolutum vidi; ait enim, quod si pœnitens ille, habeat animum simulandi confessionem, vt satisfaciat Prælato, non manet obligatio sigilli, quia illa non est confessio sed simulatio, cui non debet cooperari confessor; si autem habet animum confitendi, licet indispositus, quia non vult occasionem proximam relinquere, quod potest & debet, confessor nequit se excusare ire, nisi habeat causam quæ evidenter excusat, vt pœnitens non apprehendat eum excusari ob eius indispositionem, & accedens ad eum, potest initio confessionis dimittere, dando rationem huius, vt ait Perez.

Ex his deducitur 1. quód confessor audiens alicuius peccata, & exclamens. O bone Deus! sigillum frangeret, quia ex illo dicto, grave peccatum imaginarentur auditores; & ideo confessor alte non debet in confessione loqui, sed submisse, vt nihil á propinquis capiatur. 2. qui audit confessionem, & statim vadit ad consulendum cum alio de quodam casu, & iterum revertitur, & absolvit, sigillum frangit, quia facit aliquid, ex quo facile potest percipi, ab eo pœnitente fuisse commissum. 3. si confessor dicit alicui viro, tua vxor prima est cuius confessionem excepi; & tempore lapso oblitus huius dicti, iterum diceret: Prima fœmina, quam in confessione audivi, erat adultera, esset sacrilegus revelator sigilli; sic ait Tanerus, & ait, simile quid aliquando contigisse.

Casus nonus, circa idem. Confessor quidam, cum facultate pœnitentis, optabat consilium ab alio petere, ratione casus, per confessionem sibi relati, quam facultatem pœnitens concessit, ea conditione, quod á superiore suo non quærat consilium; sed accidit ob aliam causam, vt superiorem conveniat ille, á quo consilium petitum est, & verbis dubijs, excitet suspicionem in superiori, de commisso crimine ab aliquo sui subdito; instat & cupit scire, vt remedium possit apponere, & hac via crimen cognoscit, quod alter occasione consilij intellexit. Quæritur: an confessor possit notitia confessionis vti; & specialiter superior, in ordine ad gubernationem exteriorem? Pro huius responsione, duas regulas statuimus, ad quas reducitur, quicquid circa hoc circumferri solet.

Prima regula est. Confessarius licité vtitur notitia confessionis, ad actiones illas, quæ nullum afferunt incommodum, vel detrimentum pœnitenti vel complici; sic tenét Lugo, Perez, Vazquez, Ant. á Spirit. S. & Salmant. Ex quo habentur sequentia. 1. quod ex notitia confessionis, potest confessor reddi cautior, ad similia peccata vitanda. 2. potest Prælatus, qui ex confessione, scit subditorum querelas, auferre illarum motiva, vt rigorem moderare, meliorem victum tribuere, &c. 3. potest diversos casus in confessione audiendo, doctior fieri & prudentior, evoluendo libros & consulendo viros doctos, & etiam orare Deum pro pœnitentis spirituali profectu. 4. maximo affectu dili-

diligere illum, cuius vitæ innocentiam, ex confessione novit,& vt vno verbo dicam,omnis vsus notitiæ confessionis, ex quo nec revelatio sigilli, nec rubor pœnitentis sequitur, licitus est, quia tunc cessat inconveniens, nempé quod confessio non reddatur difficilis & exosa.

Vndé infertur: quód concionatori & scriptori rerum moralium, licitum est vti notitia confessionis, ad parandos sermones & commentationes aptiores,dum tamen in detrimentum pœnitentis,vel complicis non cedant; sic habetur in cap. omnis, de pœnit. & remiss. Sed tamen communiter, peccant graviter concionatores, præcipué si Parrochi sunt, si dicunt expressé, aliqua peccata in confessione audivisse, licet nullum adsit periculum revelationis,nec incommodi pœnitentis vel complicis, quia frequenter gens plebeia, ex illis verbis scandalizatur, & á confessione arcetur, & adest periculum, ne aliquis iudicans reprehendi de crimine confesso, erubescat coram alijs; vndé Parrochi maxima cautela procedere debent, specialiter in parvis oppidis ad criminum reprehensionem, in concionibus suis, ne gens ignara,finistre interpretetur,illum loqui ex auditis in confessione.

Secunda regula est: quód Prælati regulares, & omnes cæteri, nequeunt vti scientia confessionis, ad gubernationem exteriorem,licet non detur periculum revelationis sigilli directé, nec indirectè. Sic vt certum tenent communiter authores, & est omnino tenèdum. Ratio est:quia si subditi scirent Prælatos vsuros notitia confessionis,vt eos privarent officijs vel licentijs,maximé terrerétur á confessione, & hæc esset eis formidabilis. Quód præcipué verum est, post Decretum Clem.VIII. expeditum,die 26. Maij, anni 1594. & confirmatũ ab Vrban.VIII. const.26. in quo habentur hæc:Tám superiores pro tempore existentes, quam confessarij,qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimé, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur; nescio quomodo post Decretum hoc possit oppositum defendi?

Sed licet hoc,forté non sit prohibitum iure divino & naturali, quare in electione secreta, vbi nulla suspicio revelationis inducitur, possit alicui denegari suffragium, si ex confessione indignus cognoscitur, vt ait D. T. in addit. q.11. art.1. ad 4. quia ex multis alijs causis, redditur quis indignus, ad Prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ vel ætatis, vel alicuius huiusmodi; sed post decretum relatum,iure Ecclesiastico id prohibitum est. Sed non ideo prohibentur Superiores,ab actibus exterioris regiminis,ex quibus rationabiliter, non redditur onerosa confessio, vt sunt maior cautio, & prudentia ad impediendum peccati occasiones, diligenter invigilando,super gregem suum.

Ex dictis inferuntur plura. 1. confessarium ob peccatum cognitum in confessione,non posse pœnitentem privare, officio vel Beneficio, etiam ad nutum amovibili, vt sentiunt Suarez, Bonacina, Coninch, & alij plures. 2. quód confessarius nequit dimmittere servum, quæm ex confessione novit,latrunculum esse, quia indé sequeretur eius pudor & damnum, vt dicunt Gutierrez, Dicastillus, & Reginaldus. 3. non posse confessarium, ob peccatum in confessione auditum, negare pœnitenti Eucharistiam, sive occulté, sive publicé petat. 4. confessarium non posse ex notitia confessionis Prælatum monere,si periculum sit,vt pœnitens aliquo modo prodatur. 5. non posse confessarium, qui in confessione novit Ecclesiam esse pollutam, id manifestare; nec etiam complicem pœnitentis corrigere;nec ex confessionis notitia excommunicatum vitare, hæc & alia plura,adducit Ant. á Spir. S. & ratio omnium est: quia ex his omnibus, confessio formidabilis redderetur pœnitentibus.

Quid autem dicendum, si quis ex confessione scit, aliquæm Sacerdotem non esse, nec confessarium? Dicatur: quód potest abstinere, á confessione illi facienda, licet consueverit ei confiteri. Sed quid si hinc resultaret aliqua nota, vel damnum pœnitentis, si confessarius ei rursus non confiteretur?Casus puré metaphysicus est,vt ait Lugo,quod aliquis fateatur, se non esse Sacerdotem, & quod postea velit meam confessionem audire; sed dato id accidere posse,quod rarum est,confessor nequit vti confessionis notitia, si indé timeretur aliqua sigilli revelatio, vel pœnitentis damnum,& tunc poterat accedere, confessionem exterius simulando, & postea sibi de opportuna confessione providendo, vt dicunt Lugo, & Dicastillo; sed re vera casus hic, nunquam á tot sæculis accidit, nec fortassis, accidere potest.

Demúm: pro sacri pœnitentiæ sigilli commendatione, hoc breviter digressive liceat notare,quod sigilli confessionis observatio,in obligatione naturali servandi secretum, fundamentum habet, de quo Doctores ad octavum Decalogi Præceptum sermonem instituunt. & nos Deo volente, de hoc ibidem disseremus; nunc pro tunc advertendo, quod secretum apud aliquæm deponere,maximum est amicitiæ signum; quare Christus discipulos amicos vocavit, quia omnia quæ á Patre novit,eis nota fecit; & per oppositum, ex facili secreti manifestatione,humana amicitia ruit; quo vitio sæculum præsens maximé abundat; de quo Eccli.19. v. 11. dicitur: á facie verbi parturjit fatuus, tanquam gemitus partus infantis;sunt enim quam plures,qui secreto audito,pergunt quasi parturientes, quovsque illud evomunt, de quo Ebroic. noster Serm. fer.4. post.2.Dom.Quadrag. sic lamentatur. Proh. dolor! sunt multi christiani, & vtriusque sexus,qui cum vident forté ab alijs se offensos,mox se vlciscen-

centes, improperant illis secreta, tempore amicitiæ eis bona fide relata, quo fit, vt inter tales, interdum suscitentur hac occasione, mortales inimicitiæ, lites & discordiæ; & quod deterius est, quandoque nulla præfata occasione, nonulli faciles ad laxandum habenas, revelant aliena secreta; contra hoc pessimum malum, nullum aliud est remedium, nisi allatum ab Isai. cap. 24. v. 16. secretum meum mihi, secretum meum mihi; res quidem, de qua diffusé loquendum erat, vt pro dignitate exponeretur; si ergo adeo stricté vrget, obligatio servandi naturale secretum, quanto arctius Sacramentalis secreti, vel sigilli obligatio vrgebit?

ARTICVLVS XVII.

De Animarum Directoribus.

Prima difficultas: Quibus debeant esse qualitatibus prædíti, illi qui animas debent instruere, atque in rebus spiritualibus dirigere? Notandum: quód in præcedentibus actum est, de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, ea generali ratione, quæ omnes & omnium excipientes confessiones comprehendit; nunc verò, de hoc eodem ministerio strictius sumpto agendum est, pro vt tangit solum sacros viros, ad dirigendas animas specialiter expositos vel destinatos, & præsertim illas, quas communi vocabulo, spirituales vocant. Res quidem, circa quam SS. PP. Catholici Magistri, atque Doctores mystici, integros & omni eruditione refertos confecere Tractatus; ex quibus selectiora pro hac materia, quæ veré difficilis est, intricata & obscura, magis praxim quam speculationem exigens, hoc & sequenti articulo proponemus.

Ad difficultatem ergo propositam. Resp. quód cum iuxta D. Greg. dictum, ars artium, sit regimen animarum, multa in Directore spirituali requiruntur, vt munus suum exequatur recté. Primúm & præcipuum est, quod ipse sit in virtutibus exercitatus; qua propter ait Paulus ad Galat. 6. vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, vbi D. T. ait: Quia rectum iudicium habet de omnibus, qui circa vnumquódque, recté dispositus est; sicut qui sanum gustum habet, recté iudicat de sapore; solus autem spiritualis, bené dispositus est circa agenda, & ideo ipse solus, de eis bené iudicat; & expressius hoc dicitur 1. ad Cor. 2. spiritualibus spiritualia comparantes, & D. T. dicit: recta comparatione, spiritualia documenta traddimus spiritualibus viris, quibus sunt convenientia.

Rationem autem huius, assignat ipse textus dicens: spiritualis iudicat omnia, & ipse á nemine iudicatur, quasi dicat: illi traddenda sunt spiritualia, qui potest iudicare; sed spiritualis est huiusmodi: ergo ei sunt spiritualia traddenda. Sed quis dicatur vir spiritualis, indicat ibi D. T. dicens; quód spiritus est substantia incorporea, organo corporeo non affixa. & quia aliqua pars animæ est huiusmodi, nempé intellectiva, comprehendés intellectú & voluntatem, hæc dicitur spiritus hominis, quæ á spiritu Dei illuminatur secundum intellectum, & inflammatur secundum affectum, & sic homo duplicitér dicitur spiritualis, & ex parte intellectus spiritu Dei illustrante, & ex parte voluntatis, spiritu Dei inflamante; vndé ait glossa, quod spiritualis vita est, quæ spiritum Dei habens rectorem, animam regit.

Sed ait D. T. quare spiritualis iudicat omnia, & ipse á nemine iudicatur? Et respondet: quód ille qui recté se habet in omnibus, recté iudicat circa singularia, sed qui deficit á rectitudine, etiam á iudicando deficit; vigilans enim recté iudicat, & se vigilare, & alium dormire, sed dormi non habet rectum iudicium de se, nec de vigilante; vndé Phil. dicit 5. Ethicor. quod virtuosus, est regula & mensura omnium humanorum, quia scilicet in rebus humanis, talia sunt singularia, qualia virtuosus iudicat ea esse, & secundum hunc modum, Apostolus dicit, quod spiritualis iudicat omnia, quia homo habens intellectum illustratum, & affectum ordinatum per Spiritum Sanctum, de his quæ pertinent ad salutem, rectum iudicium habet, ille autem qui non est spiritualis habet intellectum obscuratum, & affectum inordinatum, circa spiritualia bona, & ideo ab homine non spirituali, spiritualis homo iudicari nõ potest, sicut nec vigilans á dormiente.

Secundúm quod in spirituali Directore requiritur, est sapientia non quidem vana, iuxta Platonis, vel Aristotelis documenta, sed divina & Apostolica, & sic studium eius, magis debet esse circa Theologiam spiritualem & Mysticam, quam circa Scholasticam, licet in hac, debeat esse sufficienter instructus, quia eius regulis, spiritus discernuntur atque probantur; sicque Magister spiritualis, præcipué debet esse sapiens, in doctrina spiritus, qua conditiones animarum, & earum qualitates, & humores possit cognoscere, ad quod non parum iuvabit, Mysticos libros obvoluere, vt id de quo experientiam non habet, ab eis discat, & adhuc sic, passim reperiet scopulos & procellas. Undé habetur, quod scientia in Directoribus requisita, debet esse probitate atque integritate plena, vt enim ait D. Bern. Serm. 36. in Cantic. multa scientia, christianæ virtutis igne minime decocta, similis est cibo, ob minimam in stomacho digestionem, non subacto, vi nativi caloris, vndé cruditates morbique procreantur.

Director ergo spiritualis, antequam alios erudiendos accipiat, debet per multum tempus, assidué orationi vacare, & in se profectum experire, ad quod iudicium suum non exquirat, sed alterius Magistri docti & spiritualis, qui ipsum regat & cor-

rigat, alias temere procedet, rem adeo gravem aggrediendo sine ductore; stultum enim est alios docere, in ea facultate in qua quis non est peritus, nec etiam circa mecanicas artes, quis constituitur præceptor, si non sit antea strictè examinatus; quanto ergo magis in scientia spirituali, hoc fieri debet, quæ tot periculis & obscuritatibus est obnoxia? Et qui aliter facit, illi periculo se exponit, de quo Christus dixit: cœcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Undé mirum est, quod videtur quotidié, plures nempé officium directorum spiritualium assumere, qui raro aut nunquam, spirituales actiones exercuerunt, ex quo non parvum inferunt virtuti ludibrium, & ministerio contemptum, & opprobrium.

Tertiúm requisitum Magistri spiritualis, est docilitas, hanc enim Salomon postulabat á Domino 3. reg. 3. v. 9. dicens: Dabis ergo servo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit. Qua propter ait Isai. cap. 54. vniversos filios tuos doctos á Domino, & hos eosdem appellat Ioan. cap. 6. docibiles Dei; illi enim sunt docti ad iudicandum statum animarum, qui habent cor docile, & sunt docibiles ab alio. Miratus sum enim non semel, aliquos animas dirigentes, qui sic tenaciter & immobiliter proprio adhærent sensui, vt á nemine doceri, nec illustrari permitant; cum tamen in tenebrosa virtutis nocte, impossibile feré sit, quod vnus & idem, ad instructionem perfectam sufficiat. Quód exemplo sensibili fit compertum; in formatione enim statuæ, artifex vnus lignum cedit, alter ferro dolat, alter deaurat, perficit & illuminat, similiter igitur in ædificio spirituali procedendũ est. Nec ideo volo, animam plures directores habere, sed vnicum, qui tamen non sit ad illam nimis affectus, sed si noscat illam peritiori directore indigere, illum quærat, cum eo consulat, vel ad ipsum animam remmittat.

Quartó requiritur, quod Magister sit modestus, taciturnus, ponderosus, hilaris, circumspectus æqualis. *Modestus*, quia iuxta Apostolum, modestia nostra, debet esse omnibus nota, quia illa est optima virtutum custos, quæ modestia, præcipué cum fœminis servanda est, in loquela & aspectu, ne Director, animæ suæ nocumentum inferat, dum eas causa directionis pertractat, de quo agemus infrá. *Taciturnus*; ideo enim Moyses, ex quo factus fuit populi ductor, linguæ habuit vsum tardum & impeditum; director enim, debet esse secretorum receptaculum & nihil propalare de animæ interiori statu, etiam consulendo, nisi celata persona, dicendo: cuidam animæ, hæc vel alia contingunt, quid illi est providendum? Sunt enim aliqui, facti in derisum omni populo, qui personam & eius mirabilia pandunt, vbicumque & quibuscumque, quasi animarum status interior, esset novitatum carta, quæ omnium manibus teritur, & ingeritur auditui. *Ponderosus*, hoc est, in operatione temperatus, non præceps aut velox, iuxta sapientis consilium: Ne temere aliquid loquaris, neque cor tuum sit velox, ad proferendum sermonem, hæc enim est actio immatura, & nullam in Directore mortificationem supponit.

Deindé, debet esse *hilaris*, quod ad dirigendos alios, maximé necessarium est, qui enim vident Magistrum virtutis, tristem, & macie attenuatum, sinistre perfectionem concipiunt, cogitantes illam esse tristitiæ sinum, & ideo eius exercitia perhorrescunt, cuius oppositum apprehendunt, si directorem aspiciunt modeste affabilem, de qua virtute plura habet D.T. 2. 2. q. 114. quomodo enim disciplina Dei, qui benignus est & iucundus, cum directore faciei pavidæ potest cohærere? Sapientia enim hominis lucet in eius vultu. *Circumspectus*, non quidem adamantinæ frontis & duræ cervicis, hæc enim iuxta D.T. non est circumspectio, sed aggrestitas; sed solitarius, ab hominum & sæculi tumultibus segregatus, nec cum spiritualibus filijs, nimiam familiaritatem profitendo, nec eos in domibus suis frequenter visitando, & præcipué si fœminæ sint, propter rationes & pericula, infrá speciatim adducenda.

Demúm, debet esse Director animarum *æqualis*, omnibus se exhibendo communem, sive divitibus sive pauperibus, imó potius his, ob maiorem eorum necessitatem; & oppositum eleganter reprehendit D. Iacob. cap. 2. v. 2. dicens: Si introierit in conventum vestrum, vir aureum annulum habens, in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara & dixeritis ei, tu sede hic benè, pauperi autem dicatis: tu sta illic, nonne iudicaeis apud vos metipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Director ergo, omnibus indiscriminatim, se ostendat affabilem & communem, nec potius in fœminarum, quam virorum directionem sit propensus, quasi viri spiritum dirigibilem non habeãt, cum tamen ipsi capaciores sint, & possint cum minori periculo gubernari; præcipué cum sæpiús in fœminarum directione, lateat quædam fucata libido, per quam cordis ruina paratur. Fœminæ dirigi debent; sic fateor, sed ad hoc non sit nimis Director prodivis, & quando cum ipsis de rebus spiritualibus agitur, ille est maxima cautela, reflexione, & circumspectione muniendus.

Secunda difficultas: Quænam prudentia necessaria sit, ministris directoribus animarum? In ministris Sacramenti Pœnitentiæ, vt suprá vidimus, maximé requiritur prudentia, sed cum animarum Directores, sint speciales ministri, eorum prudentia, debet esse magis specialis & contracta, cùm in modo se gerendi cum discipulis, quám cum se ipsi, & ad hoc sequentia servare debent. *Primó* inspicere attente, animæ capacitatem, humorem, & con-

ditio-

ditionem ſtatus, nam ſi illa quæ poſita eſt in virtutis exordio, laboribus & obſcuritatibus vallata, & humore melancholico infecta, oneretur pœnitentia nimia, vel prolixo orationis exercitio, abſque dubio terrebitur, vel in ægritudinem aut tædium incidet, & forté relinquet mortificationis vitam, & laxiorem amplexabitur; debent igitur, & animæ & corporis vires attemperari, nam theſaurus animæ, repoſitus eſt in corpore, tanquam in vaſe fictili, qui ſi frangitur vel conquaſatur, theſaurus funditur & deperditur.

Secundó obſervet, quod errant Directores, qui animas rigoribus affligunt; pœnitentia enim non eſt finis ſed medium quo caro ſpiritui inſervit, nec eſt inſtituta ad diſſipandum corpus, ſed ad illud moderandum, vt ſpiritum coadiuvare poſsit; nam corporalis exercitatio, vt ait Paul. ad modicum vtilis eſt, pietas veró ad omnia. Verum enim eſt, quod ſine pœnitentia, non datur ſpiritus tranquillitas, contemplationi neceſſaria, nam ſi paſsiones immoderatæ non frænantur, & per rationem diriguntur, ſpiritus pondere opprimetur, quin poſsit ad cæleſtia conſurgere, ſed hoc debet per prudentiam regulari, nec omnibus iniungendo quicquid ferre poſſunt, ſed aliquid minus, natura enim, licet ſit multum robuſta, nequit aſsidué portare, omne id ad quod habet vires, ſicut idipſum in brutis conſpicitur, & ſic debet aliquantulum indulgere naturæ, vt poſsit diu in ſpiritualibus exercitijs perdurare, vt ſpirituales Magiſtri docent.

Tertió obſervet: quód peius errabit, ſi omnino pœnitentiam deſpiciat; nam vt vidimus, illa eſt ad tranquillitatem ſpiritus neceſſaria, & licet habitus vitiorum qui debent deſtrui, ſubiectentur in anima, ſed ad ſuos exequendos actus, habent organa in corpore, & præcipué in appetitu, & ideo egent coactione & violentia, ne in actus exeant, & hoc per pœnitentiam fit. Sed tamen, ad illam imponendam, Director debet attendere vires, genium & ſtatum animæ; ſi enim illam inſpicit tenerам vel afflictam, aut in purgationibus poſitam, vel in ſtatu amiſsionis bonorum, mortis parentum, liberorum vel coniugis, & omni ſolatio deſtitutam, non eam increpationibus cumulet, quod eſſet imprudentia notabilis, imó humaniter conſoletur, vt ſpem erigat, alias in tædium vel deſperationem ruet; ſi veró anima cui eveniunt hæc, ſit fortis & perfecta, imprudentia non erit, eam relinquere in ſilentio & ſpe, vt patiatur ad exemplum Chriſti.

Quartó debet obſervare ſpiritualis Magiſter, quod incipientibus, qui ſunt in virtute parvuli, lac debet miniſtrare, non eſcam, iuxta Pauli dictum; illi enim, non dum poſſunt, ſolidum digerere cibum, ſicut proficientes & perfecti, quibus durum alimentum poteſt conferri. Vndé non debet velle Magiſter, quod anima omnes ſuas inordinatas paſsiones collectivé deſtruat, quod impoſsibile eſt, ſed vna deſtructa, aliam diviſim deſtruere conetur; ſed tamen á difficilioribus non incipiat, niſi illæ ſint occaſiones & paſsiones graviter peccaminoſæ, quæ ſtatim debent reſecari; ſed incipiat per vitia faciliora, quia rerum naturalis ordo poſcit, vt per faciliora ad difficiliora procedamus, aliter enim, anima ſuccumbet oneri, nimia difficultate compreſſa.

Quintó, ad exercitium orationis iniungendum, vires & ſtatum animæ contempletur, ne ex tempore aut modo, tædium inferat, in quo Directores ſæpiús errant, prolixum tempus orationis præſcribendo, his quibus vires deficiunt, qui onere gravati eam faſtidiunt; é contra veró, illis quibus eſt neceſſaria diuturna oratio, modicam iniungunt, cum eorum detrimento, quia opus Dei quod in illis agitur, & per aſsiduam orationem, erat conſummandum, interrumpunt, vt cum quis excitatur á ſomno, cuius duratione egebat, vt cibum digereret, & poſtea capitis & ſtomachi doloribus agitatur. Quid autem fiet, cum his qui orationis exercitium maximé abhorrent? Reſp. quód lente & ſuaviter aliciantur ad hoc, per breve tempus, vt per dimidium quadrantem, noviſsima ſua, vel Chriſti Paſsionem conſiderent, vt poſtea Dei auxilio poſſint longius immorari; &ſi hoc facere non poſsint, ex mentis hebetudine, hortetur vt ad Ieſu pedes per aliquod ſpatium ſiſtant, eiuſque acerbos recogitent dolores, ob ſui amorem perpeſſos, & ſic paulatim introducat in orationis exercitium illis tenebroſum & invium.

Sextó pertinet ad prudentiam Directoris, pœnitentium defectus diſsimulare, blandé confovendo, nec expavendo auditis eorum lapſibus, quia aliter imprudenter aget, & animas confundet atque terrebit, ad manifeſtanda interiora ſua; illis ergo hortetur atque ſuadeat, vt humiliter de peccato doleant, & ferventius, iter perfectionis arripiant, nam forté Deus caſum permiſsit, ob aliquæm defectum occultum, quæm negligunt emmendare; & exindé ſemetipſum hilariorem & affabiliorem exhibeat, ne forté poſsit coniectari, quod propter peccatum illi detectum, in contemptum pœnitentis devenit, quod valdé permitioſum eſt; & iuxta hoc, licet animas videat aliquando tepidas & remiſſas, nunquam eas acriter arguat, nec dicat illis quod perditæ ſunt, abſque vlla ſpe proficiendi, quia hoc eas conturbat; ſed benigné corrigat, nam in exordio vitæ ſpiritualis, animæ ſunt debiles, cum res ſit ardua, paſsiones animæ ſuperare; ſi autem aliquæ ſunt ita tepidæ, quod ſæpiús animaduerſæ non emmendantur, cum his Director, cum ſeveritate ſe gerere debet, prudenti tamen lenitate commixta.

Septimó neceſſaria eſt, in ſpirituali Directore, magnanimitas & dilatatio ſpiritus, hæc enim etiam ſunt prudentiæ partes; ſi autem ille ex natura ſua puſillanimis eſt, ſciat diſsimulare prudenter, nam in

hac

hac difficili & obscura via, hoc est maximé necessarium, alias discipulus expavebit terrore percussus; dirigat ergo cum sancta libertate spiritus, nam vt ait D. Paul. vbi spiritus Domini, ibi libertas, nam alias, eruet spiritus remissos, timidos, & parum ad divinam infusionem habiles; Deus enim, iuxta capacitatem animarum se communicat & ideo ait in Psalm. dilata os tuum & implebo illud. Demúm, in purgationibus passivis animarum, speciali dexteritate se gerat, nec eas nimis oneret nec fastidiet, sed custodiat & foveat, & pro cæteris, Magistros expertos consulat & libros, vt res arduas passim occurrentes, inexpertus non aggrediatur.

Tertia difficultas: Quænam sint animarum genia? Notandum est, quod ad mysticam directionem, sicut & ad quodlibet exterius negotium, debet eius fundamentum cognosci, ideoque opus est, vt director cognoscat personas suæ directioni subiectas, earumque statum, modum conversandi & similia, pro vt hic & nunc ratio dictat. Pro quo sciendum est: quód licet divina gratia genia superet, illis tamen se frequenter accommodat, & ideo in contemplationis vsu, naturalis ratio capacitatis & complexionis debet attendi, quæ sequenti modo proportionabitur. *Primó*, si anima est inquietæ conversationis, imponendum est ei, quod Dei magnitudinem contemplando, cum timore & tremore, suam operetur salutem, per pias & accommodatas considerationes, ex quibus oriatur augmentum virtutum, & proximorum exemplum, sed discursibus modum statuat, iuxta genium & vires suas, ne alias, vluntatem tepidam reddat; si veró anima sit indolis maturæ & quietæ, licet habeat intellectum subtilem, poterit eam secure, ad quietum exercitium paulatim dirigere, quia ea subtilitas, ex vi pacificæ naturæ, conducet ad lumen divinum facilius percipiendum.

Secundó, sunt aliæ animæ, pacificæ, suaves & affectuosæ, sed in operando valdé remissæ, quæ licet possint esse aptæ contemplationis quieti, egent tamen probatione maiori, & per multum tempus, debent meditationem exercere, nec ab ea faciliter amoveri debent, sine evidentibus signis, quia sæpiús ipsæ & Magistri decipiuntur, falsó cogitantes in simplici divinæ bonitatis intuitu quiescere, cum tamen quies illa sit falsa, & á remissione & desidia orta, & si ab hoc statim non recedunt, se meditationi traddentes, fient remissiores, & exponentur dæmonis fallacijs, quia á natura & appetitu ducuntur, & non á gratia & lumine supernaturali. *Tertió*, sunt aliæ animæ, pusillanimes & pigres, quæ minima velut magna formidant, & hæc nunquam aggrediuntur, modo fervent, & subito deficiunt, iuxta dictum Prov. Vult & non vult piger, quæ regulariter sunt ad contemplandum ineptæ, licet per Magistri solicitudinem & stimulum, possint reddi capaces, corrigendo per industriam, pigritiam & pusillanimitatem earum.

Quartó, sunt animæ, nimis confidentes, dissolutæ, laxitatem amantes, quæ feré semper operantur intrepide, atque ad voluptatem, & commodum inclinantur; has dirigere oportet, per novissimorum meditationem, quorum horrore paveścat; observetque Director, quo fervore virtutes exerceant, & an crescant in timore sancto, in quo eas conservare studeat, & faciat sæpiús de his reddere rationem, quia per minimam in eis negligentiam, paulatim revertentur ad veterem vitam. *Quintó*, inveniuntur animæ, vivaces, inquietæ, scrupulosæ, & melancholicæ, quæ aptæ non sunt, ad pacificum exercitium; has Director modicum in novissimorum consideratione sistere faciat, ne scrupulos & tristitiam foveat, sed in consideratione vitæ & mortis Domini, & mysteriorum fidei exerceat, in quibus plus vel minus, iuxta motionem affectus debent immorari; sed tempus orationis, minus sit quam lectionis, quia sua vivacitate, nequeunt discursus digerere, & lectio illa ex Venerab. Ludovico Granat. desumatur; & eas Magister in strictissima obedientia conservet, & curet quod excepto tempore orationis, solæ non maneant, sed honestam alicuius personæ societatem quærant, eiusdem sexus, quia alterius sexus conversatio vt videbimus, nimis est periculosa.

Sextó, aliæ reperiuntur animæ, aridæ, inaffectuosæ, & aliquantulum melancholicæ, sed patientes & taciturnæ, quæ sunt aptiores præcedentibus, & ex eis spiritus fortes possunt efformari, & ad perfectum contemplationis culmen ascendere, nam regulariter animæ illæ, sunt profundæ & solitariæ, & per exercitium á sensibus abstractum operantur, quia ex profunda occupatione, provenit ariditas illa, quæ in potentijs materialibus residet, & eo sensibilis delectatio minuitur, quo spiritualis augetur. *Septimó*, sunt aliæ animæ, impatientes & inquietæ, hinc indé volitantes sicut aves, quæ quolibet circumferuntur vento, & hæc sunt ineptæ contemplationi, & per pias considerationes vitæ & Passionis Domini, á quo patientiam discant, genium suum corrigere debent, & in hoc per totam vitam perseverare, nisi certo constet, Deum illas ad contemplationem vocare, quas Director stricta obedientia contineat, & propriæ voluntatis abnegatione.

Octavó, sunt aliæ animæ, velut inanimes & mortuæ, & quædam ita insensibiles, vt nec ad bonum nec ad malum flectantur; aliæ veró, quæ in illa desidia impatienter se habent, licet plus ad malum, quam ad bonum inclinentur; ex his nullæ sunt aptæ contemplationi, quam si exercerent, in turpe otium & illusiones incurrerent; has Magister, in meditatione novissimorum exerceat, quod si profectum viderit, ad meditationem vitæ & Passionis

Chri-

Christi transferat, & de stricta earum obedientia & mortificatione sit solicitus. Sed tamen pœnitentijs extraordinarijs, non sit Director affectus nimis, quia præter difficultatem executionis, qua onerosam reddunt spiritualem vitam, sæpiús scandalum & irrisionem causant, vt aliquando vissum est in muliere, ob confessoris iussionem, botulos porcinos in collo gestante, quæ cum esset pueris obvia, fuit ab eis lapidibus & luto graviter læsa, & in eius domum portata semiviva; multæ extant mortificationes internæ, quæ in occulto exequi valent, illæque sunt aptiores vulneribus medendis, applicatæ potentijs interioribus, in quibus residet vitiorum inordinatæ passiones.

Denique, de huiusmodi genijs, hoc scire debet spiritualis Magister, quod regulariter fœminæ, sunt aptæ sanctæ quieti, sed cum eis procedendum est caute, probando illas per longum tempus, per exercitium virtutum, mortificationis & meditationis, nec facile credendæ sunt, licet affirment, se in simplici Dei notitia statim quiescere, quia hoc sæpé provenit ex earum desidia, vel ex affectuosa natura, vel etiam ex moli & fastidioso spiritus insapore, aut naturalis otij desiderio, quo laborem odiunt, nam licet habeant imaginationem vivam, etiam pigritiam habent, ex earum humida natura provenientem, & sic per solicitum exercitium virtutum, & præsertim per proprij iudicij mortificationem, longo tempore sunt deducendæ; sunt enim fœminæ, debilissimæ, fallaces, imaginativæ, inconstantes, & proprio iudicio & voluntati afflixæ, & egent diu mortificari, & nullatenús earum relationibus assentire.

Propter hanc rationem, Director debet esse maximé cautus, in præbendo assensum visionibus, & revelationibus, præcipué fœminarum, nec eas plaudat, nec despiciat, nec nutu aut verbis, earum æstimationem ostendat, sed prudenter dissimulet, observet & examinet, quales sint, & vndé procedant, quos effectus producant, quomodo affectum ad Deum erigant, & iuxta revelationes, nunquam animas operari permittat, sine maturo rei examine & discussione; nec statim revelationes illas damnet, vt Dæmonis fallacias, sed animam doceat, vt in eis non apponat fundamentum, & licet clare cognoscat esse Dæmoniacas, animabus non dicat, esse á diabolo deceptas, sed quod illas visiones renuntient; si autem videat quod in earum defensione animæ sunt tenaces, illas pronuntiet illusas, atque visiones dolosas; si veró cognoscit illas á bono spiritu procedere, non hoc fateatur, ne animæ propriam satisfactionem ingerat, sed dicat in his non consistere sanctitatem, sed in gratia & charitate, quia sæpiús experiuntur Dæmonum illusiones, sed de mulierum revelationibus parvifaciendis, statim loquimur.

Quarta difficultas: De modo cognoscendi & discernendi revelationes. Aliquid proximé de hoc tetigimus, sed quia res valdé est necessaria, pro spiritualibus directoribus, apponimus aliqua summatim accincta, quia si pro dignitate explicanda foret, integrum volumen non sufficeret; & pro latiori eius examine, Lectores remittimus ad M. Raphaelem de la Torre, tom. 2. in 2. 2. q. 95. disp. 3. & ad D. Ioan. de Larrea, tract. de revelat. 2. p. decis. Granat. in fine, & ad plures alios quos ipse citat, num. 4. qui optimé materiam pertractant. Supposito ergo, quod Director nec debet esse nimis incredulus, quia Deus promisit, secreta sua manifestare servis suis, vt patet ex cap. 2. Ioel. v. 28. nec etiam debet esse facilis nimis, in credendis particularibus revelationibus, ob Dæmonis astutias, quæ frequenter in eis latent; his duobus extremis vitatis, restat videndum, quænam attendi debeant, vt revelationes particulares, possint cognosci?

Dicendúm est: quód omnia specialia, ad materiam hanc pertinentia, ad tria principia possunt reduci; primum est, persona vel subiectum, cui revelationes fiunt; secundum, obiectum & circumstantiæ illarum; tertium, effectus quos producunt. *Primúm* est subiectum vel persona, in qua non solum debet attendi virtus, sed etiam sexus; si enim fœmina est, licet virtuosa, eius revelatio est suspicionibus plena & falsitati expósita; quod probat Illustriss. Arauxo, in Decis. moral. Tract. de Eccl. statu, q. 23. §. 2. Túm ex affectuum & passionum vehementia, quæ in fœminis præ viris dominatur. Túm, quia vicsosus humor, qui in fœminarum capite maximé abundat, eas reddit aptiores, ad phantasmata recipienda & retinenda. Túm, quia ex vanitatis vitio, in quod fœminæ ardenter inclinant, possunt revelationes esse deficientes, licet ex parte causæ efficientis quæ est Deus bonæ sint; sicut aqua in radice suæ scaturiginis est clara & rectè decurrens, & sæpiús ex fæditate conductus, turbida fit & in cursu detorta.

Hoc ipsum comprobat Seraphica Mater Teresia, cap. 4. fundat. & tom. 1. Epist. admonit. 9. vbi in substantia, eandem affert doctrinam. Vndé asserit S. Franciscus Salesius, quod facilitas & teneritudo imaginationis in fœminis, ipsas reddit aptas, ad illusiones recipiendas, ob nimiam earum in credendo facilitatem; in cuius testimonium, lib. 2. Epist. 23. historiam satis gratiosam narrat, fœminæ cuiusdam eius consanguineæ; cum enim vir eius mortuus esset, ipsa se gravidam imaginavit, in cuius imaginatione, quatuordecim pertransivit menses, doloribus & infantis in vtero motibus imaginatis, & tandem per integram noctem exclamavit, quasi ad veniret tempus partus, & si eius lubricæ imaginationi, daretur fides, possibilis esset partus absque conceptu; hæc ait Sanctus; & simile aliud novissimé diebus istis, in fœmina nobili vidimus, multum

tempus percurrente imaginatione falsa, de eo quod filium portabat in vtero, qui longo peracto tempore, nondum apparuit, de quibus aliud simile videatur infrá, art. sequenti, casu 11. in fine. Hæc omnia suadent satis, quam sit debile fœminarum iudicium, vt revelationib s earum detur assensus; quare de Episcopo Tiatiræ, fuit Deus conquestus, qui mulierem permisit, quæ se Prophetam dicebat, vt dicitur Apoc. 2. v. 20.

Secundùm principium est, obiectum & circumstantiæ revelationum, ita vt illud, nihil falsi, nec in minimo contineat, nam Deus, nunquam potest esse falsitatis author, vt communiter Theologi sentiunt. Satis compertum est, diabolum mendacem esse, atque mendacij patrem, qui astutia sua perversa, quandoque aliqua vera dicit, vt ita ad errorem & falsitatem inducat & viam paret. Vndé ait D.T. 2. 2. q.172. art.6. ipsa doctrina Dœmonum, qua suos Prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur; sic enim intellectus, ad falsum deducitur per apparientiam veritatis. Dœmon igitur, interdum plurimas veritates miscet, vt inducat in vnicum errorem; quare Christus, aliquando Dœmoni tacere iussit, licet illum vt Sanctum acclamaret, sic erudiens nos, vt diabolo non præbeamus auditum, licet dicat verum, quia eius semper prava est intentio, vt nostrum damnum & perditionem consequatur, vt optimé ait D.T. 2. 2. q.95. art.4.

Nec sufficit, quod obiectum revelationis verum sit vt credatur, insuper enim requiritur, quod sit de re vtili & pia, nam si curiosa est, inutilis & vana, non est revelatio Dei, quia ipse vt Isaias ait, solum vtilia docet; & vlterius, res illa revelata, debet talis esse, vt humana industria consequi non possit; nam Deus solum profunda & abscondita revelat, quæ naturalem facultatem superant, vt dicitur cap.2. Daniel, v.22. Deindé revelatio Dei, debet habere divinæ sapientiæ proprietates, quas ita D.Iacobus ennumerat, cap.3. v.17. quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deindé pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, rem iudicans, sine simulatione, quas octo proprietates, reducit D.Angel. ibi ad octo Beatitudines.

Hinc fit, quod divina revelatio, in substantia & circumstantijs, semper est sanæ doctrinæ, & puritate morum conformis, ita vt nec in iota, nec apice, á veritatibus Ecclesiæ Catholicæ recedat, alias diabolica erit & perniciosa; & idem est proportionaliter, quando alicui legi naturali, divinæ vel Ecclesiasticæ contradicit, vel in eis dispensat; sicut nec meretur assensum, revelatio facta de re opinabili inter Doctores Catholicos, quia huiusmodi obiecta, non determinantur á Deo per revelationes particulares, sed per declarationem Apostolicæ Sedis, quæ est lidius lapis veritatem manifestans; qua propter, refertur de quodam Cipriano á Matre Dei ordinis discalceatorum SS. Trinitatis, quod cum Angelo sibi familiariter associato interrogasset, an Angeli specie differant? Et an Prælati, duplicem Angelum Custodem habeant? Angelus respondit: scientiam istorum, ei non interesse; sic refertur in Chronic. discalcear. p.1. lib.4. cap.5. num.16. si enim hoc Angelus viro Dei dixit, quomodo possunt credi revelationes eorum, qui res puré curiosas sectantur? Disputent Theologi, dum enim Ecclesiæ conveniens fuerit, Deus abscondita tenebrarum manifestabit.

Tertiùm principium, ad revelationes cognoscendas, se habet ex parte effectuum illarum; si enim revelatio vera est, & á Deo provenit, effectus eius boni erunt, & Spiritus Sancti fructus, quos enumerat Ecclesia, & D.Paul. ad Galat. 5. v.22. nam vt ait D. Greg. lib.1. Dialog. cap. 10. Mens quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet & humilitatem; spiritus enim Dei, licet in principio exterreat animam, sed statim eam pacificat, confortat cor, & actiones cõponit; si á revelatione isti effectus procedunt, illa divina est; si autem é contrario eveniat, vt illa inquietam & obscuram relinquat animam, propriam æstimationem & vanitatem causat, virtutes destruit, iudicia voluntaria nutrit, devotionem obligationi præponit, á doctis hominibus fugit, cum ignaris conversatur, qui magnificant quæ non capiunt, & tandem mendacia, errores, turbationes, & disturbia gignit, hæc omnia signa sunt, falsæ & diabolicæ revelationis.

Tandem, pro dictorum munimine, D.Ioan.Bapt. Larrea, loc. cit. num.31. hæc ait: Cúm Iacobus Rex Aragonum propugnator dictus, anno 1264. Comitijs Generalibus Cæsaraugustæ Congregatis in Monasterio Ordinis Dominicani, á subditis tributa exigeret, vt Castellæ Regi contra Mauros opem ferret, postquam Rex dicendi finem fecit, quidam Minoris Ordinis Religiosus, vt placitis Regis suffragaretur, & tributis & servitijs concedendis Aragones impelleret, publicé in consilijs vulgavit, sui Ordinis virum sanctum, habuisse á Deo revelationem Angeli missione, qua prædicebatur, Regem Iacobum, totius Hispaniæ á Paganorum perfidia liberatorem extiturum; sed Ximenus Vrrea, inter proceres primus, surrexit & respondit: omnes Dei revelationes bonas esse, ipsos tamen Regem adituros, & quicquid exposceret pro patriæ vtilitate, & bono publico statuendum fore; hæc ille, quod cum in Ordine & Conventu nostro contigerit, specialiter nos instruit, de revelationibus facile non credendis. Qua propter, Sacra Religio nostra, quæ Ordo veritatis est, quarundam mulierum Beatarum figmenta, ab earum inani cerebro producta, semper habuit exosa, licet vnus vel alter singularis ac ratus, simplici pietate,

vel

vel tenacitate commotus, eis assenserit, qui tamen Religionem non constituit, sicut nec hirundo vnica, ver facit. Hæc de instituto isto, summatim sint dicta, de reliquo, authores suprà citati consulantur.

Quinta difficultas: Quæ facere debet Director spiritualis, statim ac anima, eius directioni exponitur? Cùm anima ad Directorem accedit, & se suæ curæ commendat, necesse est vt quam primum, cum illo faciat generalem confessionem, licet iam hoc fecerit cum alio, quia per actiones vitæ præteritæ, animæ genium & inclinationem comprehendet, si tamen illa scrupulis vexetur, hoc erit ei nocivum, & tunc sufficit quod Directori, speciales suas inclinationes referat, & passiones a quibus impellitur vehementius, vt modum suæ vocationis cognoscat, & proportionata exercitia iniungat, ad vitam renovandam. Licet autem non increpemus Directores, qui plurium animarum curam suscipiunt, si tamen fieri posset, cuilibet animæ, vnus deberet designari Magister, sicut singulis hominibus, singuli Angeli Custodes, & Directores designantur, vt ait D. T. 1. p. q. 113. art. 2.

Sed tamen, quia Angelorum inferioris ordinis numerus talis est, vt numerum creaturarum rationalium incomparabiliter excedat, vt ait ipse D.T. 1. p. q. 50. art. 3. & ideo quilibet pro quolibet homine possit designari, & etiam vnus Magister, possit esse plurium animarum Director; erit tamen rectè consultum, quod solum eas animas dirigendas assumat, quas possit commodè gubernare; directionis enim difficultas & pericula, hoc exigunt, pro cuius rectitudine, & pro qualibet ex animabus, quæ sunt suæ curæ commissæ, Magister specialem debet fundere orationem; sicut etiam medicus pro quolibet infirmo, aliquod tempus studij & considerationis debet impendere, præcipuè cum Deus, negligentibus Directoribus maximè irascatur, vt constabit meditanti varios Sacræ Scripturæ textus & specialiter, cap. 34. Ezechiel. in quo legitur formidabile iudicium Dei, erga Directores negligentes, circa animas sibi commissas.

In primo enim huius negotij gressu, Director ita se gerere debet, vt non voluntariè, hoc onus formidandum assumat, sed quasi coactus, eas animas solum admitendo, quas ad eum altissimus miserit, & ad primam earum instantiam, semper se excusando prudenter. Cùm autem his devictis, animæ directionem assumit, debet eam ante omnia monere, quod in omnibus & per omnia, tenetur ei esse maximè obediens, absque vllo proprio velle vel nolle, sepulto propriæ voluntatis arbitrio, quod si hoc recuset facere, nō admittat, sed dimittat. Sed notandum, quód aliqui sunt spiritus adeo exigui, quod in parvis rebus obedire non audent, vt in ornatu vestium, in loquela indifferenti, vel moderato ludo, quæ renunciare formidant, cum quibus Director mitius se gerat; si enim delectationes non sunt inhonestæ, non debent subito resecari, quia Deus in oratione, ad illas superandas, eriget corda, & tunc paulatim, eas affectiones Director eradicet, quod si repetitis monitis non acquiescunt, ob duritiam & tenacitatem, procul abijciat, nec in earum directione consummat tempus; alij autem sunt omnino Directori subiecti, qui ex affectione ad illū, per eius instructionem, á culpis mortalibus liberantur, cum quibus humaniter se gerat, nec ad alium Directorem remittat, sed blandé sustineat, & ad mortificationem suaviter trahat; non tamen ex passione falso cogitet, nullum alium Directorem, eos rectè dirigere posse, quia hic est superbiæ tumor, & si fœminæ sunt, ex libidine occulta potest exoriri.

Deindé, vires & genium animæ debet contemplare Director, vt suprà vidimus, vt sic lac parvulis, & cibum solidum conferat perfectis; & similiter mortificationes debet taxare, attento personarum statu; coniugatos enim, non pœnitentijs oneret, quibus reddantur inepti ad matrimonij vsum, nec eis imponat, quod in domo silentium teneant, vel consortibus minus affabiles se exhibeant, hoc enim esset inquietudinum & malorum scaturigo; ideoque illos, plus interius, quam exterius mortificet, suadeatque vt familiam suam, solicitè regant, accuratè instruant, & sanctè gubernent, aliquod tempus in mentali oratione insumant. Rosarium cum domesticis quotidiè recitent, sumptus immoderatos vitent, debita solvant, Sacramenta frequentent, & familiares suos idem facere curent, & in omnibus se exhibeant, bonorum operum exemplar.

Circa status alios, hæc servare debet. *Nobiles* & magnates non cogat, vt exerceant vilia, suis classibus disconvenientia, sed omnia exercitia, statui eorum accomodare satagat. *Ecclesiasticos* item dirigat, iuxta status eorum proportionem, vt perfectè altissimo, in suis ministerijs inserviant; & similiter regulares, ad normam suæ regulæ ducat. *Officialibus* etiam, laborem suadeat, quia cum vultus sudore, debent edere panem; nec vllo modo permitat, quod in victu vestitu & ornatu, proprium statum excedant; est igitur necessarium quod Director, singulorū statum induat, vt possit in ipso eos perficere per labores & mortificationes; vnicuique enim Dominus iusit, vt crucem suam portaret, non verò crucem alterius; Dei enim sapientia, ordinatissimè status dispossuit, & cuilibet suam crucem afflixit, ita vt alia sit crux Ecclesiasticorum, alia nobilium, alia officialium, quam quisque respectivè portare tenetur.

Ulteriùs, solicita cura dirigat animas, nec parvipendat directionem earum, quia sic in eis franguntur vires, Magistrum odiunt, & de suo profectu non curant, quod é contrario faciunt, si vident illum, de sua perfectione solicitum, nec directionem

nem fastidientem. Caveat autem,ne illum videant de sua comoditate nimis curare, nam hinc sequitur malum exemplum,& continuus detractionum fomes.Hac ratione,nō debet ab his quos gubernat, aliquod accipere munusculum vel donum, quovis colore depictum, nam ex hoc generatur avaritia,& res é converso fit,quia spirituale ministerium,vertitur in temporale lucrum, & indé libertas tollitur ad corrigendum; & quamvis hæc per munera non auferatur, merces tamen laboris deperditur, & in discipulis contemptus generatur, nam putant eum non ex charitatis affectu, sed ex lucri amore, ministerium hoc assumpsisse.

Demúm, Director aperte & libere veritatem loquatur, si enim hoc ad sæcularia negotia est necessarium, quanto magis ad negotium salutis animarum; igitur arguat,obsecret,& increpet, in omni patientia & doctrina; & pro totius directionis recto itinere assumendo, omnibus suæ curæ subiectis præcipiat stricté, quod passionum suarum, & exercitiorum,singulis hebdomadibus, exactam rationem reddere teneantur, ad quod examen particulare, singulis diebus, saltim vespere faciendum iniungat, vt ita cognoscere possit, an in virtute proficiant vel deficiant, & eis provideat de opportuno remedio, attenteque observet,á qua passione magis impelluntur, vt adversus eam actus & affectus dirigat; si autem,post repetitam monitionem, non experitur emmenda,talem animam á se eijciat, ne in eius instructione, oleum & operam perdat.

Sexta difficultas: An viri sacri, debeant fœminarum vitare consortia?Pro hac re,sufficiebat transcribere, doctrinam Ang. D. opusc. 64. titul. de periculo familiaritatis, dominarum vel mulierum, vbi solida & solita eruditione, totam rem tractat. Supponimus generalia principia ruinæ hominum, ex mulierum familiaritate secutæ, de quo Scrip. & SS. PP. sæpiús agunt, quia concretius hoc intendimus explicare; ad quod sciendum: quód viri ad fœminam,est nativa propensio, quia hæc, de latere viri fuit producta, circa quod D.Ciril. lib.3. sic Dei sapientiam commendat: quamvis potuisset innovare aliquid, & iterum accipere puluerem de terra, & formare simili modo sicut Adam, hoc quidem non faciebat, sed volens inferere viro affectionem erga eam, abstulit quandam portionem eius, & reliquum coadiuvans, protulit absolutam humanæ naturæ rationem, & ille accessit blandè, & raptus in amorem inquit: hoc nunc os ex ossibus meis, &c. vndé propriissimé in masculorum natura, affectionem genuinam, erga fœminas insevit; & idem ait D.T. 1.p. q.92.

Hæc naturalis virorum in fœminas proclivitas, constat ex narratione, vel Apologo Damasceni,in historia Barlami, & Iosaphat, cap. 30. vbi ait: Quód cum Rex quidam,virili prole careret, vehementer angebatur;factum est tandem,vt vxor eius pepererit filium masculum, quo fuit pater summa voluptate perfusus, consuluitque medicos eruditos, circa agenda ad eius conservationem, qui dixerunt,quod si puer intra duodecim annos, Solem aut ignem videret, orbaretur lumine; quo audito, pater fecit secretum & occultum cubiculum, in quo filius cum nutricibus clausus morabatur per annos duodecim, postea verò, cum educeretur ad lucem,qui omnino mundum ignorabat,omnes eius partes, omniaque ornamenta ei demonstrantur iubente patre, & filio interrogante nomina rerum, cum ad fœminas veniret,dictum est illi,quodDœmones vocabantur; omnibus ergo devisis, iterum venit ad patrem,qui cum ab ipso inquireret,quidnam ipsi magis placeret?Respondit: Dœmones illi quos vidi, in quorum amore statim exarsi, de quo mirabatur Rex, agnoscendo quanta sit viri ad fœminam nativa propensio.

Dicendum est ergo: quód sacri viri, maximé debent fœminarum vitare familiaritatem atque consortium. Hæc veritas, non aliter meliús,quam SS. PP. & Scrip. dictis comprobatur. S.Leander, lib. de instit. Virg. ait: Dispar sexus in vnum locatur, & eo titillatur instinctu, quo nascitur & naturalis movetur flamma, si incomposita attigerit; quis colligabit ignem in sinu suo, & non comburetur? Ignis & stuppa, sibi vtraque contraria, in vnum redacta flammas nutriunt, viri sexus & fœminæ diversus, si coniungitur,quo lex naturæ provocat commovetur; & Nicol. Pap. respondens consultis Bulgarorum, cap.50. ait: Vbi masculus cum fœmina pariter conversantur, difficile est, insidias hostis antiqui deesse; quod suadet eventus ille S.Martiniani,qui cum fabularetur cuidam mulieri Cæsarienſi,Lupa nomine,illa audacter provocando, feré sanctum commovit, & iam animo flagitium conceperat, ni cælesti luce fuisset repressus, de quo agit Metafrastres ad diem 13. Februarij.

Suadet hoc ipsum D. Paul. 1. ad Cor. 6. v. 18. dicens: fugite fornicationem, vbi ait D. T. quod cætera vitia,vincuntur resistendo,quia quanto magis homo particularia considerat, tanto minus in eis invenit vndé delectetur,sed magis anxiatur; sed vitium fornicationis, non vincitur resistendo,quia quanto magis homo ibi cogitat particulare, magis incenditur,sed vincitur fugiendo,id est,totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones. Vndé ait D.Hyer. ad Vigil. in fin. si fugero, gladium devitavi, si stetero, aut dimicandum mihi est,aut cadendum,quid autem necesse est,certa dimmittere; & incerta sectari?Tu qui pugnas,& superari potes & vincere, ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar; nulla securitas est, vicino serpente dormire, potest fieri vt me non mordeat, tamen potest fieri,vt aliquando me mordeat; quid faciet Monachus in cellulis fœminarum? Quid sibi volunt sola & privata

vata colloquia ? De quo luculenter agit D. Aug. serm.250. de temp. cap.2. & 3. & D. Cipr. serm. de ieiunio.

Nec contra hoc obstant, præclara Sanctorum gesta; nam D.Bern.in lecto cum muliere per fraudem introducta iacuit, puritatem servans absque fuga cum omnis pace & silentio, quovsque fugit mulier ipsa, rubore plena, & Ang.Præcep. mulierem lascivientem aggressus, titione ardenti fugavit. Resp. enim, quod actiones istæ, ex peculiari Spiritus Sancti processerunt impulsu, quia occasiones non fuerunt quæsitæ, sed malitiosé ingestæ; sed ex proprio cerebro non refugere, temeritate plenum est, & parat occasionem ruendi, de quo D.Aug. loc. cit. hæc ait: Dicit aliquis: inter mulieres habitans, continentiam teneo, & volo habere quod vincam. Quid est dicere, volo habere quod vincam, nisi vivere desidero sub ruina? Vide, ne vbi te putabas obtinere triumphum, indé in æternum incurras opprobrium;inter omnia Christianorum certamina,duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.

Remedium hoc, pro libidine evadenda, quod in fuga est situm,omnibus hominibus commune est; sed sunt præterea peculiares causæ, quare homines sacri, fugam illam á fœminis debent in praxi habere. *Prima* est, quia peculiari lege & voto sunt adstricti,vt á voluptatibus fugiant,ad quas illecebræ, fœminarum præsentiam committantes viam parant;nam hoc ipso quod eis,dilicíæ arctè vetantur, pugna est acrior, & pluribus insultibus exposita, præcipué cum diaboli cibus, sit esca electa, & ob interpositam prohibitionem legitimæ exsaturationis,magis accenditur concupiscentiæ flamma;quare ait Chrysost. lib. de Virg. cap. 34. quibus frui possumus arbitratu nostro, ea non facile appetimus, contra autem fit, quando ijs privamur; quæ enim propter copiam contemnimus, vbi non sunt in potestate nostra, maior eorum in nobis cupiditas innascitur.

Secunda causa est, quia cum viri sacri, sint voluptatum inexperti, eas cogitant suaviores, quam experiuntur á cæteris,quibus speciali lege aut voto, non sunt prohibitæ. Notarunt hoc SS.PP. ad ostendendum, difficilius atque molestius esse, certamen castitatis sacris personis; sic ait D. Tho. in addit. 3.p. q.96. art.5. ad 1. dicens:In continendo, secundum aliquid,maiorem pugnam sustinent virgines;in illis enim concupiscentiam inflammat experiendi desiderium,quod ex quadam quasi curiositate procedit, qua etiam fit, vt homo libentius videat, quæ nunquam vidit, & etiam quandoque eis concupiscentiam auget, æstimatio maioris delectationis, quam sit secundum veritatem, & inconsideratio eorum incommodorum, quæ delectationi huiusmodi adiunguntur; quare ait Chrysost. vbi suprá:quamobrem,tranquilliori loco sunt coniuges, nam quando in illis excitatur ardor libidinis, concubitu facile sedatur; virgo autem,non habens vndé ignem restinguat, flammam quidem in altum sublatam videt, sed eam extinguere non potest.

Tertia causa est, quia sacri viri, sunt milites exercitus Dei, ex quo specialius debent mulierum consortia vitare; fœminis enim apud Romanos, intrare in castra non licebat; quare Marcum Antonium increpat Maro, quia in exercitum, vxorem secum duxit: *Sequiturque nefas, Ægiptia coniux*; qua propter ait D. Aug. lib.20. contr. Faust. cap. 9. quod Venus Vulcani coniux,cum Marte bellorum præside, adulterata dicebatur, vt significaretur,dissonam esse militibus venerem,& eo esse alienam, quo adultero aliena est coniux altetius; & ideo refert Sulpitius Dialog.2.cap.7. quod S.Martinus, quendam Monachum ante coniugatum, & mulierem deposcentem confudit dicens:quod cum ille miles fuerit, nec vnquam vidisset homines in fœminarum societate bellantes, quomodo eis associatus bellare poterat in militia Dei?

Septima difficultas: An fœminarum Directores, debeant earũ familiaritatem fugere?De fœminis in communi, egimus difficultate præcedenti, modo sermonem facimus,de illis qui á sacris viris in spiritualibus diriguntur; & de his. Dicendum est: quód sacri viri Directores earum,etiam debent illarum familiaritatem, & frequentia colloquia devitare.Hoc est graviorum Patrum monitum, de quo agunt Polancus, Reginaldus,& Homobonus,cum alijs pluribus. Rationemque assignant ex eo,quod nimia familiaritatis, contemptum parere solet, in detrimentum Directoris & pœnitentis; quod etiam constat exemplo Christi, quem nemo notavit familiaritatis cum fœminis, sicut notatus est de familiaritate cum publicanis & peccatoribus, imó aliquando discipuli videntes illum cum Samaritana conversantem, mirabantur quia cum muliere loquebatur; quasi hæc res, esset insolita, & quæ alias nunquam accideret.

Hac ratione, maxima est adhibenda cautela, in conversando cum mulieribus, quas Directores instruunt; qua propter varijs decretis statuitur, vt fœminarum confessiones excipiantur in loco patenti; tempus autem, etiam ad hoc præscribitur, nam in Synod. Barbastr. anni 1586. statuitur, ne confessiones mulierum, ante, nec post solis occasum excipiantur in Templis; & Sanctus Carolus, in Conc. Mediol. p.2. tit. de Sac. pœnit. has decrevit cautiones:ad mulierum confessiones audiendas, ne facilé Sacerdotes iuniores exponantur, sed qui ætate & moribus sunt maturi; domus mulierum nostri, ne sine rationabili causa adeant; qui earum confessiones audire solent, possunt quidem de superioris licentia, illas quandoque visitare,sed id raro admodum & considerate fiat;confessiones

carum, nisi in Ecclesijs, ne audiantur, nisi causa vehemens postulaverit, quæ si acciderit, ne solus cum sola sit caveat, sed comes ibi maneat, vbi possit conspici; hæc & alia plura, Sanctus præsul adducit, ex quibus periculum familiaritatis directorum, cum fœminis á se instructis, satis constat.

Idipsum viri Sancti docuerunt nos, quorum vestigia debemus imitari. De S. Vincentio Ferrerio refertur, quod mulier quædam, eius pravo & impuro flagrabat amore, quem ad se accersiri fecit, occasione desumpta ex ægritudine simulata, quasi vellet cum illo conscientiam expiare; accedit sanctus, & prava mulier, ei suam libidinem expossuit; & sanctus, Dei gratia liber evasit. Sed recentior extat memoria, in Francisco Adono, virtutibus claro, quem mulier, simulato morbo & confessionis prætextu, irretire tentavit, minis & blanditijs adiectis, sed vir Dei inducias petit ad purgandum ventrem, quod & fecit, in vasculo in cubili repositò; res mira! Fætenti illo humore maculavit vultum, & ita deformatus, ad mulierem revertitur, horridoque spectaculo, fregit eius petulantiam; de quo plura poteramus exempla coacerbare, in comprobationem asserti nostri.

Deindé periculum hoc familiaritatis cum fœminis, etiam in earum Directoribus, suaderi potest, & ex parte virorum, & ex parte fœminarum, per singulas cuiusque sexus conditiones, & ætates discurrendo; & quidem; ex parte virorum, occurrunt. *Primò* senes & annosi, quibus ea mulierum familiaritas, est periculosa, nam inter emortuos cineres, scintillæ aliquando reviviscunt; senes enim fuerunt, qui in Susanam libidinem excitarunt; & de se fatetur Nazianzenus, quod etiam in ætate grandæva, multiplici lasciviæ punctione gravabatur; & ipsum S. Paulum prope sexagenarium, iuxta Baronij dictum, & iuxta alios, ætate provectiorem, de stimulo carnis compertum est fuisse conquestum; quare ait Isidor. Pelus. lib. 5. Epist. 144. caro sæpé iuventute subacta, in senectute redintegrato prælio, superiores clades restauravit, & illustria illa trophæa de sese erecta abolevit, de quo miræ sunt SS. PP. Basilij, & Augustini sententiæ.

Secundò occurrunt iuvenes, in quibus certius est periculum, ob ætatis fervorem; ideo asseruit Marcianus, quod vitandæ sunt, & maximis attentionibus nauseandæ, humanæ cupiditatis illecebræ, in quæ perspicué, primæ ætatis ardor impellit, & Chrysost. ait: Facile voluptatibus iuventus incenditur, quippé quæ pinguior olei in morem, & aptior sit ad inflammationem, & ad temperantiæ labores delicatior; iuventutis igitur navis, pluribus & maioribus, tentationum quatitur procellis, & fluctuum impetu, facilius operitur; de quo ait hæc D. Hyer. Epist. 10. Apostolus macerat corpus suum, & adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque hæc dicens condemno cibos, quos Deus creavit ad vtendum, sed iuvenibus & puellis, incentiva aufero voluptatum; iuxta hoc ergo, consultum est iuvenibus, á mulierum colloquio, procul esse; quod intelligentes probatissimi Magistri spirituales, nec mulierum sanctarum historias, legi coram iuvenibus probabant, vt testis est Casianus, colat. 19. cap. 16.

Tertiò considerandi sunt viri perfecti, qui etiam prædicta necessitate, fugiendi á mulierum familiaritate sunt adstricti. Nec sancti quidem, ad munus directionis animarum per Dei providentiam destinati, aliter operati sunt, nam licet haberent continentiæ donum, non tamen erant impeccabiles, nec incapaces ruendi, & ita ad excludendas dispositiones, ad culpam accomodatas tenebantur, de quo extat apud S. Macar. hom. 17. elegans Disputatio, de non nisi sopita, etiam in viris perfectis concupiscentia, quam brevitati consulentes omittimus. His accomodat D. Fulgent. lib. 3. mithol. fabulam Achillis; illum enim recenter natum, mater in aquas intinxit Stigias, quo illum durum & fortem contra laborem significavit. & solum ei talum non tetigit; in quo iuxta physicos venæ residunt, renes & virilia pertingentes; ille igitur perfecti viri simbolum, ad Licomedem ductus fuit vt nutriretur, & tandem amore Polixenæ perijt, occisus pro libidine per talum; ex quo habetur, quod etiam viri perfecti, in quibus per Baptismi aquam, & perfectionis vsum, non fuit extinctus fomes, sunt per talum libidinis, á fœminis vulnerabiles, & vtinam deessent sæculo præterito & nostro, horribilia casuum huiusmodi exemplaria, quorum aliqua proponemus postea.

Pro parte etiam fœminarum, quarum familiaritas vitari debet á sacris viris, convincitur hoc ipsum, illas sigillatim proponendo. *Primò* sunt mulieres ætate florentes, á quibus maximé fugere, debet vir sacer, de illis enim, hæc ait Hyer. Epist. 8. fuge lasciviam puellarum quæ ornant capita, crines á fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, astrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes; naturalis igitur, fœminæ species adhuc florens, præcipué si pulchra sit, est libidinis incentivum, & ideo facile consequitur, illicitus improvidorum hominum, ea specie inescatorum casus. Hoc Plato cognovit, Aristoteleque firmavit, qui interrogatus quondam, quænam esset causa, cur acceptiora erant colloquia pulchrium fœminarum, quam deformium? Respondit, hoc quæsitum, cæcis quadrare, non oculatis; expugnari ergo timeat, qui admoyere ad oculos eam machinam patitur. Nec quia vmbra virtutis committetur, dormitandum est, nam vt ait Gerson, si veniens virtus in corpore pulchro est gratior, sed non tutior & sincerior, quare hoc admonet Ecclesiast. averte oculum á muliere gratiosa.

Secundò sunt mulieres coniugatæ; quarum fami-

miliaritatem, sacri homines debent vitare. Tùm, quia illa res, semper fuit suspicionibus plena; quare ait D. Aug. Serm. 37. non decet clericum, cum mulieribus sedere vel fabulari, nec domum earum frequentare, ne suspicio mala indé progrediatur. Tùm quia in viris, est zelotipiæ fomentum, quod á sacris viris est vitandum; quare Concil. Eliber. Can. 81. statuit, ne fœminæ, suo potius quam maritorum nomine, alijs scribere audeant; & forté hinc vsus nostri sæculi invaluit, de apponenda prima littera nominis viri, in subscriptione fœminæ, & é converso. Licet autem, Concil. solum de laicis faciat sermonem, iustum est hoc ipsum á sacris viris servari, ad præcludendam omnem offensionis & suspicionis viam; quod etiam casus David cum Bethsabe, & alij similes apte suadent.

Tertiò sunt mulieres viduæ, & familiaritas cum eis, etiam vitari debet á sacris viris; hæc ad rem ait D. Hyer. ad Furiam scribens, & Salviam viduam monens: Tenera res in fœminis, fama pudicitiæ est, quasi flos pulcherrimus, cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maximé vbi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest authoritas; huic accedit, quod singularis est in viduis, cum castitate pugna, quæ vt ait D. Tho. in addit. 3. p. q. 96. art. 5. ad 1. quodamodo est maior quam in virginibus, propter delectationis memoriam. Extant etiam in viduis, duæ deceptionis causæ; prima, quia facile possunt cadere, non habentes virum consiliatorem; secunda, quia vivente viro, nihil dare, nec recipere possunt, cum omnia sint in viri potestate; postea verò, possunt facile donare atque recipere, cum nullius sint potestati subiectæ, vndé illæ sunt procliviores ad lapsum.

Quartò sunt mulieres vetulæ, á quarum familiaritate, etiam sactis viris diffidendum est, nam nitoris nativi iam detriti supplementum, per cultum muliebrem habetur; nec lascivia, ita est ætati floridæ affixa, quin sæpiùs ex vetulis, sit experta ruina; Vrsinus enim apud D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 11. á vetula maximé timuit; insidiæ enim diaboli, & densa libidinis caligo, fascinat intuentem, vt etiam in arata rugis, quæ succo caret, videatur conspicere speciei antiquæ reliquias. Optimé novimus aliquam, factam iam quasi stercus terræ, ex qua sacro viro, misera ruina processit; quare author libri de singul. cler. sacros homines admonet, vt erga vetulas fœminas quoque sint cauti, nec implicentur earum familiaritate. Hoc ipsum dicitur, de mulieribus fedis, nam abundamus exemplis, hominum dementatorum, ea fœminea specie, cuius turpis figura, remedium amoris censebatur; cupidini enim, nulla deformitas fastidita est, quia diabolus pingens, speciosum pingit, quicquid fœdum & horridum est. *Quintò* sunt mulieres, sanctimoniæ nomine & titulo insignitæ, de quibus, quia aliqua sunt notatu specialia, & observatione digna, sequentem difficultatem subiungimus.

Octava difficultas: An cum fœminis, titulum & nomen sanctitatis habentibus, quæ vulgo dicuntur: *Beatas*, liceat Directoribus suis familiarius agere? Resp. negativé, circa quam veritatem comprobandam, si adducerentur Sac. Scrip. & Sanctorum mirabilia dicta, excresceret in immensum opus. Primó enim, dicitur Ecclesiastici 42. v. 14. melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, de quo variæ apud SS. PP. dantur expositiones; sed iuxta authorem, lib. de Spir. & anima, cap. 11. sensus genuinus, pertinet ad castimoniam, quæ securior est, versando cum homine impio, quam cum muliere vitæ probatæ, sanctitatis nomen habente, & in hoc eodem sensu, locum hunc exponit Clictoveus, in opere de vita & moribus Sacerdotum, cap. 23. Comprobatur hoc, ex præclaro facto cuiusdam filij D. Francisci, quem Uvadingus non satis laudat; cum enim ille, a fœmina sanctitatis nomine præclara, frequenter inviseretur, repulit, de quo cum ipsa quæreret rationem, sanctus vir ignem vna manu, & altera palleas gestans, combusit, & tunc dixit: Ideo vestram licet piam familiaritatem recuso, quia quod palleæ sunt proximæ igni, hoc etiam sunt religiosi, familiariter agentes cum fœminis, etiam si nomen sanctitatis ferant; sic Uvading. anno 1217. num. 24. vt autem ex vtraque Religione vere germana, adducamus testem, vt stet verbum in ore duorum, hoc ipsum approbavit Venerab. Iordanus, Ordinis Præd. Mag. supremus, apud quem cum esset delatus frater, eo quod mulieri tetigisset manum, dicens illam esse sanctam fœminam, institit vir sanctus, pluvia est bona & etiam terra, & tamen ex earum comixtione fit lutum, quo cuncta fœdantur; sic & mulieres bonæ proximæ viris.

Venerabilis Generalis nostri Iordani, spiritualis & Religiosum dictamen, fuit insecutus RR. P. Fr. Antoninus Cloche, totius nostri Prædicatorum Ordinis Generalis Magister, qui novissimé super assiduam quorundam Directorum, in domo cuiusdam fœminæ, quæ spiritualis putabatur assistentiam consultus, postquam plura & erudita, congessit, ad hanc interrogationem specialem, & inauditam, his verbis respondit: *In nulla quam legerim historia, vel vllo quam audierim eventu, simile quid reperij, pro assistentia spiritus alicuius, ex specialibus & raris qui in Ecclesia Sancta Dei visi sunt & experti; nec iudicare possum, quod non sit nota diffidentiæ in iuvamine Dei, anxietas nimia pro humana procuranda societate. nec huiusmodi assistentia continua, permitteretur vllo modo religiosæ personæ intra clausurã degenti nec ideo diceretur, quod hic esset charitatis vel iustitiæ defectus, maiori obligatione supposita, quantùvis censeretur magnis afflictionibus & necessitatibus compressa*; sic decernit vniversi Ordinis Pater, & Sacratissimi Patriarchæ

Dominici ſucceſſor, in quo, quid effugere, & quid tenere debeamus oſtendit.

Hic opportune, ad litteram poteramus inſerere, aureum opuſc. 64. Ang. D. titul. de periculo familiaritatis dominarum vel mulierum; ex ipſo tamen, pauca hæc, verbatim proponimus. Quoniam ſpiritualibus loquor, propter quos iſta ſcribuntur, noverint ipſi, quod licet carnalis affectio, ſit omnibus periculoſa & damnoſa, eis tamen pernitioſa eſt magis, maximé quando converſantur cum perſona, quæ ſpiritualis videtur, nam quamvis eorum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas, domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum, quæ quidem familiaritas, quanto plus creſcit, plus infirmatur principale motivum, & vtriuſque puritas maculatur; hæc D.T. in quibus ſatis indicantur venenatæ ſagitæ, ex hac familiaritate iactæ, quæ animam occulto valnere lædunt.

Proſequitur S.D. ſic: Ex indé vnus, incipit appetere alterius præſentiam corporalem, quia forma vel ſpecies corporis, in vtriuſque mente concepta, incitat eos ad volendum præſentiam corporalem, qua inſit eis præſentia mentalis, ſicque ſpiritualis devotio, paulatim convertitur in corporalem & carnalem ::: ac per hoc, conſolationem ſimpliciter ſenſualem, quam habent, in præſentatione de ſe imbicem facta æſtimant & affirmant, eſſe ſpiritualem gratiam & divinam; quales autem illuſiones recipiunt á ſagitario, ſpecialiter mulieres, quæ citius fidem adhibent illuſioni mentali, eſſet horribile, & quaſi impoſsibile declarare ::: Proindé modos inſolitos, & cautelas mirabiles adinvenerunt, quibus procurant ſimul colloqui, & frequenter allegantes vnus alteri, cauſas vtilitate & neceſsitate depictas, cum tamen in veritate, nihil aliud ſit cauſa, niſi onus cui ratio iam ſuccumbit. Hæc D. Thom.

Tandem hæc ait: Sic itaque, carnali concupiſcentia, ſeu complacentia excecati, tempus quod olim conſueverunt in oratione expendere, nunc in huiuſmodi familiaritatibus & colloquijs perdunt, & ſic (quod dolendum eſt) allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, ammodo niſi mora ſeronita cogente, aut alia inevitabili cauſa, non poſſunt ab imbicem diſcedere, & tunc invite & triſtes diſcedunt; hæc autem triſtitia, eſt certiſsimum indicium, quod carnis vinculo ſunt alligati, & per hoc, viſitationes & conſolationes divinæ, á carnalibus & diabolicis diſcernuntur; putavi tamen, meliús eſſe, non multa de hoc, calamo exarare, hæc tamen tacere non valeo, quin aliqualiter referam, maximé quia non longe á temporibus iſtis, ſimilia contigerunt; hæc D.T.

Alia plura & elegantia, loco prædicto S. D. adducit, ſed ex pauculis his colligitur, domeſticum periculum, & mortale venenum, in huiuſmodi familiaribus ſpiritualium mulierum, collocutionibus latens, etiam quando Directores, cogente veſpere ab eis diſcedunt, quod ipſe maximé horret; quid diceret modo, Angelicæ puritatis cultor, ſi forté videret aliquos, continuo per annos plurimos, in domibus ſpiritualium fœminarum commorantes? Audiant Hyeron. dictum, ab ipſo D. T. ibidem citatum: fœminam quam vides benè converſantem, mente dilige, non corporali frequentia, quia initium libidinis, in viſitatione mulierum eſt. Si autem aliquis huiuſmodi eſſet, continuus earum mulierum familiaris, forté toleraret ægré piorum hominum notã; ſed iterum Hyer. audiat, Epiſt. 22. libenter, ait, talibus non placemus: Pudet dicere: Proh. nefas! triſte, ſed verum eſt. Vndé in Eccleſias. Agapetarum peſtis introijt? *Vocat Agapetas fœminas quaſdam pias, viris menſa & domo contubernales & illis quæ apud nos dicuntur. Beatas coreſpondentes.* Vndé ſine nuptijs, aliud nomen vxorum? Plus inferam: Vndé meretrices vniviræ? Eadem domo, vno cubiculo, ſæpé vno tenentur & lectulo, & ſuſpicioſos nos vocant ſi aliquid exiſtemenus? Et rurſus Epiſt. 4. ait: Videas non nullos, accinctis renibus, á mulieribus non poſſe diſcedere, ſub eodem manere tecto, ſimul inire convivia, ancillas iuvenes habere in miniſterio, & præter vocabulum nuptiarum, omnia eſſe matrimonij. Hæc D. Maximus. Lector, tu cogita, an pro ævo noſtro, fuerit doctrina vel prophetia?

Pro huius peſtiferæ familiaritatis conſervatione, hoc ſui cultores, leviſsimo fundamento ſe munũt, nempé quod ſit ob ſpiritualis directionis finem atque neceſsitatem. Sed hic latet anguis in herba. Ludovicum Vivaldum ex Ordine Prædicatorum auſculta, qui inter duodecim Eccleſiæ potiſsimas perſecutiones, hanc ponit ſeptimo loco: Aliud eſt hipocritarum, qui ſub ſpecie religioſitatis, ſine nuptijs quærunt novum genus vxorum, vt Hyeronimus ait; fingunt ſe fore Patres ſpirituales ſimplicium mulierculorum, vt ſub ſpecie obedientiæ, humilitatis & mortificationis, illas tandem ad turpidinem deducant, contra quos invehitur Hyeronimus, Epiſt. ad Occeanum. Vides eſſe, qui é Patribus ſpiritualibus, in patres carnales evaſerint, & filias ſpirituales matres fecerint; hanc transformationem perverſam Patris in patrem, fictus & pictus virtutis color, effecit non ſemel.

De hoc puncto, iam olim Calixus Papa egit in ſermone quodam de Vigil. S. Iacobi, vbi iuſtiſsimé concitatur, adverſus improvidas huiuſmodi mulierum familiaritates, occaſione Sacramenti Pœnitentiæ initas. Deindé, in hanc rem, aureus eſt Gerſonis locus, 1. p. Tract. de prob. ſpirit. cuius hæc ſunt verba: hoc præcipué conſiderare neceſſe eſt, ſi ſit mulier, qualiter cum ſuis confeſſoribus & inſtructoribus converſatur, ſi collocutionibus intendit continuis, ſub obtenta nunc cre-

bræ

bræ confeſsionis, nunc prolixæ narrationis viſsionum ſuarum, nunc alterius cuiuslibet confabulationis; expertis crede, præſertim Auguſtino, & Bonaventuræ, vix eſt altera peſtis, vel efficacior ad nocendum, vel inſanabilior, quod ſi nihil haberet aliud detrimenti, niſi temporis præſentis latiſsimam hanc conſumptionem, abunde diabolo ſatis eſſet; habet aliud ſcitote, habet inſanabilem videndi loquendique (interim de tactu ſilentium ſit) pruriginem, evenitque vt Didoni, illud apud Poetam: hærent infixi pectore vultus, verbaque nec placidam, membris dat cura quietem.

At dicent fortaſsis: quód ea familiaritatis cum fœminis neceſsitas, non ex præciſſa iſtarum directione ſuboritur, ſed quia charitatis officia, ad hoc maximé vrgent, vt eis afferatur ſolatium. Sed ad hoc D.T. opuſc. citato, reſpondet ſic: Spirituales prædicti, quandoque ſe deduci permitunt, vt ſe imbicem familiariter tangant, ſub ſpecie charitatis, reſerantes ſibi imbicem, incenſum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant, ſed in hac reſeratione amoris, eſt ſummum periculum, quia ex hoc fabricantur ſagittæ, quæ mentes eorum, vulnerant mortaliter ac venenant; vndé infert Gerſonus, tractans diſcrimina verarum revelationum á falſis, non eſſe tutam, mulierum quantumcumque ſanctarum, cum viris etiam religioſiſsimis, cohabitationem & familiaritatem. Quód rectè Billius, cap. 14. comprobat dicens: Vt fluvius Mara, licet pulchras ac limpidas, amaras tamen aquas habebat, ſic Monachus ille contubernalis tuus, ó virgo Agapeta, ex cuius conſuetudine, plurima tibi vitæ ſolatia, atque oblectamenta proponis, magnæ tamen acerbitati & amaritudini tibi futurus eſt. Et D. Baſil. cum eundem charitatis prætextum ſibi obieciſſet, lib. de vera virginit. ita reſpondet: Diligere itaque debemus verum cum ratione prudentique iudicio, dilectionis tenendo menſuram, dilectio enim, nihil agit turpiter; ſolutus eſt ab vxore, noli quærere vxorem, eſt autem plane iniquum & indignum, vt qui his nexibus ſolvere ſtudet, falſo charitatis nomine, ſe ipſum ex conſuetudine, voluptatum vinculis implicet, vt iam iuxta profeſsionis votum, nec animo, nec corpore poſsit eſſe ſolutus; hæc Baſilij ſolutio.

Sed quinam erunt, huiuſmodi depicti charitatis prætextus, ad hanc familiaritatem aſsiduam tenaciter defendendam? Ego re vera, invenio nullos. Fortè quia anima illa, intra vel extra confeſsionem directa, multa patitur & gravia, egetque continuo levamine, vt talia ſuſtineat? Inſubſiſtens quidem, atque palliatum effugium; ad quod (quia rem hanc, neque in ſanctis Doctoribus, neque in Catholicis Magiſtris tractatam reperio, quia omnes in mulierum cum Directoribus familiaritatem invehuntur, ſed de continua, aſsiduaque die & noctu, omni tempore, & hora nihil dicunt, cum ipſis, tale quid accidere poſſe, forté in memoriam non venerit) hoc vnum oppono, ex libr. de ſingul. clericor. de charitate cauſantur, qui ſecundum verbum Iſaiæ, amaritudinem pro dulcedine devorantes, nudam fæditatem, velamento boni nominis tegunt, dum apud eos ſub falſa dilectione, vera dilectio violatur, ſed exclamat charitas & apellat, tales ego non iunxi, falſa altera eſt, quæ me ſimulando confingit.

Venio ſpeciatim, ad illius futilis munimenti everſionem. Vel anima illa, quid patitur aſsidué in corpore, & huius remedium, medicina corporalis eſt; vel patitur in anima, Deo ſic permitente, & huius ſolatium eſt Scriptura 1. ad Cor. 10. ſic dicens: Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, ſuprá id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, vt poſsitis ſuſtinere; hæc veritas catholica eſt; confidere debet anima plus in hominum conſortio, quam in Dei auxilio, qui etiam pro extraordinarijs laboribus ſuſtinendis, ſpecialiſsimum adiutorium gratiæ confert, & ſecundum dolorum multitudinem, conſolationes lætificantes exhibet? Innumera Sanctorum exempla poteramus. ob oculos ponere, ſed duplex ſufficiat fœminei ſexus, ex ordine noſtro, nempé Catharina Senenſis, & Roſa Limenſis; primam enim, docuit gratia Dei, inter varias deſolationes, malignantium ſpirituum certamina vincere; ſecundam verò inſtruxit, vt dœmonum ictus illuderet ſola, de qua, hæc canit Eccleſia. Portenta vel ludibria, ſævi ſtigijs non horruit, ſeditque ſolitaria, turbam peroſſa & ſæculum; hanc ergo doctrinam debent habere in praxi, quæ ſi veré fuerint inſtituti noſtri cultrices.

Nos etiam Dominicani, his documentis ſtrictius alligati ſumus, & quia hæc, vt vidimus expreſſa eſt Ang. D. mens, cuius doctrinam ex iuramento ſectamur; & quia id nobis, in ſacris Ordinis Conſtitutionibus imponitur, nam diſt. 1. cap. 18. num. 7. dicitur: Religioſi debent evitare, conſortium & familiaritatem mulierum. Tùm propter periculum, quia multi, poſt magnalia, & ſigna miranda ſanctitatis, naufragati noſcuntur, propter mulierum conſortia. Tùm propter infamiam, quam ex tali familiaritate incurrunt, & bonum nomen ammittunt. Tùm propter notam mali exempli:: Vndé, nec propter vtilitatem temporalem, nec propter deſiderium ſalutis, debent religioſi, cum mulieribus converſationem, aut familiaritatem habere:: præcipué cum mulieres ſunt innuptæ, & maximé iuvenes, vel quæ continentiam ſervant, ſub ſpecie vel habitu ſanctitatis; quibus aſſentitur D. Aug. apud D.T. opuſc. cit. dicens: Cedros Libani, id eſt contemplationis altiſsimæ homines, ſub hac ſpecie corruiſſe vidi, de quorum caſu, non magis præſumebam, quam Hyeronimus, & Ambroſius, ſicut etiam Bernardus ait: quotidié converſaris cum mulieribus, & continens vis putari? Eſto quod

sis, maculam tamen suspicionis portas, scandalum mihi es, tolle materiam & causam scandali.

Nona difficultas: Quænam sacra dicta, veritati traditæ suffragentur? Plura in præcedentibus attulimus, Sacræ Scripturæ, & SS. PP. testimonia, vt suaderemus, sacros viros animarum Directores, mulierum familiaritatem debere vitare; nunc pro abundantiori huius roboratione, aliqua specialia proponemus, quæ ad quatuor classes reducuntur, nempé Concilia, Doctores Sacri, Magistri Spirituales, & exempla Sanctorum. Veritas ergo á nobis resoluta, de mulierum familiaritate á sacris viris evitanda. *Probatur primo ex Concilijs*, nam Concil. Turon. 1. cap. 1. & 3. ait: Hoc præcipué custodiendum decrevimus, vt nullam clerici cum extraneis fœminis, habeant familiaritatem, ne vllum male loquendi vel sentiendi, hominibus aditum tribuant. Concilium Eupanense, cap. 20. art. 1. ait: Presbytero, & Diacono, vel diversis clericis, horis indebitis, id est meridianis vel vespertinis, ad fœminas prohibemus accessum.

Concilium Turonense, cap. 10. & 11. ait: De familiaritatibus mulierum, licet crebrius sit canonibus replicatum, necesse est, vt sicut secta virgulta quæ male pullulaverat, rursus fidei falce succidantur, & etiam radicitus evellantur, & ibi alia plura subiungit. Concilium Aguisgranense, hoc idem statuit, cap. 9. & similiter Concil. Parisiense, lib. 1. cap. 46. Item Concil. Troslejanum, diffusse de hoc disserit, & ait: Quód talis familiaritas pestis est, quæ non tantum populares occupat homines, sed etiam Ecclesiasticas commaculat dignitates. Potest etiam inter Concilia recenseri, Epist. 63. D. Cipriani, in qua dicitur: Liberanda est vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos, & saxa frangatur; exeunda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur; nemo diu tutus est, periculo expositus, nec evadere diabolum, Dei servus poterit, qui se diaboli laqueis implicarit.

Probatur secundo, ex Doctoribus sacris. Sancti Hyeronimi sensum, iam sæpiús vidimus, qui cum esset liberi spiritus, sacros homines, circa hoc errantes, acerrime increpat; qua propter Sulpitius Dialog. 1. de illo scribit hæc: De familiaritatibus Virginum & Monachorum, atque etiam clericorum, quam vera, quam fortia disputavit, vndé á quibusdam quos nominare nolo, dicitur non amari. D. Chrysostomus, lib. 6. de Sacerdotio, ait: Multa alia sunt vitia, quæ animi vim enervare, ipsiusque ad Deum cursum interrumpere possunt, atque in primis mulierum vsus, consuetudoque; nam & eas invisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adiuvare afflictas oportet; quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus, Dæmon invenire potest, nisi exactissima quis ac munitissima custodia sese vallaverit, quippé animum ipsum ferit & commovet, non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus.

Magnus Parens Augustinus, sæpé citatus in Epist. 236. Abundium Presbyterum, quia apud quandam mulierem, ieiunij die manducavit, ac cenavit, & noctu ibi hæsit, abiecit á clero, dicens illam familiaritatem, in sacro homine ferendam non esse. Quid modo Sanctus diceret, si abusum illum per tempora, & dies & annos in praxi videret? D. Petrus Damianus, opusc. 52. cap. 5. ait: Vt vires amittant incentiva libidinum, declinanda est proculdubio societas fœminarum; in quodam enim monte orientis, lapides sunt igniferi, qui masculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pirobuli, qui si procul sunt non acceduntur, si verò fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita vt omnia quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Hæc Sanctus; ab ipsis ergo (inquit) lapidibus edocemur, vt si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus. Sed in his sistimus, si enim omnium SS. dicta vellemus recolligere, integrum volumen poterat efformari.

Probatur tertio, ex Patribus spiritum Magistris. S. Macarius, in Epist. ad Monachos, in eius regula inserta, hæc ait: Oleum mutrit lampas lucernæ, & ignem reaccendit confabulatio mulieris; facies mulieris, sagita est truculenta, quæ infigit vulnus in anima; vt venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris. Sanctus Nilus, orat. 2. impugnans luxuriam, ait: Si vis pudice vivere, mulierum fuge familiaritatem, nec aditum illis, ad te liberum permitte; principio enim, religionem & verecundiam præseferunt, mox impudenter audent omnia, & hoc latè & eleganter, Sanctus prosequitur. Cæsarius Arelatensis, duos germanos de vita perfecta instruens, ait: Familiaritas cuiuslibet fœminæ, si frequens esse ceperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit, ignominiam parat, porrigit furiam, lasciviam parit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, rixas erigit, præcipicia aperit, periculis naufragat, naufragijs vigilat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exagerat, excusationes inflamat, & catervatim simul glomerantur numerosæ indagines captionum; hæc ait de familiaritate mulierum pernitiosa.

Prosequitur modo, fugæ innumera bona recensendo, dicens: Anima quæ secretum suum custodire voluerit, assiduitatis malum, tota animi virtute fugiat; ipsa tanta singularitas, munimen illis invictum est Sanctimoniæ, expugnatio fortis i famiæ, fortitudinis firmitas, lasciviæ petulantis infirmitas, proprietatis præsidium, & infirmitatis excidium, animæ victoria, & corporis præda, liberras gloriarum, & captivitas criminum, pronuba sanctita-

ctitatis, & repudium turpitudinis, sinceritatis indicium, & ablatio scandalorum, exercitium continentiæ, & evacuatio luxuriæ, pax secura virtutum, & impugnatio quieta vitiorum, puritatis culmen, & libidinis carcer, honestatis portus, & ignominiæ naufragium, locus virginitatis, & hostis immunditiæ, vita spiritus, & carnis interitus, status qualitatis Angelicæ, & funus substantiæ humanæ; hæc omnia mala, fortiter Deo adiuvante vincentur, & illa quæ diximus bona, faciliter acquirentur, si ab animabus sanctis, familiaritas inordinata respuatur. Hæc ille, in quibus cum summatim quid vitare, & quid tenere debeamus indicet, plures alios spirituales Magistros agregare nolo. Hoc ipsum ait Antioc. hom. 17. Ioan. Moschus, cap. 217. S. Theodorus Studita, Catheces. 130. Gofridus Undocinensis, Epist. 44. Hug. de S. Vict. lib. 1. Miscel. tit. 198. & Ludov. Granat. in Silva verbo virginitas.

Adducimus tandem, duos testes omni exceptione maiores, Sanctissimos Patriarchas nostros, Franciscum, & Dominicum. Franciscus enim, postquam plura, & pluries traddidit de hac re, sic ait Collat. 6. Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eo solicitius evitare debemus fratres charissimi, quo sæpiùs per huiusmodi, videmus debilem frangi, & fortem spiritum infirmari; frivolum profecto est, quodcumque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione, brevissima, iuxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. Dominicus etiam, vt refert Theodoricus de Apoldia, lib. 5. cap. 1. morti vicinus, fratribus astantibus dixit: En vsque in hanc horam, carne incorruptum me Dei misericordia servavit, quæ etiam, vt in vobis inviolata permaneat, fœminarum omnium, suspecta vitate consortia; en vtriusque Parentis testamentum nobis relictum, iustum ergo est, vt á suis filijs & hæredibus exequatur.

Probatur quarto, ex varijs Sanctorum exemplis. Sanctus Ludovicus Tolosanus, vt refertur in Bulla Canonizationis eius, á pueritia fuit castitatis maximus cultor, pro cuius custodia, mulierum consortia fugiebat omnino, & nisi cum matre aut sororibus, solus cum sola, nunquam loquebatur. S. Nilus Monachus, ab Aloara Principe rogatus, & auri oblata copia, lachrimis effusis, cubiculi velum dirupit, & velox vt cervus abijt dicens: quod cum diabolus eum pulverem vidisset, aqua lachrimarum mulieris irrigare voluit, vt ex ipso lutum faceret. Iannes Groperus, magnis virtutum dotibus sua ætate resplenduit, & cum aliquando reversus domum, mulierculam, super suum lectulum strantem reperisset, acrioribus propulsavit verbis, insuper & lectum, tanquam muliebri tactu pollutum, proprijs manibus, per teneſtram eiecit, vt refert Aubertus Mireus, cap. 74. De B. Dominico Hispano, qui vnus ex nostri Sacratissimi Patriarchæ socijs fuit, & ei adstitit, cum alijs Apostolicis viris, qui omnes cum Dominico Parente, sexdecim numero erant, cum Angeli panem in cœna miraculosé ministrarunt, illeque fuit nostri Regij Prædicatorum Cæsarauguſtæ Conventus primus in eius fundatione Prior, refertur, quod á fœmina provocatus ad turpia, se verbis simulavit convenire, temporeque & loco destinato, intra cubiculum eius ignem accendit, & in flammas voraces proiecit se, mulierem invitans, vt simul cum eo tali lectulo frueretur, capillis sacri viri & vestibus incombustis, illa tamen expavit, & ad meliorem se frugem reduxit; sic Præsul beatus noster, de libidine victor evasit, dœmonibus magno clamore vocitantibus: Vicisti vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti. Sic post authores plurimos primæ notæ, refert Cornel. á Lapide, cap. 39. Gen. v. 12.

Adeoque vehementer sancti viri, huiusmodi consortia mulierum abhorrent, vt etiam vita functi, & cum Deo regnantes, fœminarum propinquitatem, evitare curarunt. Abbas Thomas, Moscho fidem dante, cap. 88. mortem aspexit apud Teopolim, clerici vero, illum humarunt velut peregrinum, & sequenti die, fœminam mortuã super ipsum sepelierunt. O mirum! illam post horas paucas evomuit terra, quod contingit per tres vices, ad quod stupuerunt omnes, agnoscentes nolle sanctum virum, nec mulieris mortuæ societatem, illumque separatim reposuerunt, in loco decentiori. Sanctus Vulmarus Abbas, nec conspici á fœminis etiã mortuus voluit; cupientes enim plures earum, corpus videre, densa nebula fuit obtectum; & Sanctus Isidorus, Sanciam Reginam & castissimam, eius cineres pietatis causa intuentem, Deum exorando, admonuit, vt quam primum sedem regiam in loco separato defigeret, eo quod nunquam acceptam habuisset, fœminarum consuetudinem longiorem; si ergo hæc docent sancti, iam in Domino mortui, quid nos facere opportet, adhuc passionibus vivi?

Decima difficultas: Quomodo dissolvatur effugia, mulierum familiaritatem protegentia? Monstravimus sufficienter hucusque, quanta sit cautio necessaria hominibus sacris, ad colloquendum familiariter cum fœmineo sexu; nunc opportet effugia solvere, quibus contrarium sensum, apparenter puré, honestare satagunt. *Primùm effugium est:* quód inter mulieres, quis potest incedit, & familiariter conversare, quia sensus non pungit, & securus de conscientia sua incedit. Hoc ipsum sibi objcit Cæsarius, Epist. cit. de instruct. germanorum, & respondet: absit vt hoc de ore religioso procedat, iam enim cecidit, qui de sua virginitate confidit; & S. Basilius, cap. 4. constit. ait: Si quis dicat, ex assiduo cum mulieribus colloquio, congressuque & convictu, se non admodum lædi; hic sine dubio, aut maris naturæ particeps non est, aut portentum est quodam inlolentissimum, &

præ-

præter omnium opinionem admirabile.

Speciosé hoc explicat Chrysost. Serm. contr. concub. dicens: Tu dicis, quod licet videas cohabitantem virgini, & alligatum & deliciantem, & animam potius ammittentem quam cohabitatricem, paratumque omnia & facere & pati, potius quam separari á dilecta, ne suspiceris aliquid mali, nec putes concupiscentiæ negotium, sed pietatis potius. Admirande vir, is effectus est, his qui lapidibus cohabitant, non hominibus, & tu quidem forté non credis, ob magnam tuam continentiam; ego autem audivi multos dicentes, quod etiam multi apud lapides & statuas, aliquid passi sunt; quod si tantum valuit dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchra, tenerum corpus? Hæc Chrysost. ex quibus constat, quam parum sit nostræ imbecillitati fidendum. Sed gratis concesso, id posse contingere in viris, quod maneant inter fœminarum effigies immoti, quod tamen incredibile est, quid de muliebri sexu dicendum, in quo maior quam in viris, est ad lasciviam propensio? Propter debilitatem iudicij rationis, vt ait D. T. 2. 2. q. 156. art. 1. ad 1. quia in fœminis, non est sufficiens robur mentis, vt concupiscentijs resistant, vt ipse ait ibi, q. 149. in corp. viri item, solum specioſas mulieres regulariter appetunt; fœminæ verò, absque discrimine vllo, appetunt quæm libet virum: ergo saltim ex earum parte, imminet periculum, ex familiaritate frequenti.

Secundum effugium est: Quia solum abusus ponitur in vitio, non autē modestus rerum vsus, quare S. Climac. grad. 15. ait: quod ex corporū venustate, opifex illius glorificabatur; & de Ludovico XI. refertur, quod inspecta pulchra imagine Infantis Lusitaniæ, procidit in genua, vt per speciem creaturæ, agnosceret creatorem; & idem dicitur de S. Bonaventura, in pulchram Francorum Reginæ faciem, super mensam intento valdé; & S. Nonnus ex Pelagiæ formositate devissa, & ex ornatus conspectu, deduxit quomodo anima, imago Dei, exornari debebat. Hæc autem & similia, non sunt in exemplum adducenda, quia eventus sunt rarissimi, virorum in quibus maximo fervore, charitas operabatur & gratia; apud nos autem, omnes infirmi & imbecilles, & non ita vigilant, sed dormiunt multi.

Audiamus in huius effugij solutionem, nostrum D. Ang. opusc. illo 64 citato, sic dicentem: Et quod super omnia videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, hominibus ac Dœmonibus, fuerunt aliquæ, spirituales nomine, spiritu luxuriæ imbutæ, quæ in excusationem suæ libidinis, præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo (ecce pessimum errorem Michaelis de Molinos, quem D. Tho. impugnat sic) Dic mihi, qui talibus credis & adhæres; si isti sunt verè spirituales vt asseris, quid aliud loqui aut facere deberent, nisi quod á Spiritu Sancto procedere potest vel procedit? Ab illo autem, nihil procedit noxium, sed solū quod vtile & honestum est; quid enim ad Spiritum Sanctum, de tactibus & osculis, aut qualem honorem indé consequitur Deus, aut quæ vtilitas, aut quæ necessitas tibi ad salutem vel alteri, vel hos tactus facias vel patiaris? Quæ inquam temeritas tua mulier hipocrita, á facie Dei proiecta, vt dicas delectationem carnis libidinosam, esse gratiam & consolationem divinam; recede ergo fera pessima de finibus meis, Dœmones nequeunt tuam pœnitentiam sustinere. Hæc Ang. Mag. veritatis & puritatis Doctor.

Tertium effugium est: Quia omnis Christi actio, nostra est instructio, vt continuo sancti clamant; constat autem, Christum mulierum familiaritatem non abhorruisse, cum fuerit conversatus cum Martha & Magdalena, cum muliere Samaritana, & cum alijs mulieribus, quæ erant curatæ á spiritibus immundis, & ministrabant ei de facultatibus suis vt Evangelia referunt; & eius exemplūm Apostoli sunt insecuti, & ideo ait Paulus 1. ad Cor. 9. nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas? & de ipso notum est familiariter egisse cum Sancta Thecla; & etiam Priscilla, ipsum fuit assidué commitata, quæ Pauli amore flagravit, & eius coadiutrix fuit, vt D. Chrysost. ait, Serm. de eleemosyna, & hospitalit non ergo huiusmodi mulierum familiaritas detestanda est, vt pote á summis viris, executa & approbata.

Sed hæc omnia, parum dictæ familiaritati favent; Christus enim, Martham & Mariam diligebat, sed citra omnem suspicionis vmbram, ob eius purissimam vitam, cui nemo in re hac calumniare fuit ausus; cum Samaritana verò, non extitit solus cum sola, sed in loco maximé publico, & patenti ad fontem; vndé celebraturus divina mysteria, & Apostolos ordinaturus, omnes mulieres voluit procul abesse; & mulieres in Evangelio memoratæ, non adhærebant singulis singulæ, nec erant assiduo consortio conversantes. Quid ergo hinc licentiæ præstatur sacris hominibus, versandi cum sexu molliori? Quo ad Apostolorum exemplum, Chrisostomus recurrit, ad maiorem illius temporis mulierum sanctitatem, sic ait, hom. 75. in Mat. quod est ab omnibus admirandum, sed non á debilibus exequendū; Paulumautem commitabatur Thecla, non vt vna cum eo, vitæ consuetudinem haberet, sed vt paupertatis præconem, suis facultatibus aleret; sic asserit Isidor. Pelusiota, lib. 3. Epist. 176. Magis futile est, adducere in exemplum familiaritatem Beatissimæ Virginis, cum B. Ioanne Evangelista. Tūm, quia erat ei loco matris. Tūm, quia eius suma puritas adeo nituit, vt neminem ad actionem minus decentem excitaret, sed omnes ad modestiam componeret.

Quar-

Quartum effugium est: Quód mulierum familiaritatem, habuerunt sancti plurimi; vt Elias & Elisæus, cum vidua Sareptana, & cum Sunamitide; & de S. Martino testatur Sulpitius, quod cum Maximi Imperatoris coniuge, familiariter egit, & tota die & nocte, Regina ab eius ore pendebat. S. Athanasius, vt refert Palladius, apud Virginem speciosam, á qua studiosi castitatis fugiebant, per sex annos delituit, ipsa ei ministrante & inseruiente. S. Hyeronimus, agmina mulierum habuit, cum quibus familiarissimé egit. Fulco Episcopus Tolosanus, vt ait Victriacus, multum familiariter egit, cum Maria Oegniacensi, sanctitatis nomine clara. Sancti Heriberti, & Sanctæ Adelheidis Abbatissæ frequens familiaritas, in eius gestis memoratur, cap. 9. Sanctus Chrysostomus, familiarissimé á varijs fœminis invisebatur, & de innumeris alijs Sanctis, hoc idem passim refertur.

Ad hæc, solutio est facilis, si hoc sanctitati priscorum temporum, & personarum tribuitur, vt vidimus. De Elia & Eliseo, ex historia Regum constat, quod seorsim á fœminis habitarunt, & cum Sunamitide conscio & præsente viro, quæ nihil ad protegendam assiduam familiaritatem sacrorum virorum cum fœminis conducunt. Ad factum S. Martini, dicimus cum ipso Sulpitio, quod debemus cum Grammaticis, distinguere locum, tempus & personam; Martino enim iam septuagenario, Regina seruivit & ministravit, edenti astitit, non cum epulante discubuit. Disce igitur disciplinam, seruiat tibi matrona, non imperet, seruiat, non recumbat, sicut Martha illa ministravit Domino, nec tamen est ascita in convivio; imó est prælata ministranti, Maria quæ verbum potius audiebat; sed in Martino, ista Regina vtrumque complevit, & ministravit vt Martha, & audivit vt Maria; quod si quis hoc vti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum; hæc Sulpitius.

Sanctus Athanasius, apud fœminam illam sexenio habitavit, ex suma necessitate, cui nulla est lex posita; fremebat enim Constantinus, vt Athanasium perderet in gratiam Arrianorum, & ipse vt impiorum satellitum fugeret manus, certus apud neminem refugium inventurum, apud illam mulierem se recepit, vt ipsa iam septuagenaria, Palladio narravit. S. Hyer. cum fœminis proindé egit, & tamen ora calumniantium occludere non potuit, & de hoc, sæpiús rationem dedit, & ad Ageruchiam scribens, ait: Nihil mihi aliud objcitur, nisi sexus meus, & hoc, cum Hyerosolimam Paula & Melania proficiscuntur, nulla me potuit alia delectare, nisi illa quam manducantem nunquam vidi, & hoc idem dicitur, ad S. Chrysost. familiaritates, quæ continuæ non erant, sed solo tempore instructionis durabant; sed quo iniquior est, Apostoli & Sanctorum de hoc accusatio, eo cautiores debent esse, qui gradum perfectionis eorum non pertingunt. Alia plura cumulantur effugia, sic fundamento & ratione destituta, sicut proposita, quæ satis ex dictis possunt præoccupari.

ARTICVLVS XVIII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de vitando fœminarum consortio, á viris sacris. Notandum est: quód casus sequentes, non ex eis sunt, qui circumferuntur in Scholis, sed eventus quos Orbis veré vidit & audivit, ac proindé, illorum resolutio alia non est, nisi nuda veritatis narratio, quatenús ad intentum nostrum conducit. Primus ergo casus, est tenoris sequentis. Sanctus Martinianus, fuit occasione quadam, ab impura muliere nomine Zoe, feré in ruinam positus, postquam illam, simulata & prolixa tergiversatione ab ea facta, in cellam introduxit, sed ab huiusmodi bello, Dei gratia victor evasit, acri corporis per ignem cruciatu appositó; á periculo ergo liberatus, ne in posterum in eo videretur anguistiarum conflictu, efficaciter statuit, omnino fœminarum vitare consortia, quod & fecit, sibi habitaculum conficiendo in rupe, quæ reposita erat in medio maris, quasi ibi altissimum refugium esset, cum nullus pro fœminis aditus pateret; sed Dœmonis arte, ibi puella devenit, naufragium passa, & ab vndis eo vsque deducta, & quidem iuvenis & speciosa, quæ inter angores, sic cæpit clamare: Miserere mei serve Dei, nec me permitas in pelagi profundo submergi.

Sed Martinianus, eius periculum noscens, nec videns aliundé posse illi auxilium venire, subridens dixit: hæc est diabolica machinatio, sed re vera non vincet mei animi studium, & hæc dicebat apud se. Væ mihi, rursus mihi periculum imminet; quid faciam? Si eam in aquis dimmisero, suffocabitur in illis, & ero gravis peccati reus; si assumpsero, mihi non expedit manere cum illa; sed hæc in maiori est necessitate posita, quam illa quæ me seducere conabatur; illa enim in terra degens, poterat aliundé servari; sed hæc á nemine, nisi á me sperare potest auxilium, & levans ad cælum oculos dixit: Deus in quem speravi á iuventute mea, ne sinas me perire, & cum protulisset hæc, tradidit puellæ manum, & eduxit ex aqua.

Educta igitur sic á periculo puella, sanctus eam pulchram vidit, & dixit ei: Ignis cum fœno, nequaquam bené conveniunt, non possumus ambo habitare simul, quia malignus insidiatur me; hic mane & quicquam non timeas, Dominus enim te servabit illæsam; habes panem & aquam, comede ex illis, sicut comedebam ego; donec post duos menses nauclerus veniat, qui mihi de hoc victu providet, & cum accesserit huc, narra illi quid acciderit tibi, & te salvam in tuam civitatem redu-

cet; & cum dixisset hæc, mare cruce obsignavit dicens: Domine qui imperasti ventis & mari, ne me sinas perire, & hoc facto; incredibile dictu! se in mare projecit, dicens ad puellam: esto salva mulier. Dominus te in finem conservabit; sed Dei sapientia præparavit duos Delphinos, qui virum sanctum exceperunt, & extraxerunt ad terram.

Eventui huic, affinis est alter, qui de Marcio insigni Monacho á D. Greg. Magno, lib 3. Dialogor. refertur; ille enim, multis annis in spelunca delituit, vt mulierem non videret, non quia contemnebat sexum, sed quia ex contemplatione speciei, metuebat incurrere vitium; cum autem hoc fœmina, quædam audiret, intrepide ascendit ad montem, & ad sancti specum imprudenter prorupit; ille verò aspiciens á longe vestimenta fœminea, ad orationem confugit, facie in terra depressa, & eo postratus iacuit, quo impudica mulier á fenestra cellulæ illius fatigata recederet, quæ eodem die statim vt descendit de monte vitam finivit, per quod testatum mansit, quantum Deo, improbus ausus displicuit, quo famulum Dei, societate fœminea, contristare tentavit; ex quo satis liquet, quanta cautela homines Dei, mulierum effugerunt consortia.

Casus secundus, de eversis viris per mulieres, sub pietatis & Sanctimoniæ colore. Tertulianus misere fuit á muliercula specie sanctitatis deceptus, & eius falsis vaticinijs dementatus, partes hæreticorum concesit, & redditus est Ecclesiæ hostis; vndé ait de illo D. Hyer. Epist. 46. quod Montano hæretico se coniunxit, & per fœminas, fuit actus in foveam; & certe est mirum, Tertulianum qui vir fuit austeri genij, mulierum blandiloquio, sic potuisse molliri, vt everteretur & rueret in hæresim, tanto cum Ecclesiæ scandalo. Verba infelicis Tertuliani, lib. de Anima, cap. 9. sunt hæc: est hodie soror apud nos, revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia, per extasim in spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoscit; hæc & alia deliramenta Tertulianus dixit, facile credens dicta, quæ fœmina pietatis colore somniavit, de quo latè agit Vinc. Lirin. & Baronius, ad annum 201. num. 13.

Occasione huius casus Tertuliani, misere á muliercula decepti, colore simulato pietatis & revelationum, non incongruum est, causam disquirere, cur mulieribus potius quam viris, falsæ revelationes & illusiones eveniant, & quam longe debet esse vir doctus, vt eis fidem præbeat; circa primum dicimus, quod ratio cur fœminæ potius quam viri, sint his falsis revelationibus subiectæ oritur. 1. ex eo quod illæ, sunt humidioris naturæ quam viri, & humidum comovetur facile, ad figuras, impressiones & imaginationes suscipiendas. 2. quia fœminæ, regulariter sunt præditæ intellectu humili, & prudentia destitutæ, & ideo speciebus vanis, & apparitionibus falsis, præbent faciliter assensum. 3. quia fœminæ plusquam viri, affectibus abundant, & ideo vt testatur Arist. lib. de somno & vigil. ad modicam similitudinem moventur, & facile credunt, id esse verum, quod apprehendunt: de quo vide Raphaelem de la Torre, loc. sup. cit. art. præced. in initio difficult. 4. in qua iam egimus de re ista, & addimus sequentia. Referunt Albertinus Bottonius, & Hyeronimus Mercurialis, medici peritissimi, quod in fœminis, quidam morbus viget, qui dicitur *furor vterinus*, cuius effectus, quandoque mirabiles, & præternaturales apparent, & ex eorum inspectione, multoties Directores errant, hoc tribuendo vel purgationi passivæ, vel diabolo eas vexanti; interdum enim, mulierculæ quædam, contrarijs affectibus agitantur, ita vt brevissimo tempore, de vno extremo transeant in aliud, nunc flentes, nunc ridentes; nunc varios faciei colores immutantes, nunc quasi agonizantes, & sine respiratione manendo, nunc velociter deambulando, quæ omnia possunt esse naturalia, iuxta prædictorum Medicorum sensum, quæ si non cautè attenduntur, & mulieres, spiritus inscriptionem gerunt, mille arcana á Directoribus fient, cum re vera nihil sit, eorum quæ ipsi & filiæ spirituales, falso machinantur.

Circa secundùm, de reflexione & prudentia in his á Directoribus habenda, duplex cautela præcipuè servanda est. Prima, quod omnis fœminarum doctrina solemnis, verbo vel scripto facta, est reputanda vt suspecta, & strictius debet examinari quam doctrina virorum, quia lex divina & humana, illas á docendo arcet, cum sint facile deceptioni expositæ; qua propter mulierum nuncium de Christi Resurrectione, visum est Apostolis, sicut deliramentum, & non crediderunt illis, sed Petrus surgens cucurrit ad monumentum, vt veritatem examinaret; ex eis enim mulieribus vna, paulo ante á Dæmonibus erat possessa, & ab ea Christi virtute septem Dæmonia exierant, & prudentes Apostoli de eius revelatione dubitarunt, nescientes, an adhuc in illa, diabolus loqueretur, an Deus? Secunda cautela est, illa fœminarum dicta attente meditare, vt videatur si conformia sunt, Ecclesiæ & SS. PP. dictis, & multoties reperietur, quod similia sunt ficulneæ á Christo maledictæ, folia tantum & non fructus habenti; quæ doctrina summitur ex Cancellario Parisiensi Gersone, in opere aureo, de doctrinarum examinatione.

Qua propter RR. P. N. Fr. Antoninus Cloche, repetitis Decretis nuper expeditis, die 2. Septembris, & 16. Decembris, anni proximè elapsi 1702. nos docet, quod fœminarum spirituales actiones, revelationibus complicatæ, infinitis deceptionibus sunt expositæ, & quod nostri, eis non debent

assen-

assentire, nec cum illis, assistentiæ prætextu, familiarem convinctum habere; strictèque præcipit omnibus Prælatis inferioribus, suæ curæ subiectis, vt si forté abussum talem, alicubi in suo Ordine inveniant, citissimé resecare satagant, atque iurisdictionis falce succidant. Scio, quod huiusmodi Religiosa sanctio, á gravioribus Patribus, fuit accepta & acclamata singulari plausu, quia sic, omnes noscent, Dominicanorum legem & mentem.

Hoc vnum potissimé, ex ipso Gerson citato, part. 2. consider. 3. notari debet, quod nempé Gregorius XI. Ecclesiæ Summus Pastor, cum in procinctu ad alteram vitam, sacram Eucharistiam sumturus, verba propé suprema profunderet, contestatus fuit palam adstantibus plurimis, vt maximé caverent, á quibuscumque inexploratarum revelationum propolis. & nominatim á mulierculis, dolens quod per tales seductus ipse, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat, & etiam Ecclesiam, ad discrimen scismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Iesus, quod horrendus vsque huc, ait Gerson, nimis patefecit eventus; consulatur ipse loco citato, nam prolixum esset nimis, mulierculas his figmentis deceptas, & decipientes alios, sæculo præterito & nostro recensere, de quibus hæc ait Alvar. Pelagius, lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 45. §. 9. quædam earum spiritum fingentes, & raptum & extasim simulantes, & prophetizantes & divinantes, multa lucrantur, & multos decipiunt, ad quorum restitutionem tenentur, quia per fraudem lucratæ sunt.

Casus tertius, circa idem. Paulus Samosetanus Episcopus Antiochenus, vt refert S. Epiphanius, cum præseferens Religionem atque pietatem, fuisset ad Præsulatum promotus, ita se gessit, vt nihil vitij, nihilque indecorositatis in eo fuerit conspectum; sed eius fuit miser & deflendus casus, ex mulierum familiaritate ortus; instituit enim, á mulierculis á se redactis, himnos concinni in die Paschatis in media Ecclesia, quibus auditis horrescebant pij; vlterius apud mulieres Agapetas, vulgo *Beatas*, familiariter egit, & habitavit cum eis, & sibi faventibus Presbyteris, vt illas similiter haberent concesit; nec his stetit eius improbitas, sed processit in peius, Christum purum hominem statuens; vt enim gratus foret mulieri, cui placere studebat, in eam devenit insaniam, vt solum Patrem Deum agnoscceret, & contra Filium & Spiritum Sanctum, impia dixit.

Damnatus pro his Episcoporum iudicio, Aurelianum Imperatorum appellavit, & primus fuit, qui ab Ecclesiastico iudicio, ad sæculare provocavit tribunal, ex quo tot mala temporibus nostris sunt exorta, in fugientibus Ecclesiasticam iurisdictionem, se potestate sæculari protegendo; & præterea, quod detestabilius est, cum reus esset, propter convulsa fidei dogmata, ad Principem Paganum recurrit, infensissimum christiani nominis hostem, á quo fuit iure repulsus; in hác malorum voraginem, muliebris familiaritas, miserum Samosetanum deiecit. Præter quod iudicant multi, quod fœmina ipsa, cum qua ille familiariter agebat, quæ fuit Zenobia Palmirenorum in Siria Reginam in eosdem perversos incidit errores, & vidua facta, ab Aureliano captivata, fuit ad Romam deducta, ibique consenuit, facta Christiana, cum prius extiterit Iudæa.

Huic similis fuit, alter Sacerdos Hispanus, de quo Paulus Girlandus memoriam agit; ille enim habitabat Romæ, ætatis annum agens 45. & censu Ecclesiastico non modico erat instructus, & ob familiaritatem, cum quibusdam spiritualibus fœminis, eo devenit, vt nihil aliud, nisi earum pulchritudine frui cogitaret, & in talem incidit amentiam, vt se appellaret Ecclesiæ sponsum, quia ipsas cum quibus spirituale connubiū faciebat, Ecclesiæ nomine insignibat, ob earum quam falso cogitabat puritatem & Sanctimoniam; & deindé fuit temere asserere ausus, quod nullo opere aut sacrificio, poterat divina gratia securius promereri vel plenius, quam illius fœdi coniugij initiati perfectione carnali; & in hac insania inflexibilis perstitit, donec metu vivicomburij, ab ipso Girlando iudice imminentis, errores abiuravit solemniter, temporario exilio, & sacrilegarum mulierum familiaritatum abscisione punitus.

Extitit etiam, anno 1611. Pandulfus Ricasolus Florentiæ natus, qui cum per aliquot annos, in cætu religioso, non sine virtutis existimatione vixisset, denique ob ferreum & indomabile genium, ab illo segregatus fuit; Canonicus postea factus in Metropoli Florentina, eandem retinuit probitatis laudem, & plures ad eum pro conscientia expianda currebant, viri sanctitatis fama commoti; sed inter alios mulier quædam, Agapeta seu *Beata*, Faustina nomine, in spiritualibus dirigebatur ab ipso, & cum eo perquam familiariter agebat. Verum post annos aliquot, á sacro fidei Tribunali, vterque comprehensus, post diuturnam causæ ventilationem, in publicum fuerunt producti, anno 1641. ad eiurandas palam, impias & blasphemas propositiones, quas eis spiritus diabolicus suggesit; quæ tales sunt, vt malim eas silentio præmi, quam scribere, ne fœditate sua, aerem & chartam inquinent. Demúm, ambo perpetuo carceri sunt addicti, & extant perenne exemplum, ruinarum quæ spiritualibus vitis, ex nimia cum mulieribus familiaritate, colore pietatis depicta exoriuntur.

Casus quartus, circa idem. Franciscus á Cruce Peruanus, misserrimé cecidit, per nimis familiare, cum quadam Beata muliere, spirituale comercium. Res ita contigit si Iosepho Acosta, fidem damus. Fuit in Peruano Regno, vir magni habitus eo tempore, nam ille erat Theologus, Doctus, Catholicus ac pius, & pro tali ab omnibus æstimatus, hic fa-

mi-

miliariter multum,agebat cum mulierecula quadam, quæ se ab Angelo de altissimis rebus edoceri iactabat, & extra se interdum rapi videbatur, vel id simulabat, cui fuit adeo Franciscus ille devinctus, vt de difficilimis Theologiæ quæstionibus eam consuleret,& tãquam oraculum veneraretur,illamque Cœli revelationibus,& favoribus plenam prædicabat,atque evulgabat vbique, cum re vera illa esset sordida, exiguo sensu prædita, & apparens ad disseminanda mendacia.

Igitur Theologus ille, qui á mulierecula,magna de se audivit, & maiora concepit, libenter se eius discipulum esse voluit, cuius pater spiritualis erat, & eo obcecatus fuit homo, vt miracula facere tentaret, & hoc sibi persuaderet,nullis stantibus miraculi vestigijs. Propterea,& quia propositiones aliquas, á falsa sua Prophetisa accepit, á vero Ecclesiæ fideique sensu deviantes,fuit á Sacro Tribunali captus, stupentibus omnibus, & ab eo per quinquennium, in carceribus detentus,probatus, examinatus & toleratus, & tandem patefactus est homo superbissimus, iniquissimus,& insanissimus. Affirmabat atque defendebat pertinaciter, Angelum Dei, esse sibi divinitus collatum,á quo omnia quæ vellet addiscere posset;in has nugas delatus est,quæ solum ab homine mentis alieno poterant excogitari, cum tamen esset ille, integro sensu, cerebro & auditu.

Deindé serio affirmabat, se Regem futurum,& Pontificem Summum, translata Sede Apostolica ad illa Regna, & esse concessam illi sanctitatem, super omnium Angelorum choros, & Apostolos omnes, oblatamque sibi fuisse vnionem hypostaticam, & ab eo non admissam. Datum quoque asserebat, in Redemptorem Orbis, quo ad efficaciam,eo quod Christus,solum fuerit quo ad sufficientiam;statũ Ecclesiæ fore abrogandum, ipsumque alias facilimas, & apertas leges editurum,quo confessionis necessitas excluderetur, & auferretur clericorum celibatus, vxorum pluralitate concessa. Hæc & alia, diabolica suggestione evomebat, & adductis Magistris, vt disputarent cum eo, suprá plus quam centum & decem propositiones hæreticas,& illum ad fidem revocarent, crescentibus rationibus solidis, etiam in eo vesania crescebat dicendo, quod sua dicta suadebat efficacius,quam Paulus suasit, Christum esse Messiam; quod miracula patravit plura, Resurrectione Christi maiora, quod ipse veré fuit mortuus & resurgens, quæ omnia ex Scripturis, & revelationibus sibi factis, evidenter inferri asserebat.

Lassati tandem, & scandalizati sunt Magistri illi,ad eum pro Disputatione adducti,talem videndo & audiendo errorum cumulum,eo fervore prolatum; & post duos dies,ad publicum spectaculum delatus, vt in Hispania fieri solet, oculos habebat semper ad Cœlum erectos, ignem Cœli expectans contra iudices & cæteros omnes, vt ei falso diabolus ante promisserat; sed iactus ad flammas,neminem ex Catholicis ignis tetigit, sed illum hæresiarcam pessimum,subito rapuit, atque in cineres redegit;hoc miserabile illius viri exitium,quod in falsa pietate sumpsit exordium, in fœminæ spiritualis familiaritate incrementum, & in ardentibus flammis exterminium. Iudicent modo,qui spirituali Directioni operam dant, quantum á familiaritate mulierum, etiam charitatis prætextu, debent procul abesse.

Casus quintus, de sacris viris, ob piarum mulierum familiaritatem, in turpia prolapsis. Refertur in PP. collat. lib. 5. num. 35. quod senex quidam erat in Scithia,qui cum graviter ægrotasset,ipsi fratres inserviebant, de quorum fatigatione ipse compassus,ad Ægiptum pergere voluit cui Abbas dixit,non vadas quoniam in turpitudinem es incursurus; sed ait contristatus senex: feré mortuum est corpus meum, & hæc mihi dicis? Ille tandem surrexit & abijt, quod audientes Ægipti habitatores, illi munera deferebant, & inter illos advenit mulier fidelis & pia, volens infirmanti seni opem ferre; post paucum veró temporis, senex de infirmitate convaluit, & ex mulieris familiaritate, illius captus amore,accessit ad eam,quæ concepit & peperit; sed á vicinis rogata de hoc, respondit, quod desene illo concepit, nec ipsi tale credebant.

Senex autem ille, de sua turpitudine maximé dolens, palam omnibus culpam manifestavit,& dixit: ego feci hoc, servate tamen mihi puerum quem pariet, quæ cum puerum,genuisset & peperisset,post eius ablactationem, tulit senex infantem super humeros suos, & die quo solemne agebatur festum in Scithia, accurrit ad domum Monachorum, & Ecclesiam intravit, coram fratrum multitudine, qui eo conspecto fleverunt omnes, quibus ille dixit: Videtis infantem quem humeris porto? Filius est inobedientiæ meæ;cavete vos fratres,quia in senectute hoc feci,& Deum exorate assidué pro me.Hoc ipsum Cantimpratus, iam sexagenarius de se fatebatur dicens: Se in ea ætate, securum non dum esse posse, auditis prolapsionibus miserandis illustrium virorum, ad quas horrescebat; & S.Ludovicus Bertrandus, de se iam sene dicebat: ergo senex surdaster, male sanus & debilis, provocatus sum á qua nunquam putassem, vndé inferebat, quantam in familiaritate fœminarum vitanda, opportebat sacris viris curam adhibere.

Monachus ille senex, prætextu passivi absequij deceptus fuit, vt cum fœmina ageret familiariter; sed nec hoc securitatem iniquitati præstat,vt asserit Chrysostomus,duplici elucubratione de feiugendis contubernio, sacris hominibus, & mulieribus; & S. Hyer. ad Nepotianum scribens, ad rem nostram, hæc ait: Ægrotanti tibi, quilibet sanctus frater assistat, & germana vel mater. Scio quosdam

dam convaluisse corpore,& animo ægrotare cæpisse;periculosé tibi ministrat cuius vultum frequenter attendis. Admitit Hyer.in ægritudine viris sacris (non Religiosis) mulieris ministerium. si illa sit apud omnes fidei probatæ ; sed Chrysostomus etiam id negat, loc. cit. dicens : Rectè nobis præsentium ministeriorum officia subtrahimus, ne æterni ignis tormenta patiamur ; vbi enim de ministerio agitur & vita, rectius profecto Christiano est, ministerio carere, quam vita.

Prætextu ergo passivi obsequij, non est decens viro sacro, cum fœmina comercium familiare. Iocabatur enim impius Beza, cum tertiam duceret prætensam vxorem, dicens, quod prima erat *ob opus*, secunda *ob opes*, tertia *ob opem*, & hoc ipso præsidio videntur muniri, qui ex sua necessitate, fœminarū familiaritatē obtegere volunt. Sed quid si necessitas sit ipsæ mulieris,vt ab alio iuvetur?De hoc iā aliquid suprá diximus,nunc dicimus, quod hoc eodē vtebantur motivo Agapetarū domestici, vt ex Chrysost. constat vbi suprá, quod D.Hyer. amare deplorat,Epist.12. eo quod fuerint hæ Agapetæ, in Ecclesia introductæ,quærentes alienorum spirituale solatium;vt domi haberent carnale commercium ; quod si adhuc spirituali colore, hæc est contagiosa pestis,quid Hyeronimus assereret, si viros sacros intueretur, etiam circa domestica fœminarum servos?Ipsum audite,Epist.2.dicentem hæc: audio præterea, in senes & anus absque liberis, quorundam turpe servitium; ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmenta pulmonis, manu propria suscipiunt, pavent ad introitum Medici, trementibusque labijs, an commodius habeant scisitantur, simulataque lætitia, mens intrinsecus amare torquetur; timent enim, ne perdant ministerium. Hæc D. Hyeronimus, nosque cum ipso.

Casus sextus, circa idem. Timothæus vir magni nominis apud antiquos Anachoretas,rogatus á Paphnutio, qua de causa in eremum secessisset? Respondit, vt habetur apud Metaphrastem: quód fuit nuper Monachus,degens in cœnobio Thebaidæ, magno & fidenti animo operans;statuit autem ex cœnobio eggredi, & solus in monasterio habitare,cogitans maiorem de hoc invenire mercedem, ad quod exequendum,parvam cellulam ædificavit, ibi manuum opera exercens, quo factum est, vt multi accurrerent ad ipsum,& iubentes & expetentes opera illa, ex quibus magnus ei fructus redibat, & pecuniam pauperibus,& hospitibus erogabat. Diabolus autem, qui bonis est infestus, cogitationem impræsit ei, cuiusdam piæ fœminæ,quæ extitit apud illum, pro opere aliquo petendo, & id animo voluens,mulier iterum revertitur ad illū; & occasione nacta libere sunt locuti & simul coinquinati, & sex menses in fœdo peccato manserunt;postea verò periculum suæ salutis agnoscens, in eremum secessit,vt Dei iudicium & punitionem evaderet;sic Timothæus fuit per fœminam prostratus, ianuam peccato aperiens, per eius familiarem collocutionem.

Habetur ex his : quód etiam viri perfecti,ex illa mulierum familiaritate, decipi possunt & irretiri; qua propter Presbyter Vrsinus, maximé est á D. Greg. laudatus, quia cum antea vxorem habuisset, quam postea vt sororem dilexit, illam vt homo maximé cavens, nunquam ad se propé accedere permisit, & tandem ad extrema ex morbo deductus, cum dubitaretur an efflasset animam, mulierem illam id explorantem reperijt, auribus suis ad viri nassum admotis, & infremens spiritu æger, quanto valuit nisu, dixit ei : recede á me mulier, adhuc igniculus vivit, palleam tolle ; agnoscebat enim, nihil esse facilius, cum virtus eius defecisset derelinqui, tunc maximé insidiante Satana, circa hominis exitum á corpore, sciens quia modicum tempus habet.

Annectitur dictis, lamentabilis casus, apud Romanam Curiam, in Xenodochio S. Spiritus trans Tiberim, præterita centuria deploratus;extabat ibi pius vir Petrus Saulnerius vir doctus & optimus, qui monitum dedit, ne ad ægros quantumvis debiles, dum halitus supereset, fœminæ appropinquarent, in quam rem,exemplum protulit iuvenis cuiusdam, qui prostratus infirmitate, ritè & rectè confessus, Eucharistia sumpta, & Sacra Vnctione recepta, cum extremo vitæ agone colluctabatur,& en accedit muliercula, qui cum eo fuit antea conversata familiariter, cuius proximitate, penè extinctus ignis recalescit, petens ab ea, vt aliquid sibi exhiberet,quo acutissimos dolores temperaret; annuit ipsa, & in procinctu perversi operis, miseram animam efflavit æger; admota palea, exarsit ignis, & ardebit vsque ad inferni novissima.

Comprobantur dicta, ex D. Ioann. Chrysost. Paren. 22. qui hæc ait, de quodam Ioanne Mopsuesteno. Quis non in te, iure miratus sit, post repentinam illam mutationem, & rapidum ad meliora transcursum, celestis iam verè animæ probos mores? Epularum quidem tibi oblectatio omnis, & luxus, contemptui erat, despiciebatur suppellex varia, atque prætiosa omnis inanium rerum iactura, non diversis sectionibus sufficiebat dies, non perpetuæ orationi noctes. Post tantam in spiritu progressionem, mulierculæ cui nomen Hermione pellacijs captus,eiuravit Monachum,ingenti plané offensione bonorum omnium, vt patet ex ipsius Chrysost. suasionibus, quibus apostatam illum, ex cœno turpitudinis, in quem per fœminam fuerat lapsus, extrahere conatus est vt refert Leontius Bizantinus, lib.3.

Casus septimus, circa idem. Ioannes Garinus, vir sanctitatis nomine clarus,anno 888. apud Montem Serratum floruit, & per mulieris familiarem

allocutionem pietatis prætextu cecidit in foveam; summa historiæ, est hæc, quæ apud Villegas, 2.p. cap.23. adducitur diffusé. Gaufredus Barchinonæ Comes, filiam habebat energumenam, quam Dæmon exorcismis coactus, dixit non desertorum, nisi apud Montem Serratum, in Garini spelunca, per novem dies sanctificaretur; adducitur ad eremum puella, & Garini precibus ab impuro hospite liberatur; ille exoratur á Patre, vt per novē dies eam in spelunca sua permitat habitare & ipse ad locum, situm ad radicem montis, nomine Ministrol descendit, vt ibi novem dierum expectaret efflux um, manente Garino in fœminæ societate.

Initio ille, non nisi sanctas cogitationes ingerebat puellæ, sed ex frequenti allocutione cum ipsa, sentit in se libidinis faces accendi. Advenerat diebus illis, Dæmon in eundem eremum, sub specie ementiti Eremitæ, & non longe á spelunca Garini, sedem fixit, in loco qui vsque hodié spelunca Satanæ vocatur. Ad novum hunc sodalem accedebat Garinus consilij gratia, & Comitem patrem puellæ fatigabat per Ministros escarum ductores, vt filiam quamcitius, indé extraheret & secum duceret, timens ne novissima hominis illius, fierent peiora prioribus, sed Pater his non assensit, quantumvis Garinus vrgebat, qui implanatus his dictis, in specu mansit cum puella, & impetu vehementissimæ tentationis deiectus, illi vim intulit, & animam turpi opere maculavit.

Sic fœdo patrato scelere, ille de noxa rubore plenus, ad eremitam illum simulatum, quem pro sodali habebat accurrit, cui miserum casum fassus fuit, á quo accepit sævum & immane consilium, trucidandi puellam, vt culpa lateret, idque in spelunca reversus fecit, cultro infixo in collo puellæ dormientis. Sic præceps Garinus, fœminæ cadaver sepelivit; & eius Pater post novem dies filiam repóscit, & á Garino fabulam reportat de illius absentia, non sine lachrimis & dolore paterno; sic ille addidit sceleribus scelera, tot malis implicatus, ob improvidam cum fœmina familiaritatem, quæ in hæc & similia, præcipitavit non semel viros sacros.

Denique, actum iam videbatur, de Garini æterna salute, nisi misericors Deus, pro ea qua erga peccatores benignitate splendet, remedium apposuisset. Tactus ergo vir miser, dolore cordis intrinsécus, septenem assumpsit corporis afflictationem, ita vt instar feræ, quadrupes perpetuo reptaret, per montes rupes & saxa, nec audebat oculos ad cœlum levare, præ confusione atrocitatis & sceleris commissi; perrexit tamen ad Summi Pontificis pedes, pro pœnitentia salubri consequenda, & Summi Pastoris auctoritate interposita, Garinus, suum peccatum remissum esse cognovit, quia hoc non sine prodigio, infantulus trimestris denuntiavit. Puella deindé Comitis filia per Deiparam, cui addictissima fuit, ad vitam restituta, sub præruptis silicibus sospes reperta, frustra ad nuptias á Patre destinatas vocata, principium dedit facto Templo, & Monasterio B. Virgini dicato, á peregrinis frequenter culto, & á Monachis Benedictinis, Religione summa venerato.

Eventus alter, omnino similis huic, á Metaphraste refertur, ad diem 28. Ianuarij de quodam Iacobo Eremita, qui per quinquaginta annos, Deo innocenter & incessanter inservijt, & multa gratiæ dona recepit ab illo; cum autem Satanas introisset in puellam quandam, quam male vexabat, parentes eius rogaverunt enixe Iacobum, vt pro suis meritis illi ferret opem, vt diabolus ab ea discederet, & per duos dies eam in sui societate reliquerunt, in suam domum reversi; ille autem solus cum sola, cæpit sentire perversæ libidinis æstus, & vt summatim dicam, oblitus Deum & gehenam, stupri nefas commisit, & postea eodem quo Garinus rubore de crimine territus, malum addens malo, fœminam occidit, atque in fluvio proiecit, quod impium factum per totam vitam amare deflevit, & in quodam sepulchro inter cadavera delituit, quin oculos ad Cœlū levaret; sic refert noster Venerab. Lanuza, hom.36. §.10. sic é summæ dignitatis & perfectionis fastigio corruunt, qui fœminarum non curant consortia vitare.

Casus octavus, circa idem. Victorinus sub Nerva Imperatore, ex eremo ad insulas Episcopales evectus, in ipsa solitudine, fuit á specu mulieris delusus atque prostratus; casus ita contigit, vt Martyrologium Nonis Septembris refert. Ille Victorinus, aspirans altiorem vivendi modum, ad eremum secessit, & ibi in excelsa rupe sibi confecit habitaculum, duplici aquæ rivulo abruptum, & adeo strictum, vt vnicum tantum hominem caperet, vt sedens quiesceret, vel stans oraret; texerat deindé ostiolum vimine, perpetuo in contemplatione perseverans. Quód cum inspiceret calidus humani generis hostis viri profectum, & hunc sustinere non valens, simulat se quadam die, puellam in solitudine aberrantem, & magnos illi clamores ingeminat. Heu me misseram, in silvis errore & tenebris vagam! O tu quisquis es huius loci incola, eripe me á vorantibus feris.

His á Victorino auditis, reserat cellulæ ianuam, & dum miseretur, hostem secum includit. Vix horæ decurrit spatium, dum inter molimina, & assiduum corporis motum, extenso pede tetigit hominem Dei simulata fœmina, & statim quasi scintillis appositis, noxio calore succendit, flammamque auget dulcedo sermonis, & ad crimen vrgebat solitudo; & vt vno dicam verbo, arbor alta defixa radice, quæ diu fundata in perfection esteterat, fuit ardore combusta. Tunc diabolus quasi victor exclamat; quid agis vir perfectissimus? Nonne tu es qui Severini fratris tui, non potuisti sufferre con-

fortium? Et modo alteri iungeris, qui á tuo receſſiſti? Hæc iactans, ex oculis decepti viri, quaſi fumus evanuit, hic verò percuſſus fæditate ſceleris, in ſe ipſum exarſit, & fiſſa arbore, manibuſque per fiſſuram inſertis, præduratam cuneis ac peſſulo, cicatricem arboris clauſit, & ſic per trienium ſtetit, donec carnibus penè reſolutis, ſolvi denique manus eſt paſſus, & deindè ad Epiſcopatum promotus, martyrio illuſtri vitam finivit. Ecce quomodo, ſimulatæ mulieris approximatio, ſacrum virum, ex alto deorſum miſit.

Hæc ex D. Macario comprobantur, qui hom. 27. refert, quod cum quidam vir ſacer perſecutionis tempore, fuerit tormentis expoſitus, eius corpus ſuſpenſum fuit, ſed vivus remanſit, poſteaque in carcere fuit repoſitus, cui miniſtrabat mulier quædam pia & fidelis, cum qua nimia familiaritate contracta, adhuc exiſtens in vinculis, in turpe ſtuprum eſt lapſus. O verè ſtupenda libidinis cæcitas! Contrarium huius ad portentum effecit alter, de quo Hyer. in vita S. Pauli Eremitæ, ait: Quòd á fœmina in molli culcitra poſitus, & ad laſciviam per illam, blanditijs & dulcibus verbis provocatus, cum ille ligatus foret, & ideo non poſſet á ſe mulierem illam abijcere, linguam ſuis dentibus præciſſam, expuit in faciem petulantis, timens ruinam, ſi familiarius ageret cum illa, & molles aditus fœmineæ doloſitatis, eo non repelleret facto, quibus attendens Magnus Spirituum Magiſter Ludovicus Bloſius, in dictis Patrum, cap. 19. ait: Cavete maximè, occaſiones diverſi ſexus, nam qui illas plus ſatis admittere volunt, quantumlibet pij ac perfecti ſint, accidere poteſt quod dicturus ſum. Corda eorum, ſenſim voluptatibus ſenſu capiuntur ac vulnerantur. & quod videbatur initio, rectè vel ſpiritualiter facere, id tandem tranſit in delectationem ac ſenſualitatem.

Dictis concordat eventus alter, ab Accurſio relatus, de quodam Petro Abelardo, qui genij fuit planè turbidi & procelloſi, ita vt quocumque accederet, tempeſtates induceret; acria cum ſodalibus agitans diſidia, in cœnobio cuius erat incola, & Epiſcopis ipſis negotium faceſit, neſcio qua occaſione deprehenſa; hæc & alia, miſerum hominem propulerunt; ſed quod præcipuè attinet ad rem noſtram, hoc eſt. Cùm Abelardus, magna nominis celebritate, apud Pariſios habitaret, rogatus fuit á Fulberto Canonico, vt Heloiſam nepotem ſuam, inſtrueret bonis litteris, & familiaritate abuſſus, educationis diſcipulam matrem fecit, ex qua genuit filium Aſtralabrum; cognati autem fœminæ, ægerrimè fædationem illius audientes, Abelardum qua parte vir erat, truncaverunt radicitus, vt in poſterum ſimilia facinera vitaret; mox verò confuſione pudoris, potius quàm devotione converſionis, ad monaſtica clauſtri latibula eſt compulſus abire, vbi poſt varios caſus, & multiplicia dilerimina rerum, Monachus obijt, vt hinc diſcant omnes, cum ſexu fœmineo, caute ſe gerere.

Nec prætextus educationis fœminæ, id honeſtare poteſt, vt conſtat ex caſu dicto, quod vlterius roborarur ex D. Hyer. Epiſt. ad Paulinum dicente: Bonus ſermo ſecreta non quærit, quin potius delectatur laudibus ſuis, & teſtimonio plurimorum. Magiſter egregius, contemnit viros, deſpicit fratres, & in vnius mulierculæ ſecreta eruditione deſudat? & Epiſt. 51. ſic adverſus Iovinianum concitatur. Audio præterea, eum libenter, virginum & viduarum cellulas circumire, & adducto ſupercilio, de ſacris inter eas litteris philoſophari; quid in ſecreto, quid in cubiculo mulierculas docet? Fateatur ergo publicè, quod domi loquitur. Miror autem, non erubeſcere iuvenem & Monachum, vt ſibi videtur diſertum, luſtrare nobilium domos, inhærere ſalutationibus matronarum.

Sed quid diceret modo Hyeronimus matronarum, ſi tempeſtate noſtra conſpiceret viros ſacros, infimæ plebis fœminarum, aſſiduè habitare domos? De hoc malo, amare lamentabatur Bernardus, Serm. 65. in cantica, dum dixit: Clerici & Sacerdotes, populis Eccleſijſque relictis, intonſi & barbati apud eos, inter textores & textrices, plerumque inventi ſunt. An non gravis demolitio iſta? Hæc ille; & quod peius eſt, multoties relinquentes lanificum opus, & victum quærentes fucato virtutis colore. Mulier illa fortis beatiſsima vocatur, eo quod quæſivit lanam & linum, digiti eius apprehenderunt fuſum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, & tamen nobilis erat vir eius, ſedens cum ſenatoribus terræ, quanto ergo magis hæc laborioſa & honeſta occupatio, debet á fœminis inferioris claſsis exerceri, pro victu & veſtimento? Iuxta ſacrum Davidicum dictum: labores manuum tuarum quia manducabis, Beatus es, & benè tibi erit.

Caſus nonus, circa idem. Ruinam Sacerdotis cuiuſdam, non procul á Cameraco, ſic Cantipratanus refert, lib. 1. apum. cap. 3. num. 47. Quidam Clericus á pueritia perfectus & caſtus fuit, & poſt longum Sacræ Theologiæ ſtudium, in quadam Cathedrali Eccleſia, fuit dignitatem adeptus; & animarum zelo permotus, illam pro beneficio curato commutavit, in quo per ſeptenium laudabiliter vixit, & multum fructuosè laboravit prædicatione & exemplo, pro animarum profectu, & multas Chriſto lucravit; accidit verò, vt ſexagenaria fœmina, virgo adhuc, quæ ipſius Sacerdotis cilicium lavare conſueverat, ſola ſine teſte, eius talamum ingrederetur, & ad tám neſarium exitum res devenit, vt ambo ſibi imbicem privarentur puritatis candore tandiu ab eis ſervato, ex quo crimine, mulier eo doluit, vt præ amaritudine vitam amiſſerit, Sacerdos verò, expertus delectationem incognitam, huic aſſuetus, in viliſsimis turpitudinibus diu vixit.

Hinc

Hinc novam accipit probationem, quod suprà diximus, de fœminis cuiusvis ætatis vitandis; quare de Monacho secedente in solitudinem, aiebat S. Hyer. lib. contra Vigilantium in fine: sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat, corruat atque frangatur; vndé & mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat; & D. Petrus Damianus, aiebat hæc: ego certé qui iam senex sum, anus quidem, faciem rugis exaratam, ac lippientium oculorum fluoribus madidam, securus intueor, infœlix quippé cor meum, quod Evangelica tenere mysteria, centies perlecta non sufficit, semel aspectæ formæ memoriam, non amittit, & ibi vanitatis imaginem oblivio non intercipit, vbi lex divino descripta digito non permansit.

Iungitur dictis, deplorandus eventus Roberti de Licio. Hic concionator erat adeo insignis, vt nullus inter oratores Christianos inveniretur, qui eius pronuntiationem, gestus, & vniversæ locutionis structuram, posset æmulari, nec exprimere imitatione; contigit aliquando, vt solertia & facundia sua, hominem quendam sponsione facta ad lachrimas excitaret, qui nunquam lachrimatus fuerat, de quo cum Prudentio poterat dici: ó linguam, miro verborum fonte fluentem. Sed heu! Tantus vir, Christianus & quod fœdius est, religiosus, liquidam temeravit crimine vocem, obscuratum enim fuit aurum, mutatus color optimus, emarcuit flos nitidissimus. Vndé autem ruina hæc exorta? Quia fœminæ ad eum certatim properantes, cum quibus erat frequenter, ad libidinem provocarunt, & satis senex, inter concubinas decessit, sub fœtido cœno, tot talentorum prætiositatem sepeliens.

Cùm ergo hic miserabilis ita vesanus, fuerit vir religiosus, passim pro religiosis, hæc brevis facienda est digressio, vt sciant ipsi, quam strictè prohibetur illis, frequens mulierum familiaritas, quovis etiam spirituali prætextata colore. Hac de causa, vt resecentur in viris religiosis, principia illius familiaritatis, eis prohibitum est, ne in Baptismo patrini fiant, ne occasio hæc, familiaritatem generet, vt glossa notavit; & similiter decretum 22. Synodi septimæ statuit, quod religiosi qui pro Domino, sub iugo monastico vivunt, seorsim á mulieribus comedant; cuius ratio esse potest, ne simul sedentes manducare & bibere, surgant ludere, & tandem, iuxta sacrarum religionum praxim, cuilibet adhibetur socius, vt excludatur omnis nefaria suspicio, quia solum ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit, vt in Synodo præcedenti dicitur.

Hoc ipsum, authoritate Simachi Papæ comprobatur, qui ait: Nullum Sacerdotum, antiquis & modernis legibus obsequentem, nullumque Levitarum, sine benè probata, volumus in quocumque loco manere persona. Publicum sit apud Religiosos, omne quod geritur, clandestina repudietur obscuritas, multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam; male deprehensa iudicetur conversatio, quæ non optat agnosci. In huius cautelæ comprobationem, etiam adduci solet textus, ex Epist. 2. ad Cor. cap. 8. v. 18. dicens: Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesia, comes peregrinationis nostræ; vbi Apostolis dabatur socius, non ab eis electus, sed ab Ecclesia destinatus & adiunctus, vt ita vnus alteri provideret bona, coram Deo & hominibus, vt allocutiones fœminarum, & rumores intuentium vitarentur; de quo luculenter agit Enodius in fine, dissertat. de Celulanis, & Chrysost. lib. 5. de Sacerd. in medio.

Casus decimus, circa idem. Vir quidam Ecclesiasticus, spiritualis maximè, apud quandam Hispaniæ Civitatem degebat, ob cuius singularia virtutis, & eruditionis talenta, á magnatibus & Principibus, in magno fuit prætio habitus, ex quibus aliqui, filias suas ad eum pro instructione, atque directione spirituali deferebant, sicut de Garino antea dicebamus; sed parum steterunt, perfectionis alta cacumina, debilibus infixa radicibus; nam cum filia nobilis cuiusdam, quam frequenter invisebat, & in spiritualibus gubernabat, fœdum & turpe commisit crimen, quo publicato, & Dei & hominum ammisit gratiam, á Prælato enim suo apprehendi iubetur, & in strictissimo carcere detruditur, vbi feré mente captus, memoriam perdidit & sapientiam, atque Principum opinionem.

Contigit hoc eodem tempore, vt Beatissimus Patriarcha Dominicus, per Orbem prædicans & Evangelizans, accederet ad eam Civitatem, quæ vt fertur, nostra Cæsarauguſta erat, auditoque misero illius viri casu, charitate erga ipsum viscera torsit, ipsumque in vinculis non semel vidit, atque consolatus est, & ad intimam erga Sacratissimæ Virginis Rosarium devotionem exhortans, ei plenam laborum requiem, hoc medio promisit. In se itaque peccator ille reversus, culpam amaré flevit, & Mariæ imploravit tutelam, posteaque mense peracto, Angelorum Regina, venit ad eum, luce perfundens cubiculum, & promptam reo libertatem offerens; aliquot diebus decursis, librum ei attulit, in quo verba illa: Verbum caro factum est, ipse vidit & legit, eique scientia & Principum gratia fuit restituta. Tandem ipsum aurea virgula tangens, ex ore eius, ferox valdé eggressus fuit draco, flammas vomens, quæ turpe peccatum ab eo commissum figurabat; sic postea emmendatus virtutes auxit, & in Dei pace vitam finivit; ita refert Ioann. de Mata, qui casus, cum acciderit in Civitate nostra, non poterat in præsenti, absque piaculo præteriri.

Habetur hinc, nova præcedentium comproba-

tio,

tio, vt comprehendatur ita,quod nec fœminæ primariæ, vel conditionis sublimis, possunt á Directoribus frequentari; aliqui enim, eas incauté loquuntur sæpiús, eo prætextu, quod earum sit celsa conditio, cui iungitur educatio,quæ nonnullam videntur securitatem á periculo conferre; sed tamen,quod de præcedentibus dixi,etiam de his nobilibus asserо, & ex innumeris casibus circa hoc, vnum vel alium,in comprobationem appono. Refertur in historia Sabiniacensi. S.Odilonem Abbatem, in quodam Cœnobio, visitationis causa degentem. á Comitissa Ermengarde, impudenter ad turpitudinem provocatum, statuisse horam & locum patrandi sceleris;& cum ingentem ignem,accendi curasset,in eum se,coram Comitissa proiecit, atque volutatus in flammis,quæ in altum ferebantur,instar illius Dominici, Patriarchæ nostri socij suprá relati,mulierem illam, ad vnam secum illius lecti fruitionem invitabat, & quidem nec capillo capitis, nec particula vestis igne combustis. Expavescit ad spectaculum fœmina, excitata in eius pectore, fervida intentati sceleris detestatione; amploque censu & suppellectili, cœnobio illo donatis, exoravit, vt quotannis, qua die obiret, solemnes pro se funderentur præces, narrante loci Priore mulieris nequitiam,eiusque pœnitentiam, quod hucusque servatur. Sic primaria fœmina, virum sanctum ad scelus allicere ausa, suadet satis, etiam huiusmodi fœminas, á spiritualibus viris, esse declinandas.

Qua propter, agens de necessaria virorum, & mulierum separatione, S. Ciril. Ierosol. præfat. ad Catheces. ait:Viros cum viris, mulieres cum mulieribus,in Templo Dei opportere versari;& exemplum adducit de arca Noe, quæ typus erat Ecclesiæ, in qua per diluvij tempus, Noe & filij eius, vxor etiam & filiæ morabantur, separati tamen mansione, ita vt fœminæ omnes, essent in vno loco, & viri in altero, & hoc ipsum ait ille, esse in Ecclesia servandum, ne studium salutis, sit perditionis occasio. Viri ergo sacri animarum Directores, & præcipué Monachi, in suis cellulis separati debent manere; quid autem absurdius, quam cum spiritualibus fœminis, cellulas habere communes? Et ideo Gelasius 1. leges dedit, vt servi Dei cum puellis, congregatione dedecorisima non miscerentur; nam cum spirituales animi,etiam cum desint ista consortia,imaginarijs infestentur illecebris, quomodo sexus intuitu frequenti, non incitabuntur vehementius?

Casus vndecimus, de mulierum deceptionibus, in rebus spiritualibus. Refert S. Franciscus Salesius, Epist. 23. lib. 2. casum stupendum & rarum, thenoris sequentis. Extitit eo tempore, quo Venerabilis Maria ab Incarnatione florebat, puella quædam virgo, á Dæmone decepta, illusione extraordinaria, quæ in eo fuit sita, quod diabolus,figura Christi Salvatoris accepta, longo tempore cum illa canonicas horas, alternatim recitavit, & quidem cantu dulcissimo, cuius suavitate allecta mulier illa,sæpé in extasim rapiebatur, & frequenter de manu ipsius apparentis crucifixi, communionem accipiebat, falsa hostia sub argentea & fulgida nube adducta, quam in eius ore ponebat. Fecit insuper, vt ageret vitam sine cibo aliquo,& vlterius, cum illa eleemysona ad pauperes deferebat, in sinu suo multiplicabat panē, delicijs & suavitate plenum, quem Director eius, quasi celeste ferculum, distribuebat pluribus.

Quis posset excogitare, hunc prodigiorum cumulum verum non esse? Sed re vera, totum id fuit continuata deceptio, atque diaboli figmentum. Puella enim illa, tot revelationibus abundabat, vt fuerint pluribus spiritualibus viris, vehemens suspicionis causa; inter cæteras enim, vnam habuit periculosiorem, qua propter resolutum fuit per viros illos, de vita & spiritu eius examen facere, & vt facilius hoc fieri posset, eam Venerabili Mariæ ab Incarnatione tradiderunt, quæ tunc in Matrimonio vivebat; illa ergo in domum velut ancilla fuit introducta, quam cum occasione quadam,nobilis quidam, aliquantulum aspere pertractasset, cognitum fuit patenter, fœminam illam,nulla virtute, nec perfectione pollere,& esse solum exterius & superficialiter humilem, sed intus illusionibus, falsisque visionibus plenam, & quod non solum fuit mundi deceptrix, sed etiam ipsa primo decepta, suis simulationibus complacendo, vt vanæ atque apparentis sanctitatis servaret nomen; hæc S. scribit, & ab ipsa Venerabili Maria, se auditum fuisse testatur. Simile quid, quo ad vitam transigendam sine cibo, fœminam quandam finxisse novimus, paucis ab hinc annis, in oppido quodam, præsentis Archiepiscopatus Cæsaraugustani, quod mihi retulit Illustriss. D. D. Laurentius Armengual del Pino, Episcopus Dionisiensis,& Cæsaraugustani Archiantistitis Auxiliaris, cum quo frequenter sum conversatus, stricto amicitiæ vinculo, nec sine profectu, ob ingentia animi dona,quibus ornabatur, & ornabat nos; ad eius tamen laudes, addidisse aliquid,decerpsisse est; siquidem gestorum eius gloria,non est sermonibus exponenda, sed operibus comprobanda, immortali est enim memoria digna, ore omnium, præsenti tempore probata, & calamo meo, futuris sæculis remissa.

Iungimus his eventum alterum, non minus ac præcedentes stupendum, á Hyer. Gracian, part.2. Dilucidarij, cap.20. relatum. Fuit apud Limam Regni Peruani Metropolim, fœmina quædam satis nobilis á Dæmone possessa, quæ multas subtilissimas Theologiæ proferebat doctrinas, asserens, de illis fuisse ab Angelo suo Custode doctam, qui gladium vibrando, Dæmonem exterrebat, cum tamen ipse Dæmon gladium vibraret. Ortum fuit

hinc, quod tres ſpirituales & graviſsimi viri fœminam tractantes, eius ſuaſsionibus, in peſsimos errores & hæreſes fuerint prolapſi, dicentes, Pontificem Romanum, verum caput Eccleſiæ non eſſe, nec Regem Hiſpaniæ verum Regem; & inſuper, quod vt impleretur Prophetia illa: fiet vnum ovile & vnus Paſtor, opportebat præcipuum ex tribus viris cum ea carnaliter commiſceri, ex quibus filius erat procreandus, vt eſſet vniverſus mundi Dominus. Et hoc dixit, fuiſſe illi ab Angelo, Dei iuſſu manifeſtatum; quo fine plures fecit ſecreto coniurari, armaque ſummere, vt Papam & Regem á ſolijs ſuis per vim ejicerent. Facta fuit demum turpis illa commixtio, & filius ex ea natus, & alia plura ſunt peccata commiſſa, fœda & horrenda, complicibuſque á Sacra Inquiſitione comprehenſis, puniti fuerunt, alius ſic; alius veró ſic, alius autem ſic, per ignem & exilium, & ſic tot errorum nubilus diſparuit.

Huic eventui affinis eſt alter, quem ſupracitatus Larrea refert, nempé quod apud Matritum, nobilis quidam, graviter fuit deluſus á mulierecula, Beatæ profeſsionem habente; hæc enim, illi falſis revelationibus ſuaſsit, quod Catholici Regis Philippi III. gratia, favore & aula, inter Hiſpaniæ Magnates erat reponendus, & poſtea cum exercitu Hieroſolymam profecturus, vrbemque & loca ſacra, ab infidelium tiranide liberaturus. Deindé aſſeruit præſtigiatrix illa, ſe vidiſſe lucem, é Cœlo deſcendentem, ſuper vterum ſuæ vxoris, quam divinitus cognovit gravidam eſſe, ipſamque filium edituram, qui patris felicitatem augeret. His delirijs, nobilis ille captus, imaginem ſui fecit depingi, cum inſignijs Imperatoris, quaſi eſſet in procinctu ad ſacrum bellum; inter hæc autem, lethali correptus morbo, nec peccata confiteri, nec ſacram Euchariſtiam recipere volebat dicens, ſe certo ſcire, ab infirmitate liberandum, & quod plures ſuæ vitæ reſtabant anni, quibus dementijs involutus, deceſsit é vita. Vxor autem ſuperſtes, figmenta non callens, licet ſterilis eſſet, valdé anoſa & ſexagenaria, ſe prægnantem aſſeruit, vt conſanguineo mariti, ſucceſsionem maioricatus impediret, & quindecim menſibus, poſt viri obitum decurſis, & in litibus ſimul cum pecunia conſumptis, ipſo eventu, ab oraculo falſo revocata fuit, ſiquidem nec filium protulit, nec maioricatum poſſedit.

Caſus duodecimus, circa idem. Fuit mulier quedam apud Cordubam, nomine Magdalena de la Cruz, de qua Petrus de Ribadeneira, lib. 5. de vita S. Ignatij, ſequentia refert; quod nempé vir quidam ſapientia clarus é Societate Ieſu, cum Sancto Patriarcha, fuit aliquando locutus, narravitque non pauca illius fœminæ mirabilia, quaſi ipſa vna eſſet ex ſanctioribus mulieribus, quas colebat mundus, quem D. Ignatius, acriter reprehendit, dicens, quod nullus Societatis homo, debebat ita faciliter de virtutibus loqui, nec levibus fundamentis duci, ad perfectionem ſpirituum probandam & approbandam, quia res iſta, ſæpiús eſt fallacijs & deceptionibus plena. Nec fefellit eventus, vt Sancti Patris dictum maneret in eo caſu comprobatum, nam ex autenticis inſtrumentis, poſtea mala plura conſtiterunt de fœmina illa.

In primis enim, ipſa proprio ore confeſſa eſt, quod á ſui quinquenio, dœmonem habuit familiarem, quem cum aſpiceret, Angelum Dei eſſe cogitabat; quouſque anno ætatis ſuæ duodecimo, Diabolum eſſe agnovit, cum quo pactum fecit & ipſe fœminæ promiſsit, ei magnos honores collaturum. Quadraginta annis, Magdalena illa in Religione vixit, & per novem annos, fuit Monaſterij Abbatiſſa, magno ſanctitatis nomine acclamata, quamvis in ordine ſuo, variæ circa illum inter cordatos viros circumferrentur opiniones, ex quibus & alijs, magnos labores pertulit illa, ſed vincebat omnes, ejus honorem atque ſanctitatem denuo roborando, non ſine magno civitatis ſtupore, quia habitatores partim credebant, partimque prorumpabant in admirationes.

Placuit tandem altiſsimo, vt ſeductricis mulieris ſcelera, & errores fierēt noti, nā cum fœminæ religioſæ, quæ cum illa vivebant, non levem de rebus ſuis conceperint ſuſpicionem, credentes omnia eſſe diaboli machinamenta, viderunt aliquando iuxta Magdalenæ lectum, capreas quaſdam nigerrimas, & interrogantes ei, quidnam eſſent illæ figuræ? Reſpondit eſſe Purgatorij Animas, eius ſuffragia depoſcentes. Vlterius, cum religioſa altera, cum ea circa mediam noctem converſaretur, fuit ſubito exterrita & ſtupefacta, quia hominem nigrum vidit, cum Magdalena converſantem. Hinc crevit pavor, & ſuſpicio anterior, in certum fuit verſa iudicium, de eo quod mulieris illæ opera, erant continuum Satanæ figmentum; & notum eſt tandem pactum vtriuſque, & inſuper, quod duos habebat Dœmones velut ſervitores, vnus vt ei aſsiſteret, alterque vt per Orbem, falſam eius ſanctitatem evulgando magnificaret.

Deindé, fœmina ipſa fuit confeſſa, quod quoties in extaſim rapiebatur, hoc fictè faciebat, & quod clamor magnus, quo tempore communionis vociferabatur, eo ſolum tendebat, vt gentium in ſe devotionem concitaret, & quod per abſconditos angulos, vſque ad ſatietatem comedebat. & vlterius, omnes ſuæ apparentis virtutis incredulos, maximé habebat exoſſos, & acriter perſequebatur. Miſerente tandem Deo, errores ſuos cognovit. & in confeſsione deteſtavit, ſacramque communionem pro viatico accepit, quia fuit gravi quodam accidenti præſſa, ex quo iudicabatur, ei agonem extremum imminere, & in ſe reverſa, in hæc verba prorupit. O ſi potero ſalvari! & ab aſsiſtentibus, Dei ponderata benignitate, in ea confidit, & de infirmita-

te

te convaluit, & postea á sacro fidei Tribunali fuit capta, stupentibus cunctis.

Et adhuc sine Dæmonis pacto, innumeræ fuerunt mulieres, quæ simulato virtutis colore, viros primæ notæ seduxerunt. Muliercula quædam Beata, ex quodam parvo loco, propé Complutum sito, miserè decepit Illustrissimum D. Fr. Petrum de Tapia, ex Ordine nostro, qui vir fuit omnibus numeris absolutus; cum enim ille, in Complutensi Vniversitate, Primariam Theologiæ Cathedram moderaretur, fœminæ illi frequenter alloquebatur, é cuius ore, subtilissimas responsiones, circa profundiores Sacræ Theologiæ difficultates audiebat, ita vt Venerabilis Magister, eam veluti oraculum veneraret; sed eius pessimis erroribus palam devissis, fuit demum per Sacrum Inquisitionis Tribunal, severe punita; sic refert D. Blasius, Franco Fernandez, in vita Venerabilis Mariæ de Iesu, tom. 1. pag. 333.

Casus tertiusdecimus, circa idem. Divus Gregorius Turonensis lib. 1. de glor. Martyr. cap. 106. refert quod apud quandam Galliæ vrbem, vivebat fœmina quedam, nomen sanctitatis habens, ex illis quas vulgus Beatas vocat, nomen quidem tantum, vacuum tamen omnino virtutis & perfectionis, ieiunabat, orabat, vigilabat, frequenterque visitabat Templa & loca Sacra, in quibus exercitijs longo tempore fuit versata, & ideo sanctitatis acquisivit opinionem, qua propter, non pauci vanitatem abhorrentes, & de eius falsa virtute confisi, pecuniæ summas magnas ei tradebant, vt per eius manum dispergeret, daretque pauperibus, quod tamen ipsa non exequebatur, sed ex oppositio quicquid accipiebat, sibi absconditè reservabat, & reponebat in vasculo subterraneo, in eius cubiculo maximé occulto, quod pecunijs replevit vsque ad summum.

Hac simulata virtutis specie, obijt avaritia onusta, sed virtute inanis, & vacua, factoque pro ipsa sepulturæ officio, Sacerdotes benè noscentes, quam magnas & acervas, receperit pecuniarum quantitates, quin vllam necessitatem pauperum scirent sua manu subventam, ad domum defunctæ Beatæ perrexerunt, & ancillam quæ inserviebat illi examinarunt, de pecunia á Domina sua recepta, & non distributa, quæ ingenuè respondit, se omnino ignorare, sed solum testare posse, quod cum aliquid afferebat, in cubiculum suum intrabat, á quo nihil extrahebat. Mirati sunt vniversi, & ex hoc, iudicium vel suspicionem suam roborarunt. Ingressi sunt tandem fœminæ cubiculum, & ictibus parietes tentarunt, vt experirentur, an alicuius vacuitatis occultæ resonaret echo, quod cum nihil invenissent tale, eosdem ictus in pavimento repetebant, in quo tandem, thesaurum absconditum invenerunt.

Sed noluerunt Sacerdotes optimi, decernere quid, nec ad aurum propinquari, quin de hoc Episcopum redderent certiorem, qui statim accessit ad domum, & ea thesauri visione stupens, iussit ad sepulchrum fœminæ deportari, ibique relinqui dicendo: Divitiæ tecum sint, quas á pauperibus rapuisti, & factum est ita, sed adveniente nocte, terribiles eiulatus, & clamores audiebantur, dicentes. Heu! Heu! Quia aurum me torquet & vrit, quod per noctes tres continuatum fuit, populus autem perterritus, ad Parrochum accurrit, qui sepulchrum aperire fecit, in quo videbantur liquefactæ monetæ; O terror! & per os defunctæ mulieris, instar flammarum ingredientes, & fœtentem odorem sulphuris spirantes; deindeque, Deum enixe rogaverunt omnes, vt cognita iam mulieris nequitia, clamores cessarent atque terror plebis, quod illis Dei pietas benigné concesit.

Cogitare quis posset, mulierem illam quæ velut sancta reverebatur, sic bona pauperum in sui turpe lucrum convertisse? Sed ne miremur, siquidem huiusmodi mulierculorum, ingens est numerus, qui ficto & apparenti sanctitatis nomine, quasi hamo capiunt escam, vt domum habeãt & abũdantius habeãt; pias & nobiles fœminas, illustresq; viros fallẽtes, qui credulitate nimia, suis dictis & sanctitati præstant assensum; circa quod, mirabile documentum præbet Venerab. Spirituum Magister Ludovicus Granatensis, qui in Tom. cui titulus Symbolum fidei, in Serm. inserto ibi, super illa Apostoli verba: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Fol. mihi 228. col. 2. in vulgari idiomate nostro sequentia scribit, quæ eisdem vocibus apponimus, nam pro illorum dignitate, nec aliquid licet addere, nec auferre.

Otro aviso servirá, para algunas mugeres que professan virtud, encomendandoles el recogimiento de sus casas, y que eviten quanto sea posible, segun la condicion de su estado, demasiados discursos de vnas partes á otras, y coman su pan con silencio; porque vna de las cosas, que Salomon nota en algunas mugeres, es, que no pueden ellas sufrir la quietud, ni tener los pies sossegados en casa, sino andando de vna parte á otra; lo qual es cosa q̃ impide mucho el recogimiento del coraçon, porque en el cuerpo inquieto, no suele estar el coraçon recogido; y mas particularmente, eviten, el comunicar en casas de Señoras Nobles, porque como algunas de ellas, tienen marido, hijos, y hijas, y pretenden casamientos, y haziendas para ellos, y aun salud en sus enfermedades, y tampoco les faltan pleytos, y negocios, suelen pidir socorro de oraciones, á este linage de mugeres, y hazerles por esto algunas limosnas; y entendiendo ellas, que estas caridades, se les hazen por el olor de la virtud, á vezes procuran, parecer mas santas de lo que son, y aun de contar algunas revelaciones, ó favores de Dios, y por aqui halla el Demonio entrada, para pervertirlas, y engañarlas. Por tan-

tanto, si son pobres, contentense con vn pedazo de pan, y trabajen por ganarlo con sus manos, porque assi dize S. Geronimo, que lo hazia Nuestra Señora, y negocien con Dios lo que les falta, y no anden por casas agenas, vendiendo santidad para ganar de comer. Hæc Venerab. P. quæ ab omnibus fœminis classis huiusce, debent perpetuo meditari.

Ex quibus omnibus, & ex dictis in præcedentibus difficultatibus & casibus, satis constat, quam sit periculosa mulierum quarumlibet conversatio familiaris, etiam si virtutis opinione sint præditæ, & quantum hoc á sacris viris animarum directoribus debet vitari, propter deceptiones & fallacias, quibus communiter implicantur. Pro quo demum sciendum: quód hoc statum fuit in iure civili, & per legem Canonicam roboratum, in append. 10. Codic. Theodos. his verbis: Religiosi Sacerdotis fida suggestio, exigit probabilem sæculo disciplinam; agit enim bonis moribus, ne clerici, sacris ministerijs fervientes, fœminis iungantur externis: credimus quidem, hanc devotis mentibus Dei inesse reverentiam, vt diversorij huius habitaculum, conscientia pravæ persuasionis ignoret; sed hac societate, dat sinistris rumoribus locum, alterni sexus adiunctio, cum foris positos, ac publico iure viventes, ad illecebram criminis trahit, obscenæ suspicionis exemplum. Hoc idem habet Chrysost. Serm. contr. concub. vbi ait: Sane strenuos illos viros, & cum mulieribus habitantes, qui nihil grave patiantur, beatos quidem dico, qui tales sunt, & vellem etiam ipse, hoc robore donari, & ipse quidem forté adducat vt credam, quod possibile sit, eos esse tales; vellem tamen, eos qui nos reprehendunt, posse hoc nobis persuadere, quod adolescens fervens, puellæque virgini cohabitans, & ad latera eius assidens, & simul cœnans, & eadem habitans domo, eademque communicans mensa, nulla humanarum affectionum capiatur; vellem hæc, ab his qui nos arguunt, me doceri posse. Hæc Chrysost.

En omnia quæ potui congerere, de fœminarum vitanda familiaritate á Directoribus earum; si qui autem sunt, quibus hæc non placeant, quod dubito, audiant D. Hyeronimum, qui Epist. 102. ad Marcellam scribens, ait: Scio, te cum ista legeris, rugare frontem, ac meum si fieri potest os, digito velle comprimere, ne audeam dicere, quæ alij facere non erubescunt. Rogo, quid á nobis, libere dictum est? Vnum miser locutus, quod virgines sæpiús deberent cum mulieribus esse, quam cum masculis, totius oculos vrbis offendi, cunctorum digitis notor; hæc Hyer. quibus consentiunt, quæ ipse ait, Epist. 2. de visitatione fœminarum, dicens: si propter officium clericatus, aut vidua visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas, tales habeto socios, quorum contubernio non infameris; caveto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita; hæc Sanctus dicit, hæc Sancti, hæc Doctores, hæc Magistri mistici, hæc primæ classis Theologi, & hoc meum iudicium. Apposui tibi Lector, in hoc opusculo aquam & ignem, vt ea contempleris; ignem quidem, scilicet nocivam mulierculari familiaritatem, etiam pietatis colore depictam, in qua est ignis qui comburit silvam virtutis, & flamma comburens, montes altissimos perfectionis; aquam autem sapientiæ salutaris, ad extinguendum incendium, in documentis & rationibus suprá positis, ex SS.PP. dictis; ignem ergo fuge, in quo sunt sagittæ potentis acutæ, cũ carbonibus desolatorijs, & aquam bibe, in qua fluit doctrina clarissima veritatis.

ARTICVLVS XIX.

De Casuum Reservatione.

Prima difficultas: Quinam habeant in Ecclesia, potestatem reservandi peccata? Certum est, in Ecclesia dari potestatem aliqua peccata reservandi, á quibus inferiores confessarij nequeunt absolvere; quod constat ex communi Ecclesiæ vsu, & ex Trid. Sess. 14. cap. 7. & Can. 11. vbi dicitur: Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam & graviora crimina, non á quibusvis, sed á summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur; & ratio est: nam idem qui potestatem concedit, potest illam restringere & coarctare, in quo reservatio consistit; quod pro quibusdam casibus, est valdé pium & vtile: quia sunt quædam delicta ita gravia, vt ab eis fideles debeant specialiter abstterrere, quod per reservationem fit, vt pœnitentes concepta difficultate ad absolutionem impetrandam, ad illa commitenda frenentur.

Vndé dicendum: quód solum illi possunt reservare peccata, qui habent potestatem ordinariam, conferendi approbationem vel iurisdictionem. Huiusmodi sunt, Pontifex pro tota Ecclesia, Episcopi in suis Diœcesibus, Prælati in suis Religionibus, Parrochus in sua Parrochia respectu Sacerdotis, cui delegat potestatem, licet Parrochi hoc facere non consueverint, ita Ant. á Spirit. S. Vazquez, Granados, & Salmant. Sed licet Summus Pontifex, possit plura peccata reservare, de facto tamen non reservat, nisi ea quæ censuram habent annexam, vt ait Suarez, Henriquez, & Sanchez. An autem peccata reservata Pontifici, reserventur solum quo ad censuram, vel etiam quo ad culpam? Durandus sentit, reservari solum quo ad censuram; sed oppositum, est verius, quod tenent Coninch Lugo, & Salmant. quia sic fert communis Ecclesiæ vsus; & quia Pontifices in suis reservationibus, loquuntur sine limitatione, & sic quo ad censuram & culpam iudicantur reservare.

Ex

Ex hoc deducitur: quód durante excomunicatione, Pontifici reservata, non solum ipsa, sed etiam peccatum reservatum est, nec ab alio, nisi á reservante censuram, potest illud absolvi; sic sentiunt Suarez, Layman, & Palaus. Vndé absolutio collata, cuilibet affecto excomunicatione Pontifici reservata, est irrita, sine legitima potestate absolventis facta, non solum quo ad censuram, sed etiam quo ad peccatum, licet detur bona fides in confessore & Pœnitente; sed sublata excomunicatione Pontifici reservata, vel ob ignorantiam non incursa, licet peccatum gravissimum sit, reservatum non est quia non aliter reservatur, nisi simul cum censura, & sicut á principio & in fieri, sic fuerunt connexa censura & peccatum, vt hoc sine illa non reservaretur, ita etiam in conservari, quasi mutuo pendent, vt ablata censura & eius reservatione, etiam reservatio culpæ censeatur ablata; sic tenent Dicastillus, Suarez, & Palaus.

Quo ad reservationem ab Episcopis factam, dicendum est, quod iure speciali, eis reservantur casus & censuræ, quæ ipsi per statum speciale, aut approbatam consuetudinem, specialiter sibi reservant, de quibus regula generalis traddi non potest, quia hoc pendet ex facto, & in varijs Diœcesibus, varia peccata reservantur, ad quorum notitiam, Synodales cuiuslibet constitutiones sunt consulendæ. In Archiepiscopatu Cæsaraugustano, in quo hæc scribo, sequentia peccara reservantur. 1. Dispensatio votorum & iuramentorum. 2. dispensatio ad petendum debitum, cum eo qui nupsit, post emissum votum castitatis aut Religionis. 3. dispensatio ad debitum petendum, cum vxorato qui carnaliter cognovit coniugis consanguineã, & idem de vxorata. 4. imponere manus violentas in clericũvel Religiosum, quando Papæ non reservatur. 5. imponere manus violentas in parentes, cũ iniuria notabili. 6. blasfemia publica & notoria. 7. incendium loci sacri, & etiam domorum, messium vel hæreditatum, & consilium aut favor ad hoc. 8. pèccatum grave, quod meretur publicam pœnitentiam. 9. homicidum voluntarium, aut mutilatio membri. 10. falsificatio scripturarum & dicere falsum, aut negare veritatem coram iudice. 11. Raptus Virginum. 12. abortus procuratus, & secuto effectu. 13. incestus in primo & secundo gradu. 14. copula cum filia confessionis. 15. rerentio decimarum & primitiarum. 16. Magia veneficia, superstitio, & rerum sacrarum abussus.

An autem Prælati, possint sine iusta causa, peccata & casus sibi reservare, respectu confessoris ordinarij? Resp. quód hoc licitum non est, quia esset addere novam difficultatem, difficilimo forté præcepto Ecclesiæ; si autem sic fiat, aliqui sentiunt reservationem esse invalidam, sic Soto, Vazquez, Reginaldus, & Dicastillus; sed contraria sententia communior est, & eam tenent Ant. á Spir. S. Bonacina, Suarez, Bañez, Fagundez, & alij plures; & ratio est: quia iurisdictio collata inferioribus confessarijs ordinarijs, manat á superioribus, pro eorum libito & voluntate, & sic absque causa, poterunt validé prohibere tale exercitium vel materiam, in totum vel in partem, nam si in prima collatione id fieri potest, cur postea fieri non poterit?

Sed est dubitatio: an Episcopi, possint aliquos casus reservare, respectu cõfessariorum regularium, & non respectu Parrochorum, vel confessorum sæcularium? Ad hoc dicimus: quód si Episcopus sine causa, plura reservaret peccata & casus, pro confessoribus regularibus, quam pro sæcularibus vel Parrochis, nequiter ageret; sic tenent Rodriguez, Floronus Molfesius, & alij plures, citati & secuti á Garcia, Tom. 2. Tract. 10. diffic. 4. dub. 2. num. 2. quod constat. Túm, quia circa eandem rem, est fugienda diversitas. Túm, quia ille modus reservandi, esset regularibus onerosus, & induceret in Episcopo, vitium acceptionis personarum, approbando prudentiam in aliquibus, & non in alijs.

Daro autem quod Episcopus, aliquos reservaret casus, pro confessoribus regularibus vel sæcularibus, & non pro Parrochis, illa reservatio, valida esset, sic tenent Cesp des, Lugo, Suarez, & alij; quia nulla datur lex, nec Decretum Concilij, talem reservationem annullans. Viterius: quia Episcopus, confert facultatem confessarijs regularibus & sæcularibus, non ex debito iustitiæ, sed ex mera liberalitate, Parrochis autem ex iustitia confert, & sic illis & non istis, poterit iurisdictionem limitare. *Nec obstat*: quód talis reservatio esset illicita, & sic etiam esset invalida; nam vt ait prolocuium commune, multa male fiunt, quæ tamen facta tenent. *Nec iterum obstat*: quód in Clement. *Dudum*, regulares Parrochis comparantur; nam hæc comparatio, est quo ad aliqua, sed non quo ad omnia, & multo minus quo ad casuum reservationem, vt notat Cardin. Thuscus.

Infertur ex his: quód si Episcopus plures casus reservat, pro confessarijs regularibus, quam pro sæcularibus non Parrochis, illa reservatio esset illicita, sed valida. Prima pars constat ex dictis, quia hoc esset Religiosos iniuste sua fama privare, & videretur actio, ex odio status procedens; secunda pars patet: quia cum Episcopus, sit reservationis dominus, poterit limitare iurisdictionem, pro vt sibi placuerit. *Si dicas*: quód reservatio pro Parrochis facta sine causa, probabile est, quod sit nulla, vt sentiunt Leander, & Lugo, & sic idem dicendum de Religiosis, qui Parrochis censentur æquales. Resp. quód vt diximus, non sunt æquales quo ad omnia; & ratio est: quia Parrochi sunt ministri ordinarij Episcopi; regulares veró sunt delegati, & sic quo ad potestatem absolvendi á reservatis, possunt inæquales fieri, pro Episcopi voluntate.

Secunda difficultas: Quænam peccata reſervari poſsint? Reſp. quód vt peccata reſervari poſsint deben: habere conditiones ſequentes. *Prima*: quód ſint peccata mortalia: nam invtilis eſſet venialium reſervatio, cum ſine illorum manifeſtatione, poſsit Sacramentalis abſolutio obtineri, & quia per aliam viam, eorum venia poteſt impetrari; & idem dicendum eſt, de peccatis mortalibus iam confeſsis; vndé nec conveniens eſt venialia reſervare, nec Eccleſia id aliquando fecit, quia præter dicta, conſcientias fidelium ſcrupulis magnis exponeret. Ex quo habetur: quód ille qui homicidium commiteret, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi ſolum commiteret veniale, licet homicidium reſervatum eſſet, á quolibet confeſſario poſſet abſolvi, & ſimiliter, qui rem parvam furaretur in Eccleſia, etſi furtum eſſet reſervatum, quia reſervatio debet cadere ſuper materiam gravem, aptam ad peccatum mortale, quo ad actionem externam, quin ſufficiat intentio, vt ſi quis habet intentionem occidendi, & ſolum carnem tangit; ſic tenent Card. de Lugo, Trullench, Leander, & Bonacina.

Sed notandum: quód non ſolum venialia ex parvitate materiæ, reſervata non ſunt, ſed nec etiam omnia mortalia materiæ reſervatæ, nam licet quodlibet mortale, ſit capax reſervationis, ſed non omnia mortalia, circa reſervationis materiam, reſervata manent, quod conſtat ex Decreto Clem. VIII. vbi dicitur: Ordinarij non reſervent illos caſus, qui etſi mortale peccatum inducant, res tamen ſunt parvi momenti, & quæ frequenter, inter idiotas evenire ſolent. Vndé licet actio aliqua ſit peccatum mortale in materia reſervata, non ſemper reſervata manet, ſicut furtum quatuor regalium, mortale eſt, non tamen eſt reſervatum, quia plus requiritur ad materiam reſervationis quam peccati. Excipe peccata hæreſis, ſuperſtitionis, ſacrilegij & ſimilia, in quibus non datur materiæ parvitas; & idem ſentit Bonacina cum alijs, de peccatis in Religionibus reſervatis, quia id quod apud ſæculares, eſt levis materia, apud Religioſos gravis eſt, ob maiorem ſtatus perfectionem.

Secunda conditio, vt peccatum reſervari poſsit, eſt quod illud ſit peccatum externum; nam licet pecatum puré internum poſsit de poſsibili reſervari, quia cum iuriſdictio neceſſaria ſit, poteſt eam Eccleſia ſubtrahere circa talia peccata; ſed tamen illa de facto, ſola peccata externa reſervat; nam ſi peccata reſervata, habent excomunicationem annexam, hæc nunquam fertur, pro culpa omnino interna, & ſic hæreſis puré interna, nulli reſervatur; ſi autem reſervata, non habent annexam excomunicationem, externa ſolum reſervantur, quia Eccleſia, dum reſervationem imponit, crimina punire intendit, quod in peccatis interioribus fieri nequit, quæ non poſsunt ad iudicium deduci, nec Eccleſia de illis iudicat. Vndé Clemens VIII. quando de reſervatione loquitur, ſemper ponit opus externum. Nec internorum reſervatio, ſuavi Eccleſiæ gubernationi congruit, hoc enim eſſet in deſtructionem, & non in ædificationē & mille laqueos animabus pararet, quia interna peccata, committuntur frequenter, & cognoſcuntur difficiliter.

Tertia conditio peccati, vt reſervari poſsit, eſt quod illud non ſit ſolum inchoatum, ſed perfectum & conſumatum; quare vt iniuria corporalis annumeretur homicidio reſervato, non ſufficit infligere vulnus lethale ſed debet vlterius ſequi mors; ſic tenent Bonacina, Floronus, Coriolanus, & alij. Vndé ſi in aliqua Religione, eſſet reſervatum ſcribere ad moniales, reſervationem non incurreret ille qui ſcriberet, ſi Epiſtola non accederet, licet mortaliter peccaret. Aliqui cum Peyrinis, ab hac doctrina excipiunt peccatum ſodomiæ & beſtialitatis, & dicunt, quod etſi non conſumentur ſunt reſerveta; ſed oppoſitum eſt tenendum, cum Suarez, Rodriguez, & alijs; & ratio omnium eſt: quia reſervatio eſt res odioſa, & ſic reſtringenda eſt ad actus perfectos, & non extendēda ad actus vel circumſtantias, in verborum proprietate, clare non comprehenſas.

Quarta conditio eſt, quod peccatum reſervabile ſit multum grave, quia eſſet res intolerabilis Religioſis, & etiam ſæcularibus, ſi pro quolibet peccato mortali etiam externo, ad ſuperiorem eſſet recurrendū; & ideo vt videbimus, Clemens VIII. Regularibus prohibuit, ne extra Capitula Generalia, vel Provincialia, aliquos caſus reſervarent, præter vndecim infra numerandos. *Quinta* conditio eſt, vt caſus non ſit valdé frequens, quia hoc ingereret nimiam moleſtiam ſuperioribus. Hanc conditionem affert Layman & ex eo Gobatus aſſerens, poſſe ſuſtineri probabiliter, quod in partibus Septentrionalibus facultas abſolvendi legentes hæreticorum libros ſublata non eſt, propter nimiam frequentiam qua leguntur, & conſuetudo legitimé introducta, hoc ita interpretatur, & hoc idem ſentit Ludovicus Engel, motus ex eo, quod lex non debet eſſe valdé difficilis, ſed vtilis ſecundum patriæ conſuetudinem, loco & tempori conveniens; quibus aſſentimur, ſi loquantur ſolum de incurſu cenſuræ, non autem peccati mortalis, quia re vera in eis locis degentes, facilius perverti poſſunt lectione talium librorum, iuncta occaſione fabulandi cum hæreticis, de illis materijs, quod maximé periculum auget.

Sexta conditio peccati reſervabilis eſt, quod non ſit dubium. Ratio eſt: quia cum reſervatio ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, nec videtur quod ſuperior talia peccata reſervare vellit, quandiu ſub dubio manent, niſi oppoſitum explicet. Tùm, quia in dubio de valore voti caſtitatis, licet præſumptio ſit pro voto, illud tamen reſervatum non eſt. Tùm, quia poſſeſio ſtat ex parte confeſſarij, & iuriſdictio-

ne privari non debet, quando manifeste non est nota prohibitio. An autem, qui absolvitur á confessore inferiori in materia dubia reservata, liberetur á reservatione, si peccatum postea certo constet? R. affirmative; vndé qui absolutus fuit á peccato hæreijs dubio, si post acceptam absolutionem appareat certum, auferetur eius reservatio, non quia pœnitens sit liber, ab eo confitendo vt certo, quia confiteri illud tenetur, vt suprá vidimus, sed quia apud quæmlibet confessarium, potest de illo confiteri, nam reservatio solum est, peccati certo commissi, & nunquam per absolutionem remmissi, & in eo casu, iam supponitur legitima absolutio; sic tenent Lugo Dicastillo, Salmantic. & Ant. á Spir. S.

Septima conditio, est notitia reservationis. Vndé, si peccatum est reservatum cum censura, eam invincibiliter ignorantes, illam non incurrunt nec reservationem, & idem est de oblivione naturali, inconsideratione, vel inadvertentia inculpabili, nam omnia hæc, æquivalent ignorantiæ invincibili; sic sentit Coninch, Sanchez, Hurtado, Trullench; illis tamen sic ignorantibus, debet dicere confessor: hac vice te absolvam, in posterum autem non potero, sine expressa facultate superioris. Sed notandum: quód si casu reservatur absque censura, si reservatio est per modum pœnæ, non incurritur ab ignorante vt vidimus; sed si est in medicinam, & de re mala quia mala, incurritur reservatio, etiam ab invincibiliter ignorante illam, vt ait Possevinus, & Diana, si autem fit de re mala, quia prohibita, non incurritur, vt idem Diana sentit.

Quid autem dicendum, de cogitante esse reservationem, vbi re vera non est? Dicatur: quód reservatio non incurritur, & tale peccatum, á quolibet confessario potest absolvi; sic tenet Tambur. & ratio est: quia reservatio, est limitatio iurisdictionis ad absolvendum, & per errorem pœnitentis, non auferetur iurisdictio confessoris. *Dices*: si quis aliquid exequeretur, erronee cogitando esse peccatum, quod re vera non esset, peccatum committeret: ergo idem dicendum, de erronee cogitante reservationem. R. quód est disparitas: quia peccatum pendet á voluntate committentis, & ille qui cum conscientia erronea, iudicat aliquid esse peccatum, habet affectum ad illud, & ideo veré peccat; reservatio autem peccati, á voluntate committentis non pendet, sed á superiori, qui iurisdictionem limitavit inferiori Sacerdoti, quibus præiudicium inferre non potest, peccatoris error.

Tertia difficultas: Quænam peccata, possint á Prælatis regularibus reservari? Sciendum est: quód Prælatis Regularibus, plures erant casus olim reservati, sed Clemens VIII. in Decreto expedito, die 26. Maij, anni 1593. potestatem eorum restrinxit ad hos vndecim casus reservandos. 1. Apostasia á Religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna aut furtiva egressio á Monasterio. 3. Veneficia, incantationes, & sortilegia. 4. proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. furtum mortale de rebus Monasterij. 6. lapsus carnis voluntarius, opere consumatus. 7. Iuramentum falsum, in iudicio legitimo. 8. Procuratio, auxilium vel consilium ad abortum fœtus animati, etiã effectu non subsecuto. 9. occisio, seu vulneratio, aut percussio gravis cuiuslibet personæ. 10. Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij. 11. Impedimentum malitiosum, retardatio aut apertio litterarum, Superioris ad inferiores, vel é contra. Et præter istos, nullus potest á Superioribus reservari, sine consensu Capituli Generalis, vel Provincialis, vt idem Decretum ait. Pro eorum explicatione, videatur Garcia, & Ant. á Spir. S.

Sed circa huiusmodi Decretum, notandum est, quod Clemen. VIII. non præcipit hos casus reservari á Prælatis Regularibus, sed quod si reservare volunt, debent esse casus enumerati; & in eo Decreto duo continentur, primum quòd Prælati Regulares, possunt reservare casus prædictos & non alios, secundum quod si alios reservare voluerint, hoc non fiat sine matura discussione Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Capituli Provintialis pro tota Provincia. Vndé constat: quód casus prædicti, possunt in qualibet Religione reservari á Prælatis illis, qui ante prædictum Decretum, ad hoc habebant facultatem; sed non possunt authoritate propira, casus prædictos restringere vel ampliare, quia hoc opponitur præfato Decreto, quod requirit maturam Capituli discussionem; sic Lugo, Pellizarius, Bordonus, & Coriolanus.

An veró Prælatus localis, possit aliqua vel omnia peccata á Clemente numerata, pro suo Conventu reservare? Resp. affirmative cum Pellizario; & ratio est: quia Pontifex in suo Decreto, loquitur indefinité de Superioribus, quo nomine, etiam Prælatus localis intelligitur. Ait tamen Garcia, quod hoc in aliquibus Religionibus non est verum, in quibus Prælati locales, habent specialem prohibitionem reservandi casus; sed quicquid sit de hoc, in Ordine nostro, datur in Prælatis localibus, hæc reservandi facultas, vt habetur in Prolog. constitut. in fine, vbi dicitur: Priores possunt aliquos casus peccati mortalis sibi reservare, vt viderint expedire. *Etsi dubites*: An possint Prælati casus reservare, in eadem materia quam assignat Clement. VIII. Decretum, v. gr. in materia luxuriæ, tactus & oscula? Peyrinis sentit, quod sic; sed oppositum est tenendum cum Lugo; nam Pontifex solum ait: posse reservari lapsum carnis opere consumatum, & hæc aliæ actiones, licet sint peccatum mortale, non tamen consumatur opere; hoc tamen intelligendum est, de particularibus Prælatis, aliud enim est de Capitulo Generali vel Provinciali, maximé si speciale ad hoc haberent motivũ; sic tenent Tãb. & Sorbi, qui ait, sic declaratũ fuisse ab ipso Clem. VIII.

Sed

Sed tamen, ad reservationem iustificandam, Mendo & alij Authores, hanc statuunt regulam, quod nempé attendãtur gravitas culpæ, frequentia commissionis illius, timor continuationis, & aliæ circumstantiæ, quæ si cessarent, peccata reservari nõ possent. *Si autem quæras*: An Provincialis de cõsensu sui Capituli, possit aliqua peccata reservare, non pro tota Provincia, sed pro particulari Conventu? Resp. quód sic, cùm Suarez, Lugo, Fagundez, Perez, & Dicastillo. Ratio est: quia Pontifex in suo Decreto, non inducit necessitatem reservandi collectivé, in toto Ordine vel Provincia, sed excludit facultatem reservandi, sine consensu Capituli Generalis vel Provincialis; & deindé: quia intentum Pontificis est cohibere Prælatos, ne excedant in nimia reservatione, & huic Papæ intentioni, non opponitur reservatio pro vna domo, vt ait Ant. á Spir. S.

Quando autem Prælatus aliquis, reservat aliquem casum, eius reservatio expirat, finito tempore officij illius, quamvis annexam habeat excommunicationem; qui autem in eo tempore incurrit in illam reservationem, & á censura non fuit absolutus, licet Prælatus reservans terminet officium vel vitam, tenetur á successore absolutionem petere, nisi habeat Privilegium Apostolicum id supplens; sed si casus, non habet censuram annexam, quilibet confessor poterit absolutionem conferre, vt ait Leander. Ratio est: quia hæc est differentia, inter reservationes quæ fiunt in Synodis vel Capitulis, quæ vim legis habent, & durant quousque alia Synodus vel Capitulum non revocat, cuius contrarium contingit, in reservationibus factis á Prælato particulari, quæ finito eius officio vel vita, expirant.

Alia se offert dubitatio: an reservatio facta á Superioribus vel Capitulis, etiam Novitios comprehendat? De hoc agit Garcia, Tom. 1. Tract. 7. diffi. 3. dub. 2. & circa resolutionem, variant authores; nam aliqui dicunt: Novitios non posse absolvi á á reservatis, á confessario sæculari, nisi de licentia Prælati regularis, ita Corduba cum alijs ex eo ducti, quod licet Novitij, adhuc non sint Religiosi, sunt tamen Subditi Prælati regularis. Alij dicunt, Novitios posse absolvi á confessore sæculari habente á Papa potestatem, non verò si illam solum habeat ab Episcopo, quia hic non est Prælatus Novitiorum; ita Suarez. Alij asserunt, posse Novitios absolvi á reservatis in Religione, á confessario sæculari, habente potestatem ab Episcopo ipsius Novitij; sic tenent Rodriguez, Ant. á Spir. S. & alij citati ab ipso, qui hunc tertium sentiendi modum iudicant probabiliorem; nam Novitij, cum adhuc Religionem non sint professi, licet in favorabilibus pro Religiosis reputentur, non verò in pœnalibus & odiosis.

Dubitabis adhuc: an vt Prælatus reservet aliquem casum, ex assignatis in Decreto Clementis VIII. requiratur Capituli consensus? Aliqui cum Bordono, & Suarez, affirmativæ parti adhærent; sed opposita verior est, quam defendunt Sanchez & Pellizarius; & ratio est, quia hæc fuit Pontificis mens, vt patet ex ipso Decreto, in quo ad alios casus reservandos, præter illos vndecim dicitur, requiri Capituli consensum & sic ad illos vndecim non requiritur, nam exceptio, firmat regulam in contrarium. Sed licet hoc ita sit verum, in Religione tamen nostra, Prælati locales, nunquam reservationem, censuram vel præceptum imponunt, nisi de graviorum Patrum consilio, qui re mature discussa, & circumstantijs benè perpensis, iudicant an expediat vel non.

An autem possint regulares Prælati, respectu Monialium sui Ordinis, quoscumque casus reservare, etiam stante Decreto Clem. VIII. Resp. negativé, ita Pellizarius, quia ratio Decreti, etiam quo ad Moniales procedit, quæ in favorabilibus, comprehenduntur nomine masculi. Hoc autem non intelligitur de Ordinarijs respectu monialium, quæ subduntur eis; nam Pontifex, concedit Prælatis regularibus, alios casus vltra numeratos reservare, de consensu Capituli, & cum Episcopus Capitulum cogere non possit, quo ad Moniales sibi subiectas, in dicta constitutione non comprehenditur. Caveant autem Episcopi, Moniales suæ curæ subiectas, reservationibus & censuris affligere, nisi gravissima causa vrgente, quia rigor hic, fœminarum animos pios & in beciles, maximé turbat, & earum defectus, levioribus monitionibus, suaviter possunt emmendari.

Sed inquires adhuc duo 1. An peccata ante reservationem commissa, & non dum absoluta, censeantur comprehensa, in reservatione sequenti? 2. an obtenta licentia ad absolvendum reservata, illa extendatur ad peccata commissa, post obtentam facultatem? Resp. ad 1. cum Florono, & Diana, quod si reservatio est absoluta, etiam peccata præterita non confessa comprehendit, secus si excipit præterita. Vndé qui peccatum commisit, & ritè fuit confessus ante tempus reservationis, cum eius oblivione, non manebit in reservatione sequenti comprehensum, licet habeat annexam censuram, quia hæc solum respicit peccata committenda, in quibus est contumacia. Ad 2. Resp. quód si facultas á superiori collata, fuit limitata respectu duorum vel trium peccatorum, non extenditur ad commissa post obtentam facultatem, benè verò si est facultas absoluta, ad absolvendum á reservatis pro vna vice; sic tenent Lugo, & Leander, quia hæc videtur superioris mens, cum differentia vtriusque. Sed si obtenta facultate, pœnitens statim confitetur, & á reservatis absolvitur, nequit absolvi á commissis post confessionẽ, licet facultas pro vna vice fuerit collata, quia illa iam completa fuit, in cõfessione priori; sed de his amplius sequẽti difficultate.

Quar-

Quarta difficultas : Quis habeat potestatem ordinariam, absolvendi á reservatis? Resp. quód omnes Superiores, qui peccata reservant, ab eis absolvere possunt; hoc est certum apud omnes; & ratio est: quia reservatio est ablatio iurisdictionis, & qui reservat, habet iurisdictionem sufficientem, vt eam alijs conferat vel auferat; & consequenter, etiam vt sibi sufficientem retineat. Hoc autem intelligitur, dum ei non desit potestas ordinis, quia sunt aliqui Prælati, vt Episcopi confirmati, & non consecrati, nec Sacerdotio initiati, qui habent iurisdictionem ad conferendum alijs, non vero ad absolvendum per se ipsos; & similiter Prælati excommunicati vitandi, suspensi, irregulares, vel interdicti, nec per se, nec per alium possunt absolvere, vt ait Perez, Bordonus, Fagundez, Ledesma, & alij.

Deindé certum est, quod omnes Prælati superiores respectu reservantis, possunt absolvere á peccato reservato ab inferiori; nam quicquid potest inferior Prælatus, potest ille qui in eodem genere & foro est ei superior, quia maiorem iurisdictionem habet respectu subditorum, & sic Papa absolvere potest, á reservatis Episcopo, & Generalis á reservatis Provinciali, & sic de alijs. Dicitur: in eodem genere & foro, ad quod pertinet reservatio, aut iurisdictio, nam si est in alio genere & foro, non sufficit; sicut Archiepiscopus, nequit absolvere á reservatis Episcopo suffraganeo, quia non habet immediatam iurisdictionem, in hoc foro in eius Diœcesi, nisi forté quando actu visitat illam. Similiter omnis prædictus facultate delegata á superiori reservante, potest á reservatis absolvere; & in primis Episcopi, possunt absolvere á casibus Papalibus, incursos valetudinarios, pauperes delicatos, mulieres, impuberes, & generatim, quando sine magna difficultate, nequit Pontifex adiri, ita tamen, vt ablato impedimento, pœnitens se Pontifici sistat, vt dicitur cap. *mulieres*, & cap. *quamvis*, de sent. excom. vt explicat Suarez, licet Diana asserat, comparitionem coram Papa, solum requiri ad accipiendam pœnitentiam, sed non ad iterum confitendum Sacramentaliter.

Quid autem faciendum, si irretitus casu Papali, nec Episcopum possit adire, & necessitas vrgeat? Resp. quód adeat Parrochum, vel alterum habentem potestatem, in alia peccata mortalia eius, nam ab eis poterit æqué ac ab Episcopo absolutionem recipere, vt ait Palaus; & idem extendit Vazquez ad Parrochum, respectu casuum Episcopalium, si Episcopus vel eius Vicarius, nequeant facile adiri, & vrgeat necessitas communicandi, sacrificandi, vel diu carendi absolutione. Ex his habetur: quód stante Decreto Trident. Sess. 24. cap. 6. de reform. possunt Episcopi, per se vel per alium á se deputatum, absolvere á casibus Pontifici reservatis, excepta hæresi, etiam occulta, & licet oppositum aliqui olim senserint, sed post Decretum Alex. VII. sustineri non potest, qui expressé in propos. 3. hoc damnat & reprobat.

Sciendum tamen est: quód Episcopus potest absolvi á suo confessario, ab omnibus illis peccatis reservatis Papæ, á quibus Episcopus ipse potest alios absolvere, vt dicunt Suarez, Sanchez, & Lugo. Ratio est: quia Episcopi, non debent esse peioris conditionis, quam eorum subditi; in eo tamen casu, iurisdictio non communicatur vllo modo confessori ab Episcopo, sed immediaté á Papa, ex vi iuris communis, vt notat Perez. Similiter Episcopi Vicarius, potest absolvi á suo confessario, ab omnibus casibus á quibus ipse potest absolvere subditos Episcopi. Tùm, quia ipse potest dare facultatem, ad absolvendos subditos Episcopi, á casibus Episcopo reservatis, & ipse etiam subditus Episcopi est. Tùm, quia delegatus ad dispensandum, cum aliqua communitate in aliquo casu, etiam cum se ipso dispensare potest, cum sit communitatis pars, & non est deterioris conditionis quam alij.

Maius dubium est: an Prælati Regulares possint absolvi á suo confessario, á casibus reservatis á suo Generali, cum Capitulo Generali? Et quidem in Religionibus, vbi designatur per legem confessarius Prælatis, cum prohibitione, vt non possint ab alijs á reservatis absolvi, maior difficultas est. Diana asserit, quod etiam in Religionibus dictis, potest Prælatus confessorem eligere extra ordinem suum, qui eum á reservatis absolvat; sed oppositum omnino est tenendum, cum Suarez, Lugo, & Dicastillo. Ratio est: quia in cap. vlt. de pœnit. & remiss. non conceditur Prælatis, vt contra licentia sui superioris, possint sibi confessorem eligere, sed præter sui superioris licentiam, vt notat Dicastillo. Ex quo fit, quod si in Religione non detur lex, vt Prælati certo confessori, & non alteri confiteantur, Prælati possunt eligere confessorem etiam extra ordinem, si etiam non detur lex id prohibens, non autem si talis lex detur, quia tunc Prælati operarentur, contra sui superioris licentiam.

Sed licet admitamus, quod in cap. citato, concederetur Prælatis Regularibus, facultas eligendi confessorem, etiam contra superiorum licentiam, hoc tamen debet intelligi, quando aliter statutum non est, per legem á Summo Pontifice confirmatam, vt in aliquibus Religiouibus statutum est, vt ait Ant. á Spir. S. de Religione Societatis Iesu & sua. Ratio est: nam licet constitutiones Religionum, quæ á Pontifice non sunt confirmatæ, non derogent ius commune, vt notat Suarez, benè veró quando ab eo confirmatæ sunt. Pontifex enim, per ius commune, vel quodlibet privilegium non intendit contravenire legibus specialibus Religionum, ad conveniens ordinis regimen spectantibus, præcipué si Religionum leges, post commune ius, fuerint concessæ vel confirmatæ. Nec est necesse, quod per legem specialem, derogetur ex-

preſcis verbis ius cómmune, ſed ſufficit quod illa non poſsit habere effectum, ſine huius derogatione, vt ait Suarez, Palaus, & Dicaſtillus.

Interrogabis: A quibus caſibus, poſsint Prælati Regulares, abſolvere ſuos ſubditos iure ordinario? Reſp. quód abſolvere poſſunt ab omnibus caſibus, á quibus poteſt Epiſcopus abſolvere ſuos Diœceſanos, quæ facultas ſolum convenit eis, ex vi privilegiorum, & non ex vi ipſius Tridentini, vt ait Candidus & alij; & etiã poſſunt abſolvere ſuos ſubditos, á cenſuris ab homine latis, adhuc poſt ſententiam declaratoriam, vt multi Doctores tenent; imó poſſunt eos abſolvere á caſibus Bullæ cœnæ, hæreſi excepta, vt dicunt Bordonus, Portel, Vechius, Sanchez, Candidus, & Ant. á Spir. Sanct. Licet autem facultas hæc, non conveniat Prælatis ex vi Tridentini, bené tamen ex particulari extenſione, facta a Pio V. in quodam motu proprio, á Rodriguez allato. Nomine autem Prælati intelliguntur, Generalis pro toto Ordine, Provintialis pro ſua Provintia, Prior pro ſuo Conventu, & idem de Vicarijs Generalibus vel Provintialibus, & de Suprioribus domorum, quando Prælati principales, ſunt mortui, abſentes vel amoti.

Hoc autem non ſentio, de quibuſdam domorum Regularium Præſidentibus, ad pauciſsimos dies, & interdum horas paucas, qui non ex Superioris delegatione præſunt, ſed ex abſentia alterius iam delegati, vt aliquando, nón ſine fletu vidi, intra breve tempus, in Conventu quodam, ex continuata antiquorum abſentia, fluxu & refluxu, per progreſſum & regreſſum, decem & amplius præſides reſultare, in quibus non novi, quomodo iuriſdictio poſſet diffundi; illa enim ordinaria non erat vt pater, nec item delegata, quia longa ſerie, á primo delegato profluebat, & delegatus, iterum ſubdelegare non poteſt, vt conſtans eſt. Caveant igitur ordinarij Prælati, ne hanc inanem iuriſdictionem permittant, quia res graviſsima eſt, ſed vnico fixo & immobili, ſuam poteſtatem in ſui abſentia delegent, vt in eo firmiter ſiſtat, & id communitati faciant conſtare, vt ita iuriſdictio non divagetur per omnes, quin huius altera cognoſcatur radix, niſi appetitus inferiorum vt dominentur, ambitioſa libido, & ſuperioris flexibilitas nimia, vt genijs omnium acquieſcat, & imperium inter omnes dividat, per diſtributionem accommodam.

Quæres adhuc 1. an ceſſet reſervatio, quando confeſsio facta Prælato, vel eius delegato, invalida fuit? 2. an facultas abſolvendi á reſervatis, extendatur ad ea quæ committuntur, ob confidentiam talis facultatis? Reſp. ad 1. affirmativé; vndé conceſſa per Superiorem, aut eius delegatum, abſolutione á reſervatis, licet illa ſit nulla, quia confeſsio non fuit integra, nec cum ſufficienti dolore, reſervatio tollitur, reſpectu peccatorum iam confeſſorum, quin opus ſit recurrere ad ſuperiorem, cui erant reſervata, licet ſint neceſsario confitenda. Ratio eſt: quia reſervatio ſolum ordinatur ad hoc, vt peccata reſervata confiteantur, habenti iuriſdictionem in ea, qui de illis iudicet, & pro eis pœnitentiam imponat, quod totum factum fuit, in confeſsione invalida.

Nec obſtat: Quód delegatus, nequit reſervationem auferre, niſi media Sacramentali abſolutione, quæ tunc non datur, ob indiſpoſitionem pœnitentis; nam licet delegatus, reſervationem non auferat, bené veró ſuperior, hoc ipſo quod pœnitens á ſuo delegato abſolvitur, vt ait Palaus; licet enim abſolutio fuerit nulla, quo ad effectum remittendi peccata, fuit tamen valida, quo ad tollendam reſervationem, ob rationem dictam. Sed notat Suarez: quód ablata reſervatione, per confeſsionem invalidam ſuperiori factam, pœnitens cum poſtea validé confitetur, debet confeſſorem monere, quam pœnitentiam acceperit, vt eam iterum Sacerdos inferior imponat, nec ſufficit quod ipſe pœnitens eam aſſummat, quia ſic non erit pœnitentia Sacramentalis.

Ad 2. Reſp. affirmativé cum Sanchez, Villalobos, Salmant. & alijs ab eis citatis. Ratio eſt: quia facultas á ſuperiori conceſſa, nullam limitationem talem includit; & licet eius mens ſit, vt peccatores á præteritis reſurgant, nec nova committant, non excludit vt illi, qui hac confidentia peccant, abſolvi poſsint. *Nec obſtat*: quód tales abutuntur ad ruinam, remedio conceſſo ad ſalutem animæ; nam ſufficit, quod in actu confeſsionis veré reſipiſcant, pro vt opportet ad valorem & fructum Sacramenti; ſicut idem contingit, in eo qui peccat ſpe conſequendæ veniæ per Iubilæum, vt aſſerunt Sanchez, Lugo, & Dicaſtillus.

Quinta difficultas: Quám facultatem habeant Regulares, pro abſolutione á caſibus reſervatis? Multa hic examinari poſſunt ſcitu digna, & vt clarius percipiantur, conſiderandi ſunt Regulares, ſecundum tres reſpectus. Primus ad regulares alterius ordinis; ſecundus ad regulares ſui Ordinis, tertius ad ſæculares. Quo ad primum ergo. Dicendum eſt: quód Regulares, nequeunt excipere confeſsiones Regularium alterius Ordinis, ſi iſti habuerint confeſſorem ſui Ordinis; conſtat ex cap. omnis de pœnit. & ex pluribus Regularium Privilegijs. *Nec obſtat*: quód Paulus III. Greg. XIII. & Sixt. V. conceſſerunt Regularibus á ſuis Prælatis expoſitis, vt omnium fidelium confeſsiones poſſent audire, & ab omnibus caſibus, exceptis contentis in Bulla cœnæ abſolvere. Dicitur enim, quod illa privilegia, non extenduntur ad Religioſos alterius Ordinis. Túm ob conſuetudinem inconcuſſam Religionum. Túm, quia iſta, habent ſua ſtatuta particularia, quibus per generale privilegium non derogatur, vt dicunt Lezana, Palaus, Portel, & alij multi.

Sed

Sed an Religiosi itinerantes, possint confiteri cum Sacerdote Regulari alterius Ordinis, vel etiam cum sæculari? Resp. affirmativé: nam Prælati concedentes facultatem ad itinerandum, etiam illam concedunt, vt confiteantur cui voluerint, dummodo sit idoneus, vt constat ex Privilegijs Sixti IV. & Innoc. VII. quæ refert Bordonus; & idem sentit Ioan. á Cruce, de absolutione á reservatis, propter eandem rationem; in hoc tamen standum est Religionis consuetudini, vt ait Suarez. Sed est notandum: quód si Fratres é Conventu exeunt, eo solo fine vt extra confiteantur, privilegia eis non valent, nam illa intelliguntur, dum non sit fraus, vt declaravit Leo. X. Valent autem, si confessio differatur, quousque exeant ad prædicandum, vel ad aliud negotium, quia in eo casu, Religiosus non exit, eo precisé fine, vt confiteatur extra, sed primo & per se vt prædicet, ad quod per accidens sequitur confessio. In Religione autem nostra, concessum est ab Innoc. VII. vt fratres habentes Sacerdotem simplicem sui Ordinis, cum illo & non cum altero confiteantur.

Est autem dubium, an Religiosi itinerantes, possint eligere simplicem Sacerdotem Regularem vel sæcularem, & cum eo confiteri, etsi á suo superiori approbatus non sit? Tamburinus, Sanchez, & alij plures, quos citat & sequitur Garcia, sentiunt quod sic; quia Ordini nostro, & Franciscanis ab Innoc. VII. & Sixto IV. concessum est, & in Decreto dicitur: quód fratres itinerantes, valent confiteri quibuscumque Sacerdotibus Regularibus vel sæcularibus, vbi nulla ponitur limitatio, & sic ad simplices Sacerdotes extendi potest, quia cum sit gratia, est amplianda. Sed Ludovicus á Cruce, Miranda, & Diana, oppositum tenent, & laté probant: quia talis Sacerdos simplex, iurisdictionem non habet, nec ex vi ordinationis, nec ex voluntaria subiectione pœnitentis ad ipsum, vt supra vidimus; nec illam habet á Superiori pœnitentis, quia hic iurisdictionem non habet supra confessarium, & sic ei nequit facultatem tribuere vel delegare. Ex his sententijs, hanc secundam eligo, quæ conformior est Decreto Alex. VII. qui num. 16. hanc propositionem damnavit: qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario; si enim hoc Parrochis denegatur, Religiosis etiam denegari videtur. *Nec obstat*: quód Pontifex ait: A quibuscumque Sacerdotibus; nam hoc intelligi debet, de approbatis á suo superiori, quia hic est communis sensus Conciliorum, & Romanæ Curiæ.

Deindé est dicendum: quód Religiosi omnes, tempore magni Iubilæi, vt est illud quod conceditur á Pontifice, quando assumitur ad Pontificatum, possunt eligere confessorem Regularem alterius ordinis, & ab eo absolvi ab omnibus casibus, etiam reservatis in sua Religione, sine vlla facultate suorum Prælatorum, & idem est de Monialibus. Ratio est: quia cum Iubilæum sit amplissima gratia totum Orbem lætificans, & rato concedatur, congruum est, vt etiam Regulares illo fruantur; sic declaravit Greg. XIII. & tenent Portel, Diana, Peyrinis, Palaus, & Bordonus. *Item.* Religiosi in periculo mortis, possunt eligere Sacerdotem alterius Ordinis, sive sæcularem, qui eos ab omnibus casibus absolvat, nullo excepto, sic enim concessit Sixtus IV. & si tunc non moriuntur, possunt iterum absolvi; nec tenentur postea superioti præsentari, quia sine vllo onere iam directé fuerunt absoluti, de quo laté agit Pellizar. Tract. 8. cap. 3. num. 79. An autem Regulares per Bullam Cruciatæ, possint intra & extra Religionem, eligere confessorem Regularem vel sæcularem, qui eos á casibus in suo Ordine reservatis, & etiam á non reservatis absolvat? Res magni ponderis est, infrá examinanda.

Secundús respectus Regularium, est ad alios Regulares, de quo plura sunt privilegia. *Sixtus IV.* fratribus Minoribus concessit, vt semel in vita possint eligere confessorem sui Ordinis, qui eos ab omnibus criminibus, censuris & reservatis absolvat. *Sixtus V.* concessit Carmelitis, vt per confessorem approbatum in suo Ordine, possint absolvi toties quoties, ab omnibus casibus Papæ reservatis, extra Bullam Cœnæ. *Sixtus IV.* eisdem concessit, vt similiter absolvi possint toties quoties, ab omnibus casibus occultis Bullæ Cœnæ, hæresi excepta. *Eugenius IV.* concessit Minoribus, quod possint absolvi ab omnibus casibus, & censuris semel in vita, etiam ab illis, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda, & idem concessit Innoc. VIII. Vlterius Leo. X. concessit vt quater in anno, possint eligere confessarium sui Ordinis, qui ea plenitudine eos absolvat, vt ad statum innocentiæ reducat, ac si Pontifex præsens, id faceret, vt ait Rodriguez, & Ant. á Spir. Sanct. alia innumera sunt Religionum Privilegia, videnda apud Ioan. de la Cruz, Pellizar. & Salmant.

Sed duo notanda sunt circa hoc. 1. quód omnibus his privilegijs, vti possunt, omnes alij Religiosi, communicantes in privilegijs cum mendicantibus, vt ait Suarez, & Palaus, nisi talis vsus, eis á Prælatis sit prohibitus, nam Prælati, ex plurium Pontificum Decretis impedire possunt; quod an faciant, ex eorum statutis, constitutionibus & consuetudinibus, inferendum est. 2 est notandum, quod in casibus in quibus Religiosi absolvi possunt á casibus reservatis Papæ, etiam á reservatis in sua Religione possunt absolvi, nam cum ex privilegio conceditur quod est maius, concessum etiam censetur quod est minus; excipe, quando in Religione datur prohibitio specialis in contrarium, vt proximé vidimus; in Ordine autem nostro, nullus datur casus specialiter reservatus, nec Prælatorum prohibitio,

tio, & ideo fratres noſtri, privilegijs illis, in tota ſua amplitudine vti poſſunt, tuta conſcientia.

Tertiùs reſpectus confeſſariorum Regularium eſt ad pœnitentes ſæculares; & quidem certum eſt, apud omnes Doctores, quod quando pœnitens ſæcularis, habet privilegium Bullæ Cruciatæ, poteſt virtute illius, eligere confeſſorem Regularem vel ſæcularem, qui eum abſolvere poſsit ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ab omnibus caſibus, etiam Papæ reſervatis, & in Bulla Cœnæ contentis, hæreſi externa, etiam occulta excepta, vt conſtat ex ipſius Bullæ textu; imó aliqui ſentiunt, quod ſi caſus occulti ſunt, poſſunt abſolvi toties quoties; quia tunc computãtur, quaſi ab Epiſcopo reſervati; ita Ant. á Spir. S. Tom. 1. Tract. 12. diſp. 1. ſect. 20. num. 222. cum Trullench & alijs, quos ipſe citat. Sed quicquid ſit de hoc, certum eſt, quod ſtante privilegio Bullæ, feré nulla eſt caſuum reſervatio; qua propter maximé æſtimabile eſt, apud Hiſpaniæ Regis vaſſallos, alias confeſſarij paſsim eſſent dubij, & ſcrupulis agitati. Vndé non eſt dubium, de facultate Regularium ex privilegio, ſed de iure ordinario, ad excipiendas ſæcularium confeſſiones, & eos abſolvendos á reſervatis.

Præcipuum Regularium privilegium, antiquitus ab Eugenio IV. Benedictinis conceſſum, erat vt abſolvere poſſent ſæculares, ab omnibus caſibus Epiſcopo ex conſuetudine, vel ex iure reſervatis. Sed Sacra Congregatio, de mandato Urbani VIII. in Decreto edito, anno 1628. die 17. Novembris, tale privilegium derogavit teſte Diana, & Salmant. & noviſsimé ab Alex. VII. damnata eſt hæc propoſitio, num. 12. Mendicantes poſſunt abſolvere á caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate; vndé privilegium illud, iam eſt revocatum; ſicut etiam derogata eſt facultas Regularium, ad abſolvendum á caſibus Bullæ Cœnæ, per ſua privilegia, quia per annuam ipſius Bullæ publicationem, ſublata ſunt, vt dicunt Lezana, Bordonus, Averſa, & alij.

Sexta difficultas: An Superior, teneatur concedere facultatem, inferiori eam petenti, ad reſervatorum abſolutionem? Notare debent confeſſores, quod quando huiuſmodi licentiam petunt, ad abſolvendum á reſervatis, maxima cautela & prudentia debent procedere, ne pœnitentem vel eius peccatum, aliqua ratione manifeſtent, ne Prælatus in eorum cognitionem deveniat; ſi enim confeſſor, peccatum in confeſsione novit, ſigillum violabit, ſi autem extra confeſsionem, contra ſecretum naturale operabitur. Vndé talem facultatem petens, ſolum dicat Prælato, poſtulare vices ſuas pro abſolvendo ſubdito illius ab aliquo reſervato, dicendo quod ſufficiens habet motivum, ad illam facultatem petendam, vt notat D.T. opuſc. 19. An autem facultas illa, poſsit ipſi confeſſario applicari, pro caſu á ſe commiſſo? Aliqui abſoluté affirmant cum Diana; alij dicunt, hoc pendere ex modo petendi facultatem, ſi enim dicitur: da mihi facultatem ad abſolvendum, non includitur petens, bené veró ſi petitur facultas ad abſolvendam quandam perſonam, vtrumque dictum probabile eſt, vt ait Ant. á Spirit. Sanct.

Nunc circa difficultatem, aliqui quos citat Girago dicunt, Prælatum obligatum non eſſe, ad talem facultatem conferendam, quia Trident. Seſſ. 14. cap. 4. ſuperioribus præbet facultatem, vt caſus reſervent, & pœnitentes ad ſe adducant; alias reſervatio eſſet otioſa nec eius conſequeretur finis, nempé vitatio peccatorum, ex erubeſcentia manifeſtandi ea ſuperiori. Sed tamen pro reſolutione, ſequentia ſtatuimus. *Primùm*: certiſsimum eſſe, quod in aliquibus caſibus, in quibus ſubditus habet cauſas extrinſecas, ne confiteatur ſuperiori, vel ne confiteatur integre, puta ſi timet ſuperioris odium, vel abuſſum notitiæ in confeſsione habitæ, ſuperior tenetur talem facultatem concedere, nam reſervatio, in bonum pœnitentis conceſſa, non debet in eius diſpendium verti; & etiam, quia Prælatus, eſt Paſtor & medicus, & ſic ovibus ſuis, debet remedia opportuna procurare, quale eſt in caſu illo, facultatem ad abſolvendum concedere; ſic ait D.T. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 6.

Secundùm: Quód regulariter loquendo, ſuperior obligatus eſt, talem facultatem concedere, ex charitate & iuſtitia; ſic tenent Suarez, Lugo, Coninch, Bonacina, Salmantic. & communiter Doctores, & conſtat ex quadam declaratione Greg. IX. quod in ratione & lege charitatis fundatur; nam Pœnitentia inſtituta fuit, ad animarum ſalutem, & reſervare eo rigore vt facultas non tribueretur abſolvendi, eſſet animabus laqueum parare, vt enim ait D.T. loc. proximé citato: qui ſunt nimis ſoliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſsionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, ac per conſequens ſibi ipſis, quia multi ſunt adeo infirmi, vt potius ſine confeſsione moriantur, quam tale peccatum, tali Sacerdoti confiteantur.

Tertiùm: Quód ideo diximus, ad id ſuperiorem teneri regulariter, nam hoc iudicari debet, iuxta arbitrium viri prudentis. Vndé ſi aliquando ex facultatis conceſsione, Prælatus cognoſcit damnum aliquod eventurum, nempé facilitas in peccando, ſub ſpe veniæ & facultatis abſolvendi, eam debet denegare. Tùm, quia poteſt vti iure ſuo. Tùm, quia plus debet attendere bono communi, quam particulari cuiuslibet. Tũ, quia ſic forté licentia peccandi frenabitur, ſi facultas nimis faciliter non obtinetur. *Nec ob ſtat*: quód hinc poteſt ſequi ſubditi infamatio, & remotio ab officijs honoris; nam ſi hoc obſtaret, nunquam eſſet neceſſe ad ſuperiorem recurrere, cum frequenter hæc circumſtantiæ concurrant. Sed tamen omnes conveniunt, in eo,

quod

quod Prælati debent esse faciliores, ad talem facultatem concedendam, quam ad denegandam; & in Ordine nostro in magnis solemnitatibus, etiam non petita conceditur á Prælatis, facultas pro reservatis absolvendis, si forté sunt aliqui.

Quartúm: Quód superior cui facultas petitur, non potest interrogare quis sit pœnitens, nec alia signa vel circumstantias, ex quibus illum cognoscere possit, quia confessarium exponet periculo frangendi sigillum, vel naturale secretum, vt ait Dicastillus. Nec semper debet Prælatus facultatem concedere, pro ipso confessore petente, si ille non est sufficiens, sed potest alium designare; nec de hoc subditus conqueri potest, qua dignum confessorem non elegit; si autem confessor facultatem petens dignus sit, superior male faceret, alium designando, quia pœnitentem obligaret aperire peccatum duobus, quod charitati opponitur, vt dicit Lugo, & Perez.

Quibus autem verbis, Superior det potestatem absolvendi á reservatis? Resp. quód si superior facie ad faciem talem facultatem concedit, curandum est, quod sic explicet suam mentem, vt omnis æquivocatio, & omne dubium auferatur; si autem concedit per privilegium aut scriptum, pensanda sunt verba, ea iuridice interpretando, attentis circumstantijs antecedentibus & subsequentibus. Vndé si superior dicit, se conferre facultatem audiendi confessiones subditorum, non censetur conferre, pro casibus reservatis, quia in generali verbo, non intelliguntur specialia concessa; secus est si superior dicat, se concedere totam suam authoritatem & potestatem, quia cum talis concessio sit maximé favorabilis, iudicatur comprehendere omnia, ita Suarez, & Pellizarius. Similiter cum Prælatus dicit: do tibi facultatem, absolvendi ab omnibus reservatis, intelliguntur illi, qui habent censuram annexam, etiam Papales, nisi aliud ex circumstantijs colligatur, quia nomine casus, etiam censuræ comprehenduntur, iuxta communem loquendi modum, vt ait Lezana, & Ant. á Spir. S.

Deindé: quando Papa concedit facultatem absolvendi á sibi reservatis, intelligitur á reservatis cum censura, quia solum ratione censuræ, reservantur Papæ; & etiam talis facultas, potest extendi ad dispensandum in irregularitatibus, nisi circumstantiæ declarent oppositum; sed non potest extendi, ad dispensationem votorum & iuramentorum, quia hæc non sunt casus, vt ait Navarrus, & Graffius. Quando autem Pontifex, concedit facultatem absolvendi ab omnibus sibi reservatis, non intelliguntur casus Bullæ Cœnæ, vt ait Basseus, & communiter Doctores; & quando facultas conceditur per Bullam vel Iubilæum, semper censetur exclusa hæresis externa, etiam occulta, propter maiorem specialitatem huius casus, quod præcipué verum est modo, quia in Decreto Alex. VII. prop. 3. oppositum damnatum est.

Quo ad Episcopos autem, est dicendum: quód si Episcopus dicit: confero tibi facultatem, ad absolvendum á tali casu, illum exprimendo, & totam meam authoritatem & potestatem, hæc commissio extenditur ad omnes casus reservatos, & non solum ad illum expressum, nam specificatio antecedens, ampliatur per generale verbum subsequens. Si autem Episcopus concedit facultatem, ad absolvendum á censuris sibi reservatis, non censentur concessi casus, ei reservati sine censura, nam hæc quo ad Episcopos distincta sunt, nisi aliud ex circumstantijs colligatur de intentione concedentis, vt ait Perez. Si autem Episcopus in aliqua solemnitate, concedit Parrochis facultatem absolvendi á reservatis, etiam censetur, eam regularibus conferre, nisi excludat illos expressé, vt ait Cespedes. *Nec obstat*: quód iurisdictio tunc Parrochis collata, est odiosa iuri Episcopi, & sic debet stricté interpretari; nam hoc est verum de rebus, quæ non æquiparantur, nec exorbitantur á iure, qualiter æquiparantur aliquomodo, potestas Parrochorum, & Regularium ab Episcopo approbatorum.

Sed quo ad facultatem á superioribus concedendam, ad absolvendum á reservatis, dubitabis adhuc: An superiores Religionum, possint compellere subditos suos, vt cum eis confiteantur? Ratio dubitandi, summitur ex allato Decreto Clem. VIII. vbi dicitur: Non liceat superioribus Regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum commisserint, aut ipsi sponte, aut proprio motu, ab ipsis petierint, vbi insinuari videtur, quod pro casu reservato, licet Prælato audire confessiones subditorum. Sed quicquid sit de antiquo, nunc superiores, nequeunt subditos ad hoc compellere, quia in tali Decreto eis prohibetur; & de reservatis hæc ait Pius U. & Clem. VIII. apud Rodriguez: eisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis cū subditis, benignos & faciles se exhibeant præcipimus; si ergo id de reservatis præcipitur, quanto magis de non reservatis tenendum est.

Nec obstat: Quód Parrochus potest compellere suos Parrochianos, vt sibi confiteantur, nam magis pendet subditus á Prælato, quam Parrochianus á Parrocho, & ideo ille prudenter posset timere, ne Prælatus ex confessionis notitia, summeret occasionem variandi conceptum de illo, vel etiam ea vteretur ad gubernationem exteriorem. Quód si Sancti aliquando dicunt, quod subditi, apud superiorem conscientiam deponant; hoc est solum per modum consilij, & non per modum præcepti. Vndé per Decreta Vrbani VIII. & Clem. VIII. præcipitur superioribus Regularium, vt duos, tres vel quatuor confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori designent, quibus etiam absolutionem á reservatis committant, si quæ aliquando occurrerint, quod intelligitur, ita vt omnes illi

sint pro omnibus Religiosis, & non vnus pro vna parte communitatis, & alter pro alia, vt sic libere confiteri possint, cui voluerint ex illis.

Septima difficultas: Verú n Prælatus, possit inferiori confessario facultatem conferre, vt subditos suos á reservatis absolvat, cum gravamine, vt postea coram ipso compareant? Non est dubium, de peccato reservato iam commisso, quia si subditus per se ipsum petit facultatem á superiori, iam comparet coram eo; si autem petit per confessarium, ad hoc petit vt non compareat, & sic contradictio est, petere facultatem ad absolvendum peccatum commissum, & simul imponere obligationem comparendi coram superiore; est ergo difficultas de licentia petita, ante peccatum reservatum commissum, pro eo absolvendo, si forsan contigerit committi, quod accidere solet, quando quis iter arripit. Nec dubium est, de peccatis reservatis, quæ habent censuram annexam, quia sicut censurarum impositio & ablatio, pendeat ab Ecclesia, potest hæc sub illo onere, talem absolutionem conferre.

Difficultas ergo est, de reservatis, qui censuram non habent annexam; & quidem loquendo de articulo mortis, nequit Superior tale gravamen apponere comparendi coram ipso, vt ait Lugo: nam potestas confessarij, quæ alias est delegata, in eo casu fit ordinaria, & independens á Superiori; loquimur ergo, extra casum prædictum. *Ratio* dubitandi est: nam quando superior, subditum suum, alteri Sacerdoti subijcit, quo ad absolutionem directam, iam inferior nomine Christi, & ex eius potestate iudicat, & sic implicat quod absolutio ab eo collata, non sit vltima & suprema sententia, & sic ex vi præcepti divini, nequit subditus obligari, ad confitendum alteri idem peccatum; nec etiam iure humano, ad hoc obligari potest, quia Ecclesia nequit præcipere, duplicem confessionem eorundem peccatorum.

Propter hanc rationem, authores varié discurrunt. Aliqui quos refert Pellizarius, & sequitur Vazquez, dicunt, tale onus, non posse á superiori imponi. Alij communiter sentiunt oppositum, cum Candido, Hurtado, Leandro, & Lugo; sed quomodo id fieri debeat? Hoc opus, hic labor, cum sit certum, neminem posse obligari ad eadem peccata bis confitenda, & sic tale onus, sine voluntate subditi nequit imponi; & est difficultas, quomodo obligatio comparendi, possit imponi subdito, dependenter ab eius voluntate, ita vt ille teneatur sub mortali hoc facere? Aliqui asserunt, id fieri, quando Prælatus dictam facultatem subdito concedit, sub conditione quod enimittat votum vel iramentum, comparendi coram eo, post commissum peccatum; quia cum votum sit de meliori bono, subditum obligat sub mortali. Sed re vera, hoc dictum firmum non est, quia votum posset per commutationem auferri; & licet Prælatus, tale votum posset sibi reservare, secunda confessio poterit aliquando non esse materia voti, vt si melius fuisset subdito, coram superiore non comparere, iam votum etiam reservatum, non obligaret. Alij dicunt, illam facultatem concedi á Prælato, cum conditione vt inferior confessor, imponat pœnitenti in pœnitentiam, obligationem comparendi, & quod subditus illam teneatur acceptare. Sed etiam hoc potest eludi, nam pœnitentia imposita, & acceptata, potest ab alio confessario commutari, & aliquando pœnitentia illa potest non esse conveniens, & sic conditio apposita á Prælato, cum sit de re non conveniente, iudicaretur quasi non adiecta.

Alij dicunt, quod illa obligatio comparendi, potest imponi mutuo contractu, & pacto inter Prælatum & subditum, ita vt Prælatus facultatem non concedat, nisi subditus prommittat se iterum confessurum reservata, si quæ committat. Sed etiam hoc, est difficile captu: nam ex tali promissione, vel subditus obligatur ad comparendum sub mortali, vel sub veniali? Si sub mortali, vt ait Lugo, & Vazquez, cum alijs, videtur falsum; nam talis obligatio, non oritur á promissione, nam illa non est in materia iustitiæ vel Religionis, cum subditus non teneatur bis confiteri sua peccata, & sic solum obligat ex fidelitate, quæ solum sub veniali obligat, vt ipse Uazquez ait; si autem promissio tantum obligat sub veniali, in vanum laborant, qui hoc exquirunt. Alij asserunt hanc obligationem comparendi, imponi á Prælato, vt conditio sine qua non. Sed etiam hoc, est difficile: nam subditus potest conditionem acceptare, & sic absolutionem accipere.

Sed an sic acceptata conditione, teneatur subditus sub mortali, post absolutionem coram superiore comparere? Semper manet indiscussum; vnde dicunt alij: talem obligationem comparendi, non solum oriri ex debito fidelitatis, sed iustitiæ, quia subditus, tale onus suscepit, cum intentione graviter se obligandi, quæ colligi potest. 1. ex pacto Superioris cum subdito, vt eam obligationem comparendi suscipiat facultate concessa, sic tenent Molina, & Palaus. 2. ex professione Regulæ, in qua tale statutum datur, per cessionem sui iuris ad iterum non confitendum, peccata semel confessa, vt ait Sanchez. In hac varietate sentiendi, videtur quod hi duo vltimi modi, sunt magis rationi conformes.

His tamen visis, ait Ant. á Spirit. S. quod post Decretum Vrbani VIII. in quo præcipit, quod si licentia iusté petita á subditis, negatur á Superioribus, possunt confessores regulares, non obtenta facultate ea vice absolvere, gravem difficultatem habet, & suadetur sic: nam vel facultas iusté petitur, vel non? Si non, aufertur quæstio; si petitur iusté, non videtur quod possint superiores imponere obligationem comparendi, nam concessio facultatis,

tis, non pendet á voluntate Superioris, petitione iusta suppositá, cum eam tunc negare non possit iuxta prædictum Decretum, nec subditi comparere tenentur, quia censentur confiteri cum inferiori, de licentia maioris Superioris, nempé Papæ, vt ait Henriquez, Trullench, Leander, & alij; quare ipse Ant. cum eis sentit. non posse Superiorem concedentem illam facultatem, imponere subditis onus comparendi.

Nec obstat: posse dari pactum illud ex parte subditi, quia voluntarié tale onus in professione suscepit; dicitur enim, quod subditus potest hoc voluntarié facere, sed Prælatus nequit tale onus imponere, cum hoc iam non sit in manu illius, suppositá petitione iustá, vt patet ex Decreto relato. Nec valet iterum, quod subditus per professionem cedit iuri suo, non confitendi bis eadem peccata. Resp. enim, quod cessio hæc, & absoluta Prælatorum potestas, fuerunt á Pontifice limitata, ne animarum esset laqueus, id quod pro earum salute institutum erat. Vel dicatur: subditum posse cedere iuri provenienti ex natura rei, non autem provenienti ex Privilegio Papæ, quia hoc fuit concessum ob commune Religionis bonum, quo religiosi privati renuntiare non possunt, vt ait Bordonus, quia nunquam præsumitur, Papam acceptare velle talem renuntiationem, in præiudicium Religionis cui favere intendit, & sine acceptatione Papæ, non tollitur privilegium.

Hæc est summa doctrinæ authorum circa hoc, licet re vera, plures sint oppositum tenentes, quos Salmantic. citant & sequuntur, & idem ait Garcia cum pluribus alijs qui omnes asserunt, talem obligationem comparendi, posse licité á Superiori imponi, cum facultatem confert absolvendi á reservatis. Tùm, quia hoc non est obligare per se, ad iteratam confessionem eorundem peccatorum, sed solum ex accidenti, vt reddatur ratio peccati reservati, & pœnitentiæ pro eo impositæ. Tùm, quia id fundet plurium Religionum vsus, quo ad hospites & Peregrinos. Tùm, quia obligatio illa, non imponitur subdito iniustè & per vim, quia Prælatus vtitur iure suo, nec obligat subditum, vt facultatem acceptet sub onere illo, sed illam offert, vt sub tali onere, libere acceptet illam vel respuat. Hæc sunt opinionis contrariæ fundamenta, sed quia problemata irresoluta ægre fero, priori resolutioni standum iudico, iuxta rationes ex Decreto Vrbani VIII. deductas, quæ satis efficaces sunt.

Octava difficultas: Quomodo se gerere debeant, Prælatus & confessor inferior, quo ad absolutionem reservatorum? Circa primum dubitatur: An Superior cui sunt reservati casus, auditis solis illis, possit pœnitentem Sacramentaliter absolvere, & pro absolutione non reservatorum, illum ad confessarium inferiorem remittere? Resp. quód id non potest si Sacramentaliter absolvit, sed debet omnia audire, bené verò si absolvit non Sacramentaliter, & gravissima causa, vel necessitate vrgente. Primùm constat, quia integritas confessionis cum sit de iure divino, nullo modò potest ommitti; nec ad id sufficit regulariter loquendo, sola Prælati occupatio; Tùm, quia potest extra confessionem audire reservata, si pœnitenti placet; Tùm, quia potest committere suam potestatem alicui inferiori, de cuius scientia & prudentia confidat; Tùm, quia subdito præcipere potest, vt confessionem differat pro tempore opportuno; & etiam pro illo audiendo, se expedire ab alijs negotijs minus gravibus.

Secundùm patet: quia talis casuum reservatio, videtur ad forum externum pertinere, & sic poterit Prælatus, non Sacramentaliter sola reservata audire, & licet sic audiat, non vt Sacramentaliter absolvat, sed vt satisfactionem imponat, & absolutionem Sacramentalem inferiori remittat, sed tunc tenetur ad sigillum, quia hoc obligat quando dicitur peccatum, in ordine ad confessionem inchoandam vel consumandam. Tertiùm constat: nam si gravissima causa & necessitas vrgeat, vt est occupatio Prælati in maximo negotio, & aliquod pœnitentis damnum si ad inferiorem remittitur, & eius communicandi necessitas, videtur hoc fieri posse, quia casus hic, est maximé rarus, & causa sufficiens, vt ait Palaus, & alij plures cum Salmant. & quidem, si dari potest casus gravis & rarus, vt pœnitens confessionem dimidiare possit, vt supra vidimus; cur etiam non poterit dari ex parte confessoris ad talem dimidiationem. In eo autem casu, illa confessio distinctum Sacramentum est, ab illa quæ postea inferiori fiet, cum vtraque sit formaliter integra, & diversa absolutione completa.

Circa secundum de confessario inferiori, dicendum est: quód si Superior contulit absolutionem Sacramentalem reservatorum, illa postea confessario inferiori, non debent fateri, sed solum non reservata, vt ait Suarez, Valentia, & Bonacina. Ratio est: quia licet per se loquendo, manifestari debeant omnia peccata, vni & eidem Sacerdoti, per accidés verò, & in casu extraordinario, necessitatis raro vrgentis, potest contrarium fieri; si autem pœnitens, non fuit á Superiori absolutus Sacramentaliter, sed solum liberatus á reservatione, ille obligatus manet, ad confitendum inferiori confessario, peccata omnia tam reservata, quam non reservata, quia eget absolutione Sacramentali omnium, quæ nõ confertur per solam liberationẽ á reservatione.

Deindé: confessor carens potestate in reservata, præcisa necessitate, & causa rationabili, nequit absolvere pœnitentem á non reservatis, & illum ad superiorem mittere, pro absolutione reservatorum. Ratio est: quia hoc repugnat integritati Sacramenti, quæ est de iure divino, quam non licet prætermittere, nisi gravi causa vrgente; & in eo casu, confes-

fessio non est integra, quia, etsi pœnitens omnia peccata proferat, sed in ordine ad Sacramentum, integre non confitetur, quia confessio Sacramentalis, non est quælibet manifestatio peccati, sed accusatio sui coram legitimo iudice, qui tunc non haberet iurisdictionem pro integra causa, vt ait Dicastillus, cum pluribus citatis ab eo. Sed extra articulum mortis confessarius inferior, nequit directé á reservatis absolvere, etsi pœnitens ea manifestet, nec habeant excomunicationem annexam. Ratio est: quia licet ad absolutionem directam, necessarium sit peccatum in confessione aperire, sed hoc non sufficit, sed requiritur quod Sacerdos habeat iurisdictionem; quod consonat Trid. dicenti: quód extra articulum mortis, inferior confessor, nihil potest circa reservata, id est potestate directa, vt dicunt Suarez, & Dicastillus.

Sed tamen in casu gravis necessitatis, vt cum debet impleri præceptum annuæ confessionis, vel communio recipi, vel sacrum fieri, quæ sine gravi scandalo vel infamia, non possint ommitti, nec sit facilis aditus ad Superiorem, potest confessor inferior, habens iurisdictionem circa non reservata, hæc directé absolvere, & verum Sacramentum conficere, per quod auferuntur reservata indirectè, vt dicit Suarez, Palaus, Henriquez, Bonacina, & Salmantic. Ratio est: quia licet illa confessio, non possit fieri materialiter integra, ob defectum iurisdictionis Sacerdotis inferioris in reservata, sufficit quod sit integra formaliter, & quod confessor, habeat iurisdictionem circa aliqua peccata, vt his absolutis directé, verum Sacramentum conficiat, & indirectè a reservatis absolvat; quia integritas confessionis & absolutionis directæ, de essentia Sacramenti non est, sed de præcepto divino, & eius omissio, potest aliquando honestari, ob impotentiam moralem, pœnitentis vel confessoris.

Sed oppones contra dicta: in casu posito, confessor inferior, absolvere non potest á reservatis: ergo pœnitens, illâ confiteri non tenetur, quia confessio, ad absolutionem ordinatur. Resp. quod licet tunc inferior confessor, á reservatis directé non absolvat, absolvit verò indirectè, quia vnum peccatum, nequit sine alio remmitti. Nec obstat: quód si pœnitens, nequit ab illo confessario directé absolvi á reservatis, ad quid ea confiteri tenetur? R. hoc esse, quia oportet, vt circa omnia sit benè dispositus, & hoc debet examinare confessor, qui ius habet ad cognoscendam totam causam, & conscientiam pœnitentis; & deindé habet potestatem, ad absolvendum directé á non reservatis; sic D.T. in addit. q. 9. art. 2. ad 4. *Dices*: sequi ex hoc, quod etiam in casu necessitatis, habens peccata mortalia & venialia, posset confiteri Sacerdoti simplici, qui directé á venialibus absolveret, & indirectè á mortalibus. Resp. quód est disparitas: quia iurisdictio ad absolvenda venialia, habetur ex vsu & concessione Ecclesiæ, quæ non debet extendi, vltra vsum & concessionem ipsam, & vsus fidelium solum est, absolvi á simplici Sacerdote, quando non datur conscientia peccati mortalis, excepto articulo mortis; in casibus autem reservatis, oppositus vsus stat. *Si autem* huius disparitatem inquiris; hæc est: quia confessor habens iurisdictionem circa mortalia, habet quod præcipuum & substantiale est, in potestate absolvendi, quia illa est iurisdictio intensiva & perfecta, & ideo potest indirectè extendi ad reservata; hoc autem dici non potest de Sacerdote simplici, qui solum supra venialia potestatem habet, ex Ecclesiæ concessione.

Si dicas adhuc: quód nemo tenetur, bis confiteri peccatum, quod tamen sequeretur, in casibus dictis, in quibus teneretur confiteri inferiori, etiam peccata reservata, & superiori etiam non reservata. Resp. quód vt vidimus, si superior Sacramentaliter de reservatis absolvit, non est necesse illa inferiori confiteri; quia confessio illa fuit formaliter integra, & de peccatis confessis Deo & Ecclesiæ, per confessionem, ministro habenti iurisdictionem factam, debité satisfactum sit. Quód vero peccata reservata inferiori confessa, debeant iterum superiori confiteri, mirum non est, quia tunc non sunt directé absoluta, & debent á legitimo iudice directé absolvi, cum fuerit opportunitas, ea superiori confitendi. Inferior autem, potest indirectè absolvere, etiam casus habentes annexam censuram, quia illa prohibet Sacramenti susceptionem, sed non irritat eius valorem, cum ministratur necessitate vrgente, vt in casu prædicto; sic Suarez, Coninch, & Layman.

ARTICVLVS XX.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus. Homo quidam, exivit ex loco habitationis suæ, qui situs erat in Episcopatu Oscensi, & causa itineris, vel peregrinationis, advenit ad locum Episcopatus Tirasonensis. Quæritur: an si bona fide discesit, possit in Episcopatu Tirasonensi á reservatis absolvi? Duo sunt certa, primum, quod non pergit homo ille, animo mutandi domicilium, quia sic iudicandus nō esset per leges loci á quo discedit; secundus: quód si casus in vtroque Episcopatu reservatus est, peregrinus ille, ligatur reservatione, nec potest absolvi á confessore, non habente potestatem circa casus reservatos. Dubium ergo est, si casus erat reservatus in loco a quo discedit, sed non in locó in quo invenitur cum confiteri vult; vel é contra, si non est reservatus, in loco á quo discessit, benè verò in loco ad quæm divertit.

Dicendum est: quód in casu posito, peregrinus potest absolvi á confessario, non habente potestatem

tem in reſervata, ſi peccatum in loco confeſſionis reſervatum non eſt; licet in loco á quo diſcedit ſit reſervatum; ſic tenent Cayet. Paludanus, D. Antoninus, quem refert & ſequitur Suarez, & Salmant. cum pluribus quos citant; quia peregrini in caſu noſtro, habent facultatem, per conſuetudinem Prælatorum introductam, quam Eugenius IV. approbavit, vt poſſint dum ſunt in alieno Epiſcopatu bona fide, ſe gerere in ordine ad confeſſionem, quaſi alij talis loci incolæ, atque adeo poſſunt á confeſſario abſolvi á peccatis, quæ ibi reſervata non ſunt; & ratio eſt; quia lex proprij domicilij, non obligat, extra territorium in quo poſita eſt.

Nec obſtat: quód ait Diana cum alijs, nempé quod Bonifacius VIII. vt dicitur, cap. ſi Epiſcopus de pœnit. & remiſſ. cap. 6. ait: Quód ſi Epiſcopus concedit ſubdito ſuo, vt poſſit idoneum eligere confeſſorem, hic in caſibus Epiſcopo reſervatis, nullam habet poteſtatem. Reſp. enim, ibi eſſe ſermonem, de ſubdito manente in ſuo Epiſcopatu, cui non intelligitur Epiſcopum facultatem dediſſe, vt á ſibi reſervatis poſſet abſolvi. *Nec* iterum obſtat: quód tunc præſumitur, illum pœnitentem, per fraudem alibi ſe conduxiſſe, vt poſſet fugere reſervationem. Reſp. quód in foro interno, locum non habent præſumptiones; vndé ſi pœnitens certo ſcit, non eo animo á loco reſervationis diſceſsiſſe, nec in fraudem, ſed ob alia negotia, omnis præſumptio ceſſat.

Ex his deducitur, quod idipſum dicendum eſt, de Religioſis commorantibus in eadem Diœceſi reſervationis; illi enim, ſunt exempti ab Epiſcoporum iuriſdictione. Sed quid dicendum, ſi aliquis Epiſcopi ſubditus, intra Religioſorum Conventum, committat aliquod peccatum, ab Epiſcopo reſervatum? Reſp. quód illud reſervatum non manebit, ſed poſtea á quolibet ordinario confeſſore abſolvi poterit; quia lex non extenditur vltra territorium legislatoris, & Monaſterium, Epiſcopi territorium non eſt. *Dices*: licet locus Monaſterij, ſit exemptus á iuriſdictione Epiſcopi, perſona tamen peccans, eſt ei ſubiecta, quod ad reſervationem ſufficere videtur. Reſp. quód non ſufficit perſonam eſſe reſervanti ſubiectam, ſed quod in loco iuriſdictionis eius peccatum committat; vndé ſicut quando locus eſt ſuæ iuriſdictionis & non perſona, non incurritur reſervatio, vt de Religioſis diximus, ita etiam nec incurritur, ſi perſona eſt ſubiecta & non locus.

Reſtat ſcire, ſecundam partem caſus, nempé án quando caſus reſervatus, eſt in loco vbi peregrinus verſatur, & non in eo á quo diſcedit, incurrat reſervationem? Negat Ant. á Spirit. S. cum Fagundez, Diana, & Paſqualigo; ſed oppoſitum tenendum eſt, nempé peregrinum, incurrere reſervationem caſus, qui eſt reſervatus, in loco in quo reperitur, ſic ſentit Suarez, Lugo, & Villalobos. Ratio eſt: quia vt conceſsio ſit iuſta, debet eſſe vtrobique æqualis, & qui liberatur ab onere aliquo, debet ſentire aliud, quod ex eo ſequitur; peregrinus autem, poteſt abſolvi á caſibus reſervatis Epiſcopo loci ſui domicilij, á quolibet á confeſſario, & ſic á caſibus reſervatis in loco vbi degit, abſolvi non poteſt, etiam ſi ſuo Epiſcopo reſervata non ſint, alias peregrinantium conditio, eſſet melior alijs; quia pergendo per Orbem, nullam reſervationem incurrerent, quia á caſibus ſuo Epiſcopo reſervatis extra eius Epiſcopatum, á quolibet confeſſario abſolvi poſſunt, & alias, in loco ad quem accedunt, nullam reſervationem incurrerent.

Dices: quid faciendum, ſi confeſſor haberet iuriſdictionem in Epiſcopatu domicilij pœnitentis, vbi talis caſus, reſervatus non erat? Reſp. quód ſi proprius Parrochus, ſimul pergeret cum illo Peregrino ſubdito ſuo, poſſet ille hunc abſolvere ab illo peccato, quod in eius Diœceſi reſervatum non erat, licet in loco in quo degit reſervatum ſit, vt ait Lugo; & etiam ait Dicaſtillo, quod ſi talis confeſſor habet iuriſdictionem delegatam, in Epiſcopatu domicilij pœnitentis, á quo hic diſceſsit peregrinus, & in quo non erat reſervatio, poteſt illum abſolvere, licet caſus reſervatus ſit, in Epiſcopatu in quo eſt dum confitetur, quia poteſt vti illa iuriſdictione delegata, quam habet in Epiſcopatu domicilij pœnitentis, cuius comparatione, caſus reſervatus non eſt.

Caſus ſecundus. Puer quidam, duodecimum attingens annum, peccatum nefandum commiſsit, quod in Epiſcopatu in quo degebat, erat reſervatum Epiſcopo; acceſsit pro confeſsione ad inferiorem confeſſorem, quin haberet Bullam Cruciatæ. Quæritur: an talis confeſſor, poſſet eum á tali caſu directé abſolvere, non habita Epiſcopi facultate? Reſp. quód ſi talis ignoraret, tale crimen reſervatum eſſe, non incurreret reſervationem, vt diximus art. præced. diffic. 2. in fine, & idem eſt de oblivione, vel inadvertentia reſervationis, quia hæc cum ignorantia æquiparantur, vt ibidem diximus, & ſic tenent Hurtado, Diana, & Baſſeus.

Deindé eſt dicendum: quód ſi crimen illud nefandum, cum fœmina fuerit commiſſum, probabile eſt, quod non incurreretur reſervatio, quia tale peccatum, non fuit perfecta ſodomia, licet enim talis ſit ex parte vaſis, non vero ex parte ſexus, nam cum reſervatio ſit odioſa, debet reſtringi ad peccatum perfectè tale, ſic Lugo, & Dicaſtillo; his addit Diana, quod nec mulier incurreret reſervationem talis caſus, ſi ſuper aliam fœminam congrederetur in vaſe naturali, quia licet non ſervetur ſexus, ſervatur tamen debitum vas; incurreret tamen, ſi in vaſe non naturali ſeminaret, medio aliquo inſtrumento, quod ſic fieri poſſe, affirmant Antonius Gomez, ex Avicena. Vndé ſi illud nefandum crimen conſumatum non eſſet, emmittendo ſemen in vaſe

præpostero, reservatum non erat, quia completum non fuit. Sic Lupus, Bordonus, & Leon. Vid. dicta. sup. loc. cit. condit.3.

Nunc ad interrogationem casus dicitur : quód si reservatio sit in medicinam,pueri etiam ante pubertatem, committentes peccatum reservatum. incurrunt reservationem ; non vero, si reservatio sit inducta in pœnam. & odium peccati. Ratio primi est : quia reservatio in medicinam inducta , etiam comprehendit pueros, qui non minus quam puberes,egent vt doceantur & curentur, imó plus egent doctrina medicinali; sic tenent Homobonus , Horonus, & Perez. Ratio secundi est: nam cum illa reservatio, solum ponatur in pœnam, non incurritur á pueris,nisi cum alias pœnas Ecclesiasticas incurrere possunt, quod post pubertatem est , vt dicunt Sanchez, & Perez.

Sed tamen, satis est probabile , hanc doctrinam de reservatione, non in pœnam, sed in medicinam imposita, non procedere de peccatis carnalibus,de quibus casus loquitur,quæ si committantur á pueris, non incurrunt reservationem; sic Lupus, Bordonus, Diana, & Bassæus. Ratio est : quia impuberes , regulariter non seminant , & licet hoc aliquando faciant, non ideo in reservationem incurrunt , nam reservatio , est instar aliarum legum, quæ non dantur pro casibus qui raro accidunt.Hoc autem intelligitur, sive puer sit agens, sive patiens alterius, qui ad annos pubertatis accesit', nam licet hic reservationem incurrat, sed non puer : nam peccata incontinentiæ, quæ genitalibus fiunt, non tribuuntur impuberibus,vndé ait Gloss. omne delictum cadit in puerum, postquam est doli capax, præter delictum carnis.

Nec obstat: Quód reservatio, est suspensio iurisdictionis Sacerdotis,ad negandam absolutionem; hæc autem pueris negari potest , ex consuetudine peccandi , vel alijs causis , & sic etiam ob peccatum reservatum commissum, negari potest. Resp. quód est disparitas , nam denegare absolutionem ob peccandi consuetudinem , vel ob alias similes causas, non est pœna , sed defectus dispositionis in pœnitente,qui potest in puero reperiri;negare vero propter casum reservatum,pœna est,sicut etiam reservatio , cum autem impuberes alias pœnas non incurrant,quia pietas Ecclesiæ illos ab hoc eximit, ideo nec incurrunt in pœnam reservationis , nec propter peccatum reservatum, potest eis absolutio denegari.

Casus tertius. Mulier quedam gravida satis.cum germano fratre suo rixata est, hicque ira & furore exardescens, eam magnis ictibus contusit, eo animo vt sequeretur abortus,qui non leviter ex actione illa, poterat præsumi ; sed in se reversus, de facto pœnituit , & apud confessorem ordinarium, conscientiam deposuit , á quo absolutionem accepit , post aliquot autem dies, sororis abortus fuit subsecutus, & quidem inditijs satis efficacibus, de eo quod ex ictibus prioribus fuit illatus, cum autem talis casus reservatus esset. Quæ itur : an iterum de illo post effectum secutum deberet confiteri? Resp. negativé cum Fagundez. Azor, Henriquez, & Garcia. Ratio est:quia nemo potest obligari ad confitendum bis eadem peccata , & peccatum illud,iam si it rité confessum & absolutum. si quidem solum est reservatum,effectu subsecuto;sic Ant. á Spir. S.

Nec obstat:Quód omissio sacri in somno secuta, non solum est effectus peccati , sed etiam est peccatum,vt asserunt Thomistæ, in Tract. de peccatis , eo quod voluntarié fuit apposita causa ommittendi per somnum ; & sic idem dicendum, in eo qui causam dedit abortus,vt contingit in homine illo nostri casus. Resp. quod est disparitas: nam in casu omissionis sacri,remanet actus voluntarius,in causa moraliter perseverante , & non retractata, sed in casu nostro, causa abortus , quæ in ictibus præcedentibus mulieris gravidæ fuit apposita , manet per confessionem sequentem retractata; vt autem causa antecedens, influat moraliter in effectum subsequentem,debet moraliter continuari non retractata; qua propter ait D.T. 2 2. q.154. art.5. in corpore,quod si superabundet ia humoris, ex qua sequitur nocturna pollutio , non sit ex aliqua causa culpabili, tunc nocturna pollutio non est culpabilis , nec in se, nec in sua causa , idem ergo dicendum,de homine mulierem gravidam vulnerante, & postea culpam confitente, tunc enim iam non manet moraliter, causa culpabilis abortus sequentis.

Occasione huius casus , aliqua de abortu reservato adiungimus;& de facultate ad illum absolvendum , quia eo devenit sævitia virorum & fœminarum , vt horrendum hoc scelus , frequenter excæcati committant. *Primó* ergo sciendum est, quomodo incurratur in reservationem.propter peccatum abortus ? Et quidem Sixtus V. in Bulla expedita , anno 1588. magnas imponit pœnas causantibus,vel procurantibus abortum, etiam ante fœtus animationem , eosque irregulares , & inhabiles ad ordines sacros , & Beneficia Ecclesiastica declarat, & excomunicatione ligat, quam sibi reservat. Sed postea Greg. XIV. has pœnas temperavit declarando, quod si fœtus animatus non est, non incurritur censura vel pœna , sed hoc ad terminos iuris communis reducit.

Quibus positis , sciendum est, quod qui potionem dederit fœminæ, vt non concipiat , vel vt semen recenter conceptum eijciat , licet mortaliter peccet, quia semen & generationem,privat suo fine principali , sed tamen nec excomunicationem, nec irregularitatem incurret , nec alias pœnas , & iuxta Greg. Decretum , á quolibet confessario ab ordinario approbato,absolvi poterit, vt ait Diana,

&

& Trullench. Vndé vt incurratur reservatio, propter abortum, debet esse animatus fœtus, quod regulariter in viris, fit quadragesimo die, & in fœminis octogesimo; & si post quadraginta dies, quis procurat abortum, dubitando an sit masculus vel fœmina, non datur casus reservatus, nam casus erit dubius, qui non est reservationi subiectus; & fortè si procurans, sciret probabiliter fœtum esse animatum, non tentaret abortum, & ideo ex intentione, non lædit fœtum, vt dicunt Bassæus, & Bordonus.

Sed an fœmina nobilis, vxorata, vel etiam Religiosa, quæ ex turpi concubitu concepit, possit ob vitandam infamiam, mortem aut grave scandalum, applicare remedia ad abortum, quin censuras & pœnas incurrat? Aliqui cum Lezana, & Torreblanca, id affirmarunt, præcipué cum fœtus animatus non est, quia tunc intentio non fertur directé, ad fœtum occidendum, sed ad famam aut vitam servandam. Sed oppositum est omnino tenendum, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona; quod præcipué verum est, post Decretum Innoc. XI. in quo, num. 34. damnatur hæc propositio: licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida, occidatur aut infametur; & ratio est: quia talem abortum procurare, est contra naturam generationis, & ita si fœminæ sequitur infamia, imputetur ipsi, quia ad hoc voluntarié causam dedit.

Quid autem, si effectus non sequatur? Aliqui tenent, quod etiam tunc reservatio incurritur, quod videtur colligi, ex praxi Episcoporum, dicentium in reservatione, etiam effectu non subsecuto, quod præcipué tenet respectu Regularium, vt patet ex Decreto Clem. VIII. Sed quicquid sit de hoc, certum est, censuras & pœnas non incurri, nisi effectus subsequatur, vt expressé dicitur in Decreto Sixti V. Similiter nec incurrit, qui post abortum executum, illum ratum habet, vt ait Portel, quia ille tunc, nec auxilium, nec consilium dedit; sicut nec incurrit, qui lædit fœtum inanimatum, putans animatum esse, quia debet esse læsio fœtus re ipsa animati, & non solum in apprehensione. Sic Ant. á Spir. S. & Bordonus.

Secundó est sciendum: quis á casu isto absolvere possit, & quidem ex privilegio Bullæ Cruciatæ, á quolibet confessario approbato ab ordinario potest absolvi. Deindé virtute Decreti Greg. XIV. potest absolvere Episcopus in foro conscientiæ. Tú n, quilibet confessarius regularis vel sæcularis, ab Episcopo designatus, licet pœnitens Bullam Cruciatæ non habeat, & aliqui dicunt, sufficere deputationem generalem ad absolvendum á reservatis; sed verius est, requiri deputation m specialem, iuxta Decretum Gregorij, in quo dicitur: ad hos casus, specialiter per loci ordinarium deputatus; & idem potest facere, quilibet confessor approbatus, tempore Iubilæi. An verò id possint absolvere regulares virtute suorum Privilegiorum? Aliqui olim senserunt quod sic, nunc vero sustineri non potest, quia Alex. VII. in Decreto suo, num. 12. hanc propositionem damnat: Mendicantes, possunt absolvere á casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id, Episcoporum facultate.

Casus quartus. Regularis quidam, in casum reservatum incidit, vel ex enumeratis á Clem. VIII. vel ex alijs quibuscumque, specialiter reservatis in sua Religione. Accessit ad confessarium alterius Religionis, vel etiam sæcularem, ipsique reservati absolutionē poposcit, quod cum ipse resisteret, quia de iurisdictione ad hoc requisita destitutus erat, institit pœnitens, se Bullā Cruciatā habere, & quod virtute illius, poterat á similibus absolvi. Quæritur: an hoc ita sit verum, quod Regularis, possit per virtutem Bullæ Cruciatæ, absolvi á casibus in sua Religione reservatis? Casus hic & sequens, maximé conducunt ad praxim, & inter Regulares, non modicam præbuerunt disputandi materiam. Sunt enim pené innumeri affirmantes, totidem negantes, non minoris ponderis & authoritatis omnes apud Prado videndi, quid autem sentiendum sit, ex sequenti resolutione constabit.

Resp. igitur: quód attento valore Bullæ & eius verbis, possunt Regulares, á quolibet confessario absolvi á reservatis, non vero attenti specialibus Summorum Pontificum Decretis. *Prima* pars manifestè patet, ex generalibus verbis Bullæ, in quibus dicitur: omnibus fidelibus vtriusque sexus, cuiuscumque conditionis & qualitatis, vbi etiam Regulares comprehenduntur, nam illa est concessio favorabilis & amplianda. Deindé constat, ex tenore Summarij Bullæ, vbi facta mentione Regularium & sæcularium, solum his concedit facultatem edendi ova & lacticinia pro diebus Quadragesimæ, á qua excipit regulares, & ideo hi censentur ab hoc privilegio excluſi; sed in facultate eligendi confessorem, generaliter comprehenduntur Regulares, & in hoc, nulla ponitur exceptio: ergo omnes fruuntur tali privilegio.

Nec talis concessio videtur incredibilis, sed rationalis, nam de facto concesit eam expressé Pius IV. vt dicunt Rodriguez, & Salas, & verba afferuntur á Palao; nec potest dici, Pontificem in tali concessione peccasse, cum sit conuenientia non parva, humanæ fragilitati accommodata, nam aliquibus facilitas veniæ, ansam peccandi præbet, alijs vero, erubescentia recurrendi ad superiorem, occasio est, ne statim á peccatis resurgant, sed in graviora labantur, & peiores fiant, & sic virtute Bullæ, hoc non repugnat, licet clausula illa Pij IU á Bullis modernis sit ablata. *Nec obstat*: quód in Bulla, suspenduntur omnes gratiæ, exceptis concessis Religionum Prælatis, quarum vna est, quod sine illorum licentia, subditi eorum, confessorem non eligant. Dicitur enim: quód reservatio non est in religio-

ligiosorum favorem, sed in gravamen, quia facultatem eligendi confessorem restringit, & ideo non intelligitur excepta, nomine gratiarum. Vel dicatur: quód in Bulla, revocantur indulta illi contraria, nempé impeditiva expeditionis & intentionis illius, quod autem religiosi, possint eligere confessorem, qui eos á reservatis absolvat, potius iuvat ad expeditionem Bullæ, vt motivo illius gratiæ, excitentur ad summendam Bullam.

Secunda pars, nempé quod attentis specialibus Summorum Pontificum Decretis, Regulares non possint vti Cruciata, quo ad hunc articulum eligendi confessorem, qui eos á reservatis absolvat, constat ex variis Constitutionibus Apostolicis, quæ hoc pro regularibus limitarunt, nempé pro Minoribus, Sixtus IV. & Innoc. VIII. Pro Cisterciensibus Alex. VI. pro Hyeronimis Sixtus IV. pro Prædicatoribus Iulius II. & Leo. X. & Pius V. pro Societate Iesu Greg. XIII. pro Carmelitis Discalceatis, & pro omnibus Mendicantibus, & non Mendicantibus Clemens VIII. sed quia in huius, & Vrbani VIII. Decretis, omnia præcedentia includuntur & confirmantur, illa specialiter hic apponimus.

In Capitulo ergo Generali nostri Ordinis Romæ celebrato, anno 1601. fuit acceptata Constit. Clementis VIII. & eius verba referuntur in glossa nostrarum Constit. dist. 1. cap. 14. §. 3. & sunt hæc: Concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absolvendi á casibus reservatis, cum fratribus & sororibus Monialibus Ordinis prædicti (scilicet Carmelitarum) ac aliorum quorumcumque Ordinum, & congregationum cuiusvis instituti, Mendicantium & non Mendicantium, tám Provinciæ Hispaniæ, quám extra eam vbiliber, locum minimé habere, neque censeri, sed nostræ intentionis existere, quod ijdem Fratres & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica authoritate, thenore præsentium perpetuo declaramus. Deindé Urban. VIII. in Decreto expedito, anno 1630. idem in substantia præcipit, & concludit quod fratres & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quo ad sibi reservata subiecti sint.

Ex his duobus Decretis, constat satis, revocatio singularis Cruciatæ pro Regularibus, quo ad punctum eligendi confessarium. *Nec obstat*: quód hæc Constitutiones, revocantur per sequentem Bullam. Non inquam obstat. Túm, quia solum revocantur gratiæ contrariæ, & confessorem eligere regulares, Bullæ non est contrarium, imó ad eius expeditionem iuvans vt vidimus. Túm, quia Pontifices sæpé declararunt, hunc animum non habuisse. Túm, quia ipsi dum has constitutiones fecerunt, iam sciebant Bullam quoranis publicandam, cum clausulis derogatorijs, & tamen declarant, hanc exceptionem non revocari, per clausulas futuras.

Si dicas: quód hæc rectè probant vivente Pontifice, qui restrictionem Cruciatæ fecit, non verò ipso mortuo, quia ille non potuit ligare manus successoris. Non obstat hoc 1. quia Greg. XIII. de omnibus successoribus loquitur dicens: non esse nec fore vnquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ; quæ autem conceduntur nomine Sedis Apostolicæ, non expirant per mortem Papæ, vt ait Sanchez. 2. nam Clemens VIII. & Paulus V. dicunt: prædictas litteras, Apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ & Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & Vrbanus VIII. ait: Quód sunt perpetua valitura constitutione. 3. nam Greg. XIII. hanc rationem assignat: cúm ratio doceat, & experimento compertum sit, Religionibus valdé pernicioſum existere, vt eorum Religiosis licitum sit, confessarium sibi eligere; quæ ratio æqué est efficax, pro omnium Pontificum successorum mente & intentione, quæ omnia maximé ponderantur a Mendo, & Cardinali de Lugo. Nec tandem obstat: quód illæ constitiones revocativæ, fuerunt pro parte Regis Hispaniæ supplicatæ. Hoc enim non constat, sicut constat de Constitutionum prædictarum publicatione & acceptatione.

Habetur ex his: quód propter dicta Pontificum Decreta, nulli regularium consuli potest, vt Bulla Cruciatæ vtatur, quo ad absolutionem á reservatis; si tamen forté illa vsus fuerit, cogi non poterit ad confessiones repetendas. Túm, ob authoritatem plurium Doctorum primæ classis, qui oppositum tenent. Túm, quia non constat, Constituriones illas esse in Hispania receptas, quod suadet ipsa iterata earum repetitio, & Prælatorum Regularium permissio, vt subditi vtantur Bulla quo ad hoc, quæ videtur tacita privilegij renuntiatio, vt ait Henriquez, Hurtado, Leander, Candidus, & Trullench; præcipué cum exceptio illa, in Summario Bullæ Hispanæ non exprimatur, quod erat necesse, ad tollendam probabilitatem sententiæ oppositæ, sicut ob similem exceptionem, auferetur potestas absolvendi ab hæresi, quod ante exceptionem erat probabile. Vndé ne dicatur, Regulares in hoc gravissimé decipi, tenendum est, oppositam sententiam, & ratione & authoritate probabilem esse.

Casus quintus. Vir quidam doctus & Religiosus, pergit ad Conventum Religiosi alterius Ordinis, & petijt ab eo, vt illum pro confessione audiat; confessor dubitat, an ad hoc iurisdictionem habeat; instat pœnitens, quod pro reservatis non habet, benè verò pro ordinarijs peccatis mortalibus, eo quod ipse Bullam habet Cruciatæ, cuius

privi-

privilegio vti potest ad confessorem eligendum, qui eum á mortalibus non reservatis absolvat; his dictis confessor acquiescit, confessionem audit, & absolutionem confert. Quæritur: quid sentiendum de hoc? Casus hic, non parvum præstitit regularibus, inquietudinum fomentum, ex varietate sententiarum. Affirmativam tenent, Rodriguez, Leander, Trullench, Ludovicus á Cruce, quibus assentitur Garcia & Quintanadueñas.

Sed tamen Prado, cum alijs pluribus quos citat, sententiam oppositam, vocat verisimam, suppositis Pontificum Decretis, in casu præcedenti relatis, quæ comprobantur ex iure communi, nam Benedic. 11. cap. inter cunctas de Privileg. ait: Religiosi secundũ statuta suorũ Ordinum, proprijs Prælatis confiteri debent, & huic iuri communi sunt innixæ Constit. Ordinis nostri, dist. 1. cap. 14. §. 3. vbi dicitur: quód Prior fratri suo subdito concedere non potest, quod confiteatur Sacerdoti alterius Religionis, quando copiam confessoris in Ordine nostro potest habere, cuius rationem assignat Iulius II. vt ipsi Ordinis Præsidentes, vultum pecoris sui, cognoscere queant, & sic per Bullam, eligi non potest confessor extra Ordinem, nec quo ad reservata, nec quo ad alia peccata non reservata.

Hoc ipsum constat, ex declarat. Sac. Congreg. tempore Greg. XIII. quæ sic habet: Congregatio Concilij censuit, quatenús gratia ex Bulla Cruciatæ, pertinet ad Moniales, non posse vigore facultatis, in eadem Bulla concessæ alios confessarios præter eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium confessionem, ab Ordinario approbati fuerint eligere. Nec hoc est conscientias nimis adstringere; nam Trident. de hoc rectè consulens, Sess. 25. cap. 10. concedit Monialibus, quod præter Ordinarium confessorẽ, alius extraordinarius ab Episcopo & alijs superioribus, bis aut ter in anno eis conferatur, & si hunc, singularem favorem iudicat Concilium, quomodo potest concedi, quod virtute Bullæ, toties quoties, & á quocumque voluerint, á mortalibus absolvantur?

Deindé prob. nam Clemens X. cuius Decretum innovat Vrban. VIII. loquitur vniversaliter de omnibus peccatis, tám reservatis, quám non reservatis, & quo ad vtrumque, remmittit regulares dispositioni ordinariæ suorum Prælatorum; sed quando loquitur de absolutione á reservatis, non loquitur copulativé, sed divisivé, nam pro ratione assignat, quia ratio docet & experientia compertum est, Religionibus valdé pernitiosum existere, vt earum Religiosis, licitum sit confessarium sibi eligere: ergo hanc facultatem, vt pernicioſam voluit auferre, quæ ratio, laté & erudité, prosequitur á Cardinali de Lugo. Undé autem, hæc pernicies disciplinæ regularis oriatur? Resp. quód oritur 1. ex eo quod facilitas veniæ, præbet incentivum delinquendi, qua propter Ecclesia peccata reservare consuevit. 2. quia iurisdictiones confunderentur, & monasteria perturbarentur, non confessis mortalibus proprio Sacerdoti.

Respondendo etiam argumentis oppositis, hoc roborabitur amplius. Primúm est: quód Decretum Vrbani VIII. solum prohibet regularibus, vt possint virtute Bullæ confessarium eligere, qui eos possit absolvere, quo ad sibi reservata, & consequenter poterunt quo ad non reservata, nam exceptio, firmat regulam in contrarium. Resp. quód illa verba: quo ad sibi reservata, non referuntur ad Prælatos, sed ad Sedem Apostolicam, cui apponuntur immediatè, dicitur enim: & Sedi Apostolicæ, quo ad sibi reservata subiecti sint; vndé sensus est, quod Religiosi debent subijci dispositioni Prælatorum, & etiam Sedi Apostolicæ, quo ad reservata eidem Apostolicæ Sedi; nam in Decreto Vrbani, addunturea verba: & Sedi Apostolicæ, quæ non erant in Decreto Clementis; & hoc fortasse positum fuit, ne quis erraret cogitando, quod sicut sine licentia Prælatorum, regulares á nullo mortali possunt absolvi, de eorum licentia possent absoluti ab omnibus, quod falsum est, quia plura peccata sunt Pontifici reservata, & nequeunt absolvi sine illius licentia, & ideo additur: & Sedi Apostolicæ, quo ad sibi reservata; & hunc esse germanum verborum sensum, ait Cardinalis de Lugo, qui id consultus fuit cum D. Maraldo, qui ex Pontificis mandato Bullam conscripsit, & hanc esse mentem illius, testatus est.

Secundó opponunt: quód licet huiusmodi confessoris electio virtute Bullæ, aliquomodo deroget regulari disciplinæ, sed ponderare plus debet commune bonum, ad quod pertinet conscientias subditorum, non sic ad angustias redigere, vt nullus pateat eis respirationis aditus. Sed hoc non habet robur, quia si aliquid probaret, etiam convinceret, quod esset magis expediens, vt omnes confiterentur cuilibet, & etiam quod Ecclesia peccata non reservaret, vt ita libertati conscientiæ subditorum consuleret, nec eos nimis præmeret & angustiaret, quod tamen absurdum est. Hæc sunt probationes pro vtraque parte; & quidem, si stemus huic resolutioni, non sine scrupulo possunt regulares virtute Bullæ confessarium eligere, qui eos á non reservatis absolvat. Sed re vera, ego non damnarem, hoc exequentem. Túm propter authoritatem tot Doctorum primæ notæ, oppositum affirmantium. Túm, quia Prælati Regulares, facultatem subditis præbent ad summendam Bullam, absque limitatione vlla, nec punirent eos, licet exterum confessorem eligerent, quod vt diximus cum Henriquez, videtur tacita privilegij renuntiatio.

Quód si resolutioni nostræ, strictius standum est, debet esse respectu Monialium. Túm, quia illas excipit expresé Congregatio Regularium in verbis proximé adductis. Túm, quia in illis, superiores

frequenter non dissimulant, sed ægre ferunt, vt exteros confessarios quærant. Tùm, quia pernicies hinc orta, de qua loquuntur Pontificum Decreta, præcipuè de Monialibus vera esset, quæ maximè inquietarentur prætextu confessionum, si confessores sæculares, & regulares extranei, passim ad eas accederent, nec Prælati immediati, hoc possent impedire, nam quod Papa qui omnium superior est concedit, inferiores impedire non possunt, quod inconveniens est magni ponderis, vt omnes viri cordati testantur; & certè non video, quare Moniales, pro habendo extero confessore sint solicitæ, cum in Ordinibus suis magna sit confessorum copia, & plures nec eas cognoscant, nec cognoscantur ab eis, & ideo libere & expedite, possunt apud eos conscientiam deponere.

Casus sextus. Quidam Religiosus, in casum reservatum in sua Religione incurrit, cumque potestas Prælati necessaria esset ad absolutionem illius; eam confessarius sui Monasterij petiuit, quam tamen superior denegavit, cum autem iurisdictionem non haberet & vrgeret pœnitentis necessitas, hæsit anceps confessor, & quæsivit, quomodo pœnitenti suo poterat de remedio providere, sic á Prælato negata ad absolvendum facultate? Notandum: quòd cum confessarius tacito pœnitentis nomine, ab eius Prælato facultatem petit absolvendi, ab aliquo casu reservato, Superior non debet esse difficilis, sed facilis potius, ad eam concedendam; imò sibi persuadere debet, posse in hac re, graviter deficere, si imprudenter & sine causa gravi & iusta, eam deneget; sic tenent Coninch, Fagundez, Henriquez, & Tamburinus; excipe quando ex facultatis concessione, timetur damnum pœnitentis, nempè quod ex facilitate absolutionis, non emmendetur, vel damnum boni publici, vel tertiæ personæ, vt infamia gravis communitatis, vel facilitas peccandi in alijs, qui non curarent de reservationis lege; nam si hæc occurrant, Prælatus non solum potest, sed debet facultatem denegare, vt dicunt Laymann, & Mendo.

Respondetur ergo: quòd est omnino certum, quod saltim pro prima vice, talis pœnitens absolvi potest, etiam denegata á superiori facultate. Ratio est: quia sic declaratum fuit á Sac. Congreg. iussu Vrbani VIII. per hæc verba: Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, vt si huiusmodi Regularium confessarijs, casus alicuius reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarij illa vice, pœnitentes regulares, etiam non obtenta á Superiori facultate absolvere, vbi expressè habetur resolutio nostra; & insuper Coriolanus, & Leander, referunt aliam declarationem Pauli V. eiusdem tenoris.

Sed dices: Quòd si hoc est verum, nihil operabitur reservatio, quia si subditus, in casum reservatum incidens, medio confessario facultatem petit vt absolvatur, & illa denegata, potest absolvi, & alias Clemens VIII. & Vrbanus VIII. præcipiunt, duos vel tres confessores in quolibet Conventu, ad absolutionem reservatorum deputari, nec Decretum nec reservatio, aliquam habent vim. Resp. quòd licet Decretum eos confessarios assignet, hoc tamen non est, vt libere pro suo nutu, sine Prælati facultate absolvant, & ideo hoc speciale præscribitur. Deindè, etiam reservatio vim habet. Tùm, quia facultas absolvendi, petenda est etiam pro prima vice. Tùm, quia si Superiori videbitur, in casibus suprá positis, potest facultatem denegare. Tùm, quia si ei videtur conveniens, poterit pœnitentiam imponendam taxare confessario, quæ omnia vigorem reservationis ostendunt.

Maius dubium est: An negata facultate á Prælato, possit confessarius absolvere pœnitentem, non solum pro prima vice, sed toties quoties, inciderit in reservationem? Affirmant Ant. á Spir. S. Pellizarius, Bordonus, Aversa, & idem videtur sentire Mendo, præcipuè cum confessor, prudenter & absque passione iudicat, ex denegatione, iniuriam fieri pœnitenti, quod suadent. Tùm, quia id videtur fieri, ex tacita Supremi Prælati facultate. Tùm, quia licet in Iubilæis, ponatur dictio taxativa, pro hac vice, probabile est, quod licet hebdomada prima Iubilæi, quis fuerit á reservatis absolutus, si iterum cadit, potest etiam iterum absolvi, & sic idem dicendum in casu præsenti, si Superior iniuste facultatem deneget.

Sed tamen, licet opinio hæc probabilis sit, ex auctoritate Doctorum, eam defendentium, sed tamen contraria sententia, est communior & probabilior, nempè quod negata facultate, nequit pœnitens toties quoties, absolvi á reservatis á confessore inferiori; sic tenent Alphonsus de Leone, Tamburinus, Bassæus, & Lezana. Ratio est: quia contraria opinio, destruit de medio Prælatorum potestatem, circa reservationem casuum, & conscientias pœnitentium, pluribus inconvenientibus & scrupulis exponit; quia multum est difficile iudicare, quando Superior facultatem deneget iuste vel iniuste. *Nec obstat*, quod hoc ipsum posset dici de prima vice; nam pro vna vice tantum, facilius est discernere circumstantias occurrentes, quod tamen non ita facile potest iudicari, toties quoties casus evenerint, vt ex se patet.

Adhuc autem interrogabis, circa negationem facultatis á Superiori: Si forte aliquis in crimen hæresis externæ inciderit, & petita facultate á Dominis Inquisitoribus per confessarium, eam denegent, & postea Romam, pro eadem facultate consequenda mittat, & etiam denegetur ibi, quid tunc erit faciendum, vt pœnitens sine remedio non relinquatur? Respondet Hyer. Garcia, Tom. 2. Tract. 10. diffic. 6. punct. 4. num. 25. citans pro se Mag. Philippum Hernandez: quòd in tali casu, potest pœni-

nitens absolvi á crimine & excomunicatione, quia jam censetur Hæreticus, tunc constitutus, in articulo extremæ necessitatis, & iugum Domini suave est, & onus leve; sed hoc cum grano salis faciendum est, neque publicé prædicandum; & iuxta hoc sentit Castro, & Leander, quod cum datur impedimentum perpetuum accedendi ad Superiorem, potest pœnitens á confessario inferiori gradatim absolvi, dum tamen debitas deligentias prius fecerit, vt in casu præsenti contingit.

Casus septimus. Homo quidam, fuit in hæresim lapsus, & ad confessionem accurrens pro conscientia exoneranda, confessor non satis qualitates criminis illius cognovit, vt discernere posset, an reservatum esset, an non; quæritur: quænam circumstantiæ, debeant in peccato hæresis reperiri, vt illud sit reservatum? Notandum, cum sensu communi Doctorum, quod hæresis puré mentalis & interna, nec excommunicationem habet annexam, nec reservationi subest; Ecclesia enim, suprá actus puré internos, & modo humano incognoscibiles, iurisdictionem non habet, nec de illis iudicare potest; vndé ad incurrendam excomunicationem reservatam, per crimen hæresis, debet esse veré hæresis, & aliquomodo externa, per actiones, verba vel signa, eam demonstrantia.

Circa primum requisitum, dicendum est: quód vt veré detur hæresis crimen, duo concurrere debent, nempé quod error in intellectu præcedat, & quod sit cum pertinacia. De errore constat: quia sicut fidei assensus, est actus intellectus, etiam hæresis quæ fidei opponitur, actus intellectus est; vndé si quis absque interno errore intellectus, aliquam hæresim proferret, vel actionem hæreticam faceret, veré & formaliter hæreticus non esset, sed solum materialiter; sed tamen sufficeret hoc, vt hinc oriretur obligatio illum denunciandi, & vt á Sacro Fidei Tribunali posset puniri, quia in illo non curatur primo & per se de animo, sed de externo foro, licet forté ad puniendum, illud attendat.

Præterquam, quod si hæreticus modo dicto, inter catholicos viveret, ipsi non est fides danda, nec absolutio concedenda in foro interiori, quamvis asserat, ei intentionem defecisse. Túm, quia ibi non datur occasio nec causa, illa verba vel actiones honestans. Túm, quia contra sic delinquentem, stat præsumptio, quia de nemine iudicandum est, id dicere quod non sentit; ideoque advertit Lugo, quod tale dictum, vel factum hæreticum, aliqualem excusationem habet, cum quis inter infideles vivens, id fecit ex metu, deceptione vel vi, tunc enim licet gravissimé peccaverit, sed in pœnas á iure contra hæreticos statutas non incurrit, & consequenter, á quolibet confessario poterit absolvi, nam vt ait Mendo, Decreta & iura, solum de hæresi formali loquuntur, & idem sentiunt Castro, Hurtado, Delbene, Arauxo, & Candidus.

De pertinacia, etiam est certum, ad hæresim formalem requiri, quia si aliquis legem ignorat, & nescit an præcepto Ecclesiæ contrarietur, nequit proprié dici, quod illud frangit, quia voluntarium, absque cognitione non subsistit. Vndé ait Fragosso, quod rustici, & illi qui parati sunt Ecclesiæ obedire, non sunt pro hæreticis reputandi, quod specialiter notari debet, quia regulariter contingit, pueros multos ad nos accedere, ex Provincijs hæresi infectis, qui ex perversa instructione parentum, eorum sectati sunt errores, & apud nos aliam legem aspiciunt; & sic ait Bordonus, quod si illi modo, præteritos errores non ratificant, poterunt absolvi.

Sed notandum cum Vazquez, Bonacina, & Toledo, quod pertinacia ad hæresim requisita, non metitur ex temporis duratione, sed ex cognitione quam habet quis, de diffinitione Ecclesiæ in contrarium; & ita in eodem instanti, in quo aliquid mẽti contra fidẽ occurrit, & sensus pravus non repellitur, vel etiam suspenditur assensus veritatis etiam cum expositione, & animo contendẽdi supra illum, manet quis formaliter hæreticus, vt dicunt Suarez, Aragon, Bañes, Azor, Farinacius, & Coninch. Undé cathecumenus, aliquem articulum fidei negans, non est hæreticus, iuxta opinionem probabilem, vt probat Arauxo, 2. 2. q. 12. art. 2. dub. 2. quia non dum est baptizatus, nec legibus Ecclesiæ subiectus, & idem dicendum de illo, qui peccat cum ignorantia antecedenti, si est ad obediendum paratus, vt ait Arauxo citatus; nec etiam hæreticus erit, qui ex inadvertentia naturali, aliquid facit vel dicit contra fidem; bené veró si positivé dubitet, quia tunc reputat incertum & dubium, quod est certum & infalibile; sic Valencia, Filliucius, Lugo, & Palaus.

Sed dubium est, quando hæresis dicitur sufficienter externa, ad incurrendam censuram & reservationem? Notandum, quod hæresis, alia est occulta per se, quæ verius dicitur puré mentalis & interna, & hæc vt vidimus, non est reservata, alia manifesta, quando tres vel quatuor, hoc sciunt, alia publica, cum plures publicé sciunt, & hæc vtraque reservata est, alia occulta per accidens, cum quis, dictum vel actionem hæreticam exterius profert, nemine audiente vel vidente, quod per accidens est; de hac ergo est dubitatio, quam exterioritatem requirat, vt subsit reservationi? Resp. quód requiritur ad hoc, factum vel dictum peccaminosum, circa materiam hæresis, vndé facta vel dicta indifferentia, hæresim non constituunt.

Exemplum est: si quis palma frontem percuteret dicendo: ita est, per eam actionem confirmando hæreticum dictum mente conceptum, hæreticus non esset, nec reservationem incurreret, quia non complete significat hæresim internam, vt ait

Lu-

Lugo; & idem est de luxuriante, si crederet quod fornicatio licita est, nulla explicatione posita, nisi turpe factum; & similiter, qui ruminando contra fidem loqueretur, verbis non perceptibilibus; & etiam qui imperfectè loquitur, vt si mente retineat hoc verbum Christus,& exterius proferat:non est homo; idemque dicendum de signis, nam si solum faciunt leviter de hæresi suspectum,non sufficiunt, vt ait Fragosso nec si aliquid dicitur per iocum, vel in ebrietate, vel etiam somniando, vt ait Lugo.

Ex his habetur pro responsione propositi casus, quod si confessor ille, non satis perciperet, an dictum vel factum pœnitentis, sufficienter fuerit exterius, sed maneret anceps & dubius, posset eum absolvere, nam in casu dubij,præsumendum est reservatum non esse, vt dicunt Suarez, Filliucius, Ochagavia, Diana,& alij. Ratio est: quia cum reservatio sit odiosa, est strictè interpretanda; & licet aliqui cum Alphonso de Leone,hoc limitent quando præsumptio fori externi, stat pro veritate delicti; sed alij cum Merola, apud Diana, oppositum sentiunt; ex quibus infertur, quasnam qualitates debeat habere crimen hæresis, vt confessor ordinarius, possit vel non possit absolvere ab illo.

Casus octavus, circa idem. Homo ille præteriti casus, dum crimen hæresis externæ comisisset, cum omnibus circumstantijs relatis, ad reservationem eius requisitis, venit ad confessarium,& apud illum tale peccatum deponit. Quæritur: quid tunc esset faciendum? Resp.quód ille qui fuerit in hæresim externam lapsus, potest medio confessario, ab aliquo Inquisitore absolutionem petere, qui iuxta sententiam probabilem, potest ad hoc facultatem delegare, vt ait Bañez, Gutierrez, Bonacina, Diana,Henriquez,& Hurtado de Mendoza,qui ait, sic aliquando á Domino Inquisitore Generali fuisse executum, & tunc Superior ille, pœnitentiam potest taxare, vt ait Ludov.á Cruce, & Sanchez, cum alijs pluribus.

Quid autem faciendum, casu quo hæc facultas confessario denegetur? Attactum manet,cas.6.præcedenti in fine, & ibi dictis addimus modo, quod dum illa facultas á Summo Pœnitentiario imploratur,cum reo ita se gerat cõfessor,ac si esset excomunicatus occultus,copiam confessoris non habens,vt dicunt Bassæus,Navarrus, & Layman. Vndé si talis reus est Sacerdos, & timet infamiam vel scandalum, si celebrationem ommittit, tunc eliciat actum contritionis & celebret; & si de elicentia actus contritionis dubitat, confiteatur omnia peccata, & tunc confessor, absolvet directé non reservata, & indirectè reservata. Tùm, quia necessitas licitum facit, quod alias non erat licitum. Tùm, quia conferre absolutionem excomunicato, non est ita malum intrinsecé, vt in aliquo casu non possit honestari; non est enim præsumendum de Ecclesiæ pietate, quod filijs suis, in casu necessitatis, velit denegare beneficium absolutionis.

Deindé ait Navarro, quem Fagundez sequitur, quod in prædicto casu,licet non intercedat scandalum nec infamia,dum tamen pœnitens fecerit quic quid potest, ad absolutionem obtinendam, potest si Sacerdos est celebrare; sed eorum rationes,Dianæ non placent; & ideo saltim imminente scandalo vel infamia,allata doctrina,est communis & certa, si tamen pœnitens negligens non fuerit, ad solicitandam directam absolutionem.Aliqui volunt, quod hæreticus occultus, nequit directé absolvi, si habuerit impedimentum, ad diligentias faciendas; sic sentit Granados, Sanchez, & alij; sed oppositum etiam est probabile, præcipué si tale impedimentum,perpetuum foret, & sic tenent Vgolinus, Duardus, Coriolanus, Bonacina, Castro, Bosius, & Diana; & hoc fundant in iure, cap. nosciturde sent. excom. in 6. vbi Pontifex ait, expressis verbis, quod impeditus ad pergendum in Romam, potest ab Episcopo absolvi, & licet ibi solum fiat mentio de percussore clerici, sed probabiliter potest extendi ad hæresim in casu prædicto; & licet hoc á maiori Theologorum parte negetur;si autem pœnitens,nequit Romam pergere,nec vult Inquisitoribus negantibus facultatem præsentari, potest ab Episcopo absolvi modo dicto.

Sed quid dicendum, de hæretico in articulo mortis? Resp. quód est principium certum, in eo casu á quolibet confessario, imó á Sacerdote simplici absolvi posse in foro interiori, vt constat ex Trident. Sess.14. cap.15. An autem, id possit simplex Sacerdos, in præsentia Parrochi Episcopi vel Inquisitoribus? Aliqui affirmant, quia in eo casu, omnes Sacerdotes,æqualem potestatem habent,nec Trident. inter approbatos, vel non approbatos distinguit. Alij negant, & hi verius discurrunt, nisi forté evenerint casus, quos referunt Sanchez, & Castro. Primús est, si Parrochus vel approbatus, noluerit confessionem audire; secundús, si ex quolibet impedimento non posset; tertiús, si confessio erat incepta, quando alij confessores accedunt; quartús, si pœnitens, adhoc privilegium habet,vt explicat Suarez, Tom.4, de Relig. Tract.8. lib.2. cap.19. num.14.

Quid autem faciendum, si absolutus in articulo mortis, postea salutem recuperet? Dicatur:quód pro reservatis non habentibus censuram annexam, non tenetur præsentari superiori, habenti facultatem ex iure ad absolvendum; nam Sacerdos simplex in eo casu, est legitimus iudex, & vt talis profert sententiam absolutè, & culpa non debet bis ad iudicium deferri. Sed tamen pro peccatis, quæ censuram habent annexam, pœnitens de infirmitate convalescens, tenetur superiori præsentari, non vt absolvatur, sed vt eius correctioni subiectetur. Iuxta hoc ergo, hæreticus in articulo mortis absolutus,

lutus, & ab infirmitate postea liberatus, debet superiori legitimo præsentari, vt ab eo pœnitentiam salutarem, & correctionem accipiat.

Hæc autem præsentatio, non debet á pœnitente, per se ipsum fieri, sed sufficit quod fiat per confessarium, tanquam per animæ suæ procuratorem, nam huius actio, censetur moraliter á suo principali fieri, & in casu concreto hæresis, tenent id Candidus, Sanchez, Bossius, & Hurtado, qui praxim adducit ad hoc faciendum, nempé per litteras supresso nomine pœnitentis, vel per ipsum confessarium, si in loco illo sit Tribunal Inquisitionis, semper nomen pœnitentis tacendo. Aliqui cum Pellizario volunt, quod in omnibus casibus reservatis, excepta percussione clerici, qui impotens est per se ipsum superiori præsentari, nec tenetur ad id faciendum per Procuratorem; sed crimen hæresis, ab hoc semper excipiendum est, ob eius specialem malitiam & inobedientiam, & sic qui nequit comparere per se ipsum, per confessarium hoc facere tenetur.

Reflexio. Doctrina totius huius Tractatus de Pœnitentia, robur accipit ex novissimis Summorum Pontificum Decretis, in quibus plures reprobantur, & damnantur propositiones, quas vitare debemus, & licet omnes damnatæ ab Alex. VII. & VIII. & ab Innoc.XI. generaliter materiam de Pœnitentia concernant, sed specialores sunt sequentes. Prima est Alex. UII. & in ordine 3. per Bullam Cœnæ, solum prohibetur absolutio hæresis publicæ, non tamen occultæ, & in 4. dicebatur: quód Prælati regulares, possunt in foro conscientiæ illam absolvere. Secunda, num. 6. confessor tradens cartham pœnitenti postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitans, & num.7. obligatio denuntiandæ solicitationis cessat, si solicitatus confitetur cum solicitante. Tertia ibi, num.11. peccata omissa vel oblita in confessione ex causa iusta, non debent in confessione sequenti aperiri. Quarta ibi, num.12. mendicantes, possunt absolvere á casibus reservatis Episcopo, non obtenta eius facultate. Quinta ibi, num. 13. satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, & ab eo iniustè reprobato. Sexta ibi, num.14. satisfit Præcepto Ecclesiæ, per confessionem voluntarié nullam. Septima ibi, num.15. pœnitens propria authoritate, potest substituere alium, qui pœnitentiam adimpleat pro eo. Octava ibi, num. 16. habens Beneficium curatum, potest sibi eligere in confessorem simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. Nona ibi, num.24. mollities sodomia, & bestialitas, sunt peccata eiusdem speciei infimæ, & sic sufficit dicere in confessione, pollutionem procurasse. Decima ibi, num.25. qui habuit copulam cum soluta, satisfacit præcepto confessionis dicendo, quod commisit grave peccatum contra castitatem, non explicata copula. Undecima ibi, num.36. regulares possunt in foro conscientiæ, vti privilegijs, quæ sunt revocata per Tridentinum. Duodecima ibi, num. 37. indulgentiæ regularibus concessæ, & á Paulo V. revocatæ, hodie sunt revalidatæ. Tertiadecima ibi, num.41. non est obligandus concubinarius, ad eijciendam concubinam, si hæc sit valdé vtilis ad eius oblectamentum, vulgo *regalo*. Has omnes propositiones damnat, & reprobat circa Pœnitentiæ Tractatum Alex. VII. & nos pariter, reijcimus & damnamus.

Deindé Innoc.XI. alias circa hoc propositiones damnat. Prima est in eius Decret. num.1. non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori. Secunda ibi, num.56. frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. Tertia ibi, num.57. probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam. Quarta ibi, num.58. non tenemur confessario interroganti, fateri alicuius peccati cōsuetudinem. Quinta ibi, num.59. licet absolvere Sacramentaliter dimidiaté confessos, ratione magni concursus. Sexta ibi, num.60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccādi, etsi non appareat spes emmendæ, non est neganda, nec differenda absolutio, si ore proferat se doleri, & proponit emmendationem. Septima, num. 61. Potest aliquando absolvi, qui est in occasione proxima peccandi, quam potest ommitere & nō vult, imó illi directé ingeritur. Octava, num.61. proxima occasio peccandi non est fugienda, quando datur causa vtilis aut honesta. Nona, num.63. licitum est quærere directé occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut tēporali nostro vel proximi. Decima, n.64. absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, ex negligentia culpabili. Vndecima, num.65. sufficit illa mysteria semel credidisse; has propositiones Innocent.XI. damnat & nos cum illo.

Tandem Alex. VIII. aliquas etiam circa Pœnitentiæ Sacramentum, damnavit propositiones. Prima est, num.14. Timor gehenæ, non est supernaturalis. Secunda, num.15. attritio ex metu pœnarum, sine dilectione Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis. Tertia, num. 16. ordinem præmitendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed Christi lex, & præscriptio naturæ rei, idipsum dictantis. Quarta, num. 17. per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus. Quinta, num.18. consuetudo moderna, quo ad administrationem pœnitentiæ, ab Ecclesia non habetur pro vsu, sed abusu. Sexta, num. 19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam, pro peccato originali. Septima, num.20. confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacriligæ sunt vel invalidæ. Octava, num. 21. Parrochianus potest sus-

picare de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, quod ob lucrum vel quæstum, levem & incongruam pœnitentiam imponunt. Nona, num. 22. sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem prætendunt, antequam condignam pœnitentiam egerint de delictis suis, has propositiones Alexand. VIII. damnavit, & nos cum illo, easdem reprobamus & reijcimus, & his, Tractatur de Pœnitentia, finem imponimus.

QVÆSTIO SEXTA,

DE EXTREMA-VNCTIONE, ET ORDINE.

Doctrina Summa.

SACRAMENTVM Extremæ-Vnctionis, non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consumativum existimatum est á Patribus, vt aic Trident. Sess. 14. & non incongruè figuratum est, in oleo quo vncta sunt vulnera hominis illius descendentis ab Ierusalem in Iericho, dum erat semivivus, vt ait Chrysost. in Cat. D. T. animam enim munit in extremo agone, vt ad celestem patriam possit accedere, ideoque sicut Baptismus dicitur, Sacramentum fidei, & Eucharistia, Sacramentum amoris, etiam Extrema-Unctio, Sacramentum spei potest appellari.

Diffinitur autem physicé sic: Vnctio exterior corporis infirmi, sub præscripta verborum forma; metaphysicé veró sic: Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ, remissivæ reliquiarum peccatorum, post Baptismum commissorum; eius forma, sunt verba á Sacerdote prolata, materia proxima vnctio, remota, oleum olivarum, ab Episcopo consecratum; si autem ei miscetur non consecratum, infundatur guratim, in minori quantitate ac consecratum, vt hoc, illud convertat in se, quod Parrochi observare debent. Sacramentum hoc vnum est, licet pluribus vnctionibus constet, quia omnes respiciunt eundem finem, nempé expulsionem debilitatis, qui solum causatur, in instanti vltimæ vnctionis. In hoc Sacramento, res tantum, est gratia, Sacramentum tantum, externa vnctio, & res & Sacramentum simul, spiritualis animæ hilaritas, seu quedam devotio interior, vt ait D.T. in addit. q. 30. art. 3. ad 3.

Minister huius Sacramenti, est solus Sacerdos, & ordinarius Minister, solus Parrochus, nec potest quis sine ratihabitione, vel facultate interpretativa, illud conferre; & potest vnctio fieri oleo anni præcedecris. Si Sacerdos incipiat ægrotum vngere, & ex accidenti nequeat vnctiones consummare, ab alio consumentur, prosequendo vndé alius finivit, nec vnctionem eiusdem partis repetat, hoc enim esset, ac si quis bis consecraret eándem hostiam, vt ait D.T. q. 29. art. 2. ad 3. In casu autem infirmitatis vrgentis, vngantur omnes sensus, sub eadem forma sic: per istam Sanctam Vnctionem, &c. indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per vissum, auditum, &c.

Quando dubitatur, an infirmus mortuus sit, vngatur sub conditione mentali, si adhuc vivit; si vero in medio vnctionum moritur, statim cesset vnctio. Illis autem, qui perpetuo fuerunt amentes, vnctio non conferatur, quia non possunt verificari verba: quicquid deliquisti, &c. si quis vero fuerit mente captus & antea habuit desiderium vel propositum, potest hoc Sacramentum recipere. Partes vngendæ, sunt quinque sensus, nec vnctio pedum & renum necessaria est, præcipué in mulieribus propter honestatem, sed tamen in pedibus omnibus confertur. Cœcus á nativitate, potest in oculis vngi, quia potuit peccare per desiderium videndi, & idem dicendum de alijs sensibus; quod si quis careat aliquo mẽbro, vngatur in parte proximiori.

Pro huius Sacramenti recta administratione, notandum est: quód Minister, non debet illud differre, vsque ad extremum agonem, sed eo tempore quo proficere potest ad salutem animæ, ad quam ordinatur primario, & etiam ad salutem corporis, ad quam secundario ordinatur; sed tamen, non ideo debet nimis anticipate conferri, ante mortis periculum, sed hoc exequatur prudenter, ad arbitrium boni viri. Dispositio autem requisita, ad recipiendum Sacramentum Extremæ-Vnctionis, est attritio existimata contritio, quia hoc est Sacramentum vivorum; effectus autem eius est, remmittere peccatorum reliquias, & præbere fortitudinem viribus animæ, ad resistendum tentationibus, in vltimo agone occurrentibus.

Sequi-

Sequitur Sacramentum Ordinis, quod sic diffinitur: signaculum quodam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato; quod verum Sacramentum est, nam per illud sanctificatur homo, per signum sensibile, estque Sacramentum vivorum, quia supponit gratiam in anima. Et si dicas: quód hoc modo qui ordinem suscipit in peccato mortali, non manebit ordinatus, quia in gratia non existit. Resp. quód licet non recipiat gratiam sanctificantem, recipit tamen gratiam potestativam, & sic ordinatus manet, licet mortaliter peccet. Nec obstat: quód gratia potestativa, seu character, sequitur ad gratiã sanctificantem; nam non sequitur ad illam essentialiter, sed solum connaturaliter, & ideo character potest esse, vbi gratia sanctificans non est.

Character autem, diffinitur sic: signum indelebile, quod imprimitur in anima, quia per illud signum, distinguuntur Ecclesiæ ministri, sicut etiam milites, suis insignijs differunt. *Si dicas*: quód gratia quæ est perfectior charactere, deletur & amittitur. Resp. hoc esse, quia ista datur per modum habitus, & accomodatur subiecto, quod est mutabile; character verò, est participatio Sacerdotij Christi, qui est Sacerdos in æternum, & ideo deleri non potest; subiectum autem characteris, est intellectus, nã ille datur ad protestandã fidem, quæ in intellectu residet. Character ordinis, necessario supponit characterem Baptismi, & sic non baptizatus, ordinari nequit, nam per Baptismum, confertur potentia receptiva Sacramentorum; character verò confirmationis, non supponitur necessario, licet conveniens sit, vt ita homo habeat perfectionem, quam alijs communicare debet, ratione autem characteris, nequit semel ordinatus alicuius Ordinis, iterum ordinari, quod commune est Sacramentis characterem imprimentibus.

Circa subiectum Ordinis susceptivum, hoc non est mulier, nam eius sexus, non est accommodatus, ad eminentiam graduum, nec ad doctrinam; & licet aliquæ fœminæ habuerint Prophetiam, hæc gradus non est, sed donum Dei cuilibet animæ rationali conferibile. Puer autem ante vsum rationis, potest ordinari, quia ætas illa, impedit exercitium Ordinis, non verò receptionem potestatis; licet Ordines conferri non debeant ante vsum rationis, præcipuè maiores Ordines, qui maturam ætatem, & deliberationem requirunt. Servi autem ordinari non possunt, quia libertatem non habent, quam Deo possint offerre; nec ordinari potest homicida, quia Sacramentum hoc, est Sacramentum pacis, & homicida, magis conformatur cum aggressoribus Christi, quam cum Christo mortuo, nec etiam potest ordinari illegitimus, quia bona fama caret, quam Sacramentum requirit; sicut nec potest ordinari impeditus, & deformatus in membris specialiter, nam hoc opponitur claritati & perfectioni personæ; de quorum impedimentorum dispensatione, non est præsentis instituti pertractare.

Ordines in particulari, septem sunt, nempé Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acholitatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus. Corona verò non est Ordo, sed ad Ordines dispositio, sicut nec Episcopatus est Ordo, sed Sacerdotij extensio. Quilibet Ordo ex assignatis, est verum Sacramentum, quia diversam potestatem confert. Nec ideo Sacramenta, numerum septenarium excedunt, nam omnes dicti Ordines, vnum Sacramentum constituunt, quatenús ad Eucharistiam ordinantur, sicut plures milites, ad vnum exercitum. Ex Ordinibus, alij dicuntur maiores & sacri, nempé Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus; & alij quatuor, vocantur minores & non sacri, licet enim omnes sacri sint, quatenús Sacramentum constituunt, non tamen omnes versantur circa materiam sacram, sed solum illi tres, & hoc modo sumitur sacrum in præsenti.

Tria dantur in quolibet Ordine, nempé materia, forma, & institutio, materia est, quæ traditur ordinando, vt detur correlatio, inter dantem & accipientem, forma sunt verba ab Episcopo prolata; institutio verò, quæ facta fuit á Christo in varijs actibus & consummata post Resurrectionem, cum dixit: accipite Spiritum Sanctum. Contactus materiæ necessarius est, vt verificentur verba: accipe potestatem. Sed cur in alijs Sacramentis sufficit, quod materia tangat recipientem & non é contra, vt patet in Baptismo? Dicatur: quód ibi solum datur potestas passiva, in Ordine vero activa, & sic requirit, quod suscipiens tangat materiam; qui contactus non debet esse physicus, per sensibilem perceptionem, sed sufficit moralis, ita vt in æstimatione prudentum, idem sic, ac materiam tangere. Veniamus ad Ordines in particulari.

Ostiariatus est: Spiritualis potestas, per quam ordinatus in hostiarium, potest admitere dignos & excludere indignos ab Ecclesia Dei; & consulto dicitur, Ostiariatus in abstracto, nam in concreto & ex parte subiecti, diffinitur sic: habens potestatem spiritualem, &c. Materia remota huius Ordinis, sunt claves, proxima, traditio illarum, forma, verba Episcopi, & institutio quæ á Christo facta fuit, dum eiecit de Templo ementes & vendentes; quod si alicui non tradderentur claves Ecclesiæ, sed aliæ, maneret ordinatus, quia illæ significant potestatem, & in Ordinibus minoribus, non requiritur materia sacra, vt diximus.

Lectoratus diffinitur sic: spiritualis potestas, per quam ordinatus in Lectorem, potest legere lectiones Sacras & Prophetias; vel in concreto sic: habens potestatem, &c. eius materia remota, est liber ipse, próxima traditio, forma verba ab Episcopo prolata, & institutio, quæ facta fuit á Christo aperiendo, & exponendo librum Prophetiarum, in medio Doctorum. *Exorcistatus* est: spiritualis potestas,

per

per quam ordinatus in exorciſtam, poteſt expellere diabolum á corporibus; eius materia remota, liber exorciſmorum, proxima, eius tradditio, forma verba Epiſcopi, & inſtitutio quæ á Chriſto fuit facta, expellendo ſeptem Dœmonia á Magdalena. *Acholitatus* eſt: ſpiritualis poteſtas, per quam ordinatus in Acholitum, poteſt portare vrceolos cum vino & aqua; eius materia remota, ſunt vrceoli, proxima tradditio, forma verba Epiſcopi, & inſtitutio quæ facta fuit á Chriſto dum dixit: ego ſum lux mundi. Quód ſi aliqui non ordinati exercent munera Ordinum minorum, hoc non faciunt ſolemniter, ſed vt miniſtri neceſsitatis.

Subdiaconatus, eſt primus ordo maior, & diffinitur ſic: ſpiritualis poteſtas, per quam ordinatus in Subdiaconum. poteſt portare calicem, & præparare neceſſaria, ad Sacramentum Euchariſtiæ. Hunc Ordinem inſtituit Chriſtus, in nocte cœnæ, quando linteo ſe præcinxit, & Apoſtolorum pedes lavit; eius materia remota, eſt calix cum patena vacui, proxima tradditio eorum, forma, verba Epiſcopi, officium, Diacono miniſtrare, & Epiſtolam ſolemniter legere. Si quis ordinetur in Subdiaconum, quin ſit ordinatus in Acholitum, morraliter peccat, ſed manebit ordinatus, quia ordo inferior in ſuperiori continetur. Ordo Subdiaconatus, ſicut alij Ordines Sacri, habent annexum caſtitatis votum, & licet hoc ignoretur ab ordinando, ligatur eo vinculo, nam qui vult Ordinem, etiam virtualiter vult illi annexa. Alia obligatio Subdiaconi, eſt recitare divinum officium; ſi autem etiam tenetur ex voto Religionis, & hoc ommittit, vnum tantum peccatum facit, quia materia non multiplicatur. Ad rectè recitandum, & ad Ordinem ſuſcipiendum, non requiritur intentio actualis, ſed ſufficit virtualis, quæ conſiſtit in antecedenti intentione non retractata, de quo egimus in Quæſt. de Sacramentis in genere.

Diaconatus, eſt ſecundus ordo maior, & ſic diffinitur: Spiritualis poteſtas, per quam ordinatus in Diaconum, poteſt legere Evangelium ſolemniter, & diſpenſare corpus & ſanguinẽ Chriſti fidelibus, ſed hæc diſpenſatio, modo non eſt in vſu; nec ideo licet Diacono tangere immediatè corpus vel ſanguinẽ Chriſti, ſed ſolum mediatè, ideoque miniſtrat Sacerdoti calicem & patenam, cum pane & vino. Huius Ordinis materia remota, eſt liber Evangeliorum, proxima tradditio, forma, verba Epiſcopi, inſtitutio, quæ facta fuit á Chriſto nocte cœnæ, quando corpus ſuum diſcipulis miniſtravit. Sed quomodo liber eſt Diaconatus materia, ſi etiam eſt materia Subdiaconatus? Dicitur: quód per hoc ſolum differt á Præsbyteratu & circa id exercetur, principale Diaconi officium; Subdiaconatus autem, præter librum, habet aliam materiam, nempé calicem & patenam vacuos.

Præsbyteratus, eſt vltimus & potiſsimus ordo inter maiores, & ſic diffinitur: Spiritualis poteſtas, per quam ordinatus in Præsbyterum, poteſt conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, & offerre Sacrificium pro vivis & mortuis; eius materia remota, eſt patena & calix, cum pane & vino, proxima, eorum tradditio, forma verba Epiſcopi, inſtitutio quæ facta fuit á Chriſto in nocte cœnæ, dum convertit panem & vinum, in corpus & ſanguinem ſuum. Ordinatus in Præsbyterum, nequit á peccatis abſolvere, quia licet habeat poteſtatem Ordinis, non tamen iuriſdictionis, quouſque á Superiori ei oves deſignentur. Aliæ ſunt interrogationes circa hoc, quæ partim ex Quæſt. de Euchariſtia conſtant, & partim ex ſequentibus manifeſtæ fient.

ARTICVLVS I.

De Extrema-Vnctione.

Prima difficultas: An Extrema-Vnctio, ſit verum Eccleſiæ Sacramentum? Negarunt impius Vviclefus, Lutherus & Calvinus. Sed veritas Catholica oppoſitum tenet, nempé Extremam-Vnctionem, quæ infirmis extremé periclitantibus adhibetur, verum Sacramentum eſſe; ſic habetur in Trid. Seſſ. 14. de Extrem. Vnct. Can. 1. & in D. T. in addit. 3. p. q. 29. art. 1. & expreſsé, apud Epiſt. D. Iacobi, cap. 5. v. 14. vbi dicitur: infirmatur quis in vobis? Inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei, ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remmittentur ei; vbi habetur inſtitutio, dum dicitur: infirmatur quis, ſine temporis limitatione, deindé ſignum ſenſibile, dum dicitur: vngentes eum oleo; demum promiſsio gratiæ remiſsivæ, dum dicitur: remmittentur ei, quæ tria, verum Sacramentum conſtituunt.

Nec hæreticorum reſponſiones ad iſtum locum, aliquid valent. Dicunt enim 1. illam Epiſtolam non eſſe Canonicam. Sed hoc falſiſsimum eſt; nam omnes Sacri Scriptores, eam vt Canonicam receperunt, & conſtat ex Trident. Seſſ. 4. ex Damaſc. lib. 4. de fid. orthod. cap. 18. ex Iſidor. lib. 6. Ethimol. cap. 1. ex Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8. & ex Hyer. Epiſt. ad Paulinum. Secundó dicunt: quód Apoſtoli, nequeunt Sacramenta inſtituere. Sed hoc ſtultum eſt: quia nos non dicimus, quod Apoſtolus ibi inſtituerit Sacramentum, ſed quod prædicavit Sacramentum iam á Chriſto inſtitutum. Tertió dicunt: ibi non explicari remiſsionem factam per gratiam, ſed curationem corporalem, media Sacerdotis oratione, excitante infirmum. Sed hoc figmentum, hæreticis non favet, nam etiam ipſi dicunt, gratiam in Baptiſmo & Euchariſtia, non cauſari ex opere operato, ſed ſolum per fidem excitatam in animas, & tamen fatentur, hæc eſſe vera Sacramenta. Præterquam, quod nullum eſt ver-

verbum in ea Epistola, indicans excitationem fidei in infirmo.

Hæc eadem veritas catholica, constat ex SS. testimonijs, quæ illam aperte suadent. D. Aug. serm. 215. de tempor. ait: Quoties infirmitas aliqua supervenerit, corpus & sanguinem Christi, ille qui ægrotat accipiat, & indè corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est, impleatur in eo: infirmatur quis ex vobis, &c. D. Petrus Damian. serm. Dedicat. Eccl. ait: Tertiùm Sacramentum, est vnctio infirmorum. Quibus iungitur congruentia á Trident. loc. cit. adducta: nam articulus mortis, est hominibus maximè formidabilis. & propter conscientiam peccatorum totius vitæ, & propter vehementes Dæmonis tentationes; & sic decet infinitam Christi bonitatem & pietatē, vt hoc Sacramentum instituerer, vt infirmus peculiari auxilio roboretur, ad ferendas patienter ægritudinis molestias, & vt fortior fiat ad tentationes vincendas, & vt si forté aliqua habeat peccata invincibiliter ignorata, eius efficacia remittantur.

Sed oppones: nam vnctio de qua loquitur D. Iacobus, solum erat ad curationem corporis, sicut etiam illa de qua fit mentio, cap. 7. Marci: ergo illa non est verum Sacramentum. Resp. neg. ant. nam expresè dicitur: si in peccatis sit, remittentur ei. & sic est vnctio remmissiva & Sacramentalis. Nec est idem de vnctione, de qua in D. Marco fit mentio, hæc enim erat purè curativa, & promiscuè applicabatur fidelibus & infidelibus, vt isti miraculis visis, converterentur ad fidem, & sic non erat Sacramentalis, sed huius figura & adumbratio, sicut Baptismus Ioannis, Baptismum Christi figuravit, cuius contrarium reperitur, in vnctione de qua D. Iacobus loquitur, quæ solum applicatur fidelibus baptizatis, & habet omnia ad Sacramentum requisita, vt vidimus.

Dices: quòd vnctio quam D. Iacobus memorat, requirit plures Sacerdotes, tribuit salvationem infirmi orationi, requirit fidem in ministro, & quibuslibet infirmis adhibetur, quæ non habet vnctio nostra, solum vnum presbyterum exigens, salutem vnctioni tribuens, nec petens ministri fidem, & solum est conferibilis infirmis, quorum mors timetur, & sic illa vnctio, videtur esse diversa á nostra. Resp. quòd D. Iacobus, de pluribus Sacerdotibus facit mentionem, non propter necessitatem, sed propter reverentiam; nec tribuit salvationem orationi, tanquam Sacramento totali, sed tanquam formæ; & fidem ministri ponit, non vt necessariam, sed quia fidei Sacramentum continet, cuius virtus per fidem cognoscitur; nec infirmos suscipientes determinat, sed id colligitur, ex Ecclesiæ consuetudine, quæ solum Extremam-Vnctionem confert infirmis, in agone constitutis, qui egent sanitate corporali, quæ est effectus minus principalis huius Sacramenti.

Dices aliter: Quod non apparet, quando Sacramentum hoc, fuerit institutum á Christo, cum de hoc, Evangelistæ mentionem non faciant; id enim, quod adducitur Marci 6. non est vnctio Sacramentalis, sed eius figura. De hoc agit D. T. q. 29. art. 3. & ad obiectionem. Respondet ad 3. dicens: quòd multa Dominus fecit & dixit, quæ in Evangelijs non continentur, quia Evangelistæ, solum curaverunt tradere, quæ sunt necessaria ad salutem, & pertinent ad Ecclesiæ dispositionem, & ideo potius narraverunt institutionem Baptismi, & Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Ordinis, factam á Christo, quam Extremæ-Vnctionis vel confirmationis, quæ nec sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, seu distinctionem Ecclesiæ pertinent, & sic hoc Sacramentum institūtum est immediatè á Christo, promulgatum verò, á B. Iacobo.

Circa tempus verò institutionis dicunt aliqui, illud fuisse dum misit Apostolos Marci 6. ad prædicandum, cum potestate sanandi infirmos per vnctionem olei, quia id faciebant ex præcepto Christi, non solum ad salutem corporum, sed etiam animarum, quam præcipuè Christus intendebat. Sed hoc non videtur probabile, quia vnctio illa quæ apud D. Marcum memoratur, non erat Sacramentalis vt vidimus. Tùm, quia fiebat ab Apostolis, non dum Sacerdotibus. Tùm, quia indifferenter applicabatur fidelibus & infidelibus. Nec obstat: quòd Tridentinum ait, hoc Sacramentum, fuisse apud D. Marcum insinuatum; nam hoc intelligitur, quo ad vmbram & figuram, sicut Baptismus Christi, fuit insinuatus in Baptismo Ioannis, quia hic fuit illius figura.

Alij dicunt, hoc Sacramentum institutum fuisse in nocte cœnæ, quando Christus Apostolos ordinavit in Sacerdotes, quia isti solum, sunt Extremæ-Vnctionis Ministri. Sed certius est, non fuisse institutum ante Resurrectionem. Tùm, quia supponit potestatem in Ministro, quam tunc contulit Christus dicens: accipite Spiritum Sanctum. Tùm, quia Sacramentum Extremæ-Vnctionis, est completivum & consumativum Pœnitentiæ, & supponit eius effectum, & sic non fuit conveniens, vt ante Pœnitentiam institueretur; & iuxta hoc, est dicendum: quòd hoc Sacramentum, vna cum Sacramento Pœnitentiæ, & consequenter ad illud, institutum est. Nec obstat: quòd Christus potuit illud instituere ante Passionem, & dispensare cum Apostolis, vt non dum Sacerdotes, ministrarent; nam nulla cogit necessitas, ad talem dispensationem admittendam.

Secunda difficultas: De Materia Sacramenti Extremæ Unctionis. *Dicendum est* 1. quòd materia remota Extremæ-Vnctionis, est oleum ab Episcopo benedictum, quod constat ex Concil. Florent. in decr. vnionis, & ex Trident. Sess. 14. cap. 1. idque colligitur ex verbis adductis D. Iacobi: vngentes

eum oleo; & ratio est, quia oleum aptum est, ad significandam perfectam animæ sanitatem, quæ est huius Sacramenti effectus, nam oleum est lenitivum & penetrativum vsque ad intima, & etiam diffusivum, quæ omnia conducunt ad sanitatem. Solum autem oleum olivæ, assumitur in materiam, quia illud tantum, dicitur simpliciter oleum; sicut hac ratione, aqua naturalis est materia Baptismi, & panis triticeus & vinum de vite, sunt materia Eucharistiæ.

Dices 1. quód Extrema-Unctio, ordinatur ad gloriæ incorruptionem, quæ significatur per balsamum. 2. quód spiritualis sanatio, etiam significatur per vini appositionem, vt patet in parabola de homine sauciato, cui oleum & vinum, infussum est in vulnera, vt refertur Luc. 10. Resp. ad 1. quód incorruptio gloriæ, non est res contenta in hoc Sacramento, cuius materia, non debet ei correspondere; nec morientes, egent propter se odore famæ, quem significat balsamum, sed potius nitore conscientiæ, qui significatur per oleum. *Si quæras*: an oleum mixtum balsamo sit materia? Resp. affirmativé, dum non corrumpatur natura olei, sicut mixtio granorum non auferens naturã triticici, nec materiam Eucharistiæ aufert. Vndé casu quo non daretur simplex oleum, posset vnctio crismate fieri. Ad 2. quód vinum sanat mordicando, quod potius pertinet ad pœnitentiam, oleum vero sanat liniendo, quod ad Extremam-Vnctionem spectat, vt spes morientibus necessaria, non frangatur, sed foveatur.

An veró oleum, debeat esse ab Episcopo consecratum? Resp. affirmativé cum D.T. loc. cit. art. 6. & constat ex Beda, sup. cap. 6. Marci dicente: ægroti vngantur oleo, Pontificali benedictione consecrato. Ratio est: quia materia Extremæ-Unctionis, debet elevari, ad causandam plenitudinem gratiæ: ergo congruum est, vt talis materia, consecretur ab Episcopo, sicut hac ratione, consecratur ab eo Confirmationis materia. *Si dicas*: quód Baptismus, qui est Sacramentum perfectius Extrema-Vnctione, non requirit consecrationem materiæ. Resp. quod est disparitas. Túm ex summa necessitate Baptismi, ne ex defectu consecrantis eius materiam, privaretur homo æterna salute. Túm, quia Christus suo contactu sanctificavit aquam; sed Extrema-Vnctio, tantæ necessitatis non est, nec eius materia, fuit á Christo sanctificata.

Dices aliter: quód Minister dignior vt est Episcopus, non debet præparare materiam inferiori Ministro, ea vtenti, vt etiam in operibus corporalibus videtur. Resp. quód est differentia, nam materia Sacramenti non est talis, vt in ea fiat aliquid, per eum qui vtitur illa, vt in artibus mecanicis contingit, sed vt eius virtute aliquid fiat, & sic aliquid participat de ratione causæ efficientis, quatenús est instrumentúm divinæ virtutis, & ideo á superiori potestate, talis virtus acquiritur; nam in causis efficientibus, quo agens fuerit prius, tanto est perfectius, sed in causis materialibus, quanto materia est prior, tanto etiam imperfectior est; sic D.T. loc. cit. ad 2.

Sed dubitabis: An sit de essentia huius Sacramenti, quod oleum sit ab Episcopo benedictum? Resp. affirmativé; constat ex Concil. Flor. & Trid. adductis, in quibus expresse habetur, quod materia huius Sacramenti, est oleum ab Episcopo benedictum. Nec valet dicere, ibi loqui de materia necessaria, necessitate præcepti. Túm, quia ibi assignatur materia contra hæreticos, & illa materia necessaria est. Túm, quia quando aliquid statuit Concil. necessario necessitate præcepti, id exprimit, vt cum ait, vinum modicisima aqua mixtum, esse materiam consecrationis calicis. An veró tale oleum, possit á Sacerdote simplici benedici, ex Episcopi commissione? Affirmant aliqui, cum Henriquez, Suarez, Cayet. & Arcudio, qui affirmant, ita nunc ab antiquo, exerceri á Græcis Sacerdotibus, qui licet Crisma non benedicant, bené veró oleum infirmorum, quæ videtur tacita Pontificis commissio. Sed oppositum est tenendum cum Salmant. & pluribus citatis ab eis: nam Trident. æqué ait, materiam Extremæ Vnctionis esse oleum, ac esse ab Episcopo benedictum: ergo sicut oleum mutari non potest, nec poterit mutari Episcopalis benedictio, secluśa Pontificis commissione. Imó vt ait Nuño, probabilius est, nec id fieri posse ex commissione Papæ, quia nunquam Pontifex, in hoc dispensavit, quod est morale argumentum evidens, de eo quod fieri non potest; sic etiam sentit Ant. á Spirit. Sanct.

Notandum tamen est, quod oleum non requirit benedictionem, certo ritu & forma verborum factam, sed sufficit quod fiat ab Episcopo, quocumque modo, vt in tali oleo, validum efficiatur Sacramentum; sed tamen peccaret mortaliter Episcopus, oleum non benedicens, consueta benedictione Ecclesiæ, quia in re gravi, faceret contra præceptum & ordinem Pontificalis. Habetur ex his, quod oleum cathecumenorum, est sufficiens materia Extremæ-Vnctionis, quia solum differt ab oleo infirmorum per benedictionem, quæ materiam non variat essentialiter. Sed tamen non debet in tali oleo, Extrema-Vnctio ministrari, nisi gravi necessitate cogente, quia in Ecclesia est opposita consuetudo, & illa non vtitur oleo cathecumenorum, pro vngendis infirmis, sed in diversis vasis vtrumque oleum reservat.

Dicendum est 2. Materia proxima Sacramenti Extremæ Vnctionis, est vnctio facta ex oleo. Constat ex verbis D. Iacob. Vngentes eum oleo, & Trid. loc. cit. ait: Quód vnctio aptisimé, Spiritus Sancti gratiam repræsentat; qua propter dicitur, Psal. 44. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. An autem

quem sit de necessitate Sacramenti, Vnctio in forma Crucis? Resp. negativé: quia nec Concilia, nec Patres, tale decreverunt. Nec valet paritas, de Sacramento confirmationis; nam in hoc, vngitur quis tanquam miles Christi, ad defendendam eius fidem & crucem co am tirano, & ideo ibi exprimitur forma crucis, sed in Extrema-Vnctione, solum vngitur ad recuperandam salutem, vndé patet disparitas. Vndé omissio formæ crucis in hoc Sacramento, non est materia gravis, secluso contemptu, vt ait Suarez, & Coninch, imó si hoc fit ex iusta causa, vt brevius fiat & securius instante morte, nullum erit peccatum, vt ipsi sentiunt.

Speciali, difficultas circa hoc est: an sint de necessitate Sacramenti quinque Vnctiones, ita vt aliqua deficiente, validum non sit? Plures negant cum Becano, Silvio, Leandro, & Molfesio. Sed oppositum est tenendum cum D.T. in addit. q.32. art.6. vbi ait: Illa Vnctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti; & ratio est, quia hoc Sacramentum est institutum, ad tollendas reliquias peccatorum, quorum radix in quinque sensibus residet, & ideo omnes debent vngi. *Nec obstat*: quód in quavis parte, est tota anima, quæ est causa principalis peccati; nam licet hoc sit verum, ibi tamen non residentomnia organa, quæ sunt animæ instrumenta, quibus debet remedium applicari, nam anima & cor, solum sunt radix remota culpæ; sic D. T. ibi ad 1.

Dices: quód in Baptismo, lota vna parte, abluitur totus homo; nam hoc sufficit, vt dicatur simpliciter ablutus, sed in Extrema Vnctione, non sufficit Vnctio simpliciter, sed insuper quod fiat in quinque sensibus, quæ sunt peccatorum radices. Sed advertenda sunt sequentia 1. quod non est de necessitate Sacramenti, determinatum ordinem servare, inter illas quinque Vnctiones, sed sufficit, quod quolibet ordine fiant, vt dicunt Aversa, & Dicastillo. 2. quod nec est de necessitate Sacramenti, quod Vnctio fiat immediaté manu Sacerdotis, nam grassante peste, potest per virgulam aliquam fieri, quæ postea comburetur, sic tenent Diana, Barbosa, & Layman. 3. quod in prædicto casu pestis, vel alio similiter vrgente, licité possunt omnes sensus ægroti sub vná forma vngi dicendo: per istam sanctam, &c. indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per vissum, auditum, &c. quia in tali administratione, nulla iniuria fit Sacramento, & ægroto potest prodesse.

Tertia difficultas: De forma Extremæ Vnctionis. *Dicendum est*: forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis, est hæc: Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per vissum; & idem de alijs sensibus; circa quæ occurrit: an omnia verba, sint de essentia formæ? Certum est, quod manente eodem sensu verborum substantialiter, non tollitur valor Sacramenti, secus vero si sensus substantialis non manet, vt in q. de Sacram. in gen. dictum est. Nunc figillatim dicimus: quód si Sacerdos ommiteret ea verba: per istam Sanctam Vnctionem, licet vngeret, Sacramentum non conficeret, sicut nec conficeret Baptismum, nisi diceret: ego te baptizo, licet ablueret; si autem ommiteret: *Sanctam* faceret Sacramentum, quia hæc particula, de necessitate non est, licet sit de præcepto & ritu Ecclesiastico.

Vlteriús: illa verba: & suam pijssimam misericordiam, non sunt de substantia & valore Sacramenti, licet sint de præcepto, quia in verbo: indulgeat, videntur satis contineri, Deus enim, solum ex sua misericordia peccata remmittit. Deindé: verba illa, in nomine Patris, &c. de essentia non sunt, quia vt vidimus, hic non vnguntur fideles, ad protestandam fidem Trinitatis, vt fit in Baptismo, nec ad illam defendendam vt fit in confirmatione. Est tamen necessaria expressio quinque sensuum, cum omnes debeant inungi vt vidimus. Aliqui existimant, quod Sacramentum validum est sub hac forma: per istas sanctas Vnctiones, &c. indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per vissum, auditum, &c. Sed oppositum est tenendum, quia forma, adæquaté & explicité debet correspondere materiæ, & quælibet vnctio, habet specialem effectum, qui debet per specialem formam partialem significari; excipé casum necessitatis vrgentis, in quo sub vna forma, virtualiter continente omnes, quinque sensus ægroti, celeriter inunguntur, vt proximé vidimus.

Sed dubium est: An forma huius Sacramenti, necessario debeat esse deprecativa, & nullo modo indicativa? Resp. affirmativé, nempé quod ad valorem Sacramenti, requiritur forma deprecativa. Contrarium sentit Durandus, Paludanus, & Ricardus; sed nostra resolutio constat, ex D. Tho. in addit. q.29. art.8. in fin. corp. vbi ait: In hoc Sacramento, non potest esse forma indicativi modi, sicut in alijs Sacramentis, & hoc infertur ex verbis D. Iacobi dicentis: Orent super eum; oratio verò, pro deprecatione summittur, iuxta fidelium sensum. Hoc ipsum D. T. suadet 1. quia hoc Sacramentum confertur moribundis, qui cum sint viribus destituti, egent orationibus sublevari. 2. quia illi sunt migraturi ex hoc mundo ad aliud, & ideo commendandi sunt misericordiæ Dei in qua requiescunt. 3. quia per hoc Sacramentum, aliquem effectum præcamur infirmo, qui non semper ei convenit, vt est corporis sanitas, & ideo deprecativé á Deo petitur. His additur: quód hoc est conformius, institutioni huius Sacramenti, nam cum sit complementum pœnitentiæ, ad tollendas peccatorum reliquias, & quasi pœnitentia infirmorum, in eo differt á pœnitentia, quod hæc requirit actus pœnitentis, in quibus est iustitia & misericordia,

dia, vt vidimus suprá; sed suscipientes Extremam-Vnctionem, ob eorum debilitatem, nequeunt facere opera pœnitentiæ, & ideo remissio reliquiarum peccatorum, solum habetur ex Dei misericordia, quæ imploratur per orationem.

Sed opponès 1. quia in Ecclesia Mediolanensi & Veneta, olim vtebatur forma indicativa dicendo: Vngo te oleo sanctificante, & idem habetur in antiquo rituali apud Menardum. 2. quia si forma huius Sacramenti, est deprecativa, non erit valida, nisi detur attentio interna, quæ est de essentia orationis. & sic Sacerdos mente distractus, non conferet validé hoc Sacramentum, quod falsum est. 3. in alijs Sacramentis, forma indicativa sufficit; & sic idem de Extrema-Vnctione dicendum est. Ad 1. dicitur cum D.T. loc.cit. ad 3. quod illa verba indicativi modi, non sunt forma Sacramenti, sed quedam dispositiones, quatenús intentio Ministri, determinatur ad formam, per illa verba. Vel dicatur: quód illa oratio intelligitur deprecativé, dicitur enim in verbis sequentibus: vt more militis, aereas possis superare potestates, quasi dicatur: opto vt superes, adiuncto numine divino, vt causa principali auxiliorum ad superandum.

Ad 2. quód eficacia Sacramenti, non pendet ab oratione Sacerdotis, vt est opus operantis, sed vt est Sacramentalis, & habet valorem ex meritis Christi, in cuius persona oratio profertur á Sacerdote, & sic licet mente distractus sit, vel etiam sit peccator, exauditur & habet suum effectum, si habet intentionem ministrandi Sacramentum, iuxta Ecclesiæ ritum. Ad 3. quód est disparitas: nam alia Sacramenta, conferunt effectus puré spirituales, qui semper expediunt suscipienti, vt sunt character, gratia vel eius augmentum, & ideo habent formam indicativam; sed Extrema Vnctio, præstat effectum sanitatis corporalis, qui non semper convenit ægroto, & ideo eius forma exprimitur deprecativé, vt si conveniat, Deus talem effectum producat; sic D. Thom. loc. cit. ad 1.

Deducitur ex his: Sacramentum Extremæ-Vnctionis, esse vnum Sacramentum specificé athome; sic D.Tho. q.29. art.2. Ratio est: quia vnitas specifica Sacramenti, desumitur ex fine; sed licet in Extrema-Vnctione, sint plures Vnctiones, & plures formæ partiales, omnes ordinantur ad vnum finem & effectum, nempé ad auferendas reliquias peccatorum, quæ oriuntur ex sensibus; ergo vnum specificé Sacramentum est: Explicatur in Eucharistia, in qua licet detur duplex species, quia tamen ambæ ad vnam refectionem ordinantur, illa est vnicum Sacramentum, vt diximus Quæst. de Euchar. art.1. diffic. 3. & idem est de diversis gradibus, vnicum Sacramentum Ordinis conficientibus, quia ordinantur ad vnicum finem, qui est Eucharistiæ confectio: ergo idem de Extrema Unctione dicendum est; quæ doctrina est D.T. loc. proximé cit. in corp. & ad 1.

Si dicas: Quando fit prima Vnctio, causatur gratia: ergo illa est veré Sacramentum, & sic multiplicatis Unctionibus, etiam Sacramenta multiplicantur. Resp. neg. ant. nam vt dicemus, gratia solum causatur in vltima Vnctione, quia ante illã, Sacramentum non est essentialiter completum, cum de eius essentia sit, quod vngantur omnes sensus, vt vidimus. Vel dicatur: quód etiam admisso, primam Unctionem gratiam causare, & peccata remittere, hoc solum præstat, in ordine ad alias Vnctiones sequentes, & sic non sequitur, quod secundum se sit Sacramentum, sed simul cum alijs Vnctionibus. *Dices*: si Baptismus factus trina immersione, haberet formam distinctam, essent tria Sacramenta: ergo cum quælibet Vnctio habeat suam propriam formam, quælibet etiam erit Sacramentum. Resp. quód quælibet immersio cum sua forma, significat perfectè, totum effectum Baptismi, sed non quælibet Unctio seorsim ab alijs, significat totum effectum Extremæ-Vnctionis, & sic patet vtriusque disparitas.

Quarta difficultas: De effectu Extremæ-Vnctionis. Certum est, proprium & primarium effectum huius Sacramenti, esse causare gratiam auferentem peccatorum reliquias; sic enim ait Trid. Sess.14. & D.T. q.30. art.1. sed est dubium in explicando, quid per reliquias peccatorum intelligatur? Aliqui enim dicunt, intelligi peccata ex inadvertentia in confessione omissa, sive post illam & viatici sumptionem commissa, sic Bellarminus, Amicus, & alij cum eis. Alij dicunt, reliquias peccatorum, esse peccata venialia non dum remissa, iuxta verba D. Iacobi: si in peccatis est, dimittentur ei; ita Durandus, Scotus, & Ricardus. Alij asserunt, reliquias peccatorum, esse languorem & debilitatem, ad operandum bonum, quæ partim causantur ex peccatis præteritis, & eorum recordatione, partim ex corporis infirmitate, partim veró, ex vehementibus Dæmonum tentationibus, sic D.T. loc. cit. & eius discipuli cum ipso.

Dicendum est 1. Reliquiæ peccatorum, non sunt peccata ex inadvertentia in confessione omissa, nec post illam & communionem commissa. Ratio est: quia illa peccata, vel sunt mortalia vel venialia; sed Extrema-Vnctio non est instituta, ad remissionem mortalium aut venialium: ergo hæc non sunt peccatorum reliquiæ. Min. quo ad venialia, constabit ex dicendis, quo ad mortalia prob. ex D.T. loc.cit. vbi ait: Quód hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualitet confirmatur, vt non habeat perfectum vigorem, ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ. Ratio autem est: quia hoc Sacramentum, est institutum per modum medicinæ; corporalis autem medicina, supponit vitam in medicato, & sic medicina spiritualis, supponit vitam spiritualem: ergo Sacramentum

tum Extremæ Vnctionis, non remmittit peccatum mortale, quod aufert vitam.

Explicatur hoc: effectus primarius Sacramenti vivorum, non est remissio peccati mortalis vel prima gratia, sed augmentum eius, vt patet in Eucharistia & Confirmatione; sed Extrema-Vnctio est Sacramentum vivorum: ergo eius proprius effectus, non est remissio peccati mortalis. Vndé quando D. Iacobus dicit: si in peccatis fuerit, loquitur conditionaté, quia remissio peccatorum, non est effectus primarius, & per se Extremæ Vnctionis, sed secundarius & per accidens; sicut etiam Eucharistia & Confirmatio, aliquando causant primam gratiam per accidens. Undé ait D.T. quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quo ad culpam tollit ipsum dum non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione, suprá dictum est.

Deindé prob. de peccatis commissis post confessionem & viaticum. Hoc Sacramentum, institutum est, ad tollendas reliquias peccatorum, vt ait Trident. sed illa peccata, non possunt dici reliquiæ aliorum peccatorum iam remissorum: ergo illa non sunt peccatorum reliquiæ. Prob. min. vt aliquid sit reliquia alterius, non sufficit quod ei succedat, sed requiritur quod sit pars vel effectus illius, nox enim succedit diei, & dies nocti, & vnum non dicitur alterius reliquia; sed partes ciborum, quæ remanent post prandium, dicuntur eorũ reliquiæ; ossa & partes corporis Sanctorũ, eorum reliquiæ vocantur; languor & debilitas, ex infirmitate relictæ, dicuntur reliquiæ morbi; & D.T. in prolog. 4. sent. ad Anibald. vocat Sacramenta, divinæ Incarnationis reliquias, quia á Verbo Incarnato, & á latere Christi morientis fluxerunt; sed peccata ab infirmo post confessionem & viaticum commissa, non dimanant a peccatis præcedentibus: ergo reliquiæ illorum non sunt, sed potius nova & distincta peccata.

Sed dices 1. quód Trident. tribuit Extremæ Vnctioni, abstergere delicta, si quæ sint adhuc expianda, & D. Iacobus ait: Si in peccatis sit, remittentur ei: ergo remissio peccatorum, ex inadvertentia in confessione omissorum, aut etiam commissorum, post illam, & viatici sumptionem, est proprius effectus huius Sacramenti. 2. potest fieri, vt infirmus post confessionem & communionem, incidat in mortale; & sic ad Dei pietaté pertinet, providere de remedio, quod nullum apparet, nisi Extrema-Vnctio. 3. effectus huius Sacramenti, est auferre peccatorum reliquias, quod nullo modo explicatur meliús, nisi auferendo peccata, quæ virtute Sacramentorum, remissa non fuerunt.

Resp. ad 1. quód hoc Sacramentum, habet duplicem effectum, vnum communem sibi, & alijs Sacramentis vivorum, nempé auferre peccata, si quæ sint, per accidens, alium proprium, scilicet abstergere peccatorum reliquias; Concilium ergo & D. Iacobus, loquuntur de effectu communi & per accidens, non veró de proprio & per se. Ad 2. quód cum talis casus, raro contingat, sufficit quod Extrema-Vnctio, tunc remittat peccata per accidens, quod iam fatemur, non autem per se. Ad 3. quód vt diximus in probatione, id dicitur reliquia alterius, quod est pars vel effectus illius, vt patet in exemplis positis de cibo, & ossibus Sanctorum; hoc autem non convenit, peccatis commissis ab infirmo, post confessionem & viaticum, quia sæpé, nullam habent affinitatem vel connexionem, cum præcedentibus peccatis, sed sunt disparata, & ab eis independentia. *Nec dicas*: quód reliquiæ, debent esse eiusdem rationis, cum eo cuius sunt reliquiæ; hoc enim est falsum, nam debilitas corporis, est reliquia morbi & non est morbus, & fomes peccati, est reliquia peccati originalis, & peccatum non est, sed effectus illius.

Dicendum est 2. Reliquiæ, peccatorum, non sunt peccata venialia, nec horum remissio est proprius & principalis effectus Extremæ Unctionis; sic D. Thom. loc. cit. vbi loquendo de hoc Sacramento, ait: Quidam dicunt, quod principaliter est institutum contra veniale. Sed hoc non videtur verum, quia pœnitentia, sufficienter in hac vita, delet venialia peccata quo ad culpam, & 3. p. q. 65. art. 1. ad 8. ait: Ad deletionem peccati venialis, non requiritur infusio gratiæ; vndé cum in quolibet Sacramento novæ legis gratia infundatur, nullum Sacramentum novæ legis, instituitur directé contra veniale, quod tollitur per quedam Sacramentalia, puta per aquam benedictam, & alia huiusmodi; quibus verbis, indicatur duplex ratio pro nostra resolutione.

Dices: quód hoc Sacramentum institutum est, ad remitenda venialia, solum in egressu vitæ, quia respicit perfectam curationem venialium, quæ nequit haberi in vita præsenti, ob nimiam facilitatem peccandi venialiter. Sed hoc est falsum. Túm, quia etiam in fine vitæ, remitti possunt venialia per pœnitentiam. Túm, quia Sacramentum institutum ad remittenda peccata, non respicit tempus futurum vel præteritum, nec vt applicetur necesse est, quod peccata iterum non possint committi. Túm, quia hinc sequeretur, hoc Sacramentum posse conferri damnatis ad mortem, cum sint in egressu vitæ; & etiam sequeretur, solum debere ministrari in extremo vitæ articulo, quando creditur simul cum eo vitam finiendam, alias poterit infirmus, adhuc peccare venialiter, & vtrumque absurdum est.

Hinc solvitur quód objicitur, nempé quod sicut datur Sacramentum, per se institutum ad remissionem peccati originalis nempé Baptismus, &

etiam ad remiſsionem mortalium Pœnitentia, cur etiam nō dabitur ad remiſsionem venialium? quód nullum eſt aſsignabile, niſi Extrema-Vnctio. Reſp. quód cum peccatum veniale, ſit tantum ſecundum quid peccatum, nullum petit Sacramentum per ſe primo inſtitutum, ad eius remedium, ſed per aliqua Sacramentalia remittitur ex opere operato, vt ex D.T. vidimus. Vel dicatur: quód idem Sacramentum Pœnitentiæ, inſtitutum ad remittenda mortalia, etiam ſufficit ad venialium remiſsionem, licet hæc ſint materia voluntaria, mortalia verò, ſunt materia neceſſaria; vndé pro remiſsione venialium, ſpeciale Sacramentum non requiritur.

Quinta difficultas: Quiſnam ſit proprius & primarius effectus, Sacramenti Extremæ-Vnctionis? Excluſis iam in præcedentibus, á ratione reliquiæ peccatorum, peccatis ex inadvertentia omiſsis, vel poſt confeſsionem & viaticum commiſsis, & etiam venialibus, ac proindé explicato quod horum remiſsio, non eſt proprius Sacramenti Extremæ-Vnctionis effectus, nunc examinandum reſtat, quiſnam hic effectus ſit? Reſp. quód effectus proprius & primarius huius Sacramenti, eſt augmentum gratiæ, habentis ius ſpeciale, ad auxilia, quibus confortetur & roboretur infirmus, contra languorem ad operandum bonum, relictum partim ex præcedentibus peccatis, & partim ex infirmitate, & iuvetur ad eliciendos actus ſupernaturales ad vincendas Dæmonis tentationes, in extremo agone occurrentes.

Hæc reſolutio eſt D. Tho. q. 30. cit. art. 1. vbi ait: Quód hoc Sacramentum inſtitutum eſt contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem, ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ, & hic defectus nihil aliud eſt, quam quedam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur, ex peccato actuali vel originali, & contra hanc debilitatem, homo roboratur per hoc Sacramentum; & idem habet Trident. Seſſ. 14. cap. 2. Ratio autem id ſuadet: nam effectus proprius huius Sacramenti, eſt tollere peccatorum reliquias vt vidimus; ſed nomine reliquiarum, nihil aliud intelligi poteſt, niſi languor & debilitas animæ, ad operandum bonum: ergo gratia roborans, & confortans contra talem languorem, eſt effectus proprius huius Sacramenti.

Min. prob. quia præter illum languorem, nihil relinquitur in anima ex peccatis præteritis, niſi macula, vel reatus pœnæ æternæ, vel obligatio ad pœnam temporalem, vel habitus vitioſus, vel fomes peccati; ſed nihil horum intelligitur per reliquias peccati; nam duo prima remittuntur per pœnitentiam, quæ ſecundario etiam remittit pœnam temporalem; habitus etiam vitioſi & fomes peccati, manent in infirmo convaleſcente, poſtquam Extremam-Vnctionem ſuſcepit, nec illi auferuntur, niſi per actus oppoſitos ſæpé repetitos: ergo per reliquias peccati, ſolum intelligitur, languor ad bené operandum, qui ex peccatis præteritis relinquitur. His additur, forma & materia huius Sacramenti; forma enim, eſt deprecatoria vt vidimus, quo ſignificatur neceſsitas auxilij divini, ad roborandum infirmum, contra languorem prædictum, & dæmonum inſidias ſuperandas; materia etiam, nempé olei vnctio, ſignificat certamen hominis moribundi cum Dæmone, ſicut athletæ olim, oleo vngebantur ad luctam; & hoc ipſum cernitur in Vnctione prætioſa, quæ roborat membra, ex præterita infirmitate languentia.

Sed opponeſ: 1. forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis, non ſignificat collationem auxiliorum, contra languorem roborantium, ſed ſolum peccatorum remiſsionem, per illa verba: Indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti, &c. ergo hic eſt proprius effectus illius; Sacramenta enim, id efficiunt quod ſignificant, & ſignificatio exprimitur per formam. 2. nam D. Iacobus, explicans effectum huius Sacramenti, nihil de auxilijs dicit, ſed ſolum de remiſsione peccatorum, ait enim: Si in peccatis fuerit, remittentur ei; & ſic hic eſt proprius eius effectus. Reſp. ad 1. quód frequens eſt in Scriptura, nomine cauſæ, ſignificari effectum, quia hic continetur in illa; vndé ad Rom. 7. fomes relictus ex peccato, vocatur peccatum, & 1. Macab. 9. pœna temporalis animarum Purgatorij, dicitur peccatum: vt á peccatis ſolvantur, & iuxta hoc, reliquiæ peccatorum vocantur peccata, quia cauſantur ab iſtis; & ſic explicatur etiam D. Iacobus.

Dices: languor & debilitas animæ ad bené operandum, non ſolum exiſtit durante infirmitate, ſed etiam ſanitate durante: ergo ſi propter illam debilitatem conferretur Extrema-Unctio, debebat conferri ſanis, ſicut ægris, quod falſum eſt. Reſp. quód in gravi infirmitate, eſt ſpecialis neceſsitas auxilij divini contra illum languorem, quia ipſa infirmitas, debilitatem auget, & reddit infirmum impotentiorem, quod in ſanitate non contingit, & ideo eſt diſpar ratio vtriuſque. Vndé ait D. T. in addit. q. 32. art. 1. hoc Sacramentum, eſt quedam ſpiritualis curatio, quæ quidem per quendam corporalis curationis modum ſignificatur & ideo illis quibus curatio corporalis non competit, ſcilicet ſanis, non debet hoc Sacramentum conferri. Nec obſtat: quód ſani in corpore, poſſunt egere ſanatione mentis; nam etſi ſpiritualis curatio, ſit effectus præcipuus huius Sacramenti, ſed ſignificatur per curationem corporalem, quæ ſolum applicatur infirmis, ſicut ſolum poteſt baptizari ille, qui eſt capax ablutionis corporalis, & ideo non eſt capax Baptiſmi, puer exiſtens in vtero matris, licet tunc poſsit ſpiritualiter abluí.

Deducitur 1. quód eſt proprium Sacramenti Extremæ-Vnctionis, vltimo diſponere hominem, ad introitum gloriæ, cum per auxilia iam explicata,

iuvet

iuvet illum, ad resistendum tentationibus Dœmonum, & ad perseverandum in bono, quando imminet mors, & roboret spem, excitando magnam fiduciam in divina misericordia. *Deducitur* 2. quód hoc Sacramentum, producit suum effectum post vltimam Vnctionem, quia tunc essentialiter completum est, & non antea; vnde ait D.T. q.30. cit. art.1. ad 3. quando sunt multæ actiones, ordinatæ ad vnum effectum, vltima est formalis, respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum, & ideo in vltima Vnctione, gratia infunditur, quæ effectum Sacramento præbet. Deindé hoc Sacramentum, confert remissionem venialium, & partis pœnæ debitæ illis, iuxta dispositionem suscipientis, in eodem instanti, in quo augmentum gratiæ confert, nec est ratio quare id conferatur prius, nec differatur amplius. Auxilia veró specialia, gratiæ Sacramentali annexa, non conferuntur in eodem instanti ac gratia, sed in instanti aut tempore commodo, sicut etiam salus corporis differri solet, vsque ad tempus animæ opportunum.

Deducitur 3. quód præter effectus dictos, habet Sacramentum Extremæ-Vnctionis, alium effectum minus principalem & secundarium, qui est alleviatio ægritudinis corporalis, & aliquando perfecta restitutio sanitatis; sic habet D.T. loc.cit. art. 2. constat ex verbis D.Iacobi: alleviabit eum Dominus, Doctrina D.T. est hæc: sicut ablatio Baptismi, habet effectum corporalis ablutionis, ita Extrema Unctio, habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem; sed hæc est differentia, quod corporalis ablutio, ex ipsa naturali proprietate elementi, facit corporalem mundationem, sed Extrema-Vnctio, non facit corporalem sanationem, ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur, & quia ratio operans, nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento, non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum, ex parte recipientis; hæc D.T. cuius doctrina expressé habetur in Concil. Florent. & Trident.

Hinc falsitatis convincitur, dictum M.Soto asserentis, quod hoc Sacramentum ex se, non semper est sufficiens ad superandum morbum, imo medicinam plus ad id conducere, quam virtutem Sacramenti. Falsitas inquam huius, constat ex Concilijs & D.T. citatis, asserentibus, salutem corporis per hoc Sacramentum conferri, quando expedierit saluti animæ, & ita cognoscunt in illo, vim supernaturalem conferendi salutem corporis, si hoc animæ fuerit conveniens. *Sed contra* hoc dices 1. si hoc esset verum, aliquando virtute Sacramenti, sanaretur miraculosé, dum malignitas morbi talis est, vt nequeat sine miraculo sanari, quod tamen est falsum, quia Sacramenti effectus, non est per miraculum expectandus. 2. confessio fidei coram tirano, etsi ad animæ salutem conveniat, non est effectus infalibilis Confirmationis, quia multi confirmati, ex metu fidem negant, & sic idem dicendum de sanitate corporali in Extrema Unctione. 3. nam ex nostra doctrina sequitur, vt nunquam sanetur ab infirmitate corporali per Extremam-Vnctionem, ille qui est præscitus, quia tunc non est conveniens saluti animæ, nam si tunc moreretur salvus foret, cum etiam sit spiritualiter sanus; consequens vero est falsum, quia illi qui sanantur sunt liberi, & sic possunt peccare & damnari.

Resp. ad 1. quód quantumvis magna sit morbi malitia, Sacramentum virtute supernaturali, potest illum superare sine miraculo, quia ille effectus est ordinarius, & licet sanitas corporis, non sit ita ordinaria, est tamen regularis modo dicto, & ideo non est miraculosa. Ad 2. quód fidei defensio coram tirano, pendet ex libertate nostra, per quam possumus impedire, ne operetur in nobis virtus Sacramenti; recuperatio vero sanitatis corporalis, non requirit nostræ libertatis cooperationem, & in hoc stat vtriusque disparitas. Ad 3. dicitur cum Nuño, quod regulariter loquendo, non sanantur corporaliter per Extremam Vnctionem nisi prædestinati, & cum sanatur aliquis non prædestinatus, hoc proficit illi per aliquod tempus, & sic verificatur, quod salus corporis convenit saluti animæ, secundum præsentem iustitiam, nam est per accidens, quod homo sic sanus, postea mortaliter peccet & damnetur; omnia veró intelligenda sunt iuxta diviná providentiam, vt quilibet habeat illum gradum gloriæ, ad quem prædestinatus est; & sic dicitur in Concil. Colon. part.7. cap. 46. si Deo ita visum fuerit.

Sexta difficultas: De subiecto Extremæ-Vnctionis. De hoc agit D.Tho. in addit. q.32. circa quod. Dicendum est 1. solum baptizati, adulti, & infirmi, sunt capaces recipiendi Sacramentum Extremæ-Vnctionis. Prima pars constat: quia Baptismus, est ianua Sacramentorum, & ideo si hoc Sacramentum conferretur non baptizato, etsi esset cathecumenus, irritum & invalidum foret. De adultis etiam est certum: nam infantibus conferri Extremam-Vnctionem, est contra Ecclesiæ consuetudinem; illi enim sunt incapaces effectus primarij huius Sacramenti, nempé auxiliorum, ad superandam debilitatem ad benè operandum, ex peccato contractam, & ad resistendum Dœmonum insidijs, & effectus secundarius, qui est sanitas corporalis, cessante effectu primario, cessat.

Nec obstat, quod ait Maior, singulariter tenens oppositum, nempé quod D.T. q.30. art.1. in corp. ait: quód defectus quem hoc Sacramentum sanat, est quedam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur, ex peccato actuali vel originali, & hic

secun-

secundus in parvulis reperitur. Resp. enim, sensum D.T. esse, posse conferri Extremam-Vnctionem, ad purgandas reliquias peccati originalis, non præcisé sumptas, sed vt per actualia peccata confirmatas, vt patet ex eius verbis, q.32. art.4. ad 2. vbi ait: Quód hoc Sacramentum, non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodamodo confortatæ, vndé principaliter, contra peccata actualia datur, quæ non sunt in pueris. Hoc idem dicendum est de perpetuo amentibus, qui pro pueris reputantur, non autem de amentibus, qui aliquando vsi sunt ratione, & habuerunt Sacramenti desiderium, his enim iuxta Ecclesiæ praxim, hoc Sacramentum ministratur. Vid. sup. dicta, Quæst. de Euchar. art. 9. diffic. 5.

De infirmis, constat ex verbis D. Iacobi sæpiús adductis: infirmatur quis in vobis, & ex Florent. & Trident. citatis, qui eodem modo dicunt, solum Sacerdotem, esse huius Sacramenti ministrum, ac infirmum esse eius subiectum; vndé sicut nullus, nisi Sacerdos potest ministrare, nullus etiam, nisi infirmus potest recipere; ratio autem alia non est, nisi voluntas Christi, cuius D.Tho. q.32. cit. art.1. congruentiam assignat, quia hoc Sacramentum, est quedam spiritualis curatio, quæ per quendam corporalis curationis modum significatur, & ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc Sacramentum conferri. Sed tamen, non omnibus infirmis debet conferri, sed solum illis qui iuxta prudentum iudicium, in extremo vitæ agone versantur, nam vt ait D. T. hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam, nec tamen nimis est anticipandum, nec nimis differendum, vt supra vidimus.

Sed notandum: quód alijs infirmis, nequit hoc Sacramentum ministrari, licet constituti sint in vitæ discrimine, quales sunt navigaturi, bellaturi, & supplicio plectendi, quia isti re vera infirmi non sunt, nec periculum vitæ oritur ex infirmitate, ob quam sint curationis capaces. Vndé sicut non omnis homo ingrediens mundum capax est Baptismi, sed ille qui est aptus ablutioni, vt diximus de pueris in maternis vteris existentibus, ita non omnis exiens á mundo, est capax Extremæ-Vnctionis, nisi capax sit curationis propter infirmitatem; sic D. Thom. loco vbi proximé ad 2. *Dices*: medicina corporalis per quam Extrema-Vnctio significatur, omnibus infirmis confertur. Resp. quód medicina corporalis, habet pro effectu principali sanitatem corporalem, qua egent omnes infirmi, sed hoc Sacramentum, habet pro effectu principali, illam roborationem quæ necessaria est pergentibus ad gloriam, ex quo patet vtriusque differentia.

Licet autem Sacramentum hoc, characterem non imprimat, & ideo iterari possit, non tamen hoc fieri debet, nisi in diversis infirmitatibus, vel in eadem, mutato statu illius, si iterum periculum incurritur; sic habet Trident. Sess.14. cap 3. Vndé sicut Matrimonium, nequit iterum contrahi inter eosdem coniuges, sic nec Extrema-Vnctio, iterari potest cum infirmo in eadem infirmitate, & necessitate constituto; bené veró variato statu & periculo infirmitatis; ratio est: nam causa recipiendi hoc Sacramentum, non est morbus simpliciter, sed periculosus, & ideo variato periculo, constituitur infirmus, sub nova necessitate illud recipiendi. *Nec dicas*: quód altaris consecratio, non iteratur, & sic nec hominis Vnctio quæ dignior est; nam consecratio altaris, perpetuo in lapide manet, ideoque iterari nequit; Vnctio autem hominem non conseerat, nec manet perpetuo in eo, & ideo est dispar ratio.

Sed dubitabis: An requiratur ad valorem Extremæ-Vnctionis, quod subiectum aliquando peccaverit actualiter? Negant Henriquez, Coninch, & Diana, docentes B.Virginem, quæ ab omni peccato fuit immunis, hoc Sacramentum suscepisse. Sed contrarium tenent communiter Theologi, & infertur ex verbis supra adductis ex D.T. dicente: quód hoc Sacramentum, non est contra reliquias peccati originalis, nisi quatenús per actualia peccata confortantur, & hæc est nostra responsio: quæ suadetur 1. nam Sacramentum Extremæ-Vnctionis, est consummativum Pœnitentiæ vt vidimus; si autem daretur adultus, qui nunquam actualiter peccasset, non esset capax Sacramenti Pœnitentiæ, vt de B. Virgine, docent communiter Theologi: ergo idem de Extrema-Vnctione dicendum est. 2. quia de illo, qui nunquam actualiter peccavit, nequeunt verificari verba formæ Extremæ Vnctionis: indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti, &c. & sic ipsi hoc Sacramentum ministrari non potest.

Dices: quód verba formæ, sunt conditionalia, vt patet ex D.Iacobo: si in peccatis fuerit, vndé sicut in carente aliquo sensu, v.gr. visu, possunt verificari verba, quicquid deliquisti per visum, idem de illo qui nunquam actualiter peccavit, dici potest. Sed contra est: nam licet D. Iacobus, videatur loqui conditionaliter, verba tamen intelliguntur absoluté; nam licet possit quis actualiter non habere peccata, ob perfectam contritionem, sed verba etiam intelliguntur de peccatis præteritis, quorum reliquiæ modo manent. Nec est idem de carente aliquo sensu, quia potuit per voluntatem, in ordine ad illum peccare, quod sufficit vt verificentur verba formæ.

Sed oppones, ille qui nunquam peccavit originaliter, est capax Baptismi, vt patet in B. Virgine, de qua dicunt Theologi, quod baptizata fuit, & tamen peccatum originale non contraxit: ergo etiam qui nunquam peccavit actualiter, potest recipere Extremam-Vnctionem, cum eadem sit ratio

rio vtriusque. Resp. quód est duplex disparitas. Prima, quia in forma Baptismi, nullum exprimitur peccatum, sicut exprimitur in forma Extremæ-Vnctionis, & ideo Baptismus ministrari potest, carenti peccato originali, non veró Extrema-Vnctio carenti actuali. Secunda: quia Baptismus non solum habet pro effectu, auferre peccatum originale, sed reddere subiectum capax recipiendi alia Sacramenta; vndé ait D. T. in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. quod sanctificatus in vtero debet baptizari, propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur, ad percipienda divina Sacramenta; & hunc effectum habuit Baptismus in B. V. de quo vid. dicta, sup. q. 3. art. 1. diffic. 1. & q. 5. art. 2. cas. 1. sed Extrema-Vnctio, solum est remedium contra peccatorum reliquias, & ideo qui nullum peccatum commisit, non est subiectum capax illius.

Si dicas: potest contingere, quod quis non habeat peccatorum reliquias, si non peccaverit actualiter ante Baptismum & post, solum commisit duo venialia, per ferventem contritionem deleta. Resp. quód sicut quis est capax Sacramenti pœnitentiæ, quamvis per contritionem perfectam, fuerit assecutus remissionem actualium peccatorum, non veró si nunquam peccavit, hoc ipsum de Sacramento Extremæ-Unctionis discurrendum est. Dices: quid faciendum, si adultus moriatur statim post Baptismum, quando nullum commisit actuale peccatum? Resp. quód ei debet conferri Extrema-Vnctio sub conditione; sic ait Nuño, & Ant. á Spir. S. cum pluribus: & ratio est: quia iam intercesit tempus sufficiens ad peccandum, nec sumus certi, de eo quod in ea morula, nullum peccatum fuerit commissum, & ideo Sacramentum est sub conditione conferendum.

Septima difficultas: De Ministro Extremæ Unctionis; circa quod dicendum est: Hoc Sacramentum, non posse ab alio quam á Sacerdote validé ministrari; hæc veritas est de fide, & constat ex verbis sæpiús adductis D. Iacobi, quibus assignantur Sacerdotes, vt ministri huius Sacramenti, dum dicitur: infirmatur quis in vobis? Inducat Præsbyteros. Licet autem vox Præsbyter in lingua Græca, sit æquivoca, & significet etiam seniores, sed iam est translata vt significet determinaté tantum Sacerdotes, & sic habetur in Trident. Sess. 15. cap. 3. & Canon. 4. vbi dicitur: si quis dixerit, Præsbyteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus, adducendos esse ad infirmum vngendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque, proprium Extremæ Vnctionis ministrum, non esse solum Sacerdotem, anathema sit. & est congruentia. nam cum Extremæ-Vnctionis Sacramentum, sit Pœnitentiæ consumativum, decet vt non ministretur ab alijs quam á Sacerdotibus, qui etiam soli pœnitentiam ministrant.

Dices 1. quód Innoc. I. exponens verba D. Iacobi, ait de oleo pro vngendis infirmis, quod eo, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis vti licet, in sua, aut suorum necessitate. 2. de quibusdam Anachoretis Ægipti legitur, quod oleum ad infirmos transmitebant, & sanabantur, vt refert D. Hyer. in vita S. Hilarionis, & de S. Genoveta, idem dicitur in eius legenda, die 3. Ianuarij apud Surium. Resp. ad 1. quod verba illa Pontificis, non intelliguntur de vsu activo, sed de passivo, ita vt omnes possint vngi, non veró ita, vt omnes possint Sacramentum ministrare, vt patet ex ipso contextu verborum. Ad 2. respondet D. T. q. 31. art. 1. ad 2. quód illæ Vnctiones, non erant Sacramentales, sed ex devotione illas recipientium, vel ex meritis vngentium, consequebatur effectus corporalis sanitatis, per gratiam sanitatum, sed non per gratiam Sacramentalem.

Sed circa Ministrum huius Sacramenti, sequentia sciri debent. Primó: quód licet quilibet Sacerdos, validé ministret hoc Sacramentum, non veró licité, nisi extrema necessitate vrgente, vel de licentia saltim tacita Parrochi, qui proprius Sacerdos, & Pastor est; sic habetur in Clement. vnic. vbi inhibetur sub Excomunicationis pœna, ne absq; licentia Parrochi, vllus etiam Religiosus, hoc Sacramentum ministret; & ratio est; quia ministrare Sacramenta, est proprij Pastoris officium, quod propria authoritate vsurpare, in materia adeo gravi non licet. Diximus autem, nisi extrema necessitate vrgente, nempé si daretur periculum, vt ægrotus sine hoc Sacramento decederet, quia tunc quivis Sacerdos, illud licité ministrat; quod etiam est verum, licet Parrochus licentiam non conferat, & id ægré ferat, quia non est intentio Ecclesiæ, velle privare infirmum hoc remedio, in tam gravi necessitate, ob irrationabilem Parrochi voluntatem.

Secundó sciendum est: quód minister tenetur hoc Sacramentum conferre, petenti & indigenti, & si fuerit Parrochus, ad id ex iustitia tenetur, quia non solum debet conferre Sacramenta præcisé necessaria ad salutem, sed etiam valdé vtilia, & hoc sub gravi peccato; Sacerdos veró, qui proprius Parrochus non est, si hic absit, vel Sacramentum non vult conferre, & ægrotus nullum aliud Sacramentum petivit, nec recipere potest, tenetur sub culpa gravi sacram Vnctionem ei ministrare, ex lege charitatis, quæ dictat, vt succurramus proximo graviter indigenti, qualis est infirmus in prædicto casu, & forté ex eius ministratione pendet infirmi æterna salus, si eius virtute mortalia remittuntur, quod aliquando contingere posse diximus; si autem infirmus alia Sacramenta recepit, sentiunt communiter Doctores, hanc obligationem ministrandi Extremam-Vnctionem, per se tantum obligare sub veniali, quia tunc, moraliter non præsumitur, quod ægrotus graviter eget Vnctione Sacra,

Tertió est sciendum: quód Sacerdos Extremam-Vnctionem ministrans, tenetur ritus Ecclesiæ servare, quantum fieri possit, nempé incedere cum superpelliceo & stola indutus, alio Clerico vel laico cum lumine accenso sociatus, & recitando præces ab Ecclesia præscriptas; vndé si hæc, absque causa rationabili ommittit, peccat mortaliter, vt communiter asserunt Doctores, & Ant. á Spir. S. quia facit contra Ecclesiæ ritum in re gravi. Sed tamen in casu extraordinario, vt tempore pestis, vel necessitatis vrgentis, vel si adest periculum, ne infirmus sine Vnctione decedat, peccatum non erit illa ommittere; similiter si non est, qui respondere possit, ipse Sacerdos vel infirmus possunt respondere, nec id fœminis licet, imó adhibeatur maxima cura, vt procul adsint ab ægroto vngendo, circa quod, consulantur suprá dicta, Art. 18. casu 6.

Quarto sciendum est: quód tempore interdicti, nequit hoc Sacramentum ministrari secluso privilegio, quia ad salutem necessarium non est; si veró infirmus, aliud Sacramentum nequit recipere, probabilius est, tunc eius ministrationem licere. Túm, quia hic casus extraordinarius, non censetur in iure comprehensus. Túm, quia si in eo tempore, conceditur Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, propter salutis necessitatis, ob eandem etiam rationem, tacité videtur dispensari, in hoc Sacramento conferendo, quando infirmus nequit aliud recipere, nam fieri potest, vt idem sit periculum æternæ salutis, eademque necessitas, si illud ommittatur. Dicitur autem, secluso privilegio, nam habenti Bullam Cruciatæ, potest Extrema-Vnctio, etiam tempore interdicti ministrari, etsi alia non susceperit Sacramenta, vt dicunt Henrriquez, Lopez, & Trullench. Demúm sciendum est: quód Parrochus, semper domi retinens oleum sacrum, pro eius vsu expeditiori, peccat mortaliter, vt dicunt Barbosa, & Busembaum; sed ab hoc excusari potest, si non semper sic retinet, sed aliquando, timens quod vocetur nocte, pro aliquo extremé periclitante, vt facilius possit accedere, vt asserunt ipsi authores.

Octava difficultas: De necessitate Extremæ-Vnctionis. Dicendum est: non datur præceptum aliquod, obligans per se, ad recipiendam Extremam-Vnctionem; sic tenent communiter Theologi, cum D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1. Ratio est: quia tale præceptum non est naturale, neque positivum; non primúm, quia non est ex institutione Sacramenti, cum ad salutem necessarium non sit, vt ait D. T. in addit. q. 31. art. 1. ad 2. Non secundúm, quia tale præceptum, nullibi habetur in sacris litteris, nam D. Iacobus, tantum illud introducit sub forma consilij, & quidem vt proximé vidimus. Ecclesia hoc Sacramentum prohibet tempore interdicti, quod ita non faceret, si esset necessarium necessitate medij vel præcepti, sicut hac ratione, non prohibet Pœnitentiam, nec Eucharistiam per modum viatici.

Diximus, non dari præceptum obligans per se, sed tamen per accidens, multi sunt casus, in quibus esset peccatum, Extremam-Vnctionem non recipere. Primús & certissimus est, quando ommittitur ex contemptu, in quo non includitur necessario hæresis, vt falsó putat Suarez, nam sine errore speculativo in intellectu, potest dari contemptus in voluntate, cogitando quod hoc Sacramentum, magni momenti non est, aut etiã virtualis, quando quis ita vivit, ac si non haberet talẽ legẽ; sicut Constitutiones Ordinis Prædicatorum, ad culpam non obligant, & tamen si quis ex consuetudine frangeret illas, virtualiter contemneret, & mortaliter peccaret. Nec obstat: non dari legem, de hoc Sacramento recipiendo; nam sufficit vniversalis Ecclesiæ consuetudo, quam qui transgreditur, idem virtualiter facit, ac si contemneret legem.

Secundús casus est, quando infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere, vel quia impeditus est, vel quia minister conferre non vult; tunc enim tenetur sub peccato mortali, hoc Sacramentum recipere, nam debet apponere media suavia & facilia ad salutem spiritualem, ne periculo æternæ damnationis se exponat, sicut etiam tenetur apponere media, ad salutem corporalem vtilia. Suarez, oppositum sentit, ex eo motus: quód si infirmus certo moraliter iudicat se esse contritum, cessat obligatio, quia Sacramentum, non est ei necessarium; si autem cognoscit se esse attritum, non est sufficienter dispositus, & sic in eo casu, non obligatur ad hoc Sacramentum recipiendum. Sed resp. quód talis homo, prudenter cogitat se esse contritum, cum re vera solum attritus sit, & medio Sacramento, iustificabitur & salvabitur, ideoque tenetur, ad illud recipiendum, nam contritionem certo cognoscere, valdé est difficile.

Tertiús casus est: ratione scandali, non quidem formalis & strictè dicti, quo alij moventur ad peccandum, vt Suarez vult, sed reductivé & in larga acceptione, nempé quando ratione illius actus, alij formant opinionem sinistram de tali persona, qua ratione, publica delicta, vocantur scandalosa, quia licet de facto, non inferant peccatum aliorum, inferunt tamen ex natura rei, & quia mala opinio formatur, de commitente delictum, & idem in præsenti dicendum est; videntes enim, quod infirmus, non vult Extremam-Unctionem recipere, malam de illo formant opinionem, & ideo in tali casu, mortale peccatum est, non velle suscipere Sacramentum. Quartús casus est, ratione negligentiæ, vel in afferendo, ex parte ministri, vel in petendo ex parte infirmi, sed non est mortale peccatum, quia hoc Sacramentum, non est in præcepto, est tamen veniale, ob negligentiam rei spiritualis, maximé vtilis.

Sed

Sed dubium occurrit: an volens recipere hoc Sacramentum, teneatur id facere post Eucharistiæ sumptionem? Et quidem per se loquendo, hic ordo necessarius non est. Tùm, quia de hoc, nullum præceptum reperitur. Tùm, quia Eucharistia, per se non disponit ad Sacramentum Extremæ Vnctionis, & sufficit quod confessio vtrumque præcedat. Vndé si occurrerit causa vrgens, vt quòd infirmus viaticum recipere non potest, vel alia similis, potest recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis, & si postea detur opportunitas, Eucharistiam recipere; sicut etiam recipere potest Sacramentum Extremæ-Vnctionis ante confessionem, dum confiteri non valet; dubium ergo est, quando infirmus, omnia Sacramenta recipere potest, an tunc possit pro eius libertate, Extremam-Vnctionem, ante Eucharistiam recipere, & minister similiter conferre? Circa quod videtur certum, quod talem ordinem invertere, est peccatum mortale, quia hoc modo, ageretur in re gravissima, contra probatam & communem Ecclesiæ consuetudinem, sic tenent Nuño, & habetur in Catheciſ. Pij V. part. 2. cap. 6. num. 12. Quòd etiam constat, nam Eucharistia, multo facilius datur, quam Extrema Vnctio; & hæc ex nomine ipso significat, debere in extremo agone conferri.

Sed opponit Suarez. 1. quia de ordine illo, nullum datur præceptum, cuius trangressio arguat mortale peccatum. 2. quia fuit antiqua Ecclesiæ consuetudo, Eucharistiam vltimo conferre. 3. quia hoc videtur conuenientius, cum Eucharistia sit finis Sacramentorum, & dicitur viaticum, quia est pro iter agentibus ad aliam vitam, & Extrema-Vnctio etiam datur, vt infirmus detineatur in vita præsenti. Resp. ad 1. quòd licet de hoc non detur lex aut præceptum, datur tamen vniversalis consuetudo Ecclesiæ, quod sufficit vt peccatum sit oppositum facere. Ad 2. quòd hæc fuit semper vniversalis Ecclesiæ consuetudo, & si contrarium in aliqua Ecclesia particulari fuit executum, id fortè contigit ex aliqua deceptione. Ad 3. quòd Eucharistia non dicitur Sacramentorum finis, & etiam viaticum animæ, quia sit vltimum Sacramentum quo ad receptionem, sed quia omnia Sacramenta ad Eucharistiam ordinantur, licet diverso modo, nam alia Sacramenta ordinantur ad productionem Eucharistiæ, scilicet vt digne recipiatur, sed Extrema-Vnctio ordinatur, vt gratia per illam suscepta conservetur. Exemplum est, in dispositionibus naturalibus, quarum aliquæ nempé antecedentes ordinantur ad formam introducendam, aliæ verò nempé subsequentes, ad illam conservandam.

ARTICVLVS II.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de materia Extremæ Vnctionis. Doctor quidam Theologus, practicæ & speculativæ doctrinæ laude insignis, & Parrochus Ecclesiæ cujusdam, vocatur ad conferendam Extremam Vnctionem, ægroto periculosissimé laboranti, cuius ægritudinis ea specialitas erat, vt totum corpus, pustulis esset plenum, quæ ex morbo exterius redundabant, quod cum Parrochus ille conspexisset, Extremam Vnctionem conferre noluit, ea solum causa, quod nulla pars cutis appareret, ac proinde, nullam corporis partem, oleum sacrum tangere posset. Quæritur: quid sentiendum de huiusmodi facto? Resp. quòd vir ille, miserè fuit deceptus; cuius ratio est: nam talem infirmum, absque dubio ille rebaptizasset, si certo nosceret, illum ritè baptizatum non esse, cum tamen aqua Baptismalis, æquè debeat corpori applicari, sicut oleum sacrum.

Deindé: quia omnes qui manus aut pedes illius infirmi tangebant vel movebant, dicebantur proprijssimé infirmum tangere, imò tangebant immediatè, licet tangerent pustulas illas, eo ferè modo, quo dicitur tangi immediatè illum, qui omni ex parte tinctus colore aliquo, nudus portatur in humeris; & ratio est: nam pustulæ illæ sicut & color, quandiu inhærent corpori, iudicantur partes illius, & sic illis tactis, etiam tangitur immediatè corpus; circa quod vid. supra dicta, quæst. 3. art. 2. cas. 3. in simili de Baptismo, in quo abluuntur capilli; ex quo patet, quod in casu prædicto, talis Parrochus, bonus dormitavit Homerus.

Occasione huius, aliqua iungimus de Vnctione, quæ est huius Sacramenti materia proxima; hæc enim dicitur extrema, non solum ex parte infirmi extremè laborantis, sed etiam ex parte ipsius vnctionis, quia vltima est, ex quinque Vnctionibus sacris, quarum prima fit in vertice cum quis baptizatur, secunda in fronte quando confirmatur, tertia in manibus, dum consecratur in Sacerdotem, quarta in capite & manibus, dum quis consecratur Episcopus, quinta demum, quando vngitur in sensibus corporis, & præparatur ad vltimam pugnam, & hæc vocatur Vnctio Extrema, quia ex quinque adductis, vltima est.

Quid autem dicendum, si Parrochus infundat successivé oleo benedicto, plus de non benedicto, quam acceperit ab Episcopo? R. quòd totum consecbitur benedictum, vt communiter Doctores sentiunt, & vniversæ Diœceses habent in praxi, quibus acriter disentit Quintanaduenas, dicens esse probabilius, verius & tutius, quod vt oleum maneat benedictum, requiritur quod quantitas in prin-

principio benedicta, maior sit, quam tota quantitas non benedicta superaddita, sive simul, sive successivé, varijs vicibus additio fiat. Fateor, hanc doctrinam esse tutiorem & probabilem, nego tamen esse veriorem & probabiliorem. 1. quia tot sapientissimi Præsules, oppositum sequuntur & exequuntur, quia stat pro eis receptum axioma: Dignius trahit ad se minus dignum, ex leg. quæ religiosis, de rei vindicat. Quód pluribus exemplis Theologiæ poterat comprobari. 2. quia praxis communis Ecclesiarum fert, vt Parrochi, oleis ab Episcopo acceptis, addant hodie parum quid, & sic deinceps, & hæc videtur intentio Episcopi consecrantis, vt quod paulatim in minori quantitate adijcitur, ex causa rationabili, consecratum maneat, præcipué cum benedictio passiva, solum sit extrinseca denominatio, ab Ecclesia statuta.

Sed an graviter peccent Episcopi, nisi benedicant pro infirmis tantum oleum, quantum cogitent sufficiens esse pro tota Diœcesi, absque vlla nec parva mixtione? Affirmant Quintanaduenas, quia minister Sacramenti, tenetur in eius administratione, sequi tutiorem sententiam, & consequenter etiam Episcopus, qui est Parrochus Parrochorum, tenetur eis præbere materiam, quæ reddat effectum certiorem. Sed hoc nimis durum est, cum Episcopus nequeat mathematicé metire, quantum oleum pro quolibet loco sufficiat, sed satis est si benedicat quantitatem moraliter sufficientem, & pro numero & magnitudine populorum distribuat, alijs magis, alijs minus, & vbi satis non fuerit, á Parrochis oleum non consecratum superaddatur, sed hoc necessitate vrgente, & semper in quantitate minori.

Marchantius autem, Doctor nec laxus, nec scrupulosus, ait, hanc mixtionem ingessisse illi non parum anxietatis, & ideo hæc verba subiungit, Tract. 6. de Sacr. cap. 4. in fine: Obsecro Episcopos Reverendissimos Dominos meos & Patres, cum omni humilitate, vt maiori in quantitate oleum sacrum distribuant maximé infirmorum, ne incauta mixtione, materia reddi possit dubia; sed iam diximus, hoc non esse facile, vt Episcopus ponderet, quænam olei quantitas, sit sufficiens, aut superabundans. Refert autem ipse Marchantius de quodam curato, qui mixtionem illam faciebat his verbis: hæc commixtio olei non consecrati cum consecrato pariter fiat, in nomine Patris, & Filij, &c. quam formam mutuavit forte, ex ritu benedicendi aquam benedictam; sed re vera, illa verba plus habebant de intentione recta, quam de efficacia, quia nec Christus, nec Ecclesia, contulerunt vim illi præcationi factæ á Sacerdote simplici, faciendi sacrum ex non sacro, vt etiam ait Diana, Part. 10. Tract. 16. Resol. 81.

Casus secundus, de forma Extremæ Vnctionis. Fuerunt Parrochi tres, sub formis diversis Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrantes; primus sic: vngo oculos tuos oleo sacro, in nomine Patris, &c. vt per istam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quic quid deliquisti, &c. quod in praxi erat in eius Diœcesi, secundus vero sic: vngo oculos tuos oleo sacro, in nomine Patris, &c. per istam Sanctam Vnctionem, &c. & nihil differebat á primo, nisi per omissionem causalis *vt*; tertius demum, cum spatula solum vngebat pectus dicẽdo: vngo pectus tuũ oleo sacro, in nomine Patris, &c. vt per istam Sanctam Vnctionem, &c. indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per illicitum ardorem pectoris tui, Amen. Quæritur: Vtrúm hi tres, rectè hoc Sacramentum ministraverint?

Resp. quód prima forma, in vsu est, in Episcopatu Constantienti, de qua dicunt Paludanus, Suarez, Tanerus, Dicastillo & Soto, esse probabilissimé validam; quia receptus in Ecclesia nostra est, orandi Deum modi indicativo, vt legitur in oratione secreta de communi Conf. non Pontificum, quæ incipit: laudis hostias, & specialiter cum particula *vt*, habetur in orat. secreta Dom. 23. post Pentec. Quód etiam constat: nam ex longo vsu loquendi fieri potest, vt hæc verba: vngo te, vt Deus tibi ignoscat peccata tua, veré summantur deprecativé, & hoc modo significent in aliqua Provincia, nam penes vsum, est ius, & forma loquendi, & omnes Ministri illius Diœcesis contestantur, prædictam formulam summi ab eis pro deprecatione; & hic locum habet commune dictum: verba intelligenda sunt, iuxta subiectam materiam. Vndé Ministri Diœcesis illius, in qua vsu frequenti sic fit, possunt tali forma vti, vt ait Lessius de Extrema Vnctio, cap. 1. num. 14.

Ex his constat, quid sit dicendum de facto illius triplicis Sacerdotis. Primus enim, rectè fuit vsus forma præscripta in sua Diœcesi, & in eius rituali, & sic nequit reprehendi, quia præsumitur talia verba protulisse per modum deprecationis, & similiter possunt facere absque scrupulo, omnes ministri illius Diœcesis, vbi hoc fuerit in vsu, dummodo habeant explicitam, vel implicitam intentionem orandi, cum verba proferunt. Quid autem dicendum, si quis alibi illa forma vteretur? Resp. quód peccaret graviter, nam certas formas in aliquo loco præscriptas, non licet mutare adeo notabiliter; & forté Sacramentum irritum faceret, quia in alio loco, verba non summuntur deprecativé & per modum orationis; ideoque loci consuetudo servanda est.

Secundus ille Sacerdos, videtur etiam gessisse rectè, quia formulam Romanam integré appossuit, licet illa verba antepossuerit. Tertius potest excusari, si tali ritu fuit vsus, timens quod infirmus decederet é vita, antequam ille omnes partiales Vnctiones finiret; sic ait Gobatus; sed re vera si consuli-

sulimus D.T. in addit. q.32. art.6. ad primum, pectus & cor, solum sunt radix remota peccati; proxima vero, organa sensuum. Vndé ille minister, non videtur liberari posse á peccato mortali. Tùm, quia neglexit doctrinam communem, quam apposuimus supra, de vngendis sensibus, sub eadem forma. Tùm, quia nullus Doctorum hucusque dixit, talem modum licitum esse; caveant ergo Parrochi, ne facile moveantur ab hac vel illa particulari consuetudine, tam in hac, quam in alijs materijs, sæpiùs repetendo Gratiani dictum, cap. si consuetudinem, dist.8. ex D. Greg. si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit: ego sum via veritas & vita, non dicit, ego sum consuetudo, sed veritas.

Iungitur his formula alia, qua vtebatur quis, dum proferendo verba formæ Extremæ-Vnctionis, pro *deliquisti* dicebat, *dereliquisti*. Hic enim fuit error, á Parrocho emendandus sub mortali, quia illa variatio formæ, valdé notabilis est, & scandalosa, & verbum *dereliquisti*, non solum grammaticaliter, sed etiam moraliter, diversum efficit sensum, ac *deliquisti*, consideratis circumstantijs loquentis, & Christianorum audientium, qui latinam linguam callentes, interesse poterant illi actioni, qui si talem defectum agnoscerent, tenebantur ministrum monere, vt illum emmendaret, si tamen perciperent, quod monitio sua erat profutura, quilibet enim tenetur sub mortali, proximo sucurrere, dum versatur in probabili periculo damnationis æternæ, si id possit exequi, sine gravi incommodo sui.

Casus tertius, de necessitate Extremæ-Vnctionis. Puella quedam ruri nata, vigesimum ætatis attingens annum, gravi morbo laborabat, confitetur, accipit sacrum viaticum, sed á ministro interrogata, an velit extremé vngi? Negat & quidem serio, ea falsa machinatione ducta, quod á maioribus suis audivit, extreme vnctos, non posse choreis interesse, quod cum in proximo essent dies antecinerales, cogitabat ipsa pro more choreizare, si é lecto surgeret. Instat Parrochus, hoc esse deliramentum; tandem puella stat animo, vt extreme vngatur, sed quod tempore suo monebit; quiescit Sacerdos & pergit inde, vixque domi exierat, & puella obijt. Quæritur: quid sentiendum de obligatione suscipiendi hoc Sacramentum? Ad hoc responsum dedimus, art. præcedenti, diffic. 8. nunc pro praxi sequentia iungimus.

In extremo vitæ agone, varijs & vehementibus Dœmonum tentationibus agitantur infirmi, tum contra fidem, tum contra spem, tum ex imaginatione fallaci longioris vitæ, & ex his oriuntur variæ illusiones, mentibus agonizantium sugestæ. Inventi sunt enim aliqui falsò putantes, quod extreme vncti, nequeant sertum capiti imponere, nec nudis pedibus terram pertingere, nec etiam calceos induere; alij frequenter cogitant, esse infallibilem mortem cuilibet extremé vncto. Contra hæc minister, ægros maximé debet munire, varijs pijs & efficacibus considerationibus. Pro fide & spe conservandis, fervidos actus excitare meditatione bonitatis & excellentiæ Dei, qui filium suum in mundum misit, vt nos á peccatis liberarer; & quidem meliùs erit, vt á peritis & timoratis Magistris novimus, excitare illos actus, per motivum indirectum dicendo. O si ego haberem fidem Prophetarum! O si haberem spem Patriarcharum! O si haberem charitatem Seraphinorum; quia sic virtutes supponuntur, & hisce motivis, possunt intensiores reddi.

Sigillatim verò, circa eventum in casu positum, ab ea fallacia, debet infirmus dimoveri, vera suasione facta, de eo quod ibi est diaboli laqueus, vt decipiatur anima. Ut autem videatur, quanta sit dœmonis astutia pro illis cogitationibus ingerendis, quamque sit falsum, quod sacra Extrema Vnctio mortem acceleret, sequentes possunt historiæ contemplari, & suo tempore infirmis prudenter referri. *Prima* legitur apud Nicolaum de Nissa, in libro cui titulus: *Gemma prædicantium*, vbi scribit, quod cum vir magni meriti fuisset interrogatus, an vellet vngi? Renuit dicendo: nolite obsecro id facere, quia hoc est præambulum mortis, atque inter hæc verba vitam finivit; cumque lintea minibus involueretur; res mira! oculos aperuit dicens: quia Extremæ-Vnctionis Sacramentum abhorrui, centum annis Dei iusto iudicio in Purgatorio torquebor; & si vnctus fuissem, de infirmitate convaluissem, nam sacra vnctio, non est mortis acceleratio, sed potius dilatio, & his dictis iterum expiravit.

Secunda tradditur á Gobato, & reducitur ad hoc: Romanorum Rex Rupertus, á Dœmone, hanc diabolicam sugestionem hauserat, vt crederet extreme vnctos, statim de hac vita migrare. Distulit ergo Princeps ille, vrgente infirmitate lethali, hoc Sacramentum suscipere, ob mortis periculum quod timebat; sed instantibus plurimis viris doctis atque gravibus qui circumstabant, assentit ægrotus, ne amplius differat, & cum adstantibus omnibus vngeretur, fusis orationibus assuetis, pro salute mentis & corporis, ait infirmus satis lætus: re vera, si huius Sacramenti virtutem cognovissem adeo profuturam, ipsum citissimé & devotissimé postulassem, tandem hoc celesti antidoto experto, de infirmitate convaluit, & per plures annos pijssimé vixit.

Tertia historia, plus quam præcedentes miranda, adducitur á Iacobo Massenio in Anima Historiæ, lib.7. num.56. ad annum Christi 1548. quæ est tenoris sequentis. Maximilianus Belgicus heros, & Buræ Comes, vir vndique clarus, ex legatione quadam, infirmitatem gravem contraxit, & monitus

á peritiſsimo Medico, extremam ſibi horam per ſingula momenta imminere, nullam turbationem accepit æger, ſed iuſsit inſtrui convivium apparatu inſigni, omnique gaza & argentea ſuppellectili expoſita, amicos deindé ad menſam vocavit, & cum illis comedit, ac liberalitate ſingulari & rara, inter præſentes partitus eſt, nihilque de vltimo inſtanti commotus, quaſi ad meliorem vitam & divitias tranſiturus, omnibus vale dixit, & indé in lecto compoſitus, mortem expectavit, omnibuſque Sacramentis confortatus, animam creatori reddidit. His & alijs exemplis, poſſunt infirmi coadiuvari, vt de recipienda ſacra Vnctione non reformident, cum in ea ſita ſit, animæ & corporis ſalus, & munimentum contra ſæuos dœmonum incurſus.

Caſus quartus, de ſubiecto Extremæ-Vnctionis. Vulgaris homo, ex taberna vinaria egrediens, tot comprimitur viſcerum doloribus, vt videretur circumſtantibus omnibus, vi morbi, vitam eius finiendam. Acceſsit ſubito confeſſarius, & eius confeſsionem talem qualem audivit & abſolvit, cogitans hominem, eſſe illius capacem; rogatur poſtea Parrochi cooperator, vt illum extreme vngat, qui conſtanter renuit petitioni aſſentire dicens, hominis illius genium, eſſe probe ſibi notum, & quod nullum ei mortis periculum imminet, ſed nimio potu madet & quod brevi ſomno corripiet muſti crapulam quam eructat, & omne diſcrimen vitæ depeller. Quæritur: an factum huiuſmodi poſsit imitari? Reſp. quód in circumſtantijs prædictis, imitari poteſt, nam paulo poſt convaluit homo ille, qui omnium iudicio iam ſepeliebatur, ad quod iuvabit non parum, quod Parrochus noſcat eius vitam.

Huiuſmodi caſu permoti, ſubiungimus aliqua, de qualitatibus inungendorum. Diximus enim ſupra, diſſi. 6. quod ſolus infirmus, poteſt Extremainctionem recipere, iuxta verba D. Iacobi: infirmatur quis in vobis; ad quod non ſufficit infirmitas quælibet, ſed requiritur vt ſit afferens mortis periculum. quod indicat D. T. in addit. q. 32. art. 2. vbi ait: Illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc quod ægritudo, nata eſt inducere mortem, & de periculo timetur; quod adeo eſt verum, vt ſi tale periculum non detur, vel in re, vel in opinione prudenti, nec licité, nec validé miniſtratur Extrema-Vnctio, vt aſſerunt Suarez, & Coninch.

Dubitabis: quid intelligatur per infirmitatem, mortis periculum inducentem? An ſolus morbus actionem vitians, an omnis debilitas, probabiliter mortem allatura, vt ex metu, fame, cruciatibus, partus doloribus & ſimilibus? Difficultas eſt, maximé conducens ad praxim, á qua plures reſolutiones pendent. Verba D. T. proximé adducta indicare videntur, requiri morbum proprié dictum, quod etiam ex verbis D. Iacobi conſtat, vbi pro *infirmatur*, habetur in Græco: *ægrotat*, & de Lazaro veré ægroto legitur: Ecce quem amas infirmatur. Cardinalis Toletus, & Saa dicunt, Extremam-Vnctionem conferendam eſſe morti propinquis, ex morbo, ex vulnere, vel ex partu, & idem ſentiunt Tanerus & Palaus, & Quintanaduenas ait, quod licité confertur ſacra Vnctio ei, cui aliquando vehemens remedium applicandum eſt, in quo timetur poſſe deficere, vt ſi pes vel manus debeant reſecari, vel alia pars corporis, ob vulneris grangrenam, vel venenum ſerpens, vel ſi mulieri aliquod pectus abſcindendum eſt.

His rectè perpenſis, acquieſcere poſſumus reſolutioni horum particularium caſuum, & ſic generaliter dicimus, quod nomine infirmitatis, non ſolum intelligitur morbus vulgariter dictus, vt febris, thiſis, epilepſia, vel cholica, ſed ſufficit quælibet corporalis debilitas periculoſa. Túm, quia Concilia, vtuntur generali vocabulo infirmi. Túm, quia inſtitutio Sacramenti, eſt ſummus favor ſine onere vllo, & ſic laté debet interpretari. Túm, quia totus finis & effectus huius Sacramenti, convenit omnibus, ex quavis infirmitate debilibus & periclitantibus, nam vbi eſt eadem ratio, etiam eſt eadem legis diſpoſitio. Vndé ille qui ob abundantem ſanguinis fluxum é naribus, eſt in diſcrimine mortis, vngi poteſt ſacra Vnctione.

Quid autem dicendum, de muliere, vehementiſsimis partus doloribus agitata, nulla altera infirmitate laborante? Reſp. quód illa poteſt vngi oleo ſacro. Túm, propter rationem proximé attactam. Túm, quia ſic aſſerit Vivaldus, ſe quadam occaſione in praxi vidiſſe, & ait ſimiliter facturum, ſi offerretur occaſio, & loquitur de puerpera, in qua morbus alter non apparet; licet autem Bonacina; videatur his diſſentire; ſed re vera ſolum ait, quod partus præciſé non ſufficit, & hoc idem aſſerimus nos, periculum enim commune in partu repertum; non eſt cauſa ſufficiens Vnctionem miniſtrandi, ſed quando alias imminet mors, vel ex diſpoſitione parietis, quia experta eſt in eo caſu periclitari, aut quia eo anno mulieres frequenter in partu moriuntur, vel etiam quia fœtus, violenter extrahendus eſt; ſic tenent Silveſter, Navarro & Alcozer; ſi autem fœmina fluxu ſanguinis, vel alia infirmitate iuncta partui laboret, tunc datur duplex cauſa, vt vngatur oleo ſacro.

Sed quid cenſendum, de damnatis ad ſuſpendium, vel aliud ſimile ſupplicium? Hi non poſſunt extreme vngi, vt ait D. T. in addit. q. 32. art. 1. & rationem dat, quia hoc Sacramentum, illorum tantum exeuntium eſt, quibus corporalis curatio competit, quod damnatis ad mortem non convenit. Accidit autem non ſemel, quod malefactores, ad varia tormenta expoſiti, rota vel ictibus & contuſionibus fracti, pro diverſitate nationum, diu poſtea vixerunt, poſt illam hortificam confractionem;

quid

quid si illi miseri, sacram postulassent Vnctionem? Resp. ipsis debere conferri. Tùm, quia nulla positiva lex, id prohibet. Tùm, quia hoc non pugnat reverentiæ Sacramenti, quia nullus locus, est pro illo determinatus. Tùm, quia illis veré imminet mors ex vulnere, & illi sunt, huius beneficij spiritualis capaces.

Et si inquiras: an senio confectus, sic decumbens, & nulla alia infirmitate compressus, possit vngi oleo sacro? Resp. affirmativé; sic habetur expresse, in Conc. Mediol. 4. & Armilla verbo vnctio, num. 6. ait: His qui præ senio deficiunt, sine actuali infirmitate, vnctio datur, & patet ex dicto communi: Senectus ipsa, morbus est, sic asserunt Toletus, Dicastillus, & Tanerus. Vndé infert Quintanadueñas, quod thisi confirmata laborantes, senibus assimilantur, & ideo extreme vngi possunt, cum adest probabile dubium de morte vicina, & datur periculum insperatæ suffocationis; idem ait Gobatus. de illo cui carnifex iussu Magistratus aperit venam, non nisi morte claudendam, & de venenatis per morsum viperinum, nam illi sunt sauciati vulnere lethali. Peste vero infecto, accedere licet Parrochi domum, & illi Vnctionem petere, si aliam occasionem non habet, nam vt vidimus, pro sacra Vnctione, non est locus destinatus, sicut nec est determinatus corporis situs, & ideo in quavis corporis positione potest Extrema-Unctio conferri, vt sentit Uvigers.

Casus quintus, de Ministro Extremæ-Vnctionis. Princeps quidam valde religiosus, pius & timens Deum, cum solum in minoribus esset ordinibus constitutus, se ad somnum componens, & in eo mortis imaginem conspiciens, quadam assimilatione Christiana, sibi adumbratam Vnctionem Extremam, aqua benedicta signando corpus adhibebat, dicens: per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat mihi Deus, quicquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commisi, & quicquid in corpore per sensus externos, contra rationem & virtutem deliqui. Quæritur: quid iudicandum de huiusmodi facto? Resp. quód actio illa, fuit valdé religiosa & devota, quia possit ab aliquo, vel apparenti ratione impugnari. Tùm, quia omnes Christiani, se cruce signando, vtuntur millies, parte formulæ Baptismi dicendo: in nomine Patris, &c. Tùm, quia nihil prohibet, quod eisdem verbis sacratissimis, ad certum finem institutis, vtamur cum reverentia, ad alium finem pium, vt fecit S. Bonaventura, Davidicum Psalterium, Beatissimæ Virgini applicando. Vndé ex casu prædicto inferre non licet, alios præter Sacerdotes, esse Extremæ-Vnctionis ministros, quia vnctio de qua fit mentio, non fuit Sacramentalis, sed puré ceremonialis, ex christiana devotione procedens.

Supposito ergo, quod soli Sacerdotes, sunt huius Sacramenti ministri, vt iam supra resolutum manet, art. præced. difficil. 7. pro eius recta praxi, sequentia notare debent. 1. quód ministri hoc Sacramentum conferentes, debent esse in statu gratiæ, sicut hoc ipsum requiritur, ad confectionem aliorum Sacramentorum. 2. quód sint immunes á censura; si autem alius minister non adest, potest excommunicatus ministrare, si nequit ante Vnctionem, absolutionem impetrare. 3. quod si vngendus fuerit Sacerdos, manus eius vngi debent exterius, quia iam in sui ordinatione, in parte interiori bolæ manus, fuit vnctus. 4. quód de festinatione in conferendo, quando est periculum in mora, debet maximé curare, licet opus sit per plateam decurrere. 5. quód nec nimis celeriter in exordio infirmitatis (quod ignorantia fuit alicuius, vt ab hoc munere expediretur) nec nimis tarde, deficiente omnino sensu conferatur, sed quando iuxta prudens iudicium medicorum, vel assistentium, timetur proximum mortis periculum.

His opponi potest, factum præclarum S. Heduvigis Poloniæ Ducissæ, quæ nullo morbo tentata, sed de illo & de morte proximé imminente divinitus admonita, petivit sacram Unctionem; & obijciente ancilla, quod nondum erat tempus, cum esset omnino incolumis, illa respondit, hoc verum esse, sed tamen opportebat considerare, quod per hoc Sacramentum, morituri armis spiritualibus muniebantur, & debebat recipi cum summa devotione, quod fieri non poterat á destituto sensibus, qualiter ipsa brevi intervallo erat extitura, & eius fuit desiderio satisfactum, posteaque infirmitas accidit, sicut illa prædixit. Sed resp. quód hoc potius debet mirari quam imitari, nam minister, credere non debebat dictis præclaræ fœminæ, quamvis sanctitate atque prodigijs esset illustris, vt operaretur contra Ecclesiæ Catholicæ morem, statuentem, quod solum actu infirmis, debet hoc Sacramentum conferri.

6. Debet notare, quod si dubitet de vita infirmi, debet eum vngere sub conditione; sed si Vnctione incepta, clare videtur iam expirasse, ab vngendo desistat, sperando quod prioris sensus vnctio, illi profutura est, ad vitam æternam, si tunc adhuc haberet vitam. 7. notare debet, quod si in casu necessitatis, omnes sensus celeriter vngat sub eadem forma, modo supra dicto, prius apponat verbum *deliquisti* dicendo: per istam sanctam Vnctionem, &c. indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per vissum, auditum, &c. nã si migraret é vita, ante prolationem verbi *deliquisti*, nihil efficeretur; vt ergo in vanum non laboret, præponat verbum illud, quia nominatio sensuum, probabile est, de essentia non esse, licet re vera, hæc angustiæ adeo strictæ, raro possint evenire; si autem aliquando eveniant, si eis præteritis, adhuc vivit infirmus postea repetatur tota forma, vt apte suppleantur omissa,

sed

sed Vnctio non repetatur, sufficit enim si tota forma, pronunctetur immediatè ante totam Vnctionem.

Quid autem faciendum cum infirmo, qui prima Vnctione adhibita visus fuit mortuus, & ideo Sacerdos destitit, & post horam iterum vivus apparuit? Resp. quód tunc debebat repeti Vnctio prima, quia notabile spatium inter materiam & formam intercessit; sic ait Tambur. & addit, quod si ille reputaretur extinctus, post duas primas Vnctiones, & iterum reviviscceret, illæ duæ Vnctiones cum suis formis repeti debebant, quia hoc Sacramentum ex communi sententia, perficitur in vltima Vnctione, vt supra vidimus, ac proindé nimium inter se imbicem distarent partes eiusdem Sacramenti, non repetendo Vnctiones priores. Si autem alicui ægroto Vnctione incepta subito evenit paroxismus, tunc ab Vnctionibus restantibus cessari debet, quia illi tunc, defecit intentio recipiendi Sacramentum; sed si non fuerit ad tantam debilitatem redactus, tunc licuisset aut forté oportuisset pergere vlterius, nam moraliter censetur, hanc esse voluntatem infirmi, licet in re, postea non sequatur mors, nam rerum iudicium prudens, non est desumendum ex eventu, sed ex circumstantijs concurrentibus, & memoriam præcedentium; vndé ortum habuit, illud commune dictum: Pareat successibus opto, quisquis ab eventu, facta notanda putat.

Casus sextus, circa idem. Periclitabatur extreme infirmus quidam, & solum per brevissimam morulam, vt putabatur, ei halitus supererat, quod cum pro agone vltimo esset extreme vngendus, & tempus adeo esset angustum. Quæritur: an duo Sacerdotes, possent simul Vnctionem sacram ei conferre? Casus hic, in duplici sensu potest intelligi. Primó, taliter quod vnus minister, faciat Vnctionem & applicet materiam, & alter proferat formam, & in hoc sensu dico: hoc nullo modo fieri posse, & Sacramentum erit nullum, si ab illis duobus Sacerdotibus conficiatur; quod videtur colligi, ex verbis D. Iacobi dicentis: orent super eum vngentes, vbi significatur, quod idem debet esse vngens & orans, seu formam proferens. Deindé constat. Túm ex ratione generali Sacramenti, nam quando huius materia proxima, est actio ministri, debet ab eo per formam determinari, vt vnum Sacramentum constituant. Túm, quia Baptismus, est maioris necessitatis quam Extrema Vnctio, & tamen in illo, nequit vnus materiam applicare, & alius formam proferre, vt diximus supra, q. 3. art. 2. cas. 7.

Dices 1. quód est diversa ratio in Baptismo, nam eius forma est indicativa, & sic redderetur falsa, si vnus proferat illam, & alter materiam apponat, forma autem Extremæ Vnctionis, est deprecativa, ex qua in eo casu, nulla falsitas sequeretur vt constat. Resp. quód licet forma huius Sacramenti, sit deprecativa, æquivalet indicativæ, nam illa significat verum vt diximus supra, & ideo nequit proferri ab vno, altero materiam applicante. *Si dicas* quód in Sacramento Pœnitentiæ, materia apponitur á pœnitente & forma á Sacerdote, & sic non repugnat, quod materia & forma Sacramenti, á diversis ponantur. Resp. hoc esse speciale Pœnitentiæ, nam cum sit per modum iudicij, pœnitens qui reus est debet materiam apponere. & Sacerdos qui est iudex, formam & sententiam proferre.

Secundus sensus propositi casus est: an in administratione huius Sacramenti, possit vnus Sacerdos aliquas Vnctiones cum suis formis facere, & alius, alteras Vnctiones & formas? Resp. affirmativé; sic tenent expressé D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. Soto, Silvester, & Tabiena, quorum ratio est: quia licet per primas Vnctiones, non sit confectum verum Sacramentum, est tamen confecta vera pars substantialis illius, quæ non est iteranda sine vrgenti necessitate, & ideo Sacerdos secundus, solum debet Sacramentum perficere, per reliquas Vnctiones, cum suis proprijs formis. Sed notandum, quod licet Sacramentum, sic confectum validum foret, sed Sacerdotes ita operantes absque necessitate, mortaliter peccarent, quia agerent contra vniversalem Ecclesiæ consuetudinem in re gravissima, si autem necessitas esset maximé vrgens, & timeretur ægrum sine Vnctione decessurum, vt in casu proposito, satis probabile est, licité fieri posse, nec aliqua in oppositum potest ratio assignari; sic ait Nuño.

Dices 1. quód nullus auderet, sic conficere hoc Sacramentum contra vsum Ecclesiæ vniversalis. 2. quia in Concil. Flor. & Trident dicitur ministrum huius Sacramenti, esse Sacerdotem & non Sacerdotes. 3. quia sic conformatur minister Sacramenti cum Christo, qui solum est vnica persona, vt ait D. T. 3. p. q. 67. art. 6. Resp. ad 1. vsum illum esse vniversalem, quia casus noster, rarissimé contingeret potest, & casus rari, nec sunt in exemplum adducendi, nec præiudicant consuetudini vniversali. Ad 2. quód ibi ponitur minister ordinarius, qui est vnicus Sacerdos, & hoc etiam probat ratio quæ adducitur in arg. 3. quæ solum est quædam congruentia, nos vero loquimur de ministro, pro casu extraordinario.

Habetur ex dictis: quód si Sacerdos Extremam-Vnctionem ministrans, antequam eam perficiat moriatur, vel non possit vsque ad finem pergere, alius Sacerdos, perficere potest quod restat. Hanc resolutionem & casum ponit D. T. in addit. 3. p. q. 29. art. 2. arg. 2. his verbis: In aliquo casu, Extrema-Vnctio non potest perfici ab vno ministro, sicut si post primam Vnctionem factam, Sacerdos moriatur, tunc enim alius Sacerdos, debet vlterius procedere. Nec obstat hoc, vnitati Sacramenti; nam res-

respondet D.T. quod ministrorum pluralitas, non tollit vnitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum, non tolli vnitatem operationis fabri. Hoc ipsum patet, exemplo Eucharistiæ; si enim Sacerdos moreretur post consecrationem panis, aut fieret impotens, ad Sacramentum perficiendum, deberet perfici ab alio Sacerdote, vt præscribitur in Romano Missali, & sic idem de Extrema-Vnctione dicendum est.

Nec dicas, esse diversam rationem in Eucharistia, quia ibi est vera consecratio, & species panis, est verum Sacramentum, & ideo in prædicto casu, debet alius Sacerdos Sacramentum perficere, & non iterum incipere á principio, hoc autem in Extrema Vnctione non reperitur, & sic in casu dicto, debet secundus Sacerdos, Vnctionem á principio repetere; sicut si confessor audiens peccata moritur, alius Sacerdos, omnia peccata debet á principio audire. Resp. quód licet in Extrema-Vnctione, non sit tanta necessitas sicut in Eucharistia, est tamen sufficiens necessitas vt ita fiat, in Sacramento autem pœnitentiæ, diversa est ratio, nam cum confessor absolvens, sit iudex, debet omnia delicta cognoscere, vt de omnibus sententiam proferat, quod in Extrema Vnctione non reperitur.

Casus septimus, de repetitione Extremæ-Vnctionis. Mulier quædam, quoties morbo periculoso, ex adversa valetudine corripiebatur, toties sacram Vnctionem expetivit & impetravit; post toties repetitam, in alium fuit morbum relapsa, & voluit iterum vngi; curatus renuebat, quia mortis discrimen non advertit, sed instante muliere, valdeque ponderante dolores, eius petitioni cessit. Quæritur: an recté fuerit operatus? De hoc agit D.T. in addit. 3.p. q.33. art.1. & nos aliquid supra egimus, art. præced. diffic. 6. Nunc ad casum positum. Resp. quód huius Sacramenti minister, debet esse iudex in hac causa, quia tenetur Deo reddere rationem, de administratione Sacramenti, & iudicium debet formare, ex statu ægri Sacramentum petentis, quia pauciſsimi sunt, qui illud petant, quando non est morale periculum, sed si pensatis omnibus circumstantijs, tale periculum non agnoscatur, ministrare non debet, quia periculum iudicari debet secundum existimationem hominum, vt ait D.T. loc.cit. ad 2.

Sed circa hoc notet minister 1. quód non sit nimium scrupulosus, circa iterationem huius Sacramenti, quia cum certum sit, hoc Sacramentum non imprimere characterem, ideoque iterabile esse ex natura sua, & alius nulla lex determinet, an & quoties, liceat iterare vel non, minister inclinetur potius in iterationem, quam in omissionem, præcipué si hoc fuerit gratum ægro, memor illius dicti D. Leonis Papæ: Non temeritas intervenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis; & ratio est; quia Extrema-Vnctio instituta est, pro infirmo periculosé laborante, ac proindé, quoties novo laborat periculo, toties iterari potest, & vt adsit novum periculum, non requiritur maius temporis intervallum, quã quod necessariũ est, vt infirmus dicatur evasisse periculum prius; sic tenent Gaspar Hurtado, & Dicastillo; intervallum autem illud, sufficit quod sit vnius hebdomadæ, vt iterum possit vngi, si iudicio medici, fuit post vnctionem priorem constitutus, extra proximum periculum mortis; sic ait Barbosa, de Parroch. cap.22. num.38.

Accidit autem aliquando, circa Extremæ-Vnctionis iterationem, quod vocaretur Parrochus ad vngendos tres infirmos, in deliquio iacentes, accurrit & in eo statu vnxit omnes, qui postea in se reversi & interrogati de factis, respondérunt, se nihil scire de Sacramento sibi collato. Quid faciendum, an iterandum? Resp. quód si iudicetur, aliquem ex illis ægre id tulisse, interrogetur, & sic dissolvetur dubium; si autem dubium manet, præsumendum est, quod libenter susceperit: nam communiter censetur; quod catholici ratum habent, quicquid cum eis in illo articulo, ex bona fide & charitate exequitur; si verò de aliquo eorum, patenter agnoscitur, quod sacram Vnctionem ægre tulit, manifestum inditium est, habuisse positivam intentionem, non recipiendi Sacramentum; quare de intentione interrogetur, & si domesticis ostendit, se male contentum de facto in Sacramenti receptione, & postea obmutescit, antequam á Parrocho interrogetur de sensu verborum, non est ratio cur repetenda sit Vnctio; sed re vera, nullum cogito inter Christianos reversum in se, sic posse de Sacramento suscepto inquietari, postquam iam constitutus fuit, in tenebrarum & vmbræ mortis confinio.

Iungimus pro his, casum alterum huius speciei. Vocatus fuit Parrochus, ad extremé vngendam fœminam acerbissimis doloribus oppressam, & iuxtá ipsi factas interrogationes, Sacramentum hoc desiderantem, quod recepit. Sequenti die, remissis doloribus, & ipsa meliús habente, compertum est á pluribus, quod dum vngebatur, non erat compos rationis, de quo illa rogata, respondit, se nihil de Sacramento scire. Vespere autem ingravescente morbo, Parrochus eam invisurus advenit, & de his omnibus, informationem á domesticis audit; interrogat ab infirma, an præterito die, si fuisset rationis compos, Sacramentum hoc postulasset? Et illa affirmativé respondit; quia credit omnia de hoc Sacramento necessaria; & Parrochus ait, hoc sufficere, nec licere tunc, sacram Vnctionem repetere.

Rectè quidem gesit, & factum hoc, nondum vsu peritis, potest vt exemplar deserviré, & illud in similibus imitentur eventibus; exemplar voco, nam debet sedulitas illa Parrochi, invisentis infirmum quem vnxit, vt exemplar haberi. Sunt enim

aliqui, Proh dolor! Qui dum Extrema-Vnctione munierunt moribundos, nec semel quidem revertuntur ad illos, si tantum per horæ quadrantem domicilio distent, obliti omnino triti axiomatis: vbi periculum maius intenditur, ibi proculdubio, est plenius consulendum; tanto vero maius periculum adest, quanto mors est vicinior, tunc enim maximé, serpens tartareus & antiquus, insidiatur calcaneo morientium, vt vtamur Trident. phrasi. Est ergo pernitiosus error eorum, qui se circa infirmos, omnes sui pastoralis officij partes impleviſſe cogitant, quia Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ-Vnctionis ministrant, & nihil vltra monent. Sed dicant ipsi: quid prodest homini suscepisse gratiam, si eam ante mortem amittat? Et quam hoc facile sit, satis est notum, quia tunc sunt graviores Dœmonum insultus, vis infirmitatis acrior, animus fractior. Heu quam sæpé & quam fœda, in ipso portu naufragia sunt experta, á latentibus scopulis, anguſtis faucibus, irruentibus procellis? Dúm magister navis, vel abest, vel dormit; & diabolus iactatur lætus, quasi iam de re sua tota securus; adeat ergo tunc Parrochus, etiam non vocatus, vt pro suo munere, possit infirmis extremé periclitantibus opem ferre.

Casus octavus, de effectibus Sacramenti Extremæ-Vnctionis. Infirmus quidam, magno febrium æstu tenebatur, & inter confitendum vrgente morbo, de potestate mentis exivit, & se inferorum æternis cruciatibus addictum esse clamabat, quin nullius orationi præberet aures. Sacerdos veró assistens, eius furorem cognoscens, accurrit ad præsidia divina, quia deficiebant humana, & suos domesticos monet, vt sacrum oleum, quod infirmus desideravit, & postulavit antequam insaniret, curarent celeriter afferendum, & factum est ita. Mira res! statim ac oleo sancto fuit vnctus, recuperavit mentis sanitatem & paulo post, etiam corporis valetudinem; sic refert Antonius Daurioltius. Occasione huius disquirendum est, de effectibus Sacramenti Extremæ Vnctionis, de quo supra, diffic. 4. & 5, pro speculatione differuimus, nunc sequentia superaddimus.

Primó: quód ex Trident. Sess. 14. de Extrem. Vnct. cap. 2. habentur hæc: Res etenim hæc, gratia est Spiritus Sancti, cuius Vnctio, delicta si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores, levius fert, & tentationibus Dœmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur. Hæc Concilij verba, summatim accingunt Sacramenti Extremæ Vnctionis effectus, qui ad sex reducuntur; primus est gratiam conferre; secundus, peccata si quæ remanent expiare; tertius, peccatorum reliquias abstergere; quartus, ægroti animam alleviare, & in ea spem erigere; quintus, contra Dœmonum tentationes confortare; sextus, corporis sanitatem, si animæ fuerit expediens conferre.

Sed notandum est: quód licet collatio gratiæ, non sit effectus primarius, & per se huius Sacramenti, sed quasi per accidens, quatenús per alia remedia iam acquiri non potest, aliquando tamen hoc sufficit, vt Sacramentum possit conferri, alicui subiecto, quod incapax creditur effectus primarij, qualis est phreneticus, de quo moraliter iudicatur, nunquam sanam mentem in vita sua recepturum, nec est tentandus, vel ad spem & fervorem excitandus; talis enim, cum effectus primarij non sit capax, consequitur per accidens peccati mortalis remissionem, si forté adhuc, ei aliquod remittendum restet. Vndé, licet nemo ratione præditus, suscipere possit hoc Sacramentum, quin credat probabiliter se esse in gratia, potest tamen conferri phrenetico, de quo iudicatur esse in peccato mortali, dum credatur illum esse attritum, quod de quolibet Christiano in illo statu præsumendum est, nisi moraliter constet de opposito, vt si forté inter peccandum, subito destituatur sensibus, antequam possit attritionem habere loquendo modo humano, de quo Suarez, Disp. 42. sect. 1. num. 10.

Constat ex his, quod minister huius Sacramenti, potest aliquando intendere, conferre primam gratiam, ei quem probabiliter timet, esse adhuc in peccato mortali, dum speret eum esse attritum, quando nullo modo potest confiteri; sed é contra suscipiens, nequit hac intentione recipere, si probaliter credit, se esse peccato mortali maculatum. Ratio vtriusque est: quia cum hoc Sacramentum, non sit per se institutum ad remmitenda peccata mortalia, sed solum per accidens, & in casu quo aliter remmiti non possunt, nemo ratione vtens potest illud recipere, nisi moraliter credat se esse in gratia, vel per contritionem, vel per confessionem peccatorum ei occurrentium; secus est de ministro, cui sæpé contingit, infirmum in ea dispositione reperire, vt nequeat illi aliud Sacramentum ministrare; vndé patet vtriusque differentia.

Comprobationes de effectu Extremæ-Vnctionis, quo ad sanitatem corporalem, cum animæ fuerit expediens, attulimus supra casu 3. quibus adnectimus sequentes á Gobato adductas. Puella quedam, iam ad extremum agonem, Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ munita nolebat exhortationibus acquiescere, vt reciperet Vnctionem sacram, quia falso arbitrabatur fore sibi fatalem; sed minister assistens, eá ab hac stulta opinione dissuasit, vt pie crederet, eam Vnctionem medicinam esse, etiam corpori sanando paratam, & ita illa se vngi permisit, plena spe recuperandi sanitatem, nec fefellit eventus, nam Vnctione peracta, lenius respiravit,

&

& sequenti die, confessori invissenti, omnino incolumis occurrit. De alio similiter é vita desperato ob gravem morbum, & propterea sacram Unctionem recipiente, & sanitatem recuperante, contestarunt medici peritissimi, non aliter fuisse liberum, nisi per hoc celeste remedium; vtrumque refert author prædictus, de visu & auditu.

Sed quid faciendum, in laborantibus veneficijs, & positis in periculo mortis, in quibus ad sacræ Vnctionis contactum, in ea parte corporis quæ vngebatur, cessavit maleficium, v.gr. in auribus, non autem in capite, sed ibi graviores fuerunt dolores exorti; licet ne in capite, humeris & brachijs inungi Sacramentaliter dicendo: Per istam Sanctam Vnctionem &c. indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per illicitum tactum capitis, humeri, brachij? Cùm tactus sit per totum corpus sparsus, & si hoc non: an posset fieri Vnctio devotionalis in nomine SS. Trinitatis? Resp. quód Unctio Sacramentalis, nequit fieri modo prædicto; sicut enim licitum non est, mutare materiam vel formam Sacramentorum, sic nec subiecta mutare licet, nisi in casibus permissis ab Ecclesia, quæ est interpres institutionis Christi. Vnctio verò devotionalis, in vsu Ecclesiæ non est, & ideo licet eventus illi sint ita mirabiles, ex nulla ratione possumus coniectare, talem pietatem placuisse Christo institutori, & ideo hoc resolvere non audemus, quod insinuari videtur á D.T. in addit. q.32. art.6. ad 2. & 4.

Casus nonus. de obligatione Parrochorum, ministrandi Extremam Vnctionem. Populus quidam vniversalis pestis contagione grassabatur, cuius periculum Parrochus eius maximé timebat. Quæritur: an cum periculo vitæ suæ, quod tunc imminebat, teneretur infirmis assistere, illisque Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare? Notandum est: quód Parrochus in eo casu, debet vti remedijs præservatis, vt periculum possit evadere, nempé obligando infirmum, vt in loco puro & patenti collocetur, & summendo antidota præservativa, vngendoque infirmum virgula oblonga, & ministrando tantùm ea quæ sunt necessaria; sed casus est, quando tentatis omnibus his, adhuc vitari non potest, morale periculum contagionis. Resp. igitur: quód in eo casu, Parrochus tenetur subditis suis, hoc Sacramentum ministrare, etiam cum periculo notabili vitæ. Ratio est: quia Parrochus tenetur ex iustitia, ad ministranda Sacramenta, & ex quadam virtuali conventione, nam recipit stipendia á fidelibus, vt eis spiritualia ministret, & ex opposito, esset in Ecclesia magna turbatio, quia nullus tempore pestis, vellet Exeremam-Vnctionem ministrare.

Deindé: quia Duces & milites, ex officio tenentur regulariter tempore militiæ, ad exponendam vitam pro republica, & si non sit necessitas extrema, & sic idem de Parrochis dicendum est. Tandem: quia magis tenentur ad hoc Parrochi, quam alij Sacerdotes; isti autem tenentur, quando non est periculum, & consequenter Parrochi, etiam cum periculo tenentur; & idem dicendum de Prælato Religionis, quo ad suos subditos, nàm licet ab eis non recipiat stipendium, recipit tamen locum honorificum, & sic videtur esse inter illum & subditos, eadem virtualis conventio, quam in Parrocho & subditis appossuimus.

Suarez, in fine Tractatus de Extrema-Vnctione, oppositum huius sentit dicens; quód Parrochi, absoluté non tenentur ministrare hoc Sacramentum, cum morali periculo vitæ corporalis. Sed hic modus sentiendi, est omnino falsus, vt ait Nuño, quod constat ex rationibus annotatis proximé; insuper, quia media quæ ait Suarez apponenda esse, licet mortem vitent, sed non periculum eius; concedimus enim, quod si mors, nullo modo posset vitari, sed sequeretur manifesté, non tenerentur Parrochi hoc Sacramentum ministrare; tenerentur tamen, si non posset vitari mortis periculum; supponimus enim, quod semper est periculum, sed nescimus quando de facto mors sequetur, & in eo casu dicimus, teneri Parrochum ad ministrandum hoc Sacramentum.

Roboratur magis dictum nostrum: nam de Episcopis ait Trident. teneri ad residendum, intra propriam Diœcesim habitando, & nullo modo discedendo, nec distinguit inter tempus pestis & alia tempora, & rationes tunc maximé vrgent, quia communiter, maiores tunc fiunt defectus, nisi adsit Prælatus. Nec valet dicere: quód hic ex loco distanti, potest sufficienter suis subditis per alios providere. Non inquam valet 1. nam Christus non dixit Petro, pascere fac, sed pasce oves meas. 2. nam in periculo, vel persecutione propria, Episcopus fugere potest, secus in periculo, & necessitate communi, vt ait D.T. 2. 2. q.185. art.5. Vnde dicit Nicol. Pontifex, cap. sciscitaris 7. Quæst. 1. si pernicioſum est, nautam in tranquillitate, navim desserere, quanto magis in fluctibus? 3. nam experientia constat, quod eo tempore, magnæ fiunt deceptiones, inter Prælatum & ministros, & sic ex loco distanti, nequit haberi certitudo de statu rerum. Præterquam, quod habitatores loci vbi Episcopus habitaret, non permitèt ad se venire legatos ex loco pestilenti. *Si dicatur*: quód Episcopus, poterit esse solus cum famulis in loco deserto; contra est idem argumentum: nam vel frequenter veniunt legati, & sic est idem periculum, vel non veniunt, & sic nihil potest certo sciri, vndé providere ex loco distanti chimericum est.

Hoc ipsum, quod ait Suarez de Episcopo, asserit etiam de Parrocho, nempé quod non est cogendus in conscientia, habitare in loco vbi pestis viget, si relinquit ibi sufficientem vicarium. Sed hoc etiam displicet, & in contra reddunt argumenta

circa

circa Episcopos facta; & vlterius,quia absente Parrocho omnes ministri erunt mercenarij, & sic facile discedent, nam vt dicitur Ioann. 10. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Nec hoc audiens populus Christianus, desineret scandalizari & contristari, nam sequeretur, nullum teneri ad conferendum hoc Sacramentum tempore pestis, cum semper adsit periculum.

Opponit Suarez: quód hoc Sacramentum, non est medium per se ad salutem necessariũ nec ex divino præcepto,& alias infirmus,supponitur munitus per Pœnitentiam & Eucharistiam. Sed resp. hoc Sacramentum esse necessarium ex præcepto naturali, id est connaturale officio Parrochi. Licet autem hic, non teneatur ministrare omnia vtilia ad salutem, tenetur tamen ministrare omnia illa, quæ communiter occurrunt secundum prudentiam, & cum hoc Sacramentum sit maximé vtile, & tantum occurrat, tempore gravis necessitatis, absque dubio, Parrochi illud ministrare tenentur. Sed notandum, vt omnia dicta concilientur, quod Parrochus non tenetur per se, ad Extremam-Vnctionem ministrandam, quia non est necessaria ad salutem; sicut Pœnitentia est necessaria necessitate medij, & Eucharistia, necessitate præcepti, & ideo hæc tenetur sub mortali ministrare. Tenetur autem per accidens,ministrare sacram Unctionem, quando certo scit, ægrotum esse in statu peccati mortalis, & sic liberari posse, tunc enim est in extrema necessitate spirituali, cui Parrochus, etiam cum periculo vitæ corporalis debet subvenire.

Ut autem huic puncto de obligatione Parrochi finem demus,sequentem ob oculos eius casum apponimus, quem S.Bernardus refert, in vita S. Malachiæ. Vxor cuiusdam viri nobilis, ad mortem ægrotabat, rogatusque fuit Malachias, vt descenderet ad illam extremé vngendam; domum accedit, & illo visso,infirma exultat spe salutis concepta; cum autem pararet omnia pro sacra Vnctione facienda, visum est domesticis, quod cum vespere esset, poterat vsque mane differri, quibus Malachias annuit, sed subito, ecce clamor factus est, & insonuit per domum,quod fœmina mortua erat. Accurrit Malachias ad lectum,& eam expirasse reperijt, animoque consternatur,imputans sibi,quod obierit, gratia Sacramentali fraudata; & cum clamore valido & lachrimis aiebat,se nullam consolationem recepturum, nisi gratiam quam abstulit restituere posset;orat sine intermissione tota nocte,& facto mane, oculos aperuit, quæ mortua prius apparuit, & Malachiam salutat, aprehendit omnes stupor & vertitur luctus in gaudium; vnxit eam, sciens hoc Sacramento per orationem fidei infirmum salvari, & abijt post hæc, mulierque convaluit. Discant hinc Parrochi, qui similia prodigia non valent exequi, Vnctionem sacram suo tempore impertiri, nec ad rogationes vel contradictiones domesticorum debere flecti, & hæc de Sacramento Extremæ-Vnctionis,sint satis.

ARTICVLVS III.

De essentia Sacramenti Ordinis.

Prima difficultas: Vtrum Ordo sit veré & proprié Sacramentum? Agit de Sacramento Ordinis D.Tho. in addit. 3.p. q.34. vsque ad 41. de quo pro exilitate nostra disseremus accurate, quia res est valdé scitu necessaria, nam eius difficultates & casus passim occurrunt, in collatione Ordinum. Hoc ergo Sacramentum vocatur Ordo,ratione superioritatis & dignitatis,qua gaudet minister in eo constitutus, super alios; non quidem superioritate dominij,ordinata ad commodum proprium,sed superioritate muneris & officij,ad curandum de profectu spirituali aliorum. Nec novum est, nomine Ordinis excellentiam super alios indicari, sic dicitur Ordo equestris, Ordo Senatorius,& in cœtibus Religiosis, Ordo Prædicatorum, Ordo Minorum, &c. quia ex superioribus & inferioribus,eorum recta dispositio constat.

Certum ergo est, dari in Ecclesia Sacramentum Ordinis, quod diffinitur á Trident. Sess.23. cap.1. Ratio etiam id suadet:nam Christus reliquit in Ecclesia sua verum sacrificium,nempé sacram Eucharistiam, & sic debuit etiam relinquere ministros speciales, qui illud offerrent, & alijs distribuerent; sicut sacrificia antiquæ legis,quæ minoris excellentiæ erant, á Ministris specialiter deputatis offerebantur. Idipsum probat D.T. loc. cit. art.1. quia status Ecclesiæ, est medius inter statum naturæ & gloriæ, & sic debet ab vtroque participare; sed in statu naturæ, datur ordo, quo inferiora per superiora reguntur, & similiter in gloria,in qua dantur diversi gradus Angelorum,quos Sancti Patres Ordines vocant:ergo etiam in statu Ecclesiæ militantis, hic Ordo servari debet.

Dices:hoc esse verum in Angelis,propter diversitatem donorum naturæ & gratiæ; homines veró, omnes sunt in natura æquales,& excessus in gratia, ignotus est. Resp. quód Ordo Angelorum, non sumitur ex distione naturæ, nisi solum per accidens, quia ex ea sequitur gratiæ distinctio, ex qua per se attenditur ordo, quatenús Angeli respiciunt participationem divinorum; Ordines veró Ecclesiæ,summuntur ex participatione Sacramentorum, quæ sunt causa gratiæ, & illam præcedunt, & sic ad eorum distinctionem,non attendirur gratia gratum faciens,sed solum potestas dispensandi Sacramenta; sic habet D.T. loc. cit. ad 3.

Dicendum est ergo: Ordo est verum & proprium Sacramentum. Sic D.T. art.3. Ratio est 1. quia propter quod vnumquodque tale, & illud ma-

magis, vt fert commune proloquium; sed per Ordinem redditur quis potens Sacramenta ministrare, & consequenter Ordo Sacramentum est. 2. quia Sacramentum proprié dictum, tria includit vt fatentur omnes, scilicet signum externum, promissionem gratiæ, & institutionem divinam, quæ omnia reperiuntur in ordinatione ministrorum; primũ, nam Ordo semper fuit ritu externo collatus, nam vt dicitur Act. 6. vbi ordinati sunt septem Diaconi: hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus; secundum nempé promissio gratiæ, constat ex D. Paul. 1. ad Timot. 4. noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum Prophetia, cum impositione manuum Præsbyterij, per quod sacram Ordinationem intelligit D.T. ibi, & 2. ad Timot. 1. & tandem institutio divina, constat ex verbis Christi, Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem.

Nec aliquid valent hæreticorum frivolæ responsiones. Dicunt enim 1. quod impositio manuum Apostolorum, erat quedam ceremonia qua vtebantur, cum aliquem Deo commendabant. 2. dicunt quód in adductis testimonijs, nomine gratiæ, intelligitur gratia gratis data, cum sermo sit de Prophetia. Sed primum est falsum: nam Apostoli manus imponebant magna cautela, nec id faciebant cuilibet occurrenti, sed post diligens examen & probatam vitam, vndé dicitur 1. ad Timot. 5. manus cito nemini imponas, neque communicaveris peccatis alienis, hoc autem de orante non est verum, quia ad hoc non requiritur tanta cautela, nec orando pro peccatore, eius peccatis communicatur. Secundúm etiam, non minus falsum est, nam Apostolus immediaté subiungit: non enim dedit, nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, in quo designatur charitas, quæ non est sine gratia sanctificante. Per Prophetiam vero, intelligit Apostolus, revelationem sibi factam de ordinando Timothæo in Episcopũ, vel etiam operationem supernaturalem, qua in ordinatione fuit sanctificatus, sicut etiam miraculosa operatio, aliquando in Scriptura vocatur Prophetia, & sic dicitur Eccli. 48. de Eliseo, quod mortuum Prophetavit corpus eius.

Deindé suadetur resolutio nostra, duplici congruentia. Prima est, quæ insinuatur á Concil. Florent. in Decreto Eugenij: nam per ordinationem, homines fiunt sacrorum mysteriorum executores, & sic conveniens fuit, vt acciperent gratiam & potestatem, qua ad hoc redderentur idonei; nam Deus cum aliquam creaturam destinat ad aliquod munus, reddit illam ad illud intrinsecé aptam, sicut etiam patet in ordine naturali, in quo per intrinsecas virtutes, naturas adaptat ad suos fines, vt lapidem per gravitatem ad descensum; & in Sacramento Baptismi, in quo datur potestas ad recipienda Sacramenta, etiam confertur gratia ad hoc proportionata, & consequenter, etiam hoc in Ordinatione contingit. Secunda est: quia Ordinatio Sacerdotum veteris legis, fuit verum Sacramentum: ergo etiam Ordinatio legis gratiæ, cum hæc illam excedat, sicut veritas figuram.

Sed oppones 1. quia Sacramentum proprié sumptum, constat ex verbo & elemento, iuxta dictum Aug. Tract. 80. in Ioann. accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, in Ordinatione autem, nullum elementum est. 2. Sacramentum ordinatur, ad sanctificandum subiectum; Ordo verò, potius ordinatur ad sanctificationem aliorum. 3. quia nullus datur Scripturæ locus, ex quo deducatur, Ordinem fuisse á Christo institutum, & sic non est veré Sacramentum. 4. in Ecclesia triumphante datur Ordo, qui tamen Sacramentum non est, & consequenter nec Ordo in Ecclesia militante, erit Sacramentum.

Resp. ad 1. quód nomine elementi, Sacramentum constituentis, non intelligitur elementum stricté sumptum, vt patet in pane & vino, quæ sunt materia Eucharistiæ, & non sunt elementa rigorosé; sed intelligitur nomine elementi, quælibet res sensibilis, & hæc iam reperitur in Ordinatione quæ semper confertur, per alicuius rei sensibilis traditionem. Ad 2. quód licet Ordo non respiciat sanctificationem suscipientium per se primo, bené vero per se secundo, nam hoc modo ordinatur ad dignam administrationem Sacramentorum, quæ nequit esse, sine gratia sanctificante ministrum. Vndé Concil. Florent. loquens de Ordine ait: effectus est augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister.

Ad 3. quód institutio Sacramenti Ordinis, colligitur ex textu citato, Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem, & ex cap. 20. Ioann. accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remmituntur eis. Licet autem in his locis, Christus solum Præsbyteros ordinaverit, in eorum tamen Ordinatione, aliorum Ministrorum Ordinatio eminenter continetur, quia omnes ad Sacerdotium ordinantur, licet Christus ob potestatem excellentiæ, simul omnes Ordines Apostolis contulerit, teliquendo eorum potestati, quod gradatim Ordines conferrent. Ad 4. quód potestates, debent proportionari illis, ad quæ sunt, communicatio autem divinorum, ad quæ datur spiritualis potestas, non fit in Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit, & ideo in hominibus, Ordo est Sacramentum, sed non in Angelis; sic D. T. loc. cit. ad 2. & q. 37. art. 2. ad 4.

Secunda difficultas: Quot sint Ordines, & an omnes, habeant veram rationem Sacramenti? Resp. ad 1. partem, quod Ordines sunt septem, nempé Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolitathus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Sic habetur in Trident. Sess. 23. cap. 2. & rationem huius, assignat D. Tho. in addit. 3. p. q. 37. art. 2. quia

Sacramentum Ordinis desumitur, vel in ordine ad conficiendam Eucharistiam, & ad hoc datur Sacerdotium, cui soli competit consecratio, vel in ordine ad illam ministrandam in se, & ad hoc datur Diaconatus, Subdiaconatus, & Acolitathus, cum ministerijs diversis vt diximus, vel ad ministrandam quo ad suscipientes, qui non debent esse immundi; triplex autem datur genus immundorum, vel qui fidem suscipere nolunt, qui expellendi sunt ab Ecclesia, & hoc fit per Ostiarium; vel qui non sunt in fide rectè instructi, ad quorum instructionem assignantur Lectores, vel qui sunt in fide instructi, & á Dæmonibus possessi vt energumeni, & ad eorum expulsionem, destinantur exorcistæ; vndé patet, septenarius Ordinum numerus.

Sed oppones, ad probandum quod Ordines sunt pauciores. 1. quo aliqua virtus est maior, eo minus multiplicatur; hoc autem Sacramentum, est dignius alijs, quia suscipientes constituit in gradu excellenti, cum ergo alia Sacramenta, non multiplicentur in plura, quæ recipiant prædicationem totius, nec hoc Sacramentum debet multiplicari. 2. Regimen Monarchicum, quo vnus tantum principatur, nobilius est Aristocratico, quo diversi gubernant: ergo regimen Ecclesiæ, quod nobilissimum est non debet Ordinibus diversis constare, sed tantum vnico. Resp. ad 1. quód alia Sacramenta, dantur ad aliquos effectus recipiendos; Ordo verò ad agendos varios actus, & ideo per distinctos gradus multiplicatur, sicut potentiæ distinguuntur per actus. Ad 2. quód in Regno, licet plenitudo potestatis resideat in vno, non excluditur varietas ministrorum eam participantium, & sic contingit in Ordine; sed in Aristotracia, plenitudo potestatis, non residet in vno, sed in omnibus; sic D. T. loco cit. art. 1. ad 3. & 3. p. q 65. art. 1. ad 1.

Oppones etiam, ad probandum Ordines esse plures quam septem. 1. quia prima tonsura est verus Ordo, nam laici ea carentes, sunt incapaces beneficij & spiritualis iurisdictionis, quia Ordine carent, & sic Ordines plures sunt quam septem. 2. quia Episcopatus est Ordo. Tùm, quia Trident. Sess. 24. cap. 4. vocat Episcopatum, Hierarchicum Ordinem. Tùm quia in eius cõsecratione, recipit quis potestatẽ spiritualem per signum sensibile, daturque ei character indelebilis, & non iterabilis, cum potestate conferendi Ordines, consecrandi vasa & Ecclesias; & illi gratia confertur, vt suum munus exequatur rectè, ideoque mortaliter peccaret, qui Episcopalem consecrationem, in peccato mortali reciperet: ergo idem quod prius.

Pro solutione notandum est cum D. T. in addit. q. 40. art. 2. & 5. quod Ordo sumitur 1. vt est Sacramentum, & sic est Ordo Ecclesiasticus, de quo modo agimus. 2. vt dicit statum á statu laicorum distinctum, vt status Religiosorum Ordines vocantur. 3. vt dicit excellentiam & superioritatem ad alios, & sic dicitur Ordo Senatorius. Ex his constat ad 1. dicimus enim, quod tonsura potest dici Ordo in secunda acceptione, quatenús homines deputat ad Dei cultum, quod non est propriè Ordo, sed præambulum ad Ordinem, & ratione huius, tonsuratus illis privilegijs gaudet. Ad 2. quód Episcopatus dicitur Ordo in tertio sensu, ob superioritatem & excellentiam illius, in eo enim residet Sacerdotij plenitudo & complementum, & sic intelligitur Concilium. Nec in Episcopi consecratione imprimitur novus character, sed additur novus modus characteri Sacerdotali, ratione cuius potest exercere illa munera, & nova gratia ei confertur, atque peccaret mortaliter, qui in mortali consecraretur, quia obicem poneret, complemento perfectissimo Sacramenti. Vndé habetur, quod etiam aliæ Dignitates, vt Archiepiscopatus, Patriarchatus, Cardinalatus, & Pontificatus, Ordines non sunt, sed perfectissimi gradus, vel ex institutione Ecclesiæ, vel etiam ex institutione Christi, vt in Pontificatu.

Ad secundam partem tituli. Resp. quód omnes Ordines, tám maiores, quám minores, veram habent rationem Sacramenti; sic D. T. in addit. q. 37. art. 3. vbi distinguit Ordines, per sacros & non sacros, & art. 2. ad 1. ait: Ordines habent, quod sint Sacramenta, ex relatione ad maximum Sacramentorum, & ideo secundum hoc, debet numerus Ordinum accipi. Ratio est 1. quia in Concil. Flor. postquam Ordinem esse Sacramentum statuitur, septem Ordines numerantur. 2. nam idem habetur in Trident. Sess. 23. cap. 2. Demùm, quia quilibet Ordo ex septem assignatis, habet propriam materiam & formam, & in quolibet specialis potestas datur, & character imprimitur, quæ propriam suadent rationem Sacramenti.

Sed dices 1. si septem Ordines essent Sacramentum, non essent septem Sacramenta, sed tredecim quod est falsum, & contra fidem. 2. omnes actus præter actũ Sacerdotij, potest á quolibet laico validé exerceri, & sic solum Sacerdotium, erit verus Ordo. 3. nam solum de Sacerdotio constat, institutum fuisse á Christo, & non de alijs Ordinibus, nec isti fuerunt in Ecclesia primitiva, quare ait Vrban. II. cap. Nullus in Episcop. dist. 6. sacros Ordines dicimus, Præsbyteratum & Diaconatum, hos siquidem solos, primitiva legitur habuisse Ecclesia.

Resp. ad 1. quód Sacramentum hoc, est vnum vnitate Ordinis, vel habitudinis vnius ad alium, & omnium ad vnum, nempé ad Sacerdotium, in quo est omnium plenitudo; sicut in vna Monarchia, est vna potestas Monarchica, licet dentur plures potestates, ad illam ordinatæ; sic D. T. q. 37. art. 1. ad 3. & ideo dixit ad 2. quod divisio Ordinis, est totius potentialis, quod est complete in vno, & in alijs, per participationem ab eo, & sic Ordo reperitur complete in Sacerdotio, & in alijs Ordinibus, per eius participationem. Nec obstat hæc ordina-

tio,

tio, vt quilibet Ordo sit Sacramentum, nam omnes ordinantur ad Sacerdotium, vt ad finem cui deseruiunt & in quo perficiuntur, sicut ars quæ cedit ligna, deservit navifactivæ, & hæc gubernatoriæ, quæ iterum deservit æconomicæ vel militari, licet omnes sint verè & propriè artes; sic D.Tho. 4. contrag. cap. 75.

Ad 2. quód singuli Ordines, tribuunt potestatem ad actus speciales, non qui sine illis fieri non possint simpliciter, sed vt fiant perfectius & religiosius; vndé quando Ordinibus distituti, actus Ordinum exercent, id faciunt simpliciter, sed non solemniter, & vt speciales ministri, ad id specialiter deputati. Ad 3. quód licet institutio particularium Ordinum á Christo, expressé in Scriptura non habeatur, sed habetur ex Ecclesia traditione, recepta á tempore Apostolorum, vt ait Trident. Sess 23. cap. 17. & D.T. in addit. q.37. art.2. ad 2. ait: quód in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconibus committebantur, nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicitæ in vna Diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia, quod implicitè habebat in vno Ordine, explicitè tradidit in diversis.

Dubitabis: quam connexionem habeant Ordines inter se? Et quidem non habent inter se connexionem necessitatis, ita vt vno suscepto, alius postea suscipi debeat; nec est necesse, quod cum quis vnum Ordinem suscipit, habeat intentionem progrediendi ad alios, vt ait Aversa. Hæc igitur connexio in eo stat, quod non recipiatur Ordo superior, inferiori non recepto, alias recipiens mortaliter peccabit, & ab executione suscepti Ordinis, suspensus manebit; ordo autem quo ad receptionem hic est, vt primo recipiatur prima tonsura, deindé hoc ordine, Hostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolitathus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus. Hæc autem connexio, non est de necessitate Sacramenti, & sic qui reciperet Ordinem superiorem ante inferiorem, licet mortaliter peccaret, validé ordinatus esset, vndé ait D.T. in addit. q.35. art.5. in corp. quod in primitiva Ecclesia, aliqui ordinabantur in Præsbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant, & tamen poterant omnia, quæ inferiores Ordines possunt, quia inferior potestas, comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno.

Dices: quód Ordines sunt gradus, & nemo potest ascendere ad gradum superiorem, nisi per inferiorem. Resp. hoc verum esse, quando gradus occurrunt in vna actione, vt deveniatur ad vltimum per primum, secus si in diversis rebus sunt constituti, & sic gradus est inter hominem & Angelum, & non est necesse, quod ille qui est Angelus, prius fuerit homo, sicut etiam inter membra corporis est gradus, & non oportet, quod illud quod est caput, prius fuerit pes, & sic sunt gradus in Ordinibus reperti; ita D.T. loc. cit. ad 2. Ex dictis habetur: quód nequit aliquis validé consecrari in Episcopum, quin prius fuerit Sacerdos, nec alias, poterit Episcopalia munera exercere; nam vt vidimus, Episcopatus non est Ordo distinctus á Sacerdotio, sed illius complementum & extensio; complementum autem & extensio rei, ipsam rem supponere debet.

Tertia difficultas: De materia & forma Ordinum minorum. Ex dictis patet, hoc Sacramentum sicut & cætera, constare materia & forma; materia est illa, quæ in Ordinatione traditur & dicitur materia remota, traditio vero eius vocatur proxima; forma vero sunt verba, ab Episcopo ordinatore prolata; sic D.T. in addit. q.34. art. 4. & 5. quæ proferuntur modo imperativo. *Accipé potestatem*. Nec obstat: quód in alijs Sacramentis præter Extremam-Vnctionem, fiat modo indicativo; nam disparitas est: quia alia Sacramenta, ordinantur ad sanctificandum suscipientem, vt est particularis persona, & ideo significare debent effectum, quem de facto causant; Ordo verò, non ordinatur principaliter ad sanctificandum ministrum, sed ad conferendam illi potestatem, qua præsit alijs, & ideo hoc significatur, per verba imperativi modi, sic D.T. art.4. cit.

Ex quibus deducitur: quód in verbis formæ huius Sacramenti, non significatur primo & principaliter gratia sanctificans, vt in alijs Sacramentis, sed solum vsus potestatis; nam in alijs, gratia principalius ordinatur ad sanctificandum suscipientem, & ideo illa debet per verba significari; Ordo vero, principalius ordinatur ad constituendam ministrũ, in ratione personæ deservientis vtilitati communi Ecclesiæ, ideoque potestas ei collata, opportuit in forma significari; & eadem ratione ait M. Soto, quod illa verba: In nomine Patris, &c. non sunt de essentia formæ Sacramenti Ordinis, quod non est per se institutum ad fidem potestandam sicut Baptismus, sed solum ad potestatem conferendam.

Sed de materia & forma Ordinum minorum modo est agendum, & primo occurrit prima tonsura, quæ licet Ordo non sit vt vidimus, omnes tamen Ordines præcedere debet, & de illa agit D. Thom. in addit. q.40. art.1. 2. & 3. Illius autem ceremoniæ, variæ á SS. PP. rationes assignantur, sed præcipua est, quia capitis nudatione, significatur vita pura & aperta, & nulla macula fucata, qualis debet esse vita Clericorum & Monachorum, & ita clerici tonderi debent, vt sciant debere superfluas curas resecare, quæ per crines quæ sunt capitis superfluitates designantur. Vndé ait D.T. loc. cit. art. 1. quod eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura & tonsura, in modum coronæ, quia corona, est signum Regni & perfectionis; illi autem, qui divinis mysterijs applicantur,

adi-

adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent.

Hæc tonſura, licet non conſtet materia & forma riguroſa, cum Sacramentum non ſit, habet tamen ſuam quaſi materiam, nempé capillorum abſciſsionem, & quaſi formam, quæ ſunt illa verba: Dominus pars, &c. eius munus eſt, in choro, vel Eccleſia canere, & ideo appellatur Pſalmiſta in iure Canonico, & Epiſcopus præcipit illi, vt recitet ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, licet non peccet mortaliter qui ea omittit. Deindé, tonſurandus, debet eſſe vir ætate ſeptenis, nulla cenſura, nec irregularitate ligatus, & debet ſcire legere & ſcribere, & rudimenta fidei, ſaltim orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Eccleſiæ & Decalogi, & ſeptem Sacramenta, & gaudet quatuor privilegijs. 1. privilegio Canonis: ſi quis ſuadente, &c. 2. vt non poſsit ſub iudice ſæculari conveniri. 3. á collectis ſæcularium liberari. 4. eſt capax Eccleſiaſtici Beneficij. Sed hoc intelligendum eſt, iuxta dictum Trident. Seſſ 23. cap. 6. de reformat. Is fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat aut cleticalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario Clericorum, aut aliqua Schola vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad ſuſcipiendos maiores Ordines verſetur.

Inquires: an ſit peccatum mortale, Clericos ſive in ſacris, ſive in minoribus Ordinibus conſtitutos, non geſtare coronam? Aliqui negant, niſi hoc ex contemptu fiat; ſic Cayet. Diana, Henriquez, & alij; moti ex eo, quod de hoc non datur præceptum ſub pœna gravi, & ſolum præcipitur verbis denotantibus decentiam ſtatus; licet aliqui ex eis dicant, quod Clerici debent ſignum ſui ſtatus deferre, in habitu vel tonſura, ſed non in vtroque, & ideo ſi habitu militari, vel venatorio, incedunt per tempus notabile; cauſa iuſta non vrgente, non excuſantur á culpa, & idem eſt, ſi comam vel barbam prolixam nutriant.

Dicendum tamen eſt: quód Clericus, ſolum in minoribus Ordinibus conſtitutus, Beneficium non habens, mortaliter non peccat, etſi non deferat habitum Clericalem vel tonſuram; bené veró conſtitutus in ſacris, vel etiam in minoribus, ſi habet dignitatem Eccleſiaſticam, aut beneficium pingue, ſecus ſi tenue fuerit. Ratio eſt: nam talis Clericus, tenetur horas Canonicas recitare, alitur ab Eccleſia, vt deferat Clericatus inſignia, & ſic ſuo modo eſt á ſtatu apoſtatare, illa non deferre, ſicut in Religioſo, habitum ſui Ordinis dimittere; hæc autem motiva, non militant in Clerico, in minoribus conſtituto & beneficium non habente, propter rationes oppoſitas.

Circa quatuor minores Ordines, iam aliquid ſupra tactum eſt, de illorum materia & forma, inſtitutione & miniſterio; Ordinum autem minorum miniſteria, validé & licité poſſunt exerceri, á non habentibus illos Ordines, non veró miniſteria Ordinum maiorum; vndé peccaret mortaliter, qui in Miſſa ſolemniter exerceret officium Subdiaconi vel Diaconi, ſi hos Ordines non haberet; & multo peius delinqueret, qui officium Sacerdotis exerceret, ſine tali Ordine, & talis maximis pœnis damnatur á Summis Pontificibus Clem. VIII. & Vrbano VIII. Et pœnæ illæ, etiam incurruntur á laico miniſtrante in Ordine non ſuſcepto; ſic tenent D. Antonin. Soto, & Averſa; nam in corpore iuris, aſsignatur pœna indeterminaté, pro omni miniſtrante, in Ordine non ſuſcepto, in quo tam Clericus, quám laicus continentur.

Oſtiarij officium vt vidimus, eſt aperire ianuas Eccleſiæ, indignos arcere, & dignos admittere, & etiam ad illum ſpectabat olim, ſacras veſtes, fidelium depoſita, & omnem Eccleſiæ ſuppellectilem cuſtodire. Lectoris officium erat 1. libros novi & veteris teſtamenti recitare, & aliquando Evangelium extra Miſſam. 2. tradere cathecumenis, rudimenta Chriſtianæ religionis. 3. benedicere panem & fructus, á fidelibus oblatos. Nec poteſt concionem ad populum habere, hoc enim proprium eſt Diaconi, imó & Epiſcopi; & vox *prædicat* Romani Pontificalis, ſummitur pro recitare in libro non vero pro dicere ex ſua mente, vt communiter ſentiunt Doctores.

Exorciſtæ munus eſt, contra Dæmones pugnare, vt á corporibus obſeſſorum exeant, & licet aliqui non exorciſtæ alias probati, poſsint hoc facere, vt dicunt Suarez, & Sanchez, maiorem tamen poteſtatem habent ad hoc, qui Ordinati ſunt, qui ſolemniter & ex officio, id exercere valent. Sic D. Thom. in addit. 3 p. q. 37. art. 4. ad 9. Acolithi materia, ſunt vrceoli vacui, & candelabrum cum cereo, & ideo dicebantur olim Ceroferarij. Sed an vtraquæ hæc materia, ſit huic Ordine eſſentialis? Affirmativé reſp. cum D.T. in 4. diſt. 24. q. 2. art. 2. licet principaliter in traditione vrceoli cum ſuis verbis conſiſtat. Vndé character imprimitur, cum tradduntur vrceoli, nam quando in Ordine datur duplex materia & forma, character imprimitur, in tradditione materiæ, quæ principalior eſt, & immediatius Euchariſtiæ deſeruit, vt ſunt vrceoli reſpectu Acolithi; ſic D. T. loco cit. & in addit. q. 37. art. 5. ad 6. & q. 38. art. 1. ad 2.

Quarta difficultas: De materia, forma & miniſterio Subdiaconatus, & Diaconatus. Primó occurrit Subdiaconatus, cuius officium eſt Diacono in ſacrificio altaris deſervire; materia remota, calix cum patena vacui; in quorum tradditione imprimitur character. An autem etiam tradditio libri Epiſtolarum, ſit pars eſſentialis materiæ? Reſp. negativé, ſola enim tradditio calicis cum patena, materia eſſentialis eſt, vt ait D. T. loco ex ſent. proximé

mé citato, dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. & in addit. 3. p. q. 38. art. 1. ad 2. quem plures sequuntur á Salmant. citati, & rationem assignat, loco prædicto vbi ait, quod principalis actus Subdiaconi consistit in hoc, quod cooperetur circa materiam Sacramenti, & ideo character accipit in hoc, quod datur ei calix ab Episcopo.

Rogabis: an vasa traddita Subdiacono in sui ordinatione, debeant esse consecrata? Certum est, hoc esse necessarium necessitate præcepti, & sic peccaret mortaliter Episcopus, si vasa non sacra porrigeret, & etiam ordinandus, si cum illis scienter ordinaretur, quia esset omissio ceremoniæ substantialis, & exponeretur periculo, non manendi ordinatũ; dubiũ est de necessitate Sacramenti. Negant aliqui cũ Diana, & Philiberto, sed oppositum est verum & tenendum cum Palao, Dicastillo, & Silvestro; ratio est, quia vasa collata Subdiacono, debent esse diversa á vasis laicorum, & apta illius ministerio; & licet de hoc non detur præceptum, sed ex ipsa institutione Ordinis exigitur. Nec obstat: quód Sacerdos, non petit pro sui materia panem & vinum consecratum, & forté nec vasa consecrata; nam dicitur, quod ei non datur potestas super panem & vinum consecratum, nec eius officium est circa vasa sacra, cuius contrarium in Subdiacono contingit, cui supra vasa consecrata datur potestas; sed an Sacerdos, cui vasa non sacra in sui ordinatione conferrentur ordinatus maneret? Casus est, paucis ab hinc diebus divisus, & forte infra afferendus & resolvendus.

De Diaconatu asseruimus supra, eius materiam remotam, esse librum Evangeliorum, & proximam eius traditionem formam autem, verba illis correspondentia. Sed est dubium speciale: an solum in traditione libri consistat Diaconatus, an etiam impositio manuum Episcopi, sit eius pars essentialis? In pluribus enim Ordinibus, datur duplex materia & forma partialis, vt in Acolitathu, vrceoli & cereus. & in Sacerdotio, traditio panis & vini, & impositio manuum, per illa verba: accipe Spiritum Sanctum, &c. & similiter in Diaconatu, traditio libri & impositio manuum, est ergo difficultas: an vtrumque, nempé traditio instrumentorum, & impositio manuum pertineat essentialiter ad Ordinem Diaconatus? Et quod diximus de hoc, etiam de Presbyteratu dicendum est.

Thomistæ divisi sunt, nam Salmant. & Ant. á Spir. S. affirmativæ parti assentiunt; sed re vera negativa est verior, & D. T. conformior, quam tenent Nuño, & Candidus; & ideo dicendum est, quod sola instrumentorum traditio, cum verbis ei correspondentibus, est tota essentia Diaconatus & Presbyteratus, non verò manuum impositio. Prima pars constat 1. ex Concil. Flor. in Decr. Eugenij vbi dicitur: Ordinis materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus tradditur, per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; & idem habet Trident. Sess. 22 cap. 1. dicens: quód Christus tunc Apostolos, novi testamenti Sacerdotes constituit, cum corpus & sanguinem suum, vt summerent tradidit, & eisdem ac eorum in Sacerdotio successoribus, offerre præcepit.

Prob. 2. in eo consistit Ordo essentialiter, in quo imprimitur Ordinis character; sed character Diaconatus & Presbyteratus, imprimitur in traditione instrumentorum, ante impositionem manuum: ergo in traditione illa, consistit Ordo essentialiter. Prob. min. Tùm, quia sic asserit expresé D. Tho. in addit. q. 37. art. 5. dicens: In ipsa datione calicis sub forma verborum determinata, character Sacerdotalis imprimitur. Tùm, quia potestas accipitur, prolatis illis verbis: accipe potestatem, &c. quæ potestas est ipse character, & illud fit ante manuum impositionem, & ideo ante hoc, Sacerdotes simul consecrant cum Episcopo, quod est potestatis signum. Tùm, quia cum aliquis Ordo habet duplex officium, character imprimitur, cum datur potestas respectu principalioris, ex duobus autem officijs Sacerdotis, offerre sacrificium est principalius, & remmittere peccata minus principale & secundarium: ergo cum datur potestas ad primum, imprimitur character, sic D. T. loc. cit. & solut. ad 6.

Secunda pars, ex traditis rationibus colligitur; & deindé constat: nam illud solum est de essentia Diaconatus, per quod significatur eius peculiare ministerium; hoc autem non significatur per manuum impositionem, nec per verba illi correspondentia: ergo illud non est de essentia Diaconatus. Sed tamen, licet hæc manuum impositio, non sit pars essentialis, non tamen est ceremonia purè accidentalis, sed pertinet ad eius integritatem, sicut satisfactio respectu Pœnitentiæ, & mẽbra sunt de integritate hominis, vndé si Sacerdoti in eius ordinatione, Episcopus manus non imponeret, esset Sacerdos substantialiter, nõ vero perfectè, quia deficeret ei complementum requisitum, ad integritatem Sacerdotij, scilicet potestas absolvendi á peccatis.

Sed oppones, contra resolutionem, aliqua Scripturæ & PP. testimonia, nam Act. 6. dicitur: quód septem Diaconi ordinati sunt, per manuum impositionem, & D. Ambr. de dign. Sacerd. cap. 5. ait: Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam, & idem ait Concil. Nicen. Can. 9. & Cartag. 4. cap. 3. & Trident. agens de minist. Extremæ-Vnctionis, Sess. 14. cap. 3. dicit, illum esse Presbyterum ritè ordinatum, per manus impositionem. Sed ad hæc & similia. Resp. quód talis ordinatio vocatur manuum impositio, quia hæc est ceremonia, pertinens ad complementum & integritatem Sacramenti; sicut dicitur de satisfactione respectu Pœnitentiæ. Concilium autem Trident. de imposi-

tione manuum facit mentionem, quia miniſtratio Extremæ-Vnctionis, pertinet ad eam poteſtatem, quæ in manuum impoſitione confertur, quia illa eſt Sacramentum, Pœnitentiæ conſummativum.

Dices aliter: Quód ſi in ſola inſtrumentorum traditione, ſtaret Ordinationis eſſentia, in Eccleſia Græca, non ſervaretur eſſentia Sacramenti Ordinis, ibi enim, per manuum impoſitionem fit, & hoc ab Eccleſia Romana ſcitur & approbatur, nec ita ordinati, reordinantur vlterius. Reſp. quod Chriſtus non determinavit in ſpecie, materiam & formam huius Sacramenti, ſed tantum in genere inſtituit, vt loco materiæ, conferretur ſignum ſenſibile, collativum poteſtatis, & loco formæ, proferrentur verba illam exprimentia, & hoc in vtraque Eccleſia Græca & Latina ſervatur, licet cum differentia accidentali determinationis. Exemplum eſt in Matrimonio, cuius materiam & formam inſtituit Chriſtus nempé conſenſum contrahentium & verba id exprimentia, illa vero in particulari nõ determinavit, ſed voluntati contrahentium reliquit; idem ergo de materia Sacramenti Ordonis dicendum eſt, quam Chriſtus determinavit quo ad eſſe formale, ſed quo ad eſſe materiale, reliquit determinandam á poteſtate Eccleſiæ, per huius vel illius inſtrumenti collationem.

Quinta difficultas: De materia & forma Ordinis Presbyteratus. Conſtat ex dictis, materiam remotam huius Ordinis, eſſe calicem & patenam, cum vino & pane, & proximam, traditionem earum, formam autem, verba hæc ſignificantia. Diximus etiam difficultate præcedenti, characterem Sacerdotalem imprimi, in collatione inſtrumentorum, & non in impoſitione manuum; nunc eſt dubium; an per vtrumque conferatur Sacerdoti diſtincta poteſtas? Aliqui cum Salmant. affirmant; alij cum Nuñ negant; ſed omnes concordantur D.T. conſulto qui in addit. q.37. art.5. ad 2. ſic ait: Dominus diſcipulis dedit Sacerdotalem poteſtatem, quantum ad principalem actum, ante Paſsionem in cœna, quando dixit: accipite & manducate, vndé ſubiunxit; hoc facite in meam commemorationem, ſed poſt Reſurrectionem, dedit eis poteſtatem Sacerdotalem, quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare & ſolvere, & idem ait, in 4. diſt. 24. q.2. art.3. ad 2. Vndé ſi ſermo ſit de poteſtate principali Sacerdotis, reſpectu actus primarij, vnica poteſtas eſt, reſpectu vero actus ſecundarij, eſt alia poteſtas minus principalis.

Altera dubitatio eſt: An ſit de eſſentia & neceſsitate Ordinationis Presbyteri, traditio calicis cũ vino & patenæ cum hoſtia, an ſufficiat quod vna vel altera ſpecies, ſimul cum inſtrumentis dictis tradatur? Reſp. quód traditio vtriuſque ſpeciei, eſt de neceſsitate ordinationis Sacerdotis; ſic tenent Salmant. cum pluribus ab eis citatis, & conſtat ex Concil. Flor. vbi dicitur: quód Ordo Presbyteratus traditur, per calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectionem. Nec obſtat: quód D.T. in addit. q.37. art.5. ait, quod poteſtas Sacerdotalis, confertur in dátione calicis; nam ibi non loquitur de ſolo calice, alias nec loqueretur de calice habente vinum quod nullus dixit; agit ergo iuxta ſubiectam materiam, nam calix quando Sacerdotibus porrigitur, & plenus eſt, & habet ſuperpoſitam patenam cum hoſtia, & ſic nomine calicis, hæc omnia intellexit.

Ratio autem eſt: quia licet in vna ſpecie conſecrata, totus Chriſtus continetur, non tamen integra eſſentia Sacramenti, nam conſecratio vini, eſt diſtincta ſpecie incompleta á conſecratione panis, quia tam materia quam forma, eſt eſſentialiter diſtincta; vndé qui ſolum tangeret calicem, ſine patena & hoſtia, non acciperet integram poteſtatem conſecrandi, nec maneret integer Sacerdos; imó infertur, nullo modo manere Sacerdotem, quia poteſtas conſecrandi, eſt vnica & indiviſibilis, nec datur duplex pars characteris, vna pro conſecratione panis. & alia pro conſecratione vini, ille autem qui ſolum tangeret calicem, ſine patena & hoſtia, non acciperet poteſtatem conſecrandi panem, & ſic nec poteſtatem acciperet conſecrandi vinum.

Dices: quód poteſtas ad conſecrationem vtriuſque ſpeciei, eſt indiviſibilis, & vna in alia quaſi per concomitantiam continetur, & ſic accepta vna recipitur alia, ſicut in vna ſpecie, eſt verum Sacramentum Euchariſtiæ, ob concomitantiam alterius, & ideo validé licet non licité, poteſt vna ſpecies ſine alia conſecrari. Reſp. quód licet in qualibet ſpecie ſit verum Sacramentum, non vero totum & integrum, ſicut nec quælibet pars hominis, eſt tota ſubſtantia hominis. Sed quia paritas poteſt inſtare, quod etiam erit verus Ordo licet non integer, in collatione vnius ſpeciei. Meliús reſp. quód poteſtas ad conſecrandum, eſt indiviſibilis vt diximus, & ſic ſi tota non datur, nec pars datur; conſecratio vero eſt diviſibilis ex parte effectus, & ſic validé, licet non licité vna ſpecies poteſt ſine alia conſecrari; modo quo voluntas, poteſt vti poteſtate ad amorem, & non ad odium, nequit autem recipere poteſtatem ad vnum & non ad aliud, quia illa indiviſibilis eſt.

Nunc ſcienda ſunt Sacerdotis munera, quæ ſunt hæc 1. conſectare Euchariſtiam. 2. ligare vel abſolvere fideles. 3. miniſtrare alia Sacramenta ex officio, excepta Confirmatione & Ordine, ſed non ſine commiſsione, quia hoc eſt proprium Parrochi, ſed quia Ordo Sacerdotalis requiritur, vt ex officio miniſtrentur. 4. benedicere populum in Miſſa, benedictione ſimplici, non autem ſolemni, quia hoc fit ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Legatis, in locis ſuæ iuriſdictionis ſubiectis, & ab Abbatibus ex privilegio, in Eccleſijs illis pleno iure conceſsis. Ex his conſtat ſatis, dignitas Sacerdotis, quam S. Aug.

&

& Greg. sic laudant. O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in vtero Virginis, Christus quotidié Incarnatur; vndé patet Sacerdotum celsa prærogativa. Túm, quia imperium in animas exercent. Túm, quia mystico Christi corpori, nempé Ecclesiæ dominantur. Túm, quia etiam ipsi corpori Christi vero imperant; & ideo Sacerdotes, dicti sunt *Theurgi*, id est, *Deos facientes*, nam vt ait Hyer. Epist. ad Heliodor. Christi corpus, sacro ore conficiunt.

Vndé asseruit Chrysost. hom. 60. ad popul. Antioch. quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic vnimur, & Theophanes Nissenus ait: Sacra mysteria, Angelis sunt amabilia & formidanda, ipsumque Sacerdotium venerantur. Quó l mire comprobat, rarus & singularis eventus, in vita S. Francisci Salesij, ab Illustriss. Maupas, Episcopo Aniciensi relatus. Cúm enim Sanctus, in Sabbato quatuor Temporum Quadragesimæ, sacros Ordines conferret, inter magnum Ordinandorum numerum, quidam est inventus peregrinus & ignotus, cui Deus hanc singularem contulit excellentiam, vt sui Angeli Custodis frueretur conspectu. Probatum fuit ex eo, quod cum homo ille, novus Sacerdos factus, é Templo exiens, steterit ad ianuam, quasi alteri offerens primatum & reverentiam; inquirit Sanctus Præsul, per nuncium ad eum missum, quid hoc esset? Et Sacerdos Dei servus, est ingenué fassus, quod ideo in limine hæsit, quia cum iam diu frueretur, sui Angeli Custodis societate familiari, ille semper in via præcedebat, sed vbi primum ipse, Sacerdos creatus est, iussus est ab eodem Angelo antecedere, quod cum sibi novum & insolitum accidisset, hærens, ab eo causam interrogavit; oblectatus fuit specialiter famulus Dei Franciscus, de huiusmodi Angelorum erga Sacerdotes observantia, & exindé, quoties Ordinationes celebrabat, factum hoc Sacerdotij candidatis referebat, quo eis novam dignitatem maximé commendaret. Ad nos sunt Ministri Dei hi sermones, vt nostram excellentiam agnoscamus; Christus enim dilexit nos, & lavit nos á peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo, vt dicitur Apoc. 1. de quo innumeræ sunt Sanctorum & Doctorum Tractationes, dignitatem Sacerdotalem commendantes, sed modo sufficiant hæc pauca, passim dicta.

ARTICVLVS IU.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de natura Ordinis. D. Ambrosius, iussu Probi Præfecti Mediolanum venit, vt populi sedaret discordiam de Episcopo eligendo, ingressusque Templum, puer exclamavit repente, Ambrosium eligendum fore, & hoc audito, pro ipso etiam vniversi populi vox insonuit, cui Imperator assensit, tunc Ambrosius baptizatus, nam erat catechumenus & sacris initiatus, Episcopale munus post octo dies, quamvis reluctans suscepit. Quæritur: quid foret si prius baptizatus non esset? Et idem inquirimus de quolibet alio non baptizato, an in eo valeret Ordinis Sacramentum? Respondet D.T. in addit. q. 35. art. 3. quod character Ordinis, necessario supponit characterem Baptismi. Rationemque assignat ex eo, quod nihil potest aliquid recipere, cuius potentiam receptivam non habet; sed per characterem Baptismalem, fit homo receptivus aliorum Sacramentorum: ergo qui illum non habet, nullum Sacramentum recipere potest.

Nec obstat huic: quód character Ordinis, tribuit potentiam activam ministrandi Sacramenta, & character Baptismi, confert potentiam passivam, & hæc non semper supponitur ad illam, vt patet in Deo, in quo est potentia activa, non supponens passivam. Dicitur enim: quód in eo qui habet potentiam activam á se, illa non supponit passivam, & sic reperitur in Deo; in illo autem, qui habet potentiam activam ab altero, hæc supponit potentiam passivam, & hoc contingit in creaturis; sic D.T. ibi ad 1. *Sed adversus* hoc, est casus alter: nam potest contingere, quod aliquis non baptizatus, se baptizatum existimet probabiliter; si ergo ille ad Ordines accedit, non consequetur characterem Ordinis, & sic ea quæ faciet, consecrando aut absolvendo, erunt nulla, & in hoc decipietur Ecclesia, quod est maximum inconveniens.

Respondetur: quód talis homo, si ad Sacerdotium promoveatur, non est Sacerdos, nec conficere potest Eucharistiam, nec absolvere in foro penitentiali, & sic debet iterato baptizari & Ordinari, & si promoveatur in Episcopum, illi quos ordinat, non habent Ordinem; sed tamen pie credi potest, quod quantum ad vltimos effectus Sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod Ecclesiæ posset periculum imminere; sic D.T. ibi ad 2. Sed circa hæc vltima verba D. T. dubium est apud Theologos, in quo sensu intelligantur? Sunt enim aliqui dicentes, quod si aliquis prudenter accedit sufficienter dispositus, ad talem Sacerdotem existimatum, & ab Episcopo expositum, & ei confiteatur sua peccata, veré iustificabitur, non virtute absolutionis quæ nulla est, nec fit ex attrito contritus per Sacramentum, quia hoc est nullum, sed quia facit quod in se est, subijciendo se confessioni & Deus, ex sola sua misericordia, vult movere cor illius, vt habeat veram contritionem & iustificetur, & idem dicunt, de suscipiente hostiam non consecratam, & de illo qui recipit Extremam-Vnctionem á tali Sacerdote.

Sed

Sed de hac re, nullam habere possumus certitudinem, quia non est aliqua regula, nec divina promissio de hoc faciendo, & sic non est in quo fundetur illud dictum, nisi solum in pietate divina, & ideo non est infallibile, quod talis homo contritionem habeat, licet prudenter ad Sacramentum accedat, nam damnari potest, propter peccata præcedentia. Meliús ergo dicitur: quód pie creditur de divina misericordia, quod regulariter loquendo, movet huiusmodi homines, ad habendam contritionem, ratione devotionis, quæ regulariter est in illis, qui accedunt ad Sacramenta cum attritione, & tunc homo, solum recipit gratiam correspondentem propriæ contritioni ex opere operantis, sed nullam ex opere operato, quia Sacramentum est nullum, & hæc est mens D.T. nempé quod homo tunc consequitur effectum Sacramenti, non formaliter, sed virtualiter, quia veré disponitur, vt gratiam consequatur, & quod ad Dei providentiam pertinet, illum errorem manifestare, vt non perseveret in Ecclesia multo tempore.

Sed quid si talis ordinandus, charactere confirmationis non esset insignitus? Resp. quód character confitmationis, non supponitur de necessitate ad characterem Ordinis, nam ad hoc solum requiritur, vt quis sit Ordinis susceptivus, quod sit per Baptismum; requiritur autem de congruitate, vt habeat omnes perfectiones, quibus reddatur idoneus ad Ordinis executionem, quarum vna est, vt sit confirmatus, & ideo character Ordinis, supponit de congruitate characterem confirmationis, sed non de necessitate, sic D.T. loc. cit. art.4. Vndé Apostoli receperunt potestatem Ordinis, ante Ascensionem Christi, cum dictum est eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Confirmationem vero post Ascensionem, per Spiritum Sancti adventum. Vndé canit Ecclesia in festo Pentecost. confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

An veró peccaret mortaliter, qui ordinaretur non confirmatus? Probabile est quod non; sed verius est quod sic, quod insinuatur á D.T. loc. vbi proximé vbi ait, quod Sacramentum confirmationis necessarium est, vt homo reddatur idoneus ad Sacramentum Ordinis exequendum; est autem peccatum mortale ex genere suo, quod quis non idoneus ordinetur, & deindé, quia hoc peccatum est contra religionem, & in materia gravissima, sacrilegium enim est recipere Sacramenta, sine debita congruitate, & sic iudicatur á Trident. Sess. 23. cap. 4. dicente: prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. Vndé Episcopus ordinans aliquem sciens confirmatum non esse, peccaret mortaliter; si autem quis iam ordinatus Sacerdos, cognoscit se confirmatum non esse, tenetur sub mortali diligentiam adhibere, vt confirmationem accipiat, sed tempore intermedio, non tenetur ab executione Ordinis cessare, quia de hoc non datur lex, & videtur obligatio nimis rigurosa.

Casus secundus, de prima tonsura. Iuvenis quidam accepit primam tonsuram, non quidem animo progrediendi vlterius in Ordinibus, nec vt esset Ecclesiasticus, nec vt Deo facilius & meliús inserviret, sed vt potestatem sæcularem evaderet. Quæritur: an in hoc peccatum mortale commisserit? Negant plures cum Sanchez & Coninch, ex eo moti, quod talis sic ordinatus, vtitur iure suo, nec datur præceptum in contrarium, nam Concil. statim adducendum, solum id prohibet, quando talis ordinatio fit per fraudem vel deceptionem, aut aliam malitiam concommitantem. Sed tamen oppositum est verum, & tenendum cum Salmant. Bañez, Victoria, Rodriguez, & Ledesma, quod videtur deduci ex Trident. loc. proximé cit. vbi ait: Tonsura non initientur::: de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Et ratio huius est: qui sic ordinatus, notabile præiudicium facit potestati sæculari á qua eximitur, & etiam Christo & Ecclesiæ suæ, in cuius gremio introducitur, cum hinc occasionem summere possit laxioris vitæ, arma prohibita deferendo, & sæculares iniuriando, absque sæcularis iustitiæ timore, quod valdé perversum & pernicioſum est. Vndé tam ordinans illum, quem scit hoc animo accedere, quám ordinatus ipse, mortaliter peccant, nisi forte ordinatus intendat primario, Deo in tali Ordine per aliquod tempus inservire, & solum secundario, sæcularem potestatem evadere. Undé qui ordinatus in minoribus, semel & iterum monetur, de ascendendo ad cæteros Ordines, & id renuens, potest ab Episcopo privari Clericalibus privilegijs, tanquam Ecclesiæ inutilis, asserente Concil. Trid. loc. cit. cap. 2. quod solum illi ordinibus initientur, de quibus datur spes, quod sunt ad reliquos Ordines ascensuri; sic sentiunt Mayolus & Grafis. Ex quo patet ad rationem oppositam, nequit enim quis vti iure suo cum damno tertij, & præcipué contra ius divinum & humanum, vt contingeret in casu dicto.

Quid autem dicendum, de illo qui Ordinibus initiaretur, non ex animo fugiendi potestatem sæcularem, nec statum contemnendi, sed vt acciperet honorem istum, & sine animo progrediendi in ordinatione? Resp. probabilius esse, quo ille mortaliter peccat; sic tenent Bañez, Molfesius, Victoria, Ledesma, Marchinus, & Garcia. Hoc probant aliqui exemplo Novitij, cui licitum non est Religionem ingredi, sine animo perseverandi, vel saltim religiosam vitam experiendi, vt sentiunt communiter Theologi, & consequenter, idem in casu nostro dicendum est. Sed hæc paritas, non potest con-

vincere. Tùm, quia ex parte Novitij ingredientis sine animo perseverandi, non intenditur aliquid honorificum, imó fœdum est, habitum suscipere, & postea deserere, & nemini licitum est se inhonorare. Tùm, qua Religionem fraudat in sumptibus, quos ipsa non faceret, si in Novitio animum non perseverandi cognosceret; & nullũ ex his reperitur in eo qui Ordinibus initiatur, qui honorem eorum potest appetere, & alias nemiaem gravat, ex eo quod non progrediatur vlterius. Vera ergo ratio est: quia Ordidem recipere sine animo progrediendi, est status irrisio, & tacitus contemptus Christi & Ecclesiæ suæ, nam in via Domini, non progredi regredi est, & in hoc datur inconstantia manifesta, quæ ex natura sua est mala.

Nec obstat: quód nullum datur ius, præcipiens ascensum ad cæteros Ordines, & patet exemplo Seraphici Patris Francisci, qui Ordinibus initiatus, ad alios non est progressus, & hoc peccati notare, temeritas esset. Resp. enim, quod aliud est habere propositum ascendendi ad alios Ordines, aliud vero habere contrarium actum positivum non ascendendi, licet autem ad primum non detur obligatio, benè veró ad secundum, vt patet ex adducta ratione. Ad illud de B. Francisco dicitur: quód ab initio non fuit ordinatus, cum animo non ascendendi, & multo minus cum proposito redeundi ad sæculum, sed cum sana intentione, quod si postea ab ascensu destitit, ob humilitatem hoc fecit, quod non solum non est malum, imó perfectum & meritorium. Si quis autem Ordinibus initiatus fuit animo ascendendi, & postea occasione oblata nuptias fecit, ne consumaretur domus, vel vt vitarentur lites, vel quia de continentia servanda dubitat, nullo modo peccat, nec venialiter, vt ait Cayet. & Toletus; quia hic rectum finem ab initio habuit & postea supervenit honesta causa regrediendi, quæ ab Ecclesia non prohibetur.

Ulterius dubitatur: an peccet qui Ordines suscipit eo solum fine, vt pingue Beneficium possit obtinere? Resp. mortaliter peccare, si ille sit eius principalis & vnicus finis, non autem si principaliter intendat servire Deo, & secundario perfrui Beneficio. Ratio est: quia ille, fruitur vtendis, & vtitur fruendis, id est, medium assumit vt finem, & finem vt medium, & ordinat perversé rem spiritualem qualis est Ordo ad rem temporalem vt sunt redditus, ex beneficio provenientes; quare docet rectè D.T. 2. 2. q. 185. art. 1. quod mortaliter peccat, appetens Episcopatum ob eius divitias, & sic idem de ordinato propter hoc principaliter, dicendum est; de quo D. Bonav. Tract. de præparat. ad Miss. cap. 9. hæc ait: Domine Deus, quanti homines infelices, ad sacros Ordines accedunt, & divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes, non spiritum sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum, non Christo servire, mundo corde & corpore in sacris mysterijs, sed deliciari, non vocati á Deo, sed impulsi á diabolo; quæ verba digna sunt, vt immortali memoriæ commendentur.

Casus tertius, de connexione Ordinum. Quidam ordinatus fuit in Subdiaconum, quin prius gradum Acolithi suscepisset, quod vocant ordinari per saltum. Quæritur: an talis Ordo Subdiaconatus, fuerit rectè susceptus? Resp. quód in eo tunc Ordo susceptus Subdiaconatus validus fuit, sed non licitus. De hoc tetigimus aliquid supra, art. præced. in fine difficult. 2. & ibi manet insinuata ratio primæ partis, quæ consistit in eo, quod non est de necessitate Ordinum superiorum, quod inferiores supponant, quia potestates sunt distinctæ, & vna earum ex natura sua, non requirit aliam in eodem subiecto & inferior illarum, in superiori cõtinetur, & ideo qui ordinantur per saltum, recipiendo sequentem Ordinem prætermisso primo, non debent reordinari, iuxta statuta Canonum, sed solum conferri debet, id quod de inferiori Ordine deficiebat.

Hæc est doctrina D. Tho. in addit. q. 36. art. 5. contra quam objicit S.D. quod character Ordinis ad sui valorem, debet supponere characterem Baptismi, vt vidimus cas. 1. præcedenti, & sic etiam supponere debet de necessitate, characterem Ordinis inferioris, nam maior convenientia est Ordinis cum Ordine, quam cum alio Sacramento. Sed respondet: quód Ordines magis conveniunt inter se, quo ad similitudinem speciei, quam cum Baptismo, sed quo ad proportionem potentiæ ad actum, magis conveniunt cum illo, nam per Baptismum, confertur homini potentia passiva recipiendi Ordinem, sed per Ordinem inferiorem, non confertur potentia passiva, recipiendi Ordinem superiorem, & ideo Baptismus, inceffario præsupponitur ad Ordinem, non vero vnus Ordo ad alterum.

Dices: quód in hoc petitur principium, nam si datur maior convenientia inter Ordines, quo ad similitudinem speciei, cur etiam non dabitur, quo ad proportionem potentiæ ad actum, cum etiam potentia imperfecta, ordinetur ex natura sua ad perfectam? Resp. quód huius ratio est duplex. Prima est á posteriori, desumpta ex institutione Christi. Secunda, quia magis pendet actus á potentia, quam duo actus inter se, vt etiam in rebus naturalibus patet; character autem Baptismalis est passivus, cum detur ad recipiendum, character vero Ordinis cum detur ad agendum, activus est, actus autem essentialiter supponit potentiam, non vero alium actum, & ideo dependentia Ordinis á Baptismo, essentialis est, non veró dependentia vnius Ordinis ab alio.

Si dicas: hinc sequi, omnia Sacramenta ex natura sua pendere á Baptismo, quia in eo datur gratia generans, quæ ad aliam quamcumque gratiam

ſupponi debet. Reſp. neg. ſequellam, quia Sacramentum, non eſt aliqua perfectio realis & intrinſeca hominis, ſicut characteres, & ſic non eſt eadem dependentia inter Sacramenta, ac inter characteres; vndé illa excellentia Sacramenti Baptiſmi, non convenit ei ex natura ſua, ſed ex ordinatione Dei, quia ex hac etiam habet gratiam cauſare; ſed eſt differentia inter gratias Sacramentales & characteres, quia vna gratia, non eſt potentia paſsiva ad alteram, bené veró vnus character ad alium, vt in Baptiſmo contingit; character enim, vel eſt potentia paſsiva vel activa, quod gratiæ non convenit, & ideo hæc, ponitur in prima ſpecie qualitatis, character vero in ſecunda.

Dubitabis adhuc circa hoc: an qui ſolum Ordinem Presbyteratus per ſaltum reciperet, poſſet ante aliorum Ordinum receptionem, validé in Epiſcopum conſecrari? Reſp. affirmativé, cum Salmant. Sanchez, & Averſa, ſed tamen non poſſet licité exequi munus ſuum, ante ſuſceptionem Ordinis quem ommiſsit, ideoque talis Epiſcopus, poſſet calices & alia vaſa conſecrare, confirmare, & omnes Ordines valide conferre, dempto illo quem non habet; & Averſa ſentit & recté, omnes Ordines conferre poſſe, nam ſicut Sacerdos ordinatus per ſaltum poſſet omnia quæ inferiores Ordines poſſunt, nam iſti in ſuperiori continentur, vt cum D. Tho. vidimus, hoc ipſum de Sacerdote in Epiſcopum conſecrato, & alios Ordines non habente, diſcurrendum eſt.

Secundúm quod reſolutio caſus aiebat, nempé quod talis ordinatio per ſaltum, licita non eſt, conſtat ex varijs pœnis á ſacris Canonibus ſtatutis, pro ſic ordinatis. Dubium eſt: an iſti, maneant ipſo facto ſuſpenſi? Diana cum aliquibus quos non recté citat, probabiliter iudicat quod non eſt ſuſpenſus de facto, ſed quod ſuſpendi debet, quia non datur textus aliquis, hoc dicens; ſed oppoſitum eſt certius, & conſtat ex cap. vnic. de Cleric. per ſaltum promoto, & ex Can. ſolicitudo, diſt. 52. ſi autem id non exprimitur, eſt quia in ordinato ignorantia craſſa ſupponitur; licet re vera difficile ſit illam intervenire, imó veriſimile eſt, id fuiſſe executum per ambitionem & fraudem, & ſic Doctores communiter, quos ſequitur Barboſa, ſic ordinatum, aſſerunt eſſe de facto ſuſpenſum. An veró ille maneat irregularis? Probabilius eſt quod non, vt ſentiunt Navarro, Henriquez, Rodriguez, Suarez, Bonacina, Barboſſa, & Diana, quia nullus textus datur, talem irregularitatem imponens.

Omnes tamen conveniunt in eo, quod exercens Ordinem, quem per ſaltum ſuſcepit, & etiam Ordinem quem ommiſsit, irregularitatem incurrit, ex generali ratione imponente irregularitatem, cui libet ſuſpenſo, exercenti Ordinem, licet ſaltus ſit in Ordinibus minoribus, vt declaratũ fuit á Sac. Cong. teſte Scorcia in Bullar. Pontif. Epiſt. 39. theor. 109. Sed tamen, ſicut ordinatus per ſaltum, non manet ſuſpenſus ab Ordinibus quos antea ſuſcepit, nec etiam hos exercendo manet irregularis; ſi ergo Subdiaconus, per ſaltum in Presbyterum ordinatur, manebit irregularis Miſſam celebrando, aut Evangelium cantando, non autem ſi Epiſtolam cantet; ſic tenent Henriquez, Suarez, Diana, & Bonacina. Quis autem & quando, poſsit in his irregularitatibus diſpenſare, præſentis inſtituti non eſt, & ad Tractatum de irregularitate remmitimus.

Caſus quartus, de materia Sacramenti Ordinis. Epiſcopus quidam generales Ordines celebrans, ordinandis in Subdiaconos, traddidit calicem, patena ſuperpoſita, calix autem, intus vinum habebat ex incuria Miniſtrorum Epiſcopi, qui paraverunt pro Subdiaconis eum calicem, quem pro Preſbyteris, habebant diſpoſitum, qui tamen defectus, poſtquam Ordines fuerunt conſumati, & Epiſcopus receſsit, notatus fuit. Quæritur: an talis Ordo fuerit validus, & an repetendus? Videtur enim, ibi errorem in materia interceſsiſſe, cum materia Sub. diaconatus, ſit calix cum patena vacui & calix cum vino, eſt materia Presbyteratus. Sed re vera talis Ordo, validus fuit, nec error ſubſtantialis intervenit, quod Suadetur 1. quia talis ſic ordinatus, accepit totam Subdiaconatus materiam, nempé calicem & patenam, licet aliquid plus acceperit, quod materiam non vitiat. 2. quia ſi Epiſcopus errore notato, vinum effudiſſet, valide ordinaſſet, licet aliquid vini remanſiſſet in calice, quod eſſet ad Presbyteratum ſufficiens. 3. quia materia Subdiaconatus, eſt liber Epiſtolarum, & tamen communiter tradditur ei Miſſale, in quo etiam Evangelia continentur, quæ ſpectant ad Diaconum. 4. quia verba Epiſcopi in Ordinatione Subdiaconi, nullam poteſtatem ad conſecrandum vinum contulerunt, & ſic vinum ibi manens, eſt quaſi non eſſet, vt in ipſo exemplo libri Evangeliorum conſtat.

Huius occaſione venit examinandum, qui defectus in Ordinibus receptis debent ſuppleri quando & quomodo? Defectus poſſunt eſſe ſubſtantiales, circa materiam vel formam, vel accidentales circa ritus & ceremonias. Dicimus ergo, quod ſi defectus fuerit accidentalis, vel quia Sacerdotis manus, non fuerunt vnctæ oleo ſacro, vel quia Orationes Ritualis fuerunt omiſſæ, vel alij ſimiles, iſti defectus, non debent ſuppleri ex neceſsitate Sacramenti, bené ve ró ex neceſsitate præcepti, & qui hoc ommiteret, mortaliter peccaret, & etiam miniſtrans in Ordine ſic ſuſcepto, ante defectuum ſuppletionem. Hoc autem intelligitur, ſi defectus fuerit gravis, vt eſt vnctio manus, ſecus ſi non fuerit magni momenti, vt ſi ordinandus, non diceret Canonem cum Epiſcopo, á quibus reſarciendis, ob parvitatem materiæ poteſt excuſari. Quando autem aliquis defectus intervenit, debet ſi poſsibile eſt, ab ipſo Epiſcopo ordinante ſuppleri, ſed non requi-

requiritur totum Sacramentum reiterari, sed id duntaxat, quod prætermissum est, dicendo orationes, quæ cum illa ceremonia solent adhiberi, vt sic res & voces, moraliter coniungantur.

Si autem defectus fuerit substantialis, circa essentialia Sacramenti, ex defectu debitæ materiæ vel formæ, & de hoc datur certitudo, totum Sacramentum, necessario debet suppleri, nam ad valorem Sacramenti, requiritur coniunctio moralis inter applicationem materiæ & prolationem formæ, & omnium partium essentialium Sacramenti; si enim quis, modo infantem ablueret, & post duas horas diceret: ego te baptizo, validum Sacramentum non conficeret, & sic etiam in Sacramento Ordinis discurrendum est, vndé materia vel forma deficiente, totum Sacramentum, cum materia & forma integra, debet iterari.

Si autem dubium occurrit, an Ordo sit rité collatus cum debita materia, vel ob similes dubitandi rationes, potest & debet, Ordo sub conditione iterari, quia tunc homo nequit se gerere, ac si certo esset ordinatus, quousque deponat dubium per Ordinis iterationem; si verò de recta collatione Ordinis, est probabilis opinio pro vtraque parte, Ordo potest iterari sub conditione. An autem ad hoc teneatur quis? Resp. quód si Ordo est Sacerdotalis, vel consecratio Episcopi, tenetur, quia alias datur periculum non consecrandi, nec absolvendi, nec ordinandi, cum sit probabile, deficere potestatem ad id requisitam, & hoc cederet, in maximum fidelium detrimentum. Casus accidit paucis ab hinc diebus, cum quo dam Presbytero, in cuius ordinatione, ob incuriam inservientium, collatus est calix non consecratus, & licet aliqui probabiliter senserint cũ pluribus, Ordinem fuisse validum, eo quod Presbytero non confertur potestas super vasa sacra, sed supra contentum in illis, & illud prius, est proprium Subdiaconi, sed nihilominus Ordo fuit iteratus ab eodem Episcopo Ordinatore, ob rationem proximé dictam; de quo diximus aliquid, art. præced. diffic. 4.

Quid autem dicendum, de alijs Ordinibus, Sacerdotio inferioribus? Dicitur: quód ille qui iuxta opinionem probabilem eos rité suscepisset, non posset obligari, ad illos iterandos sub conditione; sic sentit Granado. Ratio est: nam illi Ordines, non sunt ita necessarij, vt per Sacerdotalem potestatem, eorum munera nequeant suppleri; & vlterius, non habent annexum aliquem actum, absolutè necessarium ad salutem fidelium, ex cuius defectu, proveniat Ecclesiæ notabile damnum, & ideo ordinatus iuxta probabilem opinionem, qua sibi possit suadere prudenter, Ordinem fuisse validum, non est cur obligetur ad illum reiterandum. Sed notandũ cum Granado, pro scrupulosis, quod nimius timor, vel oblivio de tactu materiæ vel similibus, non sufficit vt iteretur Ordo, quia multa obliviscimur, quæ veré fecimus; vt ergo iteretur Ordo, debet dari verum dubium practicum de eius valore.

Ex his solvuntur scrupuli duorum, Ordines suscipientium, quorum primus dubitabat de Ordinum valore, quia dubitavit, an per verba Episcopi conferretur Ordo; alter vero de sua intentione dubitabat, quia in actuali receptione, insurrexit affectus Ordines volendi & nolendi, licet in volitionem magis inclinaverit. Sed isti absque fundamento turbabantur. Primus, quia expressé voluit ordinari & recipere, quod Sancta mater Ecclesia iudicat, in tali Ordine debere conferri, & sic dubium illud, nihil obfuit. Secundus: quia Ordines re vera, sine violentia, & sine metu mortis, voluntarié recepit, & quando aliquid nullo cogente facimus, signum est quod illud volumus, vndé illæ trepidationes scrupulosæ, & aliæ á Dæmone iectæ, animosé deponendæ sunt.

Casus quintus, de contactu materiæ Ordinum. Diaconus quidam, cum reciperet Ordinem Sacerdotalem, calicem tetigit cum patena, sed hostiam superpositam non tetigit. Quæritur: an talis validé ordinatus maneret? Casus hic frequens est, & scrupulosos ordinatos maximé pungens, & materiam de contactu materiæ Ordinum concernens. Pro quo sciendum est, quod contactus materiæ Ordinum, est necessarius necessitate præcepti, & sic peccaret mortaliter Episcopus vel ordinandus, illũ ommitentes scienter. Tũm, quia sic decernit Greg. IX. cap. Presbyter, de Sacram. non iterand. Tũm, quia operarentur contra Ecclesiæ praxim in re gravi, pro cuius observantia, Episcopus & Magistri ceremoniarum, maximé invigilant. Dubium ergo est, an requiratur tactus Physicus materiæ, & an ille debeat esse immediatus?

Resp. quód contactus Physicus materiæ, est necessarius essentialiter in quolibet Ordine; sic D. T. in addit. q. 34. art. 5. ad 3. vbi sit: Porrectio materiæ, magis est de essentia Sacramenti quam tactus, tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur; accipe hoc vel illud; hanc sententiam tenent Salmant. cum pluribus quos citant; cuius ratio est 1. quia id constat ex vsu recepto Ecclesiæ, & ex maxima cura ministrorum, vt ordinati materiam tangant. 2. quia sic practicé verificantur verba formæ: *accipe*, quod est correlativum ad recipere. 3. quia omnia Sacramenta causant suos effectus per contactum physicum recipientis, vt Baptismus per ablutionem, & Confirmatio per chrismatis impositionem, & sic idem de Ordine dicendum est.

Dices 1. quod in matrimonio, non requiritur physicus contactus materiæ, cum possit inter absentes celebrari. 2. quia in Ordine, materia non operatur effectum in suscipiente, per actionem physicam, sed solum determinat formam, vel ab ea de-

ter-

terminetur. 3. nam non requiritur physica correlatio dantis ad suscipientiem quia in rebus humanis, hoc ipso quod aliquid alteri ostendatur, & significet se velle, censetur acceptare. 4. quia parvuli ante vsum rationis, possunt validé ordinari, & nequeunt materiam physicé contingere. Resp. ad 1. quod est disparitas, nam Matrimonium est contractus civilis, & in contractibus, vt acquiratur ius vnius supra alium, non requiritur actualis possessio, sed sufficit quod vterque consensum exprimat, quin manum ad rem extendat, cuius oppositum in Ordine contingit. Ad 2. quod illa determinatio per formam, debet esse practica, quæ debet dicere relationem ad suscipientem. Ad 3. resp. eodem modo. Ad 4. quod sicut in Baptismo, contactus materiæ nempé ablutio parvulorum, est voluntaria, non voluntate ptopria, sed Ecclesiæ vel parentum, sic in eo casu quod ordinetur infans contactus materiæ, esset illi moraliter voluntarius, per Ecclesiæ voluntatem.

Inquires duo 1. an si casu vel industria, medio aliquo velo, panno aut chiroteca manus, tangeretur materia, sic tangens maneret ordinatus? 2. an sufficienter tangatur, si id fiat solis vnguibus? R. ad 1. affirmativé, sic tenent Palaus. Vazquez, & Coninch. Ratio est: quia communiter dicimus, & rectè, aliquid tangi, si attingitur manu vestita, vel operta chiroteca. Ad 2. quod rarum est, dicitur: quód vngues, sive animati sint sive non, censentur pars manus & digitorum, & sic quod manu vel digitis tangi debet, sufficit quod vnguibus tangatur. Nec est necesse, quod vtraque manu tangatur materia, quia nulla lex id præcipit, imó satis est quod tangatur vno digito, nam sic verificatur physicus tactus, vt dicunt Sanchez, & Cardinalis de Lugo.

Nunc ad casum propositum directé. Resp. quod sic tangens calicem & patenam, quin hostiam tangat, veré & ritè ordinatus manebit, imó etiam si solum calicem immediatè tangat; sic tenent Granados, Salmantic. & alij plures quos citant, quod suadetur 1. nam sufficit tangere aliquid, non habens discontinuationem á toto, vt ait Silvester. 2. nam tangens calicem, iudicatur tangere vinum in eo inclusum, & sic tangens patenam quæ panem continet, etiam censetur tangere panem. *Si dicas*: hoc ideo esse, quia vinum nequit congruenter tangi, benè veró panis. Resp. quod exemplum solum affertur, ad probandum veré dici aliquid tangi, quando tangitur id super quod est, nam ordinatio non est pura ceremonia & censetur facta, cum quis accipit instrumenta, quod veré fit tangendo patenam continentem hostiam, sicut veré tangitur liber Evangeliorum, licet corio vel panno serico sit opertus, & contrarium huius M. Soto, scrupulum appellat. *Nec obstat* his, Concil. Flor. asserens, quod materia Presbyteratus, est porrectio calicis, cum patena & hostia; hoc enim non est, quia omnia debeant immediatè tangi, sed sufficit si tangatur id quod continet, & est contiguum; curare tamen debent ordinandi, tangere omnia, meliori modo quo possint, vt sic á scrupulis & timoribus liberentur, vt ait Valentia.

Casus sextus, de vnione materiæ & formæ Ordinis. Accessit quidam ad Sacerdotium accipiendum, sed Magister ceremoniarum, parum sui muneris peritus, illum prohibuit, ne calicem & patenam tangeret, dum Episcopus illa verba formæ proferebat: *Accipe potestatem, &c.* sed immediatè post totam formam prolatam, tangere fuit iussus, ille vero sic ordinatus, postea de suæ Ordinationis valore dubitavit. Quæritur: quid circa hoc sentiendum sit? Notandum: quód tám Minister, quám Episcopus ita operantes, contra expressam Rubricam Pontificalis egerunt, in qua dicitur de Presbyterandis: Cuppam calicis & patenam simul tangant, Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem, &c. Sed circa valorem talis Ordinationis, sentiunt aliqui cum Cayet. & Navarro, validam non esse, ad quod moventur auctoritate Greg. IX. cap. vlt. de Sacram. non iterandis, vbi dicitur: Quód impositio manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.

Sed tamen dicendum est, talem Ordinationem validam fuisse, licet non fuerit pronuntiata forma, cum re ipsa tangebatur materia. Ratio est 1. nam de facto, quando plures recipiunt Subdiaconatum vel Diaconatum, Antistes tantum semel formam profert, & tamen vni post alterum materias tangendas tradit. 2. quia nulla probabili ratione potest ostendi, requiri in hoc Sacramento, coniunctionem physicam simultaneam, inter materiam proximam & formam, sed sufficit simultas moralis. 3. quia hoc est speciale in hoc Sacramento, quod verba formæ, sunt imperativi modi, qui sufficienter verificatur, si finitis verbis sine magna mora, tangatur vel accipiatur materia.

Nec dubitandum est, quod hæc secunda sententia, longe sit probabilior quam prima; si autem inquiritur: an opinio contraria, habeat sufficientem probabilitem, vt Ordo debeat iterari, quando materia & forma secundum aliquam sui partem, realiter non coextiterunt? Duo dicimus, primum est: quod in minoribus Ordinibus & Subdiaconatu, iterari non debet, quia plures Doctores classici iudicant, Ordinem illum, esse ritè collatum, & credibile non est, Pontificale Romanum, secutum fuisse opinionem, ex qua ordinatus, non maneret omnino tutus; & sic in praxi, non video rationem sufficientem, vt illi Ordines iterentur. Secundúm est: quód in Diaconatu & Presbyteratu, est sufficiens probabilitas, vt si materia & forma non coexistunt, Ordo potest iterari sub conditione; constat. Túm ob auctoritatem Cayetani, & Navarri, hoc asse-

ren-

rentium. Tùm, quia Ordines isti, sunt sacratiores & necessariores alijs, & ratio dictat, quod in his rebus, maior certitudo quærenda est. Tùm, quia in his Ordinibus specialiter, notat Pontificale coexistentiam materiæ & formæ. Ex quo habetur, probabile esse, Sacerdotium sic collatum, debere sub conditione iterari, Diaconatum vero non ita, quia tam necessarius non est, hæc dixi, meliori iudicio subiecta.

Sed adhuc inquires circa hoc: an vt detur debita coexistentia, inter materiam & formam Ordinis, debeat materia tradi, ab eodem á quo formæ verba proferuntur? Resp. quód in Ordinibus maioribus sic debet fieri, non vero in minoribus; ratio primi est: quia in alijs Sacramentis, ab eodem debet materia applicari & forma proferri, vt patet in Baptismo & Confirmatione: ergo etiam in hoc Sacramento; ratio secundi est: quia illi Ordines non sunt sacri ex parte materiæ, nec tantam solemnitatem in sui collatione requirunt, sic D.T. in 4. dist. 25. q.1. art.1. & in addit 3.p. q.38. art.1. *Dices*: si Ordines minores, etiam sunt Sacramentum vt vidimus, cur etiam hoc in illis verificari non debet? Resp. quod cum materia & forma Sacramenti Ordinis, non fuerit á Christo instituta in individuo, sed solum in specie vt supra dictum est, reliquit illam in particulari determinandam per Ecclesiæ potestatem. & hæc rectè designavit pro Ordinibus maioribus, traditionem fieri ab Episcopo verba proferente, in alijs autem Ordinibus, ab ipso vel ab Archidiacono qui est Minister Superior, & quasi ministerij Princeps; sicut in Republica, officia inferiora, nõ distribuuntur immediatè ab ipso Principe, sed á ministro superiori. Nec ex hoc sequitur, quod minister inferior Episcopo, conferat Sacramentum; nam ipse tradit materiam Episcopo præsente, & eius nomine, & sic censetur ab Episcopo moraliter tradi, sicut in exemplo posito constat, nam licet minister superior, Reipublicæ officia inferiora distribuat, eorum tamen collatio, Principi specialiter tribuitur, in cuius nomine conferri censentur.

Alia est dubitatio, de coexistentia formæ & materiæ consecrationis in ordinando; an novi Sacerdotes veré consecrent, si ante Episcopum, terminent formam verborum? Communior sententia, quam tenet D.T. 3.p. q 82. art.2. ait, quod verba consecratoria, proferuntur á Sacerdotibus novis formaliter, & in persona Christi, & ideo si vnus ex illis, finiat totam formam ante Episcopum, ille solus consecrabit, non autem Episcopus, nec alij Sacerdotes, dum habuerit intentionem consecrandi, casu quo prius alijs formam absolveret; sed quia esset absurdum, Episcopum tunc non consecrare, quia illi multi non possent vniri in vno, ideo cavendum est ab ordinandis, ne formam terminent ante ipsum, & vt hoc ita fiat, Episcopi maximè cu-

rant, & de hoc novos Sacerdotes monent.

Casus septimus de Episcopatu. Episcopus quidam in consecratione sua, non acceperat vnctionem sacram, veniens autem ad Apostolicam Sedem, Pontifex ea quæ illi in consecratione defecerant, suppleri mandavit, faciendo quod caput eius, per Episcopi manus, alijs duobus Episcopis assistentibus, secundum morem Ecclesiasticum, sacro chrismate liniretur; sic ait Innoc. III. cap. vnic. de sacra vnctione. Occasione huius, aliqua de consecratione & Dignitate Episcoporum notanda veniunt. Primó ergo dicendum est: quód Episcopi iure divino, sunt Presbyteris superiores, potestate & dignitate; sic habet Trident. Sess. 23. cap. 4. & Can. 7. vbi dicitur, Episcopos ad Hierarchicum Ordinem præcipué pertinere, eosque Presbyteris superiores esse, & D. Dionisius, cap. 5. Eccl. Hier. ait: Pontificum Ordo primus, qui purgat, illuminat & perficit, sub illo autem Ordo Sacerdotum, purgat & illuminat, non veró perficit; ministrorum veró, tantum purgat.

Hoc idem constat ex D. T. in addit. 3.p. q.40. art.4. quod suadet 1. nam humana ministeria rectè ordinata exigunt, quod vnus cæteris præponatur, qui sit officij Princeps, sicut Dux militibus, & sic idem Ecclesiasticæ Hierarchiæ Ordo posuit, vt Sacerdotibus præponantur Episcopi, velut Sacerdotũ Principes. 2. nam potestas non potens exire in actũ, nisi quibusdam Ordinationibus suppositis, pendet ab illa quæ Ordinationes facit, cum autem Sacerdos nequeat actus exercere, nisi præsupposita iurisdictione Episcopi, ab ipsa pendere debet. 3. nam in lege veteri maior & excellentior erat potestas Aaron respondens Episcopis, quam potestas filiorum, qui Presbyteris correspondent, ideoque á SS. PP. vocantur Episcopi, Patrum progenitores, quia spiritualiter generant Presbyteros, qui munus patrum spiritualium erga fideles exercent. 4. nam Christus fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum, & sic illud est superius, quod perfectius repræsentat Christum, & hoc convenit Episcopo, qui repræsentat illum, quatenús alios ministros instituit, Sacerdos veró, solum pro vt in se ipso, aliquod ministerium implevit, quorum primum nobilius est.

Hanc prærogativam Episcoporum, eleganter illustrat D.T. 2. 2. q.184. art.6. vbi ait, quod Episcopi, sunt in statu perfectionis simpliciter, non veró Presbyteri, nec ex parte Ordinis, nec ex parte curæ, & solut. ad 2. ait: Episcopi principaliter habent curam ovium suæ Diœcesis; Presbyteri autem Curati, & Archidiaconi, habent aliquas submiistrationes sub Episcopis::: & Dionis. dicit, cap. 5. Eccl. Hier. quod sicut vniversalem Hierarchiam videmus in Iesu terminatam, ita vnamquamque functionem, in proprio divino Hierarcha, id est Episcopo; ex quo patet, quod Presbyteri, ita se ha-

bent ad Episcopum, sicut Baiuli vel Præpositi ad Regem. & propter hoc, sicut in mundanis potestatibus, solus Rex, benedictionem solemnem accipit, alij verò per simplicem commissionem instituuntur. ita etiam in Ecclesia, cura Episcopalis, cum solemnitate consecrationis committitur, Cura autem Archidiaconatus, & Plebanatus, cum simplici iniunctione, consecrantur autem in susceptione Ordinis, scilicet antequam Curam habeant; hæc D. Thom.

Vlterius, altitudo & excellentia dignitatis Episcopalis, apte demonstrant ritus sacri, qui exhibenter in Episcoporum consecratione, cui adstant Episcopi tres, quorum vnus vocatur consecrator, & alij duo, assistentes, & interveniunt ceremoniæ istæ 1. consecrator, librum Evangeliorum assumit, & illum apertum, Episcopis adiuvantibus, super cervicem & scapulas consecrandi imponit, nihil dicens. 2. omnes tres Episcopi, caput consecrandi tangunt ambabus manibus, dicentes: Accipe Spiritum Sanctum. 3. consecrator pollicem dextrum intingit sacro Chrismate, & vngit caput consecrandi. formans signum Crucis & dicens: Ungatur & consecratur caput tuum cœlesti benedictione, in Ordine Pontificali. 4. idem consecrator, vngit ambas consecrandi manus simul iunctas dicens: Vngantur manus istæ, &c. 5. benedicit baculum pastoralem, quem traddit consecrando in manus dicens: Accipe baculum Pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs, pie sæviens, &c. 6. benedicit annulum, & aspergit aqua benedicta, imponitque digito annulari manus dexteræ, dicens: Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, &c. 7. accipit librum de scapulis consecrati, iuvantibus Episcopis, & traddit consecrato, tangenti eum sine apertione manuum dicens: Accipe Evangelium, & vade prædica, &c. 8. Demum recipit consecratum ad osculum pacis, & similiter Episcopi assistentes, dicendo: Pax tibi, & consecratus respondet: & cum spiritu tuo.

Descripta sunt hæc, ex ipso Pontificali, vt Episcopalis dignitas specialiter commendetur, & eius cognoscatur altitudo, tot augustis ceremonijs explicata; qua propter Episcopi, varijs á Sanctis Patribus encomijs celebrantur, dum eos vocant Principes Sacerdotum, Legatos Christi, Fratres Summi Pontificis, Astra Cœli; referentes Imaginem Christi, Honorandos vt Christus, Terrestres Deos, & Parentes nostros secundum Deum. Horum contemplatione, plurimi Sanctissimi, & doctissimi viri, Episcopalem dignitatem, sibi oblatam recusarunt, eius obligationibus perterriti, quibus priscum tempus abundavit & nostrum; inter quos singularissimus fuit ex nostris, Venerabilis & Reverendissimus P.M. Fr. Marcellus Marona, Valentini Prædicatorum Conventus filius & honor, cui cum Catholicus Rex, Episcopatum Oriolensem contulisset, constanter renuit, cuius instantijs repetitis Rex non assentiens, servus Dei extenuatus valdé dispalluit, quousque Rex compatiens & pius, renuntiationi consensit, & tunc Religiosus vir, de præterita ariditate convaluit.

Dubitabis: an in consecratione Episcopi, debeant necessario tres Episcopi interesse? Et quidem id esse necessarium ex Ecclesiæ constitutione, est certum; sic haberur in Concil. Cartag. 4. & in hoc sensu, D. Chrysostomus, Theodoretus & Theophilactus, explicant illud 1. ad Tim. 4. cum impositione manuum Presbyterij, id est cœtus Seniorum aut Episcoporum; sic etiam ait Anacl. Pap. Epist. 2. non minus quam á tribus Episcopis, vllatenus Episcopus ordinetur, & idem ait Damas. Papa, Epist. 4. & Ioan. 3. in Epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Nec etiam ex Summi Pontificis dispensatione, vnicus Episcopus, potest alium consecrare; nam assistentia trium Episcoporum de iure divino est; sic enim ait Aniectus, cap. 1. ad Episc. Galliæ dicens quod Beatus Iacobus, primus Episcopus Ierosolimæ, á Petro, Iacobo & Ioanne ordinatus fuit. & concludit: si autem non minus quam á tribus Apostolis, tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profecto, eos formam instituente Domino traddidisse, non minus quam á tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere; cum ergo in iure divino Pontifex non possit dispensare, nec dispensare potest, vt vnicus tantum Episcopus consecret alium. Licét autem hic sentiendi modus, sit valde probabilis; sed tamen etiã probabile est, quod ad validam Episcopi ordinationem, sufficit vnicus Episcopus consecrans cum duobus assistentibus Sacerdotibus simplicibus, sic tenent Salmant. cum plurib. quos citant dicentes, id posse fieri ex Papæ dispensatione, & constat id ab Innoc. X. bis fuisse factum, & etiam ab Alex. VII. vt ait Terillus & Salmant. contestantur. Ad auctoritates verò in oppositum adductas. Resp. quod loquuntur, de solemnitate ad consecrationem requisita, non verò de requisita ad valorem. Præterquam, quod ibi est sermo, de ministro ordinario consecrationis, non autem de ministro delegato & ex commissione Pontificis; sicut etiam Episcopus, est minister ordinarius confirmationis, & tamen id potest facere simplex Sacerdos ex commissione Papæ, vt ait D. T. 3. p. q. 72. art. 11. ad 1.

ARTICVLVS U.

De Ministro & subiecto Sacramenti Ordinis.

Prima difficultas: Quisnam sit minister Sacramenti Ordinis? Certum est & in Concil. Trident. & Florent. diffinitum, ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis, esse solum Episcopum, & sic habet D. T. in addit. 3. p. q. 38. art. 1. Ratio est: quia

quia solus Episcopus, est Reipublicæ Christianæ Præfectus & Hierarcha, seu Sacramentorum Princeps, & ad solum Principem spectat, officia & ministeria conferre & distribuere. 2. quia solus Episcopus, est minister ordinarius confirmationis, & consecrationis vasorum, Sacramentum autem Ordinis, est confirmatione excellentius, & ministri, nobiliori modo ad cultum Divinum applicantur quam vasa, & sic ordinatio ministrorum, potiori iure pertinet ad Episcopum.

Dices: quod Sacramentum Eucharistiæ, est quid maius Ordine, & Sacerdos potest Eucharistiam consecrare, qui autem potest maius, etiam potest minus. Resp. quód licet Eucharistia sit maximum Sacramentum in se, sed non collocat in aliquo officio sicut Sacramentum Ordinis: & ideo est disparitas; cum autem dicitur, quod qui potest maius, potest minus, hoc est verum, quando minus non præsupponit potestatem maioris, potestas autem ordinandi, præsupponit potestatem consecrandi, & aliquid ei superaddit. Undé patet, quod Episcopus qui non esset Sacerdos, non posset validé Ordines conferre, nam potestas in corpus Christi mysticum, supponit potestatem in corpus Christi reale, quæ confertur per Sacerdotium. Similiter Episcopus confirmatus & non consecratus, nequit validé ordinare; quia hic est actus Ordinis Episcopalis, qui non habetur ante consecrationem, potest tamē suis subditis facultatē ad Ordines recipiendos præbere, nam hoc pertinet ad potestatem iurisdictionis, quam statim acquirit post confirmationem.

Sed est dubium satis ingens: an simplex Sacerdos ex commissione Papæ, possit esse minister extraordinarius Sacramenti Ordinis? Resp. quód Sacerdos simplex, nequit etiam ex Papæ commissione, conferre Ordines maiores, benè verò minores. Utraque pars, habetur apud D. Thom. loc. cit. ad 2. vbi ait: Papa qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo, ea quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa, non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi, & ideo ex eius commissione, aliquis Sacerdos simplex, potest conferre minores Ordines & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos, nec iterum Sacerdos maiores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum, Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos.

Descendendo autem ad Ordines maiores sigillatim, de Presbyteratu, certum est non posse conferri á Sacerdote simplici, etiam ex commissione Papæ, propter rationem D. T. iam attactam; sed quo ad Diaconatum & Subdiaconatum, aliqui non solum id dicunt esse possibile, sed etiam de facto concessum; sic ait Ledesma dicens, se audivisse ab homine fidedigno, esse Parisijs Decretum Pontificium, quo quibusdam Abbatibus concedebatur facultas, conferendi Subdiaconatum, & Victoria idem ait de aliquibus Abbatibus Cistercien sibus, etiam quo ad Diaconatum. Ego autem negare non possum, quod á Summis Pontificibus fuit concessum simplici Sacerdoti privilegium ordinandi Subdiaconos. Tùm, quia sic testantur viri gravissimi, & Vicarius Christi, in hoc errare non potuit, cum res sit gravissima, pertinens ad Ecclesiæ mores. Tùm, quia ex verbis D. T. relatis solum infertur, simplicem Sacerdotem, non posse conferre illos Ordines maiores, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, Subdiaconus autem, non immediatam, sed solum mediatam relationem habet.

Quid autem de Diaconatu est dicendum? Resp. quód si constaret, id ab aliquo Summo Pontifice fuisse factum, deberemus fateri, id potuisse, sed de hoc non datur sufficiens testimonium, quia privilegia quæ pro hoc citantur, solum de Subdiaconatu loquuntur; & aliundé, obstat communis sensus Theologorum, qui id negant, & merito, nam id suadet maior excellentia Diaconatus, qui est Ordo altior & sacratior, & immediatè respicit corpus Christi, de quo est sermo D. T proindeque petit potiori iure Episcopum vt ministrum. Ad id quod ait Victoria, de Abbatibus ordinantibus Diaconos, dici potest, quod si hoc forté ita factum est, de quo dubitamus. Pontifices fuerunt secuti probabilem opinionem, quod fieri potest, quando non datur periculum, vt minister constitutus, conferat aliquod Sacramentum invalidum.

Sed oppones, nam in Concil. Antioch. cap. 10. & Ancirano, cap. 13. concedebatur Chorepiscopis, qui non erant nisi simplices Sacerdotes, vt ait Damas. Pap. Epist. 5. collatio Diaconatus & Presbyteratus, dummodo ab Episcopo civitatis licentiam accepissent: ergo alius quam Pontifex, potest Sacerdoti simplici, ad minores & maiores Ordines conferendos, facultatem præbere. Resp. quód admisso tales Chorepiscopos veré Episcopos non esse, si conferebant aliquos Ordines ex licentia Concilij Provincialis vel Episcopi, hoc ideo erat, quia isti habebant facultatem á Summo Pontifice, ad talem delegationem faciendam, non verò quia Episcopi ex se, possent talem facultatem conferre.

Sed pro maiori huius explicatione, notandum est, quod illi Chorepiscopi, fuerunt olim in duplici differentia, alij qui veré Episcopi non erant, sed Episcoporum Coadiutores, loco Septuaginta duorum Christi discipulorum assignati, vt in particularibus villis Episcopos adiuvarent, de quibus facit mentionem Concil. Neocesarienſe, cap. 3. & isti, nullos Ordines poterant conferre. Alij erant, qui licet veré essent Episcopi, non tamen habebant Diœcesim, sicut Episcopi Titulares, de quibus memoratur Concil. Antioch. cap. 10. & isti, Ordines poterant conferre, ex Episcopi concessione; quia veré

ré consecrati erant, si autem illi á Damaso non vocantur Episcopi, est quia iustis rationibus, eis ab Ecclesia prohibitum est, munera Episcopalia exercere, & in iure Canonico mos est, illos qui non possunt munera Episcopalia exercere, non Episcopos nominare.

Adhuc est dubitatio, de potestate Episcopi. An scilicet Episcopus Excomunicatus, hæreticus, aut degradatus, possit Ordines conferre? De hoc agit D.T. & resp. tales Episcopos, posse Ordines conferre validé, non veró licité; prima pars constat: quia efficacia Sacramenti, non pendet á fide aut bonitate ministri, sed ab institutione & meritis Christi: ergo sicut Episcopus excomunicatus authereticus validé consecrat, si verba profert cum debita intentione & super materiam aptam, ita veré Ordines confert, si servat omnia quæ in collatione Ordinum sunt servanda. *Nec obstat*: quod præcissus á communitate, nequit huius officia distribuere, hoc enim probat, quod recipientes Ordines ab hæreticis, non recipiunt executionem, vt in eis possint ministrare, quod fatemur, nam sic conferentes & recipientes Ordines, mortaliter peccant. Vndé si aliquando Canones dicunt, Sacramenta ab hæreticis collata, non esse rata, nec vera, hoc intelligitur quo ad rem Sacramenti quæ est gratia, & licitum vsum & executionem illius; & sic exponitur D. Gregorius dicens, ordinatos ab hæreticis & excomunicatis, non consecrari, sed fœdari.

Secunda difficultas: De proprio Episcopo, Ordines, vel facultatem ad eos recipiendos conferente. Certum est, quod Ordinandus, etiam prima tonsura, debet á proprio Episcopo ordinari, vel ab alieno de licentia illius, vt ait Trident. Sess. 23. de reformat. cap. 3. & 8. quod si non á proprio Episcopo, vel de illius licentia fuerit ordinatus, peccat mortaliter, & ab executione Ordinis manet suspensus, quousque proprio Episcopo visum fuerit, & ordinans incurrit suspensionem á collatione Ordinum per annum & per hoc tempus, si suspensio est notoria notorietate facti, quia manifeste ordinavit alienos sine licentia proprij Episcopi, vel notorietate iuris, quia in iudicio convictus, confessus est, possunt subditi sui, ordinari sine licentia illius á vicinis Episcopis; sic habatur in cap. de temp. Ordin. in 6. sed hæc facultas, solis Clericis subditis Episcopo sic suspenso competit, non veró laicis, quia non est tanta necessitas, vt laicus ordinetur, quam vt Clericus iam ordinatus, ad vlteriores Ordines progrediatur, sic ait Suarez, & Aversa.

Difficultas est, quisnam sit proprius Episcopus, vt licité Ordines, vel facultatem ad eos recipiendos conferat? Tres causæ reperiuntur ad hoc, relatæ á Bonif. 8. in cap. cum nullus 3. de temp. ordinand. nempé quod Episcopus dicitur proprius ratione originis, vel ratione domicilij, vel Beneficij Ecclesiastici, quibus additur ex Concil. Trident. Sess. 24. cap. 9. ratione familiaritatis, & supponimus ex eodem Concil. hoc solum procedere de Episcopis propriam Diœcesim habentibus; nam Episcopi meré titulares, qui communiter dicuntur de *Anillo*, nullam habent potestatem conferendi Ordines familiaribus suis, nisi de licentia Episcopi, qui proprius sit, aliqua ex rationibus dictis; si autem quis ratione originis, est subditus alicuius Episcopi, & alterius ratione domicilij, alterius ratione Beneficij, & alterius ratione famulatus, á quolibet eorum potest ordinari, & etiam qui habet Beneficia in pluribus Diœcesibus, potest ordinari á quolibet Episcopo earum.

Primó igitur, Episcopus dicitur proprius *ratione originis*, quando ordinatus, per se natus est in Episcopi Diœcesi. Dicitur *per se*, nam si parentes eius solũ per transitum extiterint, non habentes ibi domicilium, sed quia ad aliquod negotium peragendum advenerunt, vel ad exercendum aliquod officium, tunc filius non dicitur natus in eo loco, sed oriundus censetur in loco illo, in quo parentes eius, fixum domicilium habent, vt communiter Doctores sentiunt, si autem pater ordinandi natus fuerit in aliqua Diœcesi, etsi filius alibi natus fuerit, censetur oriundus á Diœcesi patris, vt ab eius Episcopo ordinari possit; sic sentiunt Diana, Palaus, & Dicastillo, & constat ex l. adsumptio, §. 1. ff. ad municipalem, vbi dicitur: filium esse originarium, Civitatis ex qua pater eius natus est.

Sed notandum est, quod solum censetur locus originis filij, ille in quo pater eius est natus; non veró in quo est nata mater, & ideo si mater eius, esset vnius Diœcesis oriunda, filius alibi natus, non posset ab Episcopo illius ordinari, nisi esset illegitimus, quia in hoc origo matris, censetur etiam filij per fictionem iuris. In expositis autem quorum parentes ignorantur, locus ille in quo sunt expositi, censetur originis eorum. Sed an sufficiat, quod aliquis sit baptizatus in aliqua Parrochia, vt dicatur quod indé originem trahit? Affirmat Barbosa cũ Gonzalez, ex Reg. 8. cancell. glossi. 9. §. 1. num. 105. Sed hoc debet intelligi, quando non constat de certo loco originis, non veró aliter, quia hic agitur de origine naturali & non de spirituali, & ille indé summitur, vbi aliquis naturaliter nascitur, alias sequerentur plura incommoda, possent enim parentes, filium natum in vno loco, deferre ad alium, vt privilegijs illius loci frueretur, quod multoties cederet in damnum loci & Parrochiæ, vt ait Trullench.

Secundó, Episcopus dicitur proprius, ad Ordines conferendos, *ratione domicilij*, quod ab habitatione distinguitur, nam hæc potest dari, etiam sine animo permanendi, non veró domicilium; ad hoc enim, non sufficit habitatio in aliquo loco etiam per decennium, si non detur animus ibi permanendi, sicut nec sufficit animus recedendi á loco domi-

domicilij, sed vtrumque copulativé requiritur, nempé habitatio & animus permanendi ad domicilium, & ad eius deperditionem, animus recedendi, & realis recessus. Vndé, si quis postquam domicilium contraxit, haberet animum se alibi conferendi, posset ab Episcopo loci domicilij ordinari, vt dicunt Sanchez, Bonacina, Trullench & Dicastillus. Sed quando censetur, aliquem habere animum, manendi alicubi? Resp. quód si hoc verbis expresserit, vel si per decennium ibi habitaverit, non indicata voluntate recedendi, quod ex eo colligitur, quod ibi domum emerit, vel maiorem suorum bonorum partem asportaverit.

Hoc autem intelligitur, nisi constet aliunde voluntatis oppositæ, vt si quis causa studiorum, aut alicuius officij, aut muneris alicubi venerit, tunc enim censetur, habere animum recedendi; sed si finitis studijs, vel officio, significet se velle ibi permanere, vel domum emerit, aut bona asportaverit, iam loci illius incola, & ibi domiciliatus censetur. Ex his deducitur: quód studentes, in loco studij, domicilium non contrahunt; nec possunt ordinari ab Episcopo illius loci; Barones autem & officiales perpetui, & filij eorum, habent domicilium, in locis quæ in feudo, vel regimine possident, licet ibi non habitent, & sic ab Episcopis talium locorum ordinari possunt; & idem est de Senatoribus, & alijs perpetuis officialibus Principum & eorum filijs, qui licet ratione officij, non fiant cives illius Vrbis, in qua illud exercent, ibi tamen domicilium contrahunt. Habens autem domicilium in pluribus locis, vbi æqualiter vivit, potest ab Episcopis eorum, pro libito ordinari; & non dicitur æqualiter mathematicé, sed moraliter, ita vt fere per æquale tempus, vtrobique degat, non verò si solum degit per tempus breve, vel causa recreationis; sic Barbosa, Trullench, & Sanchez.

Tertió, dicitur Episcopus proprius, *ratione Beneficij*, adepti re ipsa in sua Diœcesi. Dicitur *re ipsa*, quia non sufficit esse præsentatum ad Beneficium, si re ipsa, titulum & possessionem eius non habet, semel tamen habito, licet illud simplex sit, & residentiam non petat, est sufficiens ad Ordines suscipiendos, ab Episcopo in cuius Diœcesi est, nam Canones sacri, tantum exigunt Beneficium Ecclesiasticum, sive residentiam exigat, sive non; sic tenent Diana, Philibertus, Aversa, & Dicastillus. Beneficium autem, ad cuius titulum Ordines conferri possunt, debet esse perpetuum, & non sufficit quod detur in commendam, nisi hæc perpetua fuerit, quia tunc iam in titulum transit, nec similiter sufficit Capellania temporalis, nec pensio habita in illo Episcopatu, quia hæc, Beneficium non sunt, vt dicunt citati authores.

Inquires: An Episcopus, conferens Beneficium alicui, eo animo & intentione, vt illum extrahat á iurisdictione proprij Episcopi, possit ei Ordines conferre, & ratione talis Beneficij eum ordinare? Negant plures cum Barbosa, quia talis collatio Beneficij, esset in fraudem legis, vt scilicet extrahat subditum á potestate sui Prælati, & fraus, nemini debet patrocinari. Affirmant alij cum Trullench, quia licet ibi fraus interveniat & forté peccatum, veré tamen Beneficiatus est illius Diœcesis, & nihil aliud petitur, vt á tali Episcopo ordinari possit. Nec legi fraudem facit, quia vtitur iure suo, recipiendo id quod in eius vtilitatem cedit. Hoc autem intelligitur, quando Beneficium est verum, & reale, atque sufficiens ad congruam Ministri sustentationem, nam si Episcopi vel eius Vicarij, faciles sint in decretando Beneficia, de quibus moraliter certo constat ficticia esse, vt ait Trident. Sess. 21. cap. 2. de reform. solum eo fine, vt Ordines conferant suis vel alienis subditis, vt nuper vidimus, non sine gemitu; præterquam quod mortaliter peccant, incurrunt pœnas á Concil. Trident. statutas, tám contra ipsos, quám contra sic ordinatos, & pro tot malorum præcautione, sunt recenter expedita, multa Pontificum & Regum Decreta, de quo aliquid infrá iterum attingemus, quia res hæc, temporibus nostris, fuit deplorabilis satis.

Quartó, dicitur Episcopus proprius alicuius, *ratione familiaritatis*, & ad hoc Sac. Trid. Conc. duas statuit conditiones, Sess. 23. cap. 9. de reformat. nempé quod ordinandus, per triennium fuerit cum Episcopo commoratus, & quod Beneficium absque fraude, illi statim re ipsa conferat, per quod intelligit Vazquez, Beneficium primo vacaturum; sed alij cum Aversa meliús dicunt, inhærentes decisionibus Sacræ Congregationis & Rotæ, quod intelligitur intra decem dies á vacatione Beneficij, & ideo Beneficium, statim familiari Episcopi conferendum, debet esse vacans tempore ordinationis, alias si detur periculum diutius immorandi, in eius collatione, frangitur præceptum Concilij. Vndé potest Episcopus ex vi huius indulti, ordinare familiares suos, alijs titulis non sibi subiectos, antequam actu conferat eis Beneficium, nam post Beneficium acceptum, iam est suus Diœcesanus, & sic nulla gratia Episcopo fieret in Decreto Concilij; sufficit ergo quod Beneficium statim sit conferendum, licet actu non sit adhuc collatum. Nomine autem familiarium Episcopi, intelliguntur omnes, qui vivunt Episcopi obsequio, & eius expensis aluntur, licet in suo Palatio non habitent, si tamen in eodem loco degunt, quod si longius vivunt extra Provinciam, per decem leucas secundum aliquos, & secundum alios per duas dietas, etsi Episcopus eos sustentet, non fruuntur illo privilegio. Probabile autem est, quod famuli familiarium Episcopi, eo fruuntur, dum fraus cessat, & Episcopi expensis vivant, dum tamen occasione hac, Episcopus non permittat plures famulos suorum familiarium, vt ait Henriquez, & Salmant.

Tertia difficultas: Quis potest præbere dimissorias, ad Ordines suscipiendos? Regulariter subditi Episcopi, debent ab illo ordinari, si autem ipse ex rationabili, & iusta causa sit impeditus ita, vt commodé non valeat Ordines conferre subditis suis, qui tales sunt a'iquo, ex quatuor titulis supra dictis, potest eis concedere litteras dimissorias, vt ab alio Episcopo ordinentur, vt ait Trident. Sess. 23. cap. 3. de reformat. licet autem ibi, solum assignet pro causa non conferendi Ordines, Episcopi infirmitatem, eadem tamen ratio est, de qualibet alia causa rationabili, sed prius quam tales litteras concedat, debet ordinandum examinare de scientia & moribus, &c. & sic Episcopus ad quem mittitur, eum examinare non tenetur, potest tamen hoc facere si voluerit, atque reprobare si ineptum iudicaverit.

Episcopus autem Electus, & á Papa confirmatus, propriam Diœcesim habens, licet consecratus non sit, potest dimissorias præbere, vt supra vidimus, quia hic non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, quam Episcopus per electionem, & confirmationem acquirit. Quid autem, si Episcopus excomunicatus, vel suspensus declaratus sit? Aliqui sentiunt, quod potest dimissorias concedere; sed oppositum est verius, quod tenet Barbossa, quia dimissorias dare, est actus iurisdictionis, qua privatur excomunicatus vel suspensus, & tunc talis Episcopi subditus, potest ordinari, ab Episcopo viciniori, si probet sum Episcopum excomunicatum esse. In litteris autem dimissorijs, iuxta Concil. Trident. debet exprimi causa, ob quam Episcopus proprius, á collatione Ordinum excusatur, nisi ex consuetudine recepta id fieri non soleat.

Vlterius, in his litteris, explicandi sunt Ordines pro quibus recipiendis dantur; si autem solum dicitur ad Ordines suscipiendos, intelliguntur minores Ordines; & si ad Subdiaconatum, non valent ad alios Ordines sacros; si verò facultas limitatur, vt Ordines conferantur á tali Episcopo, nequeunt ab alio conferri, si autem fuerit generalis, pro quocumque Episcopo gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, nequit quis ab hæretico, excomunicato vel suspenso ordinari, quia iste, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis non habet. Vicarius Generalis Episcopi, nequit dimissorias ad Ordines concedere, nisi hoc ex speciali & expressa Episcopi facultate illi concedatur, id tamen potest, si Episcopus in remotis locis existit, vel extra Provinciam, per duos aut vnicam dietam, vt communiter Doctores assertunt. Maximé autem curet, de requisitis pro talium litterarum expeditione, nam sunt non pauci, qui occasione nacta de Episcopi absentia, variis artibus & fallacijs Ordines recipere studeant, in sui & Ecclesiæ notabile detrimentum.

Difficultas specialis circa hoc est: an possit Episcopus ordinare subditum alterius, sine litteris dimissorijs istius, nec eius expressa licentia, sub spe ratihabitionis de futuro? Affirmat Diana, præcipué quando Episcopi sunt valdé amici, vel subditus magnam habet familiaritatem cum Episcopo proprio, quia tunc iudicatur, hunc ratam habere ordinationem, & furtum non facit, qui indicat aliquid domino placere. Sed contrarium est verum, & omnino tenendum cum Sanchez & alijs, & merito. Tùm, quia Trident. exigit licentiam expressam Episcopi proprij. Tùm, quia in his quæ aguntur contra ius alterius, non est præsumenda voluntas illius, maximé hoc tempore in quo tot lites in puncto iurisdictionis solent excitari. Tùm, quia hinc summeretur motivum, vt Episcopus alienos subditos faciliter ordinaret, sub spe ratihabitionis futuræ, & ex hoc pax turbaretur, & maxima inconvenientia pullularent; & Episcopus sic ordinans, pœnam suspensionis incurreret, ac si ordinaret sine licentia proprij Episcopi. Hic tamen poterat postea talem ordinationem ratam habere, sine recursu ad Papam, quia potest absolvere á suspensione, sibi subditum, absque licentia ordinatum, vt ait Trid.

Quid autem, de facultate Capituli Sede vacante quo ad facultatem dimissorias concedendi? Resp. quód olim ad hoc potestatem habebat; sed hæc á Concil. Trident. Sess. 23. cap. 10. coarctata est, ita vt solum in duobus casibus, conferre potest Capitulum Sede vacante litteras illas; primus est, elapso anno á die obitus Episcopi; secundus, quando aliquis est coarctatus ad Ordines suscipiendos intra illum annum, vel quia habet Parrochiale Beneficium, hoc exigens, vel etiam Præbendam aut Capellaniam, petentes obsequium personale alicuius Ordinis, vel vocatus & præsentatus est, ad aliquod horum, postulans quod ordinetur; & si Capitulum sine his conditionibus licentiam confert, etiam ad primam tonsuram, interdicto Ecclesiastico subiacebit, & sic ordinatus, suspenditur ab Ordinum executione, ad arbitrium Episcopi futuri, quod fiet post sententiam iudicis; Vicarius autem Capituli, tales litteras conf. rens, non servatis conditionibus Concilij, suspenditur per annum ab officio & Beneficio, vt ipsum Concil. ait, Sess. 23. cap. 10. & vt hæc pœnæ incurrantur, requiritur actus consummatio, nempé, quod ille qui accepit litteras, illarum prætextu de facto ordinetur.

Nec proficit, vt ab his liberentur Vicarius & ordinatus, vt in litteris Decreti collationis, ponatur quod Beneficium arctatum est, si re vera ita non fuerit, quia Concilium non attendit ad voces, sed ad rem & veritatem ipsam. Hoc dico propter intolerabilē abusum, quē nunc nūc vidimus & audivimus, de quodam Capitulo, & eius Vicario Sede vacante, facilitate maxima, tales litteras dimissorias ad Ordines concedente, ex quibus tot mala fuerunt secuta, atque deceptiones commistæ, vt non

queant

queant facile narrari, omnes tamen sunt diffinitæ summatim in Trident. Sess. 21. cap. 2. de reformat. vbi dicitur: Cùm compertum sit, complures plerisque in locis, ad sacros Ordines, nullo feré delectu admitti, qui varijs artibus aut fallacijs, confingunt, se Beneficium Ecclesiasticum, aut verum patrimonium, aut etiam idoneas facultates obtinere; quod in casu dicto, satis Orbi noto contigisse, ignorat nemo, satis enim per angulos Provintiarum insonuit. Potest tamen Capitulum Sede vacante, præbere testimonium de moribus & vita, ordinando, alias licentiam habenti, vel á Pontifice, vel ab Episcopo defuncto, quia hoc non est concedere dimissorias, sed approbare jam habitas.

Sed quid dicendum de Abbatibus? Resp. quòd illi etsi mitrati sint & benedicti, nequeunt dare dimissorias subditis suis sæcularibus, sed has debet concedere, proprius eorum Episcopus; bené verò subditis suis regularibus. Abbates verò Magnates, iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, etiam suis subditis sæcularibus, possunt dimissorias concedere, & etiam eos ad excipiendas confessiones approbare, ita Philibertus cum pluribus, & Molfesius affert decisionem Sac. Congreg. circa hoc. Prælati autem Regulares, vt Generales & Provinciales, tales dimissorias concedunt suis subditis, vel ex consuetudine, vel ex Ordinum institutione, & exemptione á Pontificibus concessa, vt á quolibet Episcopo possint ordinari, cum eorum vitam & mores, melius quam Episcopus cognoscant, & Religiosus aliter ordinatus, peccaret mortaliter, & incurreret suspensionem, latam contra ordinatos, sine facultate proprij Pastoris.

Debent autem Prælati Regulares, iuxta Decretum Clem. VIII. dirigere litteras illas, ad Episcopum Diœcesanum sui Monasterij, quo absente, vel Ordines non celebrante, possunt ad alium mittere, exprimendo causam absentiæ proprij Episcopi, vel non celebrationis Ordinum ab eo. Sed hoc Decretum, vt ait Palaus, non est vsu receptum, quia Prælati Regulares, frequenter concedunt dimissorias subditis suis, vt Ordines recipere possint, á quolibet Episcopo, quin mentionem faciant de absentia Episcopi proprij, vel de eo quod ipse Ordines non celebret. Hoc autem intelligitur, de Regularibus exemptis, quia non exempti non á Prælatis Regularibus, sed á proprio Episcopo, debent dimissorias accipere. De Novitijs dicunt aliqui, posse á Prælatis regularibus recipere dimissorias, quia gaudent omnibus privilegijs ac alij. Sed re vera, illis prohibitum est á Pio V. sacros Ordines recipere, ante professionem emissam, nec vnquam casus accidit, vt pro recipiendis ordinibus, á suis Prælatis mittantur.

Quarta difficultas: De alijs requisitis conferentium & suscipientium Ordines. Vt Ordines licitè conferantur, requiruntur præter dicta aliquæ conditiones. *Prima* est, illa qualitas generalis, quod conferens & recipiens, non sint in peccato mortali; ambo enim mortaliter peccabunt, si antea non se disponant ad gratiam, per confessionem aut contritionem, excepta prima tonsura & minoribus Ordinibus, in sententia eorum, qui dicunt non esse Sacramenta; & similiter mortaliter peccant, qui censura irretiti, Ordines conferunt vel recipiunt etiam si minores sint, aut prima tonsura, quia ingerunt se in divinis, contra impedimentum, quo arcentur ab alijs rebus sacris, & deindé suscipiens, manet suspensus, ab executione Ordinis recepti, & conferens, ipso facto incurrit irregularitatem, quia exercet actum Ordinis, ligatus Ecclesiastica censura. *Secunda* conditio est, quod non sit irregularis, quia irregularitas, licet non obstet validæ ordinationi, impedit tamen licitam, & sic peccaret mortaliter irregularis, Ordines & etiam primam tonsuram suscipiens, quia irregularitas, est inhabilitas ad Ordines suscipiendos, & maneret suspensus ab eorum executione.

Tertia conditio est, quod sit baptizatus, alias non solum peccaret mortaliter, sed etiam post Baptismum susceptum deberet reordinari, & etiam debet esse confirmatus, non ex necessitate Sacramenti sed præcepti. Rationem vtriusque adduximus, art. 4. præced. casu 1. *Quarta* conditio est, quod ordinandus, prius exercuerit Ordinem iam receptum, vt ait Trident. Sess. 23. Can. 11. & 13. quia consecratio ad aliquam actionem, datur propter ipsam actionem. Verum quidem est, quod sic non faciens, mortaliter non peccat, quia nullibi datur præceptum de hoc, & verba Concilij, non sunt præceptiva, sed consultiva, nec Episcopi de hoc sunt tam soliciti, vt illud omnitentes, repellant ab vlteriorum Ordinum susceptione.

Quinta conditio est, proprius locus Episcopi, nempé quod sit in propria Diœcesi, nam si est in aliena, & sine licentia proprij Episcopi Ordines conferat, peccabit mortaliter, & ipso facto incurret suspensionem ab exercitio Pontificalium, & ordinatus, ab executione Ordinum quos suscepit, vt ait Trident. Sess. 6. de reformat. cap. 5. Excipitur prima tonsura, quam si Episcopus proprio subdito in aliena Diœcesi confert in secreto, nec peccatum nec pœnas incurret, quia Concilium solum prohibet, Episcopum exercere Pontificalia in Diœcesi aliena, prima autem tonsura in secreto collata, sine Pontificalibus potest conferri, vt dicunt Henriquez, Bonacina, & Diana cum alijs. An verò Episcopus, habens facultatem ordinandi in Diœcesi alterius, possit etiam ibi, subditos suos ordinare? R. affirmativé, quia isti censentur in facultate generali contenti, nisi fortè daretur solum facultas, ad ordinandum speciales personas, tunc enim non posset alios ordinare.

Sexta conditio est, determinatum tempus, ad

Or-

Ordines conferendos, nempé prima tonsura, quolibet tempore anni; quatuor minores Ordines, ex consuetudine, feria sexta proxima Sabbatis, in quibus conferuntur Ordines maiores, vel etiam in ipsis Sabbatis, vel quavis Dominica, & die festo anni, dum tamen Ordines non sint generales pro omnibus, sed pro duobus aut tribus, vel etiam pro alijs, dum tamen numerus, non tantum augeatur, vt Ordines videantur generales. Deindé Ordines maiores, solum sex Sabbatis omnibus notis possunt conferri. Qui autem ordinaretur extra hæc tempora, vel reciperet duos Ordines maiores eodē die, peccabit mortaliter, & suspensionem ab Ordinum exercitio incurret. Eodem autē die potest conferri prima tonsura, & quatuor minores Ordines. An veró hæc & Subdiaconatus, similiter conferri possint? Resp. affirmativé, iusta causa vrgente, & sic possunt conferri Ordines minores feria 6. & Subdiaconatus, Sabbato sequenti, quia de hoc non datur prohibitio, Concilium enim solum prohibuit, plures Ordines sacros simul conferri; sic Vazquez, Diana, Marchinus, & Leander.

Quando Pontifex alicui concedit, vt ordinetur extra tempora statuta, in diebus festivis, per hos dies intelliguntur in iure, non solum feriati ab operibus servilibus, sed etiam dies omnes, in quibus iuxta Ecclesiæ ritum, festum duplex celebratur; sic sentit Rodriguez, & Fagundez; licet Azor asserat & verius, quod intelliguntur dies feriati á servilibus, & hæc est Episcoporum praxis. Sed an Regulares, possint extra tempora ordinari, ex vi suorum privilegiorum? Negant plures, & affirmant alij. Salmantic. cum multis quos citant dicunt, id tuta conscientia ab Episcopis fieri posse, cum quolibet Regulari, ex pluribus Pontificum privilegijs nam licet specialiter sit concessum Societati Iesu; sed Greg XIII. & Vrbanus VIII. id ad alias Religiones extenderunt. Vidi ego aliquando Cistercienses & Iesuitas sic ordinari, sed nostri, hoc non habent in praxi, nec scio aliquem, hoc modo ordinatum fuisse.

Septima conditio est, vt Ordines disponantur, sub certis temporum interstitijs, hoc est, quod aliqua temporis intervalla, inter vnum & alium Ordinem intercedant. Pro minoribus Ordinibus, licet olim servarentur interstitia, postquam tamen Trident. id reliquit Episcoporum arbitrio, vt si eis videtur expedire sine interstitijs conferantur, sic conferri solent simul cum prima tonsurá, ad quod quævis causa etiam levis est sufficiens, & hoc iam consuetudine introductum est, vt dicunt Sanchez, & Aversa. Pro maioribus Ordinibus, assignantur á Tridentino, interstitia vnius anni integri, alias ordinatus interstitijs non servatis aut dispensatis, peccaret mortaliter, nullam tamen suspensionem aut irregularitatem incurreret, vt ait Trullench, & Diana.

Hæc autem intervalla, vel interstitia temporis, iustissimé assignantur ab Ecclesia, vt interim ordinandus, se exerceat in Ordine recepto, & melius cognoscat eius dignitatem, & etiam illius quem accepturus est. Quo modo autem debeat interstitiorum annus computari? Dicitur, quod non mathematicé, de die in diem, sed moraliter pro anno Ecclesiastico. Vndé si quis Ordinem Subdiaconatus acceperit in Temporibus Quadragesimæ, potest in eisdem anno sequenti, Ordinem Diaconatus accipere, licet deficiant aliqui dies, vt complcatur annus naturalis, sic tenent communiter Doctores, cū Trullench, Villalobos, Aversa, & Lezana.

Quis autem ex iusta causa, potest dispensare temporum interstitia? Resp. id pertinere ad Episcopos quoad suos subditos, nam si Ordines confert alienis, de licentia proprij Episcopi, ad istum pertinet dimissorias concedere, & interstitia dispensare, & ad dispensationem, debet intervenire iusta causa, vt necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, nec requiritur quod sit publica & communis, sed sufficit quod specialis sit, ad propriam Ecclesiam conducens, quod iudicari debet ad arbitrium prudentum. Deindé dispensatio super interstitia cum Regularibus, ait Diana cum pluribus, quod non ad Episcopum, sed ad Prælatos regulares pertinet, & licet detur Cardinalium declaratio in oppositum, ait ille, hoc intelligi, vt non possint dispensare ex iure communi, sed solum ex privilegijs specialibus Regularium. Sed re vera, ego non semel in hoc iurgia vidi, nec est cur Prælati Regulares, his privilegijs non cedant, si quæ forté sint, cum Episcopi sint valdé benigni, in dispensandis interstitijs cum Regularibus. Praxis Ordinis nostri hæc est, vt in litteris dimissorijs, talis clausula ponatur. Rogamus Illustriss. Antistites, ad quos ordinandus accesseris, vt tecum super Temporum interstitijs dispensare dignetur, & quantum in nobis est dispensamus, & sic vitantur lites, nec in aliquo præiudicantur iurisdictiones.

Quinta difficultas: De suscipientibus Ordines. Plures sunt qualitates, ex parte suscipientium Ordinis requisitæ, quarum aliquas proponemus modo, & alias, difficultate sequenti. *Prima* qualitas ordinandi est sexus, circa quod dicendum est: quód solum virilis sexus, non veró fœmineus, capax est recipiendi Sacramentum Ordinis; sic D. Thom. in addit. 3. p. q. 39. art. 1. contrarium huius, senserunt pessimi hæretici Peputiani & Cataphrigæ, cum Vvicleph asserentes, omnes mulieres baptizatas, posse ad sacros Ordines promoveri. Sed nostra resolutio est de fide, quæ deducitur 1. ex facto Christi, qui in vltima cœna, dum Apostolos ordinavit nullam fœminam admisit, nec etiam post Resurrectionem, quando contulit absolvendi potestatem, & si sexus fœmineus huius esset capax, Christus Virginem matrem omnium mulierum Sanctissimam, ab hoc non excluisisset.

Se-

Secundó : quia munus publicé docendi, annexum est Ordinibus sacris, & ab hoc munere arcentur mulieres 1. ad Tim. 2. vbi dicitur: Mulierem in Ecclesia docere, non permitto. 3. nam vt ait D. Thom. loc. cit. Sacramentum Ordinis, significat eminentiam gradus, & hæc in mulieribus locum non habet, quia illæ sunt in statu subiectionis. 4. nam persona quæ ordinatur, significat Christum mediatorem, cuius officio fungitur; officium autem mediatoris, solum adaptatur viris. His addit D. Epiphan. Genes. 49. quod nulla legitur mulier á mundi exordio, quæ sacrificium obtulerit Deo, nec inter fideles, nec inter infideles, & in lege scripta, solum viri fuerunt in Sacerdotes electi, & in Levitas in ministerium altaris, & sic lex gratiæ quæ perfectior est, etiam viros ad Sacerdotij, & altaris ministerium exposcit.

Nec sunt alicuius momenti, quæ opponunt Peputiani. 1. quod tám in novo, quám in veteri testamento, mulieres fuerunt Prophetissæ. 2. quod in Ecclesia primitiva, erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteriissæ, & Episcopissæ, quia de quadam Ioanna Anglicana, dicunt plures Catholici, fuisse ad Pontificatum assumptam, vocatamque Ioann. 8 & insedisse per duos annos inter Leon. IV. & Bened. III. Resp. ad 1. quod Prophetia non est Sacramentum, sed Dei donum, in quo non exigitur significatio, sed solum res, & quia secundum rem, in his quæ animæ sunt, mulier non differt á viro, imó quandoque est melior quo ad animam, ideo illa potest recipere Prophetiam, sed non Sacramentum Ordinis, & in hoc sensu, intelligitur dictum Pauli, quod in Christo Iesu, non est masculus neque fœmina, hoc est enim verum, quo ad animæ dona, non veró quo ad dignitates & officia. Ad 2. quód Diaconissæ vocabantur olim, mulieres sanctimoniales, quæ recipiebant ab Ecclesia specialem benedictionem, vt homilias in choro decantarent, præcipué cum Diaconus, idem sit ac minister, vt ait D. T. loc. cit. in fin. corp. vel etiam quia erant institutæ, vt fidelibus mulieribus, alimenta & res necessarias ministrarent, quia non decebat, vt Diaconi eis inservirent, vt ait Clem. Alex. lib. 8. const. cap. 19. vel quia vxores erant Diaconorum, ab illis quo ad thorum coniugalem separatæ, & similiter vxores Subdiaconorum, dicebantur Subdiaconissæ, Presbyterorum, Presbyteræ, & etiam Episcopissæ, quas viri ad hanc dignitatem promoti deseruerant, continentiæ servandæ causa; sed nunquam tales mulieres, his dignitatibus fruebantur, tanquam altaris ministræ, quod solum pro viris Christus reservavit, de quo plura habet Pamelius anot. 72. in lib. Tertul. de exhort. ad castitatem. Vndé obiter nota, quanta sit in primitiva Ecclesia cura præcautum, ne viri cum fœminis conversarent; cum pro instituendis fœminis, habuerit mulieres Diaconissas. Recolantur supra dicta q. 5. Art. 17. & 18.

Ad 3. resp. narrationem illam, esse puré fabulosam, inde tamen illud mendacium ortum duxit, quia cũ Pontifex Summus Ioan. 12. fœminam quandam Ioannam nomine maximo affectu diligeret, & illa nimis in Ecclesiæ administratione se introduceret, hinc vulgi rumor invaluit, & talem mulierem appellavit Papissam. Licét tamen ea historia fuisset vera, (quod credendum non est, nec Deus Ecclesiæ suæ, talem permiteret deceptionem) fœmina tamen illa, non esset verus Pontifex, nã ad hoc, Sacerdotium debebat necessario præcedere, cuius fœmina incapax est, ob rationes dictas; & etiam incapax est minorum Ordinum & primæ tonsuræ, quia licet admiteremus, hæc non esse Sacramenta, sunt tamen Ordinis præambula. Vndé sicut incapax professionis Religiosæ, etiam est incapax novitiatus qui est eius præambulum, ita fœmina incapax Ordinum, est etiam incapax præambulorum ad illos.

Quid autem de Hermafroditis? Resp. quód si in eis fœmineus sexus prævalet, sunt Ordinum incapaces, sicut aliæ mulieres, & etiam si vterque sexus est æqualis, quia de his nequit dici, esse absoluté viros; si autem prævalet sexus virilis, possent Ordines recipere, quia sunt absoluté viri, sed sunt irregulares, propter monstruositatem, & sic peccarent mortaliter, si Ordines sine dispensatione reciperent, sed factum teneret. Si autem in his licité vel illicité ordinatis, postea diminuto naturæ vigore sexus fœmineus prævaleret, non possent Ordines ante susceptos exercere, quia licet character servaretur in anima, iam non esset minister capax, ratione sexus mutati, sicut Sacerdos transiens ad statum comprehensoris vel damnati, iam non posset validé consecrare, quia minister Ordinis, de necessitate debet esse homo viator. Quid autem si erum pente natura, fœmina in virum transit? Resp. tunc posse ordinari validé, sed non licité, ob admirationem & scandalum exortum, ex eo quod videretur altari ministrare, illa quæ fuit fœmina nota; nisi forté res esset valdé occulta, & id absque nota & admiratione fieri posset, vt ait Henriquez, quod tamen valdé difficile est.

Secunda qualitas ordinandi, est ætas, & hæc post Tridentinum ad primam tonsuram, est illa, quæ communiter deputatur ad vsum rationis, nempé septem annorum. Pro minoribus Ordinibus, non assignatur á Concilio ætas determinata, sed hoc relinquitur arbitrio Episcopi, & communiter post septenium, poterit pueros ordinare, nisi aliud ei videatur expedire, vt sentit Granado, & Soto cum pluribus. Pro maioribus Ordinibus, Trident. Sess. 23. cap. 12. has ætates assignat; pro Subdiaconatu, annos 22. pro Diaconatu, 23. pro Sacerdotio, 25. & non requiritur quod hi anni sint completi, sed sufficiunt incepti, etiam per vnam horam, & sic eodem die, quo quis complevit, annum 24. potest

in Presbyterum ordinari, licet solum vna hora tra nsierit, anni 25. ad Episcopatum veró, requiritur annus trigesimus completus,& idem ad Cardinalatum, licet ex concessione Sixti V. possit quis fieri Cardinalis Diaconus,anno ætatis 22. Ad Pontificatum veró, nulla est ætas á iure statuta, sed nequit validé quis in Pontificem eligi, si vsu rationis caret.

Dubitabis 1. an qui in ipso die Ordinum attingit, annum 25. hora quinta vespertina, possit eodem die in Presbyterum ordinari hora decima matutina? Resp. affirmativé. Tum, quia in favorabilibus, parum pro nihilo reputatur. Tum,quia vespere & mane, faciunt diem vnum, & sic modo dicto ordinatus, censetur moraliter,in anno 25. constitutus. Sic tenent Ledesma, Diana, & Salmant. An veró in ætate computanda, sint numerandi dies bisextiles? Casus est non semel quæsitus. Aliqui negant cum Barbosa, quia annus regularis, constat 365. diebus. & sic si contingit diem bisextilem superaddi,tanquam de re per accidens occurrente, curandum non est. Sed ego semper oppositum sensi, & sic dies bisextiles, sunt pro Ordinibus vel professione Religiosa computandi. Tum, quia Ecclesia,dum assignavit ætatem, iam sciebat annos aliquos esse bisextiles, & horum dies non excepit. Tum, quia alias,natus die 25. Martij, posset ordinari post 24. annos, die 19. eiusdem mensis, quia cum in quolibet quadrienio, vnus addatur dies bisextilis, iam eo tempore, sex dies bisextiles essent decursi, & si isti computari non deberent,posset quis ordinari, sex dies antequam 25. annos inchoaret, quod est absurdum; tales ergo dies, in annis computari debent, & hoc est probabilius, atque in praxi sequendum, vt dicunt Bonacina, Trullench, Dicastillo. & Salmant.

Dubitabis 2. an ætatis anni,debeant esse naturales vel Ecclesiastici, ita vt si quis fuisset natus Sabbato Sancto,anno quo Pascha incideret die 10. Aprilis, posset post annos 24. ordinari, si eo anno Pascha incidit, die 10. Martij? Videtur enim,debere computari annos Ecclesiasticos & non naturales, sicut illi solum computantur, ad privilegium Bullæ, & ad interveila interstitiorum vt vidimus. Sed resp. annos naturales,& non Ecclesiasticos pro ætate numeranda, debere absque dubio computari, sicut etiam isti computantur,pro Religiosa professione. Ad id quod opponitur,dicunt Salmant. quod disparitas non est facilis, & ideo hoc non resolvunt,sed aliorum iudicio remmittunt;sed re vera, disparitas facilis est, nam ætas computatur,per tempora & dies & annos, quibus non expletis,re ipsa non consistit ætas, hæc enim immobilis est; annus veró pro interstitijs, vel pro Bulla summenda, non sic computatur, sed solum iuxta Ecclesiæ computum, quæ annum Ecclesiasticum instituit,de festo in festum,quæ cum sint mobilia,incidunt aliquando ante, & aliquando post.

Est etiam aliud dubium:an Regulares,ex vi suorum privilegiorum, possint ante legitimam ætatem ordinari? Resp. negativé, quod certissimum est post Tridentinum, vbi revocantur omnia privilegia Regularium,quo ad hoc,de quorum restitutione non constat. Deindé, quia Prælati Regulares, debent subditos suos ad Episcopos mittere, cum dimissorijs & testimonio ætatis,vel igitur hoc conferunt,vel non? Si primum, nequeunt absque falsitate, dare testimonium ætatis, eis quos sciunt illam sufficientem non habere; si secundum, iam prodessent privilegia,etiam pro foro exteriori,quod omnes negant; possunt autem prodesse, vt si Regularis bona fide,ordinetur ante legitimam ætatem, possit á suo Prælato,accipere facultatem celebrandi tuta conscientia,post completum tempus ætatis.

Demum, ad obtinendum aliquod Beneficium, requiruntur iuxta Trident. 14. anni ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, requiritur annus 22. in Collegiata,annus 14. si autem Beneficium,Dignitas aut Canonicatus, habeant aliquem Ordinem annexum, promovendus, debet eam ætatem habere,vt intra annum possit talem Ordinem recipere. Ad Beneficium Curatum, requiritur annus 25. & hoc idem requirit dignitas,habens iurisdictionem in foro exteriori, anni autem isti pro omnibus,sufficit quod sint incepti,sicut de Ordinibus diximus, de quibus agit Trident. Sess.22. & 23. & 24. Qui autem ordinatur ante legitimam ætarem, incurrit ipso facto, pœnam suspensionis in perpetuum, & adhuc expleta ætate,eget dispensatione,vt ministret in Ordine susceptο,quæ solum á Pontifice obtineri potest nisi suspensio fuerit secreta,tunc enim potest ab Episcopo conferri dispensatio, & qui ante illam ministrat, irregularis manet. Sed si quis bona fide ordinatus fuerit, ante legitimam ætatem, hac expleta, potest sine nova dispensatione Ordines exercere, etsi exerceat ante illam, mortaliter peccabit, sed irregularitatem non incurret, quia hæc solum est impositа,pro his qui ex præsumptione,ante legitimam ætatem Ordines accipiunt, vel in eis ministrant, & id quod fit ex ignorantia, non censetur ex præsumptione factum; sic Aversa, Trullench, & Diana.

Sexta difficultas: De alijs qualitatibus Ordinandorum. Præter conditiones suprapositas, ad suscipiendos Ordines requisitas,aliæ duæ requiruntur,illæque præcipuæ,nempé vita & scientia. *Prima est vita*; requiritur ergo bonitas vitæ, vt quis ad Ordines promoveatur, & non solum illa generalis bonitas, exacta pro licita omnium Sacramentorũ susceptione, sed alia specialis,in honestate vitæ & morum consistens,vt ait Trident.Sess.23. cap. 7. de quo agit D.Tho. in addit. 3.p. q.36. art.1. & rationem assignat,nam in quolibet Ordine,constituitur quis dux aliorum in rebus divinis,& sic conuenit, vt alios melioritate excedat; quare ait

D.

D. Dionis. cap. 3. Eccl. Hier. vt subtiliores & clariores essentiæ, repletæ influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens ad similitudinem Solis, ad alia corpora invehunt; sic in divino omni, non est audendum alijs ducem fieri, nisi secundum omnem habituum suum sit factus Deiformissimus & similimus, ideoque sanctitas vitæ, requiritur ad Ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti. Undé si malus ordinatur, nihilominus ordinatus manet, licet cum peccato.

Examen autem vitæ & morum, debet fieri ab Episcopo proprio, qui dimissorias confert, vt Trident. ait, Sess. 23. cap. 3. & Episcopus ordinans, potest eius informationi acquiescere, & similiter testimonio Prælatorum Regularium, subditis suis litteras conferentium. Episcopus autem promovens subditos suos vel alienos, quos scit esse indignos, in vita & moribus depravatos, mortaliter peccat, quia infideliter agit officium dispensatoris, in re gravissima, vt ait D. T. loc. cit. art. 4. & in 4. dist. 2. q. 1. art. 3. quæstiunc 4. *Nec obstat*: quod si omnia á Sacris Conc. & Canonibus statuta, debent in ordinandis reperiri, vix reperiuntur idonei in numero sufficienti. Respondet enim D. T. illo art. 4. ad 1. quod Deus, nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri, sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur, & si non possint tot ministri inveniri quot modo sunt, meliús esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos; quæ D. T. verba, maxima sunt attentione ponderanda.

Sed notandum: quód quando ordinandus est ignotus, non sufficit Episcopum scire, illum non esse malum, sed tenetur diligentiam adhibere, vt sit certus moraliter, de vita & moribus eius; quando veró constat, de honestate & virtute alicuius, vel ille est Episcopo notus, & communi opinione reputatur bonus, potest Episcopus á riguroso examine morum & vitæ abstinere, illumque si sufficienti polleat scientia ordinare. Quomodo autem debet fieri examen, circa vitam & mores Clericorum sæcularium? Resp. quód pro minoribus Ordinibus iuxta Trident. sufficit bonum testimonium ab eius Parrocho, vel Scholæ Magistro; ad Ordines veró maiores, debet ordinandus, ante mensem Ordinum Episcopum accedere, & hic Parrocho committat, vt de nomine, ætate, genere, vita & moribus ordinandi informationem summat, litteris in Ecclesia propositis publicé, quæ dicuntur *Publicata*, & per se vel per litteras, de eo quod resultaverit, Episcopum reddat certiorem; sic ait Trident. Sess. 23. cap. 5. & apud omnes iam consuetudo est, vt etiam pro tonsura, & Ordinibus minoribus suscipiendis, hæc informationes fiant, licet exactius & strictius, pro Ordinibus maioribus.

Secunda qualitas ordinandorum est scientia, de qua agit D. T. loc. cit. art. 2. & ait scientiam hanc non debere esse vniversalem, nec etiam in omnibus æqualem, sed plus vel minus, secundum quod ad plura vel pauciora, se eius officium extendit, vt scilicet illi qui alijs præponuntur, curam animarum suscipientes, sciant ea quæ ad doctrinam fidei & morum pertinent, & alij sciant ea, quæ ad executionem sui Ordinis spectant. Speciatim veró, ad primam tonsuram, requiritur scire rudimenta fidei, scribere & legere, non quidem latino, sed vulgari idiomate. Ad Ordines minores, requiritur intelligere linguam latinam, iuxta Trident. & licet aliqui asserant, hoc relinqui á Conc. Episcoporum arbitrio; sed verius est oppositum, & id quod relinquitur arbitrio Episcopi, est interstitia dispensare, vt constat ex verbis Concilij.

Ad Subdiaconatum & Diaconatum, exigit Concilium, scire linguam latinam, vt id quod quis legit intelligat, & quod sit instructus, in rebus ad suum Ordinem pertinentibus; undé nequeunt ad Ordines istos promoveri, nec ad Beneficium admitti, qui nesciunt horas Canonicas recitare, nisi ex ingenio probabiliter colligatur, quod id postea faciliter addiscent. Ad Sacerdotium, vltra hæc requiritur, vt sacrificium Missæ, & Sacramentum Eucharistiæ, eiusque materia & forma intelligatur, & recta dispositio animæ, & corporis quam petit, & etiam naturam Sacramentorum, quæ ministrare potest, scilicet Baptismi, Eucharistiæ & Extremæ-Vnctionis; sed non tantam scientiam habere debet, sicut ille cui tradditur cura animarum, qui Sacramentum Pœnitentiæ ministrat, & licet hoc in casu necessitatis possit facere Sacerdos, casus tamen rarissimus est, & sic pro eo, non requiritur tam exacta rerum notitia, sicut pro ministro frequenti. Ad Episcopatum veró, maior scientia requiritur, nempé quod in aliqua Vniversitate, sit Theologiæ vel Canonum Doctor, & si fuerit Regularis, á Prælatis suis, idoneus ad alios docendos ostendatur.

Vt autem Episcopus, ordinandorum scientiam opportune cognoscat, diebus aliquot Ordinationem præcedentibus, tenetur per se vel per suos Examinatores, eos diligenter examinare, nisi alias apud opinionem omnium, vt litterati iudicentur, vel hoc Episcopo manifeste constet, vel etiam si ordinandi Regulares fuerint, potest si ei placet testimonio Prælatorum acquiescere, & illos absque prævio examine ordinare; vel si examinare vult, etsi minorem quam sæculares habeant scientiam, eos ordinare potest, quia cum in aliorum societate vivant, possunt facilius addiscere quod eis deficit, continuo multorum exemplo, assiduaque instructione. Examinatores autem, maximé suum munus & onus considerent, nec faciliter minus idoneos approbent, de quo sunt Deo rationem reddituri. Circa quod refert Gobatus, accidisse aliquando, vt faber ferrarius, legendi & scribendi latine peritus, levius Breviarium iudicans quam malleum

ad

ad Ordines accessit, & ab examinatore omnium rigidissimo approbatus fuit, qui rogatus ab alijs coexaminatoribus; cur præter morem tunc cum illo fuisset benignior? Respondit. Vos tot asinos me non contradicente, sacris initiare fecistis, & ego fabrum ferrarium, approbavi quo egent, vt soleas adijciat, ne mox claudicent, qua suavi allegoria, doctissimus ille vir suos collegas monuit, vt in posterum, imperitos ad Ordines non approbarent.

An autem illiteratus ad Ordines accedens, sit irregularis, ita quod exercens Ordines peccet mortaliter? Affirmant plures cum Diana, & Bonacina, qui dicunt, non posse Pontificem in hac irregularitate dispensare, quia est contra ius divinum præcipiens, quod labia Sacerdotis custodiant scientiam Oseæ 4. & etiam contra naturale ius est, quod quis assumatur ad ministerium, ad quod ineptus est. Alij verò cum Henriquez, oppositum tenent. Sed nos media via incedimus, & dicimus, quod si talis illiteratus, est omnino idiota, vt nec sciat prima Grammaticæ rudimenta, prima sententia est vera, si autem sit aliquantulum litteratus, licet non tantum quantum exigitur á Concil. non est irregularis, & licet peccet Ordinem recipiendo, non verò Ordinem ministrando, & forté hoc solum intendunt, secundæ sententiæ authores.

Septima difficultas: De Titulis ad recipiendos Ordines. Hoc punctum maximé debet notari, & ab Episcopis & Ordinantibus præ oculis haberi, propter fraudes atque deceptiones, quæ in titulis ad Ordines suscipiendos reperiri solent, de quo plura & rara vidimus, & audivimus á Concilio iam olim deplorata, cuius verba dedimus supra, diffic. 3. statuit ergo Concilium Sess. 21. cap. 2. de reform. ne quis ad Ordines sacros promoveatur, nisi congruam sustentationem habeat, quod etiam in pluribus Canonibus & Concilijs cautum fuerat, pro cuius observantia, Summi Pontifices & Catholici Reges, plura recenter exhibuerunt Decreta; & sic nemo potest Ordines sacros recipere, nisi habeat titulum quo possit sustentari, ne sacri Ministri, ostiatim mendicare cogantur, quod indignum est, vt quotidié videmus, non absque interno animi dolore.

Quatuor ergo sunt tituli, quibus potest aliquis ad sacros Ordines promoveri, nempé titulus pauperratis, sufficientiæ, Beneficij, & Patrimonij. Episcopus autem ordinans aliquem, sine aliquo ex his titulis, illum sustentare tenetur, quousque possideat beneficium, ad congruam sustentationem sufficiens, si tamen eum mala fide ordinasset, quod si fecerit bona fide, sufficienti adhibita diligentia, & postea falsum invenitur, ad eius sustentationem non obligatur. Si autem Vicarius aut examinatores Episcopi, omnia ordinandi requisita approbaverint, & titulum sufficiens non habuerit, ad omnes pro rata, eius sustentatio pertinet, quod si non habent vndé alant, datur actio contra Episcopum; hoc autem intelligitur, quando Clericus, aliunde non habet ex patrimonio vel honestis laboribus, vndé sustentari possit, nam si hoc habet, Episcopus eximitur ab illa obligatione; & etiam pater ordinandi dives, tenetur eum alere, quia leges naturales, præferuntur Pontificijs; quod si ordinat alienum, cum dimissorijs proprij Episcopi, & ille titulum non habet, ad eum qui litteras dedit sustentatio spectabit. Veniamus modo, ad titulos in particulari.

Primus titulus est, paupertatis, quando scilicet in Religione approbata, aliquis solemnem professionem emmisit, & sic possunt omnes Regulares, promoveri ad Ordines; non autem Novitij, sub pœna suspensionis Ordinum in ordinatis, & collationis in ordinatoribus, nisi aliundé Novitius, sufficiens habeat patrimonium quo sustentetur. Excipiuntur Patres Societatis Iesu, qui ex concessione speciali Greg. XIII. possunt sacros Ordines recipere, post professionem simplicem, licet non emisserint solemnem, quod si postea expelluntur á Religione, huic pertinebit eis de alimentis providere donec Beneficium aut congruam sustentationem, ex alijs capitibus acquirant. Si autem professus alicuius Religionis, scit suam professionem esse nullam, peccabit mortaliter ad Ordines accedens titulo paupertatis, & incurret pœnam suspensionis, nisi professionem nullam, intenderet per ipsum actum supplere & revalidare, vt ait Aversa.

Secundus titulus, est sufficientiæ. Hic autem solus absque patrimonio, sufficiens non est, ad Ordines suscipiendos. Vndé licet detur vir maximé litteratus, graduatus in Theologia vel Canonibus sacris, vel togatus in aliquo Maiori Collegio, ex hoc præcisé ordinari non potest, nam Trident. loc. cit. id prohibet dicens: ne quis deinceps sæcularis Clericus, quamvis alias sit idoneus, moribus, scientia & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimé constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honesté sufficiat pacifice possidere. *Nec obstat*: quód dicunt aliqui, sentientes oppositum, nempé quod in illo datur spes probabilis, quod in proximo consequetur Beneficium vel dignitatem. Non inquam obstat 1. quia Concilium exigit certam & pacificam possessionem Beneficij, ad quod non sufficit spes probabilis vel certa, possessionis de futuro. 2. quia talis spes, potest per multum tempus divelli á possessione, vel quia Beneficium proximé non vacat, vel quia alij graduati & idonei, ad consecutionē concurrant, vel totaliter frustrari potest, per ægritudinem aut aliud accidens casuale; sic sentit Diana, Sanchez, Ledesma, & Salmant. cum pluribus.

Tertius titulus est Beneficij, pacificé possessi, & sufficientis ad congruam sustentationem, sive fue-

rit

rit simplex, sive curatum, sive ex se sufficiat, sive associatus patrimonio, vt ex vtroque congrua sufficiens fiat, ne clericus per indignos quæstus mendicare cogatur; & ideo Beneficium, debet esse perpetuum, & non sufficit temporale etiam pingue, nec Vicaria temporalis seu nutualis, bené veró perpetua. Quænam autem congrua sit pro sustentatione sufficiens, arbitrio prudentum relinquitur, attentis circumstantijs occurrentibus; si veró in aliqua Diœcesi, dentur circa hoc taxationes certæ, standum est illis, licet modico deficiente, intersit parum. Nec potest quis resignare Beneficium ad cuius titulum ordinatus fuit nisi hoc exponat, nec resignatio admitti potest, nisi constet aliundé posse sustentari, alias resignatio facta est nulla, vt ait Trident. loc. cit.

Deindé, potest quis ordinari, ad titulum coadiutoriæ perpetuæ, si tamen habeat congruam sustentationem, non veró aliter; & etiam ordinari potest, ad titulum quotidianarum distributionum, si alias sufficiunt ad sustentationem, nam licet hæc non sint Beneficium, sunt tamen perpetuæ; simi iter potest quis ordinari, titulo perpetuæ Capellaniæ, si ante ordinationem, recipiat possessionem illius. Vlteriús ordinari potest, titulo præstimonij perpetui, quod formatur ex Beneficiorum redditibus, qui studentibus conferuntur, quia illi vel sunt Beneficium Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica pensio, cuius titulo, possunt ordines suscipi, si ea perpetua sit, & sufficiens ad victum, vt ait Trid. citatum. Sed licita non est promotio ad ordines, titulo Beneficij ex se insufficientis ad congruam sustentationem, licet postea reddatur sufficiens ob eleemosynas, aut Missarum & Aniversariorum stipendia, quia hæc sunt incerta, nisi forte illa quæ communiter occurrunt ad sustentationem sufficiant.

Constat ex his, non posse aliquem ordinari titulo Beneficij certi de futuro, propter rationes in titul. 2. proximé attactas, nec etiam potest ordinari titulo Beneficij litigiosi, cuius possessionem pacificam quis non habet vt Concilium præcipit. Si autem aliquis haberet pacificam possessionem Beneficij, & non potiretur eius fructibus, quousque Presbyter esset, posset ordinari Diaconus & Subdiaconus ad titulum illius, quia veré habet, quod Concil. exigit, & non sequeretur illum postea mendicaturum. Quas autem pœnas incurrunt ordinans & ordinatus absque veró titulo? Resp. quód si vterque est in culpa, ordinans debet ordinatum sustentare, & hic suspensionem incurrit; si veró solum ordinatus culpam habet, quia Episcopum per fallacias decepit, ille solus & non Episcopus, pœnam incurrit. Ad quod ponderanda sunt verba Trident. loc. cit. vbi ait: Antiquorum Canonum pœnas super his innovando; quod ait quia pœnæ sunt in plurali, pro Episcopo & ordinato, & si quæ fuerunt extinctæ, tunc sunt renovatæ. His additur, quod si aliquis ficto titulo, dimissorias acciperet ab Episcopo proprio, & ordinaretur ab alio, duplicem incurreret suspensionem, quarum vna esset ob fictionem tituli, altera quia ordinatus fuit ab Episcopo alieno, sine licentia proprij, quia licentia illa, cum fuerit per fraudem obtenta, reputatur nulla.

Quartus titulus ad suscipiendos ordines, est Patrimonium, cuius nomine intelliguntur illa bona, quæ possidentur immobiliter ab ordinando, sive sint paterna, sive materna, adventitia vel castrensia, quiete tamen & pacificé possessa, & sufficientia ad sustentationem congruam; sed ad hunc titulum, nequeunt omnes ordinari, sed solum illi, quos Episcopus iudicaverit necessarios, pro vtilitate aut necessitate Ecclesiæ, & hac non existente nequeunt ordinari, licet patrimonium sit pinguissimum, vt ait Concil. Sess. 21. cap. 2. Patrimonium autem debet habere tres conditiones. 1. quód sit certum & immobile, nam si consumitur, ordinatus alimentis carebit. 2. quód sit ex natura sua frugiferum, vndé qui solum habet dominium directum bonorum, & alter habet dominium vtile, nequit ad eius titulum ordinari, quia fructibus sustentari non potest. 3. quód possideatur pacificé, nec sit censu devinctum vel alias hypotecatum, ne Clericus á possessoribus spolietur, & turpiter mendicare cogatur.

Sed est notandum: quód filius hominis divitis, nequit ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, nisi pater ei assignet prius certum patrimonium, cuius possessionem acquirat, aliter enim solum habet ius ad rem, sed non in re, quod ad titulum requiritur, & idem dicendum de titulo legati relicti, adhuc vivente testatore. Sed potest quis ordinari ad titulum census perpetui, etiam redimibilis, quia ille semper fructificat; & tunc ab Episcopo adhibeatur cautio in ipso titulo, quod si census redimitur, pecuniæ non consummantur, sed in beneficium ordinati iterum applicentur. Nec potest quis ordinari, sine Patrimonio aut Beneficio, licet aliquis promittat verbo aut scripto, se collaturum ordinando alimenta, quia obligatio personalis, non est res immobilis pacificé possessa. Si quis autem ex fructibus suorum bonorum, alicui centum aureos assignaret, donatione authentica irrevocabili posset hic ad ordines sacros promoveri, vt ait Hugolinus & Philibertus.

Inquires: An qui patrimonio ficto ordinaretur, mortaliter peccaret & suspensus maneret? Dicendum est: illum peccare mortaliter, quia fraudulenter agit, contra præceptum Ecclesiæ, quod respicit bonum commune; si veró patrimonium donatum fuit ab aliquo, non animo & intentione conferendi illud, nec eius fructus aut redditus, sed solum propter formam, in foro externo, cum pacto facto ab ordinato, de non petendo vel vtendo dicto patrimonio, idem est faciendum iudicium, ac si ordina-

dinatus esset sine titulo, & ipso facto incurrit suspensionem, ab executione ordinum quos recepit. Quód si quis veré ab aliquo patrimonium acciperet, cum eius dominio, sed data antapocha, seu contra scriptura, vel iuramento reddendi patrimonium collatori post ordinationem, tám donatarius, quám donans, mortaliter peccant, quia Ecclesiam in re gravissima decipiunt, & contra eius præceptum & mentem agunt.

Quid autem dicendum, de quibusdam Patrimoniis, solum pro vita ordinandi collatis, quæ vocantur Capellaniæ vitalitiæ? Hæc est vna ex communioribus fallacijs, ab ordinandis excogitatis. Sed talis titulus, nullo modo valet ad ordines conferendos, quia de hoc idem iudicium est formandum, ac de patrimonio collato cum intentione retrorecipiendi. Præterquam, quod bona patrimonialia, ad quorum titulum quis ordinatur, gaudent omnibus privilegijs iure concessis bonis Ecclesiasticis, quia veré sunt Ecclesiastica bona, in titulum sacri ordinis data, & sic alienari non possunt nec extingui, sine licencia Episcopi; indignum enim est, vt bona semel Ecclesiæ collata, iterum ad datorem redeundo, in vsus profanos convertantur. Vndé in hoc Archiepiscopatu Cæsaraugustano, nulla Capellania ad titulum sacrorum ordinum approbatur, nisi illa sit absoluté perpetua, & non solum respectu particularis personæ, & etiam collativa, vt sic maneat Ecclesiasticæ potestati subiecta.

ARTICVLVS VI.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de Ministro Sacramenti Ordinis. Cuidam Episcopo, datus fuit á Sancta Sede Apostolica Episcopus auxiliaris, cum facultate Pontificalia exercendi in illius Diœcesi, de expressa & speciali facultate Episcopi actualis, & pro tempore existentis, quod & fecit Episcopo vivente, hoc autem vita functo, dubitatum fuit, an ex vi prioris facultatis á Capitulo non revocatæ, posset ordines conferre, habentibus legitimas dimissorias suorum Prælatorum, præsertim si Capitulum videat, & non contradicat, an veró sit necessarius, expressus Capituli consensus, & idem quæritur respectu Episcopi successoris, an huius novus consensus requiratur, an sufficiat Episcopi prædecessoris facultas? Constat ex suprá dictis, solum Episcopum esse per se loquendo ministrum ad ordines conferendos, sive maiores, sive minores, vt patet ex Trident. Sess. 13. Can. 4. & cap. 7. & ex D. T. in addit. quæst. 38. art. 1.

Cúm autem solum proprius Episcopus, possit subditos suos ad ordines promovere, vel facultatem concedere, vt promoveantur ab alio, patet responsio ad casum nostrum, quod nempe talis Episcopus auxiliaris, sine expressa facultate Capituli vel novi Episcopi, ordines conferre non potuit, quia non est collata ei facultas absoluta ordines conferendi, nisi de licentia Ordinarij. Vndé Cardinalis de Lugo, ad casum propositum sic respondet: ego cum prædictus suffraganeus, me de hoc consuluisset, rem totam detuli Sac. Congregationi Eminentiss. DD. Cardinalium, Tridentini Concilij interpretum, cum totum penderet ex intelligentia Decreti illius, vbi cavetur, quod nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegij prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarij loci expressa licentia, præsertim cum nomine ordinarij loci, intelligatur etiam ibi, Capitulum Sede vacante; & responsum fuit á Sac. Cong. die 22. Febr. 1631. Sacra Congregatio Concil. Trident. censuit, secundum ea quæ proponuntur, prædictum suffraganeum non posse. Nec obstat: quód facultates ab Episcopo antecessore concessæ, eius morte non expirant, si á successore non revocantur; nam Concilium reverentiæ Ordinario debitæ in sua Diœcesi rectè consuluit, cui videtur opponi, quod alius eo non annuente, vt Episcopus se gerat; sicut & quod hospes, dominetur in aliena domo.

Sed circa hoc ipsum Episcopi ministerium, ad collationem ordinum, aliud est dubium: an Episcopus, senio & invaletudine gravatus, non potens celebrare Missam ad ordines conferendos, possit in hoc sublevari, ita vt alius Sacerdos simplex faciat sacrum, & Episcopus officio suo fungens, conferat ordines? Videtur enim id posse fieri, cum nulla divina vel humana lex, præcipiat illam circumstantiam sacrificantis. Resp. tamen, illam sublevationem, per se loquendo illicitam esse. 1. quia est expresse contra vniversalem Ecclesiæ consuetudinem. 2. quia sic ait glossa, cap. quód sicut, vbi dicitur: quæsitum fuit á me Bernardo Parmensi in consecratione D. Octaviani, Episcopi Bononiensis, vtrum Archiepiscopus posset consecrare, & alius Missam cantare? Responsum fuit á Papa, quod illud fieri non debebat, cum esset contra ordinationem Ecclesiæ. 3. quia omnes Theologi & Canonistæ docent, Missam ab Episcopo ordinatore debere celebrari, de quo D. Thom. 3. p. q. 82. art. 2. Undé si Episcopus ille, infirmitate præssus, non haberet suffraganeum, á Summo Pontifice debuit dispensationem petere, quam ipse forté non negaret.

Deindé, circa id quod dicitur de facultate á Capitulo obtinenda, Sede Episcopali vacante, fuit aliquando dubitatum, an Episcopo feria 6. quatuor tempotum defuncto, posset Capitulum Sede vacante, licentiá dare Episcopo auxiliari, vt Sabbato sequenti ordines conferret? Resp. affirmativé, quia sic Congreg. Cardinalium olim censuit, & comprobatur ex Barbossa, Garcia, Bellarminio, Villalobos, & Molfesio, qui omnes idem sentiunt. Ratio est; quia licet in Trident. prohibitum sit Capitulo Sede

Sede vacante, ne dimissorias intra annum concedat, nisi pro Beneficijs arctatis, hoc tamen intelligitur, quando ordinandi alias non habent proprij Episcopi dimissorias, quas tamen in casu dicto supponebantur habere; sic habet Concil. declaratio, á Gallemart adducta. Vndé si talis casus contingeret, vt refertur accidisse Hispali, anno 1622. in morte Illustriss. D. D. Petri de Castro & Quiñones, censeo posse Capitulum Sede vacante, licentiam Episcopo auxiliari concedere, ad celebrandos ordines generales, ne tot viri & multi ex locis valdé disitis confluentes domum revertantur vacui, post tot itinerum sumptus & incommoda.

Accidit autem aliquando vt Gobatus refert, quod Episcopo demortuo, proximis diebus temporibus mensis Dezembris, Capitulum Sede vacante, dedit facultatem suffraganeo, vt ordinaret omnes qui advenerant magno numero, ex locis valdé distantibus, & Nuntius Apostolicus illorum Regnorum, Canonicos declaravit suspensos, & compulit ad absolutionem petendam. Quid sentiendum de his? Resp. quód Canonici illi, non possunt absoluté damnari, ob rationem proximé adductam, ne scilicet tot ibi advenientes bona fide, reperiantur á suo desiderio fraudati, post factas itineris expensas. Nec etiam D. Nuncius increpari potest, quia forté ipse, non longe erat ab eis, ac proindé consuli poterat, super quid faciendum, & aliæ circumstantiæ poterant occurrere, quæ severitatem illam satis iustificarent. Forteque id fuit executus, vt nimiam Capituli facilitatem, in posterum cohiberet, ex qua non pauca sequuntur absurda, de quo aliquid indicavimus suprá, dif. 3. & si omnia quæ de his vidimus, & audivimus dicerentur per otium, longum debebamus texere sermonem.

Casus secundus, circa idem. Homo quidam natus est, in loco Diœcesis Oscensis, postea ad Indias pergit, ibique vxorem accipit, atque domicilium figit, sine animo redeundi ad patriam; sed in hanc venit filius eius, etiam apud Indos natus, operam dat litteris, petit primam tonsuram, & quatuor minores ordines ab Oscensi Episcopo, quos ipse absque scrupulo confert, informatus de re tota. Quæritur: an egerit rectè? Resp. rectè quidem egisse; nam locus originis patris, censetur quoque filij, & sic habetur in praxi; quid autem, si pater etiam fuisset apud Indos natus, & pater patris auus ordinandi, fuisset Hispaniæ ortus? Resp. quód hoc nihil ordinando profuisset, nam locus originis huius, desumitur ex loco patris, sed non ex loco avi, vt ait Barboss. cum plurimis, nam si attenderetur avorum origo, debebamus recurrere ad campum Damascenum, vbi Adam formatus est.

Sed an sit idem dicendum, de loco originis matris? Resp. negativé, nisi filius illegitimus sit, vt suprá vidimus, diffic. 2. quia tunc quantum ad hoc, filius sequitur ventrem, & illegitimorum mater & eius patria, notior est quam patris, vt ait Palaus. *Dices*: datur locus apud nos, in Episcopatu Tirasonensi, vbi quatuor Episcopi, possunt assidere simul eidem mensæ, ita vt vnusquisque sedeat in loco suæ Diœcesis; quid faciendum, si reperiatur suprá illam mensam infans expositus, cuius locus & domus ignoratur? Resp. quód si inveniatur in loco mensæ pertinente ad Episcopum A. ad eius Episcopatum pertinet, nam expositus, non solum iudicatur loci in quo natus est, sed etiam loci in quo est expositus, vt dicunt Barbossa, & Reding. quia tunc expositio infantis, subrogatur loco maternæ originis.

Sed adhuc est dubium, de infante non exposito, sed ex patre milite apud Belgas nato; cuius pater & mater obierunt, nec vllibi fixerunt domicilium, & ipse nec sorores superstites quid sciunt, de Civitate vel loco nativitatis eius? R. quód vicinio Episcopus, quē semel locus carens suo Diœcesano elegerit, tales ordinare, & eis dimissorias concedere potest; sic censuit Congreg. Conc. anno 1587. Ille ergo debuit petere á Sede Apostolica facultatem, eligendi aliquem Episcopum ordinatorem, & sic iudico fieri debere per se loquendo; & ideo si eam petierit, vel animum habuerit vitam claudere in eo Episcopatu in quo reperiebatur, his conditionibus positis, potuit ab Episcopo illius loci ratione domicilij ad ordines promoveri.

Modo resolvendæ veniunt dubitationes tres, vt tota comprehendatur materia, Episcopi ordines ministrantis. *Prima est*. An si Episcopus, ante quam ordinationem incipiat, dicat publicé: Nemo alienigena, illegitimus, aut litteris falsis instructus accedat, quia ego tales, ordinare non intendo censeantur ordinati, qui laborant his vitijs? Hanc dubitationem, Navarrus ita resolvit 1. Si revera intendit animo quod verbis dicit, ordinatio non valet, quia de essentia cuiuslibet Sacramenti, est intentio ministri, secus erit, si protestatio fuit solo ore prolata, vt ordinandi terreantur. 2. ordinator graviter peccaret, si re vera intenderet, Sacramentum non conferre talibus hominibus, & quia ageret contra consuetudinem optimorum Episcoporum, & quia gravibus peccatis & infamiæ gravi, conferret occasionem, & quia ad ipsum non pertinet secreta punire. 3. in dubio de intentione Episcopi, præsumendum est, illum habere intentionem ordinandi, quia dubia, sunt in meliorem partem interpretanda. *Etsi inferas*: ergo possum præsumere, Episcopum contra mentem loqui; dicatur: quód minus malum est contra mentem loqui, quam intentionem non habere.

Secunda dubitatio est: An ordines sacri, possint extra tempora conferri, habentibus dispensationem, in qualibet Ecclesia, vel oratorio privato? Dico 1. quód id potest fieri, si alicubi faveat consuetudo, & sic olim Episcopi ordines conferebant,

vbi

vbi placebat eis, quæ consuetudo, etiam hodie viget. Dico 2. quód etiam abstrahendo á consuetudine præscripta, hoc fieri potest; & licet Trid. Sess. 23. cap. 8. de reform. dicat, quod ordines celebrentur in Ecclesia Cathedrali; loquitur tamen de solemnibus & generalibus ordinibus, quia sermonem facit de Ordinationibus, ad quas Canonici debent vocari, & nimis durum esset id facere, pro paucorum ordinatione; vndé hodie particulares ordines, & etiam generales, privatim conferuntur in qualibet Ecclesia ab Episcopo destinata, & etiam in privato sui palatij oratorio, quin sanctionem Concilij frangat, quæ loquitur de ordinatione solemni.

Huius occasione resolvendum est, quod Episcopus alienus, nequit etiam in Monasterio exempto celebrare ordines, nisi de Ordinarij loci facultate, vt dicunt Palaus, & Diana. Nec est rationi consonum, vt nos ferventer nimis nostras exemptiones defendamus, contra Illustrissimos Episcopos Ordinarios. Excipe, si in aliquo Episcopatu, detur Ecclesia iurisdictioni alterius Episcopi subiecta, vt contingit in hac Civitate Cæsaraugustana, vbi Ecclesiæ sitæ in Parrochia Sanctæ Engratiæ Oscensi Episcopo subiectæ sunt, tunc enim de licentia illius possunt in talibus Ecclesijs ab Episcopo alieno celebrari ordines, sine licentia proprij Diœcesani Cæsaraugustæ, vt hic multoties fit; sed ego id non consulerem, quia videtur esse contra reverentiam debitam Episcopo proprij loci, & vt velit nolit ibi ordines celebrentur, quod non est decens Dignitatibus Illustrisimorum Præsulum suffraganeorũ.

Tertia dubitatio est: An quando Episcopus in oratorio vel capella, privatim celebrat ordines pro aliquo, debeat esse indutus, omnibus Pontificalibus vestimentis, in Rituali præscriptis? Resp. affirmativé; indumenta veró sic debent distribui, nempé pro prima tonsura, & ordinibus minoribus; quando extra Missam fiunt, Rochetus, Stola, & Mitra simplex, & si Episcopus fuerit Regularis, loco Rocheti Cotta; pro ordinibus autem sacris, debet Episcopus, omnibus indumentis Pontificalibus supervestiri, licet Missa celebranda sit privatim & sine cantu; sic refert Gobatus ex Jordano, vbi excipiuntur Sandaliæ, sicut enim Rubrica de genuflexione aut statione, intelligitur de recitatione publica, ita probabiliter Rubrica de vtendis sandalijs, probabilitet restringitur ad publicam ordinationem.

Hic breviter agendum venit, de ornamentis Pontificalibus, eorumque significatione, de quo agit D.T. in addit. 3. p. q. 40. art. 7. in corp. Novem ergo sunt Episcoporum ornamenta suprá Sacerdotes, nempé caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotecæ, annulus & baculus, quia novem sunt, quæ ipsi suprá Sacerdotes possunt, scilicet Clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, sinodos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa consecrare. Deindé, per caligas designatur rectitudo gressuum, per sandalia, contemptus terrenorum, per succinctorium, amor honestatis, per tunicam talarem, perseverantia vsque ad extremum vitæ, per dalmaticam, largitas misericordiæ, per chirotecas cautela in opere, per mitram duos angulos habentem, scientia vtriusque testamenti, per baculum cura pastoralis, qua debet colligere vagos, quod significat curvitas in capite baculi, sustentare infirmos, quod stipes baculi significat, & pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi; per annulum, desponsatio cum Ecclesia loco Christi; præter hæc, Archiepiscopi pallium habent, in signum privilegiatæ potestatis, & significat torquem auream, quam legitimé certantes accipiebant; ex quibus patet, quomodo hæc ornamenta sint ab Episcopis vtenda & contemplanda.

Casus tertius, circa idem. Studens quidam sæcularis, cum legitimis dimissorijs, accepit quatuor minores ordines, á quodam infulato Abbate; postmodum Religiosam familiam ingressus est, & suo tempore mittitur ad locum competentem, pro Sacro Subdiaconatus Ordine suscipiendo, sed redijt vacuus in domum suam, quia Vicarius Generalis illius loci, cognovit illum fuisse initiatum ab Abbate, & noluit in sillabum ordinandorum reponere, nisi prius ordines receptos pateretur repetere. Quæritur: quid sentiendum de facto isto? Resp. 1. talem sic in minoribus ordinatum, posse á Subdiaconatu recipiendo repelli, quia suspensionem incurrerat, accipiendo ordines ab illo Abbate, iuxta declarationem Sac. Congreg. die 23. Novembr. anni 1641. vbi expresé suspensio illa pro sic ordinatis continetur. Undé cum Vicario Generali de absolutione non constaret, talem ordinandum repellere potuit, qui tamen poterat eum absolvere, & cum illo dispensare, licet esset religiosus exemptus, quia dabatur præsumpta superiorum voluntas, & in actibus favorabilis iurisdictionis, possunt exempti, ordinarijs se submitti.

Secundo dico: quód stante dicta Declaratione, non debuit talis Religiosus ordinandus vrgeri, vt ordines minores iam susceptos reiteraret. Túm, quia necessitatem istam, expresé negat Declaratio Cardinalium. Túm, quia vt ait Gobatus: in facti contingentia sub Clem. IX. ordines minores collati ab Abbatibus, suis non subditis, habiti sunt pro validis. Nec ideo damnamus illum Vicarium Generalem, si forté iterationem ordinum postulavit, quia nimis ponderavit clausulam dictæ Declarationis vbi dicitur, Abbates tales ordines conferre non posse, & fortasis consuluit authores rigidius de illa loquentes, si ergo erravit ipse, erravit docte, vt aliquibus in similibus contingit. Sed re vera

tales

tales ordines ab Abbatibus collati, iterari non debent, propter rationes dictas, & quia Decretum solum de pœnis loquitur, & non de iteratione.

Huius occasione casus, discutiendum est. An & quales Abbates, facultatem habeant conferendi ordines? Concil. Trident. Sess. 23. cap. 10. de reformat. sic ait: Abbatibus ac alijs quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat infra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis esse dicantur, cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit Tonsuram vel minores ordines cõferre. Ex quo patet: quód subditis suis regularibus, conferre possunt. An etiam Novitijs? Affirmant Suarez. Túm, quia in materia favorabili, nomine Regularium intelliguntur. Túm, quia tempore Novitiatus, magis subditi sunt Superiori suo Religioso, quam Episcopo loci. Alij cum Ascan. Tambur. Miranda, & Henriquez, oppositum sentiunt, quia Novitij non sunt proprié subditi religiosi, & sic ad Episcopum pertinet eos ordinare & illis dimissorias conferre; his secundis acquiesco; licet casum non viderim, quia communiter in Religionibus, Novitij ad ordines non exponuntur, vt suprá dixionus.

Sed notandum: quód Abbates possunt ex speciali commissione Episcopi Diœcesani, etiam huius subditis Minores ordines conferre, vt non semel peractum fuit ex commissione Episcopi Constantiensis, vt Gobatus refert; tales autem Abbates, debent esse Sacerdotes, benedicti, & iurisdictionem habentes, sic ait Suarez, & Palaus; omnia vero generalia privilegia alias Abbatibus concessa, sunt per declarationem supradictam expresé revocata, quamvis dicant aliqui, illam non esse vniversaliter receptam, vt ex consuetudine Constantiensi constat. An veró, quando Abbates conferunt Minores ordines, contra dispositionem Concilij, non solum peccent, sed etiam actum invalidum exerceant? Resp. cum Suarez, quod ordinatio facta cum sæcularibus, vel cum Religiosis non subditis, non tenebit ex defectu potestatis, & similiter si conferunt minores ordines, extra locum suæ iurisdictionis, quia tunc excedunt limites suæ potestatis. Sed circa hoc est dicendum: quód tales ordinationes non sunt licitæ, quia sic indicant Concilij verba: *non liceat*, sunt tamen validæ, quia valori actus generaliter loquendo, magis quam nullitati, favent iura, quando subiectum habet absoluté aliquam potestatem & capacitatem, quia pro valore actus stat præsumptio. Nec obstat: quód declaratio dicta ait, Abbates non posse conferre minores ordines; nam communiter dicitur, ea nos facere non posse, quæ non possumus facere licité.

Quid autem si Abbates, minores ordines, sæcularibus, vel regularibus non subditis conferunt, de licentia sui Ordinarij? Resp. quód videtur tales ordines, validé fuisse collatos. Túm, quia ad id affertur á Gallemart, quedam Cardinalium Declaratio ad cap. 10. Trident. quem sequitur Suarez & Tambur. cum alijs. Túm, quia ibi intercesit error communis, cum ipse Abbas & eius Monasterium, ordinandi, Episcopi non subijcientes illos alteri ordinationi, & eorum Ecclesiastici consiliarij iudicaverunt ita; vndé per consuetudinem tali errori coniunctam, fundatur titulus legitimæ præscriptionis. Nec obstat, id revocatum fuisse ab Vrbano VIII. Túm, quia in nullo verbo eius Decreti, mentio fit, irritationis talium ordinum. Túm, quia id tantum prohibuit, & de prohibitione ad irritationem argumentum non valet. Sed re vera, hoc apud exteras nationes, aliquando accidisse potuit, apud nos tamen, Antistites communiter, nec admittunt ad ordines, subditos sæculares Abbatum exemptorum cum eorundem litteris, nec ad eos pro ordinatione, subditos suos remmitunt.

Sed est adhuc circa hoc dubitatio. Abbas quidam iusta causa, dignitatem renuntiavit, eius tamen successor, fuit ægritudine vel absentia impeditus, tempore quo eius Monasterij religiosus tonsuram accipere volebat, accurrit ad Abbatem qui renuntiavit, & hic, causa renuntiationis se excusat. Quæritur: an rectè? Resp. rectissimé, quia iam tunc iurisdictionem non habebat, sicut nec Superiores Ordinum mendicantium, habent potestatem benedicendi indumenta Sacerdotalia, cum primum officium eorum expirat. *Nec obstat*, quod Episcopus qui Dignitatem renuntiavit, licet non possit conferre Ordines Maiores quo ad vsum, benè veró minores, & sic idem de Abbate renuntiante est dicendum. Resp. quod est disparitas, nam potestas ordines minores conferendi, solum tribuitur Abbatibus iurisdictione præditis, quam tamen non habet Abbas renuntians; Episcopis veró confertur illa potestas, ratione characteris Episcopalis, qui in eis manet, etiam facta Episcopatus renuntiatione.

Casus quartus, de Dimissorijs. Ordinandus quidam, dimissorias á suo Ordinario suscepit, vt á quocumque Episcopo comunionem Sedis Apostolicæ habente, Subdiaconatum recipere posset; sed quia in litteris, nulla fiebat mentio tituli, iterum pro supplemento, ad suum Ordinarium accurrit, qui fecit indicari illi, ne ab alio Episcopo reciperet ordines, quia ille in proximis Temporibus erat celebraturus, & ipse volebat eum ordinare; sed ordinandus dilationis impatiens, alium Episcopum adijt, qui extraiudicialiter sciens, ordinandum illum filium esse patris divitis, & sufficiens habere patrimonium, ex bonis mobilibus, quia nulla habebat immobilia, ei Subdiaconatum contulit, deindé á suo Ordinario dimissorias ad Diaconatum accepit, sed ignorat, an ille oblitus fuerit responsionis antedatæ, & quia postea fuit scrupulus tali ordinando iniectus, quod incurrerit in pœnas, contra ordinatos, sine licentia legitima impositas, quia prima illa licen-

licentia videbatur revocata. Quæritur: quid ſit circa hoc ſentiendum.

Punctum hoc, de dimiſſorijs pro ordinibus, tetigimus art. præced. diffic. 3. nunc ſequentia ſuperaddimus, & prius breviter caſum reſolvimus dicendo: prædictum ordinandum, aliqua diſpenſatione non egere, ſed tamen curare debebat vt quam primum tale patrimonium ex mobilibus bonis, in bona immobilia converteretur, iuxta Concilij mentem. An veró illius dictum, de dimiſſorijs ab Ordinario concedendis, etiam Vicarios Generales comprehendat? Reſp. quód ſic, dummodo ad id Epiſcopi facultatem habeant, & litteras huius nomine expediant. Papa veró dimiſſorias cuilibet concedere poteſt, quia eſt Epiſcopus Epiſcoporum & paſtor vniverſalis. Sed quid dicendum, ſi alicui conceſſerit Papa, vt extra tempora ordinaretur ab Ordinario tantum, poſſet ne ordinari ab altero? Reſp. poſſe, quia illa vox taxativa tantum, non excludit ea, quæ ſecundum æquitatem Canonum, excludi non debent, & iuxta hoc, nomine Ordinarij, etiam intelligitur ille, cui ordinarius delegat ſuas vices.

Sed tamen ille, qui á Sede Apoſtolica privilegium obtinuit, recipiendi ordines á quocumque Catholico Antiſtite, licet non egeat dimiſſorijs ſui Epiſcopi, eget tamen litteris teſtimonialibus, de vita & moribus. Vndé rectiſimé Pontifices, quando concedunt aliquem ordinari extra tempora, vel in temporibus, apponunt clauſulam, de licentia ſui Ordinarij, quia hæc cautela maximé neceſſaria eſt, vt multiplices vitentur fraudes. Quid autem dicendum, ſi in dimiſſorijs dicatur: ſi alias nullum tibi obſtet impedimentum Canonicum, poterit tunc, diſpenſare ordinator? Reſp. per hoc non arctari poteſtatem Ordinarij, ſed ſolum indicari, non eſſe mentem dimittentis, gratiam facere alicui indigno, vel inhabili Canonicé.

Extat etiam alia dubitatio frequens, pro dimiſſis ad ordines, an ſi dentur litteræ dimiſſoriæ, dum ordinandi, ante receptionem ſacrorum ordinum, per octo vel decem dies in ſpiritualibus exercitijs verſentur pro examine ſuæ vocationis, tunc poſsit quis ordinari, talibus exercitijs prætermiſsis? Videtur enim quod non, nam in litteris dimiſſorijs dicebatur, quod *non aliter* ordinaretur, & ſuper hoc conſcientiam Epiſcopi ordinantis onerabant. Alias etiam videtur, id fieri poſſe 1. quia ordinandus, aliunde ſuam vocationem ſatis probavit, ideoque ceſſat cauſa finalis probandi, vel aliud experimentum ſummendi. 2. quia ea conditio, videtur á Secretario apposita, ex formula expediendi litteras dimiſſorias, magis quam ex Epiſcopi voluntate. 3. quia particula, onerantes, videtur limitare oppoſitam conditionem, ad caſum neceſſitatis.

Inter vtraſque rationes, verior reſolutio eſt, non potuiſſe illum ſic dimiſſum ordines ſuſcipere, ſine talibus exercitijs. Tum ob rationem attactam, quia in dimiſſorijs dicitur, *non aliter*. Túm, quia particulæ iſtæ, præciſſam neceſsitatem indicant, & ita præciſſam, vt aliam non accipiant interpretationem, vt ait Barboſſa de clauſulis, clauſ. 81. Ad 1. in oppoſitum dicatur: quód illa particula, non aliter, excludit equipollentiam & ſuppletionem per aliud, vt conſtat ex proximé dictis. Ad 2. quód in re á iure determinata, non licet arbitrari, ſicut nec eſt deliberatio in re aperta, vndé in re tám clara qualis refertur, non debemus ad præſumptiones recurrere; & etiam abſurdum foret Epiſcopum munire inſtrumentum vitioſum, & licet dimiſſoriæ expeditæ ſint iuxta formulam curiæ, hæc tamen facit ius. Ad 3. dicitur idem, quod nempé in re tám perſpicua, nihil eſt tribuendum divinationi & conjecturæ.

Quid autem dicendum ſi aliquis á ſuo Epiſcopo dimmititur, vt accipiat ab altero, omnes ordines etiam maiores, an etiam poſsit recipere Preſbyteratum, ibi non expreſſum? Circa expreſsionem litterarum, ſequentia dico 1 quód ſi ſolum detur facultas recipiendi ordines minores, vel ordines tantum, maiores ordines non comprehenduntur, quia illa facultas, ſtricti iuris eſt. 2. quód in litteris dimiſſorijs, debent exprimi ordines ſacri, vt iſti cenſeantur comprehenſi. 3. quód ſi detur facultas ad recipiendos omnes ordines maiores, etiam continetur Presbyteratus, nam qui dicit *omne*, nihil excludit, & illud iudicatur expreſſum, quod ex natura verborum inducitur; & aliundé hoc ſuadet charitas, vt gratificetur ſingulariter, quando nequit ſine incommodo notabili ordinandi, expectari declaratio Epiſcopi proprij. Nec dubitari poteſt, quod in illis verbis, contineatur Presbyteratus; quia omne reſcriptum gratioſum, intelligendum eſt ſecundum vſſum communem, niſi aliud ſtatuatur in iure, & nihil ſtatuitur, huic ampliationi contrarium. *Etſi dicas*: quód litteræ illæ, ſunt ſtrictæ interpretationis. Reſp. quód vt ſervetur hoc, ſufficit quod verba non improprientur, per extenſionem factam ad alia, quod verificatur in ampliatione illa.

Dubitabis adhuc duo 1. an in illis litteris dimiſſorijs ad omnes ordines ſuſcipiendos, cenſeantur interſtitia diſpenſata? 2. an dimiſſus ad vnum Epiſcopum, poſsit cum altero ordinari? Reſp. ad 1. quód ſimile quid accidit paucis ab hinc diebus, & reſolutum eſt, quod per facultatem ad omnes ordines, non diſpenſantur interſtitia, quia hæc nullam connexionem habent, cum poſsint ordines interſtitijs elapſis recipi, & ſic verificantur litteræ. vndé diſpenſatio interſtitiorum exprimi debet, vt factum eſt in caſu illo, ad Epiſcopum dimittentem iterum recurrendo. Ad 2. quód ſi dimiſsio illa, facta fuit motu proprio, ex ratione ſpeciali Epiſcopum movente, male faceret dimiſſus ſi ordinaretur cum altero, ſi veró id conceſſum fuit ordinando petente,

te, quia Episcopus vicinior erat, non delinqueret si ad alium pergeret, quia gratia alicui facta, non est in eius dispendium retorquenda. Sed re vera Episcopi dimittentes, regulariter, non dimittunt ad specialem Episcopum ordinatorem, sed ad quemlibet, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem.

Casus quintus, de suscipientibus ordines. Iuvenis quidam, bonus musicus vocalis & instrumentalis, rectus vita & moribus, Beneficium in Ecclesia Cathedrali habebat, & fieri Sacerdos optabat, cursavit Scholas, sed plus musicam quam litteras parum scit Latine loqui, sed aliquantulum intelligit, & legit in Breviario, & Missali satis commodé, licet aliquando erret. Ecclesia eum libenter admittere vult, sed examinatores, illum ad ordines approbare recusant, ob ignorantiam, ne contra decreta Concilij Tridentini operentur. Quæritur, quid sentiendum de huiusmodi facto? Resp. hominem illum, posse sine scrupulo ad sacros ordines admitti, quia magna ratio est habenda, publici cultus divini, nam ratio summa est, quæ pro Religione facit; ideoque in his quæ ad cultum Dei proficere cognoscuntur, benigna est interpretatio facienda, vt constat ex l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt.

Ratio autem est, quia cantus, maximé iuvat ad cultum divinum, vt enim ait D.T. 2. 2. q. 91. art. 2. laus vocalis, ad hoc necessaria est, vt affectus hominis provocetur in Deum, & ideo quæcumque ad hoc vtilia esse possunt, in divinas laudes congruenter assumuntur. Vndé ait D. August. lib. 10. conf. cap. 33. adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmior animus, in affectum pietatis assurgat; & alibi ait: flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus, commotus acriter. *Nec obstat*, dictum Hyeronimi: audiant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium, Deo non voce, sed ore cantandum. Dicitur enim, quod solum excludit ab Ecclesia, cantus qui fiunt more theatrico, non propter devotionem excitandam, sed propter ostentationem vel delectationem provocandam, vt patet ex ipso contextu, vbi dicitur: nec in tragædorum modum, guttur & fauces, medicamine liniendæ sunt, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur. Qua propter zelosi Prælati, iustissimé cantus mundanos in Ecclesijs prohibuerunt.

Propter dictam ergo rationem, bonus musicus vocis & instrumentorum, hanc meretur peculiarem gratiam, vt possit ad sacros ordines promoveri, cum his tamen conditionibus. 1. vt sit bonis moribus preditus, & non nimis diligat eos humores, quos musici amant. 2. si antequam ordinetur, discat mediocriter breviarium & rubricas eius, quod facile assequetur per instructorem, sicut moniales Latinitatis inexpertæ consequuntur. 3. remmittendo ordinandum ad fidelem Sacerdotem & in rubricis peritum, qui de illius habilitate præbeat testimonium, quod si fuerit sufficiens, inter ordinandos adscribatur, illum monendo, vt amplius se ante Diaconatum perficiat, & ante hunc rursus de eisdem examinetur á supradictis, & si rudis inveniatur, detineatur sine ordine, & similiter fiat ante Presbyteratum, & post hunc assecutum, iubeatur ei vt faciat Missam siccam, coram experto Sacerdote, vt in sacris ceremonijs instruatur.

Huius occasione, iterum venit agendum de scientia ordinandorum, de quo egimus art. præcedenti, diffic. 6. sed quia res valdé est necessaria, ibidem dictis, iungimus sequentia. Nullus illiteratus præsumat Clericatus ordinem promoveri, quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officijs; sic habet Can. Gelasij Papæ, dist. 36. cap. 1. Vndé Episcopus promovens ad ordines illiteratos scienter, graviter peccat, quia infideliter in suo ministerio se gerit, in materia ex qua grave nocumentum Ecclesiæ potest inferri; & talis sic ordinans illiteratum & indignum, facit duplex mortale peccatum, vnum contra religionem, quia indigne ministrat Sacramentum, aliud contra iustitiam, quia iniuriam Ecclesiæ facit, cui tenetur de bono ministro providere, vndé ait Chrysost. de dignit. Sacerd. qui ordinant indignos, ijsdem pœnis subiacent, quibus illi qui indigni sunt ordinati.

Sed quisnam dicitur illiteratus, & ad sacros ordines indignus? Resp. quód ille talis dicitur, iuxta subiectam materiam, qui linguam latinam nescit legere, nec sensum verborum eius intelligere, quæ intelligentia non requiritur, pro tribus minoribus ordinibus primis, sed solum pro quarto, nempé Acolitathu, nam ita videtur indicare Concil. Tridentinum, sufficit autem quod brevem clausulam latinam, sciat in vulgarem linguam vertere, v. gr. *Dixit Dominus Domino meo*, alias nequit dici, quod linguam latinam capit. Minor autem intelligentia linguæ Latinæ requiritur, in eo qui ante ordinum susceptionem iam est instructus pro exercitio, & functionibus ordinis quem recipere desiderat. Deindé pro Subdiaconatu, & Diaconatu recipiendo, debent communes Grammaticæ libri intelligi, vt sunt Catheciſmus Romanus, Concilium Tridentinum, Breviarij lectiones, Epistolas & Evangelia Missalis, & etiam rubricæ, & earum ritus. Tandem vltra dicta, requiritur ad Sacerdotium, mediocris scientia, vt rite serventur quæ pertinent ad Missam celebrandam, & ad vitandos defectus occurrentes. Episcopus tamen, per interpretationem Tridentini, potest etiam ad Presbyteratū promovere illos, qui sunt apti functionibus suis, & rectè legunt, etiā si in Grammatica non sint plenè instructi, sed illam rudi Minerva sciant, vt ait Rodriguez.

Demúm, potest hac gratia vti, quando vrget gravis causa, vt cum oppidum ministro eget, & hic

rectè

rectè inservit Ecclesiæ in officio sacristæ aut organistæ, & nequit congruenter sustentari illorum stipendijs, & ideo eget Missarum eleemosynis. Similiter, si ordinandus, multo tempore in Grammatica discenda laborasset, nec spes esset, vt in posterum proficeret amplius; & etiam esset causa sufficiens, ordinandi vtilitas & necessitas, quia nempé pauperrimus est, & habet patrem, matrem aut sorores, quibus ad sustentationem tenetur succurrere, quod ex fructibus Capellaniæ poterit exequi. In his omnibus casibus, facultas Episcopi, non est ad interpretandum Concilium, nisi ex ratihabitione, nam probabiliter potest credi, Pontificem sic velle, attentis circumstantijs personæ, temporis loci & necessitatis, dum tamen ordinandus, alias sit expeditus, ad sacras functiones peragendas. Hæc autem, quæ diximus de latinitatis defectu, non sunt intelligenda, in locis vbi hæresis viget. Tùm propter scandalum, & christianæ religionis detrimentum. Tùm, propter hæreticos iuxta quos Sacerdotes viuunt.

Casus sextus, de illegitimis. Volebat quidam sacrum ordinem Subdiaconatus recipere, & ipsi nihil cogitanti, ait mater, quod licet pro legitimo habitus sit vsque ad illud tempus, cum tamen audiuisset illa, esse peccatum maximum, illegitimum ordinari, manifestabat illi, quod cum genuerit ex patre, cum quo matrimonio iuncta non erat & secundum hanc veram informationem, posse sibi de remedio prouideri. Quæritur, quid in eo casu faciendum esset? Exclusio illegitimorum ab Ecclesia Dei, ortum habet ex verbis Deuter. cap. 23. vbi dicitur: non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Dei, & sic multo minus debet ad ordines promoueri, non enim congruit altitudini dignitatis, vilitas originis; quare dicitur Sap. 4. spuria vitulamina, non mittunt radices altas, quemadmodum enim in arboribus, ramuscoli spurij á recto trunco non egresi, in altum non ascendunt, sed pedibus transeuntium conculcantur, sic spurij filij á recto generationis modo non procreati, non debent in altum elevari, de quo plura hic, opportune poteramus inferere.

Sed specialiter ad casum propositum, dicendum est, quod Episcopus poterat dispensare cum illegitimo ilio, quia occultus erat, vt ait Barbosa, Peyrinis, & Diana; & licet aliqui oppositum teneant, cum Suarez, & Marchino, moti ex eo, quod irregularitas illegitimitatis, statuta non est ob delictum parentum sed ob indecentiam & contemptibilitatem, inueniri solitam in his qui nascuntur extra Matrimonium; sed hæc ratio tam efficax non est, vt sententiæ nostri mitiori, auferat probabilitatem, præcipué in casu posito, in quo non poterat ordinandus ille discedere, sine magno rubore, cum iam aduenisset vrbem Episcopalem, vbi cum docto viro rem consuluit. Accedit his, certum non esse, illum reputari vt illegitimum, propter dictum matris, siquidem non tenebatur credere illius assertioni, licet cum iuramento firmasset, cum ipse fuerit semper tractatus & habitus vt legitimus, quia hoc efficit tam fortem præsumptionem, vt contrario dicto non infringatur, etiam iurato á matre in agone existente, vt ait Navarro.

Hæc de casu, directé sint dicta; sed quia frequenter tribunalia sacra, circa vitiatos illegitimitate fatigantur, notamus sequentia 1. quando est dubium de legitimitate alicuius, pro legitimo est reputandus, sive agatur de suscipiendis ordinibus sive de Beneficijs Ecclesiasticis, quia in dubio, non præsumitur vitium, omnes enim legitimi nascimur, sicut & liberi. 2. quando vir, aliquem puerum, tractavit & nominavit, vt filium suum, orto dubio, præsumit ius esse genitum ab illo, & legitimus reputatur. 3. infans expositus, cuius nec pater, nec mater sciri potest, habetur vt legitimus iuxta Palaum, Coninch, & alios; sed iuxta alios, pro illegitimo habetur, nam expositi, sæpius sunt furto geniti; sed quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis in iure, & hic non exprimitur, ideo ille non eget dispensatione, vt ait Suarez & alij, & si bona fide ordines suscipit, non debet angi, licet postea sciat, se expositum fuisse, quia illi favet possessio. 4 Natus septimo mense post nuptias, non ideo est dicendus illegitimus. 5. quando coniuges contrahunt cum ignorantia impedimenti dirimentis, filius ex eis natus, non eget dispensatione, quia veré legitimus est, vt ait Silvester verb. filij, q. 11. num. 11.

Illegitimas tollitur 1. per sequens matrimonium, si parentes erant habiles ad contrahendum tempore conceptionis, vndé si vir solutus, viduam vel puellam gravidam fecit, & postea incidit in periculum mortis est suadendum, ei á confessario efficaciter, vt eam ducat vxorem, antequam moriatur, vt hac ratione, proles in vtero latens, vel forte iam nata, legitimetur. 2. tollitur illegitimitas, per legitimationem factam á Papa, qui solus legitimare potest, ad Ecclesiastica iura, quæ legitimatio, est restitutio vel constitutio personæ, in primæuo statu, ac si nunquam esset illegitima, per quod á dispensatione differt, quia hæc non reponit in primo statu, sed relinquendo corruptum, dat ius ad aliqua, ad quæ persona, alias inhabilis erat.

Tertio tollitur per dispensationem, ita vt solus Papa dispenset quo ad ordines maiores, Dignitatem & Beneficium Curatum; Episcopus verò, quo ad ordines minores & Beneficium simplex, & similiter Capitulum Sede vacante, nam succedit in iuribus Episcopi; si autem ignarus dicti vitij, bona fide ad ordines fuit promotus, poterit cum petra veritate, ab Episcopo dispensari. Sed notandum: quód dispensatus ab Episcopo ad ordines minores, non censetur dispensatus ad Beneficium, bené verò dis-

dispensatus á Papa ad Presbyteratum, sed nec hic ad Beneficium curatum, dispensatus censetur; quia dispensatio actualis; cum sit odiosa, & iuri contraria, strictè interpretanda est. Vndé dispensatus pro vna Ecclesia, non iudicatur dispensatus pro alia, nisi hoc exprimant litteræ; si autem Beneficio simplici, est annexum curatum, dispensatio pro illo, etiam hoc comprehendit, nam accessorium, sequitur natutam principalis.

Petens autem dispensationem, exprimere debet, an genitus sit ex vtroque parente soluto, an ex aliquo coniugato vel in sacris constituto, alias dispensatio non valebit vt ait Palaus; debent enim exprimi circumstantiæ deteriores & aggravantes, & hæc praxis est Curiæ Romanæ. Sed quid dicendum, de illegitimo cum quo dispensatum est, pro Beneficijs Curatis & Canonicatibus obtinendis, exprimentibus litteris quod iam ei dispensatum fuit quo ad ordines, cum re vera esset ordinibus nudus? Resp. illum ex vi illius dispensationis, posse etiam ordinari, quod patet ex communi axiomate, á Theologis & iurisperitis recepto: qui dat iurisdictionem, dat omnia necessaria ad illam; constat autem, sacros ordines necessarios esse, ad Beneficium Curatum obtinendum. Deindé: quia Pontifex dans Clericis facultatem ad bellandum, hoc ipso censetur, periculum irregularitatis auferre, nam qui facultatem præbet ad aliquem actum, amovet omnia impedimenta ad illum, & sic idem in nostro casu est dicendum; præcipué, si ordinandus ille, in proximo esset ad ordines suscipiendos, & alias pauperrimus, quæ vrgens necessitas erat vt ita fieret, ne tot incommoda ipsi redundarent.

Casus septimus, de ætate ordinandorum. Religiosus quidam, cum habere non posset testimonium Parochi de sua ætate, illud accepit á parente suo satis nobili, & eo ductus Prælatus suus, ei dimissorias ad Presbyteratum concedit, Vicarius Generalis eas admittit, & Episcopus ordinem confert; sed paulo post, á Parocho dantur litteræ, quibus deprehenditur, decesse illi ordinato quinque septimanas de legitima ætate. Quæritur: quid sentiendum de sic ordinato cum discordia testimoniorum? R. quód si absolutè standum est testimonio libri baptizatorum, nequit sic ordinatus sine dispensatione Papæ, ante legitimam ætatem completam celebrare, quia executio tandiu est vetita, quandiu deficit ætas ad munera sacra peragenda. Sed tamen, quia ille fuit ex Ordine gaudente privilegijs mendicantium; poterat á superiori dispensari, vt ante legitimam ætatem celebraret, præcipué cum bona fide ordinatus fuerit, vt Vazquez sentit.

Nec ex ordinatione illa, suspensio incursa est, quia res quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, vt dicitur cap. 2. de Constit. illud autem factum, caruit omni culpá, & ideo suspensio non incurritur propter illud. Vndé talis sic ordinatus, expleta ætate legitima, sanctè & licitè potest celebrare, quia nullam suspensionem incurrit, nec debet dispensationem petere ad maiorem securitatem, nam ille qui certus est, vlterius certiorari non oportet, & casu quo peteretur dispensatio, hæc poterat á suo Superiori Regulari conferri, quia illa censura occulta erat, vt ait Barbosa cum alijs pluribus. Quia tamen sæpiús, casus huiusmodi accidisse possunt, pro ætate dignoscenda, sunt sequentia notanda.

Primó, quod licet Baptismi liber, faciat plenam fidem de ætate, & ideo Parochi fideliter, nomen, & cognomen, baptizati, horam, & patrinos Baptismi notare debent, hoc tamen admittit probationem in contrarium, vt est authoritas patris & etiam matris, ex l. etiam matris, ff. de probat. Vndé ait Mascardus: efficacissimum testimonium, probandæ ætatis filiorum, convincitur ex libro parentum, in quo solent describere diem & horam natalis. Hoc accidit mihi; novi enim ex parentis mei libro, diem & horam nativitatis meæ, quæ ex libro Baptismi non novi, duobus diebus inter nativitatem & Baptismum intercedentibus, quæ parentum cura maximé debet laudari, quia decursu temporis potest ad aliquem finem proficere.

Secundó, quod plenè & non tantum præsumptivé, est adhibenda fides, scripturis parentum, factis vt solet, statim ac proles nascitur, nisi contradicat liber Parochi vel duo testes, nam si contradicit, debet hic alijs præferri vt est omnium tribunalium praxis. Vndé aliquando accidit, quod attestatio parentis & Parochi, quo ad ætatem alicuius dissenserint, & Episcopus dedit fidem Parocho, quia hic non stat parentum testimonio, nisi casu quo nullum Parochi testimonium possit haberi, vel habeatur summe dubium, facto examine circa hoc. Si verò testimonium Parochi editum est, postquam quis ex vi testimonij paterni, ad ordines fuit promotus, credo quod multi iurisperiti assererent, posse fidem adhiberi paterno testimonio quod est in possessione, qua caret testimonium Parochi.

Tertió, quod fides de testimonio parentum, solum tenet, quando est petitum ex charta, & nequit sine incommodo expectari Parochi testimonium, quod si hoc expectari potest, debet ordinatio differi, propter periculum suspensionis, casu quo Parochi testimonium, contrariaretur paterno; si verò parentes, ex sola reminiscentia deponunt, non est eis adhibenda magna fides. Tùm, quia reminiscentia, est valde fallax. Tùm, quia affectio, reddit eos suspectos. Aliquando autem, parentibus est adhibita fides, quia testes omni exceptione maiores testati sunt, quod ille de cuius ætate disputabatur, ante viginti duos annos, discurrebat per plateam domus, in toga infantili, quia tunc præsumptio, erat pro ætate bienni. Sed tamen regulariter, & per se, standum est Parochi testimonio, alia enim, sunt

pluribus deceptionibus expoſita, & ſolum pro vrgenti caſu,teſtimonio parentum fides datur.

Inquires adhuc duo 1. an quis poſsit Subdiaconus ordinari, eodem die quo vigeſimum primum annum attingit, neſciens an mane aut veſpere natus fuerit? 2. quid dicendum de regulari, cui deficit vnicus dies pro anno vigeſimo quinto,pro Preſbyteratu recipiendo? Reſp. ad 1. poſſe probabiliter ordinari, quia parum reputatur pro nihilo, & mane & veſpere illius diei, ad mane retrotrahitur, vt ſuprá diximus. Ad 2. me nullum legiſſe qui de integro die loquatur. Sed tamen, ſi Conventus patiatur miniſtrorum inopiam, poteſt id tentari, vel adhærendo ſententiæ probabili de addendis ætati diebus biſextilibus, vel ex privilegijs religionis,ſi aliquod forte reperitur huic ſenſui favens, vel permittens recipere ordines extra tempora, & tunc recipiatur, proxima Dominica die, tutius autem eſſet ordinem ad opportunum tempus differre,ob inconvenientia ex non recta ſuceptione Presbyteratus, poſsibilia ſequi.

Sed quia in legibus & Canonibus,ſæpé occurrit ſermo de annis ætatis,debet annotari in gratiam lectorum,explicatio diverſarum locutionum, quam ex Bartoli, l. ſi cui,ff. de leg.1. adducit Rodriguez dicens:quando ætas profertur in caſu genitivo,requiritur quod ſit completa, v. gr. *viginti annorum*;in ablativo cum propoſitione *in*,ſufficit quod ſit inchoata,vt *in anno vigeſimo*, ſine præpoſitione, requiritur quod ſit completa; in accuſativo, cum verbo ſignificante rem perfectam,vt præpoſitio *per*, requiritur quod ſit completa, ſine tali verbo,in rebus favorabilibus,ſufficit quod ſit inchoata, & in odioſis,completa eſſe debet, in accuſativo cum propoſitione *ad*,ſufficit inchoata. Vndé quando Tridentinum ait: nullus in poſterum, ad Presbyteratus ordinem,ante annum ætatis 25.promoveatur, idem eſt ac dicere: donec pervenerit ad 25. & ſic ſufficit talem annum inchoaſſe.

Caſus octavus, de titulo ad ordines requiſito. Homo quidam, inſerviens Domino ſatis diviti & illuſtri, ad ſacros ordines aſpirabat, ſed erat titulo patrimonij deſtitutus, certus veró vt quam primum Sacerdos eſſet, recipiendus erat in aulicum Capellanum prædicti Domini, & ratione huius, ſe habiturum victum & veſtitum,ſtatui Clericali congruum, ſed tamen illa Capellania, peadet á nutu illius Domini, quia inſtituta non erat, auctoritate Epiſcopali interveniente. Quæritur: an illa ſufficiens titulus eſſet, ad ſacros ordines ſuſcipiendos? De hoc aliquid ſuprá egimus, art. præced. diffic. 7. & quia valdé præ oculis haberi debet pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis, notamus ſequentia,ex quibus huius caſus, & ſimilium reſolutio deducetur. Dicendum eſt ergo:quód Beneficium vt ſit legitimus titulus ad ordines, debet eſſe Eccleſiaſticum proprié dictum, quia ſic ſtatuit Trident. Seſſ. 21. de reform.cap.2. & non eſt recedendum á proprietate verborum ſine iuſta cauſa. Beneficium autem Eccleſiaſticum, eſt: ius perpetuum recipiendi redditus ex bonis Eccleſiaſticis, propter aliquod officium ſpirituale, authoritate Eccleſiæ inſtitutum; quæ diffinitio, affertur ab authoribus de hoc puncto tractantibus.

Beneficium autem dicitur perpetuum, vel quia datur ad totam vitam, ita vt non poſsit beneficiato invito auferri per ſe loquendo;vel quia non datur ad tempus certum, ſed in perpetuum, vel quia nequit reſignari á Beneficiario ſine voluntate ſuperioris,vel quia ſemper debet ab aliquo poſsideri, ita vt quando deſinit eſſe in vno, transferatur ad alterum, & hic quartus modus perpetuitatis,eſt magis proprius, & á Navarro adductus. Vndé vlterius reprobamus Capellanias illas vitalitias,in fine art. præcedentis memoratas, quia illæ non ſunt perpetuæ abſolute & ex natura ſua, licet alicui determinato ſubiecto, ſua vita durante conferantur. Hoc autem Beneficium perpetuum, debet eſſe ad congruam ſuſtentationem Clerici ſufficiens, & actu pacificé ab eo poſſeſum, quia vtrumque hoc á Concil. Trident. ſtatuitur.

Hinc reſolvuntur ſequentia 1.quod Vicaria aut Capellania temporalis, ad nutum auferibilis, non ſufficiunt pro titulo Beneficij. Túm, quia proprié Beneficium non ſunt. Túm, quia hoc modo,non conſuleretur periculo mendicitatis ignominioſæ Clericorum, quam Concilium vitare intendit. 2. quod muſicus Eccleſiæ, in qua fere quotidié,Miſſas votivas celebrando, poſſet ſtipendium lucrare, non cenſetur ſufficientem titulum habere,qua ius illud, Beneficium non eſt. 3. quod Vicaria perpetua titulus eſt, non autem coadiutoria cum futura ſucceſsione, niſi alias coadiutor,habeat tunc ius percipiendi fructus congruos. 4. quod Beneficium ad cuius titulum quis ordinatur, nequit permutari in equivalens,niſi de licentia Epiſcopi,nec etiam ſine illa reſignari,mentione facta quod erat titulus ad ordines, & etiam conſtito, quod aliunde Clericus, commodé vivere poſsit, & aliter nulla erit alienatio, vt ait Concil. Trident.

Ex his reſolvitur caſus propoſitus;certum enim eſt,talem Capellaniam,non eſſe Beneficium Eccleſiaſticum,quia nec eſt Canonice inſtituta,nec confert ius Capellano, percipiendi redditus ex Eccleſiaſticis bonis, ſed ſolum ex ſæcularibus illius Domini. Quid veró dicendum,de ordinato ad titulum Beneficij bona fide, ſi ante poſſeſsionem impeditur á poteſtate ſæculari? Reſp. illum peccaſſe, quia lite pendente ordines ſuſcepit,titulo illius Beneficij. Poterat autem aliqualiter excuſari,authoritate Sayri, ſi Subdiaconatum ſuſcepit, quin ſuſpicaretur litigium, nec impedimentum poſſeſsionis, ſed ſi mota fuit lis inter Subdiaconatum & Presbyteratum,nihil potuit ei patrocinari niſi ignoran-

tia,

tia, quia sic operaretur contra Decretum Concilij, exigentis pacificam Beneficij possessionem.

Alter est casus circa hoc: Promovendus ad ordines sacros, adducebat pro titulo Canonicatum, cuius solum post sexdecim menses fructus erat percepturus, iuxta Ecclesiæ statuta, & videbatur paulo post eo spoliandus, ob adeptionem alterius Beneficij, ad quod iam præsentatus erat. Quid de hoc titulo sentiendum? Resp. nullum ex illis motivis obstare, ne Canonicatus, sit verus titulus. Non primum, quia leges apponentes gravamen, actui ex se licito & honesto, plus benigne quam rigide, sunt interpretandæ, gravamen autem Beneficij, adjungitur susceptioni ordinum, quæ est actus honestissimus, & sic actualis possessio, benigne interpretari debet. Deindé, quia verbum *possideo*, ex vsu communi, convenit habenti primam possessionem. Nec aliud motivum de non percipiendis redditibus, nisi post sexdecim menses decursos, aliquid obest. Túm, quia Concilium, solum petit possessionem Beneficij, & non ius percipiendi statim fructus. Túm, quia alias, rari essent tituli ad ordines sufficientes, nam omnes vel fere omnes, habent redditus, qui post duos aut tres annos post primam possessionem percipiuntur, quia eousque devenit temporum calamitas, qua propter Episcopi ordinatores, solum de congruitate Beneficij & eius possessione curant, non veró de redditiuum aut fructum perceptione.

Demúm, circumstantia illa de Canonicatu ammittendo, per adeptionem alterius Beneficij, nihil officit, quia consuetudo plurium Diœcesũ fert, vt fruentes sola prima possessione alicuius Beneficij, possint retinere illud & acquirere aliud novũ, & ex cõsuetudine potest ius acquiri, vt aliqua Beneficia integré & perfecté possessa non vacent, per acquisitionem alterius. Rarius enim quid, aut barbarius sæpé experimur, in quibusdam Beneficijs pro Presbyteris fundatis, dummodo nihil aliud tituli, nec Beneficij habeant; barbarius dico: quia si iam sunt ad Presbyteratum promoti, aliquod Beneficium vel titulum debent habere, & si hoc ita est, illius Beneficij fundati sunt incapaces; vndé ea institutio sibi ipsi contradicit, & causa est non semél, fingendi titulos ad sacros ordines recipiendos, vt sic recipientes, ad talia Beneficia reddantur idonei; nullus ergo in posterum, talia instituat Beneficia, illis circumstantijs complicata.

Casus nonus, circa idem. Accessit ad Episcopum quendam, alumnus cuiusdã Vniversitatis, cuius studentes, fruuntur Apostolico privilegio, se ordinandi sine titulo aliquo Beneficij nec patrimonij, dum ab Vniversitatis Rectore, obtineant dictæ gratiæ communicationem, quia in studijs profecerunt; quam tamen obtinuit & intuitu illius, sacros ordines postulavit, sed ab Episcopo repulsus fuit, tali exemplari ductus, & quia privilegium in vsu non erat, ne postea molestaretur, onere ordinatũ sustentandi. Quæritur: an recté id fuerit executum? Resp. quód non vsus privilegij præcisse, non poterat obstare, quia privilegia, iuri tertij non præiudicantia, per non vsum non evanescunt; vndé Episcopus, non recté faceret per se loquendo, si privilegium non admitteret, eo præcisse quod in vsu non esset; si autem per plures vices, non fuerit datus locus privilegio illi, censeretur præscriptum.

Deindé, periculum sustentandi ordinatum, nullum adest, quia hoc onus suscepit in se Pontifex privilegium expediens, & ipse optimé noverat, neminem pro alieno commodo, debere sentire iacturam, & privilegia esse intelligenda sine præiudicio tertij. Sed his non obstantibus, fateor, ibi reperiri aliquod periculum molestationis Episcopi, quo ad sustentationem ordinati, quod videbitur rationabiliter multis, causam sufficientem ministrare ad repulsam; & vlterius, quia privilegium generale, non derogat statuto particulari, de non ordinando non beneficiatum, quod etsi conditum sit propter solos Diœcesanos, potest tamen accedente consuetudine, etiam ad extraneos extendi.

Quid autem dicendum, si Beneficium aliquod institutum est pro Magistris Philosophiæ & auditoribus Theologiæ, potest in titulum conferri alicui, de quo propter doctrinæ laudem iudicatur, proximé gradum recepturum, ex ea regula: proximé accingendus, habetur pro accincto? Resp. negativé. Tum, quia illa præsentatio, manifeste repugnat menti & voluntati testatoris. Túm, quia alias, nihil stabilitatis reperiretur in his pijs dispositionibus, si eas huic interpretationi subijceremus. *Nec obstat*, quod proximé accingendus, habetur pro accincto; hoc enim locum non habet, in causa favorabili, quando spes consecutionis fallibilis est; spes autem illa consequendi Magisterium in proximo, fallibilis est ex pluribus capitibus, vt de spe consequendi præbendam in homine litterato suprá dicebamus. Excipe tamen ab hoc, si non reperitur aliquis graduatus actualis, qui Beneficium ambiat, tunc enim proximé graduandus, pro graduato actualiter reputatur.

Vlteriús occurrit circa hoc: an renuntiatio patrimonij vel vel pensionis, ad cuius titulum aliquis ordinatur, valida sit? Resp. esse omnino invalidam, quia opponitur expresé Trident. Sess. 21. cap. 2. vbi decernitur id fieri non posse, nisi de licentia Episcopi, & postquam constet, ordinatũ habere vndé alatur decenter. Aliqui volunt, quod acquisita aliundé congrua sustentatione, potest quis titulum suæ ordinationis renuntiare; quia Concilium ait, id sine licentia non posse fieri, donec Beneficium Ecclesiasticum sint adepti, & particula *donec*, est restrictiva, quousque aliud contingat. Sed tamen veritas est, quod nec validé nec licité, potest illa renuntiatio fieri, sine Episcopi facul-

cultate, alias fruſtra hæc requireretur á Concilio, quia nunquam poſſet dari, niſi loco tituli, alia bona ſubrogarentur. Vndé illa particula *donec*, limitat Epiſcopi poteſtatem, ad tempus novæ conſecutionis, qua poſita, illic poteſt renuntiationem permittere, ſed non ante illam.

Alia eſt dubitatio: an qui accipit patrimonium ab amico, data fide iuramento firmata, ſe poſt ordines ſuſceptos redditurum patrimonium, in conſcientia teneatur ſtare promiſsis? Certum eſt, quod in foro exteriori non tenetur, quia in eo foro, reſcindenda eſt talis retrodonatio in pœnam donatoris, qui Eccleſiam decipere tentavit. Sed de foro conſcientiæ, aliqui ſentiunt quod tenetur; ſic Diana, Ledeſma, & Villalobos. Sed oppoſitum videtur verius & tenendum, cum Pilibert. Avila, Sanchez, Corduba, & Salmant. quia ſic patrimonium donans, dominium illius veré non ammiſsit, quia donatio fuit nulla & apparens, & ſic donatarius, nullum ius acquiſivit. Nec hoc eſt contra Concil. prohibens alienationem patrimonij, cuius titulo quis ordinatus eſt ſine licentia Epiſcopi; loquitur enim, quando veré acquiritur ius patrimonij, quod non contingit in caſu præſenti. Nec tunc tenetur ſuſtentare ordinatum ex ficto titulo, quia illa obligatio impoſita eſt Epiſcopis, in pœnam culpæ, qua ſcienter ordinant aliquem abſque titulo; Epiſcopus autem quando decipitur, in culpa non eſt, & ſic non manet adſtrictus illi obligationi.

Illuſtriſsimi autem ordinatores, præ oculis ſemper habeant Patrum dicta, maximam in ſacris ordinibus conferendis reflexionem commendantia, & præcipué dictum D. Greg. lib. 2. induct. 1. dicentis: Eorum qui in ſacro ſunt ordine collocandi, prius vitam, moreſque diſcute, & vt dignos huic officio adhibere poſsitis, non vobis potentia aut ſupplicatio quarumlibet ſubrepat perſonarum. Sic etiam Card. Bellarm. in admonit. ad Nepot. controv. 5. ſuadet dicens: In hac re multi falluntur, qui exiſtimant multiplicandum eſſe Clerum, & ideo ſine magno delectu manus imponunt; optandum quidem eſt, vt multi Clericatu digni inveniantur, ſed indignos promovere, eſt Eccleſiam evertere; ſicque conquerebatur D. Bernard. de converſ. ad Cler. cap. 29. curritur paſsim ad ſacros ordines ſine reverentia, ſine conſideratione, neque timent homines, cœleſtis imperij geſtare coronam.

Hæc omnia, & vniverſa ad rectam Sacrorum Ordinum collationem, ex præſcripto Sancti Concilij Tridentini requiſita, maximo atque pijſsimo fervore, ſingulis Prælatis Hiſpaniæ ordinum collatoribus, noviſsimé præcipit atque commendat, Catholicus Rex noſter Philipus Quintus, in Regio ſuo Decreto expedito die 5. Martij, anni 1701. & repetito die 30. Aprilis eiuſdem anni, vbi quicquid diximus, de ſcientia vocatione & titulis, ad congruam ordinandorum ſuſtentationem exactis, compendioſé habetur, vt ſic in Eccleſiæ atque Concilij conſervatione, cuius protectionem gerit optimus Rex, ſui Principatus fœlicem apponat exordium, tanquam Angelus nobis á Deo miraculoſé donatus, vt nos cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atque defendat. O Utinam diu vivat, vt Regio Gallo invicto ſtrictiſsimé illaqueatus, fortis & Catholicus Leo Hiſpanus, irreſiſtibilem & indiviſibilem conſtituat poteſtatem, qualiter ſacrum eloquium teſtaſſe videtur, cap. 30. Prov. v. 30. ſic dicens: *Leo* fortiſsimus, ad nullius pavebit occurſum; *Gallus* ſuccinctus lumbos, nec eſt Rex qui reſiſtat ei; circa quod longe diffunderer, niſi extra inſtitutum calamum verterem; & hæc de Quæſtione iſta, ſint ſatis.

QVÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA,

DE SACRAMENTO MATRIMONIJ.

Doctrinæ Summa.

NOMEN hoc *Matrimonium*, idem sonat, ac munus matris, quia fœmina, ideo matrimonium ducit, vt efficiatur mater & quia ipsa, plus laborat in filiorum educatione quam vir, ideo matrimonium á matre & non á patre denominationem sumit; dicitur etiã matrimonium *coniugium*, quia sub eodem iugo, coniungit virum & vxorem; vocatur etiam *nuptiæ* á nubendo, quia sicut nubibus Cœlum obtegitur, ita mulier per matrimonium occultatur. Dupliciter autem sumitur matrimonium, vel in ratione contractus, & sic diffinitur: *Coniunctio viri & fœminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens*, vel in ratione Sacramenti, & diffinitur metaphysicé sic: *Sacramentum novæ legis, causativum gratiæ vnitivæ*; physicé veró sic: *Coniunctio Sacramentalis viri & fœminæ, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens*, in quo designatur coniunctio Verbi divini cum natura humana per Incarnationem, vel coniunctio cum Ecclesia per fidem.

Materia & forma huius Sacramenti, sunt interni consensus mutui contrahentium, qui significantur per verba. Sed quomodo idem sit forma & materia? Dicitur: quód expresio consensus aut tradditio, est materia, & eius acceptatio est forma, & sic vltimus consensus determinans, forma est, sicut vltima vnitas, est forma numeri. Vndé Parochus non est minister, sed ipsi contrahentes, quia ille, nec materiam, nec formam ponit, sed est testis honorarius matrimonij, præcipué post Tridentinum, in quo matrimonia clandestina prohibentur. Hoc Sacramentum, causat gratiam proportionatam suo fini, nempé gratiam vnitivam; & cum sit Sacramentum vivorum, debet reipi cum contritione saltim existimata, ex fine procreandi prolem ad gloriam Dei, & non ex affectu libidinis, copula veró, vt ait D.T. solum est de integritate, quasi secundaria matrimonij, quia per illam exercetur matrimonij vsus.

Sponsalia quæ Matrimonium præcedunt, sic diffiniuntur: *Futurarum nuptiarum promissio mutua, signo sensibili expressa*, ad quod requiritur intentio promitendi & se obligandi, licet non detur intentio implendi promissum, sicut dicitur de voto. Sponsalia dissolvuntur ex pluribus causis. 1. per ingressum religionis alterius coniugis. 2. per votum simplex castitatis, etiam post sponsalia emmissum, quia vinculum voti, fortius est. 3. per subsequens matrimonium, quod etiam est fortius vinculum, quam sponsalia. 4. per affinitatem supervenientem, etiam ex copula illicita, aut alio simili impedimento. 5. per mutuam voluntatem vtriusque coniugis, quia possunt renuntiare iuri suo, & sic sponsalibus dissolutis, nullum impedimentum inducunt. 6. per gravem infirmitatem. vt est lepra vel aliud malum contagiosum. 7. per fornicationem alterius coniugis, si supervenit sponsalibus, quia de illo probabiliter timetur, fidem non servaturum. 8. si sponsus est vagabundus, & abit longius. 9. si determinatur tempus, & illo expleto, aliquis non vult. 10. defectus ætatis nempé septenij, & tandem graves inimicitiæ, vel alij defectus, qui si ante scirentur, sponsalia non fierent.

Consensus contrahentium, est causa efficiens matrimonij, quia sine illo, non datur mutua tradditio; vndé si quis certo sciret, se non consensisse, nec potest debitum petere, nec reddere, si veró solũ sit dubius, reddere tenetur, quia alter per huius dubium, ius suum non ammittit; si autem ambo coniuges, dubitant de valore matrimonij, & alter debitum petit, licet peccet contra castitatem, sed non contra iustitiam, quia est in possesione petendi. Consensus matrimonij, debet exprimi per verba, sicut in alijs Sacramentis & contractibus fit; & aliquando sufficiunt signa, vt cum puella tacet ob verecundiam, & attestantes, pro ea respondent; verba autem consensum exprimentia, debent esse de præsenti, & consensum interiorem requirunt, quia ab eo pendet voluntarietas actus; alias per fictionem, iniuria Sacramento fieret. Quód si quis fictè contrahit cum vna, & postea validè cum alia, tenetur habitare cum ista, & licet ab Ecclesia cogatur censuris, vt habitet cum prima, debet eas patienter ferre, vel longius ire cum vera vxore.

Si consensus extrahitur per metum procedentem á causa iusta, matrimonium non tollit, vt si quis deprehenditur cum fœmina, & cogitur illam vxorem ducere. Nec tollitur matrimonium, per metum ortum á causa in iusta, stando in iure natu-

ræ, quia non auferitur voluntarium ; sed stando in iure Ecclesiastico, tollitur matrimonium, quia ex his matrimonijs, non consequitur finis Sacramenti, qui est mutuus amor coniugum ; nec est idem de alijs contractibus, qui extorquentur per metum; nam isti adhuc facti possunt á iudice rescindi, non verò matrimonium, quod indissolubile est. Consensus in matrimonium, est virtualis in copulam, quia hæc sumpta pro potestate, includitur in essentia matrimonij. Actus matrimonij semper est bonus, si intenditur proles vel fides, est tamen veniale, si ob solam delectationem fiat, præcipué cum sit, ad sedandam concupiscentiam alterius, quia coniux tenetur ex iustitia, vitare spirituale damnum alterius coniugis. Peccant verò mortaliter coniugati, seminando extra vas, vt impediatur procreatio, quia sic agunt contra matrimonij finem ; sed si mulier superponitur, & absit periculum effusionis, probabile est, solum esse veniale, quia semen non emittitur per descensum, sed per attractionem, quæ semper fieri potest.

Ad celebrationem matrimonij, sunt aliqua impedimenta impedientia quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum, alia dirimentia, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum & differunt in hoc, quod si quis contrahit cum impedimento solum impediente, mortaliter peccat, sed matrimonium validum est, si autem contrahit cum impedimento dirimente, mortaliter peccat, & matrimonium nullum est; impedimenta dirimentia, his versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas
si sis affinis, si forte coire nequibis.
si Parrochi & duplicis, desit præsentia testis,
raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ
hæc facienda vetant connubia facta tetractant.

Explicatio istorum, magnam & scitu dignam præbet disputandi materiam, quæ quia infrá est specialiter in difficultatibus attingenda, modo in eius declaratione non immoramur. Impedimenta puté impedientia sunt quatuor. 1. votum simplex castitatis. 2. votum simplex religionis, quia per hæc, quis alligatur Deo, & sic nequit alligari vxori; sed est differentia inter vtrumque votum, nam contrahens cum voto castitatis, non potest debitum petere, quia promisit castitatem absolutè, sed potest reddere petenti, contrahens autem cum voto religionis, licet mortaliter contrahendo peccet, sed reddere & petere potest. quia non promisit castitatem absolutè, sed religionem intrando. 3. est sponsalitium cum quis alteri fidem dedit contrahendi. 4. vetitum Ecclesiæ, vel ratione censuræ, vel ratione temporis feriati, vt in Adventu & Quadragesima; sed hoc intelligitur de nuptijs solemnibus, quæ communiter dicuntur *vel aciones*, nam traductio sponsi in domum sponsæ, & alia signa lætitiæ, non comprehenduntur sub hac prohibitione.

Præter hæc scienda sunt, illa quæ Matrimonio sunt annexa, quorum primum est, dispensatio impedimentorum, quæ ad Pontificem pertinet, dum non sint impedimenta iure naturæ dirimentia, vt impotentia, error, &c. Sed si impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, bona fide contractum, nec facilis est aditus ad Papam ob inopiam contrahentium, potest Episcopus dispensare. Quid autem faciendum, si vxoratus dubitet, an cum impedimento contraxerit ? Resp. quód si facta diligentia, non invenit notitiam, dubium deponat; si autem invenit, & est pauper, ad Episcopum recurrat pro dispensatione & si dives fuerit, ad Papam. Quomodo autem renoventur consensus in matrimonijs nullis vt illa possint revalidari? Res est satis delicata, & infrá specialiter attingẽda. Causa dispensandi in impedimentis est, concordia familiarum, timor scandali, inopia virorum aut mulierum æqualium, &c. In petitione autem dispensationis, fiat mentio omnium impedimentorum, vt si quis est affinis, aut consanguineus, & sic de alijs, vt Papa certa scientiá procedat; quod si antea copulam habuerint, hoc debet in petione narrari, præcipué si hoc factum fuit, sub spe facilius consequendæ dispensationis, alias hæc, nulla erit, sed ad hoc verba dispensationis debent attẽdi.

Secundúm annexum Matrimonio, est obligatio debiti coniugalis, quæ oritur ex ipsa ratione matrimonij, fine cuius vsu, impeditur filiorum procreatio. Excusantur autẽ coniuges á redditione debiti. 1. ob periculum sanitatis, vt si aliquis habet morbũ contagiosum, nisi scienter cum illo contraxerit, quia tunc cesit iuri suo, si autem infirmitas est temporalis, vt tempore menstrui, potest debitum reddi ; periculum enim infectionis prolis certum non est, & licet esset certum, melius est proli infectam esse, quam nullo modo esse, vt ait D. T. 2. excusantur si imminet periculum aborsus, vt si mulier est gravida, vel filium lactat & exicantur vbera, nec habet quo filium traddat nutrici. 3. si coniuges sunt pauperes, & habent plures filios, nec possunt eos alere decenter. 4. excusantur, intra duos menses ante benedictiones nuptiales. 5. si petatur debitum in loco sacro vel publico, aut in die valdé festivo, cum parantur ad comunionem, quia animus valdé distrahitur ex copula. Qui autem incestum commisit cum consanguineo alterius coniugis in secundo gradu, nequit petere debitum, ob affinitatem cum coniuge contractam, nisi dispensationem obtineat, quæ ab Episcopo conferri potest, vel á confessore regulari, de facultate illius.

Tertiúm annexum Matrimonio, est indissolubilitas illius, quæ est de iure naturæ, nam vt dixit Christus: quos Deus coniunxit homo non separet. Nec obstat : quód Papa dispensavit aliquando in

Ma-

Matrimonio rato non consummato. Dicitur enim, id feciſſe authoritate divina, quia in eo matrimonio, coniuges, non ſunt ita perfectè vna caro, ſicut in matrimonio conſumato; & licet aliquando inter coniuges detur divortium ex iuſta cauſa, hæc eſt ſeparatio tantum quo ad thorum & habitationem, non verò quo ad vinculum. Nec etiam per adulterium alterius coniugis, matrimonium diſſolvitur, quia licet frangatur fides, vinculum autem non frangitur. Diſſolvitur autem matrimonium, ex converſione coniugis ad fidem, alio infideli manente, ſi nolit cum converſo habitare, iuxta dictum Pauli: ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubiectus eſt frater; quod ſi vult cohabitare ſine iniuria creatoris, ſi datur ſpes converſionis, conſentiat alter. licet ad hoc ſit liber, quia non eſt præceptum. ſed conſilium.

Vltimum ſciendũ de Matrimonio, eſt divortium, quod eſt, ſeparatio coniugum quo ad thorum ſeu habitationem. Cauſæ autem rationabiles divortij ſunt plures. 1. adulterium, quia non ſervanti fidem, nec fides ſervanda eſt, ſed ſunt aliqui caſus, in quibus ob adulterium nequit fieri divortium, vt ſi alter coniux, etiam adulteravit, quia tunc fit iniuriæ compenſatio, ſi vir vxorem proſtituit, ſi ille per copulam recõciliatur & ſi mulier accedit cum ignorantia. 2. cauſa divortij eſt, ſi quis alterum tentavit occidere veneno vel aliter. 3. ſevitia mariti, furia alicuius coniugis, & etiam ſodomia, & aliæ plures, ab auctoribus adductæ, quæ ob brevitatem omittuntur modo, & latius attingentur poſtea.

ARTICVLVS I.

De Sponſalibus.

Prima difficultas: Quænam requirantur ad valorem ſponſalium? Dicendum eſt, quod ad valorem ſponſalium requiritur primo, mutua promiſsio. Ratio eſt: quia ſponſalia ſunt quædam inchoatio matrimonij, in matrimonio autem, non ſufficit conſenſus vnius, ſed requiritur vtriuſque conſenſus, & ſic etiam ad ſponſalium valorem, requiritur mutua promiſsio; vndé ſi quis promiſsionem acceptat & non repromitit, neuter eorum ex vi ſponſalium obligatus manet. Sed eſt notandum cum D.T. hic, q.43. art.1. quod promiſsio futurarum nuptiarũ, & fieri poteſt ſub conditione & abſoluté, & ſic vel nuda promiſsione, vel datis arrhis aut iocalibus, vel ſubarrhatione annuli, vel interveniente iuramento; ſi autem promiſsio eſt ſub conditione honeſta, vt ſi parentibus placet, hac ſtante ſtat promiſsio, & deficiente deficit, ſi verò eſt ſub conditione inhoneſta contraria bonis matrimonij, vt ſi veneno ſterilitatem procures, non dantur ſponſalia, vel ſi non eſt contraria, vt ſi furtis meis conſentiat, ſtat promiſsio, ſed conditio auferenda eſt.

Deindé, vt promiſsio ſponſalia conſtituat, debet eſſe circa perſonam determinatam, & non ſolum in confuſſo, vndé ſi Ioannes promitit Petro habenti ſex filias, ſe aliquam ducturum, non determinando quam, non contrahit ſponſalia; nec ſimiliter contrahit ſi dicat Mariæ, non ducam aliam præter te, quia ſenſus huius propoſitionis eſt, vel ducam te, vel nullam aliam, quod verificari poteſt, nullam ducendo. Demum ad ſponſalia, non ſufficit ſola promiſsio externa, quia ſi animus interior deſit, non eſt vera promiſsio; nec ſufficit ſola interna, quia licet per iſtam poſsimus obligari Deo qui intuetur cor, non autẽ homini, qui ſolum videt ea quæ apparent modo humano; ſic D. Tho. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. & 2. 2. q. 88. art. 1. Nec ad hanc promiſsionem verba requiruntur, ſed quodlibet aptum exprimere conſenſum, vt miſsio annuli in digitum ſponſæ, appenſio torquis ad collum, vel porrectio manus ſponſæ, petente ſponſo, & ſilentium vtriuſque, cum parentes aut tutores contrahunt pro impuberibus, aut etiam pro puberibus, ſi iſti non contradicunt.

Sed circa valorem ſponſalium dubitatur: An ſponſalia clandeſtina, poſt Tridentinum ſint valida? Reſp. affirmativé, & ratio deſumitur ex quadam declaratione Cardinalium, quam tradit Ledeſma, per hæc verba: Decretum Concilij Tridentini, quo ſtatuit, quod matrimonij contractus fiant ſolemniter, coram Parocho & teſtibus, habet tantum locum, in Matrimonijs per verba de præſenti, non autem in ſponſalibus, per verba de futuro & iterum: Decretum hoc, annullat ſolum contractus matrimoniales per verba de præſenti clandeſtine factos, ſponſalia verò per verba de futuro, relinquit in terminis iuris communis. Ratio huius eſſe poteſt, quia in novo Decreto Tridentini, contra matrimonia clandeſtina, nulla de ſponſalibus fit mentio, & ſic hæc, diſpoſitioni veteris iuris ſunt relicta, nam quod in nova lege expreſſum non habetur, iuris veteris diſpoſitioni relinquitur, vt dicitur leg. præcipimus, cap. de appellat.

Deindé, quia non militat eadem ratio de ſponſalibus, ac de matrimonio clandeſtino; nam hoc, ideo á Tridentino prohibetur, vt vitarentur adulteria quæ ex eo ſequebantur, nam contempto priori matrimonio, de quo Eccleſiæ non conſtabat, publicé contrahebatur aliud, quod adulterium erat; ſed hoc, locũ non habet in ſponſalibus, quia matrimonium contractum, ſpretis prioribus ſponſalibus validum eſt: ergo, &c. Ex his patet reſponſio ad id quod obijciunt in oppoſitum, nempé quod prohibito matrimonio, prohibitum etiam cenſetur, omne id per quod ad illud pervenitur. Dicitur enim, hoc eſſe verum, quando matrimonium prohibetur abſoluté & omnibus modis, ſed in Decreto Tridentini, non prohibetur matrimonium abſoluté, ſed vt clandeſtinè contrahendum, & ideo

ex hac lege, nulla prohibitio in sponsalia clandestina derivatur.

Sed dices 1. sic se habet matrimonium absolutè ad sponsalia absoluta, sicut clandestinum ad clandestina: ergo si inhabilis ad matrimonium absolutum est inhabilis ad sponsalia absoluta, etiam inhabilis ad matrimonium clandestinum, est inhabilis ad sponsalia clandestina. 2. ex sponsalibus oritur impedimentum publicæ honestatis; sed hoc ex sponsalibus clandestinis nequit oriri, quia non sunt publica sed occulta: ergo illa non sunt valida sponsalia. Resp. ad 1. quod est disparitas, nam inhabilitas ad matrimonium absolute, reddit nullam materiam promissionis; inhabilitas autem ad matrimonium tali modo, nempé vt clandestinè contrahendum, non aufert promissionis materiam, & ideo diversa est ratio. Ad 2. quód impedimentum publicæ honestatis, non ideo sic vocatur, quia publicum sit ex parte rei factæ, sed propter quandam indecentiam contrahendi cum consanguinea sponsæ, & hæc, etiam ex sponsalibus clandestinis consurgit de quo agit Diana, Tom. 9. tract. 6. resol. 6.

Sed inquires: An Matrimonium clandestinum per Tridentinum irritum, habeat vim sponsalium? Resp. negativé, cum Salmant. Bonacina, Sanchez, Diana, Barbosa, & Villalobos, qui affert expressam declarationem Cardinalium in huius comprobationem, & asserunt isti auctores, quod hoc est verum, licet tale matrimonium iuramento firmetur, quia iuramentum contra bonos mores, non obligat, imó licet haberent intentionem expressam se obligandi modo quo poterant, non obligantur ex sponsalibus, quia interna intentio non habet vim obligandi, nisi patefiat exterius per actum validum, actus autem de quo loquimur, omnino est nullus. Ratio autem horum est: quia Trid. omnino irritat Matrimonium clandestinum, etiam in ratione contractus, & sic ex eo nequit obligatio sponsalium oriri, nam quando ius resistit actui, & illum irritat, nulla oritur obligatio ex eo, vt patet ex l. non dubium, cap. de legibus.

Nec obstat, quod inter impuberes, matrimonium valet in ratione sponsalium, licet non in ratione Matrimonij. Resp. enim, neg. anteced. pro quo affert Gonet declarationem Cardinalium, cap. 2. Sess. 24. vbi dicitur: Si malitia, ætatis defectum non supplevit, huiusmodi Matrimonium, si servata forma Concilij contractum fuit, resolvitur in sponsalia, & sic non servata hac forma, non resolvitur in sponsalia. Vel 2. id concedendo, est disparitas, nam matrimonium impuberum, solum claudicat ex parte contrahentium, quia ætatem debitam non habent, nec illi ex parte formæ ius resistit, Matrimonium verò clandestinum, vtroque modo claudicat, & ex parte contrahentium, & ex parte formæ, quia ei deficit solemnitas ad contractum requisita, & ideo illi, ius resistit.

Dubitatur vlterius: An sponsalia conditionata, per copulam clandestinam subsequentem, transeant in absoluta? Resp. negativé. Ratio est: quia sponsalia conditionata, non transeunt in absoluta, nisi verificata aut deposita conditione, si pendet á voluntate contrahentis; sed licet ante Tridentinum, conditio censeretur deposita per copulam subsequentem, quia tunc erat licita & coniugalis, nunc autem coniugalis non est, nec potest nisi affectu fornicario exerceri, cum sit invalida ad matrimonium contrahendum: ergo per illam nequit deponi conditio, & ideo sponsalia sub ea contracta, adhuc manerent conditionata.

Secunda difficultas: An in sponsalibus, possit quis validé promittere alteri matrimonium, quin iste repromittat? Resp. quód promissione simplici, hoc fieri potest, non autem promissione sponsalitia. Prima pars prob. quia nulla apparet repugnantia, in hoc quod quis simplici promissione, aliquid promitat alteri, & quod hic acceptet cum expressa voluntate non repromittendi; quod constat, in contractu census redimibilis, qui onerosus est, & in eo censuarius promittit pecuniam recipere, quando placuerit censualistæ reddere, quod acceptatur ab isto, quin repromitat reddere, nam liberam habet facultatem si velit, retinendi in perpetuum, sub onere solvendi censum. 2. quia non repugnat Petrum promittere Ioanni, vendere suum prædium illi, quoties hic voluerit, licet Ioannes ad emendum non obligetur: ergo idem in casu nostro dicendum est.

Nec obstat, quod matrimonium, cum sit commutatio corporum, essencialiter requirit mutuam obligationem ex vtraque parte; nam hoc est verum de matrimonio in ratione talis, non verò in ratione promissionis simplicis, quod patet exemplis adductis; & vlterius constat, in promissione & professione religiosa, quam potest quis facere ex parte sua quo ad promissionem, ipsa religione non se obligante, vt patet in emissione voti simplicis, emissi post bienium novitiatus á candidatis Societatis, & tamen quo ad professionem, nequit aliquis religioni se obligare, quin etiam religio, mutuo se obliget professo, eo quod est alia natura professionis, & promissionis illius, eadem ergo est differentia, inter matrimonium & promissionem simplicem illius.

Quód autem, id fieri non possit in promissione sponsalitia, quod asserit secunda pars, constat: quia natura sponsalium, mutuam exigit promissionem ex parte vtriusque extremi, vt ex eorum diffinitione constat; & vlterius, quia sponsalia faciunt contractum de tradditione corporum futura, sicut matrimonium de tradditione præsenti; sed matrimonium, requirit vtriusque contrahentis consensum: ergo etiam sponsalia, vtriusque promissionem requirunt. Ex quo patet, quod promissio debet

bet esse ab alia parte acceptata, vt obligationem inducat, quia hæc est natura cuiuscumque promissionis, vt acceptetur á promissario vel eius substituto, quod etiam est verum, licet promissio iuramento firmetur, nam tunc iuramentum est accessarium promissionis, & accessorium sequitur naturam principalis; vndé si promissio ante acceptationem non obligat, nec obligabit, licet iuramento firmetur.

Sed maior difficultas est: An hoc ipso quod quis promissionem acceptet, censeatur repromittere? Sententia negativa est verior, & tenenda cum Palao, Dicastillo, Sanchez, Bonacina, Soto, & Salmantic. Ratio est: nam de essentia sponsalium est, quod detur mutua promissio, vt constat ex D. T. hic art. 1. ergo deficiente repromissione, non dantur sponsalia; sed hæc deficit in casu prædicto, quia solum datur promissio ex parte vnius: ergo non dantur sponsalia. Si dicas: quód iam datur repromissio æquivalenter, quia includitur virtualiter & implicité in acceptatione. Contra est, quia acceptatio, solum includit virtualiter, id quod est in sui favorem, non autem quod est in sui præiudicium; sed repromissio, potest esse in sui præiudicium: ergo hæc non includitur virtualiter in acceptatione.

Dices: quód acceptatio per verba de præsenti, constituit matrimonium validum: ergo acceptatio per verba de futuro, reddit valida sponsalia, sicut enim ad matrimonium requiruntur verba de præsenti, ita ad sponsalia, verba de futuro. Resp. quód matrimonium nequit claudicare, vel esse invalidum ex vna parte, & non ex alia, secus autem in sponsalibus contingit. Sed si huius disparitatem quæris, hæc est; quia matrimonium, nequit aliter acceptari vel claudicare, nisi in ratione matrimonij, sponsalia vero licet nequeant claudicare in ratione sponsalium, benè veró in ratione promissionis, quia potest vnus promittere & alter non repromittere, vt patet exemplis allatis suprá, de censu, emptione, & promissione profetsionis religiosæ. Vndé invalida sunt sponsalia, cum quis promittit & alter tacet, quia tunc non datur repromissio. Nec dicas: qui tacet consentire videtur; hoc enim verum est, cum contractus cedit in sui favorem, non autem si cedit in sui detrimentum, qualiter in sponsalibus, aliquibus casis contingere potest.

Sed rogabis: An promittens, alio non repromittente, teneatur implere promissum? Resp. cum distinctione, nam vel promittit conditionaté, v.gr. promitto vt promittas, vel si promittis, vel promittit absoluté; si primum, non tenetur implere promissum, quia promissio conditionata, non obligat conditione non impleta sicut nec votum conditionatum, obligat non adimpleta conditione, in dicto autem casu, conditio non impletur ex defectu repromissionis; si secundum dicatur: tunc promittens, tenetur promissum implere, licet alius non repromittat, dum tamen promissionem acceptet. Ratio est: quia omnis promissio acceptata, obligat ad sui adimpletionem; dicta autem promissio, absoluta & acceptata est vt supponimus, & sic ad eius impletionem obligat, iuxta commune dictum: omne promissum & acceptatum, est debitum.

Oppones: quód in dicto casu non dantur vera sponsalia vt vidimus, & sic nec promittens tenetur implere, quia hæc obligatio, ex sponsalibus oritur. Resp. hoc probare, non dari obligationem implendi ex vi promissionis sponsalitiæ, ob rationem attactam, datur tamen obligatio, ex vi promissionis simplicis ab alio acceptatæ, quæ pro vt sic obligationem inducit, dummodo tamen promittens, habuerit intentionem se obligandi. Si tamen dubitet, qua intentione promisserit, censendum est id feciisse iuxta naturam sponsalium, & cum onere repromissionis alterius, qua non existente, promittens manet immunis ab obligatione; sic tenent Salmant. Sanchez, Dicastillus, & Coninch.

Tertia difficultas: An promissio simplex, obliget sub mortali? Hæc difficultas movetur, ad maiorem explicationem promissionis sponsalium; & vocatur promissio simplex, quæ fit nullo onere aut iuramento appositio, sed solũ liberaliter, v.gr. Petrus promittit Matrimonium cum Maria, & hæc acceptat quin repromittat, dubium est: an ille teneatur sub peccato mortali promissum implere, & nubere cum illa? Aliqui dicunt, solum obligari sub veniali; sic Ledesma cum alijs. Alij asserunt, quod si promittens, habuit intentionem obligandi se ex iustitia, tenetur ad impletionem sub mortali, secus si solum habuit intentionem obligandi se ex mera voluntate; sic sentit Molina.

Respondetur ergo: quód impletio simplicis promissionis, ex natura sua obligat sub mortali; sic tenent Becanus, Dicastillus, Aversa, Trullench, Sanchez, & Salmantic. Ratio est: quia decipere aliquem in re gravi, est peccatum mortale, qui autem in materia matrimonij, promissionem simplicem non adimplet, alium in materia gravi decipit; mulier enim, non ita commodé poterit cum alio matrimonium contrahere, & sic tenetur sub mortali promissionem implere. Explicatur: faciens votum, tenetur sub mortali illud adimplere: ergo etiam in nostro casu. Conseq. pat. ideo enim primum est verum, quia ex non adimpletione, ponitur deceptio in re promissa; sed etiam hoc contingit, in non adimpletione promissionis simplicis matrimonij: ergo, &c.

Deindé idipsum constat: quia excomunicatio ferri non potest, nisi pro peccato mortali, cum enim pœna gravis sit, culpam etiam gravem supponit; sed promittens matrimonium promissione simplici, potest ad implitionem sub excomunicatione obligari: ergo non adimpletio, mortale est. Min. constat, nam cap. 10. de pactis determinatur, excomu-

municatum esse,qui deficit in pacto; deficiens autem in promissione in pacto deficit, nam vbi datur promissio,& acceptatio intervenit pactum: ergo, &c. Urgetur: omnes odio habent deficientes in fide præstita, tanquam infidos & mendaces; sed hoc nequit esse solum veniale : ergo est mortale, sed ad hoc duo debent notari. 1. quód materia sit gravis, alias ex materiæ parvitate, á mortali potest excusari. 2. quód promitens sciat & intendat se obligare: nam cum promissio sit lex privata,quam sibi promittens imponit,solum obligat iuxta mensuram intentionis & voluntatis illius.

Sed dices : non adimpletio dictæ promissionis simplicis, solum opponitur virtuti veracitatis , & non omne sic oppositum , est mortale peccatum, vt patet in mendatio officioso. Resp. quód non adimpletio talis promissionis, non solum opponitur veracitati , sed etiam fidelitati , & transcendit vsque ad virtutem iustitiæ commutativæ, & oppositum huic in materia gravi, mortale est. Mendacium autem oppositum veritati,si infert nocumentum grave proximo , etiam est peccatum mortale, & huius generis est,non adimpletio promissionis, vbi datur mendatium cum detrimento alterius in re gravi;mulier enim,post talem promissionem decepta, non æqué benè poterit cum alio matrimonium contrahere.

Si dicas : Quód non omne oppositum iustitiæ commutativæ,obligat sub mortali,in illa enim datur parvitas materiæ á mortali excusans , vt patet in furto vnius nummi, & sic idem de simplici promissione dicendum. Resp. quód antec. est verum, quando datur parvitas materiæ, vt patet in eodem exemplo furti; cum autem non adimplere promissionem matrimonij, non sit materia levis,sed gravis, ideo talis non adimpletio,ex genere suo mortale est; licet etiam aliquando possit á mortali excusari,ob parvitatem materiæ, vel levitatem damni secuti.Doctrina hucusque traddita, procedit de promissione simplici vera ; sed adhuc est difficultas, quid sentiendum de promissione ficta , an sic promittens,sine animo se obligandi,teneatur promissum implere?

Et quidem certum est, prommitentem ficte matrimonium, peccare mortaliter,quia decipit proximum in materia gravi ; sed dubitatur : an sic promittens absque intentione implendi , teneatur ex iustitia ad stándum promissis ? Et non loquimur de obligatione orta ex fidelitate,quia cum hæc non sit gravis, sive teneatur ex illa, sive non, nunquam peccabit mortaliter,qui á promissione resiliret.Sed notandum , quod promittens tripliciter potest se habere 1. si non habet animum promittendi, licet id verbis exprimat,& tunc certum est,non obligari ad impletionem , quia veré non promisit , sed fallaciter verba protulit. 2. si veré habet animum promittendi & se obligandi, non veró implendi,& tunc etiam tenetur implere , quia obligatio non oritur ex intentione implendi ; sed ex ipsa natura promissionis. 3. si scit ex promissione obligationem oriri,& illius non recordatur, etiam tenetur, nam qui vult promissionem , censetur virtualiter & interpretativé obligationem velle , & qui vult antecedens , vult etiam consequens. Si autem talem obligationem ignoret,sunt qui dicunt, nihilominus obligari , quia ex promissione libere facta, oritur obligatio tanquam effectus necessarius ; sed verius est oppositum, quia nequit obligari ad impletionem , qui voluntatem promittendi non habet, qualiter non iudicatur habere , qui naturam promissionis ignorat.

Dubium ergo est: cum quis scit obligationem ex promissione oriri , & vult promittere absque animo se obligandi,an teneatur promissionem implere ? Aliqui affirmant cum Ledesma, Dicastillo, Lessio , Soto , & Aragon. Sed oppositum est tenendum vt verius, cum Sanchez, Diana,Cornejo, Bonacina, Coninch, & alijs dicentibus , intentionem promittendi & se obligandi , separari posse. Ratio nostri dicti est : quia conditio oppositia substantiæ contractus, istum annullat, sicut etiam annullat matrimonium , conditio illius substantiæ oppositia ; sed in prædicto casu , ponitur conditio oppositia substantiæ contractus sponsalitij, de substantia enim contractus promissionis,est quod promittens habeat intentionem se obligandi,vt patet in voto , & talis intentio deficit in casu dicto : ergo, &c.

Dices: ex promissione oritur necessario obligatio: ergo cum in dicto casu detur promissio, datur etiam obligatio. Resp. quód antec. est verum de promissione vera & formali,non de puré materiali & fallaci, hæc enim habet conditionem oppositam substantiæ promissionis , & ideo ex ista , non oritur obligatio iustitiæ. *Si dicas* : ex applicatione ignis,sequitur necessario combustio: ergo etiam ex promissione,sequitur necessario obligatio.Resp. quód applicatio ignis,est vera & realis , & ideo ex illa sequitur necessario combustio,independenter á voluntate applicantis;promissio veró in casu dicto, est ficta , & ideo ex illa non oritur obligatio iustitiæ necessario.

Dices adhuc: Qui vult antecedens,vult consequens contentum in eo: ergo qui vult promissionem, vult obligationem contentam in illa. Resp. dist. ant. qui vult efficaciter, conc.qui vult ineffi-caciter & ficté, neg. in dicto autem casu , volitio antecedentis, nempé promissionis,est solum ficta, ob contrariam intentionem non se obligandi , & ideo non sequitur ex illa volitio consequentis,nempé obligationis;& ratio omnium horum est, quam suprá iam tetigimus , nam promissio est quasi lex particularis , quam vnusquisque imponit sibi ; lex autem non obligat, nisi iuxta intentionem legislatoris,

toris, & ideo si hic vult, quod solum obliget ad pœnam, vel ad culpam, vel graviter, vel leviter, sic obligabit, & sic idem de promissione dicendum est.

Quarta difficultas: Quænam qualitates requirantur, in promittentibus sponsalia? Resp. quód plura requiruntur in contrahentibus sponsalia. 1. quód non sint perpetuo inhabiles, ad contrahendum matrimonium de præsenti, nam cum sponsalia sint promissio futuri matrimonij, inhabilitas perpetua ad hoc ratione impedimenti dirimentis, vel quævis alia etiam ad sponsalia inhabiles reddit, quia promissio est de re illicita, quæ nulla est; si autem aliqui solum ad tempus inhabiles sunt ad matrimonium, sponsalia contrahere possunt, obligando se ad contrahendum matrimonium, tempore quo sint habiles ad illud. Vndé impuberes post septenium, validé contrahunt sponsalia, de matrimonio tempore pubertatis contrahendo. Consanguinei autem, in tertio vel quarto gradu, possunt sponsalia contrahere, sub conditione de futuro, quod obtineatur dispensatio; nam impedimentum præsens, solum obstat matrimonio de præsenti, non verò illius promissioni de futuro.

Secundó, requiritur in vtroque contrahente sponsalia, ætas septenij; sic statuitur á iure civili & canonico, cuius D. T. hic art. 2. rationem assignat ex eo, quod cum sponsalia sint promissio futuri matrimonij, requirunt in promittentibus aliquam providentiam circa futurum, quæ vsum rationis exigit; vndé promittentes ante vsum rationis, licet septenium compleverint, invalidé sponsalia contraherent, quia ante vsum rationis, nequit dari vera promissio. Dices 1. matrimonium nequit contrahi, ante quartumdecimum annum in viro, & duodecimum in fœmina: ergo nec sponsalia quæ sunt ad matrimonium via. 2. quia ius civile, nullum tempus assignat pro sponsalibus, dicitur enim leg. in sponsalibus, quod in eis ætas contrahentium, diffinita non est sicut in Matrimonio. 3. pro matrimonio contrahendo, diversæ assignantur ætates: ergo etiam pro sponsalibus.

Resp. ad 1. quód Matrimonium, est vinculum omnino indissolubile, & sic maturiorem exigit deliberationem; sponsalia verò, non sunt contractus indissolubiles, & ideo licet sint via ad matrimonium, sufficit pro illis ætas septenij. Vel 2. dicatur: quód contrahentes matrimonium, debent esse habiles ad generationem, quod habet puella in duodecimo anno, & vir anno 14. sponsalia verò, solum requirunt vsum rationis ad promittendum, qui regulariter in septenio affulget, vndé patet disparitas; sic D. T. ad 3. Ad 2. dicatur cum Soto, illud intelligi, quando parentes pro filijs promittunt, tunc enim non est ætas determinata, non verò quando filij, pro se ipsis præbent consensum. Vel etiam dicitur: ætatem pro sponsalibus, non esse certo diffinitam, sicut pro matrimonio, quia non semper advenit vsus rationis ad promissionem requisitus completo septenio. Ad 3. constat solutio, ex responsione ad 1.

Sed inquires: an septenium pro sponsalibus assignatum debeat esse completum matemathicé, vel sufficiat quod sit completum moraliter, deficientibus diebus paucis? Resp. cum D. T. loco citato ad 7. sufficere quod sit moraliter completum, verba eius sunt hæc: in sponsalibus, si appropinquant contrahentes ad tempus septenij, contractus sponsalium habet robur, quia secundum Phil. 2. Physic. quod parum deest, quasi nihil deesse videtur. Quomodo autem paucitas hæc, debet computari? Ait D. T. hæc propinquitas ab quibusdam determinatur tempus sex mensium, sed meliús est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam, magis acceleratur vsus rationis, quam in alijs.

Dices: professio facta, ante sextum decimum annum matemathicé completum est nulla, & si pauci diesdefint, & idem est de testamento facto, ante quartumdecimum annum: ergo idem de septenio respectu sponsalium est dicendum. Resp. quód est disparitas, nam professio religiosa, constituit vinculum indissolubile, & est status perfectus, & ideo petit maturam ætatem & cognitionem, & idem proportionaliter de testamento, & sic ætas debet esse pro his, matemathicé completa; septenium verò pro sponsalibus, præcipué requiritur pro vsu rationis stabiliendo, quod potest aliquot diebus ante septenium affulgere, & alias status nec contractus, non est ita perfectus, ideoque sufficit septenium moraliter completum, pro sponsalibus contrahendis. *Si dicas*: Matrimonium contractum ante ætatem á iure statutam matemathicé completam, nullum est: ergo idem de sponsalibus est dicendum. Resp. quód matrimonium ita contractum, iniuriam irrogaret personæ & Sacramento, sicut qui ordines sacros susciperet, ante ætatem á iure statutam; in sponsalibus autem contractis, ætate solum moraliter completa, nulla fit Sacramento iniuria, quia sponsalia Sacramentum non sunt, nec fit iniuria legi, quia supponimus, adesse sufficientem vsum rationis.

Quid autem dicendum, quando malitia supplet ætatem? Resp. quód tunc sponsalia, possunt contrahi ante septenium, ita Diana, Sanchez, Dicastillo, Cornejo, Coninch, & Salmant. Constat ex l. in sponsalibus, vbi dicitur: Satis esse sponsos quid agant intelligere, quod quidem fit, malitia ætatem supplente. Ratio autem est: nam ad valorem matrimonij, non requiritur virum cõpleviſſe, annum 14. nec fœminam, annum 12. si malitia supplet ætatem, & alias habent perfectam & plenam notitiam, de his ad quæ obligantur, vt dicitur in cap. iuvenis de sponsalibus: ergo idem de sponsalibus dicendum est. Conseq. pat. quia perfectior

est

est contractus matrimonij, quam sponsalium, & sic quod sufficit ad illum, potiori iure sufficiet ad istum.

Dices: in foro contentioso, sponsalia ante septenium contracta sunt nulla, vt dicitur cap. litteris ergo etiam in foro conscientiæ nulla sunt, quia idem est ferendum iudicium, de vtroque foro. R. quód externum forum, nititur præsumptioni, & ante septenium, non præsumitur vsum rationis advenisse, & ideo tunc sponsalia censentur in foro externo invalida; at in foro interno, attenditur ad obligationem, & quando malitia ætatem supplet, promittens obligatus manet, quia scit & intelligit quod promittit, cum sit vsu rationis præditus, & ideo talia sponsalia, in foro conscientiæ valida sunt; si verò dubitatur de vsu rationis, de hoc iudicatur secundum leges pro exteriori foro; si autem detur certitudo vsus rationis, tunc promittens obligatus manet.

Interrogabis: An contrahentes sponsalia, ante ætatem á iure præscriptam, mortaliter peccent? Affirmant Ledesma, Palude, Cornejo, & alij. Sed oppositum est verius, & tenendum cum Salmantic. Diana, Sanchez, Villalobos, Becano, Palao, & Aversa. Ratio est: quia contrahentes ante septenium, carent vsu rationis, & sic mortaliter peccare non possunt; nec etiam peccant consulentes aut inducentes, quia nulla datur lex, prohibens illa sponsalia, quæ vel invalida sunt, vel facile rescindi possunt; nec Sacramentum recipitur cui irreverentia fiat, nec alicui personæ iniuria fit. *Oppones*: quód in cap. 2. de desponsat. impuber. dicitur: quód nulli coniungantur, ante ætatem á lege & canonibus præscriptam, & sic per illa sponsalia frangitur lex. Resp. sermonem esse de matrimonio, quia ibi loquitur de coniunctione contrahentium, non verò de sponsalibus, quæ coniunctio non sunt, sed præparatio ad illam. Vndé contrahentes, vel inducentes ad matrimonium ante legitimam ætatem, mortaliter peccant, nisi malitia ætatem suppleat, vt ex eodem textu constat, dicitur enim, quod vrgentissima necessitate interveniente, talis coniunctio toleretur, de sponsalibus autem ibi mentio non fit.

Inquires adhuc: an si Parentes promittant pro filijs ante legitimam eorum ætatem, illa sponsalia sint valida? Suppono, Parentes posse pro filijs promittere, vel ob pacem, vel ob alias causas; sic decernitur in iure, vt dicunt Silvester, & Ledesma, filius enim est aliquid patris, & sic pater potest pro filio non habente sufficientem ætatem promittere, & ipse tenetur implere promissum, & filium monere de impletione. Resp. ergo: quód dicta sponsalia vt sint valida, pendent á consensu filiorum, & sic quando isti perveniunt ad vsum rationis, possunt reclamare á promissione facta á parentibus; ita Ledesma; & ratio est: quia obligatio contractus, pendet á voluntate contrahentis. Vndé sicut si pater promittit religionem pro filio, iste non tenetur ingredi, sed potest pro sua libertate, alium statum assumere, idem proportionaliter de promissione sponsalium, facta á parentibus pro filijs, dicendum est.

Si dicas: quód filij pendent á voluntate Patris, & sic tenentur implere promissum factum á Patre. Resp. quód antec. est verum, in his in quibus sunt vnum cum Patre, non verò in his quæ pertinent ad personam filiorum, præcipué quoad statum eligendum, quia in hoc á Patris voluntate non pendent. Dices: puer baptizatus ante vsum rationis, tenetur postea cum ad vsum rationis pervenerit, stare voluntati parentum, ratione cuius ei Baptismus collatus fuit: ergo idem dicendum, de sponsalibus á parentibus promissis. Resp. quód homo obligatur ad Baptismum, ratione divini præcepti, & ille, in maximam eius vtilitatem cedit, & ideo cum adoleverit, tenetur servare promissa ab alio pro eo in Baptismo; sponsalia verò nec matrimonium, sub præcepto non obligant, nec cedunt in hominis vtilitatem, sed potius in onus, & ideo si celebrentur á patre sponsalia pro filio, ante huius septenium, potest iste si velit, adveniente vsu rationis ab eis resilire.

Quinta difficultas: Quænam oriatur obligatio, ex contractu sponsalitio? Resp. quód ex contractu sponsalium, oritur obligatio sub mortali, ad matrimonium contrahendum. Ratio est: quia obligatio talis contractus, est ex iustitia, & in materia gravi, & sic eius impletio, sub mortali obligat. Explicatur: hæc est differentia, inter promissionem simplicem, & mutuam quæ dicitur stipulatio, quod prima, nõ inducit obligationem gravem, bené verò secunda; sed huiusmodi est promissio sponsalium: ergo sub mortali obligat eius impletio. Vndé ait D.T. hic, art. 1. ad 2. quod ex tali promissione, obligatur vnus alteri, ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat; ex quo patet, quod pœnitens debet cogi negando ei absolutionem, si vult sine iusta causa á spõsalibus resilire, quia est in statu peccati mortalis.

Dices: sponsus de futuro, potest contrahere matrimonium cum alia: ergo non est obligatus ad contrahendum cum priori. Resp. quód potest cum alia contrahere validé, non verò licité. Nec obstat lex 1. cap. de sponsalibus, nam vel illa est abrogata, vel loquitur de dissolutione sponsalium, mutuo contrahentium consensu, quo posito, sponsalia possunt etiam licité cum alia celebrari. *Si dicas*: etiam sine mutuo consensu relaxante sponsalia priora, possunt contrahi cum alia, vt si sponsus fuerit valdé nobilis, & sponsa humilis. Resp. quód si vir sciens inæqualitatem sponsæ contraxit, tenetur ad standum promissis, quia erat dominus rei

pro-

promissæ, & censetur excessum donare, & cedere iuri suo; quod intelligitur, nisi grave damnum vel scandala timeantur, tunc enim illicitum est matrimonium, sed debet sponsæ resarciri damnum, quia difficiliter æquales nuptias inveniet.

Sed rogabis: An si promittentes sponsalia, solum sub veniali obligari volunt, teneantur sub mortali ad standum promissis? Negativa pars est verior, quam tenent Sanchez, & Salmantic. Ratio est: quia promissio sponsalium, est lex particularis quam promittens sibi imponit, & sic solum obligat iuxta beneplacitum promittentis, vt suprá vidimus; eo fere modo, quo emmitens votum cum intentione leviter se obligandi, solum obligatur ad veniale, quia hæc est lex privata, pendens á voluntate voventis. Nec obstat: quód votum est veré tale, licet solum obliget in materia levi, & sic idem de sponsalibus est dicendum. Resp. enim, quod est disparitas, nam sponsalia faciunt licita oscula & amplexus inter sponsos, secluso periculo pollutionis, quæ nequeunt esse licita, vbi non datur gravis obligatio, & ideo in casu dicto, non dantur vera sponsalia, & huius contrarium contingit in voto, cuius effectus si est de re levi, obligationem gravem non inferunt.

Inquires: Quo tempore teneantur contrahere matrimonium, promittentes sponsalia? Notandum quod si quando contrahuntur sponsalia fuit assignatum tempus pro matrimonio contrahendo, v.gr. vnus mensis, illo finito debet contrahi, nisi obstet legitima causa, dubium est, quando nullum tempus fuit assignatum, quo tempore debeat matrimonium contrahi? Resp. quód non debet contrahi statim, sed quam primum commodé possit. Ratio est: quia hoc est commune omni debito, pro cuius solutione non est certa dies præfixa, tunc enim, debitor non tenetur solvere, nisi á creditore requisitus, alias enim hic tacens, videtur consentire: ergo quando nullus præfigitur certus terminus pro impletione sponsalium, solum obligat, quando alter contrahens petit, nisi hoc omittat ob timorem aut verecundiam, vt in fœminis contingere solet, tunc enim tenetur sponsus implere, quam primum commodé possit, etiam sponsa non petente.

Dices: votum statim obligat á die qua promittitur: ergo etiam sponsalia. Resp. quód est disparitas 1. quia cum Deus per se ipsum, non petat voti adimpletionem, nec sit maior ratio pro vno tempore quam pro alio, vovens tenetur implere omni tempore, quo sibi offertur commoda ocasio; contrahentes autem sponsalia, possunt per se ipsos impletionem petere, & sic obligatio non vrget, quousque altera pars petit impletionem. 2. quia impletió voti, semper est grata Deo, & eo est gratior, quo citior; celebratio autem matrimonij, non semper est gratior & vtilior contrahentibus, quo celerior, sed aliquando est vtilior vno tempore quam alio, propter circumstantias occurrentes. Nec obstat regul. 14. iuris in 6. vbi dicitur: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur; hoc enim intelligitur petente creditore; alias enim inutile foret mutuum, si á primo die obligaretur mutuatarius ad illud reddendum; ex quo patet, quod etiam dato impletionem sponsalium semper esse vtilem contrahentibus, non ideo tenerentur statim implere, vt constat ipso exemplo mutui, nam licet omni tempore sit vtilis pecuniæ solutio, non tamen mutuatarius statim obligatur solvere, nisi creditore petente.

Quæres: An in sponsalibus, possit poni obligatio ad pœnam? Resp. quód nullo modo, potest imponi pœna positiva in sponsalibus. Vocamus pœnam positivam, diminutionem possessionis aut patrimonij, vt si quis á sponsalibus resiliat, teneatur solvere mille aureos, negativam verò, ammissionem alicuius lucri, vt si quis promittit fœminæ centum si nubat secum, & non aliter. De pœna positiva certum est, illicitam esse, prohibetur enim in iure canon. cap. gemma de sponsalib. Ratio est: nam in contractu matrimonij, debet maximé attendi libertas; sed si quis metu pœnæ positivæ matrimonium contraheret, libertati contractus non consuleretur, illud enim esset coactum & involuntarium, & ex illo plura iurga & dissensiones consurgerent, & defectus educationis filiorum, quod frequenter in matrimonijs, sine voluntate contractis experitur: ergo, &c.

Dices: extranei possunt apponere pœnam, pro impletione sponsalium: ergo etiam ipsi sponsi. R. quód pœna imposita ab extraneis, non minuit libertatem contrahentium, bené verò pœna, ab ipsis contrahentibus imposita, ob rationem proximé dictam. *Si dicas*: licitum est sponsis, recipere arrhas, pro signo, quod non deficient á fide sponsalium: ergo etiam possunt sibi pœnam apponere. Resp. quód per traditionem arrharum libertas non minuitur, bené verò per pœnæ appositionẽ, vt vidimus. Sed an peccent mortaliter, qui sponsalibus pœnam apponunt? Cayet. & Sanchez negant; Salmantic. verò Aversa, & Bonacina affirmant, & hoc est verius, quia talis pœnæ appositio est contra ius in materia gravi, & sic peccatum mortale inducit.

Sed quid de pœna negativa, aut lucro non acquirendo? Dicitur: quód si á viro apponitur, est invalida, est tamen valida, si á muliere ponatur; primum habetur in l. si ita stipulatus; secundum verò diffinitur ab Alex. III. & ratio est: quia præsumitur virum, id facere causa libidinis, quæ promissio vt turpis, annullatur á iure; nisi vir sit senex, & ignobilis, & mulier nobilis & iuvenis, quia tunc, non præsumitur facere ex libidine, sed in compensationem iuventutis & nobilitatis; cum

autem fœmina promittit, censetur id facere causa dotis, & ideo tenet. Quód si ab extraneis apponatur pœna, promissio valida est, quia iudicatur apposita, vt alliciatur ad matrimonium spe lucri, quod bonum & honestum est. Excipe 1. si talis pœna apponitur in legitima, quæ est invalida, quia privatio lucri, esset proprié pœna, quæ nequit matrimonio apponi. 2. quando ille cui legatum relinquitur, non gravatur ducere, indigno aut inhoneſto modo, alias censetur invalida, quia id solum possumus, quod iure & honeste possumus.

An veró pœna positiva sponsalibus apposita, & iuramento firmata, sit ex iustitia solvenda? Resp. negativé, cum Cornejo, Sanchez, Dicastillo, Palao, & Salmantic. Ratio est: quia actus prohibitus principaliter ob vtilitatem publicam, non firmatur per iuramentum, vt dicitur cap. si dilig. de foro compet, vbi dicitur irritum esse pactum etiam iuratũ, quo Clericus sibi constituit iudicem sæculârem, quia hoc cedit in detrimentum commune status Clericorum; sed appositio pœnæ in sponsalibus, est principaliter prohibita ob bonum publicum: ergo illa per iuramentum non firmatur. Deindé constat 1. quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, & sic nequit obligare ad pœnam iure prohibitam, quæ ex natura sua mala est. 2. quia iuramentum, est accessorium promissioni, vndé si hæc est nulla, etiam iuramentum nullum erit, nam accessorium, equitur naturam principalis.

Dices 1. qui iurat solvere pecuniam ludo perdendam, tenetur solvere si perdat; & tamen ludus credita pecunia prohibitus est á leg. 8. & 9. tit. 7. lib. 8. recopil. ergo licet promissio sit nulla obligat iuramentum. 2. qui iurat solvere prætium mulieri pro vsu illicito sui corporis, tenetur implere, & tamen promissio fuit illicita. 3. qui iurat solvere vsuram pro pecunijs, ad hoc tenetur, & tamen illicitus est contractus vsurarius: ergo idem quod prius. Resp. ad 1. quód talis ludus, non est prohibitus primo & per se, ob commune bonum, sed ob vtilitatem particularem, ne aliquis inconsiderate substantiam suam dissipet, quia dispendium de rebus creditis, facile est, vndé si firmatur iuramento tenet, quia reipublicæ bono parum interest, quod bona particularia sint apud istum vel alium; appositio autem pœnæ in sponsalibus, est prohibita ob commune bonum, & ideo patet vtriusque disparitas. Ad 2. quód illa promissio solum est mala, vt inductiva ad peccatum, & ideo secundum se, bona est & obligatoria, vt prætium rei vendibilis, quod in præsenti non contingit. Ad 3. quód solutio vsurarum in eo casu, bona est, quia est actus charitatis erga se, ordinatus ad redimendam vexationem, quod non reperitur in casu nostro.

Sexta difficultas: Quot modis sponsalia dissolvantur? Multæ causæ assignantur á iure & Doctoris, pro sponsalium dissolutione, quas hic summatim proponemus, prolixam eorum discussionem authoribus remittendo. *Prima causa* dissolvendi sponsalia, est mutuus contrahentium consensus; sic D.T. hic, art. 3. ad 5. Ratio est: nam quælibet res, per easdem causas dissolvitur, per quas producitur; sed sponsalia producuntur mutuo consensu contrahentium: ergo per eundem dissolvi possunt. Nec obstat: quód in cap. ex parte de sponsalib. dicitur: quód si sponsi, se ad inbicem admittere noluerint, ne deterius indé contingat, potest patienter tolerari. Resp. quód hoc non est ita intelligendum, quia separatio in se sit mala, sed quia in aliorum opinione, est minus decorosa & honesta, & etiam ne ex opposito deterius contingat, vt ex textu constat; vndé ait D. T. ibi, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne peius eveniat, quam quia hoc sit de iure.

Sed notandum: quód ad dissolvenda sponsalia, vtraque pars libere & spontanee, debet obligationem remmitere; nam si aliqua dolo, vi, metu aut precibus, remissionem alterius extorqueat, ab obligatione non liberatur, quia tunc non intercedit liber vtriusque consensus. Similiter, quando vna pars requirit aliam ad contrahendum & hæc recusat, ista mortaliter peccat, & requirens libera manet vt alteri nubat, vel in cælibatu permaneat, quia frangenti fidem, non est servanda fides; iudicatur autem aliquem recusare, vel si dicit expresé nolle, vel si nimis differat impletionem, vltrá tempus pro matrimonio præfixum, vel etiam non præfixo, per multos annos differat, nisi iusta causa interveniat; sic Bonac. Sanch. & alij.

Quid autem dicendum, si sponsalia, fuerint iuramento firmata? Resp. quód etiam tunc, possunt mutuo consensu dissolvi; Ratio est: quia iuramentum sponsalibus adiunctum, iuxta horum conditionem iudicatur factum, & cum sponsalia ex natura sua possint mutuo consensu dissolvi, etiam hoc habent, si iuramento firmentur; Deindé, quia cum tale iuramentum, sit factum in partis commodum, semper intelligitur conditio implicita, si pars non respuat nec resiliat, & sic acceptatur á Deo; vndé sicut mutuo consensu sponsalia annullantur, etiam hoc modo cessat iuramentum, quod habetur apud D.T. 2.2. q. 89. art. 9. ad 2. & ratione dat: quia intelligitur aliquẽ solvisse promissum, quando facit secundum voluntatem illius cui promissio facta est.

Sed si iuramentum, non solum fuit factum in alterius commodum, sed in honorem Dei & causa pietatis, vt si quis iuraret, pauperem fœminam ducere, ad sucurrendum ei ob Dei amorem, etiam in hoc casu, iuramentum per mutuum consensum partium relaxatur; sic tenent Salmantic. cum pluribus. Ratio est 1. quia remisso principali, remmititur accessorium, & tunc remittuntur sponsalia quæ sunt principalis promissio, & sic etiam remmititur iuramentum, accessorium promissionis. 2

nam-

nam in illa promissione semper intelligitur conditio implicita, si altera pars non dissentiat, quia est in eius commodum, vt vidimus cum D.T. 3. quia Pater potest dispensare votum filij, & Prælatus votum subditi, quia possunt annullare materiam voti: ergo etiam sponsa potest relaxare iuramentũ cuius materia est promissio, quam ipsa potest annullare.

Oppones: Quód D.Tho. loc. proximé cit. ait: Quód iuramentum factum ex motivo pietatis, quod pertinet ad honorem Dei, nequit dissolvi ab eo cui prommititur, quia promissio non est facta ei principaliter sed Deo, quod opponitur resolutioni nostræ. Resp. D. T. loqui de promissione, quæ tantum cedit in honorem Dei, vt patet in eius exemplo, de promittente religionem intrare; si verò promissio cedit in alterius vtilitatem, vt in casu nostro contingit, licet sit facta ob amorem Dei, renitente parte non subsistit, quia ibi implicita est conditio iam dicta, de partis non resistentia; & sic D.T. ibi concludit sic: nisi forté sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur cui prommititur, vel aliquid aliud tale.

Secunda causa, dissolvendi sponsalia, est subsequens matrimonium; sic decernitur in cap. sicut de sponsalib. ratio est: nam quando concurrit duplex vinculum, & vtrumque nequit servari, fortius prævalet; vinculum autem matrimonij fortius est, quam vinculum sponsalium, & sic hæc cessant, illo superveniente; quod si matrimonium contractum invalidum sit, ob aliquod impedimentum, dirimit sponsalia ex parte illius qui non contraxit, quia alia pars, videtur cedere iuri suo, contrahendo cum alio; & quia innocens habet sufficientem causam resiliendi, ob fractionem fidei sibi datæ; sed in vtroque casu, desponsatus cum vna contrahens matrimonium cum alia, mortaliter peccaret. Dubium autem est: si sponsalia dissolverentur per sequens matrimoniũ, an hoc dissoluto per mortem vxoris, priorum sponsalium obligatio reviviscceret, & vir nubere posset cum prima sponsa, adhuc vivente & innupta?

Affirmativa pars est verior, quam defendunt Salmantic. & Goner, cum multis. Ratio est: quia in eo casu, priora sponsalia, solum manent quasi suspensa, pro eo tempore quo est impossibilis executio illorum, non autem dissolvuntur, nec iure positivo, nec iure naturæ. Non primum, quia textus qui solent in contrarium adduci, loquuntur pro tempore quo matrimonium durat, cuius vinculum, vt pote fortius, in concursu sponsalium debet persistere. Non secundum, quia ex iure naturæ, fortius vinculum superveniens, non extinguit priorem obligationem, sed eam suspendit; & constat duplici exemplo. Primúm est in vovente religionem, & postea matrimonium consumante, qui mortua vxore, tenetur religionem ingredi, quia obligatio prior non fuit extincta, sed suspensa. Secundúm: si quis promittit agrum Petro, & postea tradit Paulo, & hic rursus donanti leget in testamento, tenetur hic Petro restituere, ob eandem rationem: ergo idem dicendum in casu nostro.

Dices: si quis vovet religionem strictiorem, & laxiorem profitetur, per hoc prima obligatio extinguitur: ergo etiam per matrimonium, extinguitur omnino obligatio sponsalium priorum. Resp. quód est disparitas. Túm, quia de voto datur specialis dispositio in iure, ad succurrendum humanæ fragilitati. Túm, quia per votum simplex religionis, nullum ius acquirit religio, sed Deus tantum, & ideo nullum ius leditur religionis strictioris, profitendo in laxiori; per matrimonium autem, leditur ius prioris sponsæ, quod petit resarciri quando id possibile sit. Túm, quia professio in religione laxiori, semper durat, & sic extinguit priorem obligationem; vndé paritas procedit de matrimonio, tempore quo durat, & est impossibilis executio sponsalium priorum. Nec obstat: quód obligatio semel extincta, non reviviscit; obligatio enim sponsalium priorum, non fuit extincta sed suspensa tempore durationis matrimonij, & ideo hoc impedimento sublato, iterum resurgit; sicut diximus in Quæst. de Pœnit. quod opera bona per peccatum mortificata, ablato impedimento peccati reviviscunt.

Tertia causa, dissolvendi sponsalia est, sponsalia posteriora, copula subsecuta, quia per istã posteriora sponsalia, transeunt in præsumptum matrimonium, vi cuius præcedentia sponsalia dissolvuntur, nisi certo hæc scirentur á sponsa secunda, quia tunc censetur, illam voluisse decipi voluntarié, quod præcipué est verum, vbi non est receptum Tridentinum. Sed quid vbi receptum est? Resp. quód si sponsa posterior, sit passa damnum grave, vel passura sit infamiam, nisi contrahatur matrimonium cum ea, dissolvuntur sponsalia priora, non ratione posteriorum, quia sunt nulla; nec ratione matrimonij præsumpti, quia illa copula est fornicaria, & ideo non præsumitur facta affectu maritali, sed ratione damni gravis & iniusti, posterioris sponsæ, ad quod reparandum, magis tenetur vir, quam ad implendum promissum sponsæ priori, hæc enim, nullum aliud patitur damnum, nisi non exhibitionem rei promissæ; de quo infrá in casibus, differemus fusius.

Quarta causa est, fornicatio sponsi vel sponsæ. Túm, quia in promissione licet iurata, semper intelligitur tacita conditio, nisi promittens legem promissionis frangat. Túm, quia si vir ob fornicationem, potest vxorem dimmittere, potiori iure, poterit sponsam non admittere. Nec per mutuam fornicationem vtriusque sponsi, fit delicti compensatio, sicut fit inter adulteros, quia sponsus & sponsa fornicando, non sunt in æquali delicto, quia

quia gravius est in sponsa,& maior infamia sponsi, fœminam fornicantem ducere, quam é contra; in coniugibus autem, debet attendi fides coniugalis, quæ æqualiter ab vtroque per adulterium frangitur; & idem quod dicimus de fornicatione corporea,quo ad sponsalia dissolvenda,dicendum est proportionaliter de spirituali fornicatione, per hæresim vel apostasim, hæc enim sufficiens causa est; & propter periculum peruersionis sponsi catholici; & ob damnum imminens proli futuræ ne patris,& matris hæresi inficiatur.

Sed an per oscula & tactus sponsi cum alio, sponsalia dissolvantur? Resp. quód dissolvuntur, si fiunt ex parte fœminæ,sed non si fiunt ex parte viri. Ratio primi est: quia sic sponsus præsumit se á sponsa minus amari, & probabiliter iudicat, illam fidem non servaturam; turpe est enim mulierem desponsatam,permittere se tangi,& osculari ab alio viro quasi á suo. Ratio secundi: quia ex parte viri non sunt ita indecentes illæ actiones, sicut in fœmina;nisi forté ita essent frequentes,vt sponsa probabiliter iudicaret, sponsum plus alteram amare quam sponsam; sic sentiunt Dicastillo, Sanchez, Dana, & Coninch.

Sexta difficultas: De alijs causis sponsalia dissolventibus. Præter causas dictas ad sponsalia dissolvenda,extant aliæ, quas hic seperatim,ad maiorem claritatem apponimus, quæ aliæ sunt antecedentes, aliæ supervenientes,& aliæ subsequentes. *Quo ad primum* dicimus: quód si causæ antecedentes, vt sunt morbus, paupertas vel ignobilitas, fuerint notæ parti, non sufficiunt postea,ad sponsalia dissolvenda, quia scienti & volenti nulla fit iniuria. Vndé si vir nobilis, vel dives sciens imparitatem conditionis fœminæ,ei matrimonium promittit, tenetur postea contrahere, quia est dominus sui corporis, & iudicatur cedere iuri suo circa excessum, sic tenent Aversa, Veracruz, Salmantic. & alij plures; hoc autem intelligitur, nisi inde scandala, iurgia, & rixæ familiarum sint secuturæ, tunc enim non datur obligatio,quia promissio non est de re iusta, quod etiam est verum, etsi promissio esset firmata iuramento, quia hoc, vinculum iniquitatis non est.

Dices:si quis prodige meretrici promisit magnum prætium pro copia sui corporis, non tenetur solvere, nisi id quod iustum est: ergo idem in casu nostro de promissione, quasi prodiga,inæquali facta est dicendum. Resp. quód licet prætium immodicum pro turpi opere,in promissione, quasi in radice fuerit iniustum,sed in executione iustum est & debitum,sicut etiam prætium commune pro tali opere; vndé paritas hæc, pro nobis est. Vel dicatur: quód promittens pecunias fœminæ ob opus meretricium, promittit vt prætium contractus, in quo debet dari æqualitas;at in nostro casu,traditio corporis per matrimonium, non promittitur vt prætium, sed ex liberalitate sponsi,qui est dominus sui, & potest nubere cui voluerit.

Deindé: si causæ præcedentes sponsalia,erant ignotæ parti contrahenti, si postea cognoscuntur,regulariter sunt sufficientes ad sponsalia rescindenda: quia tunc datur notabilis mutatio,quæ si cognita esset rescinderet, & idem est, ac si de novo resultaret, quia res tunc censetur fieri,quando innotescit,& idem est non esse,ac non apparere. Diximus *regulariter*, quia datur aliqua causa, quæ si superveniret,sponsalia rescinderet, & si antecedit, licet postea cognoscatur, hoc non facit, vt est fornicatio viri, quæ si fit post sponsalia,fidem frangit, & dat ius fœminæ ad resiliendum,non veró si præcedit, quia tunc fidem non frangit, nec fœminam gravi nota inurit. Excipe. si vir esset maximé huic vitio assuetus, quia tunc fœmina posset credere, se illi fidem non servaturum, & etiam si antea prolem ex alia suscepit, ob iurgia quæ communiter oriuntur, circa talis prolis sustentationem.

Si dicas: si sponsa ante sponsalia fuerit fornicata,& id postea noscitur á viro,ex parte huius sponsalia dissolvuntur: ergo etiam si é contra evenit, dissolvuntur ex parte sponsæ. Neg. conseq. quia in eo casu á vir incurreret bigamiam contrahendo cum illa,quod si forté antea cognovisset,non contraheret, quæ ratio respectu sponsæ non militat. Hoc idem dicimus, si talis mulier fuerit vidua & antea fornicata est quod postea cognoscitur á viro, quia ignominia est illi,cum muliere inhonesta matrimonium contrahere; sic sentiunt Sanchez, Palao, Leander, & Salmantic. Vndé si vir celebrat sponsalia cum vidua, quam virginem cogitat, non tenetur eam ducere: quia in communi iudicio minus æstimatur vidua quam virgo, & alias contrahendo cum illa,bigamia incurritur, & sic facta est notabilis mutatio,ratione cuius, vir potest á promissione recedere.

An veró,quando sponsa vi oppressa fornicata est, hoc sufficiat vt sponsalia dissolvantur ex parte viri? Resp. affirmativé cum Sanchez, Dicastillo,& Palao. Ratio est: quia licet mulier vi oppressa fuerit,datur tamen magna mutatio in illa circa sponsum, quia est facta vilior, & contrahere cum illa, cederet in magnum viri opprobrium. *Dices*: si sponsa de præsenti vi opprimitur,non est sufficiens causa ad divortium, quia id contingit sine culpa illius: ergo idem dicendum, de sponsa de futuro. Resp. neg. conseq. quia plus requiritur ad divortium, quam ad sponsalia dissolvenda, quia matrimonij contractus est perfectior, & eius vinculum fortius,quam vinculum sponsalium. Nec obstat: quód illa oppresio, facta est sine mulieris culpa; nam sponsalia non rescinduntur ob culpam, sed ob notabilem mutationem circa sponsam factam.

Dubitatis: An habens defectum occultum,ad sponsalia contrahenda, possit licité contrahere; & postea

postea insistere ad matrimonium contrahendum? Resp. quód si defectus occulti, non sunt iniurioſi, nec positivé nocivi alterius, sed solum minus commodi, vt si sponsa esset pauper, ignobilis, deformis vel corrupta, quæ iudicabatur dives, nobilis, pulchra & virgo, potest licité contrahere hæc occultando, & postea compellere ad matrimonium. Ratio est: quia nemo tenetur defectus suos aperire & se infamare, vt patet in adultero, qui culpam potest celare & debitum petere coniugi, qui cognito adulterio, haberet ius ad illud denegandum. Excipitur, quando mulier virum decepit, fingendo se virginem aut divitem, quia contra iustitiam agit; præcipué si timet, quod si hæc á viro cognoscantur, orientur rixæ, quia tunc ex lege charitatis erga se, tenetur hæc damna præcavere. Si verò defectus occulti, sint positivé nocivi alteri, vt morbus gallicus, paca isis, lepra, vel infamia, nequit quis licité cum his contrahere, quia nequit suum commodum quærere cum damno alterius; alias sibi imputet, quod se ad plures angustias probabiliter futuras redegerit.

Quo ad secundum, de causis supervenientibus, hæc est regula generalis: Quando advenit de novo talis causa vel mutatio, circumstantiæ aut inconvenientia, quæ notabiliter varient statum rerum, quæ si prævidererentur, non contraherentur sponsalia, cessat istorum obligatio, ex parte eius qui has causas non dedit. Ratio est: quia contrahentes, solum voluerunt, se obligare, rebus in eodem statu permanentibus, & sic notabiliter mutatis, cessat sponsalium obligatio; ita Sanchez, Henriquez, Palao, Dicastillo, Salmant. & communiter Doctores. *Si autem petis*: quomodo cognoscatur, quod si ab initio talis causa extitisset, sponsalia non fuissent contracta? Resp. quód non est credendum cuiusvis assertioni, quia aperiretur via, vt qualibet levi causa, quis á sponsalibus resiliret; hoc ergo iudicandum est, iuxta prudentum æstimationem, & notabilem mutationem rerum, iuxta quam, censetur quod si res fuerit prævisa, retraheret personas illius conditionis á matrimonio contrahendo.

Infertur ex his, quod possunt sponsalia rescindi, ob novam infirmitatem gravem & habitualem supervenientem, vel deformitatem enormem, vt est amissio oculi, manus aut auriculæ; sic tenent D. Thom. hic q. 43. art. 3. ad 3. & rationem dat, nam matrimonium inter tales, displicentiam generat, & malum effectum sortitur; & idem est de morbo gallico, oris fætore, lepra, paralisi, & alijs huiusmodi; & similiter est dicendum de sponsæ deformitate, cum antea pulchra esset, etiam si nec oculum, vel nassum ammiteret, de quibus in textu fit mentio, sed perdendo naturalem pulchritudinem quam habebat; quare licet per procuratores licité sponsalia fiant vt videbimus infrá, rectum tamen erit quando id fieri potest, vt hi qui futuri sunt sponsi aspiciantur mutuo, quod vocamus: *Ir á vistas*, ne cœco modo procedêtes, postea defectus occurrant, qui vel á sponsalibus retrahant, vel contracto matrimonio, iurgia per defectus antea non visos producant, & talibus sponsis insultetur dictum Poetæ: *Como era novio, no vió.*

Inquires: an sponsalia dissolvi possint, per advenientia impedimenta Matrimonij? Resp. quód si sunt impedimenta purè impedientia, sponsalia non dissolvunt (excipe votum castitatis & religionis) Ratio est: quia talia impedimenta, solum habent vim obstandi matrimonio, dum res est omninò integra, non verò quando præcesserunt sponsalia, quæ sunt inchoatio Matrimonij. Si verò impedimenta sunt dirimentia, sponsalia dissolvunt ex parte innocentis, qui impedimentum non apposuit, qui habet causam resiliendi, nec tenetur admittere dispensationem, obtentam ab alio.

Sed an apponens impedimentum, teneatur dispensationem impetrare, altera parte id exigente? Resp affirmativé, quia ille qui impedimentum apponit, ius partis lædit, & sic debet illud reparare modo sibi possibili; sic tenent Palaus, & Ledesma. An verò sponsalia cum tali impedimento contracta, sub conditione quod Papa dispenset, valida sint, & impedimentum publicæ honestatis inducant? Resp. quód sic, adimpleta conditione; ita tenent probabiliter Salmantic. cum pluribus. Ratio est: quia licet tempore contractus, adsit impedimentum dirimens, contractus differtur ad tempus, in quo ablato impedimento, sponsalia & eorum executio licita erunt, iuxta regulam iurisperitorum: actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile, valet pro illo. Sed nota duo 1. quód inter tales sponsos sub conditione, non sunt licita oscula & amplexus, quousque obtineatur dispensatio. 2. quód hac obtenta, novus consensus necessarius non est, nec possunt sponsi resilire nisi vrgentibus iustis causis, sufficientibus ad sponsalia rescindenda.

Quo ad tertium, de causis subsequentibus. *Prima* causa est tempus, pro quo sciendum est: quód potest pro sponsalibus præfigi tempus determinatum, vel nullus præfigi terminus; & si determinatur, vel ad solicitandam obligationem, quia nolunt obligari ante tale tempus, id est non ante sex menses, vel ad finiendam obligationem, quia nolunt obligari post illud, id est non post sex menses. Dicitur ergo: quód si pro sponsalibus, nullum præfigitur tempus, hoc elapso, ex nulla parte dissolvuntur, nisi alias nimis differatur, tunc enim dissolvuntur ex parte illius, qui non est causa moræ, non verò ex parte alterius. Sed quando censendum, interesse gravem moram, vt sit causa dissolvendi sponsalia? Variant authores; aliqui enim assignant triennium, alij vnum annum, alij dicunt iudicis sententiam expectandam; alij prudentum arbitrio relinquendum, attentis circumstantijs & personis, &

præcipuè si incontinentiæ periculum imminet. Nos verò dicimus, quod si adsit opportunitas contrahendi, & vnus sit paratus, & tacitè vel expressè alium requirat & hic renuat, iam est in mora culpabili, & censetur remmittere obligationē alterius.

Deindè si tempus determinatur ad solicitandam obligationem contractus, tempore lapso, sponsalia non rescinduntur. Ratio est: quia in tali casu, est duplex obligatio, alia implendi promissum, alia implendi tali tempore, quare tempore lapso cessat secunda, sed subsistit prima, nisi differatur nimis, quia tunc cessat ex parte eius, per quem non stat dilatio vt vidimus, & adveniente tempore statuto, censentur sponsi ad imbicem requiri, & sic in mora est ille, per quē stat talis dilatio, licet hæc requisita tur maior quando est inculpabilis, ac si culpabilis sit. Demùm, si assignetur tempus ad terminandam obligationem, illo præterito sponsalia dissolvuntur, ex parte eius per quem stat adimpletio, quia in contractu, fuit posita conditio de exequendo tali tempore, & sic hoc finito, cessat obligatio, ex parte eius per quem dilatio non stat, non verò ex parte alterius qui fuit in mora; sic D. Tho. hic, q. 43. art. 3. ad 2. & in 4. dist. 27. q. 2. art 3. ad 2.

Secunda causa, ob quam sponsalia dissolvuntur, est discessus sponsi in regionem longinquam, vel domicilium transferendo in aliam civitatem, licet habeat animum redeundi. Constat ex cap. de illis, §. de sponsalib. quod verum est, licet hæc, iuramento firmentur. Ratio est: quia in eo casu, censetur sponsus renuntiare iuri suo, nec sponsa illum sequi tenetur (quicquid sit de sponsa de præsenti, de quo alibi) nec debet illum expectare, nisi absens fuerit de sponsæ licentia, quod si tempus assignavit, & non rediit illo transacto, poterit sponsa, ad alia sponsalia transire; si verò tempus non præfixit, expectet iuxta regulas iuris. *Si dicas*: quòd in varijs textibus iuris civilis statuitur, vt sponsa per biennium, vel triennium, absentem sponsum expectet, si ex causa rationabili abest. Resp. quòd ius civile, correctum fuit per ius Canonicum, vbi expressè dicitur, quod in casu absentiæ sponsi, liberum erit mulieri, ad alia se vota transferre. & in causis matrimonij, potiùs standum est iuri Canonico, nam cum Matrimonium in lege gratiæ habeat rationem Sacramenti, decisio contentionum circa illud, ad iudices Ecclesiasticos pertinet, vt ait Trident. Sess. 24. Can. 12. *Dices*: cur in hoc discordat vtrumque ius? Resp. quòd ius Canonicum intendit, vitare periculum incontinentiæ, quod sponsæ imminet, diutiùs expectando; ius verò civile, solum intendit in contractibus vtilitatem publicam, & damnum spirituale contrahentium non attendit.

Octava difficultas: Quando per ingressum religionis, aut votum simplex castitatis, dissolvantur sponsalia? Supponimus, sponsalia per se dissolvi per ingressum religionis. Constat nam in cap. ex publico de conv. coniug. dicitur, quod matrimonium ratum non consummatum, dissolvitur per religionis ingressum: ergo etiam dissolvuntur sponsalia, quorum vinculum minus est. Dicitur sponsalia dissolvi *per se*, nam per accidens, aliquando non dissolvuntur, sed debet quis religionem deserere, & matrimonium contrahere, vel ad legitimandos filios, quos fortè ante habuit, vel vt consulat famæ mulieris, cum qua familiariter egit, & aliquando etiam tenetur matrimonium consumare, & in eo vivere, vt si rem habuit cum fœmina virgine, vel vidua honestæ famæ, sub spe futuri matrimonij; sic sentiunt Lessius, Coninch, Bonacina, & Salmantic.

An verò, si sponsalia fuerint iuramento firmata, possit quis licitè religionem ingredi, & per ingressum dissolvantur? Verior sententia affirmat, quam tenent Palao, Sanchez, Dicastillo, & alij plures. Ratio est: quia iuramentum, sequitur conditionem principalis contractus cui adhæret, vt habetur, cap. quemadmodum, de iure iurand. sed sponsalia tunc censentur contracta sub hac conditione, nisi meliorem statum elegero: ergo similiter iuramentum cadens suprà illa, sic censetur emmissum. Nec obstat, quod in cap. comissum de sponsalib. dicitur: quòd tunc tutius est, religionem iuramenti servare, & prius contrahere, & postea ad religionem migrare. Dicitur enim, ibi loqui de eo qui non habuit voluntatem determinatam ingrediendi religionem, & alias vrget religio iuramenti, tunc enim tutius est contrahere, & ante consummationem religionem ingredi. Vel fortè loquitur textus, de eo quod communiter accidit, nam sponsalibus contractis, datur magna familiaritas, oscula & amplexus, ad quæ vitanda, & vt sponsæ famæ consulatur, melius est matrimonium contrahere, & eo non consummato religionem intrare.

Maior difficultas est: an per solum ingressum religionis, dissolvantur sponsalia, vel ad hunc effectum, professio expectari debeat? Aliqui cum Durando, & Covarruvias dicunt, quod sicut matrimonium ratum, non per solum religionis ingressum, sed per professionem dissolvitur, idipsum habent sponsalia. Alij asserunt, quod per solum ingressum professione non expectata, vterque sponsus, manet á sponsalibus liber, sic Sanchez, Toletus, Bonacina, & Becanus. Demùm dicunt alij, quod ex vi solius ingressus in religione, dissolvuntur sponsalia quo ad illum, qui in sæculo manet, quin professionem expectet, non autem dissolvuntur ex parte illius, qui religionem ingreditur, nisi professione secuta, & ideo si hic ad sæculum revertitur, tenetur solvere fidem sponsalium, si alia pars innupta manet & contrahere vult; modo quo per fornicationem dissolvuntur sponsalia ex parte innocentis, non verò ex parte delinquentis, vt suprà

prá vidimus; sic tenent Aversa, Henriquez, Palao, Goner, Salmant. & alij plures quos ipsi citant.

Prob. 1. pars. Tùm, quia ingrediens religionem, censetur iuri suo cedere, & obligationem alterius remittere. Tùm, quia per ingressum religionis, nimis immutatur status ingredientis, & quilibet abhorret contrahere, cum illo vel illa, qui religionem deseruerunt: ergo vno sponso religionem intrante, alter qui in sæculo manet, est liber á sponsalium obligatione. Secunda pars prob. quia sponsalia solum dissolvuntur, ex vi status religionis, quatenús per illum, redditur ingrediens ad contrahendum inhabilis, quod solum per ingressum non fit, nam si postea exit, potest sponsalium fidem servare; & vlteriús: nam sic pateret aditus fraudi, nam posset quis religionem ingredi, vt liberaretur ab obligatione contrahendi, & postea religionem deserens, posset nubere cui voluerit, quod absurdum est. *Nec obstat*, quod D. T. hic, q. 43. ait, quod sponsalia solvuntur per ingressum religionis, qui est mors spiritualis, & hæc mors, solum in professione verificatur. Dicimus enim D. T. loqui de dissolutione sponsalium ex parte vtriusque extremi, & hæc non fit, nisi per spiritualem mortem, quæ per professionem habetur.

Dices 1. obligatio sponsalium est mutua, & sic nequit remanere in vno cessando in altero. 2. Matrimonium ratum, solum per professionem dissolvitur: ergo etiam sponsalia per novitiatum, nam eodem modo se habent sponsalia ad matrimonium, sicut novitiatus ad professionem. 3 votum religionis, dissolvitur per ingressum cum bona fide permanendi in ea: ergo etiam obligatio sponsalium, quæ minus vinculum est, quam votum. Resp. ad 1. quód obligatio sponsalium, est mutua in fieri, id est quando actu celebrantur; postea verò in facto esse, potest quo ad vnum manere, & quo ad alium dissolvi. sicut accidit, muliere desponsata fornicante cum altero, tunc enim ex parte viri cessat obligatio, & non ex parte fœminæ, alias commodum ex peccato suo reportaret. Ad 2. quód paritas inter sponsalia & matrimonium ex vna parte, & novitiatum & professionem ex alia, tenet quo ad aliquid, nempé quod sicut novitiatus est dispositio ad professionem, ita sponsalia ad matrimonium, sed est alia disparitas, scilicet, quod per ingressum religionis, nullum ius acquirit religio ad retinendam personam, nec ista obligationem habet perseverandi, per sponsalia verò, acquirit ius altera pars, vt ei observetur fides data, quæ obligatio non rescinditur, nisi matrimonium, illicitum aut impossibile reddatur. Ad 3. quód emmitens votum modo dicto, facit totum quod potest, & ideo quando bona fide recedit, cessat obligatio, sed in casu nostro, potest sponsus implere promissum matrimonium, precisó ingressu religionis, quia potest recedere ab illa, & ideo per solum ingressum, non cessat obligatio sponsalium.

Sed extat aliud dubium circa hoc: an per votum ingrediendi religionem, vel etiam per castitatis votum, sponsalia dissolvantur? Certum est: quód si votum hoc antecedit sponsalia, hæc sunt irrita & nulla, quia tunc cum corpus iam sit oblatum Deo, sponsus facit promissionem rei non suæ, quæ nulla & illicita est; difficultas est, quando post sponsalia votum emmittitur. Verior sententia, quam tenent Henriquez, Salmant. & alij asserit, tale votum post sponsalia emmissum, esse validum & licitum, etsi sponsalia essent iuramento firmata, quia iuramentum, sequitur conditiones contractus cui adhæret, ideoque tale votum, sponsalia etiam iurata dissolvit, adhuc ex parte voventis. Ratio est: quia in promissione sponsaliũ, intelligitur imbibita hæc conditio: nisi meliorem statum elegero; tunc autem per votum, melior status eligitur, & Deo gratior, cui consecratur corpus per votum. Deindé, quia tale votum invalidum non est, alias postea contrahens cum illo, posset petere debitum: ergo est validum & sic sponsalia dissolvit, quia obligatio servandi castitatem & contrahendi matrimonium, sunt oppositæ. Nec obstat, quod in cap. veniens de sponsalibus dicitur, quod mulieri emmitenti votum post sponsalia, imponenda est pœnitentia. Dicitur enim, hoc esse, quia volebat post votum cum alio contrahere, & fidem datam Deo violare. Vel etiam, quia mulier de qua loquitur textus, diu distulit matrimonium, & postea votum emmisit, ne compelleretur ad illud, & ob hanc fraudem, erat pœnitentia digna.

Sed oppones: illicité & invalidé prommititur Deo, quod est promissum & debitum homini: ergo cum per sponsalia, corpus sit promissum sponso, nequit validé & licité offerri Deo. Resp. quód cum in promissione sponsalitia censeatur imbibita illa conditio: nisi meliorem statum elegero, & status castitatis melior sit, quo liberatur homo á tribulatione carnis, & sacratur Deo, ideo licité emittitur votum absque præiudicio obligationis sponsalium anteriorum. *Dices*: si quis promisit Petro vingi aureos, & postea illos largitur pauperibus, facit aliquid meliús; & tamen non satisfacit, quia dat pauperibus rem non suam: ergo idem dicendum in nostro casu. Resp. quód in promissione facta Petro, non intelligitur conditio de meliori opere faciendo, bené verò in casu nostro; & disparitas est: quia in electione status, semper censetur intellecta conditio eligendi meliorem, & gratiorem Deo, quod in alijs actionibus non reperitur.

Si inquiras: An si tale votum emmitens, rem habeat cum muliere, peccet specialiter contra castitatem? Resp. affirmativé; ratio est: nam tale votum vt vidimus, est validum & licitum, & sic qui illud frangit, speciale peccatum contra castitatem committit. *Dices*: faciens votum ingrediendi religionem, non peccat contra castitatem, etsi rem ha-

habeat cum fœmina: ergo nec in noſtro caſu. Neg. conſeq. quia votum ingrediendi religionem, non obligat ſtatim ad caſtitatem ſervandam, ſed pro tempore quo profeſsionem emmittat, & ideò ante hanc peccans, contra caſtitatem non delinquit, ſicut nec ante profeſsionem peccat contra abſtinentiam, ieiunia religionis non ſervando; votum autem caſtitatis poſt ſponſalia factum, ſtatim obligat, & ideo qui illud frangit, contra caſtitatem peccat.

Rogabis: An obtenta illius voti diſpenſatione, teneatur quis, cum prima ſponſa contrahere? Reſp. affirmativé: nam in eo caſu, conſurgit prima obligatio, ſicut ſuprá diximus de ſponſo de futuro, & poſtea de præſenti vxorato, qui mortua vxore, tenetur cum prima ſponſa contrahere, quia tunc hæc prima obligatio reviviſcit, altera extincta: ergo idem dicendum in præſenti, habita voti diſpenſatione. Nec obſtat: quód obligatio ſponſalium fuit extincta per votum, & ſic nequit iterum conſurgere. Reſp. enim, quod non fuit totaliter extincta ſed ſuſpenſa, vt recuperaret valorem tempore opportuno, & ſic reviviſcit ablato impedimento voti. Videantur dicta ſuprá, diffic. 6. §. *ſecunda cauſa*.

ARTICVLVS II.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Caſus primus, de vinculo ſponſalium. Vir quidam ſponſalia contraxit, & antequam matrimonium contraheret per verba de præſenti, á concupiſcentia tentatus, tractus & illectus, rem habuit cum aliena fœmina; quæritur: an talis copula fuerit adulterina, & idem de fœmina deſponſata, rem habente cum alieno viro? Nota, quod ſi complex delicti vxoratus eſt, non eſt dubium quod ſponſus committit adulterium ratione alterius extremi, vndé caſus loquitur, de ſponſis rem habentibus cum alijs liberis, an precisé ex vi fractionis ſponſalium committant adulterium? Reſp. negativé: quia adulterium eſt alieni thori violatio, vt ait D. T. 2. 2. q. 154. art. 8. ſed accedens ad ſponſum de futuro, non violat alienum thorum, quia ſponſi ex vi ſponſalium, non dum maritali thoro fruuntur: ergo illa culpa, non eſt adulterium.

Dices: tunc datur fractio fidei ſponſalium: ergo etiam adulterium; ſicut vxorata frangens fidem adulterium committit. Reſp. quód eſt diſparitas, nam ſponſa de præſenti rem habens cum alio, violat alienum thorum, cum vir, thori mulieris poſſeſsionem habeat, & é contra, & in hoc adulterium conſiſtit; ſponſus verò de futuro, non dum habet poſſeſsionem thori ſponſæ, & ideò licet hæc rem habeat cum alio, talis copula adulterium non eſt. Sed an filij ex illa copula procreati, dicantur ſpurij & adulterini? Reſp. negativé, quia filij adulterini, procreantur ex adulterina copula, & copula illa vt vidimus, adulterina non eſt, nec fuit inter habentes impedimentum dirimens matrimonium, ſed ſolum impediens, qualis eſſet habita ab habentibus votum ſimplex caſtitatis.

Si dicas: Quód in leg. 11. Tauri, habentur hæc: Ordenamos, que entonces ſe diga ſer los hijos naturales, quando al tiempo que nacieron, ó fueron concebidos, ſus padres juſtamente podian caſar con ſus madres ſin diſpenſacion; ſed in præſenti, parentes iam deſponſati, non poterant iuſte alteri nubere: ergo filij geniti, non ſunt naturales ſed ſpurij. Reſp. quód verbum iuſte, ſummitur pro validé, & ſic ſolum excludit á ratione filij naturalis, illum qui conceptus fuit á parentibus, qui ſine diſpenſatione, non poterant matrimonium validé contrahere & in caſu noſtro, ſponſi de futuro poſſunt validé contrahere cum alio licet non licitè, & ideo non ſunt ſpurij filij, ex illa copula cum alio procreati.

Sed dices: illa copula etſi non ſit adulterina, additne ſuprá fornicationem ſimplicem, malitiam ſpecificé diſtinctam, in confeſsione aperiendam? Reſp. quód ex parte vtriuſque ſponſi, additur talis malitia; ſic tenent Ledeſma, Dicaſtillo, Coninch, Gutierrez, Salmant. & Gonet. Ratio eſt: quia in eo caſu, frangitur fides in re gravi. Tùm, quia illa eſt ſufficiens cauſa ad ſponſalia diſſolvenda, quod ſine gravi cauſa non fit, vt ſuprá diximus. Tùm, quia ex tali culpa, ſponſa poteſt cognoſcere, eſſe aliam á ſuo ſponſo magis dilectam, quod grave detrimentum eſt. Hæc ſuadent ſatis, talem culpam eſſe veſtitam nova malitia ſpecificé diſtincta; ſed licèt demus ſolum eſſe circumſtantiam notabiliter aggravantem, ſufficeret hoc, vt deberet in confeſsione explicari iuxta dicta ſuprá, q. 5. art. 11. diffic. 4. illaque circumſtantia, reducitur ad adulterium, quia ſponſalia reducuntur ad matrimonium, quaſi via ad terminum, & ſic peccatum contra ſponſalia, ad peccatum contra matrimonium reducitur, quod adulterium eſt.

Sed argues: Habens votum religionis, ante profeſsionem peccans contra caſtitatem, malitiam ſpecialem explicandam in confeſsione in peccato non includit: ergo idem de peccante contra ſponſalia ante matrimonium, quia eadem videtur vtrobique comparatio. Reſp. neg. conſeq. quia habens votum religionis, nullam iniuriam religioni facit, quia ante profeſsionem, hæc nec in vovente, nec ad illum acquiſivit ius, quia hoc per profeſsionem acquiritur, ideoque ſpecialiter contra caſtitatem non peccat, ſed in noſtro caſu, ſponſus per ſponſalia acquiſivit ius in ſponſam, licet non in re, ſed ad rem, & ideo ſi fidem frangit, peccatum malitiæ ſpecialis committit, ratione iniuriæ quæ irrogatur ſponſæ.

Dices 1. ſponſus non acquiſivit ius ex vi ſponſalium in corpus alterius, ſiquidem poteſt cum alia contrahere matrimonium: ergo per peccatum

turpe non facit iniuriam sponsæ. 2. cedens aliquem fustibus, iniuriam facit eius fratribus, & tamen hæc non est iniuria in confessione explicanda: ergo idem dicendum in casu nostro. Resp. ad 1. quód licet sponsus, non habeat ius in re ad corpus alterius, habet tamen ius ad rem, quod ex eo patet, nam iuxta probabilem sententiam, oscula & amplexus, licita sunt inter sponsos de futuro, secluso pollutionis periculo, quod non esset si aliquod ius non accresceret per sponsalia. Undé sponsus potest contrahere cum alia matrimonium validé, sed non licité, peccaret enim ex lesione iuris alterius. Ad 2. quód in tali actione, non fit iniuria directa fratribus cæsi, sed solum indirecta, quia non intendit eos offendere, sed in nostro casu, fit sponsæ iniuria directa, quia frangitur sponsalium fides, & sic patet vtriusque disparitas.

Casus secundus, de promissione ficta sponsalium. Vir quidam violaverat virginem, quam diligebat ardenter, parsque læsa, valdé instabat ipsum vt duceret vxorem, eo prætextu, quod tempore copulæ carnalis, id promisisset; introductaque causa in Curia, fuit dubitatum in limine expeditionis, si prædicta promissio induxit sponsalia ad eum effectum, vt possit vir cogi ad matrimonium contrahendum, & negativé resolutum, eo quod promissio, facta fuit eo tempore, quo ardebat furentis libidinis æstus, & contra propriam voluntatē facta præsumitur. Quæritur: quid circa hoc sentiēdū?

Dicendum est: quód qui virginem defloravit, promissione ficta de matrimonio contrahendo, tenetur eam ducere; sic respondet D. T. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 4. vbi ait: In tali casu, sponsus tenetur eam ducere vxorem, si sunt æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis; sed si aliam duxerit, iam factus est impotens, ad solvendum illud, ad quod tenebatur, & ideo sufficit si ei de nuptijs provideri; & ad hoc etiam non tenetur vt quidam dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit, quia præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. Ratio autem est: nam in eo casu, vir copiam corporis obtinuit á fœmina, per contractum oneroſum: facio vt facias, promitto vt mihi cedas, & sic tenetur implere matrimonium contrahendo, sicut pariter in alijs contractibus onerosis contingit, cum iustitia commutativa dictet quod reddatur æquale.

Nec obstat: quód vir ad id non tenetur ex vi promissionis, quia hæc est ficta, nec ex vi damni illati, quia hoc potest aliundé resarciri. Resp. quód ratione damni illati tenetur, & hoc debet resarciri in propria specie quando adest, & non sufficit in æquivalenti, vt patet in furante equm, quo stante tenetur in propria specie domino reddere. Sed quid de habente solum oscula cum virgine, sub promissione ficta matrimonij? Dicatur: quód non tenetur implere, eo quod actiones illæ, licet sint materia gravis in se, sunt tamen levis comparativé ad defloreationem. Sed notandum est: quód in nostro casu non tenetur defloretor virginem ducere, si magna timerentur scandala; nec si illa verbis aut signis voluntarié consensit; nec quando datur magna inæqualitas conditionis, quia in contractibus, de rebus æqualibus agitur; nec quando cogitatur virgo & est corrupta, sive hoc fiat ipsa decipiente, sive viro decepto.

Quid autem dicendum, si mulier ficta promissione decepta, erat corrupta? Resp. quód vel illa erat bonæ & honestæ famæ, & æqualis conditionis cum viro, vel non? Si primúm, tenetur eam ducere, & cum illa matrimonium contrahere; sic Sanchez, & Salmant. quia magnam iniuriam ei facit, quam tenetur resarcire, vt diximus de virgine defloranre. Si secundúm, non tenetur ducere, quia famam non amittit, sed illa supponitur ammissa; & alias duci á ficto promissore, maioris æstimationis est, quam id quod ab ea accepit, sicut eadem ratione, non tenetur quis ob fidem promissionis, summam notabilem dare fœminæ pro actu meretricio. *Dices*: faciens votum fictum, non tenetur implere: ergo nec promittens matrimonium fictè, etiam viduæ honestæ famæ. Resp. quód est disparitas, quia per votum fictum, nulli fit iniuria, benè veró per promissionem fictam in casu nostro, & ideo adimpletio talis voti non obligat, benè veró adimpletio promissionis. Excipé, nisi sequatur scandalum & iurgia, quia nequit quis ex iustitia obligari, ad id quod sine peccato nequit exequi. Quód verum est, etsi promissio iuramento firmetur, quia hoc est accessorium promissioni, quod debet sequi naturam sui principalis, vt sæpé diximus.

Quando autem deflorans virginem, est nobilioris conditionis, non tenetur eam ducere, quia non datur in extremis æqualitas ad contractū requisita. An veró si fictè promisit, teneatur resarcire damnum illatum, sciente fœmina, nobiliorem conditionem viri? Negativa pars est verior, quam tenent Sanchez. & alij. Ratio est: quia tunc moraliter iudicatur, fœminam voluntarié consensisse, quia prudenter debet iudicare, se á viro decipi. Nec iste deficit in iustitia. Tùm, quia excessus conditionis eius, fœminæ integritatem in æstimatione superat. Tùm, quia tunc non decipit, sed potius mulier se decipi permittit, cognoscendo promissionem esse fictam, propter inæqualitatem viri. Undé habetur: quód hic interrogatus á iudice, potest negare promissionem, iudex enim interrogat, vt cogat ad matrimonium, ad quod non tenetur vir ob rationem dictam; sicut Clericus potest negare custodibus, se portare aliquid vt gabellam solvat, quia ad hoc non tenetur, ob status exemptionem; nec ideo á veritate deficit, quia iuxta mentem interrogantis respondet.

Nunc directé. Resp. ex his, ad casum principalem, quod ille qui ante copulam, fœminæ promisit matrimonium, censetur id cum perfecta deliberatione fecisse, quia si promittit sub conditione, peccat mortaliter, cum habeat intentionem pessimam, & non requiritur maior libertas ad promittendum, quam ad peccandum. Si verò promissio matrimonij facta fuit tempore ipsius copulæ, res dubia est; quia nullus confitetur, se dum fruerentur propria vxore vt aliena, hæc vel alia dixisse vel cogitasse; sed probabiliter, potest stari resolutioni negativæ, quæ vt ait Aloysius Riccius, in Neapolitana Curia fuit decreta, eo quod vt medici periti asserunt, copulam actualem aliqua phrenesis transiens committatur, cum amor præcipué in eo puncto, sit quædam furoris species, Platone teste in Phædo. & Iustinian. tit. quib. mod. natur. filij efficiantur legitimi, §. illud, ait: Nihil est furore amoris vehementius, de quo est omnino videndus Riccius citatus, decis. 15. & 155.

Verum iudex in his obscuris, iudicare debet secundum ea quæ regulariter contingunt; regulariter autem, ille amor de quo casus loquitur, non aufert perfectam libertatem, quia omnes agnoscunt se esse culpæ reos, dum cum fœmina rem habent, vel cum promissione matrimonij vel sine illa, & ad promissionem sponsalitiam, ea deliberatio sufficit quæ ad culpam sufficiens est, nec facile probari potest, tantæ fuisse passionis vehementiam, vt mentem & liberum iudicium absorbuerit, alias deceptionibus aperiretur via, & etiam in foro interno, darentur excusationes in peccatis, allegando passionem ingentem, quæ iudicium absorbuit & sic idem proportionaliter de promissione sponsalitia, pro casu dicto est discurrendum.

Casus tertius, de libertate promissionis sponsalitiæ. Iuvenis honestæ familiæ & fortunæ, provocavit ad turpitudinem virginem æqualis conditionis, & apud omnes opinata benè, restitit primo illa, post modum verò, repetitis suasionibus acquieuit copulæ, sub conditione, quod si gravida fieret, debebat eam accipere in vxorem; post turpe commercium mulier concipit, tumescit venter, illaque á iuvene poscit, vt sibi promissum adimpleat, at ipse delectationis iam oblitus, vt sæpé contingit, promissionem negat; accurrunt tandem fœminæ consanguinei, non spernendæ notæ, & viro minantur mortem, nisi stet promissis, & ille metu perterritus, matrimonium contrahit. Quæritur: quid sentiendum de hoc? Notandúm: quód ad sponsalia requiritur libertas physica perfecta, non quidem diuturna, sed instantanea, nam hæc eadem sufficit, ad meritum & peccatum; ratio est: quia sponsalia sunt contractus humanus, qui humano modo debet fieri, ad quod perfecta deliberatio requiritur, vt patet in quacumque promissione, voto, vel iuramento.

Vndé fit: quód nec insanus nec ebrius, tempore quo his defectibus præmuntur, non possunt sponsalia contrahere, quia libertate physica non gaudent; possunt tamen contrahere, qui habent lucida intervalla, quando sunt liberi ab amentia, & etiam qui calore iracundiæ promittit, quia cum ista, perfecta deliberatio consistit. Nec contrarium dicitur in leg. 3. vbi habetur, quod factū per iracundiam, non prius est ratum, quam perseverantia & animus apparuerit; nam ibi est sermo, de iracundia vehementi, quæ penitus rationem & libertatem absorbet, sed non de iracundia communi, vel forté loquitur de exteriori foro, in quo censetur, iracundiam perfectam libertatem auferre, in foro autem interiori, tenetur iracundus stare promissis. Deindé, requiritur ad sponsalium valorem, libertas moralis, seu immunitas á coactione & metu, qui alius est levis & alius gravis, qui comuniter vocatur cadens in virum constantem, quia etiam constantem virum conturbat.

Resp. ergo: quód contractus sponsalium, factus ex metu cadente in virum constantem, irritus est & nullus, nec vllam obligationem inducit; sic tenent Sanchez, Covarrubias, Salmantic. Bonacina, & ratio est: nam matrimonium contractum ex metu gravi, nullum est, vt omnes Doctores sentiunt, quia non est contractus modo humano perfectus: ergo idem de sponsalibus, quæ sunt via ad matrimonium dicendum est. Undé talia sponsalia irrita redduntur in cap. ex litteris de sponsalib. impuber. etsi iuramento firmentur, non solum quia opponuntur bonis moribus, sed etiam quia sunt contra communem vtilitatem, quia ex illis plura incommoda, & scandala suboriuntur.

Dices 1. quód iurans solvere vsuras, ad redimendam vexationem, tenetur servare, vt dicitur cap. debitores de iure iurand. & tamen tale iuramentum, sequitur ad metum. 2. nam D. T. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. ait: Quód in iuramento coacto, est duplex obligatio, vna qua obligatur homini cui promittit, & hæc tollitur per coactionem, nam qui vim intulit, meretur vt ei promissum non servetur; alia qua quis Deo obligatur, & hæc non non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustineri, quam iuramentum violari: ergo ratione iuramenti, tenetur quis promissionem implere in casu dicto. Resp. ad 1. quód contractus vsurarius solum prohibetur, vt nocivus particulari personæ, & ideo obligat in casu dicto, sponsalia verò ex metu facta prohibentur vt nociva bono publico, & ideo iuramentum suprá illa cadens, nullum est, quia est accessorium promissionis nullæ, & accessorium sequitur naturam principalis, vt sæpé vidimus. Ad 2. Resp. eodem modo, quod doctrina D. T. vera est, quando iuramentum cadit suprá materiā metu extortam, non verò si illa sit iure prohibita, vt sunt sponsalia ex metu facta.

Si

Si dicas: licet prohibeatur matrimonium clandestinum, vt nullum & irritum, id tamen non curit in sponsalibus clandestinis: quia in sententia probabili, sunt valida: ergo licet á iure irritetur matrimonium ex metu factum, non veró sponsalia facta ex metu. Resp. quód est disparitas: nam lex prohibens matrimonium clandestinum, est correctiva, & ideo solum extenditur, ad id quod exprimitur in ea, in Tridentin. autem non exprimuntur sponsalia clandestina, & ideo hæc non irritantur, licet irritetur matrimonium clandestinum; & vlterius: quia sponsalia clandestina, non sunt contra publicam vtilitatem sicut matrimonium, & ideo hoc irritatur & non illa; at sponsalia ex metu gravi facta, prohibentur á iure, tanquam opposita publicæ vtilitati, & ideo illa irritantur, sicut & matrimonium ex metu gravi factum. Vid. suprá dicta, art. 1. diffic. 1.

Undé resp. speciatim ad casum propositum, quod si metus incutitur iuste, sive ab alia parte, sive ab alio tertio, sponsalia non irritat, quia pars quæ ex tali metu contraxit, censenda est irrationabiliter invita, non veró si metus incutitur ex causa iniusta; sed tamen alia pars, quæ sine metu promisit, semper adimplere tenetur, licet non ratione contractus sponsalium, sed ratione promissionis liberæ ab illa emmissæ & acceptatæ ab alia parte, sive iuramento firmata fuerit, sive non. De cætero, circa valorem vel invaliditatem contractuum qui ex metu fiunt, vid. D. T. & eius commentatores, 1. 2. q. 6. art. 6.

Sed pro huius pleniori captu, iciendum est, quod cum mulier asserit, se defloratam fuisse ab hoc vel illo & firmat iuramento, & alter negat etiam cum iuramento, nec proferuntur aliæ probationes, standum non est verbis mulieris, nec á iudice, nec á consanguinei, sicut etiam de adulterio dicitur. Vndé errant iudices, qui puellæ gravidæ, dicenti se ab aliquo impregnatam fuisse, credunt facile, alio negante. Túm, quia asserenti incumbit probatio. Túm quia nullus est testis idoneus, in casu propria, nec admittitur iuramentum, sine alijs adminiculis, ad probandum interesse particulare cuiusvis, alias aperiretur fraudibus, & falsis iuramentis via, ex nimia cuiuslibet affectione ad rem propriam. Demúm, quia magis differendum est viro, quam fœminæ facili mutari, iuxta dictum glossæ: quid levius fumo? Flamen, quid flamine? Ventus, quid vento? Mulier, quid muliere? Nihil.

Casus quartus, de verbis pro sponsalium expressione. Puella nobilis, sexdecim annorum, nobili etiam adolescenti, sed inferioris fortunæ, multis verborum blandimentis inducta, hac tandem forma verborum se promisit. Ego N. promitto D. N. fidem & fidelitatem, & iuro per Sanctam Trinitatem, Sancta Evangelia, & per locum quem in Cœlis spero, me nunquam nupturam alteri, illumque accipiã, & ex nunc accipio in maritum, licet nostrum matrimonium annis non sequatur, si parentes resistant; postmodum puellæ de facto pœnituit, vissa parentum repugnantia. Quæritur: an maneat obstricta, ex contractu dicto? Notandum, quod ad inducendam sponsalium obligationem, requiritur externa promissio per verba aut signa, nam illa debet esse mutua acceptata promissio, quod nequit fieri, nisi per verba vel signa cognoscatur ab alio; & etiam promissio interior facta Deo de Matrimonio, non obligat, quia promissio Deo facta, debet esse de re meliori, vt ait D. T. 2. 2. q. 88. art. 2. & cælibatus, melius est quam matrimonium, vt ait Trident. Sess. 24. Can. 10.

Quæ autem verba, requirantur ad exprimendum consensum, & obligationem contrahendam? Resp. quód non sufficiunt quæcumque, nempé illa quæ solum exprimunt simplex propositum, vt si dicatur: propono vel habeo propositum, ducendi talem, quia hoc solum indicat, voluntatem aliquid faciendi sine obligatione; requiruntur igitur illa verba, quæ significent promissionem; vt: promitto, me obligo, sub fide mea te ducam, habe me pro infido & infami, nisi tecum contraxero. Sed quid si verba sunt negativa, nempé: non ducam aliam, nisi te & similia? Dicitur: quód faciunt sensum pure negativum, nisi alias constet de intentione promittentis, sic sentiunt Sanchez, & Bonacina; & licet aliqui oppositum asserant, quia propositio exceptiva, per vnam affirmativam exponitur; res tamen est ambigua, & standum est interpretationi promittentis, si aliundé non constat, de illius intentione.

An autem sufficiat taciturnitas, ad explicandum consensum? Resp. negativé; vndé si quis promittit fœminæ & hæc tacet, non censetur repromittere. Nec tunc tacens consentire videtur, quia hoc solum est verum, quando est in sui favorem, repromissio autem illa, non est in fœminæ favorem. Excipe 1. si ex tali repromissione, magnam vtilitatem & commodum acciperet, quia hoc in sui favorem cederet, & tunc silentium, pro consensu reputatur. 2. quando parentes in præsentia filiorum, puberum aut impuberum, pro his respondent & acceptant, ipsis tacentibus, præcipué fœminis præverecundia, sed consentiunt interius. 3. si absentibus filijs, parentes pro illis promittunt, & postea scientibus filijs, non contradicunt, sed tacent, quia censetur, parentum voluntatem ratificare. Cæteri veró præter parentes, vt sunt tutores, fratres & curatores, etsi promittant in præsentia contrahentium, non iudicatur istos promittere, si taceant & verbis non exprimant; sic tenent Sanchez, & alij.

Deindé: circa signa, illa sunt necessaria, quæ hic & nunc indicent sufficienter, internam promissionem; nam si hoc non habent, sunt quasi non essent, licet intentio adsit. Quænam autem sint huiusmodi signa? Resp. quód diversa pro diversitate

te nationum;& ideo in locis vbi consuetudo viget, vt immissio annuli in digitum, aut torquis ad collum manuum porrectio,munerum collatio,significent sponsalia, hæc signa sunt sufficientia, nisi alias, de mente contrahentium constet; vbi autem non viget talis consuetudo, non sufficiunt ad exprimendum consensum, quia ex se sunt signa indifferentia, nisi proximé inter virum & fœminam, habita sit de contrahendo confabulatio, quia tunc censetur, illa ad hunc finem ordinari; sic tenent Becanus, Coninch, Sanchez, & Dicastillus.

Sed circa rem hanc de verbis, & signis pro exprimendo consensu,sequentia notabis. 1. quæcumque signa, per se loquendo non obligant, nisi illis vsus, re vera consentiat. 2. quando primus,consensum per verba clara protulit, secundum eundem sensum debent intelligi verba sequentis, nisi sint clara in contrarium.3. iudex Ecclesiasticus,per se loquendo, debet intelligere verba,vel signa realia,iuxta communem loquendi modum,pro regionum aut Provintiarum varietate. 4. quando illa sunt pure dubia, non debet iudex pro parte valoris sponsalium proferre, sed potius pro libertate possidentis eam. Nec obstat: quód in cap. final. de sent. & re iudiciali,dicitur, quod in dubio favendum est valori matrimonij;nam ex hoc ad sponsalia, non tenet argumentatio, quia hæc, non sunt proprié causa matrimonialis, de qua ibi est sermo.

Ratio autem disparitatis vtriusque est: quia si in dubio de valore matrimonij, non pronuntiaretur pro eo, non solum fieret iniuria vni ex partibus, sicut in sponsalibus fieri potest, non stando pro eorum valore, sed emergerent gravia incommoda, ratione dotis collatæ, natæque prolis,& fieret triplex continua iniuria Sacramento,vna dissolvere id quod á parte rei est validum, alia vt dissoluto matrimonio contraheretur aliud & aliud,continua turpitudo,copulæ á parte rei illicitæ, & horum malorum nullum eveniet,licet in casu dubio, iudex pro sponsalium valore pronuntiet, vt de se patet;ideoque paritas de matrimonio ad sponsalia, non habet vim. 5. nota,quod in dubio, magis favendum est fœminis quam viris, quia illæ decipiuntur frequenter,vt experientia suadet. 6. quando puberes protulerunt verba exprimentia consensum,cum animo contrahendi, & fuit invalidé ob absentiam Parrochi & testium, non solum non contraxerunt matrimonium,sed nec sponsalia; impuberes autem, sponsalia contrahunt, vt expressé in cap. fin. de desponsi. impub. decernitur.

Resp. nunc ad casum suprá positum,cum Lessio, quod in foro interno iudicandum est iuxta intentionem illius puellæ, sed in foro externo, standum erat iuramento,litis decisivo. Si autem lis, diffinienda esset ex solis illis verbis, asseri potest & probabiliter, integram illam formulam,fuisse sponsalia: nam in dubio, melius est, vt actus valeat, quam vt pereat, & sic debet stari pro sponsalium valore. Deindé: quia iuvenis ille, vt appareret ex specie facti, cupiebat sibi obstringere arctissimé puellam,quod non seciſſet,celebrando matrimonium clandestinum; ac tandem: quia quatuor illæ clausulæ, satis sunt testes voluntatis puellæ, vt valorem sponsalium persuadeant, & forté illa nomine mariti,intellexit sponsum de futuro.

Casus quintus,de habilitate ad sponsalia. Adolescens quidam familiæ honestæ & fortunæ, desponsavit sibi fœminam virginem,familiæ aliquatenus excellentioris,& opulentioris fortunæ,parentibus inscijs,& ideo non interrogatis,quia timebatur illos consensum non daturos, at vbi ad notitiam patris fœminæ accessit eventus, non tantum summopere excanduit, sed filiam minatus est, se in testamento præteriturum, nisi á promissione & fide adolescenti data resiliret; renuit ipsa; quæritur: an id facere potuerit conscientia salva? Aliquid de hoc tetigimus, art. præcedenti, diffic.4. nunc inngimus sequentia. Communiter & per se,sunt illicita sponsalia, quæ fiunt parentibus inscijs, vt dicunt Laymanus, & Menochius, quia id honoris debent filij, & præcipué filiæ parentibus, vt istos consulant,in re tanti momenti, & sic mortaliter peccant,eos non interrogando, vt ait Sanchez, & plures;iudicant enim parentes se sperni, si ita prætereantur,& per hoc datur occasio gravium peccatorum; quare in actu ipso desponsationis,filij á parentibus assitentibus ibi facultatem postulant,ante quam consensum præbeant, vt quotidié videtur.

Sed tamen, si parentes sunt impedituri iniuste matrimonium, aut extet iusta causa,vt eis occultetur, licebit illis inscijs contractum inire,vt ait Trident.Sess.24. de reformat. quod si fuerint consulti, & consentire nolint in illud matrimonium, sed aliud suadeant prudenter, filius eis non assentiens, non ideo mortaliter peccabit, vt ait Sanchez. Ratio est: quia vt ait D.Tho.2. 2. q.104. art.5. in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Vndé non tenentur filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda; cum enim homo per matrimonium, perpetuæ servituti subijciatur, æquum est vt in hac re, sit plene iuris sui, ideoque filij communiter non tenentur stare sponsalibus, quæ parentes nomine ipsorum contraxerunt; coniungium enim,exigit perpetuam societatem & amorem, qui debet á voluntate oriri, & non ab altero imperari.

Quód si matrimonium filiorum, cessurum esset in opprobrium parentum, sponsalia his invitis facta non subsisterent, siquidem essent coniuncta cum damno tertij; sicut é contra, quando matrimonium est medium necessarium,ad rixas familiarum componendas,& inimicitias sedandas, tenentur filij iam alias parati ad matrimonium, eligere

illud

illud quod parentes suadent præ alio, nisi alias decreverint in cælibatu manere, qui status perfectior est; sic tenent Sanchez, & Layman. Ex quibus infertur: esse valida sponsalia, quæ fiunt parentibus prudenter, vel imprudenter invitis, si solum timetur levis offensa, breviter desitura, si autem timentur scandala gravia & similia, irrita sunt sponsalia, quia iustitia obstringere nequit, ad id quod sine peccato fieri non potest.

Sed dubitatur: an subsistant leges aliquorum regionum, de exheredandis filijs, qui parentibus invitis. matrimonium contrahunt? Abrogatas esse á iure Canonico, ait Sanchez cum pluribus, quibus assentior, nam leges consulunt libertati matrimonij quantum possunt, & patet ex Trident. Sess. 24. cap. 9. de reformat. vbi dicitur, esse nefarium, impedire directé vel indirectè, libertatem matrimonij; ideoque leges Canonicæ, prohibent Magistratui sæculari, potestatem ferendi leges circa matrimonium. Vndé ait Layman, quod nulla lege, aut consuetudine introduci potest, vt quoties filia nubit parentibus invitis exheredetur, licet si filij in hoc graviter delinquunt cum parentum damno & iniuria, id neri possit, vt vidimus.

An verò, possit pater negare dotem filiæ, sine eius consensu nubenti? Alij aiunt, posse id fieri, cum minori viginti quinque annis, non autem cum maiori; alij, nubenti indigno, non autem condigno, alij si filiæ non promisit dotem, alij si promisit, de quibus Sanchez latè differit, valdé benigne loquens de filijs, inscijs aut invitis parentibus contrahentibus; & re vera, huic benignitati standum censeo, vt occurratur pluribus malis, & præcipuè incuriæ parentum de filiarum collocatione, qua vissa, plures illis inscijs contrahunt, nec ideo eis dos negari debet, si æquali nubent; sunt enim parentes non pauci, qui omnissionem suam non meditantes, in filias sic ruptas invehuntur, vt prætextu hoc, eis denegent dotem, cum per potestatem Regiam quam nos vocamus: *Manifestacion*, extrahuntur á domo patris, ad matrimonium contrahendum, de quo parentes magnum duelum efformant, vel vt dicam melius, simulant aut fingunt, vt dotem non conferant, cum tamen ipsi, de facto interius gaudeant; scio enim, aliquos fuisse, talis matrimonij in occulto solicitatores, & ei in publico contradixisse, ne dotem conferant filiabus suis.

Ex his resp. casui proposito, quod fœmina illa deliquit, sponsalia invitis parentibus contrahendo, ex quibus illis, tot mala erant promanatura, nec alij deerant, cum quibus illa posset nubere decenter. Vndé talia sponsalia valida non fuerunt; vel quia non tenebatur servare fidem cum tanto malo, vel quia nequibat sine peccato gravi in parentes, matrimonium contrahere; quæ dicta de obligatione non contrahendi matrimonium parentibus inscijs, verficulis his Catuli in Epital. ingeniosè roborantur: Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est, tertia pars matri data, pars data tertia patri; tertia sola tua est, noli pugnare duobus; qui generosa iura, simul cum dote dederunt.

Casus sextus, de obligatione sponsalium. Artifex quidam iuvenis, mulieri cuidam dedit spem matrimonij, & hoc modo impetravit ab ea, corporis vsfuram, & vlterius, cum iuramento fœminæ promisit fidem, posteaque coram parentibus illius dixit, se eam libenter ducturum, cum eorum beneplacito, solemniterque coram Parrocho, cum ea sponsalia contraxit; post hæc autem resipiscens vir, tergiversatur dicendo, se non serio promisisse, vel saltim non absolutè, sed sub conditione paterni consensus, & alias se operam dedisse cum artifice suæ professionis, & non posse, ante triennium elapsum contrahere. Quæritur: an ille teneatur, & possit cogi, fœminam ducere? An possit matrimonium ad triennium differre? Et quo modo posset impediri ne aliam duceret?

Notandum ex supradictis, quod per se loquendo, contractus sponsalium obligat sub mortali, ad contrahendum matrimonium, sic habet D. Thom. in 4. dist. 27. ratio est: quia ille est contractus onerosus de re gravi, de quo art. præced. diffic. 5. si tamen pure liberaliter promittatur, non exigendo alterius partis repromissionem, probabile est solum venialiter delinqui resiliendo, vt ait Henriquez, & est communiter receptum, quia virtus veritatis & fidelitatis, probabile est solum sub veniali obligare, sicut & quilibet contractus gratuitus in genere; sed præsumitur gravis obligatio, quando coram testibus, vel etiam scripto, fides matrimonialis datur, & etiam gravis obligatio est, compensandi damna secuta, ex illa licet veniali infidelitate & inconstantia, vt ait Lessius.

Hinc fit, teneri sponsos contrahere matrimonium, tempore ab eis præscripto, nisi vna pars liberaliter dilationem permittat, quia virtus fidelitatis & iustitiæ, extendit vim suam & obligationem, ad omnes etiam minimas res, & circumstantias promissas; si verò non præscribitur tempus, tenetur quisque contrahere, quando alter pensatis circumstantijs rationabiliter petierit. Monendi tamen sunt sponsi, vt sponsalibus factis, quam primum possint matrimonium contrahant, ne sponsæ periculo stupri subiaceant, procrastinatio enim, præbet sponsis efficacem plurium turpitudinum occasionem, vt non sine fletu experitur quotidié.

Resp. ergo ad propositiones casus. Ad 1. hominem illum fuisse omnino obligatum, ad mulierem ducendam. quia hoc probant, clarissima & absoluta verba, iuramento firmata, quin obligationem minuat conditio coram parentibus posita, nam sicut donationem perfectam, conditio postea apposita non minuit, ita nec perfectam onerosam promissionem. Ad 2. fœminam non potuisse obli-

gari, ad expectandum per triennium, quia sponsus non potuit illo artifici per illud tempus obligari, cum iniuria sponsæ. Ad 3. prohiberi potuisse aliud matrimonium, si Episcopus sub anathemate vetuisset inire cum altera, Parrochis suis præcipiendo, ne illum alteri copularent.

Sed pro huius explicatione pleniori, appono casum á Lucio Papa adductum, cap. requisivit de sponsalibus. tenoris sequentis. Requisivit á nobis tua fraternitas, qua censura mulier compelli debeat, quæ iurisiurandi religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam interposito iuramento firmavit? Ad quod taliter respondemus, quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere. Iuxta hoc ergo, iudex Ecclesiasticus, audita querela, de iniqua sponsæ repudiatione, sponsum citabit, & excomunicationem intentabit, si ille sit legitima causa ad repudium destitutus, & si minis parere nolit, anathemate feriet, si spes adsit extorquendi hac ratione liberum consensum, vt limitat Pontius apud Diana, & si obstinatus hæret, illum absolvat iudex, etiam ipso non petente; alias si iudex, contumaci non cedit, erit infelix exitus, vel quia ille simulabit consensum & invalidé contrahet, vel quia etsi consentiat veré, perpetua iurgia infallibiliter subsequentur.

Quid autem confessarius agere debet, adveniente fœmina, primo cum aliquo desponsata, & postea ob alterius amorem despecta, quæ suum ius vrgere decrevit? Respondeat illi, quod hoc licet tentare, sed non multum vrgere, nam experientia compertum est, huiusmodi coactiones, exitus infelices sortiri; dicat ergo fœminæ, quod ipsa constare faciat, se non dedisse causam rehliendi, & petat vt vir, omnia damna compenset, quæ illa ob eius perfidiam contraxit, & ita illum dimmittat. Nec obstat illam iurasse, nulli alteri nupturam; nam hoc factum est in sponsi gratiam, & remissa promissione principali, etiam iuramentum accessorium remmittitur, vt sæpé vidimus. Sed quid si ille iuravit, vt eum Dœmones trucidarent, & mulier vt Sacramenta essent in ea frustranea? Nihil obest, quia solus sponsus fidei fragus, tenetur satisfacere Deo pro infidelitate illa; cum autem per fœminam non stet, vt non impleat promissum, ei non officit mutuum illud iuramentum, nam culpa caret, ille qui prohibere non potest.

Casus septimus, de sponsalibus conditionatis. Quidam iuvenis, promisit fœminæ, sibi in secundo consanguinitatis gradu conjunctæ, cum ea matrimonium contrahere, non expressa, sed subintellecta conditione dispensationis Pontificiæ, quam ille postea petijt & impetravit, sed ea obtenta, nullus vtriusque novum consensum apposuit in matrimonium de futuro, & alias fœmina, non solum denuo non consensit, sed insuper exorta sunt odia & iurgia, inter ipsam & virum, & vlterius hic, antequam accessisset dispensatio, cum alia sponsalia contraxit, quam etiam impregnavit. Quæritur: quid dicendum circa horum expeditionem? Aliquid de hoc suprá tetigimus, art. præced. diffic. 6. §. tertia causa, & dif. 7. §. Quoad secundum in fine, nunc sequentia ad praxim adiungimus, pro captu sponsalium conditionatorum.

Primó ergo, generaliter loquendo, possunt addi sponsalibus, quævis conditiones posibiles, bonis moribus non repugnantes, secus impossibiles, & repugnantes bonis moribus. Primùm patet, quia quilibet potest modum ponere rei suæ. Secundùm, quia ponens conditionem impossibilem, si loquitur serio, inepte agit, & si iocose, non contrahit. Tertiùm, quia non licet peccatum intendere, qualis esset actio, bonis moribus repugnans & his iunguntur conditiones turpes, vt ducam te si fuisti Lutherana, & si fuerint de futuro, nequeunt apponi serio, sine gravi peccato, quia earum appositio, est ad grave peccatum inductio, & de illis de futuro loquimur. An autem conditiones impossibiles, & turpes pro sponsalibus, habeantur pro non adiectis, id est: an in dubio de ioco vel seritate, præsumendum sit pro ioco, quin valori sponsalium obstent, quasi non essent expressæ, vt cum dicitur: desponsabo te mihi, si manè creveris vnum palmum.

Resp. probabilissimum esse, quod in casu dubij, habentur vt non adiectæ, sed attenta ratione, oppositum probabilius est. Prima pars constat, quia hæc est communis Theologorum & Canonistarum mens, vndé ait Escobar: ab hac receptissima sententia recedere, piaculum ducerem; secunda pars patet: Tùm, quia quando additur contractui conditio impossibilis, indicare volumus, nolle obligationem contrahere, ex leg. non solum, ff. de obligat. Tùm, quia cum homines, conditionem turpem sponsalibus addunt, solent apponere serio, & velle vt suus consensus, á tali eventu dependeat. Tùm, quia attento iure naturali, debet quis in dubio, haberi magis pro libero, quam pro obligato.

Dices: si iudex dubitat de intentione & animo, quid faciet? Resp. quód debet excutere dubium, applicando practicé illam regulam iuris: in obscuris inspici solet, quod plerumque fieri solet; communiter autem, appositiones talium conditionum, fiunt animo non contrahendi obligationem. Si dicas: an faceret rectè iudex Ecclesiasticus, si in pœnã criminis comissi, adijciendo conditionem turpem, compelleret adijcientem stare promissis, licet conditio non purificaretur, nec purificari debeat? Resp. posse legem statui, ad talem pœnam obligantem, præcipuè pro casu in quo non extat iusta causa resiliendi á sponsalibus, sed quousque talis sanciatur lex vel alia similis, non potest infligi talis pœna, quia illa minueret matrimonij libertatem.

Cir-

Circa responsionem casus concreti appositi dicimus: quód in appositione talis conditionis si Papa dispensaverit, nullum datur peccatum per se loquendo, quia talis appositio, non continet turpitudinem vllam, imó debet exprimi, vel subintelligi ab omnibus, qui cum notitia talis impedimenti, sponsionem matrimonialem faciunt; si autem impedimentum sit tale, quod in eo Papa, non nisi raro & vrgentissima causa dispensat, vt est affinitas in primo gradu, promissio sub conditione dispensationis facta, est nulla, vt ait Sanchez, quia talis conditio, censetur moraliter impossibilis; sed quando impedimentum est facile dispensabile, valent sponsalia dispensatione obtenta, quia conditio apposita, est honesta, & potens purificari regulariter, de quo agunt Salmant. tract. 9. cap. 7. punct. 4.

Nunc specialiter resp. ad casum suprá positum: quód non obstantibus prioribus sponsalibus, posteriora sunt ad instantiã mulieris impregnatæ servanda. Tùm, quia in prioribus, non fuit expressa conditio de Pontificia dispensatione, sed tantum subintellecta, & exprimi debere, declaravit Rota Romana 2. quia etsi conditio fuerit expressa, contractus esset frustra, non interveniente postea consensu novo, qui vt tradunt plurimi in decisione Rotæ fundat, debet renovari obtenta dispensatione. 3. quia etiam dato, priora sponsalia fuisse valida, nec requiri consensum novum dispensatione obtenta, secunda debent servari, iuncta cum copula, nam quando contrahunt duo, vnus de lucro acquirendo, & alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam primo.

Quartó: quia etsi prima sponsalia, asserantur fienda, supervenit tamen causa iusta resiliendi ab eis, scilicet odia inter sponsum & sponsã subsequenda, quæ gravia essent, nec possent facile reconciliari. Sed quia plures Doctores sentiunt, plus esse favendum sententiæ neganti valorem sponsalium priorum, nisi post obtentam dispensationem renovetur consensus, & ipsi dicunt, non dari in hac vel illa parte obligationem renovandi, quando secunda sponsa vterum gerit, ideo per se loquendo, nulla pars debet compelli, ad consensum renovandum, sed per accidens, debet compelli sponsus, quando priorem sponsam impregnavit; nam ex vna parte, dispensatione obtenta, licitè confirmat, quod prius promisserat, & ex altera, videtur se voluisse obligari ad standum promissis, & re vera id expedit, vt prior sponsa curet de prolis educatione, & quia charitas incipit á se ipsa, etsi vir secundam impregnasset, ignaram impregnationis, & promissionis prioris.

Casus octavus, de dissolutione sponsalium. Fœmina quædam, sponsalia contraxit, posteaque virum rogavit, vt illam á sponsione liberaret, quia nõ absolutè Matrimonium promisit, sed sub conditione materni consensus; vir autem respondit, quod illam dimmitet, sed non nisi centum aureis perceptis, & propter expensas quas fecit, & quia recessus ille, aliquam infamiam ei parturiet, & quia falsò allegatur, non fuisse promissionem absolutam. Quæritur: an potuerit vir ille sine iniustitia, aut saltim absque simoniæ labe, summam illam ob titulos allatos reposcere? Resp. virum illum, per se loquendo, non incurrisse crimen iniustitiæ, propter attactam rationem expensarum, & ignominiæ; potuit tamen hoc vitium incurrere, petendo summam notabiliter excessivam, iudicio viri prudentis, in comparatione prætensionum illius, si autem fœmina solum contraxit, dependenter á voluntate matris, iniqua fuit viri postulatio, vt pote omni iure destituta. Quo ad simoniæ crimen, potuit esse vir ab eo immunis, per se loquendo, cum per se non peccaverit vt vidimus; si verò centum aureos formaliter petijsset, vt iuri ad connubium cederet, quod res sacra & spiritualis est, dicet fortasis Barbossa, cap. gemma de sponsal. num. 8. ibi extitisse simoniam, quia est transactio super rem sacram; sed re vera nemo est, qui hanc formalitatem præcisè attendat, sed solam rationem contractus & vinculi, quæ secundum se abstrahit á ratione Sacramenti, sicut calix consecratus potest vendi, non vt consecratus, sed vt aureus vel argenteus.

Hactenus dicta, pro transactione aut satisfactione sponsalium, declarantur amplius, facto puellæ valdè inconstantis, quæ parentibus inscijs, adolescenti fidem de matrimonio dedit, postea verò noscens, parentes id ægré ferre ob imparitatem viri quo ad divitias, dissolvit sponsalia renitente viro; deindé assentiente, & alia sibi sponsalia parante, dum vult contrahere, quidam nomine primæ sponsæ & parentum nunciat ei, omnibus placere illam promissionem primam, & vir annuit, relicto opportuno coniugio. Verum paulo post pœnitent iterum fœmina & parentes de eo facto, vehementer illa resistente, & eligente potius in clausura religiosa vivere, quam nubere. Quæritur: an teneretur vir, mulierem liberam relinquere, absque vlla pecuniaria satisfactione?

Resp. virum non teneri, dimmittere liberam fœminam, priusquam re ipsa religionem esset ingressa, nec enim iustitia, nec charitas propria vel aliena, compellebant ad hoc, quod si illa serio vellet religionem intrare, debebat prius satisfacere viro, pro expensis quas fecit, ratione secundorum sponsalium iam destinatorum; sic tenet Layman, & ratio est: quia fœmina volebat ad religionem transire, inducta potius ab aversione viri, quam á religionis amore; & si illa metu censuræ religionem ingrederetur, deberet etiam á iudice compelli, vt repararet damna, quorum causa extitit viro, ob inconstantiam suam; quia vir iuste hoc exigebat, & sic fœmina ad id tenebatur, ita Sylvester verbo iu-

dex,

Iungimus casum alterum, pro sponsalium dissolutione. Fœmina corrupta ab vno, desponsatur cum alio & postea se ex primo concepisse cognoscit, vrget secundus nuptias, dubitat illa quid licitè faciat? De manifestandis defectibus, & de causis dissolvendi sponsalia, actum est art. præced. dist. 6. & 7. nunc pro casu dicimus: non potuisse fœminam illam salva iustitia, acquiescere petitioni secundi viri. Ratio est: quia tales nuptiæ, futuræ erant viro ill i incomodæ & noxiæ, propter educationem prolis, rixas & alia huiusmodi. Nec paritas est de tali vxore de futuro, ad vxorem de præsenti, quæ durante matrimonio adulterata est, & non tenetur suum scelus manifestare, licet prævideat filium adulterinum potiturum his quæ ad legitimos pertinent, nam talis adultera, non cooperatur positivè ad illa damna, sed solum negativè, tacendo quod non tenetur loqui; sed in casu nostro, maximè delinquit, dando mercem maximè defectuosam & noxiam.

De his plura dedimus, locis proximè citatis, & ideo non repetimus modo; sed pro servanda sponsalium fide hic eventus debet meditari, quem Gobatus adducit. Promisit iuvenis matrimonium cuidam puellæ; sed postea resiliens petit alteram, & parentes hoc vehementer resistunt, sed tandem in filij petitionem consentiunt, permittente priori sponsa; nuptijsque peractis, sponsus á malo genio mire & crudeliter die noctuque præmitur & vexatur, angustiando pectus, evellendo crines, tundendo latera, & impositis plagis; adhibentur remedia, nec sufficiunt. Hæc miseranda plaga, merito terrorem injecit, & metum vltionis divinæ, his qui absque causa gravi, frangunt sponsalium fidem; hoc enim solet esse alijs scandalosum nimis, & molestos scrupulos in retrocedentibus injicere solet.

Casus nonus, de iudice sponsalium. Promisit quidam Matrimonium virgini honestæ, sed postea irretitus amore alterius, negligit primam, quæ nimis irata est, quia occasione celebratorum sponsalium, fuit ab ea optimum matrimonium neglectum, quare causam suam vrget apud iudicem, vt hic viro dicat, vt vel eam ducat, vel centum aureos rependat, vel feriat excomunicatione; quo audito á viro, ait, se potius fidem servare velle, quam illam summam fœminæ tribuere; iudex autem prævidet ex coniugio promanatura mala gravia. Quæritur an licitè illam pœnam decreverit & licite fœmina vrgeat eius executionem? Resp. fœminā probabiliter iure exegisse, dum á iudice postulavit viro infligere pœnam. Ratio huius est triplex. Prima: quia hæc postulatio, videtur conformis persuasioni vsuique notorio privatarum personarum, in quarum æquivalentiam, etsi nullum fuerint damnum passæ, sponsi frangentes fidem, sunt pluries compulsi, pecuniæ summam donare. Secunda, quia fœmina illa, habuit ius petendi excomunicationis pœnam, propter fidem á viro non servatam per iniquum recessum, vt fit in alijs contractibus, vt ait Sanchez. Tertia, nam etsi plures negent, licite posse sponsam petere compensationem lucri, vel commodi temporalis, quod esset reportatura, si vir stetisset promissis, oppositum tamen est probabilius, & videtur in alijs contractibus, in quibus agitur de resarciendo lucro vel damno.

Ad id quod attinet ad iudicem, dicimus: quód si sponsus resilit ex causa iusta, nequit á iudice in foro contentioso compelli, sicut nec tenetur in conscientia stare promissis, sed in hoc foro, si resilit ex causa iniusta, debet á confessario compelli, vt promissionem adimpleat, & alias non absolvat, quia est cum conscientia peccati, fine proposito implendi promissum; & etiam quando resilientia est iniusta, dicunt aliqui, non posse iudicem compellere ad contrahendum, etsi promissio sit iuramento firmata; alij affirmant, si datur iuramentum, secus si non datur; alij dicunt, quod in vtroque casu, potest & debet iudex, etiam per excomunicationem, & incarcerationem compellere, & omnes isti, probabiliter discurrunt. Nos autem dicimus: quód si iudex prævideat, plura damna gravia sequenda fore ex tali matrimonio, vt rixæ, perculum ficti consensus, & etiam vitæ, non debet compellere nolentem, sed monere, & omnibus modis inducere, & si adhuc in sua duritie permanent, eum relinquat, licet promissio iurata sit; si verò hæc non timeantur compellere debet modis omnibus.

Prima pars constat, quia iudex solum debet compellere ad matrimonium, quando huius fini expedit; quia necessitas mediorum, ex fine desumitur; quando autem imminent incommoda relata fini matrimonij, non expedit compellere nolentem, & sic iudex, hoc facere nón debet; sed in eo casu, sponsus debet damna resarcire, & dotem augere & ad hoc debet compellere confessarius in foro pœnitentiæ, & iudex in externo foro, quod si omittant, contra iustitiam peccant. Secunda pars, quod nempé iudex, possit obligare nolentem, si talia non sequuntur damna, habetur in cap. ex litteris de sponsal. & ratio est: quia iudex Ecclesiasticus, est custos iuris; sed sponsi, habent ius ad imbicem ad contrahendum: ergo iudicis erit, obligare nolentem stare promissis; sicut idem fit, pro contractu pecuniæ & similibus.

Sed oppones, contra hanc secundam partem: iudices debent maximè consulere libertati matrimonij; sed si compellerent nolentes contrahere matrimonium, hoc non esset liberum: ergo compellere non possunt. Resp. quód matrimonium in eo casu, liberum est, non in se, sed in sua causa, nempé in promissione sponsalitia, quæ libere fuit facta, & hæc libertas, sufficit ad inducendam obligationem, de quo Theologi passim exemplis abundant;

dant; & specialiter patet in voto, ad cuius obligationem, sufficit promissio libera in causa, licet post promissionem, debeat adimpleri promissum. Dices: quód in ipso voto contrarium constat, nam nolens adimplere votum religionis, non est compellendus per iudicem: ergo idem dicendum in casu nostro. Neg. conseq. quia per votum ingrediendi religionem, nullum ius acquirit religio in promittentem, & sic nullum leditur ius non ingrediendo, vt á iudice ad ingrediendum compellatur; in nostro autem, casu leditur ius sponsæ, quæ illud acquisivit ex vi contractus sponsalitij, licet non ius in re, sed ad rem, ex quo patet disparitas. Vid. supra dicta, art. præced. diffic. 6. §. secunda causa in fine, & in hoc art. casu 1. §. sed argues.

Rogabis: quisnam iudex, debet compellere nolentem ad contrahendum? Resp. quód Ecclesiasticus & sæcularis, sed cum hac differentia, quod Ecclesiasticus semper & per se, hanc potestatem habet, sæcularis verò, solum per accidens, quando iam constat de certitudine sponsalium, nam si est dubium, ad iudicem Ecclesiasticum pertinet. Nec obstat, quod l. 7. tit. 1. p. 4. dicitur: quód compulsio hæc, debet á Sancta Ecclesia fieri; nam hoc dictum intelligitur regulariter, & quando dubitatur de sponsalium valore, aut de sufficienti causa resiliendi, tunc enim, decidere pertinet ad Ecclesiasticum iudicem, sicut etiam pertinet ad illum decisio de dubio matrimonij, ad quod sponsalia se habent tanquam via.

Dubitabis: qua auctoritate possint sponsalia dissolvi? Ad 1. dicitur: quód quilibet propria authoritate potest resilire, si advenit causa de novo irritans sponsalia de facto, ipso iure, vt est, matrimonium alterius, ingressus religionis, assumptio ad ordines sacros, aut impedimentum dirimens. Ratio est: quia tunc matrimonium est impossibile, ad quod nemo tenetur; si autem causa adveniens, ipso iure sponsalia non dissolvat, nequit quis propria authoritate resilire, ante iudicis sententiam; si autem sponsalia sunt occulta, & causa est certa moraliter, propria authoritate potest resiliere, quia Ecclesia de interioribus non iudicat; quod si publica fuerint & etiam causa resiliendi possunt contrahentes resiliere propria authoritate nisi scandalum immineat, tunc enim debet expectari sententia iudicis; & etiam in casu quo causa sit occulta, nec possit facile probari, non tenentur per se scandalo secluso, iudicem adire ad resiliendum; & si causa est dubia, iudicem debent adire, ne ob dubium, alter suo iure privetur.

Vndé iudex competens, in his casibus adeundus, est iudex Ecclesiasticus, ordinarius vel delegatus, & non iudex sæcularis, nam causa spiritualis, vt est resilientia matrimonij, non ad iudicem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum deferri debet. Dissolutis autem sponsalibus, etiam censetur relaxatum iuramentum quo firmabantur, quia hoc est promissioni accessorium, & hoc, dissoluto principali dissolvitur. *Si inquiras*: quæ certitudo causæ requiratur, ad sponsalia dissolvenda? Resp quód pro foro interiori, sufficit vnus testis, etiam non iuratus, quia forum conscientiæ, non petit tantam probationem, sicut forum externum vel civile, quia illud, solum veritatem intendit; sed pro foro externo, debet fieri probatio delicti, vt iudex, secundum allegata & probata procedat, & ideo requiruntur duo testes, in quorum ore, stet omne verbum.

Quæres: an quando sponsalia sunt iurata, sufficiat vnus testis integer? Resp. affirmativé: quia probatio famæ sufficiens est, ad sponsalia dissolvenda, licet sint iuramento firmata, sed vnus testis ocularis & iuratus qui vocatur integer, magis quam fama probat: ergo ille sufficit. *Dices*: quód in cap. licet de testibus, duo testes requiruntur, ad probandam causam matrimonij; & sic non sufficit vnus. Resp. quód ibi est sermo de matrimonio contracto de præsenti, ad cuius dissolutionem, maior probatio requiritur, quam ad sponsalia dissolvenda, quia vinculum illius fortius est, quam vinculum sponsalium, & idem est de sponsalibus iuratis, quæ maiorem firmitatem habent, quam non iurata, & ideo exigunt maiorem probationem, vt dissolvantur.

ARTICVLVS III.

De essentia Matrimonij.

Prima difficultas: In quo consistat formaliter matrimonium? Vox Matrimonium, á matre sumitur, quasi matris munus, quia matri iniungitur munus educandi prolem, vel matrem muniens, quia per matrimonium, mulier accipit virum á quo muniatur, vel matrem monens, ne deserat virum; sic D. Tho. in addit. q. 44. art. 2. in corp. Cúm autē matrimonium sit contractus viri & fœminæ, ad gignendam prolem, plura requirit ad sui integritatem, nempé viri & fœminæ mutuum consensum, externo signo manifestatum, mutuam corporum traditionem, mutuam obligationem vtriusque, ad debitum reddendum, & demum vinculum animorum vtriusque, ex illa obligatione resultans, & vtrumque ligans, vt nunquam dissolvatur, iuxta illud Pauli: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit. Rursus matrimonium, aliud est legitimum, quod fit ritè iuxta leges, quo modo etiam inter infideles, validum est in ratione contractus, & ita significat traditionem Dei animæ per gratiam; aliud est ratum, vt inter fideles in quibus etiam est Sacramentum, nec dissolvi potest, benè verò inter infideles, per conversionem vnius ad fidem, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia; aliud est consumatum, quod per copulam

carnalem,ad prolis generationem ordinatam completur, & significat vnionem Verbi cum humanitate, & vnionem Dei cum Beatis in gloria. Quæritur, in quo ejus essentia formaliter consistat?

Resp. quód matrimonium formaliter, consistit in vinculo resultante ex mutua vnione, & obligatione coniugum super corpora sua; sic D. Tho. hic, q.44. art.1. ad 1. vbi ait: Matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effectivé. Ratio est: quia in eo consistit formaliter matrimonium, quo posito ponitur & quo ablato aufertur, hæc enim est regula Philosophorum circa essentias rerum; sed hoc habet vinculum illud: ergo in eo essentia matrimonij formaliter sita est. Undé matrimonium diffinitur á Canonistis: Maris & fœminæ coniunctio;á Theologis: Viri mulierisque coniunctio maritalis, vbi explicatur vinculum illud, velut matrimonij essentia. Ex quo habetur cum D.T. quod matrimonium est in genere relationis, quæ explicatur per coniunctionem vt genus,& per maritalem vt differentiam, sed illa est relatio disquiparantiæ, cum vnus concurrat vt principium activum, & alter vt passivum, & sic est multiplex ex parte subiecti,sed vnica ex parte termini & finis, qui est prolis generatio, vt ait ibi D.T. ad 3.

Secundó prob. ab exclusione aliorum, nam in primis consensus coniugum, non est matrimonij essentia, quia ille est causa effectiva, & sic nequit esse causa formalis intrinsecé constitutiva; & vlterius: nam cessante mutuo consensu coniugum,durat matrimonium,vt effectus á sua causa distinctus. Nec valet dicere: quód cessat consensus actualis, sed remanet moraliter consensus habitualis in quo matrimonium consistit; nam licet coniuges priorem consensum retract nt, matrimonium permanet, & non manet moraliter consensus,vt pote retractatus. Quód autem matrimonium non consistat in mutuo iure coniugum, & obligatione ad debitum coniugale,constat. Túm, quia talis obligatio,cessat per coniugis adulterium,vel ingressum religionis, & tamen manet vinculum matrimonij consummati. Túm, quia inter B. Virginem,& B. Iosephum, fuit verum matrimonium,vt ait D.T. 3.p. q.29. art.2. & tamen obligatio reddendi debitum coniugale, fuit perpetuo impedita.

Sed argues: Matrimonium consistit in fieri, & non in facto esse: ergo consistit in mutuo consensu, & non in vinculo, hoc enim quid permanens est. Resp. quód licet matrimonium, quo ad suam causam efficientem,consistat in fieri, & in aliquo transeunte, nempé in mutuo consensu coniugum, sed quo ad suam quiditatem & formam, in aliquo permanenti consistit, nempé in vinculo ex consensu resultante; quia adhuc cessante consensu,matrimonium perseverat. *Dices*: quód vinculum non est sensibile,cum sit relatio quæ sensibilis non est, & sic in eo Sacramentum non consistit. Resp. quód licet ipsa relatio,non sit per se sensibilis, benè tamen ratione suæ causæ,quæ est consensus per verba; nec requiritur, quod res & Sacramentum simul,sit sensibilis per se, vt patet in contritione interiori, respectu pœnitentiæ.

Si dicas 1.quód posito consensu,ponitur matrimonium, & eo ablato aufertur. 2. quód vinculum illud,non assumitur á Deo, vt instrumentum productivum gratiæ, quia illud est relatio, quæ activa non est. Resp. ad 1. quód á positione aut ablatione consensus, pendet positio aut ablatio matrimonij, tanquam á causa & radice, non verò tanquam á forma, sicut relatio paternitatis, pendet ab actione generativa, & hæc non constituit illam formaliter. Ad 2. dicunt aliqui, quod relatio potest esse activa, non naturaliter, sed supernaturaliter.Sed hoc falsum est: nam omne instrumentum, debet habere actionem præviam, vt sit capax elevationis,quod rei non activæ non convenit,& ideo quantitas & materia prima,nequcũt elevari á Deo ad agendum. Meliús ergo dicitur: quód non semper requiritur,Sacramentum causare gratiam, per suam quidditatem & formam, & per id quod est res & Sacramentum simul, sed sufficit quod hoc faciat,per suam causam efficientem,& per id quod est Sacramentum tantum,& sic Matrimonium iam causat gratiam,ratione consensus mutui coniugum, qui est causa efficiens, & Sacramentum tantum.

Sed dubitabis: an matrimonium ex se, sit bonum & honestum? Resp. affirmativé, quod est de fide,contra hæreticos Marcionistas, Manichæos & Albigenses, quos Parens Dominicus confudit, & sic habetur in Trident. Sess. 24. Constat ex illo Paul.1. ad Cor. 7. Qui matrimoniuo iungit virginem suam benefacit, & iterum: si nupserit virgo non peccabit, & idem ait D. T. hic, q.41. art.3. Constat 1. nam B. Virgo cum B. Iosepho, verum matrimonium contraxit vt vidimus, quod non ita fuisset, si illud honestum non esset. 2. quód Deus præcepit matrimonium in hist. Gen. per illa verba: crescite & multiplicamini, Deus autem,non præcipit illicita & inhonesta,& idem patet ex commendatione nuptiarum in Cana Galilææ. 3. nam medium ad finem honestum & bonum, bonum & honestum est; sed matrimonium est medium ad propagationem naturæ, & rectam prolis educationem, quæ sunt bona & honesta,& aliam affert bonorum copiam, vt ait D. Thom. hic, q.49. art.2. ergo, &c.

Sed oppones 1. nam quod separat á Deo,inhonestum est;sed copula carnalis á Deo separat. Túm, quia Deus in Exod. præcepit, vt populus ab vxoribus abstineret, vt legem acciperet. Túm,quia in cap. vir cum propria, dicitur: Quód aqua debet lavari, qui cum vxore concubuit, si Ecclesiam intrare velit: ergo, &c. 2. nam quod honestum est, non eget excusatione; sed vt ait D.T. loc. cit. matri-

trimonium excusatur per tria bona, quæ sunt fides, proles & Sacramentum : ergo illud non est bonum. Resp. ad 1. separationem actualem, vel habitualem á Deo per amissionem gratiæ & charitatis, esse peccatum, non verò separationem per distractionem ad alia, quia alias homo dormiens, actu Deo non attendens, peccaret, quod falsum est, & hoc secundo modo, matrimonium separat á Deo. Ad 1. prob. quód ad legẽ accipiendam, requirebatur attentio actualis ad divina, & ideo indicitur ab vxoribus abstinentia. Ad 2. quód per copulam, quodamodo maculatur corpus, & ideo imponitur lavacrum aquæ, ad ingressum Ecclesiæ, & etiam quia fortè veniale peccatum intercedit, quod per aquam benedictam mundatur.

Ad 2. quód sunt aliqua bona & honesta, quæ afferunt aliqua detrimenta, ratione quorum nequeunt prudenter exerceri, nisi propter bona ex eis secuta, & huiusmodi est matrimonium, in quo sunt tria detrimenta, nempé servitus perpetua, iuxta illud Pauli: alligatus est vxori, noli quærere solutionem; voluntas absorbens mentem; & nimia solicitudo placendi vxori, educandi filios, & eis thesaurizandi, quæ compensantur per tria matrimonij bona, primum per Sacramentum, quo coniuges imbicem diliguntur, sicut Christus Ecclesiam; secundum per prolem, quæ generatur ad obsequium Dei; tertium per fidem seu fidelitatem, qua coniuges obligantur mutuo, quæ bona sunt matrimonio intrinseca, & non extrinsecus advenientia, ideoque illud, est ab intrinseco bonum & honestum; sic D.T. q. cit. art. 1.

Inquires: de matrimonij necessitate; circa quod dicendum cum D. T. hic, q. 41. art. 1. quód illud est de iure naturæ, non vt debitum vel ortum ex naturæ principijs vt est in gravi inclinatio ad centrum, sed sicut id in quod inclinat natura media cognitione, sicut actus virtutum dicuntur naturales; sicut enim natura, inclinat ad conservationem individui per cibum & potum, ita ad conservationem speciei per generationem, quod fit per Matrimonium. Nec dicas, hoc posse consequi sine matrimonio, vt patet in fornicarijs; nam natura non solum intendit esse in prole, sed etiam perfectum esse; filius autem, á parente debitè & perfectè non posset educari, nisi determinato & certos parentes haberet, ad quod requiritur obligatio ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit.

Ex hoc infert D. T. ibi, art. 2. dari præceptum matrimonij, non obligans particulares personas, sed totam rempublicam, cui incumbit obligatio procurandi filiorum procreationem, vt illa conservetur. Quód præceptum videtur á Deo impositum illis verbis: Crescite & multiplicamini, & alij dicũt esse positivum; alij verò melius asserunt, esse inditum ipso iure & lumine naturæ, ne tota species periret; & hoc præceptum non est extinctum, sed adhuc durat apud Principes vel rempublicam, cuius si excidium immineret, aliquos ad matrimonium obligaret, sed nunc nullum obligat in particulari, sed aliqui nubunt quia volunt, non quia teneantur; primi autem homines, erant obligati ad matrimonium, & etiam filij Noe, & ideo Deus vtrisque præceptum intimavit, per illa verba: crescite, &c. quia tunc paucitas hominum exigebat, vt quilibet generationi vacaret, vt ait D.T. ad 1.

Dices: si matrimonium esset de inclinatione naturæ, virginitas & cælibatus, quæ sunt illi contraria, essent mala, quod falsum est. Resp. quód cum inclinatio hominis ad matrimonium, sit rationalis, tunc solum obligat, quando recta ratio dictat, hoc esse necessarium ad conservationem speciei; vndé virginitas, non semper contrariatur matrimonio, sed solum quando ratio dictat, illud esse necessarium, ad speciei conservationem, & tunc malum esset virginitatem servare. Exemplum est, in inclinatione ad cibum, quæ quia solum est, quando ratio dictat esse necessarium ad conservationem individui, abstinentia á cibo, non semper opponitur eius sumptioni absolutè, quatenús ex inclinatione naturæ procedit.

Secunda difficultas: An Matrimonium, sit verè & propriè Sacramentum? Resp. affirmativè, quod est certum de fide, & diffinitum in Trident. Sess. 24. cap. 1. & constat ex illo Pauli, ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Nec valet dicere Apostolum ibi, Sacramentum impropriè accepisse. Non inquam valet: nam ibi est sermo de coniunctione Christi & Ecclesiæ per charitatem & gratiam, dicitur enim: sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, quod significat Sacramentum proprium, gratiæ collativum; & sic habet D. T. hic, q. 42. art. 1. & 3. *Si dicas*: Matrimonium non conferre gratiam contra concupiscentiam, imó istam auget, quia vt ait Phil. 3. Ethic. illa per operationem congruam augetur. Resp. quód matrimonium, præstat remedium concupiscentiæ, vt hæc reprimatur per gratiam, & etiã ex parte actus, faciendo quod hic turpitudine careat, & ad alias corruptelas non incitet, quia licet ex natura sua, per operationem augeatur, non verò quando ordinatur, recta ratione reprimente, sic D.T. ad 4.

Ratio etiam hoc suadet: quia Matrimonium, est signum rei sacræ, institutum á Christo, & gratiam conferens: ergo est veré & propriè Sacramentum. Ant. quo ad institutionem patet ex illis verbis Dei: crescite & multiplicamini, vbi fuit institutum in ratione contractus; sed in ratione Sacramenti, in nuptijs in Cana Galileæ, aut verius Mat. 19. dum dixit Christus: quos Deus coniunxit homo non separet; Quód verò sit signũ rei sacræ patet, quia significat vnionem Christi cum Ecclesia, humanitatis cũ

Ver-

Verbo, & coniugis cum Deo per gratiam, & cum alio coniuge, per charitatem & dilectionem; primam vnionem, significat matrimonium, vt est contractus naturalis, & alias duas, quatenús Sacramentum est.

Quód verò Matrimonium, sit signum practicum gratiæ collativum prob. quia in matrimonio, sunt plura onera, & difficultates tolerandæ, mutuo habitando, filiós procreando infirmitates, & deformitates coniugis sustinendo, &c. ergo ad has vincendas, Christus hunc contractum ad rationem Sacramẽti elevavit, vt gratiam conferret, ad hæc religiosè toleranda. Prob. conseq. nam vbi datur aliqua facultas, dantur etiam divinitus auxilia, quibus possit homo illa vti, sicut omnibus potentijs animæ, correspondent membra corporis, quibus possint in suos actus exire; sed homini per matrimonium, datur ex divina institutione, facultas vtendi vxore sua: ergo etiam ei datur gratia, vt hoc convenienter exequi possit.

Sed contra resolutionem, sunt instantiæ sequentes. 1. quia matrimonium, est commune baptizatis & non baptizatis, nam etiam datur inter infideles: ergo verum Sacramentum non est, quia ante Baptismum, nullus est Sacramenti capax. 2. quia omnia Sacramenta, debent constare rebus & verbis, materia & forma; matrimonium autem, his non constat, nec in eo possunt assignari. 3. in alijs Sacramentis, reperitur res tantum, Sacramentum tantum, & res & Sacramentum simul, quæ in matrimonio assignari non possunt. 4. quia per matrimonium, non conformatur homo passioni Christi, quæ fuit pœnalis, quia illud habet delectationem adiunctam. 5. quia Sacramenta nequeunt alterari, matrimonium autem alteratum est, quia Ecclesia, matrimonium clandestinum, quod olim erat validum, reddidit nullum. 6. quia in Matrimonio confertur pecunia, quod Simoniacum esset si conferret gratiam, alias hæc, prætio emeretur. 7. quia si matrimonium esset Sacramentum, excederet virginitatem, quæ Sacramentum non est, quod opponitur D. Paul. 1. ad Cor. 7.

Hæc autem omnia, veritatem catholicam non infringunt. Ad 1. Resp. quód matrimonium inter infideles, est proprié tale, in ratione contractus naturalis, non verò in ratione Sacramenti, propter rationem attactam in argumento. Ad 2. quód Sacramenta, non ita strictè debent constare rebus & verbis, quasi res non possint esse verba, & é contra; satis enim est, quod sit aliquid fungens vices rei, & aliud vices verbi; nam omnia illa dicuntur res, quæ habent modum determinabilem ab alio, & verba dicuntur, quæ determinant aliud; quod patet in Sacramento pœnitentiæ, vbi confessio verbalis, vt determinabilis per absolutionem Sacerdotis, dicitur res, licet in verbis consistat; & sic contingit in consensibus contrahentium in matrimonio, qui vt ad imbicem determinabiles, dicuntur res, & vt determinantes, dicuntur verba.

Ex his patet, ad id quod additur, de materia & forma matrimonij. Dico enim, quod eius materia proxima, non sunt ipsi contrahentes, nam isti non componunt Sacramentum vt patet, & sic ad summum erunt materia remota quatenús per proprios actus imbicem se traddunt, & materia proxima, sunt consensus contrahentium, expressi per verba, vel signa exteriora, quatenús habent rationem determinabilis; forma verò, sunt ipsi consensus, vt habent rationem determinantis. Sed obstat contra hoc 1. nam Concil. Flor. ait, consensus contrahentium matrimonium, esse causam efficientem illius, & sic non possunt esse forma & materia. 2. nam idem, nequit habere rationem materiæ & formæ: ergo nec consensus contrahentium, hoc habent.

Resp. ad 1. quód cum ait Concil. consensus contrahentium, esse causam effectivam matrimonij, non loquitur de Matrimonio, vt est contractus fundans Sacramentum, sed solum vt est vinculum permanens, quod producitur per contractum. Præterquam, quod id exigit natura contractus vt causa efficiens, coincidat cum materiali, vt patet exemplo servi se vendentis, qui simul est causa efficiens vt vendens, & materialis vt res vendita, & idem cum proportione dicendum, de contrahentibus matrimonium. Ad 2. quód duæ res materialiter distinctæ, possunt se imbicem mutuo determinari, per modum formæ & materiæ, vt patet in relativis, & etiam in numero binario, in quo vna vnitas, vt determinata per aliam, se habet vt materia, & vt illam determinans, se habet vt forma; consensus ergo vt habet rationem donantis, induit rationem formæ, & vt habet rationem accipientis, se habet vt materia. De quo Uid. Salmant. & Gonet, ne de re satis scita & nota, prolixum instituamus sermonem.

Ad 3. inst. principalem. Resp. quód in matrimonio, consensus contrahentium, sunt Sacramentum tantum, gratia vnitiva, est res tantum & vinculum permanens & indissolubile, est res & Sacramentum simul; sic D.T. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 5. *Dices*: si infidelis coniugatus fiat fidelis, & approbet suum matrimonium iuxta Ecclesiæ leges, tunc incipit esse Sacramentum, & in eo vinculum non est res & Sacramentũ simul, quia non causatur per Sacramentum, sed supponitur ad illud. Resp. quód in eo casu, vinculum vt est quid naturale, aut effectus causæ naturalis, nempé contractus nondum elevati ad rationem Sacramenti, istud præcedit, sed vt est elevatus, subsequitur ad illud, & hoc modo, est res & Sacramentum simul.

Ad 4. quód licet matrimonium, non conformetur passioni Christi quo ad pœnam, bené verò quantum ad charitatem qua passus est, vt sibi Ecclesiam desponsaret; sic D. Tho. hic, q. 42. art. 1. ad

ad 3. Ad 5. quód Ecclesia nequit alterare Sacramenta directé, bené veró indirecté, & hoc fecit in matrimonio, apponendo aliquas qualitates pro habilitate personarum contrahentium, quod latius explicabitur infrá, diffic. 5. agendo de matrimonio clandestino. Ad 6. quód pecunia non tradditur in matrimonio quasi prætium Sacramenti, hoc enim esset Simoniacum, sed tradditur ad facilius sustinenda matrimonij onera, quod licitum est, sicut datur pecunia pro calice consecrato, ratione materiæ, sed non ratione consecrationis. *Dices*: hoc modo, posset conferri pecunia, pro ingressu religionis, propter onera, quæ monasterium sustinet. Resp. id pro solo ingressu non licere, bené veró pro sustentatione, sicut licitum est pauperi eleemosynam recipere, & ita fieri experimur, in sanctimonialium ingressu. Ad 7. quód matrimonium est excellentius virginitate in ratione Sacramenti, non veró in ratione status, sic enim, status cælibatus, est perfectior.

Dubitabis: an Matrimonium, sit vnicum aut duplex Sacramentum? Resp. quód vnicum est in ratione contractus & Sacramenti formaliter, quamvis mutiplex sit in esse entis. Ratio est: quia est vnicum signum practicum, vnionis animæ cum Christo, & Christi cum Ecclesia, á quo Sacramenti vnitas desumitur. *Dices*: quód ibi datur duplex materia & forma, in mutuo consensu contrahentium. Resp. quód est duplex materialiter, sed formaliter vnica, quatenús eidem contractui indivisibili deservit. *Si dicas*: quomodo vnicum Sacramentum, potest in duobus recipi, & duplicem gratiam in eis causare? Resp. hoc esse proprium humani contractus, quod etiam servat, elevatus ad rationem Sacramenti, vt reperiatur inter duos, & gratiam causet in vtroque, nisi in aliquo obicem reperiat. Vndé sicut ex duabus speciebus, fit vnicum formaliter convivium in Eucharistia, ita ex duplici consensu, vnicus contractus resultat in matrimonio.

Tertia difficultas: An matrimonium inter absentes per Procuratorem celebratum, sit verum Sacramentum? Certum est: quód tale matrimonium, per Procuratores aut litteras celebratum, validum est in ratione contractus. Ratio est: quia Christus cum elevavit contractum matrimonij ad rationem Sacramenti, non immutavit naturam contractus, de cuius ratione est, quod per procuratores celebrari possit. Resp. ergo, quod matrimonium celebratum inter absentes per procuratorem, nuncium aut Epistolam, verum & validum Sacramentum est; sic tenent communiter Theologi, & prob. quia Christus instituendo matrimonium, non mutavit naturam contractus, sed illam elevavit ad rationem Sacramenti; sed tale matrimonium, verum est in ratione contractus, vt vidimus: ergo etiam in ratione Sacramenti; tunc enim datur vera materia & forma, minister & intentio, & non amplius ad Sacramentum requiritur; materia autem & forma, non sunt verba procuratoris, hæc enim sunt conditio sine qua non, relata ad exprimendum consensum principalium contrahentium.

Ex quo habetur 1. quód procurator, non est minister Sacramenti, sed instrumentum ministri, ipse veró mandans, minister est, & ideo procurator mortaliter non peccat, etsi in peccato matrimonium celebret; mandans veró, si non est in gratia, mortaliter peccat, quando scit verisimiliter, procuratorem contrahere. An veró, quando ipsi contrahentes sunt in peccato mortali, contrahendo matrimonium, duplex peccatum committant? Aliqui affirmant, & quia Sacramentum in mortali recipiunt, & quia vt ministri concurrunt; sed alij negant, quia non sunt ministri, specialiter ad id consecrati; & hoc secundú est verius, quia etiá laicus, in necessitate baptizans in mortali nõ peccat mortaliter, quia nõ est consecratus specialiter ad hoc. Habetur. 2. quód nõ requiritur diversitas sexuum, ad cõtrahendum per procuratorem, quia solum attenditur causa principalis, & non instrumentum contractus.

Dices principali rationi: Christum non ita instituisse matrimonium, vt omnes contractus naturales, ad esse matrimonij elevaverit, sed solum illos qui inter præsentes celebrantur. Contra est: quia omnes contractus, sive inter præsentes, sive inter absentes, sunt eiusdem speciei, & alias non est fundamentum in Scriptura & Patribus, ad asserendum solum eos, qui inter præsentes fiunt, esse ad rationem Sacramenti elevatos. *Si dicas*: id colligi ex Trident. Sess. 24. de reform. cap. 1. exigente contrahentium præsentiam, coram Parrocho interrogante. Resp. quód hæc interrogatio potest procuratoribus fieri, qui sunt substituti principalium, in eis moraliter præsentium, quod ad rationem Sacramenti sufficit, in quo Deus rationem contractus non immutavit, sed elevavit.

Prob. etiam de matrimonio per litteras contracto: quia alij contractus civiles, validé fiunt per litteras, aut internuntium: ergo etiam matrimonium, quia in eo, contractus non fuit mutatus sed elevatus. *Oppones*: quód ille qui litteras pro matrimonio mittit, etsi certus sit de consensu suo, sed non de acceptatione alterius, quod ad matrimonium requiritur. Resp. quód dum vnus scribit, non solum suum consensum per litteras exprimit, sed etiam ex tunc, sui corporis tradditionem explicat, & cum primum, coram Parrocho & testibus litteræ fuerint intimatæ, vult alium & eius tradditionem acceptare; vndé lectis litteris vtriusque contrahentis, matrimonium perficitur in ratione contractus & Sacramenti, quia in eo casu, litteræ succedunt loco contrahentium, quasi procuratores eorum, & matrimonium per procuratores celebratum est verum Sacramentum, vt vidimus.

Sed arguitur: alia Sacramenta, in absentia conferri nequeunt: ergo nec matrimonium, quia eadem videtur omnium ratio. Resp. quód est disparitas, nam sicut matrimonium, non requirit semper pro forma, verba proprié dicta, sed aliquando potest signis perfici loco verborum, in quo ab alijs Sacramentis differt, ita etiam potest inter absentes celebrari, licet hoc non habeant alia Sacramenta. 2. nam cum ratio contractus sit specialis pro matrimonio, sequitur naturam illius, vndé sicut contractus potest inter absentes celebrari, etiam matrimonium. *Dices*: sicut matrimonium habet rationem contractus, ita pœnitentia habet rationem actus iudicialis; sed hic nequit fieri inter absentes: ergo nec illud. Resp. quód confessio Sacramentalis est omnino personalis, quia Sacerdos debet scire hic & nunc, conscientiam & statum pœnitentis, vt eum absolvat, quod in absentia fieri nequit; matrimonium verò, servat naturam contractus, qui inter absentes validé fit, vt vidimus.

Si dicas: absenti nequit Sacerdos dicere: ego te absolvo: ergo nec dicere potest: ego vos coniugo, eadem enim præsentia videtur indicari in particula *te*, ac in particula *vos*. Resp. quód verba Sacerdotis, non sunt forma matrimonij, sicut sunt forma pœnitentiæ & aliorum Sacramentorum, ex quo patet eorum disparitas. Vel dicatur: quód cum matrimonium hoc habeat speciale præ cæteris Sacramentis, quod sit naturalis contractus, solum exigit præsentiam moralem subiecti, alia verò Sacramenta exigunt præsentiã physicã illius. Quamvis enim Deus Matrimonium elevaverit ad rationem Sacramẽti, illud tamen reliquerit immutatũ, in ratione contractus naturalis, physicam præsentiã subiecti non exposcit, sicut etiam in alijs contractibus contingit.

Dices: quia absolutio pœnitentialis non solum est iudicialis, sed etiam Sacramentalis, licet vt iudicialis conferri possit absenti, non verò vt Sacramentalis: ergo licet matrimonium, vt contractus humanus, possit fieri inter absentes, non verò vt Sacramentalis. Resp. quód licet iudicium fori externi, in quo diversi sunt accusator, testis & reus, possit esse inter absentes, non verò iudicium fori interni, vbi reus, accusator & testis idem est, & dispositionem cognitam á confessario requirit, & sic absolutio pœnitentialis, etiam vt iudicium est, nequit absenti conferri; contractui autem matrimonij, hoc non repugnat. *Si dicas*: collatio Sacramenti, est actio personalis: ergo etiam receptio, & sic matrimonium, nequit per procuratorem recipi. Resp. quód procurator, non recipit Sacramentum, sed est conditio, vt á principalibus contrahentibus recipiatur.

Sed instabis: si procurator est conditio, qua contrahentes recipiunt Sacramentum & gratiam, sequeretur quod his dormientibus, dum procuratores contrahunt, gratiam reciperent, vel etiam peccabunt, si Sacramentum in malo statu recipiũt, & vtrumque absurdum est. Resp. quód non est inconveniens, quod quis dormiens gratiam recipiat, vt patet in eo qui habuit intentionem recipiendi Baptismum, aut moriendi in defensionem fidei, tunc enim si dormiens baptizatur, aut occiditur, gratiam recipit & iustificatur; de quo egimus suprá, q. 5. art. 5. diffic. 1. Nec etiam inconveniens est, quod contrahentes per procuratorem, si sunt in malo statu, etsi dormiant mortaliter peccent, nam tenebantur se disponere, ad gratiam tunc recipiendam; vndé illi, in somno peccant mortaliter per accidens, ratione causæ culpabilis appositæ, vt dicitur de ommitente sacrum, vel se polluente in somno, de quo D.T. 2. 2. q. 154. art. 5.

Interrogabis: quæ conditiones requirantur, vt procurator nomine alterius celebret matrimonium? Resp. quód ad hoc, quinque conditiones requiruntur. 1. quód habeat speciale, & expressum mandatum, nec sufficit generale & implicitum; quia matrimonium est res gravissima, plura onera secum portans, & sic nequit in generali mandato comprehendi. 2. quód mandatum sit, ad contrahendum cum determinata persona. 3. vt mandatarius per se ipsum matrimonium ineat, quin alium substituere possit, nisi de expressa licentia mandantis. 4. quód mandatarius, non excedat mandati fines, quo ad conditiones dotis & aliorum, si enim excedit mandatum, absque potestate id facere censetur. 5. quód tempore quo matrimonium contrahitur, mandatum revocatum non sit, quia ad matrimonium requiritur consensus, qui non datur facta revocatione.

Ex his sequentia inferuntur. 1. non requiri mandatum dari Procuratori, coram Parrocho & testibus, quia hæc solemnitas, solum ponitur á Trident. ad matrimonium contrahendum, non verò ad mandatum contrahendi. Nec obstat: quód solemnitas requisita ad actum, requiritur etiam ad facultatem illum exequendi, vt patet in testamento, & facultate ad illud conficiendum; nam mandatum ad testandum, censetur testamentum, mandatum verò ad contrahendum, non censetur matrimonium, & ideo in testamento, eadem solemnitas requiritur ad actum, ac ad facultatem, non verò in matrimonio. 2. infertur: quód si quis fictè mandatum dedit, & postea ante contractum matrimonium voluntatem mutavit, illud validum est: quia verba procuratoris, solum sunt signa consensus principalis tunc existentis; licet autem consensus præteritus fuerit nullus, consensus præsens, validus est.

Tertió infertur: quód si aliquis sui compos, mandatum dedit, & postea in amentiam incidit, matrimonium per procuratorem celebratum, est validum, quia prior consensus non revocatur, sed virtua-

tualiter manet; sicut consensus Baptismi, ante amentiam habitus sufficit vt in amentia, validé illum recipiat ille qui perivit. *Dices*: quód si ipse mandans incidat in amentiam, nequit per se ipsum contrahere, licet antea voluntatem habuerit contrahendi: ergo nec contrahere potest per procuratorem. Resp. quód amens ipse nequit verba modo humano proferre, nec gesta ab illo tempore amentiæ, censentur facta modo humano, & ideo per se ipsum contrahere non potest; verba autem procuratoris, modo humano fiunt & ideo per procuratorem validé contrahitur, quod si hic, in amentiam vel ebrietatem incideret, eo tempore, nulliter matrimonium etiam nomine alterius celebraret.

Quarta difficultas: De Ministro matrimonij. Sensit Guilielmus Parisiensis, Sacerdotem verba proferentem, esse matrimonij ministrum; Catharinus verò asseruit, solum Deum esse ministrum matrimonij per modum Sacramenti, & eius formam, illa verba: propter hanc relinquet homo, &c. quæ á Deo in paradiso prolata, & á Christo confirmata, matrimonium continuo sanctificant, quin sit necesse, ab aliquo ministro proferri, nam per modum legis á Deo positæ, loquitur ad omnes contrahentes, sicut etiam lex scripta, loquitur ad omnes. Sed communis & vera Theologorum sententia est, ministrum matrimonij, non esse Sacerdotem, sed ipsos contrahentes. Constat ex Concil. Florent. vbi dicitur, Sacramentum hoc, perfici solo consensu contrahentium, & sic non requiritur minister, á contrahentibus distinctus.

Hoc idem constat ex Trident. Sess. 24. cap. 1. de reformat. vbi ait: Matrimonia clandestina, quæ absente Sacerdote celebrabantur, fuisse valida, quandiu Ecclesia non fecit ea irrita; sed hoc non esset, si Sacerdós concurreret vt minister, & eius verba vt forma, quia sine ministro & forma, non subsistit Sacramenti essentia: ergo, &c. Vndé D. T. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. ait: Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quodam Sacramentale. Idipsum constat ex praxi Ecclesiæ, iuxta quam, si aliqui contrahunt cum occulto impedimento, hoc sublato per dispensationem, opus non est, vt iterum contrahant coram Parrocho, sed sufficit vt clam contrahant, vel affectum maritalem aliquo sensibili signo exprimant, & tunc matrimonium incipit esse validum, vndé Parrochus, eius minister non est.

Deindé prob. quia Christus instituens matrimonium, nihil aliud fecit, nisi contractum naturalem & civilem, elevare ad rationem Sacramenti, & sic eosdem voluit esse ministros eius in ratione Sacramenti, ac in ratione contractus supra quam fundatur; sed contrahentes ipsi, sunt ministri matrimonij in ratione contractus, ratione mutui consensus quo se obligant: ergo etiam sunt eius ministri, in ratione Sacramenti. Ex his ruit, singulare Catharini dictum proximé relatum; nam vt vidimus, ex Florent. contrahentes sunt ministri matrimonij, & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti, licet Deus sit eius author & institutor. Deindé, falsum est quod ait, nempé verba á Deo prolata, esse Sacramenti formam; nam inter materiam & formam Sacramenti, debet esse moralis coniunctio, quæ non datur inter illa verba, & actus contrahentium, modo expressos. Nec sufficit, quod illa verba sint scripta, & fuerint semel á Deo prolata; nam hoc pro reliquis Sacramentis non sufficit, & sic nec pro Sacramento matrimonij sat erit.

Sed arguitur 1. in Concil. Colonien. dicitur, quod in Sacramento matrimonij, accedente Sacerdotali præcatione, confertur donum spiritus: ergo Sacerdos est eius minister. 2. Evaristus proximus Apostolis, Epist. 1. ad Epis. Afric. ait: Matrimonia absque Sacerdotis ministerio celebrata, esse adulteria, quia carent legitimo ministro, & Nicolaus 1. ait, de quodam matrimonio, quod si non fuerit celebratum cum benedictione Sacerdotis dissolvi debet. Resp. ad 1. quód licet benedictio Sacerdotis, non sit necessaria necessitate Sacramenti, bené verò necessitate præcepti, & illa est conditio ad gratiam conferendam; quod si aliquando Sacerdos vocatur matrimonij minister, debet intelligi quo ad solemnitatem, vel ceremoniam accidentalem, non verò quo ad Sacramenti substantiã.

Ad 2. quód Evaristus, ideo talia matrimonia vocat adulteria, quia licet essent valida, non tamen licita, quia benedictio Sacerdotis, semper fuit necessaria de præcepto, & post Tridentinum, etiam ad Sacramenti valorem necessaria est. Vel etiam dici potest, ibi sermonem esse de valore matrimonij in foro externo, ad quod plura requiruntur quam pro externo foro. Ad illud de Nicolao dicitur: illum agere de quodam matrimonio, in quo legitima vxor fuit á viro repudiata, vt duceret concubinam, allegans matrimonium fuisse nullum, quod vxor metu coacta fuerat confessa; scribit ergo Nicolaus legatis suis, vt si vir ille non probaret, secundum matrimonium fuisse more solito, coram Sacerdote benedicente celebratum, illud declararent nullum.

Deindé obijciunt ex D. T. in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 5. vbi ait: Quód matrimonium & pœnitentia, non habent aliquam formam verborum, sed secundum quod vtrumque est Sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, vtrumque habet aliqua verba, & 4. contra g. cap. 78. ait: Quód benedictio, nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur. Sed resp. D. T. non loqui de ministro & forma Sacramenti, quo ad substantiam, sed quo ad solemnitatem, & ceremonias accidentales; vndé ibi subiungit: sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum, benedictio-

ctiones ab Ecclesia institutæ; vndé patet, istas non esse essentiales, sed pure accidentales; & in hoc eodem sensu, respondetur ad secundam authoritatem. Nec obstat: quód Trident. ait: Quód matrimonium celebratur, vbi Parrochus dicit: ego vos in matrimonium coniungo. Dicitur enim, quod illa verba, non habent sensum quem præferunt, sed hunc alium: ego approbo, & benedico vestram coniunctionem, vt publicé habeantur pro veris coniugibus.

Dices adhuc: omne Sacramentum, debet habere ministrum sacrum, qui verba sacra proferat; sed id non habent contrahentes, qui nec sacri sunt, nec proferunt verba sacra: ergo illi non sunt ministri. Resp. quód maior non est vniversaliter vera, vt patet in Baptismo, qui in multis casibus, á laicis, non solum validé, sed etiam licité ministratur; & pro matrimonio est specialis ratio, nam cum sit quidam contractus, elevatus ad rationem Sacramenti, ipsi contrahentes qui sunt ministri contractus, etiam Sacramenti ministri sunt. Ex quo resp. 2. quód licet verba contrahentium secundum se, non sint sacra; bené verò, vt elevata ex intentione Christi & Ecclesiæ, ad constituendum Sacramentum; licet contrahentes nihil in eis sacrum cogitent, sicut videre est in forma Baptismi, prolata ab infideli, nihil sacrum cogitante.

Nec dicas: Quód si hoc esset verum, contrahentes in statu peccati mortalis, peccarent mortaliter, non solum Sacramentum recipiendo, sed etiã illud ministrando. Respondetur, quod illi peccant, in mortali Sacramentum recipiendo non tamen ministrando, quia non sunt ministri solemnitatis, sed necessitatis. Vel dicitur: quód solum minister specialiter consecratus, mortaliter peccat, si in mortali ministrat, non autem si specialiter consecratus non est, vt sunt contrahentes. Exemplum est in laico ministrante Baptismum in casu necessitatis qui mortaliter non peccat, etsi habeat conscientiam peccati mortalis; quia non est ad hoc specialiter consecratus. Bené verum est, quod casus necessitatis, magis veget pro ministro Baptismi, quam Matrimonij, quia hoc non est tantæ necessitatis sicut Baptismus, vt ait D. Thom. 3. p. q. 64. art. 8. ad 3.

Quinta difficultas: An Matrimonium clandestinum sit validum? Notandum: quód matrimonium aliud dicitur solemne, quod celebratur in facie Ecclesiæ, non quidem in facie materiali, sed coram multitudine fidelium, aliud clandestinum, quod sine hac assistentia celebratur; & hoc adhuc est duplex: vel quia celebratur, sine præsentia Parrochi & testium, vel quia licet celebretur cum assistentia eorum, fit tamen sine denuntiationibus requisitis; & quidem ante Tridentinum, matrimonia clandestina valida erant, sed illa celebrare erat prohibitum, & esset peccatum mortale; sic colligitur ex Evaristo, vt refertur in Can. aliter & idem habet D. Ambr. Epist. 1. ad Virgilium; & ratio est: quia matrimonia clandestina, frequẽter authoritate privata dirimebantur, quia sæpé parentes, filios qui sic contrahebant, cogebant transire ad alias nuptias, ex quo adulteria quotidiana sequebantur, & alia innumera mala; vndé cum illa celebrare esset transgressio gravis præcepti, erat peccatũ mortale.

Dicendum est ergo: iure novo per Tridentinum inducto, matrimonia clandestina irrita esse. Constat ex Decreto ipsius Concilij Sess. 24. de reformat. cap. 1. vbi ait: Qui aliter quam præsente Parrocho vel alio Sacerdote, de ipsius Parrochi seu Ordinarij licentia, matrimonium contrahere attentabunt, Sancta Synodus ad sic contrahendum, omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus, irritos & nullos esse decernit. Quód autem Ecclesia, prædicta facere potuerit ex eo constat, quia licet tales personæ, iure naturæ contrahere possent, & ad matrimonium, solum consensus interior per verba expressa requiratur, quia tamen personæ illæ, sunt potestati Ecclesiæ subiectæ, potest hæc iusta de causa, potestatem contrahendi ab eis auferre, & efficere vt clandestina corporum traditio non sufficiat, quia hæc non pendent á contrahentium voluntate, sed á superiori potestate.

Explicatur hoc 1. quia Ecclesia, inhabiles reddit ad contrahendum, consanguineos intra quartum gradum; sed maius est inhabilitare tales personas ad contrahendum absoluté, quam eas inhabiles reddere, ad contrahendum sic, nempé modo occulto, quia primum pertinet ad substantiam rei, & secundum ad modum: ergo, &c. 2. Ecclesia reddit nullam collationem beneficiorum, per simoniam confidentiæ factam; Item ius civile, virum prodigũ, reddit inhabilem ad contractus, & etiam contractus pupillorum absque certa solemnitate factos invalidat, qui tamen secundum naturæ ius validi sunt: ergo idem dicendum, de matrimonijs clandestinis. An verò talia matrimonia, iure naturæ sint illicita; affirmant aliqui, citantes pro se D. Tho. hic, q. 45. art. 5. ad 3. sed verius est, solum esse illicita iure positivo Ecclesiastico, & mala quia prohibita, quia licet plura mala inducant, hoc non est ex natura contractus, sed ex prava hominum intentione, sicut dicitur de ludo & nocturna asportatione armorum.

Sed obstat contra resolutionem, difficilis obiectio: consensus clandestinus ante Tridentinum sufficiens erat, pro materia & forma matrimonij: ergo etiam postea est sufficiens. Par. conseq. quia Ecclesia, nequit materiam & formam Sacramentorum immutare, hoc enim proprium est potestatis excellentiæ in Christo repertæ. Resp. 1. quód Ecclesia immutare non potest, ea quæ sunt de substantia Sacramenti, bené verò, ea quæ sunt prævia & antecedentia. Exemplum est, in ministro Sacramenti

ti pœnitentiæ, cui Ecclesia potest facultatem ad audiendas confessiones auferre, & eius conditiones immutare, quia hæc non sunt de essentia Sacramenti, sed aliquid prævium ad illam, similiter igitur in matrimonio, eius materia & forma, semper invariata permansit, nec ab Ecclesia vllo modo mutari potest, sed habilitas personarum, quæ est aliquid prævium ad Sacramentum, mutari potest, essentia Sacramenti invariata, & sic fecit, irritando matrimonia clandestina.

Dices: Ecclesia non potest facere, vt aliqui homines, non possint valide baptizare, nec vt certa aqua, non sit Baptismi materia, quia hoc opponitur institutioni Christi: ergo nec potest facere, quod talis consensus clandestinus, non sit sufficiens ad matrimonium. Resp. quód Ecclesia legitimis causis mota, bene potest facere, vt aliqui inhabiles sint, ad Baptismum valide ministrandum, nisi tales vel tales conditiones habeant. Vel dicatur: quód Ecclesia nequit mutare res physicas, in quibus Baptismus consistit; matrimonium autem cum sit contractus civilis, potest exigere aliquas conditiones, ab Ecclesia pro qualitate personarum, & temporum mutabiles.

Resp. 2. ad principale arg. quod res potest variari pure materialiter & non formaliter, vt dicunt Philosophi, de superficiebus aquæ, in quibus locus consistit, quæ variantur materialiter, non verò formaliter, quia eandem distantiam retinent, ad polos mundi & centrum terræ, & idem est de partibus viventis in augmentatione, solum materialiter variatis; & horum instar est consensus pro matrimonio, qui formaliter sumptus, est de eius essentia, & sic non variatur ab Ecclesia, sed solum materialiter, prohibendo ne fiat in occulto; cuius ratio, est sæpé attacta, nam cum matrimonium, sit quidam contractus naturalis, qui magna ex parte, á rationibus moralibus pendet, & petit aliter celebrari iuxta præscriptum Ecclesiæ, quæ potest leges facere, vt homines gubernentur rectè; sicut leges tulit circa tempus professionis solemnis, vt illa valida sit, ex quibus solum infertur, pura mutatio materialis rerum, non verò formalis, & idem in præsenti dicendum est.

Dices adhuc: licet detur lex, præcipiens testamentum non fieri, sine certo numero testium, & quod alias sit irritum, probabile tamen est, quod testamenta contra hoc facta, sunt valida in conscientia: ergo idem de matrimonio clandestino dicere possimus. Resp. neg. conseq. quia licet probabile sit, alios contractus, quibus deficit solemnitas iuris, validos esse in foro interno, licet non in externo, hoc tamen sine errore, nequit dici de matrimonio. 1. quia alias Concilium, nullum apposuisset remedium, tot malis ex matrimonio clandestino secutis. 2. quia id colligitur, ex interpretatione, & vsu sapientium virorum, quæ fundamentum habet in natura rei, & ipso iure dicente, valorem contractuum, quibus deficit solemnitas, transferre dominium in conscientia, infirmum tamen, & revocabile per externum forum, quod locum habet, in bonis temporalibus, sed non in matrimonio, nam si semel in conscientia transferret dominium, hoc esset firmum & irrevocabile, quia matrimonium, ex natura sua indissolubile est, quod non habent alij contractus; ex quo patet disparitas de testamento.

Infertur ex dictis: quód matrimonium sine denuntiationibus celebratum, si tamen celebretur coram Parrocho, & testibus, validum est; sic sentit Bañez, & Gonet: nam tale matrimonium, erat validum iure antiquo, á quo recedendum non est, nisi oppositum constet in iure novo, in quo tamen non constat, tale matrimonium esse nullum; & ratio esse potest: nam tale matrimonium, non fit clam, sed coram Ecclesia, cui per testes legitimos iuridicé potest constare; & ita declaravit Congregatio Cardinalium dicens: matrimonium contractum, non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse. Verum quidem est, quod matrimonium ita celebrare, esset peccatum mortale, quia in re gravi, esset fractio præcepti Concilij Tridentini, hoc statuentis Decreto de reformat. matrimonij, cap. 1.

Sed notandum circa dicta: quód sunt aliqui casus, in quibus matrimonia clandestina iudicantur valida. Primus, si celebrentur in locis, in quibus Tridentinum receptum non est. Secundus, si fideles contrahunt in facie Ecclesiæ, sed invalidé ob impedimentum occultum, hoc postea cognito, possunt occultè contrahere, renovando consensum, & revalidando matrimonium, modo infrá explicando, tunc enim matrimonium est validum, licet clandestinum, vt declaratum fuit á Pio V. testantibus Navarro, & Ledesma. Tertius, cum celebratur matrimonium, in locis vbi nullus est Parrochus, nec eius vicesgerens, nec ad loca vbi sunt, potest sine maximo periculo, aut difficultate adiri, vt declaravit Clemens VIII. quod dicitur propter fideles, qui in captivitate tenentur; illi tamen debent quantum fieri, potest formam Concilij servare, duobus testibus adhibitis. Quartus, quando quis in concubinatu vixit, & morti propinquus vocat Parrochum qui abest, aut venire non potest, aliqui probabile reputant, quod potest coram testibus contrahere, vt filij fiant legitimi, licet alij probabilius oppositum sentiant, & hoc tenendum est, vt infrá videbimus, cas. 3.

Sexta difficultas: De pertinentibus ad Parrochum & denuntiationes. Circa Parrochum est certum, ad valorem matrimonij, requiri assistentiam Parrochi proprij alicuius contrahentium, vel alterius Sacerdotis, de eius licentia, alias matrimonium erit nullum, sicut etiam ad Sacramentum

Pœnitentiæ, requiritur proprius pastor, vel alius habens iurisdictionem ab illo; sic habetur in Decret. Trident. sæpius citato; ad hoc autem non requiritur, quod Parrochus sit vtriusque contrahentis, sed sufficit quod sit vnius, quia matrimonium est contractus individuus, & vterque contrahens, censetur vna persona, & sic etiam Parrochus vnius, censetur alterius. Proprius autem Pastor pro matrimonio, non est originis, sed domicilij; nam Parrochia contrahentis illa dicitur vbi degit, non vbi originem habet. An verò domicilium, debeat esse cum animo, perpetuo ibi manendi? Resp. quòd sufficit si habeat animum manendi, licet non perpetuo, sed per breve tempus, ita Salmant. Trullench, & Dicastillus. Ratio est: quia sola habitatio non per modum viatoris, sed conducta domo, constituit quasi domicilium; si verò quis æqualiter in duobus locis vivit, potest ab vtriusque Parrocho coniungi, confiteri & alia Sacramenta recipere, quia non est maior ratio vnius quam alterius; & idem est, si Parrochia duos Parrochos habet, quia quilibet eorum, verè Parrochus est.

Inquires: an Parrochus extra suam Parrochiam existens, possit ovium suarum matrimonio interesse? Resp. affirmativè: quia talis assistentia, vel est actus iurisdictionis, vel non? Si primum, cum non sit iurisdictio contentiosa, sed voluntaria, quæ in subditos volentes exercetur, potest extra Parrochiam exerceri; si secundum, solum requiritur ad authoritatem & fidem faciendam, & Parrochus semper est persona publica, & proprius illorum contrahentium Pastor; sic tenent Trullench, Henriquez, Sanchez, & Salmant. *Dices* 1. quòd Trident. petit pro matrimonio, assistere Parrochum, vt personam publicam, & extra suam Parrochiam, ille persona publica non est. 2. quia Episcopus, nequit extra suam Diœcesim Ordines conferre: ergo nec Parrochus, extra suam Parrochiam matrimonio assistere.

Reso. ad 1. quòd Parrochus extra suam Parrochiam non est persona publica, quo ad iurisdictionem contentiosam, bene verò quo ad voluntariam, & quo ad authoritatem suo ministerio præbendam, præcipuè respectu suarum ovium, & sic vices personæ publicæ gerit. Ad 2. quòd est disparitas: nam Ordines ab Episcopis conferuntur, quodam quasi strepitu iudiciario, cum Pontificalibus indumentis, & ideo extra Diœcesim suam nequeunt conferri, tonsura excepta, quæ has solemnitates non requirit; ille autem strepitus, ad assistendum matrimonio non requiritur, & ideo id potest à Parrocho, extra suam Parrochiam fieri, non verò benedictionem nuptialem coniugibus impartiri, quia hæc requirit, solemnem strepitum in alieno territorio prohibitum.

Interrogabis: Quisnam sit proprius Parrochus vagorum, vt possit eorum matrimonijs assistere? Resp. quòd quilibet Parrochus id potest facere, & etiam alia Sacramenta illis conferre; quia cum non habeant Parrochum determinatum, omnes sunt illorum Pastores; & etiam quia subduntur legibus locorum vbi habitant, & ibi pro aliquo delicto puniri possunt; quod si vnus coniugum fuerit incola & alter vagus, possunt coniugi coram quolibet Parrocho, quia vt vidimus, sufficit quod Parrochus sit proprius alicuius. Sed notandum: quòd Parrochus, nequit illis matrimonijs vagorum interesse, nisi diligenti inquisitione facta, & Episcopi loci facultate obtenta; alias Parrochus mortaliter peccaret, præceptum Tridentini in re grauissima frangens; licet in eo casu, matrimonium validum esset.

Quid autem de peregrinis dicendum? R. quòd licet transeunter commorentur in locis, vbi Tridentinũ obligat, invalidè contrahunt, nisi id fiat coram Parrocho & testibus; quia licet illi non tenerentur legibus locorum per quæ transeunt, de quo non disputamus modo, certum est illos teneri talibus legibus, quo ad contractus quos faciunt, sic sentiunt Salmant. cum pluribus; qui autem transeunt ad loca, vbi Tridentinum promulgatum non est, validè contrahunt iuxta aliquos, sine Prrocho & testibus; quod defendi potest, stando iuri communi, & fraude non interveniente; sed re vera tale matrimonium, declaratum fuit invalidum à Cong. Card. anno 1628. & idem dixit Urban. VIII. die 14 Augusti, anni 1627. ad instantiam Archiepiscopi Colonienſis; vndè ait Dicastillus, quod huic resolutioni debemus stare, & quod oppositum periculosum est.

Circa secundam partem, de Denuntiationibus, vniversa earum doctrina, adducitur à Trident. Sess. 24. cap. 1. per hæc verba: Præcipit vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parrocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, publicè denuntietur, inter quos matrimonium fit contrahendum; quod statutum fuit, vt deteganter impedimenta, si quæ fuerint inter contrahentes; ad quod requiritur, quod ad omnes eius notos perveniat notitia; sed aliqua de hoc occurrunt examinanda, & ideo *Dubitabis* 1. an sit peccatum mortale, matrimonium contrahere sine prævijs denuntiationibus? Resp. quòd per se, & ex natura sua, mortale est, dixi *per se*, nam per accidens, & posita dispensatione Episcopi ob legitimam causam mortale non erit; hæc autem causæ ad dispensandum, plures sunt. 1. moralis suspicio, quod matrimonium malitiosè impedietur, tunc enim, possunt denuntiationes postponi. 2. coniugum infamia, si habebantur vt coniuges, & postea viderentur contrahere. 3. disparitas conditionis, ætatis aut divitiarum, vel si duo senes contraherent, ratione ruboris quo suffunderentur. 4. periculum proprium

vel

vel alienum, vt si daretur scandalum, vel essent concubinarij, & timeretur, quod si diu differretur, desisterent á contrahendo. 5. legitimatio prolis in periculo mortis, sufficit ad postponendas denuntiationes. 6. favor in bonum Ecclesiæ, vt fit in matrimonio Magnatũ, quibus dispensatio conceditur, quia notiores sunt & habent minus periculum impedimenti. 7. si instet tempus quo prohibentur nuptiæ, & detur necessitas contrahendi; & vbicunque occurrit causa sufficiens, ad omnino dispensandas denuntiationes, vel eas postponendas, debet fieri diligens inquisitio ab Ordinario, ad quem pertinet denuntiationum dispensatio, vel postpositio.

Id autem, quod directé asserimus, nempé quod per se est peccatum mortale sine denuntiationibus contrahere, constat. Túm, quia agitur contra præceptum Tridentini, in re maximé gravi. Túm, quia sic contrahentes, exponuntur morali periculo fornicandi, cum possit esse aliquod impedimentum dirimens occultum. Vndé dicunt Sanchez, & Bonacina, non solum committi peccatum in prima copula, sed etiam in omnibus alijs, in quibus periculum continuatur; qua propter in aliquibus Diœcesibus, est imposita excomunicatio, vt sic contrahentes, non habitent simul in eodem cubiculo vel domo. *Dices*: qui in die ieiunij, illud frangit, solum peccat in prima comestione, & non in alijs: ergo idem in nostro casu dicendum est. Resp. quód est disparitas. 1. quia ieiunium est indivisibile, ideoque solum in prima comestione frangitur; præceptum autem non consumandi matrimonium, sine prævijs denuntiationibus, divisibile est, & ideo per quamlibet copulam, violatur de novo; & patet in ipso ieiunio, quia enim, quo ad comestionem carnium divisibile est, per quamlibet comestionem carnium frangitur. 2. quia præceptum non consumandi matrimonium, sine denuntiationibus prævijs, est negativum, & ideo semper & pro semper obligat, quod non habet præceptum ieiunij.

Dubitabis 2. quo loco & quibus diebus, debent fieri denuntiationes matrimoniales? Ad quod dicitur. 1. quód quando contrahentes sunt diversarum Parrochiarum, in vtraque debent denuntiationes fieri. Ratio est: quia potest accidere, quod impedimentum occultum in vna Parrochia, sciatur in alia, & cum denuntiationes fiant, vt impedimenta manifestentur, ideo in vtraque Parrochia fieri debent. Sed an possint extra Ecclesiam fieri? Resp. quód sic, quando ibi est magna fidelium pars. Túm, quia extra Ecclesiam celebrari potest matrimonium, quod est quid maius, & sic etiam denuntiationes, quæ sunt quid minus. Tũm, quia ibi potest salvari Concilij finis, nempé quod notificetur populo matrimonium, vt manifestetur impedimentum, si aliquod extet; sed re vera, convenientius fiunt denuntiationes inter Missarum solemnia, vbi attentius & devotius populus assistit, & ita plus æstimantur denuntiationes, quam si fierent extra Ecclesiam in concursu populari.

Deindé, circa dies, stando Decreto Concilij, denuntiationes faciendæ sunt tribus diebus festivis; sed an debeant esse continui vel non? Aliqui sentiunt, aliquos debere intervenire dies feriatos, vt ita, meliús notitia matrimonij diffundatur in populo; sed verius iudico, posse fieri tribus diebus continuis festivis, vt in tribus diebus Paschatis; quia Concilium solum id asserit, & cum lex sit pœnalis, non est amplianda sed restringenda; si autem post denuntiationes, matrimonium per multum tempus differatur, illæ debent repeti, quia in eo tempore, potest impedimentum supervenire. Vndé non iudico probabile, quod post denuntiationes tribus diebus festivis continuis factas, non possit matrimonium consummari; ratio est: quia statim potest celebrari matrimonium de præsenti, & sic etiam consummari potest, quia æqué ad vtrumque denuntiationes requiruntur.

Dices: Quód si fit vna denuntiatio pro tribus, non est celebrandum statim matrimonium, quia hoc non dum est perfecté declaratum: ergo idem dicendum, casu quo fiant denuntiationes tribus diebus continuis, ob eandem rationem. Resp. quód licet antecedens defendatur á Bonacina, oppositum illius est probabile, sed eo admisso, est disparitas: nam facta vnica denuntiatione pro tribus, accidere potest, quod notitia matrimonij, ad aures omnium illius Parrochiæ non pervenerit, & ideo differendum est per aliquod tempus, iuxta viri prudentis iudicium; at quando fit trina denuntiatio, magis evulgatur notitia, licet per accidens ad aures aliquorum non perveniat, & ideo absque temporis intervallo, potest matrimonium celebrari.

Dubitabis 3. quænam sit obligatio, manifestandi impedimenta? Resp. quód si impedimentum est publicum sive sit dirimens, sive impediens, tenetur qui illud scit, Parrocho manifestare sub mortali, quia per denuntiationes, fit quasi iuridica informatio á legitimo iudice, cui tenetur obedire. De impedimento occulto, quod nequit per testes probari, est difficultas maior. Sed dicitur: quód etiam datur obligatio manifestandi illud; quod patet. Túm, quia vt ait D.T. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. quilibet tenetur manifestare delictum, quod est in detrimentum tertij, & ex non manifestatione impedimenti, sequitur detrimentum animæ contrahentis, & etiam irreverentia magna Sacramenti. Túm, quia revelans, non obligatur ad probationé, hoc enim ad Parrochum vel Prælatum spectat. *Nec valet* dicere: quód testis non debet asserere, id quod nequit probare; nam hoc est verum, quando agitur de punitione rei, vel expolatione possessoris, non autem cum agitur de vitando peccato & animæ periculo, vt in præsenti contingit.

Quid

Quid autem, si sciatur impedimentum sub secreto naturali, etiam iuramento firmato? R. quód etiam datur obligatio manifestandi, nam vt ait D. Thom. loc. cit. secretum naturale, etiam iuramento adiuncto non obligat, quando imminet damnum commune, aut etiam particulare tertiæ personæ; & etiam quia lex de impedimento manifestando, quæ respicit vitam animæ, debet præferri legi de servando naturali secreto. Qui ex auditu novit impedimentum á persona fidedigna, tenetur illud manifestare, non autem si fidedigna non est, vel non recordetur á quo audivit, quia tunc denuntiatio erit frustra, quod præcipué est verum, cum impedimentum est infamatorium, quod si tale non fuerit, manifestari poterit, quia forté per diligentiam superioris, veritas innotescet. Parrochus autem, in confessione sciens impedimentum, nequit manifestare, quia illud non scit vt homo, sed vt Deus; alias indirecté peccatum revelaret; nec ideo ad rem malam concurrit, quia ipse suum officium exequitur, peccatum non intendendo. Quodnam autem remedium, debeat tunc Parrochus adhibere, infrá dicetur, dum de impedimentis matrimonij disseratur.

Sed an ipsi contrahentes, debeant manifestare impedimentum occultum ab eis notum? Resp. affirmativé, præcipué si legitimé sunt á iudice interrogati, alias iniustè se ingerent contractui, quem celebrare nequeunt, cum animæ periculo. *Dices*: quód iudex nequit inquirere, infamia non præcedente; & sic tunc contrahens, non tenetur fateri & obedire. Resp. quód antec. est verum, quando inquisitio fit contra iam promotum, vt deponatur, non autem quando fit contra promovendum, qui hoc iniustè vult consequi, & in id quod non potest se intromittere, tunc enim non requiritur infamia, sed debet iudex ex officio procedere, & id contingit in casu impedimenti ab ipsis contrahentibus noti. Quid autem debeat facere Parrochus, cui revelatur impedimentum? Dicitur: quód matrimonium debet prudenter impedire, nec ei assistere, sed nequit de impedimento cognoscere, sed causam ad Superiorem deferre, cuius est, testimonia & veritatem examinare.

Septima difficultas: De alijs ad essentiam matrimonij pertinentibus. *Dubitatur* 1. de perfectione gratiæ per matrimonium collatæ. R. gratiam, quæ per matrimonium confertur, infimum locum obtinere inter gratias á Sacramentis collatas. Ratio est: quia matrimonium, infimum locum habet inter cætera Sacramenta, & consequenter idem habet gratia quã confert. Deindé: quia gratia Sacramenti Matrimonij ordinatur ad inferiorem finem, ac gratia aliorum Sacramentorum, nempé ad frenandam coniugum concupiscentiam, & ad eos indissolubiliter vniendos, qui finis imperfectior est fine aliorum Sacramentorum, vt discurrenti constabit.

Oppones: perfectio Sacramenti, summitur ex perfectiori significato, per matrimonium autem significatur res perfectior, quam per alia Sacramenta, nempé coniunctio Verbi divini cum humanitate & Christi cum Ecclesia. Resp. quód matrimonium summi potest, vt speculativé significat prædicta, quia ad illa solum speculativé comparatur, & non practicé illa causando, & hoc modo alia Sacramenta excedit, vel potest summi, quatenús est causa & signum gratiæ, & sic respicit finem imperfectiorem vt vidimus; perfectio autem Sacramentorum, non attenditur ex significato pure speculativo, sed ex practico, ideoque Sacramentum matrimonij, & gratia causata per illud, imperfectiora sunt alijs Sacramentis, & gratia per ea causata.

Sed licet verum sit, quod matrimonium in ratione signi practici, sit imperfectius alijs Sacramentis, quia minus participat de spirituali vita, ad quam ordinantur Sacramenta; in ratione autem dicta signi speculativi, cætera Sacramenta superat, ob triplicem eius significationem, qua repræsentat præcipua fidei nostræ mysteria, nempé vnionem Verbi cum humanitate, coniunctionem Christi cum Ecclesia, & fœdus castissimum Dei cum anima, nunc cum illo desponsata per fidem, & postea per beatam visionem; quod ita statutum fuit á Christo, vt compensaret magnitudine Sacramenti & mysterij, damna & nocumenta, quæ secum matrimonium affert, & etiam, quia cum matrimonium, mentes hominum maximé obscuret, ratione copulæ carnalis, quæ feré mentem absorbet, & hominem brutis assimilat, sic possent coniugati mentem erigere, ad contemplanda illa fidei nostræ mysteria, quæ per matrimonium repræsentantur, vt ita puritatem per copulam deperditam, quodamodo repararent.

Dubitatur 2. An possit dari inter fideles baptizatos, verum Matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti? Dicitur inter fideles baptizatos, nam matrimonium infidelium non baptizatorum, & etiam fidelium ante Baptismum, est validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, quia Baptismus, est omnium Sacramentorum ianua. Resp. ergo: quód inter fideles, matrimonium potest esse validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, eis tamen licitum non est, vtramque rationem separare; sic tenent Salmant. cum pluribus quam ipsi citant; & ratio est: quia Matrimonij contractus, est censendus validus, quando nõ irritatur per legem; nulla autem datur lex, irritans contractum matrimonij, factum sine intentione Sacramenti: ergo talis contractus validus est. Ratio autem communis huius est: quia si quis contraheret matrimonium, cum intentione non recipiendi Sacramentum, validum efficeret contractum: ergo illæ rationes, sunt

sepa-

separabiles. Antec. prob. Tùm, quia in eo casu, daretur mutuus consensus, expressus per verba vel signa. Tùm, quia ratio contractus in matrimonio, est prior ratione Sacramenti : ergo potest illa sine ista reperiri, quando deficit intentio contrahentis. Tùm, quia in Baptismo, ratio ablutionis est prior ratione Sacramenti, potest illa dari sine ista, vt si quis vellet se ablui, non intendendo Sacramentum recipere, & sic idem de matrimonio dicendum est.

Sed oppones 1. nam Concil. Florent. dicit, matrimonia fidelium, esse Sacramenta, ac si diceret, omnia esse Sacramenta, nam illa est propositio indiffinita, æquivalens vniversali. 2. nam ex institutione Christi, ratio contractus & Sacramenti, sunt connexæ, & sic nequit vna sine altera inveniri. 3. quia si ex intentione contrahentium, possent illæ rationes separari, posset vnus eorum facere Sacramentum, si haberet intentionem, & non alter intentione carens, quod absurdum est, nam matrimonium, est vnicum Sacramentum, quod in vtroque validum est, vel in nullo. 4. quia si id fieri posset, etiam posset licitè fieri, imò aliquando esset laudabile, vt cum quis haberet conscientiam peccati mortalis, & sine dispositione ad contritionem, rectè faceret intendendo contractum & non Sacramentum, quod absurdum est.

Resp. ad 1. quòd omnia matrimonia fidelium, recepta cum debita intentione, sunt Sacramenta, non autem si absque illa recipiantur, sicut etiam ablutio Baptismalis sine intentione ministri, esset pura ablutio & non Sacramentum, & huius generis est, matrimonium de quo loquimur. Ad 2. quòd ex nulla ratione, vel autoritate Scripturæ, vel Patrum colligitur, rationem contractus & Sacramenti, separari non posse. *Nec obstat*: quòd ratio Sacramenti, nequit recipi sine contractu: ergo nec ratio contractus sine Sacramento; nam est disparitas, quia ratio contractus est prior, & super illam ratio Sacramenti fundatur, & ablato priori, auferetur posterius; prior autem, potest esse sine posteriori, & ideo contractus potest esse sine Sacramento, non verò é contra, Sacramentum sine contractu.

Ad 3. quòd matrimonium, est vnum formaliter, sed virtualiter duplex, & sic potest salvari in vno debitam intentionem habente, & non in alio carente illa; sicut etiam, potest causare gratiam in benè disposito, & non in impedito per peccatum. Ad 4. quòd contrahens cum tali intentione, peccaret mortaliter, quia poneret materiam & formam, sine debita intentione conficiendi Sacramentum, quod sacrilegium est; ex quo patet secunda pars resolutionis, nempè quod fidelibus non est licitum, illas rationes separare. Tùm, quia supposita institutione Christi, non potest absque irreverentia id fieri. Tùm, quia Christiani debent Christiano ritu contrahere, nec ponere obicem gratiæ, quam Christus matrimonio adiunxit, vt naturalem amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, vt ait Trident.

Dubitatur 3. An fidelis contrahens cum infideli, ex dispensatione Pontificis, ex parte sua conficiat Sacramentum? Resp. negativè: quia sicut ad rationem contractus, requiritur consensus vtriusque, ita etiam ad rationem Sacramenti vtriusque intentio; infidelis autem non baptizatus, nequit esse Sacramenti minister, quia eius effectio & receptio, Baptismi characterem supponit. Deindè: nam matrimonium est contractus individuus, qui ab vno sine alio, perfici non potest. Vndè miror Salmant. hic, tract. 9. cap. 3. dub. 3. num. 82. contrarium sentire, obliti doctrinæ quam afferunt, cap. 8. Punct. 3. num. 24. Sed an matrimonium ab infidelibus validè contractum, fiat Sacramentum, ipsis ad fidem conversis, & baptizatis, accedente novo consensu? Resp. negativè. Ratio est: quia matrimonium consistit essentialiter, in fieri ipsius contractus, & cum infideles baptizantur, nulla fit actio, quæ sit fieri matrimonij, quia iam supponitur factum.

Explicatur: Sacramentum matrimonij, fundatur in contractu valido; in casu autem posito, nullus datur talis contractus, non antiquus, quia ille iam præterijt, & quia non fuit inter baptizatos; non novus, quia vterque coniux, perfectè transtulit dominium in alterum, & sic nequit novo contractu traddere, vt sit fundamentum Sacramenti; sicut res semel vendita, iterum vendi non potest, ex defectu materiæ. Verum quidem est, quod matrimonium infidelium, quando baptizantur, licet non sit Sacramentum proprié, vt signum practicum gratiæ, benè verò large, quatenùs meliùs repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Tùm, quia ille desponsatus est cum Ecclesia fideli. Tùm, quia illud matrimonium, per Baptismum efficitur firmius, cum non sit amplius dissolubile fidei causa, & sic meliùs exprimit vnionem indissolubilem, inter Christum & Ecclesiam.

Octava difficultas : De vnitate Matrimonij. Notandum est, quod *Poligamia*, est coniugium vnius viri, cum multis vxoribus simul retentis; *Monogamia*, est matrimonium cum vnica tantum; *bigamia* est coniugium cum pluribus successivè, ita vt vna mortua, contrahatur eum alia; *Bivina* dicitur, mulier contrahens cum pluribus viris, simul retentis; & quidem certum est, quod *Bivinatus*, seu coniugium vnius mulieris cum pluribus viris, lege divina & naturali prohibitum, nec dispensari potest, nec á Deo vnquam dispensatum fuit; sic D. T. in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. & hic, q. 65. art. 1. ad 8. & constat ex dicto Pauli 1. ad Cor. 7. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem á viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

Ratio autem est: quia nubere cum multis viris, impedit bonum prolis, nam commixtio diversorum seminum, generationem impedit, vt in meretricibus patet; & similiter ex hoc impeditur educatio, quia nulli constaret cuius filius sit, & ita omnes ab educatione desisterent. Vndé matrimonium illud esset contra prima præcepta legis naturæ, & oppositum fini primario matrimonij, nempé contra generationem, & educationem prolis. Dices 1. aliquando licuit viro, pluralitas vxorum: ergo etiam fœminæ, virorum pluralitas licet. 2. potentior est fœmina ad reddendum debitum pluribus viris, quam vnus vir pluribus fœminis: ergo illud, minus opponitur naturæ quam istud. Resp. ad 1. quód si vir haberet plures fœminas, non impediretur finis primarius matrimonij, nempé generatio & educatio prolis, quia constaret de parente certo, cuius contrarium contingeret, si vna fœmina, plures viros haberet. Ad 2. quód illud probat, minus obstare conjugium vnius fœminæ cum pluribus, quo ad finem secundarium, qui est remedium concupiscentiæ, non verò, quo ad finem primarium, qui est generatio & educatio prolis, ob rationem dictam, sic D. T. loc. cit. ad 8.

Nunc de poligamia est dubium, an sit contra legem naturæ. Dicitur actio contra legem naturæ, quæ non est conveniens fini debito, vel primario, vel secundario, vt nimia comestio, impedit salutem corporis, quæ est eius finis primarius, & defectus comestionis, impedit robur in negotijs, quod est finis secundarius; vbi etiam, quia finem reddit difficilem, vt inordinata comestio tempore indebito, aliquomodo nocet sanitati, licet eam non destruat; & quidem finis matrimonij, alius est principalis, nempé procreatio & educatio prolis, alius secundarius, nempé mutuum obsequium bonorum, & operum inter coniuges; alius nobilior nempé significatio vnionis Christi cum Ecclesia; primus respondet matrimonio hominis, quatenús est animal, secundus in quantum est homo, tertius in quantum est fidelis; sic D. T. ad Eph. 5.

Certum est, poligamiam repugnare fini matrimonij in lege Evangelica, quia cum carnis vnitatem auferat & in plures dividat, nequit repræsentare coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ vna est; vndé concludit D. T. 4. contrag. cap. 78. necesse est quod matrimonium, secundum quod est Ecclesiæ Sacramentum, sit vnius ad vnam indivisibiliter habendam; & sic ait Trident. Sess. 24. Can. 2. si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, anathema sit. *Ad quæstum* ergo: R. quód poligamia, seu pluralitas vxorum sub vno viro, est contra legem naturæ, sed non opposita directé fini primario matrimonij, sed solum fini secundario. Rationem vtriusque partis, tangit D. T. hic, q. 65. in corp. vbi ait: Pluralitas vxorum, neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonij primum finem, cum vnus vir, sufficiat pluribus vxoribus fœcundandis, & educandis filijs ex eis natis; sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, vbi vni viro plures vxores iunguntur, cum non possit vnus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus vxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in vno officio, causat litem, sicut figuli corrixantur ad imbicem, & similiter plures vxores vnius viri.

His accedit 1. quód domesticæ gubernationis pax, sub vxorum pluralitate, difficiliter servari potest, quia fragilis mulierum sexus, zelotipia laborat, & nequit fieri, vt viri affectus, non magis erga vnam, quam erga aliam propendat; vndé Sara, nequibat domi Agar tolerare, & Rachel, Liæ fœcunditatem invidebat. 2. quód in poligamia non servantur æqualia iura contractus, quia mulier se totam viro traddit, quod vir facere non posset, cum esset in plures divisus. 3. quia vt notat D. Thom. 3. contrag. cap. 124. in animalibus, quibus est aliqua cura de prole, vnus mas, solum habet vnam fœminam, vt patet in columbis, & præcipué in turture, quæ post coniugis mortem, alium vlterius non quærit, vt notat D. Bern. Serm. 40. in cantic. 4. quia Deus virum vni tantum mulieri iunxit, & vt dixit D. Hyer. non ait: Masculum & fœminas, sed masculum & fœminam, vt vnius coniugis consortia necterentur.

Constat ex his vtraque pars, nempé quod poligamia non opponitur directé fini principali matrimonij, sed solum fini secundario, quod patet ex verbis allatis D. T. Sed notandum: hoc intelligi de poligamia, quæ certum numerum vxorum dicit, quas vnus vir fœcundare potest, nam si tantus esset numerus earum, quod non possent ab vnico viro fœcundari, talis poligamia fini primario matrimonij pugnaret, nam sterilitatem induceret, vt notat Plutarc. lib. 5. de placit. Philos. & patet in Salomone, cui tot fuerunt reginæ & concubinæ, & ex eis, non nisi vnicum filium masculum Roboam genuit, & duas filias, Eraphet & Basemat, vt dicitur 4. reg. 11. vndé ait Suidas: ex mille vxoribus, solus illi natus est Roboam filius, & ipse ex alienigena Naama Amonitide, indignus imperio.

Oppones: si aliquis Rex, haberet vxorem sterilem, & proles esset valdé necessaria reipublicæ, ratio naturalis dictaret aliam ducere, præcipué prima consentiente: ergo poligamia, non est iuri naturali opposita. Resp. quód vt ait D. T. 2. 2. q. 154. art. 1. id quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundum quod communiter accidit, & non secundum, quod in aliquo casu potest accidere, vndé licet in eo casu extraordinario, poligamia esset necessaria vel vtilis, non sequitur licitam esse iure naturæ. Nec obstat: quód prima mulier consentiat; hæc enim, nequit iuri suo cedere contra bo-

num

num publicum matrimonij. Alia sunt de poligamia, non multum necessaria, apud Salmant. & Gonet videnda.

Inquires: An matrimonium cum secunda vxore mortua prima licitum sit? Resp. affirmative; sic habetur apud Florent. in instit. Armenor. & ex D. Thom. in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. & hic, q. 63. art. 1. & colligitur ex D. Paul. ad Rom. 7. vbi ait: Quæ sub viro est mulier, alligata est; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro; & 1. ad Cor. 7. si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat; vbi insinuatur ratio, nam mortua prima vxore, vinculum est dissolutum, & nullum adest impedimentum, & alias secundæ nuptiæ, possunt ad fines matrimonij conducere, vt si quis prolem non habuit in primo matrimonio, habeat in secundo.

Dices 1. quód Chrysostomus, secundas nuptias vocat fornicationem. 2. quia de secundo matrimonio, ait D. Ambros. non esse bonum. 3. quia per secundas nuptias, incurritur irregularitas; & etiam in iure civili, viduis secundo nuptis, plures assignantur pœnæ. Resp. ad 1. quód Chrysost. loquitur, quantum ad causam, nempé concupiscentia, quæ aliquando ad secundas nuptias, & fornicationem incitat. Ad 2. quód secundum matrimonium, vocatur non bonum, quia caret illo honore significationis, qui est in primis nuptijs, vt sit vna vnius, sicut in Christo, & sic nuptiæ secundæ, dicuntur minus bonæ, comparatæ cum prioribus. Ad 3. quód irregularitas, non semper inducitur ob culpam, vt patet in homicidio, authoritate iudicis facto, qui sine culpa irregularitatem inducit, ob defectum lenitatis, & sic contingit in bigamia, cum contrahitur cum secunda vxore virgine, vel etiam cum prima vidua, vbi datur defectus significationis vnionis Christi cum Ecclesia, ex quo defectu oritur irregularitas; de cætero videatur D. T. q. 63. citata.

ARTICVLVS IV.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de necessitate Matrimonij. Vniverso mundo, fame, peste, bello, & persecutionibus laborante, ad illud excidij extremum potuit deveniri, vt ferè omnes sæculares homines, ægritudine perirent, permanentibus dumtaxat religiosis & clericis, in sacris ordinibus constitutis. Quæritur: an in huiusmodi casu, isti essent ad coniugium obligati, ad conservationem naturæ? Et an respublica & eius gubernatores, posset in eo casu, omnes ad nuptias compellere, etiam Sacerdotes, religiosos, ac sanctimoniales, qui omnes se castitatis voto ligaverunt? Resp. quód casus hic, res pure metaphysica est, & moraliter impossibilis, non enim facile concipitur, quod ægritudo ita præcisiva esset, vt sæculares omnes occideret, atque Ecclesiasticos relinqueret intactos. Dato autem casu, doctrinæ gratia, resolvimus sequentia.

Petrus de Ledesma, Tract. de Matr. cap. 1. dub. 4. dicit: Probabilius esse, quod religiosi & sacris initiati, in eo casu, non tenerentur ad matrimonium contrahendum, nec illud contrahere possent, quod probat 1. quia si in eo casu, essent aliqui coniugati steriles, non possent matrimonium primum celebratum dissolvere & alijs nubere, quia iam imbicem tradditi essent: ergo idem erit, de personis sacris in eo casu, quia iam Deo, totaliter traditæ sunt. 2. probat, quia professio, aut susceptio ordinum sacrorum, facta fuit ab illis, absque aliquo limite aut conditione, nec erat obligatio illam apponendi, quia quilibet homo, potest absolutè donare quod suum est, nec tenetur aliquam conditionem apponere: ergo illi viri sacri, possunt se totaliter Deo tradere, absque illius cõditionis positione.

Sed Magister Soto, asserit oppositum, & ait, in eo casu, omnes illos ad matrimonium teneri, & posse obligari, etiam illi, qui se castitatis voto ligaverunt; & eius ratio est: quia votum semper includit conditionem illam, nisi ius naturæ conservandi genus humanum obstet; & hoc videtur probabilius 1. quia obligatio illorum hominum, ad non nubendum, est de iure humano positivo, & respectu Sacerdotum sæcularium, solum servatur in partibus Occidentalibus, nam in Ecclesia Orientali, matrimonijs vtuntur: ergo per idem humanum ius, potest obligatio auferri. 2. quia id quod voluntati propriæ innititur, nequit præiudicare ei quod est ex necessitate; sed votum est voluntarium; nubere autem, in casu quod non sit aliud medium ad speciem conservandam est, de necessitate: ergo illud non præiudicat matrimonio, in casu prædicto.

Ex his patet solutio, ad rationes Ledesmæ; ad 1. dicitur: Quód est disparitas: nam in matrimonio, datur vera & mutua coniugum tradditio, in voto verò, solum reperitur promissio hominis, & tradditio non mutua eius ad Deum, & nunquam est conveniens, vt res semel tradditæ, præcipué si traddantur perpetuo & indissolubili nexu, auferantur á veris dominis, & traddantur alijs, in rebus autem promissis, multoties convenit promissa non adimplere, si mutatæ sint conditiones personarum & rerum, nam vt ait Senec. lib. 4. de benef. cap. 34. vt homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant, vt refert D. T. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. vndé steriles nequeunt separari & alijs nubere, poterunt autem in eo casu posito, nubere religiosi, quia conditio temporum & personarum, totaliter mutata esset.

Ad 2. quód professio religiosa, & susceptio sacrorum ordinum, nunc de facto absque vllo limite fit, non verò si natura humana ad eas deduceretur angustias, quæ referuntur in casu, nam in or-

dine

dine ad illum, semper intelligitur implicita conditio, si extrema necessitas non vrgeat; & ratio est: quia homo in se consideratus, magis est reipublicæ humanæ quam sui, sicut pars magis est totius, quam sui ipsius; & sic nequit facere totalem sui traditionem, cum communi reipublicæ detrimento. Hac ratione probat D. T. 2.2. q. 64. art. 5. quód homo nequit se ipsum occidere, quia quælibet pars, id quod est, est totius, quilibet autem homo, est pars communitatis, vndé in hoc quod se ipsum interficit, iniuriam communitati facit; idem ergo esset in casu prædicto, in quo aliquomodo speciem occideret, quod gravius est.

His pensatis sententijs, media via incedendum iudico, dicendo: quód in eo casu, vel signa videbantur aut præcessérant, quæ mundi finem indicarent, iuxta Scripturam & Patres, vel non? Si primum standum est sententiæ Ledesmæ, & credendum advenire vltimam mundi conflagrationem, & tunc matrimonium sacris personis esset illicitum; si autem dicatur secundum, cum Soto est tenendum, posse & debere exequi præceptum naturæ, de matrimonio subeundo in illo casu, quia semper debent homines procurare conservationem naturæ; quod præceptum, modo communitatem obligat & Principem, qui posset & deberet aliquos ad matrimonium compellere, ex his qui contrahere possunt si necessitas exigeret, & in casu prædicto, singulos etiam obligaret, quamvis voto impeditos & ligatos.

Inquires: supposito quod est præceptum obligans ad nuptias modo dicto, ad quod præceptum Decalogi pertinet? Resp. quód tale præceptum reducitur, ad præceptum naturale, quo tenetur homo, se ipsum diligere, & se in esse conservare, vel etiam ad præceptum de dilectione proximi. Prima pars prob. quia nequit homo se ipsum in individuo perpetuo conservare, quia corruptibilis est: ergo conservari debet in specie sua, quod per matrimonium fit, & sic præceptum huius, pertinet ad dilectionem sui; secunda pars prob. quia conservatio speciei, quodamodo pertinet ad conservationem proximi: ergo hoc ex eius dilectione procedit.

Casus secundus, de modo revalidandi matrimonium nullum. Iuvenis quidam, cum fœmina contraxit, sed re vera matrimonium nullum fecit, vel quia aliquis eorum ficté cõsensit, vel quia aliquod inter ipsos, impedimentum dirimens publicum, aut occultum extabat tempore celebrationis, vel quia defuit Parrochi & testium assistentia. Quæritur: quomodo Matrimonium istud nullum, sit postea revalidandum? Ea quæ in hoc casu dicemus, sunt gravissima, passim occurrentia & ad praxim valde necessaria; supponimus, matrimonium posse esse nullum modis prædictis, vel ex defectu legitimi consensus, vel ex impedimento aliquo interveniente, vel ex defectu præsentiæ Parrochi & testium, & quocumque modo ex his fuerit invalidum, debent suppleri quæ desunt, vel renovando consensum per verba & signa, vel auferendo impedimentum per dispensationem, vel vocando Parrochum & testes; quomodo autem id fieri debeat? Hoc opus, hic labor.

Circa primum, de nullitate ex defectu legitimi consensus. Dicimus: quód qui ficté absque consensu veró contraxit, tenetur postea ex iustitia verum consensum apponere, & reliqua requisita, ad matrimonium revalidandum; sic tenent Sanchez, Basilius & Palaus; & ratio est. Túm, quia iustitia præcipit, vuicuique servari ius suum, coniux autem veré consentiens, ius habet ad veram alterius traditionem. Túm, quia fictus promissor, tenetur damnatum illatum reparare, & tunc datur in eo qui decipitur, notabile damnum famæ & opinionis, præcipué si fœmina sit, quæ tenetur religionem ingredi, aut innupta permanere, quia Ecclesia iudicat verum consensum, nisi constet oppositum. Nec est idem de eo qui ficté profitetur, qui non tenetur postea ex animo profiteri; nam ex eo religio nullum patitur detrimentum, & ideo non tenetur ad veré profitendum, cuius contrarium in casu posito contingit.

An autem volens matrimonium sic revalidare, debeat alterum de nullitate prioris consensus certiorem reddere, vt ambo de novo consentiant, vel sufficiat vt qui ficté consensit renovet consensum, quin aliam partem moneat, vel eius consensum solicitet? Resp. sufficere, quod ipse renovet consensum, quin coniugem innocentem, de nullitate prioris matrimonij reddat certiorem; sic habet D. T. in addit. q. 47. art. 4. ad 2. vbi ait: Ex consensu libero illius, qui primo coactus est, non fit matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens, in altero adhuc manet in suo vigore; vndé si dissentiret, non fieret matrimonium, ipsum Ang. D. sequuntur optimi authores, quos citant Salmant.

Ratio autem est: quia apposito veró consensu, ex parte eius qui ficté contraxit, adsunt omnia requisita, ad valorem matrimonij, nam ex parte alterius innocentis, omnia necessaria dantur, & alias non requiritur ad valorem matrimonij, actualis existentia vtriusque consensus, sed sufficit existentia moralis, quæ tunc iam datur, nam consensus innocentis, qui veré ex animo contraxit, moraliter perseverat in suo vigore, cum non fuerit retractatus. Explicatur: quando professio religiosa fuit nulla, ex aliquo defectu substantiali, non requiritur vt revalidetur, quod iterum acceptetur á Prælato, sed sufficit vt ille qui ficté, vel ex metu promisit, verum consensum apponat, quia consensus prior religionis qui verus fuit, & medio Prælato præstitus, censetur moraliter perseverare, & sic idem discurrendum in casu nostro.

Oppones: in prædicto casu, consensus illius qui

ex

ex animo contraxit, in sui initio fuit nullus, quia fuit acceptatio corporis veré non tradditi: ergo moraliter non perseverat, vt consensus alterius revalidatus ei coexistat, nam quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non convalescit. Resp. quód tradditio & acceptatio, ex parte innocentis semper fuit valida ex se, & solum fuit nulla ex defectu alterius, qui verum consensum non apposuit, & hoc appositio, consensus alterius redditur validus, non quia convalescat id quod ab initio fuit nullum, sed quia moraliter permanet ex parte innocentis, & ex impedimento alterius, valor non resultavit, eo modo quo lapis descendit ablato impedimento detinente, & opera mortificata per peccatum, reviviscunt per pœnitentiam, ablato impedimento peccati, vt suprá dicebamus.

Circa secundum modum nullitatis matrimonij, ob impedimentum dirimens, in vno vel in vtroque, certum est, quod ablato impedimento per dispensationem, debet vtriusque consensus aliquo signo sensibili renovari, vt matrimonium revalidetur, quia contractus ab initio fuit nullus, & modo fit validus, & sic debent esse omnia ad eius valorem requisita: quod si impedimentum sit publicum, vel deductum ad forum contentiosum, debet coram Parrocho, & testibus revalidari ablato impedimento. Dubium autem est: an vterque coniux, debeat fieri conscius de nullitate matrimonij prioris, vt hoc revalidetur? Resp. negativé, sed sufficit quod conscius, de novo consentiat, altero nullitatem ignorante: quia sublato impedimento vterque est habilis ad contrahendum, & ita sufficit quod vnus, consensum suum aliquo signo sensibili exprimat.

Sed quomodo, aut quibus verbis, ille qui est impedimenti conscius, debet ab altero nullitatis ignaro extrahere consensum? Res est valdé difficilis, & pluribus complicationibus obnoxia. Aliqui asserunt cum Dicastillo, vt cum coniugem ignarum videat rectè dispositum, ei dicat: diligis me ita, vt si inter nos non esset matrimonium de novo contraheres? Sed hoc, iam valdé periculosum est, quia omnes satis capiunt verbum istud. Melius dicere potest coniugi sic: pro mea consolatione, & maiori affectu, vellem tecum de novo contrahere, vel renovare matrimonium, vt novam accipiamus gratiam; ad id exemplum summendo, ex reformatis Sanctimonialibus, S. Teresiæ, quæ quotanis in die Epiphaniæ, religionis tria vota renovant; hoc facile est, si coniugati pacificé vivant, & sint timoratæ conscientiæ, quia in his prætextu virtutis, aut scrupuli, potest hæc renovatio honestari; aliter enim sufficit ad consensum vtriusque renovandum, copula affectu maritali habita; quia illa sufficiens est ad exprimendum consensum. Nec obstat, quod vnus ex errore consentit; nam ille error, non est personæ sed conditionis, qui matrimonium non irritat; negotium igitur hoc debet resolvi attenta qualitate, & conditionibus viri & fœminæ, ne dum intenditur remedium, committatur novissimus error, peior priore.

Vndé magna prudentia opus est, præcipué quando sola vxor, conscia est nullitatis matrimonij, quia tunc sæpé est periculum, ne maritus suspicetur aliquid latere, & graves tragedias excitet. Hoc vnum confessarius notet, quod licet ad eum pertineat instruere quid fit agendum, vix tamen consultum est, vt ille cum viro de hac re agat, quia statim movebit suspicionem, vxorem aliquod ei occultum crimen esse confessam, ob quod matrimonium irritum est; sic Henriquez, Navarro, Sylvester, & Covarrubias.

Casus tertius, de Matrimonio clandestino. Vir quidam, per plures annos, turpiter in concubinatu vixit, ex quo filios suscepit, & cum in extremo agone positus mortis esset, instabat spirituale animæ periculum, deindé prolis legitimatio, & tandem fœminæ honor; quæritur: an vt his omnibus consuleretur, posset in casu dicto matrimonium sine Parrocho, & testibus validé celebrari, præcipué si illi, facile non possent adesse? Resp. quód nec licité, nec validé potest in eo casu, matrimonium sic celebrari; sic tenent Salmantic. cum pluribus quos citant; & ratio est: quia matrimonium sine forma substantiali factum, est nullum; tale autem esset illud matrimonium, sine Parrocho & testibus celebratum, quia Tridentinum irritat illud, & sic in eo casu, ita celebratum esset nullum.

Deindé: quia licet necessitas eximat á lege præceptiva, sed non reddit habiles alias inhabiles, nec facit ratum quod est irritum; sed personæ contrahentes, sine assistentia Parrochi & testium, sunt inhabiles ad contrahendum, & alias factum est irritum: ergo in nullo casu, est validum dictum matrimonium. 2. quia datur lex præceptiva, reddens inhabilem ad consecrandum Sacerdotem non ieiunum, nequit non ieiunus consecrare, etiam in casu necessitatis ad communicandum infirmum, vt diximus suprá, q. 4. art. 9. diffic. 4. circa medium: ergo idem in casu nostro dicendum est.

Dices: Quód infirmus potest per pœnitentiam salvari, quia Eucharistia non est necessaria simpliciter suscepta in re, sed tantum in voto. Contra est 1. quia etiam concubinarius in dicto casu, potest salvari per Sacramentum pœnitentiæ, quia matrimonium, nec in re, nec in voto est necessarium ad salutem animæ: ergo disparitas nulla est. 2. quia ex solutione sequitur, Eucharistiam esse magis necessariam ad salutem animæ quam matrimonium, quia illa est necessaria, vt medium in voto; sed stante illa necessitate maiori, non licet Sacerdoti non ieiuno in illo casu necessitatis consecrare: ergo multo minus licebit in casu necessitatis, sine Parrocho & testibus nubere.

Oppones: Præceptum Ecclesiæ, non obligat in magna necessitate, vt patet in infirmo, qui potest non ieiunus communicare, & horas non recitare: ergo idem dicendum, de præcepto contrahendi coram Parrocho & testibus. Resp. antec. esse verum, quando præceptum non apponit formam substantialem, secus si illam apponit, in casibus autem argumenti, non apponitur substantialis forma, bené veró in casu nostro, & ideo, dispar est ratio. *Dices*: Decretum Tridentini, sequitur vestigia Lateranensis, & in hoc, non apponitur forma substantialis, quia tunc in casu necessitatis, valida erant matrimonia clandestina. Resp. quód lex Concilij Lateranensis, erat pure præceptiva & non irritativa, & ideo non apponit formam substantialem, & in casu necessitatis erant valida matrimonia prædicta; lex veró Tridentini, præceptiva & irritativa est, ex quo patet vtriusque differentia.

Inquires: An Parrochus pro assistentia matrimonij, debeat esse Sacerdos? Resp. negativé, ita Salmant. cum pluribus. Ratio est 1. quia Trident. agens de assistentia Parrochi, nunquam in eo Sacerdotium exigit & si hæc qualitas necessaria esset, illam Concilium non omitteret. 2. quia tale Decretum Concilij, est correctivum iuris communis, & sic eius verba, non sunt amplianda, sed restringenda. 3. quia Parrochus matrimonio assistens, non exercet actum ordinis, sed solum matrimonium certificat, quod fieri potest á Parrocho non Sacerdote. *Nec obstat*, quod Concilium ait, Matrimonium contrahi debere præsente Parrocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, vbi Iy *alio*, est relativum ad simile. Resp. enim, quod *aliud* vel *alius*, non semper ad simile refert, vt patet ex Evangelij dicto: ducebantur alij duo nequam; & rursus: crucifixi sunt cum eo, alij duo latrones, vbi Iy *alij*, non refert ad simile. Vel dicatur: quód licet Iy *alius* in casu nostro referat ad simile, hoc est quia regulariter, Parrochus est Sacerdos, sed non quia Sacerdotium sit simpliciter necessarium; exemplum est, in eo quod dicatur cap. nuper, nempé absolutionem excomunicationis non reservatæ, committi proprio Sacerdoti, & tamen Parrochus non Sacerdos, potest eam conferre.

Sed an Parrochus, non Sacerdos matrimonio assistens, peccet mortaliter? Resp. nullo modo peccare, licet id faciat absque necessitate; sic tenent Palaus, Sanchez, Dicastillus, & Salmant. quia benedictio, quæ inter missarum solemnia non fit, & vocatur *velationes*, seu fit privatim, á non Sacerdote potest impetriri, nam per id non exponitur matrimonium periculo nullitatis, nam in re pendente ex iure positivo, si datur probabilis opinio, Ecclesia suppler defectum, si aliquis datur, sicut si adsit error communis, & titulus coloratus in Parrocho, potest validé assistere matrimonio, Ecclesia supplente defectum, vt verus Parrochus sit, ita docent Aversa, & Sanchez.

Casus quartus, de qualitatibus Parrochi assistentis matrimonio. Volebat quidam matrimonium contrahere, iuxta Ritum Sancti Concilij Tridentini, coram Parrocho & testibus oppidum tamen parvum erat, vbi vnicus tantum Parrochus extabat, illeque excomunicatus. Quæritur: an hic posset validé celebrationi Matrimonij assistere? Sermo est de excomunicato non tolerato, vt de publico Clerici percussore, vel denuntiato publicé, qui dicitur vitandus, nam de tolerato seu non vitando, certum est posse validé assistere matrimonio; nam iuxta extravag. Mart. 5. actus iurisdictionis quos isti faciunt, validi sunt, et si mortaliter peccent, eos sine necessitate exercendo. R. quód talis Parrochus excomunicatus vitandus, seu non toleratus, validé & licité assistere potest matrimonio; sic tenent Palaus, Gutierrez, Sanchez, Salmantic. & alij plures cum illis.

Ratio primæ partis est: quia Matrimonium celebratum coram proprio Parrocho, validum est; tale autem matrimonium, celebraretur coram proprio Parrocho, quia hic, licet sit excomunicatus, proprius adhuc Parrochus est, nec beneficio privatur. *Si dicas*: quód excomunicatus non toleratus, nequit ministrare, vel conficere Sacramentum. Contra est: quia Parrochus non est Sacramenti minister, sed ipsi contrahentes, vt suprá diximus: ergo matrimonium celebratum coram Parrocho excomunicato, non claudicat ex defectu ministri. Deindé: quia præsentia Parrochi solum exigitur, vt ille possit tanquam testis qualificatus matrimonium certiorare; sed hoc facere potest, etsi excomunicatus sit, nam infideles, viri, fœminæ, & pueri habentes vsum rationis, possunt esse matrimonij testes, & sic multo magis Parrochus excomunicatus: ergo ille potest assistere, ad prædicti matrimonij valorem.

Dices: Quód excomunicatus non toleratus, nequit esse testis, nec eius testimonium est validum, vt dicitur, cap. veniens de testib. ergo talis Parrochus, nequit esse matrimonij testis. Resp. quód hoc verum est regulariter, non veró in casibus in quibus etiam infames possunt testificare, qualiter possunt in favorem matrimonij. Vel 2. quód si excomunicatus repellitur, non valet eius testimonium, secus si non repellitur, vt contingit in casu dicto. *Dices* 1. Summus Pontifex, cap. 1. de consang. præcipit, quod in causis matrimonialibus, testes sint circumspecti, & omni exceptione maiores, quod non habent excomunicati tolerati, nec etiam infames. 2. quia in alijs causis gravibus, requiruntur testes huius qualitatis: ergo etiam in matrimonio.

Resp. quód matrimonij testes, non debent esse omni exceptione maiores, sed quicumque sufficiunt, viri, fœminæ, consanguinei, pueri habentes vsum rationis, & etiam infames, parentes, familiares,

res, servi & etiam infideles; ita Salmant. cum pluribus. Ratio est: quia Trident. nullas qualitates testium requirit, & Decretum cum sit iuris communis correctivum, non est ampliandum, sed restringendum. Ad 1. Resp. quód ibi est sermo de causis ad annullandum matrimonium, quæ est res gravissima & odiosa, & sic requirit testes qualificatos. *Si dicas*: magis requiri ad conficiendam rem, quam ad destruendam. Resp. hoc esse verum in rebus physicis, sed non in moralibus, qualis est Sacramenti confectio; & ideo testes sufficientes ad matrimonium conficiendum, non sufficiunt ad illud annullandum. Ad 2. quód hæc est specialis lex, in favorem matrimonij, quod sicut ante Trid. validum erat sine vllo teste, ita nunc validum est, quibuscumque assistentibus. Vel dicatur: quód etiam in alijs causis, sufficiunt quicumque testes ex consensu partium, præcipué si adsit publicus minister, supplens eorum defectum, vt in præsenti contingit. Secundó potest dici ad totum arg. quod Parrochus non assistit matrimonio, proprié vt testis, sed vt accipiat noticiam, & eam postea testificet; vndé Trident. distinctè de Parrocho, & testibus loquitur.

Secunda pars resolutionis, nempé quod talis Parrochus, licitè matrimonio assistat prob. quia si hoc non posset, maximé quia communicaret mutuo cum alijs; sed communicare cum alijs in rebus necessarijs, prohibitum non est, vt dicitur in Tract. de Excom. & ita fieret communicatio in casu dicto: ergo licita esset; sic tenent Sanchez, Diana, Villalobos, & Dicastillo, & aliqui dicunt, nec veniale peccatum intervenire. Vndé si Parrochus prohibitus esset ab Episcopo, ne Sacramenta ministraret, adhuc posset matrimonio assistere validé, quia non amittit Parrochi qualitatem, quam Trident. exposcit, & etiam quia ibi non ministrat, sed assistit, vt vidimus; peccaret autem mortaliter sic faciens, quia frangeret iustum præceptum superioris, cuius prohibitio, reddit illicitum actum.

An verò talis Parrochus sic excommunicatus, possit facultatem conferre alteri Sacerdoti excommunicato vel non, vt validé matrimonio assistat? Resp. affirmativé, cum Trullench, Bonacina, Diana, & Salmant. Ratio est: quia Parrochus habet facultatem á Concilio, præbendi licentiam alteri, & alias non requiritur in sic assistente, nisi qualitas Sacerdotij; nec talis facultatis concessio, est actus iurisdictionis, sed dominij & potestatis, sicut ministrare & communicare propria bona, quod posse fieri ab excommunicato nemo dubitat; vel ad summum illa facultas, est substitutio testis qualificati, quod Parrocho á Concilio concessum est, & consequenter ab eo fieri potest.

Casus quintus, de modo præsentiæ Parrochi pro matrimonio. Desiderabant puella & iuvenis matrimonium contrahere, nec poterant, quia Parentes repugnabant, & insuper eo fine Parrochus præventus erat, ne eis assisteret, quo visso ab eis, cum Parrochus per Ecclesiam pertransiret, ad ipsum accurrunt simul, & clamoribus maximis, consensum exprimunt coram testibus; & ipse fugiens, factus est sicut homo non audiens, aures obturando, & asserens se nihil videre, nec audire. Quæritur: quid de hoc sentiendum? Casum non semel vidimus & audivimus, circa quem examinanda veniunt ea, quæ de modo præsentiæ Parrochi, ab authoribus congeruntur.

Dico ergo: quód Parrochus & testes, debent interesse matrimonio, non solum præsentia pure physica & corporali, sed præsentia morali, cum advertentia & vsu rationis, vt cognoscant quid agitur, & de hoc testificare possint. Vndé amentes, ebrij, dormientes & furiosi, & carentes vsu rationis, ad hoc munus sunt inepti, etsi physicé & corporaliter assistant. Ratio est: quia Concilium statuit, requiri ad valorem matrimonij, præsentiam Parrochi & testium, vt de illo possint præbere testimonium, hoc autem, nequit fieri sine præsentia morali. *Dices*: sufficere ad hoc, attentionem virtualem, nec actualem requiri. Contra est: in confessario requiritur actualis attentio pro ministranda pœnitentia, quia est iudex & debet attendere, ad id quod agitur, vt rectum ferat iudicium; sed etiam Parrochus & testes, sunt testimonium collaturi de matrimonio: ergo requiritur in eis attentio actualis.

Si dicas: ad conficiendum Sacramentum, quod est quid maius, sufficit virtualis intentio, vt dicitur Tract. de Sacram. in genere ergo etiam id sufficit, ad testificandum matrimonium, quod est quid minus. Resp. quód est disparitas, nam testificans aliquid, debet habere notitiam claram illius, ad quód non sufficit virtualis attentio, quia cum hac componitur, distractio circa alia, & ideo illa satis non est pro testificando matrimonio; ad conficiendum autem Sacramentum, non requiritur notitia clara de eo quod agitur, sed sufficit quod antea fuerit intentio, & non retractetur postea.

An verò sufficiat, quod Parrochus & testes, á casu & transeunter matrimonio intersint, quin ad hoc sint vocati vel adducti, vel etiam si Parrocho celebrante, cum se vertit ad populum, coram eo & testibus, coniuges consensum exprimunt? Resp. affirmativé, cum Sanchez & alijs, qui omnes asserunt, non requiri Parrochum & testes vocatos esse, sed sufficere quod casu, vel transeunter matrimonio assistant, & percipiant quid agitur quia sic, moraliter sunt præsentes, & possunt testificare matrimonium, quod est Concilij intentum, eo fere modo, quo quis potest esse testis homicidij, qui á casu transeundo vidit hominem iugulari; vndé ait lex 11. ff. de testib. ad fidem rei gestæ faciendam, etiam non rogatus, testis intelligitur. Nec obstant: quædam Cardinalium Declarationes, quæ in oppo-

positum citantur ; nam loquuntur, dum ita transeunter adsunt Parrochus & testes, vt quid agitur, non plene percipiant.

Quid autem dicendum, si Parrochus & testes, vi, dolo, aut metu assistunt matrimonio? R. illud validum esse, vt tenent Salmantic. cum pluribus alijs, qui affirmant circa hoc Cardinalium Declarationem, & post illam dubium non extat; ratio autē est: quia sic censetur Parrochus præsens moraliter, & potest de matrimonio testificare coram facie Ecclesiæ, nec requiritur quod voluntarié assistat, nam vt dicitur, l. coram Titio : scire autem, non etiam velle debet, nam etiam eo invito rectē fit. *Nec obstat*: quód in l. 1. ff. de autor. tutor. dicitur: Quód si tutor, invitus retentus sit per vim, non valet quod agitur; nam ibi est sermo de contractu pupilli, ad cuius valorem requiritur authoritas tutoris, qui est minister contractus, quod in præsenti non reperitur, Parrochus enim, minister matrimonij non est.

Sed an peccent mortaliter contrahentes, coram Parrocho sic per vim adducto? Resp. quód si non adest necessitas vrgens, peccant mortaliter sic contrahentes. Tùm, quia debent recipere Sacramenta, authoritate & approbatione Ecclesiæ, quæ tunc deficeret. Tùm, quia fieret irreverentia, Ecclesiæ, Sacramento & Parrocho; sic tenent Ledesma, Sanchez, Dicastillo, & Salmant. quare in aliquibus Diœcesibus lata est excomunicatio, adversus cōtrahentes coram Parrocho, vi aut metu detento; si autem detur necessitas vrgens contrahendi & Parrochus venire recuset, nec detur superior compellens, potest aliquo artificio conduci eo nolente, dum personæ non fiat vis, quia ad hoc ille ex officio tenetur; & addit Dicastillus, quod etiam per vim potest detineri, si contrahentes nequeunt aliter, suam vexationem redimere.

Deindé, tenetur Parrochus ex Tridentini præcepto, tria facere pro matrimonij celebratione. 1. contrahentes interrogare, si volunt se mutuo coniungere. 2. eos benedicere illis verbis: ego vos coniungo, in nomine Patris, &c. vel alijs iuxta loci consuetudinem. 3. gesta omnia in matrimonio, scribere in libro; licet autem omnia hæc ommittat, matrimonium validum est, quia nec ipse est minister, nec eius verba sunt materia, vel forma Sacramenti; si autem ommittit scribere in libro, mortaliter peccat, quia agit contra præceptum Concilij in re grauissima, & matrimonium pluribus litibus, & periculis exponit; omissio verò interrogationis, non est res adeo gravis, vt peccatum mortale inducat, præcipuè si contrahentes, non interrogati consensum exprimant; de omissione benedictionis, aliqui sentiunt esse mortale peccatum, quia est Ecclesiasticus ritus in re gravi; sed verius est, esse veniale, quia illa est pura ceremonia, non pertinens ad materiam, formam vel ministrum; sic Villalob. Sanchez, Bonacina & Salmantic.

Nunc ad principalem casum initio positum. R. tale matrimonium esse validum; sic tenent Basilius, Ledesma, & Leander, quod constat. Tùm, quia Sacra Congregatio, interrogata de hoc, respondit: Matrimonium non valere, si non intellexisset, nisi ipse Parrochus affectasset non intelligere. Tùm, quia etsi Parrochus affectet se non intelligere, nec audire, verè tamen audit, & intelligit admonitus á contrahentibus, qui præsentes extant, & de eorum consensibus certioratur, & sic potest de matrimonio testimonium ferre, cum adsit moraliter præsens, vt sit conscius de eo quod agitur & tractatur. Sed notandum pro matrimonio clandestino, quod illud contrahentes, puniri debent ad arbritrium Ordinarij; Sacerdotes quoslibet assistentes matrimonio sine licentia Parrochi, manere suspensos, & Parrochus dans facultatem ad matrimonium clandestinum, vel illud non impediens, manet per trienium ab officio suspensus.

Casus sextus, de denuntiationibus. Homo miles, iuvenculam quandam post assiduas fornicationes, vxorem ducere cupiebat, de facto cum illa sponsalia iurans; deindé accedit ad puellæ Parrochum, optans coram illo contrahere matrimonium, sed sine denuntiationibus, asserebat enim, se iterum ad castra cito redditurum, vultque puellam deserere, potius quam tempus denuntiationum expectare. Quæritur: an Parrochus posset tali matrimonio assistere & in casu dicto, in denuntiationibus dispensare? Casus est, quando ad Episcopum pateret aditus, nam si non posset fieri faciliter recursus, & est periculum in mora, alicuius gravis damni privativi contrahentium, post Parrochus sine denuntiationibus, nec Episcopi licentia matrimonio assistere; hoc enim non esset in denuntiationibus dispensare, sed prudenti Epikeya vti, quia in eo casu, lex Ecclesiastica non obligaret, vt omnes vniformiter tenent.

Est ergo casus, quando faciliter posset obtineri ab Episcopo dispensatio, & tunc etiam est certum, non posse Parrochum dispensare, vt matrimonium sine denuntiationibus consummetur, nam contrarium habetur expresse apud Tridentinum, vbi hoc relinquitur Ordinarij iudicio, casus ergo loquitur, in ordine ad matrimonium contrahendum. Primó asserunt aliqui, quod in dicto casu, vel cum adest probabilis suspicio, quod aliquis malitiosé impedimentum obijciet, potest Parrochus denuntiationes dispensare, vel potius eas ommittere; sic tenent Veracruz, Ledesma, Vivaldo, Dicastillo, Tabiena, Medina, & id colligi videtur ex Concilij verbis, Sess. 24. cap. 1. vbi dicitur: Quód si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosé impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel vna tantum denuntiatio fiat, vel saltim Parrocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur; quibus verbis nulla

Or-

Ordinarij fit mentio, ad dispensationem; & deindé subiungit: ante illius consummationem, denuntiationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, vt prædictæ denuntiationes remmittantur, vbi petitur iudicium Ordinarij, ad matrimonium consumandum, & non ad illud contrahendum.

Secundó asserunt alij, quod dispensatio Ordinarij, in dispensationibus necessaria est, tám ad consummationem matrimonij, quám ad eius contractionem; ideoque Parrochus, absque Ordinarij licentia tali matrimonio assistens, puniri potest, quia arbitrium & iudicium Ordinarij, ad hoc á Concilio requisitum, suprá omnia præcedentia cadit; & etiam, quia Tridentinum, insequitur vestigia Concilij Lateran. vbi prohibetur Parrocho dispensatio illa, sine iusta & vrgenti causa, & de hoc datur Cardinalium declaratio, vt testis est Fatinacius. Vndé in Act. Mediol. tit. de sponsal. cap. 4. dicitur: Eas autem denuntiationes, nec vlla quidem ex parte, remmittere Parrochis liceat, nisi Episcopi concessu, idque causis iure permissis, & sic tenent Sanchez, Basilius, Henriquez, & Palaus.

Hæc vtraque sententia, est probabilis satis; sed iuxta priorem dicendi modum, licet ibi solum fiat mentio, de suspicione malitiosé impediendi matrimonium, idem tamen iudicium faciendum est, quando adsunt aliæ rationabiles causæ suprá assignatæ, ad dispensandas denuntiationes, quia Concilium, solum adducit illam causam, vt præcipuum exemplum; & ideo asserit Medina; non posse Episcopum punire Parrochum, qui iusta & vrgenti causa, denuntiationes ommitit sine licentia illius. Episcopus autem & alij superiores, habentes facultatem dispensandi, nequeunt id facere nisi iusta causa interveniente, vndé si aliter facerent, mortaliter peccarent, quia abuterentur potestate sibi cõcessa; non tamen requiritur iudicialis cognitio causæ, sed sufficit si prudenti iudicio, eam adesse cognoscant, & id colligitur ex Concilij verbis, vbi hoc negotium, arbitrio & prudentiæ Ordinarij remmittitur.

Nomine autem Ordinarij, intelligitur Episcopus proprius contrahentium, & si ad diversas Diœceses pertineant, á quolibet Episcopo dispensari potest, nam Concil. id remmittit arbitrio Ordinarij, & non Ordinariorum, & quia matrimonium, est vnum & individuum, & sic qui est Ordinarius vnius coniugis, est etiam alterius, ob connexionem vtriusque, in ordine ad idem Sacramentum; sicut idipsum diximus suprá de Parrocho, propter eandem rationem; & etiam nomine Ordinarij, intelliguntur Abbates & Priores, iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & nulli Diœcesano subiecti, quia omnes sunt Ordinarij suorum subditorum; & etiam vocatur Ordinarius, Vicarius Generalis Episcopi, cui ab ipso non est limitata potestas quantum ad hoc, & sic potest in denuntiationibus dispensare.

Sed notandum, quod causæ iustæ, non imponunt Superiori necessitatem dispensandi, sed liberam facultatem relinquunt, si ei bené vissum fuerit; nam si levis tantum fuerit commoditas boni communis, illa satis compensatur, per rigidam observationem legis communis, cui plus debet attendi, quam levi commoditati particulari; sed si fuerit causa gravis, maximé bono communi, aut particulari conducens, tenetur Prælatus dispensationem conferre, alias peccabit mortaliter, quia ille tenetur ex officio, consulere bono communi, & etiam particulari subditorum; quod si gravi causa interveniente, Superior dispensationem neget, possunt contrahentes, sine denuntiationibus celebrare, quin illi nec Parrochus aut testes peccent, quia leges Ecclesiasticæ, non obligant cum gravi damno communi aut particulari; sic tenent Palaus, Trullench, Salmant. Dicastillus, & Sanchez.

Casus septimus, de secundis nuptijs. Matrimonio fuerunt iuncti, iuvenis & virgo, primisque annis Sacramenti pace fruebantur; factum est deindé suggerente diabolo, vt inter ipsos variæ rixæ fuerint exortæ, vel falsis zelotipiæ imaginationibus, vel quia cum susceperint fœcundam prolem, mariti vires pro alenda familia non erant satis, quibus cogitationibus præssus, iter arripuit ad terram longinquam, nescio quo prætextatus colore; post multum verò temporis, fœmina cum alio contrahere vult, eius libertatem alegans, eo quod scierit per nuntium fidedignum, virum suum in mare fuisse demersum. Quæritur: quid faciendum in hoc casu, & quæ certitudo requiratur ex parte fœminæ de morte viri, vel é contra, vt possint denuo matrimonium contrahere?

Resp. quód non sufficit probabilitas de morte coniugis, vt superstes possit in conscientia contrahere cum alio, sed requiritur moralis certitudo, iuxta prudentum arbitrium; sic tenent Sanchez, Villalob. Soto, Bonacina, Salmant. cum alijs pluribus. Vndé non sufficit, quod per multum tempus, vir discesserit in regionem longinquam, nisi habeatur nuncius certus de obitu illius; sic habetur cap. Dominus, de secundis nuptijs, & cap. in præsentia, de sponsalibus vbi Clem. III. ait: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium Canonicé convolare; nec permittas authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.

Ratio huius est: quia in rebus valdé gravibus, vbi imminent ingentia damna, nequit vir prudens duci existimatione probabili, absque necessitate, præcipué in materia Sacramentorum, quæ sunt ad

salutem necessaria, & post Decretum Innoc. XI. prop. 1. nequit sequi opinio probabilis relicta probabiliori, circa materiam & formam omnium Sacramentorum sine necessitate; sed ex tali matrimonio, plura sequerentur damna, si veré non esset mortuus vir, qui defunctus putabatur: ergo nisi detur necessitas vrgens, non posset mulier per notitiam solum probabilem de morte viri sui, novum matrimonium contrahere.

Deindé, ad hanc certitudinem moralem, non sufficit dictum vnius testis, quia hoc non sufficit in alijs rebus minoris ponderis, quanto minus in hac, adeo gravi & periculosa; si tamen vir mortuus fuisset in loco valdé distanti, nec facile aliæ probationes possent adduci, sufficeret dictum vnius testis, cum alijs adminiculis & coniecturis. Ratio est: quia quando probatio integra, & plena nequit adhiberi, satis est si plena fiat per coniecturas, vt dicitur, l. non omnis, §. á barbaris, ff. de re militari; sic tenent Sanchez, & Rodriguez; quod si fœmina ipsa, coniugem mortuum viderit, & id probare non possit, sufficit vt in conscientia possit cum alio contrahere, licet in exteriori foro, non sufficiat illius dictum, vt idem authores sentiunt.

Demùm, non sufficit fama communis, testificans mortem viri, vt mulier ad secundas nuptias transire possit, nam talis fama, sæpé procedit ex authore incerto, & aliquandó ex fallacia, vel suspicione oritur; sufficiet autem talis fama, si alijs adminiculis adiuvetur; hæc sunt longitudo absentiæ, vniversalis fama illius loci, vbi coniux morabatur in loco distanti; si ille erat valdé senex vel ager, si fuit in militia, vel navigatione & non est reversus multo tempore expectatus, & si vxor accepit litteras ab eis, cum quibus vir navigabat aut militabat; sic sentit Sanchez, Bonacina, & Henriquez. Quid autem faciendum, si post moralem certitudinem de morte viri, mulier cum alio contraheret, & postea primus vivus appareret? Resp. quód cum priori debebat habitare, nam secundum matrimonium fuit nullum, & copula fornicaria, licet propter bonam fidem, excusetur á culpa. Vndé ex quo mulieri constet, de vita prioris viri, nequit secundo petere, nec reddere debitum; sed si dubitat, nequit petere, benè verò reddere petenti, quia ad hoc habet ius, quousque certo constet, de nullitate matrimonij prioris.

Sed quid si mulier mala fide, secundum matrimonium contraxit, vel quia non habuit moralem certitudinem de morte prioris viri, vel quia cogitabat eum vivum, cum re vera mortuus esset? Resp. quód tale matrimonium, non esset licitum, & mulier peccaret mortaliter sic contrahendo, & etiam petendo & reddendo debitum, donec ei constaret de morte prioris viri. An autem illud matrimonium esset validum? Resp. quód si mulier iudicavit, in eo casu se posse validè contrahere, vel sub ea conditione contraxit, si prior maritus fuisset mortuus, vel intendit facere quod potest, validum est matrimonium, quod commune est in alijs impedimentis, si cum eis contraheretur animo dicto, cum veré non adsunt; cum modo explicato, apponatur sufficiens intentio ad contractum, & personæ sint habiles, nullo ligamine impeditæ, & adsint debita materia & forma; vndé non est, cur matrimonium reddatur invalidum, ita Sanchez, Ledesma, Rodriguez, & Bonacina. Si autem mulier, absque dicto animo contraheret, matrimonium esset nullum, quia illa non haberet animum contrahendi.

An verò filij, procreati ex secundo matrimonio, bona fide contracto, sint legitimi? Resp. affirmativé, si tempore copulæ, bona fides perseverabat; sed si ex parte alicuius parentis deficit bona fides, aut tempore contractus aut copulæ, proles vt legitima est habenda ex parte sua, respectu vtriusque parentis, & debet succedere in hæreditatem eorum; sed si bona fides adfuit ex parte vnius, & mala ex parte alterius, parens malæ fidei, privatur iure legitimi parentis, ne ex sua culpa commodum reportet. Vndé licet regulariter, sit mutua successio inter parentes & filios, in hoc tamen casu deficit, in quo filius succedit parenti malæ fidei; sed non parens filio, ita Sanchez, licet ipse, iudicet oppositum probabile.

ARTICVLVS V.

De consensu, & vinculo Matrimonij.

Prima difficultas: An verus & mutuus consensus, ita requiratur ad Matrimonium, vt per nullam potestatem, possit celebrari sine illo? Et quidem certum est, cõsensum esse necessarium pro matrimonio, in ratione contractus, vinculi & Sacramenti; ita habetur in Flor. Decr. de Sacrament. & in Trid. Sess. 24. cap. 9. De primo patet: nam contractus, essentialiter includit mutuum consensum contrahentium, cum sit pactum, vltro citroque obligatorium, quod præcipué est verum, de matrimonij contractu, qui est mutua corporum traditio; de secundo constat, quia vinculum matrimonij, est vnio socialis, & amicabilis corporum & animorum, ad quod voluntatis electio & consensus requiritur; de tertio; quia ratio Sacramenti, fundatur suprá contractum, & hic vt vidimus, exigit necessario consensum.

Dices 1. quód si contractus matrimonij, fieret per consensum, dissolveretur per dissensum, quia vnumquodque dissolvitur, per causas contrarias illis á quibus fit, quod tamen est absurdum. 2. quia si consensus esset necessarius, cum nemo coniugum sit certus de alterius consensu, nec esset certus de suo matrimonio, & sic non posset in conscientia, petere & reddere debitum. Resp. ad 1. quód con-

sen-

sensus, est causa vinculi matrimonij, solum in fieri, non verò in facto esse, & sic dissensus, solum potest dissolvere fieri contractus ne fiat, non autem illum iam factum, dissolvere potest. Ad 2. quód coniuges, non habent certitudinem evidentem de suo coniugio, bené verò moralem, quæ sufficit vt tuta conscientia, petant & reddant debitum, non enim requiritur in Sacramentis, certitudo evidens omnino, vt patet in accedente ad Eucharistiam prævia confessione, licet non sic evidenter certus, de intentione absolventis.

Resp. igitur difficultati, quod per nullam potestatem creatam, imó nec per divinam fieri potest, vt aliqui matrimonij vinculo coniungantur, sine proprio eorum consensu. De matrimonio in ratione contractus & Sacramenti, hoc certum est, quia contractus, requirit consensum partium essentialiter; & insuper Sacramentum, super contractum fundatur, & sic pro sui fundamento, exigit consensum. Probant aliqui de vinculo quo ad 1. partem, quia sic respublica humana, posset etiam matrimonium dissolvere, contra dictum Christi, quod Deus coniuxit, homo non separet. Sed hoc non probat, nam etiam ipsi coniuges, possunt vinculum causare, & nequeunt illud dissolvere, & idem de republica posset dici. Alij probant, ex eo quod respublica, nequit vni conferre ius suprá corpus alterius; sed etiam hoc non probat, quia si respublica potest conferre ius suprá alterius libertatem, constituendo vnum servum & alium dominum, cur non poterit, mutuam ius suprá corpora transferre?

Meliús ergo probi. quia ex tali facto Ecclesiæ, vel Principis sæcularis frustraretur vterque finis matrimonij; primus, qui est prolis procreatio & educatio, quæ nullo ratione posset esse inter invitos, & se imbicem non amantes; secundus, qui est mutua obsequia & officia, multo minus consequi posset, quia hæc, solum ex amore dimanant, & hic non datur inter invitos, & ideo D. Paulus sæpé suadet, vt viri diligant vxores, quia aliter, matrimonialia officia nequeunt exhiberi: ergo Ecclesia vel Princeps, nequeunt præcipere matrimonium, sine consensu contrahentium. *Nec obstat*: quód potest cives cogere ad alios contractus, vt ad vendendum triticum cum adest necessitas, & etiam ad servitutem, ob reipublicæ bonum; hoc enim ideo est, quia illi contractus, sive fiant propria voluntate, sive per voluntatem reipublicæ, eundé sortiuntur effectú, & respiciunt idem commune bonum, quod non contingeret in matrimonio, sine contrahentium consensu, ex quo non sequeretur eadem mutua dilectio, imó maxima incommoda, adulteria, rixæ, & homicidia, quæ perpetuo inter coniuges vigerent.

Sed contra hoc, sunt instantiæ sequentes 1. quia vt ait Arist. in politic. civis, plus est reipublicæ quam sui ipsius, & sic respublica potest facere, quod civis per se facere potest. 2. quia Conc. Flor. ait, consensum contrahentium, regulariter requiri ad matrimonium, & sic non semper requiritur, sed potest ab Ecclesia, vel republica suppleri. 3. quia in cap. his qui fidem, dicitur: Quód per copulam inter sponsos habitam, contrahitur matrimonium de præsenti, quin admitatur probatio dissensus, & sic si tunc consensus non adest, supplebitur ab Ecclesia. 4. quia necessitate vrgente, potest Pontifex aliquem cogere, vt Episcopatum acceptet, in quo est spirituale matrimonium, & sic etiam ad matrimonium carnale potest cogere.

Resp. ad 1. quód Arist. loquitur, in ordine ad bona corporis, sic enim civis, magis est reipublicæ quam sui ipsius, non verò in ordine ad bona animæ, quorum fundamentum, est consensus & libertas, & huius generis est matrimonium, & sic quantum ad hoc, civis nequit á republica compelli, sine eius consensu & voluntate. Ad 2. quód Concilium loquitur, de consensu formali & expresso, & hoc ait regulariter exigi, licet sufficiat virtualis, vt in casu tertiæ instantiæ; ad quam resp. quód tunc Ecclesia, non supplet consensum, á contrahentibus non positum, sed iudicat in foro exterioti illum extitisse, nec admittit probationes in oppositum, si autem re vera non fuit consensus, matrimonium coram Deo, validum non est. Ad 4. quód aliud est, Ecclesiam habere potestatem coactivam, ad matrimonium spirituale vel carnale, obligando ad positionem consensus, & hoc est verum, & contingit cum cogit ad acceptationem Episcopatus; aliud est habere potestatem effectivam matrimonij spiritualis aut carnalis, sine consensu, & hoc negamus vt falsum.

Quo ad secundam partem, de insuplebilitate consensus, etiam per divinam potentiam ad contractum matrimonij. Prob. quia id quod essentialiter supponit consensum, nequit fieri sine illo, quia Deus nequit invertere naturas rerum; sed vinculú matrimonij, essentialiter supponit consensum voluntatis, quia est vinculum amovis mutui, sicut vinculum religionis, supponit consensum voventis: ergo sicut Deus nequit aliquem facere religiosum, sine eius consensu, ita nec sine isto, potest facere vt copuletur matrimoniò. Explicatur: vinculum matrimonij, est relatio vnionis amicabilis & affectivæ, quæ habet pro fundamento consensum, sicut paternitas & filiatio generationem: ergo sicut Deus nequit facere, quod detur paternitas & filiatio, generatione non suppositá, nec facere potest quod detur matrimonij vinculum, sine consensu contrahentium; sic tenent Sanchez, Cornejo, Basilius, & Salmant. quod verum est, quicquid dicat Gonet cum alijs.

Sed oppones 1. quia consensus, requiritur ad matrimonium, vt causa efficiens, vt ait D. Tho. hic, q. 45. art. 1. causa autem efficiens, suppleri potest á

Deo.

Deo. 2. quia effectus actus voluntatis potest á Deo deri absq; volũtatis consensu, & ideo potest insuniere per accidens habitus naturales dormientibus, & etiam potest supplere terminũ actionis vitalis, vt patet in verbo, quod supplet in visione beata. 3. quia Deus habet in sua potestate corpora cõtrahentium, potius quam ipsi: ergo si illi possunt mutuo se tradere, multo magis Deus. 4. quia Deus potest dare viro dominium corporis fœminæ ipsa nolente, vt eo licité vtatur in ordine ad copulam, sicut fecit cum Osea, dum illi præcepit, vt accederet ad mulierem fornicariam: ergo etiam poterit facere matrimonium, sine consensu contrahentium.

Resp. ad 1. quód Deus potest supplere concursum causæ puré efficientis, non veró si illa simul sit formalis, vt patet in intellectu & voluntate, quorum concursum, nequit Deus supplere ad suos actus, quia sunt simul causa efficiens & formalis eorum, & ita se habet consensus á quo pendet matrimonium, etiam vt causa formalis, quia illud est vinculum mutui amoris amicabilis. Ad 2. quód Deus supplet rationem verbi mentis, sub ratione repræsentationis immaterialis, sed non sub ratione termini vitaliter producti, quia sic essentialiter & formaliter á principio pendet, in consensu autem, est impræscindibilis, ratio mutui amoris amicabilis, & sic est á Deo insupplebilis.

Ad 3. quód licet Deus, habeat plenius dominium super corpora contrahentium, quam illi ipsi, nequit tamen facere sine consensu eorum, illa quæ consensum essentialiter supponunt, quale est matrimonium; eo feré modo, quo actio libera nostra, est magis in potestate Dei, quam in nostra, & tamen illa, nequit á Deo fieri sine nobis. Ad 4. quód Deus, vt supremus dominus, potest conferre viro vsum corporis fœminæ ad tempus, vel in perpetuum, sine fœminæ consensu; sed tunc licet accessus ad eam, non esset peccatum, quia non esset ad non suam; non tamen esset matrimonium, quia cum hoc, sit vinculum mutui amoris socialis, debet á mutuo coniugum consensu procedere; potest ergo dari accessus ad fœminam extra matrimonium Dei iussu, qui peccatum non sit, & ita contigit in Osea, vt ait D. T. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 2. & 2. 2. q. 104. art. 4. ad 2. & q. 154. art 2. ad 2.

Secunda difficultas: Quisnam consensus, sit ad matrimonium necessarius? Notandum, quod tria sunt bona matrimonij, vt ait D. T. hic, q. 49. art. 2. nempé bonum Sacramenti, quod est vinculi indissolubilitas; bonum prolis, nempé eius procreatio & educatio, & bonum fidei, quod stat in mutua fidelitate, ad debitum reddendum, & non adulterandum, quæ possunt intendi dupliciter, primo volendo obligationem, & non actualem observationem, secundo vtrumque volendo; & hoc vel explicité, vel solum implicité; & quidem certum est, quod ad valorem matrimonij, requiritur consensus expressus, in id quod est de eius essentia, & implicitus, in ea quæ ad illam consequuntur; primum patet: quia res nequit subsistere, absque sua essentia, consensus autem mutuus coniugum, est de essentia matrimonij, vt vidimus; secundum constat: quia qui expresé vult aliquam rem, etiam implicité vult, ea quæ ad ipsam consequuntur.

Resp. ergo: quód si quis haberet, intentionem contrariam substantiæ matrimonij, & eius bonis, & illam deduceret in pactum, nullum efficeret verum matrimonium, vt si quis contraheret, cum intentione separandi se, vel non servandi fidelitatem coniugi, vel filios non procreandi; sic expresé adducitur in cap. final. de condit. appositis, vbi Greg. IX. sic ait: Si conditiones contra substantiam coniugij inserantur, puta, si alter dicat, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu, adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, vbi assignantur tres conditiones, contra bona matrimonij, quæ illud annullant; & ratio est, quia res sine propria substantia nequit consistere.

Sed notandum: quód si talis conditio, non deducatur in pactum, sed sit puré mentalis & interior, & verum consensum in substantiam matrimonij, & eius bona non destruit, verum matrimonium efficitur, vt si quis ea omnia vellet, licet non haberet intentionem servandi, id ad quod se obligavit; si tamen legitimus consensus destruitur, vt si quis non haberet intentionem se obligandi, aut perpetuo sic manendi, nec consentiendi, non daretur matrimonium. Ratio primi est: quia obligatio, non consistit in adimpletione rei promissæ, sed in animo ligandi se, vt patet in iuramento promissorio; & in eo qui habet intentionem profitendi, non tamen servandi regulam, qui veram professionem emmittit, licet adsit intentio perversa: ergo idem dicendum in casu nostro. Ratio secundi est: quia in eo casu, deficeret interior consensus, qui est ad substantiam matrimonij necessarius, & sic matrimonium consistere nequit.

Deindé prob. resolutio ex D. T. hic, q. 47. art. 5. nam in alijs contractibus, fit & subsistit obligatio sub conditione, si hæc substantiæ contractus non adversetur: ergo idem de matrimonio dicendum est. Prob. antec. nam omnes contractus, in quibus ponitur conditio, contraria substantiæ vel fini eorum, sunt invalidi iure naturæ, vt si quis vendat ea conditione, vt non transferatur dominium rei venditæ, & etiam si contractus societatis fiat, sub conditione quod socius, participet damnum & non lucrum, ille contractus est nullus: ergo etiam si quis dicat: accipio te in vxorem, si nolis te obligare ad coniugale debitum, vel impedias prolis generationem, matrimoniũ est irritum, quia illæ cõditiones, substantiæ matrimonij cõtrariãtur.

Sed

Sed oppones 1. poſt matrimonium perfectum, poteſt á coniugibus apponi conditio, ne ſcilicet debitum coniugale petant nec reddant, & habere propoſitum firmum id ſervandi, licet illa conditio opponatur ſubſtantiæ matrimonij: ergo etiam hoc ipſum, poteſt ante matrimonium fieri, eadem enim eſſentia rei eſt in fieri, & in facto eſſe. 2. Beatiſsima Virgo Maria, contraxit verum matrimonium cum B. Ioſeph, & tamen prius emiſerat virginitatis votum, cuius vir eius erat conſcius: ergo matrimonium fieri poteſt, licet præcedat caſtitatis votum, quod eſt ſubſtantiæ matrimonij contrarium. 3. qui baptizando puerum, abluit eo fine, vt illum gratia regenerante privet, verum Baptiſmum conficit, licet operetur contra Baptiſmi finem: ergo idem dicendum de conſentiente, ſub conditione oppoſita fini matrimonij.

Reſp. ad 1. quód eſt diſparitas: quia res, firmius eſſe habet in facto eſſe, cum eſt iam producta, quam in fieri, & ideo poſſunt aliqua impedire ne fiat, quæ tamen ipſam iam factam non deſtruant; exemplum eſt in ipſo matrimonio, quod impeditur & dirimitur, cum affinitas illud antecedit, non verò ſi ſequatur ad ipſum, licet eius vſus impediatur, & ſimiliter votum ſolemne in religione approbata, ſi præcedit matrimonium, impedit & dirimit illud, ſi verò ſequitur ad matrimonium conſumatum, coniunge renuente, illud non diſſolvit, ſed potius vincitur ab eo; idem ergo in caſu noſtro dicendum eſt. Ad 2. Reſp. quód licet B. Virgo, in deſiderio habuerit Virginitatem, antequam S. Ioſepho deſponſaretur, non tamen creditur, illam tunc abſolutè voviſſe, quia eo tempore, opportebat genus humanum generationi inſiſtere, vt cultus Dei propagaretur ante ortum Chriſti; & ſuper hoc B. Virgo, divino ſe commiſit arbitrio, & poſtea ſponſo accepto, ſimul cum eo votum virginitatis emmiſit; ſic D. T. 3. p. q. 28. art. 4. & in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. qq. 1. & 2. ad 1. de quo amplius diſt. 4. ſequenti. Ad 3. quód ſi ille miniſter baptizans, haberet intentionem, conformandi ſe cum inſtitutione Chriſti, verum efficeret Sacramentum, non verò ſi haberet intentionem, contrariam fini & ſubſtantiæ Baptiſmi, & ſic inſtantia illa, pro nobis eſt.

Deducitur ex his 1. quód conſentiens in matrimonium & eius ſubſtantiam, verum efficeret Sacramentum, licet haberet intentionem pravam, circa fines extrinſecos, vt ſi matrimonium ordinaret ad furtum, vel aliud ſimile. Ratio eſt: quia tunc ſalvatur ſubſtantia matrimonij, cum verò conſenſu, licet ad finem pravum ordinato. Vndé ſic contrahentes, mortaliter peccarent, ſicut mulieres quæ nubere volunt, vt facilius carnaliter poſſint peccare, & vt earum peccatum minus cognoſcatur, quibus præſens ſæculum maximé abundat, mortaliter peccant, imó duplex peccatum committũt, aliud ſacrilegij, indigné Sacramentum recipiendo, aliud, illud ad finem malum ordinando; ſi autem quis eo fine contrahat, vt divitias aut pulchram mulierem conſequatur, peccat venialiter, ſalva ſemper intentione & conſenſu, circa Sacramenti ſubſtantiam.

Deducitur 2. quód ſi quis excluderet poſitivé fines intrinſecos accidentales matrimonij, vt eſt prolis generatio & concupiſcentiæ remedium, licité & validé contraheret, ita Dicaſtillo, Cayetan. & Salmant. & patet in contractu ſenium & ſterilium, qui ſpem generandi non habent, nec remedium concupiſcentiæ, ſed ſolum bonorum communicatio, amor ſocialis, & mutua fidelitas intenditur, in quibus ſtat finis ſubſtantialis matrimonij; quod patet evidẽter in coniugio B. Virginis cũ D. Ioſepho, in quo nec intenta fuit procreatio, nec remedium concupiſcentiæ, & tamen validé & licité contraxerunt. Si autem quis, hos duos prædictos fines accidentales primario intenderet, nec venialiter peccaret, ſed opus bonum & meritorium efficeret. Tùm, quia vt ait D. Paulus, vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, propter fornicationem. Tùm, quia licet ex intentione operantis, primario illi fines accidentales intendantur, ſed ex intentione operis, ſemper finis ſubſtantialis primario intenditur, & ſic deordinatio non eſt.

Deducitur 3. quód ſi quis conſentit in matrimonium, ſub conditione de futuro contingenti, quæ rectè & honeſtè fieri poſſit, non eſt matrimonium de præſenti, ſed contractus ſponſalium, vt ſi quis dicat: Duco te in vxorem, ſi recuperaveris illam domum. Ratio eſt: quia tunc conditio, pendet ab eventu futuro, & ſic ab ea nequit oriri mutua obligatio de præſenti; ſi verò conditio futura ſit neceſſaria, vt ſi craſtina die oriatur Sol, quo ad forum externum, matrimonium ſtatim eſt validum, antequam ponatur conditio, quia illa iam certo infallibiliter exiſtit in ſua cauſa, ſed in foro conſcientiæ, ſi contrahens haberet animum expectandi conditionis eventum, ante iſtum non efficeret matrimonium.

Deducitur 4. quód matrimonium factum ſub conditione impoſsibili, eſt invalidum in foro conſcientiæ, ſed in foro externo, præſumitur validum. Ratio primæ partis: quia invalidum eſt matrimonium, ſub conditione initum, niſi conditio ſtet, conditio autem impoſsibilis, ſtare non poteſt, alias non eſſet impoſsibilis; & idem dicendum de conditione repugnante matrimonio, vt accipio te in vxorem, ſi prius me ſepelieris, quia matrimonium, poſt mortem perfici non poteſt. Hoc autem eſt intelligendum, de conditionibus impoſsibilibus ex vi terminorum, non verò de impoſsibilibus per accidens, vel ex ſuppoſitione, vt, ſi virgo es, quæ tamen eſt corrupta, quia id abſolutè eſt poſsibile, licet ſit impoſsibile per accidens; & idem eſt de impoſsibili de præſenti, vt ſi dicatur pauperi: ſi mille libras dederis contraho, quia illud non tám dici-

tur impossibile, quam difficile.

Ratio secundæ partis, nempé quod illud matrimonium quo ad ius externum, censetur validum, constat ex Greg. IX. cap. vlt. de condit. appos. vbi ait: Si conditiones appositæ matrimonio, turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem eius, pro non adiectis haberi, quia scilicet, nemo præsumitur velle peccare, nec etiam iocari, in re tám sancta & gravi. *Dices*: conditio impossibilis, reijcitur á iure civili ab vltimis voluntatibus, vt præsumantur validæ statim: ergo idem in casu matrimonij dicendum est. Resp. quód est disparitas: nam vltimæ voluntates, sunt de rebus temporalibus, quarum dominium, potest respublica transferre de vno in alium, sine consensu domini, quem fictione iuris illa potest supplere, reiecta conditione impossibili quasi non apposita, contrarium autem in matrimonio contingit, vbi nequit á republica consensus contrahentium suppleri, vt suprá vidimus.

Tertia difficultas: An impleta conditione honesta de futuro, matrimonium sub illa contractum, transeat in absolutum absque novo & expresso consensu contrahentium? Certum est in omnium opinione, tutius esse atque consulendum, in eo casu matrimonij sub conditione, hac impleta, expressum consensum de novo apponere, vt omnis dubietas auferatur in re tám gravi; sed tamen qui hoc omitteret, non peccaret mortaliter, quia cum sententia probabili, asserente impleta conditione, statim matrimonium fieri perfectum, conformari posset. Deindé, in sententia asserente, novum consensum non requiri, non potest contrahi cum alia, conditione impleta; bené veró in sententia asserente, requiri consensum novum, quia tunc matrimonium primum non esset perfectum, sed tamen sic secundo contrahens, peccatet mortaliter fidem primæ promissionis frangendo; difficultas est: an manente consensu priori non retractato, & ante impletam conditionem appositó, hac impleta statim fiat matrimonium absolutum, sine consensu novo, vel an novus consensus exterius expressus requiratur?

Verior sententia, quam tenemus nos, est, quod in prædicto casu, contrahentes cum tali conditione, v. gr. si pater consentiat, licet ante conditionis impletionem, solum pro tunc, imperfectum & invalidum conficiant matrimonium, hoc fit perfectum & validum, conditione impleta, quin apponatur consensus novus, si tamen præcedens moraliter perseveret; sic tenent Salmant. cum pluribus Doctoribus primæ notæ. Resolutionem nostram, probant aliqui ex eo, quod si quis de præsenti vult cum fœmina contrahere, sub conditione quod illa consentiat, licet postea diu differat, dum consentit, statim perficitur matrimonium; & idem est de contrahente per procuratorem, sub conditione quod eius munus obeat, quo facto, matrimonium perficitur, sine novo consensu principalis: ergo idem in casu dubij, est dicendum. Sed hæc ratio est inefficax, quia conditiones de quibus loquitur, sunt generales, & intrinsecæ matrimonio, & istæ non suspendunt contractum, sed illum purum relinquunt, quia sunt quasi partes illius; nos autem loquimur, de conditionibus accidentalibus & extrinsecis matrimonio adiectis.

Meliús ergo prob. quia cæteri contractus conditionati, perficiuntur statim purificata conditione: ergo etiam contractus matrimonij. Cons. pat. quia Christus, elevando contractum matrimonij ad rationem Sacramenti, non immutavit naturam contractus. Prob. ant. ex l. hæc venditio 7. ff. de contr. empt. vbi dicitur: Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio; & l. potior 11. ff. qui potior: cúm semel conditio extitit, pro indé habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset. Explicatur: ideo in alijs contractibus hoc contingit, quia consensus per verba de præsenti, licet sub conditione de futuro, est veré consensus de præsenti, licet pendens á conditione futura quo ad eventum, & cum conditio evenit, manet virtualiter in illa: ergo hoc ipsum in matrimonio discurrendum est, nec potest disparitas faciliter assignari. Vrgetur: sponsalia conditionata, impleta conditione, fiunt pura & absoluta, sine novo consensu: ergo idem est dicendum, de matrimonio conditionato.

Sed obstant contra hoc, instantiæ sequentes 1. quia resolutio, videtur opponi D.T. qui in addit. q. 47. art. 5. ait: Aut conditio est contingens, vt est datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut in consensu, qui est per verba de futuro, vndé hoc non facit matrimonium. 2. prior consensus, ante conditionis eventum, non fuit sufficiens, quia si tunc contraheret cum alia, hoc secundum matrimonium esset validum; sed per positionem conditionis, non ponitur novus consensus, nec perficitur antiquus qui iam transijt, & ille est actus interior animæ, qui non perficitur per rem exteriorem: ergo, &c. 3. quia ad matrimonium, consensus purus & absolutus de præsenti requiritur, in casu autem nostro, solum datur consensus conditionatus, & sic novus absolutus debet apponi 4. quia in alijs Sacramentis, non valet collatio, dependenter á futuro eventu, vt si dicatur: Baptizo te, si eras penitueris, sed statim sunt nulla vel valida: ergo idem est de matrimonio.

Ad 1. quo se muniunt oppositi authores, vt Ang. D. ad suam sententiam trahant. Resp. quód ille pro nobis stat, nam licet sit ferendum iudicium de illo consensu, ac de illo qui est per verba de futuro, quo ad tempus in quo conditio ponitur, non

veró

veró pro tempore quo illa impletur & purificatur, & hic est sensus legitimus D.T. Ad 2.quód consensus prior sufficiens est, non secundum se, sed vt exprimitur in conditione impleta,in qua virtualiter perseverat. Ad 3. quód impleta conditione, redditur consensus purus & absolutus, cum ille non sit retractatus, & conditione impleta, statim resultat, sicut patet in sponsalibus, & cæteris contractibus. Ad 4. quód hoc est proprium Matrimonij, quod sit quidam contractus, & sic sortitur contractuum naturam, qui si fuerint conditionati, conditione impleta, sine consensu novo fiunt absoluti.

Dices adhuc: Quód Vrban. VIII. cap. 8. de condit. appositi. duo dicit. 1. non esse verum matrimonium, quando quis assentitur sub conditione de futuro contingenti. 2.quód contrahens cum fœmina, sub conditione si pater consenserit, non est cogendus ad contrahendum, quousque pater consentiat: ergo dum hic consentit, cogendus est, & sic non erat perfectus contractus, alias ad quid ille esset cogendus? Resp. ad 1. verum esse, quod cum quis conditionem apponit, & sub ea consentit,matrimonium non fit, bené veró quando conditionem implet, & hoc secundum assetimus nos; Ad 2. quód ille textus pro nobis est, quia non est cogendus, nisi conditione secuta: ergo si hac secuta cogendus est, ideo erit,quia matrimonium impleta conditione, in absolutum, & purum transit. Vel aliter: non est cogendus impleta conditione, quia ad id quod naturaliter sequitur, quis non cogitur, & contractus sub conditione factus,illa posita, redditur perfectus.

Hæc sunt, quæ circa rem hanc, iudicamus veriora; sed tamen oppositum,etiam apud Thomistas nostros probabilissimum est, quod tenent Dominicus Soto, Ledesma, Cornejo, & Gonet, cum alijs multis; iuxta quos, si hoc dictum placuerit, ad instantias oppositas responderi poterit, quod alij contractus conditionales puré promissivi,adimpleta conditione, transeunt in absolutos, non veró contractus, qui simul sunt tradditivi, in his enim non fit rei tradditio, per purum adventum conditionis, nisi detur novus consensus; primi generis sunt,contractus sponsalitius, & alij similes,& ideo impleta conditione, transeunt in absolutos, contractus autem matrimonialis, est etiam tradditivus, & ideo impleta conditione, non fit perfectus, nisi novus & expressus consensus interveniat.

Sed an conditio,debeat impleri coram Parrocho & testibus? In sententia nobis opposita, exigente novum consensum expressum, id videtur requiri, quia iuxta illam,matrimonium solum habebat vim sponsalium, & assistentia Parrochi & testium, pro matrimonio requiritur. Sed tamen, etiam in sententia nostra,requiritur Parrochum & testes assistere, vel saltim quod eis constet,de impletione conditionis; sic tenent Ledesma, Coninch, Palaus, & Salmantic.cum pluribus.Ratio est:quia Parrochus & testes, debent perfecto & completo matrimonio assistere; matrimonium autem illud, ante impletionem conditionis, non est perfectum, sed solum imperfectum & inchoatum, & sic Parrocho & testibus debet constare, de adimpletione conditionis.

Nec est idem, de matrimonio inter consanguineos, de cuius dispensatione, non debet Parrocho & testibus constare, nec de contrahentibus per procuratorem,debet cõstare mandatum; nec etiam debet constare, pubertas contrahentium. R. enim, quod hæc,sunt disparia á nostro casu, nam dispensatio, facultas procuratoris & pubertas, sunt conditiones requisitæ ex parte personarum, & non ex parte ipsius contractus,& sic licet Parrochus & testes illas ignorent, semper verificatur, eos assistere matrimonio perfecto & completo; cuius contrarium contingit in casu nostro,quia conditionis impletio, requiritur ad substantiam, & perfectionem contractus, vt sit verus & absolutus, & ideo nisi illa constet Parrocho & testibus, non assistunt veró & completo matrimonio.

Quarta difficultas:De obiecto consensus. Certum est, quod vinculum indissolubile, & eius proprietates & obligationes,ad tria bona matrimonij, sunt obiectum essentiale consensus coniugum,nam illa omnia, sunt effectus directé per consensum causatus, & sic sunt obiectum illius, non quidem quo ad eorum executionem,sed quantum ad obligationem & ius, & sic ex vi matrimonij obligantur coniuges,ad vitam individuam agendam fidem mutuo servandam, & prolem non impediendam; nec est necessarium, vt contrahentes consentiant explicité in has obligationes, nam si fuerint rustici,& ignari earum, sufficit vt expresé velint facere, quod faciunt cæteri contrahentes matrimonium, & in hoc expresé volito, aliæ obligationes virtualiter continentur. *Nec dicas*: quód mutua coniugum obligatio, perpetua non est, vt patet in coniugibus ab Ecclesia separatis;nam in illis,semper manet obligatio in radice & iure,licet in vsu & exercitio deficiat, quia remanet vinculum, etsi thorum & cohabitatio separetur, de quo agetur infrá.

Maior difficultas est: An consensus in carnalem copulam, sit de essentia matrimonij?Affirmavit Gratianus, copulam esse partem essentialem matrimonij,& quod ante illã, liberum est coniugi discedere, & alteri nubere, quẽ errorẽ tenuit olim Iulianus, contra quem efficaciter invehitur D. August. lib.5. contra ipsum, cap.9. vbi ait: Iám veró de Ioseph, cuius Mariam teste Evangelio coniugem dixi,multa diu disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere,quia contubitus defuit nullo modo fuisse coniugum; quod etiam

insi-

insinuat D. T. 3.p. q.29. art.2. & D. Aug. lib.23. contra Faustum cap. 8. ait, quod coniugium B. Virginis, cum D. Ioseph, non fuit concubitu, sed affectu, non comixtione corporum, sed copulatione quod charius est animorum.

Deindé, D. Ambros. de inst. virg. air: Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis, & constat ex dicto Vlpiani: nuptias, non concubitus sed consensus facit; & ratio id suadet: quia vsus matrimonij per copulam, est actus & operatio eius; actus autem, cum significetur vt egrediens, supponit essentiam agentis iam constitutam, vt patet in motu lapidis deorsum, qui lapidis essentiam constitutam supponit. Demúm: quia matrimonium dat gratiam, vt eo rectè vtantur coniuges; actus autem ad quem datur gratia Sacramentalis, non est de essentia Sacramenti; actus enim consecrandi, non est de essentia Sacramenti Ordinis. Alij apud Bellarm. citati dicunt, copulam carnalem, esse partem saltim integralem matrimonij, sicut dicitur de satisfactione respectu pœnitentiæ. Sed hoc etiam est falsum: nam pars integralis, debet habere aliquem effectum, vt patet in satisfactione; copula autem nullum effectum habet ex opere operato, nec gratiam nec eius augmentum, nec vllum alterum vt patet.

Nec obstat: quód SS. PP. sæpiús dicunt, matrimonium perfici in corporum commixtione; nam non loquuntur de perfectione substantiali, sed solum de accidentali, nam est quedam operatio & vsus matrimonij, vt diximus de motu lapidis; sic D. T. hic, q.42. art.4. *Si dicas*: Quód matrimonium, ordinatur ad propagationem speciei, quod per copulam fit. Resp. quód ordinatur signatè, sed non exercitè, sicut domus ordinatur ad homines conservandos, quæ tamen perfecta est, licet nullos habeat habitatores; *Nec ideo* Matrimoniũ est frustra, quia illum finem exercitè non attingit, quia habet alios fines, nempé fidem & amorem coniugum; & patet in habitu pœnitentiæ, qui est in beatis, & non exit in actum doloris de peccatis, quia habet alia officia, nempé actum conditionatũ erga peccata si essent, & etiam potentiam perficere. *Dices*: quomodo matrimonium significat vnionem Christi cum Ecclesia, si copula de eius essentia non est? Resp. quód illam vnionem significat, puré speculativé, practicé verò gratiam mutuæ vnionis coniugum, & Sacramenti essentia, consistit in significatione practica.

Respondetur ergo quæsito: quód licet actualis copula carnalis, non sit de essentia matrimonij, benè verò consensus in illam, non explicitus & formalis, sed tantum implicitus. Vtraque pars, habetur apud D. T. hic, q.48. art.1. vbi ait: Quód matrimonium est, consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè, non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continentur effectus in sua causa, quia potestas carnalis copulæ in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas vtendi re sua, est causa vsus; & 3.p. q.29. art.2. in corp. ait: Verum fuisse matrimonium Virginis matris Dei & Ioseph, quia vterque consensit in copulam coniugalem (id est vinculum coniugale) non autem expresè in copulam carnalem, nisi sub conditione si Deo placeret. Vndé iuxta D. Tho. datur verum matrimonium, sine consensu explicito in copulam, vt patet in matrimonio B. Virginis cum D. Ioseph.

Explicatur hoc exemplo, sicut respectu fundi, v. gr. datur duplex dominium, vnum proprium & directum, aliud vtile quo ad vsumfructum; ita in corporibus cõiugum, datur dominium mutuum directum, quo ad obligationem & ius, & dominium vtile, quo ad vsum corporum; sed in fundo, potest dominium directum separari ab vtili, & vnum tradi sine alio, vt cum Dominus dat servo agrum in feudum vel emphiteusim, in hoc manet dominium vtile quo ad vsumfructum, retinente domino dominium directum: ergo idipsum in corporibus coniugum reperiri potest, & vtrumque eorum dominium separari valet, retento dominio directo, & negato dominio vtili, quo ad vsum copulæ, sive ad tempus, sive in perpetuum; & ita contigit in matrimonio B. Virginis, quæ dedit sponso dominium directum corporis sui, non verò vtile, seu vsumfructum illius, sed potius ex mutuo pacto apud se retinuit, nec in copulam explicitè consensit, sed solum implicitè, sicut actus continetur in potentia; ex quo patet secunda pars, de consensu implicito, quia hic est de essentia contractus matrimonialis, & nequit quis consentire in essentiam contractus, quin consentiat implicitè, in ea quæ ad essentiam eius requiruntur.

Sed obstat obiectio difficilis 1. Beata Virgo, nec implicitè in copulam carnalem consensit; hoc enim eius purissimæ virginitati derogaret, fuit enim virgo mente & corpore: vt ait D. T. 3.p. q.27. & tamen eius matrimonium verum fuit, vt ait ibi, q. 29. art.2. quód vniformiter SS. PP. testantur: ergo ille consensus, non est ad matrimonium necessarius. 2. quia B. Virgo ante matrimoniũ, virginitatis votum emisit, & huic opponitur consensus implicitus in copulam. 3. quia si mutua potestas coniugum in matrimonio, esset consensus implicitus in carnalem copulam, sequitur quod B. Virgo, & quicumque post matrimonium, ex communi consensu votum castitatis emittentes, essent obligati ad copulam, ratione mutuæ potestatis, & simul deobligati ratione voti, quæ est aperta contradictio.

Ad hoc argumentum, propter quod difficultas præsens mota est. Resp. quód consensus implicitus in copulam, purissimæ Virginitati B. Mariæ non opponitur, quia non est consensus in copulam actualem, sed solum in potestatem ad eam, vt causam

sam illius; sic ait Cayet. opusc.17. respons.2. Nec ratione traditionis huius potestatis B.Iosepho,B. Virgo,se exposuit periculo amitendi virginitatem, ob privilegium divinæ revelationis,á qua erat edocta, copulam carnalem nunquam futuram ; sicut modo propter Ecclesiæ statutum,conceditur conjugatis bimestre ad consumandum,& eo tempore, nec virginitatem mentalem perdunt, nec periculo ammitendi corpoream se exponunt. Hæc doctrina est D. T. in 4. dist. 30. q.2. art.1. qq. 2. ad 3. vbi ait: Copula carnalis, cecidit implicité sub consensum B. Virginis , sicut actus implicité continetur in potentia;potentia autem ad carnalē copulam,nō contrariatur virginitati, nec diuminuit aliquid de puritate ipsius,nisi ratione actus,qui quidem nunquam fuit in proposito B. Virginis , sed erat iam certificata, quod actus, nunquam sequi deberet.

Ad 2. facilis est solutio in doctrina D.Tho. qui 3.p. q.28. art.4. in corp. ait,B.Uirginem ante nuptias , non emisisse votum virginitatis absolutum, sed solum conditionatum , nisi Deus revelaverit aliud sibi placere , post nuptias verò, simul cum sponso, virginitatem absoluté vovit; vndé dicitur, quod cum Deus revelaverit B. Virgini vt nuberet, nihil nubendo contra votum egit. Quia tamen alij,satis probabiliter docent B.Virginem ante matrimonium,votum absolutum virginitatis emisisse, quod tenent D. Bonavent. & Scotus. Tùm, quia SS.PP.de tali conditione non memorantur.Tùm, quia non debemus credere, B.Virginem, fuisse in hoc inferiorem pluribus virginibus, quæ ante nubilem ætatem, absoluté castitatem voverunt; ideo iuxta hos Doctores , debemus argumento respondere.

Primó potest dici, quod B.Virgo , consensit in obligationem ad copulam , non verò in copulam ipsam, nisi sub hac conditione; si vir debitum petat , & quia per Spiritum Sanctum erat instructa, ipsum nunquam petiturum, ideo consentiendo in copulam sub illa conditione, nihil egit contra votum. Sed hoc est difficile captu , quia non potest intelligi,de consensu expresso in copulam vt vidimus, nec etiam de implicito, quia si quis post votū castitatis, nuberet alteri in extremo agone posito,de quo moraliter est certissimus, nunquam debitum petiturum , ageret contra votum, eo quod non adimpletio conditionis, voti violationem non aufert. Deindé:quia nefas est,rem sacram prophanis vsibus obligare, licet vsus isti,nunquam sint sequendi : ergo etiam est contrarium ex natura rei voto castitatis,virginem sacram obligare vsui carnali, quod fit per matrimonium, licet præcognoscatur,quod vsus ille nunquam futurus est.

Vt igitur , hæc solutio posit sustineri , debet aliter explicari dicendo, quod B. Virgo dum matrimonium contraxit,nec explicité, nec implicité, nec directé , nec indirectè , in copulam carnalem consensit, neque talis consensus est possibilis, sine voti violatione; solum igitur habuit consensum, in obligationē ad copulam,sive illa obligatio sit proxima & formalis , sive solum radicalis & remota, vt dicetur postea. Sed contra hoc, est triplex instantia. 1. qui consentit in causam, virtualiter in effectum consentit : ergo si B. Virgo consensit in obligationem ad copulam , etiam in copulam implicité consensit. 2. quia hoc videtur contrarium, secundæ parti nostræ resolutionis,in qua diximus, consensum implicitum in copulam,requiri ad matrimonium. 3.quia ligatus voto,peccat contrahendo , quia consentit in obligationem ad copulam; ergo si B. Virgo, in hanc obligationem consensit, contra votum peccavit.

Resp. quód consensus implicitus in copulam, vel potest esse ex parte contrahentium , vel ex parte contractus,primus non requiritur ad matrimonium,nam etsi contrahentes,de hoc nihil cogitent verum matrimonium efficiunt , & id contigit in matrimonio B. Virginis , quæ certa erat, de non futuritione copulæ , vt ait D. T. & ideo habebat oppositam intentionem , nec repugnat quod aliquid sit volitum in alio , & nolitum expressé in se ipso , vt patet in volente vitam religiosam , & ei annexa, qui detestatur ieiunia & similia ; secundus consensus in copulam ex parte contractus, ad matrimonium requiritur , in hoc enim stat, mutua traditio potestatis corporum, quæ per matrimonium fit, & consentiens in istud , consentit implicité in copulam,ad quam ordinatur ex meritis contractus; ex quo patet ad 1. & 2. instantiam.

Ad 3.R.quód est disparitas inter B.Uirginem,& alios voventes castitatem,nam illa contraxit accepto divino oraculo, de eo quod debitum nunquam foret ei petendum , & sic nullam voto fecit iniuriam ; verba autem D. Hyer. quæ solent citari, nempé quod voventibus, non solum nubere , sed etiam velle,damnabile est,intelliguntur de illis,qui secundum legem ordinariam nubunt, quia se exponunt periculo reddendi debitum , non verò de nuptis,accepta revelatione de non petitione debiti, vt contigit in B. Virgine. Ad 3. in arg principali positum. Resp. cum aliquibus , quod in B. Virgine,& alijs, castitatis voto ligatis, non est formalis obligatio ad copulam , sed solum radicalis, quæ compatitur cum formali obligatione voti, ad copulam fugiendam; sicut potest quis, habere potentiam ad ambulandum , sed ligatam ex vinculo superveniente; vndé B.Virgo, habuit in radice,facultatem & ius ad copulam , quæ ligata erat quo ad exercitium,per votum.

Vel 2. dicatur: quód licet obligationes contrariæ eiusdem rationis, non compatiantur , sed vna excludatur per aliam, vt votum simplex vnius religionis,extinguitur per professionem in alia,etiam laxiori , & sponsalia cum vna , extinguuntur per ma-

matrimonium cum alia, si autem obligationes sint diversæ rationis, componi possunt, licet exercitium vnius, suspendatur per fortiorem, sicut votum simplex religionis, non extinguitur sed suspenditur, per sequens matrimonium consummatum; cum ergo obligatio orta ex matrimonio ad reddendum debitum, diversæ rationis sit, ab obligatione voti ad abstinendum, quia prima oritur ex promissione facta homini, & secunda ex promissione facta Deo, possunt compati simul, etsi vsus illius quæ ex matrimonio nascitur, sit ligatus & suspensus.

Quinta difficultas: An matrimonium, sit indissolubile iure naturæ? Certum est, quod Deus matrimonium instituens, dedit præceptum de eius indissolubilitate; vndé dicitur Matth. 19. quod ergo Deus coniunxit, homo non separet; & idem habet Trident. Sess. 24. quæ indissolubilitas, potius convenit matrimonio, vt est Sacramentum, quam vt est in naturæ officium, quia primo modo, significat vnionem Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia, & vtraque firmissima & indissolubilis est. Matrimonium autem, aliud est *legitimum*, quod fuit contractum iuxta leges, & reperitur inter infideles, in ratione contractus civilis; aliud est *ratum*, quod per Baptismum redditur firmum, & hoc reperitur inter fideles, quod indissolubile est, quamvis possit dissolvi per professionem religiosam, & dispensationem Pontificiam vt diceemus, quia solum significat vnionem animæ fidelis cum Christo per gratiam, quæ solubilis est; aliud est, *consummatum*, quod per copulam carnalem coniugalem completur, qua coniuges fiunt vna caro, in quo explicatur vnio Verbi cum humanitate, & Christi cum Ecclesia, quæ omnino insæparabilis est.

Dicendum est ergo: quod Matrimonium, est indissolubile ex iure naturæ, licet maiorem habeat indissolubilitatem, post eius consummationem. Ratio primæ partis, summitur ex D.T. hic, q. 67. art. 2. vbi sic ait: Matrimonium ex intentione, ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis; vndé de lege naturæ est, quod parentes filijs thesaurizent, & filij, parentum hæredes sint, & ideo cum proles, sit commune bonum viri & vxoris, opportet eorum societatem perpetuo manere indivisam, secundum legis naturæ dictamen, & sic inseparabilitas matrimonij, est de iure naturæ. Ex quo formatur hæc ratio: matrimonium ex natura sua, ordinatur ad prolis generationem & educationem; sed ad hunc finem, necessaria est inseparabilitas coniugum; educatio enim perfecta prolis, tria exigit, nempé certitudinem ex parte patris; educationem & instructionem quo ad vitam & mores, & successio filiorum in bonis parentum, qui debent filijs thesaurizare, ad quæ inseparabilitas est necessaria; alias proles esset incerta, imperfecta educatio, & commodum bonorum diminutum aut nullum; vndé experientia patet, quod filij aliquo parentum de mortuo, ad curam novercæ vel vitrici transeuntes, hæc omnia non rectè consequuntur; qua propter ait D. Tho. 3. contrag. cap. 123. quod aves, quarum opera requiritur, ad prolis educationem, tandiu simul cohabitant, quandiu proles fuerit educata, vt sibi de necessarijs valeat providere: ergo, &c.

Deindé prob. vinculum inter parentes & filios, est naturale & perpetuum: ergo multo magis inter coniuges. Prob. conseq. nam vinculum coniugum, fortius est & firmius, quam vinculum filiorum & parentum, nam vt ait Scriptura: propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: ergo illud est magis indissolubile, quam istud. Explicatur: dissolutio matrimonij, est contra ius naturæ: ergo indissolubilitas eius, est de iure naturæ. Prob. antec. nam poligamia, seu pluralitas vxorum sub vno viro, est contra naturam matrimonij: ergo etiam matrimonij dissolutio. Conseq. pat. Tùm, nam dissolutio matrimonij, est totalis eius destructio, non verò vxorum pluralitas. Tùm, nã ideo poligamia, naturæ matrimonij contrariatur, quia opponitur fini secundario illius, quod etiam habet dissolutio matrimonij, vt proximé vidimus: ergo, &c.

Secunda pars, nempé quod matrimonium consummatum, maiorem indissolubilitatem exprimit iure naturæ prob. quia dissolutio matrimonij post eius consummationem, primo facit iniuriam proli, quæ ius acquirit ad sui procreationem, in semine deciso, & ad educationem in fœtu efformato; secundo iniuriam facit vxori, si deflorata dimmititur; quare ait D. Tho. loc. cit. ex contrag. si quis mulierem assumens tempore iuventutis, quo & decor & fœcunditas ei adsunt, eam dimmittere posset, postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri, contra naturalem æquitatem; sed nulla iniuria ex his sequitur, ante matrimonij consummationem, cum nec vxor fuerit deflorata; nec proles ius acquisierit ad sui procreationem & educationem, hoc enim primo acquirit, per semen effussum, quod est quasi prolis inchoatio: ergo matrimonium consummatum, maiorem indissolubilitatem exigit iure naturæ, quam si solum sit ratum, & non consummatum.

Sed arguitur 1. omnis res dissolvitur, per causas per quas nascitur; sed matrimonium fit, ex mutuo contrahentium consensu: ergo per eundem dissolvi potest. 2. cæteri contractus humani & civiles, possunt dissolvi ex mutuo contrahentium consensu: ergo etiam matrimonium. Resp. ad 1. quód maior est vera, in rebus ex natura sua solubilibus, de quarum numero, non est contractus matrimonij, quia est sicut anima rationalis, quæ licet producatur cum aliqua dependentia ab agente naturali, quo ad sui vnionem, semel tamen pro-

du-

ducta, nequit ab eo corrumpi, quia ex natura sua incorruptibilis est. Ad 2. quód est disparitas; nam alij contractus, ex natura sua non ordinantur, ad aliquem finem, qui requirat indissolubilitatem, & ideo possunt dissolvi; contractus verò matrimonij, ordinatur ad prolis generationem & educationem, ad quod, inseparabilitas coniugum necessaria est, vt vidimus

Dices: Quód hæc inseparabilitas, potius opponitur bono prolis, quia multoties contingit, aliquem non accipere prolem ex aliqua fœmina, qui tamen facta separatione ab illa, reciperet ex alia. Resp. quód matrimonium, principaliter ordinatur ad bonum commune, quod est bonum prolis, licet etiam ratione finis secundarij, ordinetur ad bonum personæ matrimonium contrahentis, pro vt est remedium concupiscentiæ, & ideo in legibus matrimonij, magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid vni competere possit; quamvis ergo matrimonij inseparabilitas, impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens, ad bonum prolis simpliciter, & ideo salva subsistit ratio nostra; sic D.T. loc. cit. ad 4.

Sed pro alijs instantijs solvendis, est notandum cum D. T. loc. cit. quod non obstat indissolubilitati matrimonij ex natura sua, quod dispensari possit in hoc, vt fiebat á Deo in antiqua lege, permittente libellum repudij, etiam post consumatum matrimonium, vel in lege nova, á Summo Pontifice, ante eius consummationem; sicut Angelus & anima rationalis, sunt incorruptibiles ex natura sua, licet á Deo, possint anihilari; ratio D. T. est: quia dispensatio præcepti, est quasi mutatio cursus naturalis rei, quæ per accidens fieri potest, vel á causa naturali aut supernaturali, vt visum est in statione, & regressu Solis, tempore Iosue & Ezechiæ; dispensatio per causas inferiores, potest fieri in rebus, quæ sunt de secundaria intentione naturæ; á Deo autem, etiam dispensari possunt quæ sunt de primaria naturæ intentione. *Si dicas*: Quomodo Sacramentum matrimonij, est indissolubile ex natura sua, si ratio Sacramenti, convenit ei ex Christi institutione? Resp. quód est indissolubile intrinsecé in ratione contractus, & etiam per denominationem extrinsecam desumptam á ratione significationis Sacramenti, ad quam Christus illum elevavit, licet hoc fuerit ex eius institutione; sic D. Thom. ad 2.

Opponunt aliter, quod Christus Matth 19. dixit: Quicumque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur, vbi insinuare videtur, quod vxor dimmiti potest ratione adulterij: ergo matrimonium, ex natura sua, non est indissolubile. Propter hoc, aliqui hæretici senserunt, quod ob coniugis adulterium, matrimonium potest dissolvi, quo ad vinculũ, per aliquid correspondẽs libello repudij legis antiquæ. Sed hoc est erroneũ, & in Trid. expressé damnatum, Sess. 24. Can. 7. & idipsum constat ex Paul. ad Rom. 7. vbi ait: Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est á lege viri; igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; quod eleganter exponitur ab Aug. lib. 2. de adulterin. coniugijs, cap. 2. vbi ait: Hæc verba Apostoli toties repetita, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt: nullius viri posterioris, mulier vxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit, esse autem desinet vxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur; licité itaque dimmittitur coniux, ob causam fornicationis; sed manet vinculum, propter quod sit reus adulterij; & ratio omnium est: nam sic mulier adultera, aperiret sibi viã, ad alia & alia matrimonia, quod est contra finem Sacramenti.

Restat ad auctoritatem ex Evang. Matt. adductam respondere, ad quam dicimus, quod verba Christi, loquuntur de separatione quo ad thorum & habitationẽ, non quo ad vinculum quod semper manet, vt constat ex Augustini verbis. *Dices*: aliæ sunt causæ præter fornicationem, ob quas vxor potest dimmitti, quo ad thorum & habitationem: ergo aliquid speciale dicit, exceptio illa, *nisi ob fornicationem*, alias significaret falsum indicando, nullam aliam esse causam, dimitendi vxorem quo ad thorum, nisi fornicatio. Resp. quód aliæ sunt causæ, dimisionis temporalis vxoris; adulterium verò, est causa dimisionis perpetuæ, fitque iure matrimoniali, propter violatam fidem coniugij, & hoc speciale exprimitur in verbis Christi, de dimisione propter adulterium.

Si dicas: Christus interrogatus fuit á Phariseis, de dimisione quo ad vinculum, ab eis vsitata: ergo de hac ipsa, intelligitur responsio, alias non esset interrogationi consentanea. Resp. quód in dimissione vxoris, vsitata á Iudæis, duo fuerunt, nempé separatio thori, & consuetudo ducendi aliam, & Christus in responsione, concesit primum in casu fornicationis, & negavit secundum; vndé eadem verba á D. Marco, cap. 10. allata, sic habent: quicumque dimmisserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit, vndé declaratur exceptio á Matthæo facta: *Nisi ob fornicationem*, vt referatur ad separationem thori in perpetuum iure matrimonij, non verò ad coniugium cum altera. *Dices*: D. Ambr. cap. 7. sup. 1. ad Cor. dicit, quod licet viro, aliquam vxorem ducere, si dimisserit vxorem adulteram. Resp. vel non esse D. Ambr. illum comentarium, sed ab hæreticis corruptum; vel si forté illius est, loqui attenta lege sæculi, iuxta quam, id olim permitebatur, non verò attenta lege Christi, iuxta quam matrimonij vinculum, perpetuo indissolubile perseverat. *Aliter dicunt*: quód Papa dispensavit aliquando, in matrimonio rato & non consumato, ob causas legitimas, & si-

militer illud dissolvitur per votum solemne religionis : ergo non est insolubile iure naturæ , quia sic non posset vnquam dispensari, nec dissolvi; pro istorum examine , sequentes difficultates apponimus.

Sexta difficultas : An matrimonium ratum, non consummatum , possit dissolvi per Pontificis dispensationem? Certum est, quod matrimonium consummatum fidelium , nequit Pontificis authoritate dissolvi,& oppositum est error in fide. Tùm, quia matrimonium consummatum, significat perfectissimé,coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem , quæ est omnino inseparabilis. Tùm, quia nunquam Pontifices concesserunt dispensationem,ad dissolvendum matrimonium consummatum , quamvis gravissimis causis vrgerentur. Deindé certum est, quod vt Pontifex in matrimonio rato dispenset , debet vrgens & gravis causa intervenire,alias matrimonium per dispensationem contractum, non solum erit illicitum, sed etiam invalidum, quia Pontificis potestas, non est ei collata ad destructionem,sed ad ædificationem, & sic nequit pro nutu suo illa vti,sed pro vt expediens fuerit ad fidelium vtilitatem; sic tenent Dicastillus, Sanchez, Diana, & Hurtadus.

Quænam autem dentur causæ ad talem dispensationem conferendam? Resp. quód hæc assignantur communiter ab authoribus , nempé impotentia superveniens, nam antecedens , ipso facto dirimit matrimonium;& etiam sterilitas de novo cognita, vel morbus contagiosus, vel notabilis conditionis disparitas, vel scandalum imminens,vel malus exitus matrimonij,& etiam iurgia & dissensiones, quæ multum durare timentur; & minor causa requiritur ad dissolvendum matrimonium ratum, celebratum per procuratorem , vt Cayet. ait ; his causis vel aliqua earum movente, refertur aliquos Pontifices in matrimonio rato dispensasse , quos statim referimus.

Dico igitur : Summus Pontifex habet potestatem, ad præbendam dispensationem,vt dissolvatur matrimonium ratum non consummatum,non quidem ex potestate ordinaria , sed ex extraordinaria, quam habet vt Vicarius Christi,ei specialiter concessa, propter bonum regimen Ecclesiæ, & ob pacem suorum subditorum; sic tenent Sanchez,Henriquez, Diana, Trullench, Bonacina, & Salmant. cum pluribus quos ipsi citant. Aliqui probant ex eo,quod Pontifex potest dispensare, vt per professionem dissolvatur matrimonium ratum : ergo id potest facere,ob alias gravissimas causas quæ occurrere possunt. Sed hæc ratio , falso nititur fundamento, quia professio religiosa , non dissolvit matrimonium ratum ex iure Pontificio,sed ex iure naturæ vel divino. Secundó probant alij: quia Pontifex dispensare potest,in voto professionis religiosæ,quod est maius vinculum quam matrimonium ratum, quia hoc dissolvitur per illud. Sed hæc ratio debilis est : quia licet sit probabile,votum solemne religionis posse á Pontifice dissolvi,sed probabilius est oppositum, vt dicunt Thomistæ, 2. 2. q.88. art.11.

Meliús ergo prob. resolutio: quia Pontifex recipit á Deo plenissimam potestatem, ad ea omnia quæ bono fidelium regimini & con modo , sunt necessaria , & in eorum vtilitatem cedere possunt; sed ad hoc necessarium est, habere potestatem ad dissolvenda matrimonia rata non consummata,ex causis supra relatis:ergo potestas illa,debet Pontifici concedi. Explicatur hoc: matrimonium ratum non consummatum , solum significat vnionem Christi cum anima per gratiam , non verò vnionem Uerbi cum humanitate per Incarnationem, vt ait D.T. in 4. dist.37. q.1. art.3. qq.2. art.1 ,sed vnio Christi cum anima per gratiã, dissolubilis est per peccatum : ergo etiam matrimonium ratum non consummatum, est dissolubile per Pontificis potestatem.

Deindé prob. nam multi Pontifices sæpiús dispensarunt , vt matrimonium ratum dissolveretur; sed non est credibile, illos errasse in materia tam gravi,quæ maximé pertinet ad mores: ergo ad hoc potestatem habent, Mai.prob. quia vt ait Navarrus, Paulus III & Pius IV, ad sui petitionem dispensarunt , & idem ait , Pium V. ter vel quater, hanc dedisse dispensationem,& Cayet.asserit,quod suo tempore, Pontifices sæpé contulerunt dispensationem super hoc , Henriquez ait, Greg. XIII. vna die cum vndecim dispensasse,& D.Antoninus referente Ledesma ait , se vidisse aliquas dispensationes,collatas á Martino V. & Eugen. IU. Nec potest dici : Pontificem id fecisse , sequendo opinionem probabilem; Nam temerarium est asserere, Summum Pontificem speculativé errare posse,in re maximé gravi , ad bonum Ecclesiæ pertinente ; in dicto autem casu, etsi practicé operaretur prudenter , sed speculativé erraret, cum non sit omnino certus de potestate.

Sed in oppositum , sunt instantiæ sequentes 1. matrimonium est indissolubile iure naturæ vt vidimus, & etiam iure divino, vt ait Paul.1. ad Cor. 7. his autem , qui matrimonio iuncti sunt præcipio,non ego sed dominus, vxorem á viro non discedere; Pontifex autem, nequit dispensare , in his quæ sunt de iure divino & naturali ; quare dicitur de matrimonio: quód Deus coniunxit , homo non separet. 2. Summus Pontifex nequit dispensare, vt matrimonium consummatum dissolvatur:ergo nec vt dissolvatur ratum , quia vtrumque est eiusdem rationis, cum sola differentia accidentali. 3. non solum matrimonium consummatum est Sacramentum,sed etiã matrimonium ratum;& ex ratione Sacramenti habet , quod indissolubile sit. 4. quia si Pontifex id posset, eo esset, quia matrimonium

nium ratum, habet pro fundamento actum humanum super quem potestatem habet; sed hoc probat, idipsum posse facere Principes sæculares, quod falsum est: ergo &c. 5. quia sic etiam posset Episcopus in sua Diœcesi, super hoc dispensare, quia id ipse ibi potest, quod Pontifex in tota Ecclesia; consequens est absurdum: ergo, &c.

Resp. ad 1. quód quantum ad dissolutionem matrimonij per dispensationem, licet sit de iure naturæ diximus aliquid diff. præced. sed quod pertinet ad indissolubilitatem de iure divino, aliqui dicunt, textus allatos, de matrimonio consummato debere intelligi, & constat ex verbis Christi: erunt duo in carne vna; & rursus: quód Deus coniuxit, &c. quæ consummationem matrimonij explicant. Sed dato, quod matrimonium ratum, sit iure divino indissolubile, dicimus illud non dispensari á Papa, tanquam ab homine, sed tanquam á vicegerente Dei, á quo accepit hanc extraordinariam potestatem, pro Ecclesiæ communi bono; sicut aliquando dispensavit in voto solemni, cuius obligatio est de iure divino, non ita vt manente voto, solveretur eius obligatio, sed redendo nullum actum præcedentem, in quo fundabatur obligatio, Papa enim potest dissolvere ea quæ sunt de iure divino, quando habent pro subtracto actum voluntatis, vel contractum humanum, qui potest vt humanus est ab eo dirimi, & hoc in matrimonio rato contingit.

Ad 2. quód vtrumque matrimonium, non differunt puré accidentaliter, sed substantialiter, quia copula maritalis, licet non sit pars essentialis, nec integralis matrimonij vt vidimus, expressius tamen significat vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, quæ omnino est indissolubilis; matrimonium autem ratum, solum significat vnionem Christi cum anima per gratiam, quæ licet ex parte illius sit indissolubilis, sed ex parte animæ, per peccatum dissolvi potest, & sic differunt substantialiter in ratione signi; & etiam in ratione contractus, quia hic perficitur & completur in sua substantia per copulam, sicut contractus venditionis, per traditionem actualem rei venditæ completur; matrimonium autem ratum, solum est tradditio in actu primo, absque actuali corporum possessione.

Ad 3. quód matrimonium ratum, non est omnino indissolubile, excludendo dissolubilitatem, tám intrinsecam, quám extrinsecam, modo dicto diff. præcedenti, sed dicitur ratum, & indissolubile in ratione Sacramenti, quia nec mutuo consensu, nec aliqua causa á contrahentibus posita dissolvi potest, in quo differt á matrimonio legitimo infidelium, quod per conversionem vnius ad fidem dissolvitur, matrimonium autem ratum, solum á Deo vel á Papa eius vicegerente, per extraordinariam potestatem dissolvi potest. Ad 4. quód Pontifex, vt Vicarius Christi, ratione potestatis singularis ab eo receptæ, potest in aliquibus dispensare quæ sunt de iure divino, si actus humanos concernunt, quæ potestas non convenit Principibus sæcularibus. Ad 5. quód dispensatio in matrimonio rato, est res ardua valdé, & ideo altiori potestati, vt est in Pontifice debet reservari, non veró potestati Episcopi, & licet illi expressé in iure non denegetur, sufficit tamen quod non concedatur; vt laté probat Diana, part. 8. Tract 3. resol. 97.

Septima difficultas: Quomodo matrimonium ratum non consummatum, possit per professionem religiosam dissolvi? Certum est, matrimonium consummatum, non posse dissolvi per professionem religiosam vnius coniugis, nec vtriusque; cuius rationem assignat D. T. hic, q. 6. art. 1. quia nequit offerri Deo, quod non est proprium alicuius sed alienum, corpus autem coniugis, consummato matrimonio, iam non est suum sed alterius, & sic nequit Deo per votum solemne offerri, & ideo si coniux absque consensu alterius, post consummatum matrimonium religionem profitetur, potest á coniuge repeti, & tenetur exire, & cum eo cohabitare; sed si hoc facit cum consensu illius, nequit repeti, manet tamen matrimonium quoad vinculum, & ideo manens in sæculo, nequit nubere cum alio, & qui professus est, si committit peccatum carnale, præter malitiam fornicationis & sacrilegij, committeret etiam adulterium, in confessione aperiendum.

Oppones: etiam per matrimonium ratum, corpus vnius coniugis tradditur alteri; & tamen potest Deo offerri per solemne votum religionis, & dirimi matrimonium ratum: ergo idem de matrimonio consummato est dicendum. Resp. quód ante carnalem copulam, corpus vnius coniugis, non est perfectè translatum in potestatem alterius, sed solum sub cõditione, quod ad frugem melioris vitæ non convolet; sed per carnalem copulam, completur dicta translatio, quia tunc vterque intrat in corporalem possessionem potestatis sibi traditæ; vndé coniuges post matrimonium ratum, possunt corpora Deo per votum solemne offerre, non veró post matrimonium consummatum; sic D. T. loc. cit. art. 2. ad 2.

Dicendum est ergo: Quód matrimonium ratum non consummatum, dissolvitur per votum solemne religionis, ex ipso iure naturæ, seu ex efficacia voti solemnis, sic tenent Salmant. cum pluribus cõtra Gonet, & conformius hoc videtur D. T. Dicitur per votum solemne, quia non sufficit religionis ingressus ad hoc, sed professio requiritur, & ideo coniux in sæculo manens, debet alterius coniugis professionem expectare, vt ad alias nuptias possit transire, quia in hoc, æqua est vtriusque conditio; votum autem, debet esse per professionem solemnem, & sic non sufficit votum simplex in quibusdam religionibus á Donatis emissum,

Tùm, quia illud non est perpetuum ex parte admittentis. Tùm, quia Trident. solum per professionem solemnem, matrimonium ratum dirimi asserit. Votum autem simplex, Tertiariorum, Mantellatarum, quas Beatas vocant, & extra claustra viuunt, non dirimat matrimonium ratum, benè verò si viuunt in communi, & emittunt professionem solemnem.

Prima ergo pars nostræ resolutionis, quod nempè matrimonium ratum non consummatum, dissolvatur per professionem religionis, constat ex Trident. Sess. 24. Can. 6. vbi ait: Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit; & idem habet Innoc. III. cap. ex part. de convers. coniugator. vndè in iure conceditur coniugatis, spatium duorum mensium, intra quod non teneantur consummare matrimonium, sed de ingressu religionis deliberare si velint, quo elapso tenentur sibi mutuo debitum reddere.

Aliqui, huius congruentiam assignant, ex eo, quod per professionem religiosam, fit transitus ad meliorem statum. Sed hoc non probat, quia etiam professio religiosa, est melior status quam matrimonium consummatum, & tamen hoc non dissolvitur, per votum solemne religionis; & similiter, qui suscipit ordinem sacrum, ad meliorem statum transit, & status Episcoporum, perfectior est quam Monachorum, & tamen per nullum ex his, matrimonium ratum dissolvitur. Meliùs ergo assignat congruentiam D. T. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. qq. 2. in corp. vbi ait: Ante carnalem copulam, est inter coniuges, tantum spirituale vinculum, sed post, est inter eos etiam vinculum carnale, & ideo sicut post carnalem copulam, matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur, quia religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo; & idem habet hic, q. 61. art. 2. Hoc idem suadent exempla Sanctorum, qui post matrimonium ratum non consummatum, sponsas reliquerunt, vt in perpetua continentia viverēt, vt fecit S. Tecla, Cecilia, D. Alexius, & quedam Gregoria de qua S. Greg. memoratur, lib. 3. Dialogor. cap. 14.

Secunda pars resolutionis, nempè quod per professionem religiosam, dirimitur matrimonium ratum iure naturæ. Prob. ex doctrina D. T. loc. cit. 1. quia sicut matrimonium consummatum, dissolvitur per mortem corporalem, ita matrimonium ratum, per mortem spiritualem, quæ per professionem consequitur; sed mors corporalis, iure naturæ dissolvit matrimonium consummatum: ergo etiam professio religiosa, iure naturæ dissolvit matrimonium ratum. Explicatur: sicut per matrimonium consummatum est inter coniuges vinculum carnale, sic per matrimonium ratum, est vinculum spirituale; sed per mortem carnalem, iure naturæ dissolvitur vinculum carnale matrimonij consummati: ergo etiam per mortem spiritualem, dissolvitur vinculum spirituale matrimonij rati, sed professio religiosa, est quædam mors spiritualis, qua quis sæculo moritur & Deo vivit, iuxta Pauli dictum ad Coloss. 3. mortui enim est is, sed vita vestra, est abscondita cum Christo in Deo: ergo. &c.

Deindè prob. ratio naturalis dictat, licitum esse ascensum á statu imperfectiori ad perfectiorem, si hoc fieri potest, sine alterius iniuria; sed transire ex matrimonio rato ad religionem, est transitus á statu imperfectiori ad perfectiorem, & alias hoc fieri potest sine iniuria alterius, quia nec datur proles, quæ debeat educari, & mulier cum intacta permaneat, æquè benè potest nubere, cum nullam infamiam subierit ex matrimonio rato: ergo matrimonium præcedens, iure naturæ per votum solemne religionis dissolvitur. *Dices*: quòd hæc ratio non convincit, quia etiam Ordo sacer, Episcopatus, imò & votum simplex castitatis, sunt status perfectior, quam matrimonium ratum; & tamen hoc non dissolvitur per illa. Contra est: quia status prædicti, etsi perfectiores sint matrimonio rato, non tamen sunt perfecta mors spiritualis & civilis, quia post illos homines possunt vivere in sæculo, & habere possessiones, voluntatem & dominium rerum; sed professio religiosa, est perfecta mors spiritualis & civilis, hæc secum non compatiens: ergo dispar est ratio vtriusque.

Sed oppones 1. Quia si matrimonium ratum, per causam naturalem, posset iure naturæ dissolvi, iam non esset ex natura sua indissolubile, quod falsum est. 2. votum solemne post Matrimonium emmissum, est invalidum, cum res semel traddita vni, nequeat sine huius consensu alteri traddi: ergo corpus tradditum coniugi per matrimonium ratum, nequit validè per professionem traddi Deo, & sic hæc ex natura sua, non dissolvit vinculum illius. Resp. ad 1. quòd non est inconveniens, quod aliquid sit indissolubile ab intrinseco, & quod ab extrinseco dissolvatur per causam superiorem, vt patet in exemplo supra posito de anima rationali & Angelo, quæ sunt ab intrinseco incorruptibiles, & tamen á Deo tanquam á superiori causa, potsun ab extrinseco destrui & anihilari; & hoc contingit in casu nostro, nam professio religiosa, cum sit status perfectior, est superior causa respectu matrimonij, & ideo illud quasi ab extrinseco potest dissolvere, salva manente eius intrinseca indissolubilitate. Ad 2. quòd illud est verum, quando res, est perfectè traddita vni, non verò si tantum sit traddita imperfectè & sub conditione, qualiter fit in coniugibus corporum tradditio, per matrimonium non consummatum; recolantur proximè dicta ex D. Tho. circa vtriusque matrimonij disparitatem.

Octa-

Octava difficultas: Quomodo dissolvatur Matrimonium infidelium, per conversionem vnius ad fidem? Certum est, quod Matrimonium inter infideles contractum, si fuerit legitimum, id est iuxta leges contractum, nullo impedimento intercedente, validum est; sic colligitur, ex verbis Pauli statim adducendis 1. ad Cor. 7. vbi monet, ne infidelis ad fidem conversus, á suo coniuge discedat, si hic cum illo velit habitare, modo infra dicendo, & idem ait D.T. hic, q. 59. art. 2. Ratio est: quia matrimonium non solum est Sacramentum, sed etiam naturalis contractus, & hoc secundo modo apud infideles reperitur, licet non habeat vltimam perfectionem in esse Sacramenti, sicut inter infideles; vndé illud, nullo modo est dissolubile, nec mutuo coniugum consensu vt vidimus, nec per repudium coniugis, quia hoc illis non erat permissum, vt dicemus diff. sequenti, nec potestate Papæ, quia illi subiecti non sunt infideles, nec privilegio Principum, quia isti non habent potestatem ad dissolvendum matrimonium, quod iure naturæ & divino indissolubile est.

Deindé est certum, quod si vterque coniux infidelis, convertitur ad fidem, Matrimonium eorum non dissolvitur, quia privilegium dissolvendi illud, quando aliquis eorum ad fidem convertitur, hic non habet locum vt dicemus; nisi forté postea Pontifex in hoc dispenset, quod potest facere, licet Matrimonium infidelium, sit consummatum, vt ait Sanchez, nam ille potest dispensare ad dissolvendum matrimonium ratum inter infideles vt vidimus, quod maius vinculum est, quam matrimonium consummatum infidelium. Demúm est certum, quod per conversionem vnius coniugis infidelis ad fidem, alio perseverante in infidelitate, matrimonium potest dissolvi quo ad thorum & habitationem, ita vt liberum sit fideli, habitare cum coniuge infideli, vel illum dimmittere.

Ratio huius assignatur á D. T. hic, q. 59. art. 4. Túm, quia propter adulterium carnale, licet vxorem dimmittere; ergo etiam propter infidelitatem, quæ est quodam spirituale adulterium. Túm, quia per Baptismum regeneratur homo ad novam vitam & moritur priori, & sic non tenetur ad ea, ad quæ in priori vita tenebatur, quorum vnum erat coniugi cohabitare. Diximus, liberum esse coniugi fideli, cum infideli habitare, vel eum dimmittere, quia potest si velit habitare cum eo; ad quod notanda sunt verba Pauli, in quibus præsens fundatur resolutio; ait enim 1. ad Cor. 7. Si quis frater, vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimmittat illam. & si quæ mulier fidelis, habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimmittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; quia nempé fidelis exemplo suo, potest alterum ad fidem attrahere, vt fecit Theodora cum Sisinio, & S. Cecilia cum suo sponso.

Resp. ergo difficultati: Quód matrimonium infidelium, etiam post eius consummationem, dissolvi potest quantum ad vinculum, si aliquis eorum ad fidem convertatur, & alter nolit pacificé cum eo habitare, sine contumélia creatoris, non autem si velit pacificé cohabitare. Prima pars habetur cap. quanto, de divort. vbi dicitur: Si alter infidelium coniugum, ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, ad secunda si voluerit vota, transire posse. Hoc ipsum constat ex D. Paul. loc. cit. vbi primo de matrimonio fidelium, sic ait: His autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem á viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat.

Vlteriús progreditur, & de matrimonio infidelium, hæc ait: Nam cæteris, ego dico, non Dominus: si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimmittat illam; quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, quæ verba vltima, ita exponuntur communiter, quod si coniux infidelis, odio religionis Christianæ, voluntarié recesserit á coniuge fideli, hic non subijcitur servituti, manendo in perpetuo cœlibatu, quin alteri nubatur; & idem dicendum, si infidelis remaneat cum fideli, sed cum iniuria creatoris, & spirituali damno conversi, quia hoc detetius est, quam si discederet.

Si dicas: Quód verbum *discedit*, summitur pro discessu imperfecto, solum quo ad cohabitationem, non veró quo ad vinculum, nam ait Apostolus, quod mulier discedens, debet manere innupta, aut viro suo reconciliari; & verbum servitutis, solum significat, quod vnus non debeat sequi alium discedentem, non veró quod vinculum in eo casu dissolvatur. Resp. quód D. Paulus, diverso modo loquitur, de matrimonio fidelium ac infidelium, & de primo ait, quod mulier discedens maneat innupta, quod significat separationem solum quoad lectum & tectum, & de secundo dicit: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, quæ propositio cum sit indifinita, æquivalet vniversali, & omnem servitutem excludit, quo ad thorum & vinculum, quia etiam si absque iniuria creatoris cohabitaret, non esset obligatus servituti & officijs coniugalibus, nam illud est consilium & non præceptum, ait enim Paulus: cæteris ego dico non Dominus, cum tamen de Matrimonio fidelium dixisset: præcipio, non ego sed Dominus, ex quo patet vtriusque differentia.

Secunda pars, habetur ex D.T. hic, q. 59. art. 5. vbi

vbi ait: Quando alter coniugum, ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, distinguendum est, quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia creatoris, id est sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens, non potest alteri nubere; si autem infidelis non velit cohabitare, sine contumelia creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem trahere nitatur, vir fidelis discedens, potest alteri per matrimonium copulari; & ratio horum est: nam hoc privilegium, Christus infidelibus conversis cõcessit, in gratiam fidei, ne cogantur cœlibes perpetuo manere, nec habitent cum periculo subversionis, quæ cessant cum coniux infidelis, pacificé habitare vult, sine contumelia creatoris.

Inquires: Quando dissolvitur matrimonium illud? Resp. quód alio nolente habitare pacificé, sine contumelia creatoris, matrimonium dissolvitur, quando conversus re ipsa, contrahit aliud matrimonium; sic expressé D. T. loc. cit. ad 2. vbi ait: Crimen vxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris, absolvit virum á servitute qua tenebatur vxori, vt non posset ea vivente aliam ducere, sed non dum solvit matrimonium, quia si illa converteretur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus, sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus á servitute vxoris suæ, per culpam eiusdem; quod etiam constat ex cap. gaudemus de divortijs vbi dicitur, quod si coniux infidelis convertitur ad fidem, priusquam fidelis conversus, aliud matrimonium contrahat, compellatur hic ad coniugem recipiendum; & sic dissolutio matrimonij statim non fit, sed post novum matrimonium, á fideli converso contractum; sicut matrimonium ratum dissolvitur, facta professione religiosa, & nec antea, nec statim, ac fit religionis ingressus.

Ex his infertur 1. quód infidelis coniux relictus, invalidé contrahit cum alio, antequam fidelis conversus, ad aliud matrimonium transeat, nam vinculum prioris matrimonij, non dissolvitur per matrimonium infidelis, nam privilegium non fuit concessum in gratiam ipsius, sed in gratiam fidei, alterius coniugis conversi. 2. infertur, quod si post contractum novum matrimonium á fideli converso, eius moriatur vxor, & prima infidelis convertatur, non tenetur ad eam iterum ducendam, quia vinculum prius extinctum fuit, & sic ex eo, nulla manet obligatio. 3. infertur, fidelem conversum, non posse ad secundas nuptias transire, nisi prius constet ei de pertinacia coniugis, nolentis converti, nec pacificé sine contumelia creatoris habitare, & sic debet eum monere, qua per eius resistentiam, acquirit ius resiliendi á matrimonio priori; nisi forté admonitio sit difficilis ob maximam distantiam coniugis, quare Pius V. diffinivit, Indos Orientales ad fidem conversos, qui scire nequeunt quid actum sit de priori coninge quem infidelem reliquerunt, posse manere in coniugio, post eorum conversionem contracto.

Sed argues contra resolutionem. Matrimonium fidelium, cum aliquis eorum in hæresim labitur, & habitare non vult cum fideli, sine contumelia creatoris, non dissolvitur quo ad vinculum, sed solum quo ad thorum, vt ait Trident. Sess. 24. Can. 5. ergo idem dicendum, de matrimonio infidelis ad fidem conversi, quia in vtroque casu, est eadem creatoris contumelia, & idem periculum coniugis. Resp. quód est disparitas. 1. quia matrimonia in infidelitate contracta, non sunt Sacramentum, sicut illa quæ post Baptismum contrahuntur, & ideo hæc, sunt magis indissolubilia quam illa; vndé non solvitur matrimonium Christianorum, cum aliquis ex eis, in hæresim labitur, bené veró matrimonium infidelium, cum aliquis ad fidem convertitur, & alter sine contumelia creatoris, pacificé habitare non vult; sic D. T. hic, q. 59. art. 1. ad 5. 2. quia Ecclesia, cum non habeat potestatem, supra infidelem relictum, nequit eum cogere ad habitandum pacificé cum alio coniuge læso, & sic matrimonium dissolvitur, ne coniux fidelis obligetur ad perpetuum cœlibatum, vel ad patiendas continuas rixas, & periculum ammittendi fidem; quæ rationes non militant, in coniuge baptizato & in hæresim lapso, qui semper manet legibus Ecclesiæ subiectus, á qua puniri potest, nisi ad frugem redierit.

Nona difficultas: De alijs ad Matrimonium pertinentibus. *Primó* dubitatur, de libello repudij, de quo agit D.T. hic, q. 67. Hoc in lege Moysis fuit permissum, vt habetur Deut. 24. vbi dicitur: Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquã fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimmitet eam de domo sua; scribebatur autem libellus, non ab ipso repudiante, sed ab scriba docto. Túm, vt mora scribendi, daret marito locum reflexioni, vt maturius deliberaret. Túm, vt scriba, cui causa repudij erat exponenda, iudicaret, an esset iuxta legem vel non; nec requirebatur, causam in speciali aperire, sed sufficiebat in generali proponere, de quo plura affert Abul. sup. cap. 19. Matth.

Talis autem libellus, dari non poterat, nisi ex gravi causa iusta, quæ in verbo fœditatis, in communi exprimitur, sed hæc erat sterilitas, lepra, morbus perpetuo impediens redditionem debiti coniugalis, veneficium, ebriositas, morositas, rixæ perpetuæ, & pravi mores mulieris, pacem turbantes, & liberos malo exemplo nocentes. Hoc autem non fiebat, ob consequendum maius bonum, sicut dispensatio de pluralitate vxorum, sed propter

ter vitandum maius malum, nempé vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant, propter corruptionem irascibilis; sicut eis permissum fuit fœnerari extraneis, ob corruptionem concupiscibilis, ne fœnerarentur fratribus suis. Hæc autem facultas repudiandi vxores, á Deo concessa Iudæis, á Christo revocata est, vel in eius morte, in qua terminata fuit Moysi lex, vel in die Pentecostes, quando lex gratiæ fuit promulgata, vel certius Matth. 19. vbi dicitur, quod qui vxorem dimisserit, & aliam duxerit, mechatur.

Est autem dubitatio: An Iudæis ita fuerit permissum repudium vxoris, vt id possent facere sine peccato, an verò solum permissum, ne punirentur vt legis transgressores? Resp. quód in lege veteri, licitus fuit libellus repudij, per quod matrimonium dissolvebatur, & ideo mulier repudiata, licitè & validè poterat alteri nubere, ita Sanchez, Cayet. Ledesma, Basilius, Dicastillus, & Salmant. cum pluribus alijs. Ratio sumitur ex D.T. loc. cit. art. 3. quia nunquam legitur, Prophetas increpasse tale repudium, nec monuisse populos de malitia illius, imó ab eis commendabatur, dicitur enim Malach. 2. cum odio habueris vxorem, dimitte; si autem hoc peccatum esset, aliquando reprehendissent Prophetæ, sicut Psalm. 14. reprehenduntur vsuræ, licet essent permissæ vt minus malæ, quia non erant licitæ. Deindé: quia Moysis lex, non puniebat mulieres repudiatas, si alteri nuberent, imó hoc permitebat illis Deuter. 24. & sic non erant adulteræ, alias punirentur per legem, ideoque prius matrimonium, erat dissolutum per repudium; mulieribus enim, nunquam fuit permissum cum duobus nubere, sicut permissum est viris, habere duas vxores; qua propter Sacerdotibus præcipiebatur Levit. 12. ne ducerent vxorem viduam aut repudiatam, aut meretricem, sed virginem: ergo alijs, hoc erat licitum, & sic erat dissolutum primum matrimonium.

Sed dices contra hoc 1. quód in lege Deuter. relata dicitur, quod mulier repudiata & alteri nupta, erat abominabilis coram Domino; sed non quia nuberet, quia in ea lege, non vigebat vita celebs: ergo propter repudium. 2. quia in ea lege prohibetur, ne vir repudiatam reassumat: ergo peccavit in repudio, alias non imponeretur ei pœna illa. 3. quia Christus Matth. 19. ait, Moysem ob duriciem Iudæorum, eis permisisse repudium; sed permissio non excusat á peccato, præcipuè si fit ob duritiam cordis, vt patet in vsuris, quæ non excusabantur á peccato, licet permissum esset extraneis fœnerari: ergo, &c.

Resp. ad 1. quód mulier repudiata, si alteri nubat dicitur polluta, vel quia coram Domino & viro talis fuit iudicata, ratione repudij, vel ob quandam legalem immunditiam, sicut pollutus erat, qui tangebat leprosum aut mortuum, non verò dicebatur polluta, ratione matrimonij de novo contracti; sic D.Tho. loc. cit. art. 4. ad 5. Ad 2. quód lex prohibuit reassumere mulierem repudiatam, non quia repudium esset culpa, sed vt auferretur nimia facilitas repudiandi, per pœnam iterum non reassumendi, vt sic mature consideraretur repudium; ita D.T. ibi, art. 5. Ad 3. quod licet duritia cordis, á peccato non excusaret, tamen permissio ex duritia facta excusat, nam quædam prohibentur sanis, & non infirmis corporaliter, nec ideo infirmi peccant, vtendo permissione sibi facta; sic D.T. art. 3. ad 4.

Secundó dubitatur, de bonis Matrimonij. De hoc agit D.T. hic, q. 49. Ad quod dicitur, quod tria sunt matrimonij bona, nempé proles, fides, & Sacramentum, quæ tria damna, ex matrimonio subsecuta compensant; sic D.T. ibi, art. 2. quæ bona explicat cum D. Augustin. sic: In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale, cum altero vel altera concumbatur; in prole, vt amanter suscipiatur, benigne enutriatur, religiosé educetur; in Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungantur. Ratio huius est: quia nullus sapiens aliquod damnũ patitur, nisi cũ cõpensatione æqualis aut maioris boni; sed per matrimoniũ, tria resultãt damna & incommoda, nempé obscuratio rationis per matrimonij vsum, per quem fit homo totus caro, similis brutis, vt ait D. T. deindé nimia solicitudo placendi coniugi, ratione cuius, habet cor divisum, id est non perfectè Deo tradditum, vt ait Paul. 1. ad Cor. 7. & tandem perpetua servitus & subiectio. quare mulieri dictum est: sub viri potestate eris, & rursus viro, ex Paulo ibi: alligatus es vxori? noli quærere solutionem, & ibi indicatur mutua potestas super corpora eorum; sed omnia hæc mala, compensantur per matrimonij bona: ergo, &c.

Prob. min. nam damnum iacturæ rationis, compensatur ex bono prolis, id est generatione filiorum, per quos Deus perpetuo colitur; deindé, damnum solicitudinis placendi coniugi, compensatur bono fidei, id est obligatione fidelitatis, ad reddendum coniugale debitum legitimé petenti, & negandum corporis vsum, cuilibet alteri; ac demum mutua subiectio & servitus, compensatur ex bono Sacramenti, id est vinculi indissolubilis, quo repræsentatur, vnio Christi cum Ecclesia, & mutua eius dilectio, & etiam compensatur ex bono signi efficacis gratiæ, sanctificantis coniuges, & conferentis auxilia, ad se mutuo diligendum, & onera matrimonij suaviter toleranda. ergo, &c.

Infertur ex dictis: quód bona matrimonij, non solum excusant eius actum reddendo eum licitum, sed etiam faciunt bonũ & sanctum; est enim bonus, ratione prolis & fidei, & sanctus ratione Sacramenti, significantis coniunctionem Christi cum Ecclesia, sic D.Tho. ibi, art. 4. Vndé coniuges peccant

saltim venialiter in actu coniugali, nisi conveniant, causa prolem procreandi, aut debiti reddendi; sic habet Aug. de bono coniug. cap. 7. dicens: Reddere debitum coniugale, nullius est criminis, exigere autem vltra generandi necessitatem, est culpæ venialis; coniuges autem, aliquod bonum matrimonij, se copulando non intendentes, mortaliter peccant, vt si quis non attendit, quód mulier sit vxor, sed solum quod est mulier, paratus idem facere, si vxor non esset. Vndé ait D. Hyer. lib. 1. adu. Iovin. adulter est, in suam vxorem amator ardentior; in altera quippé vxore, omnis amor turpis est, in sua nimius; sapiens vir, iudicio debet amare coniugem, non affectu; nihil est fœdius, quam vxorem amare quasi adulteram.

Tertió dubitatur, de bimestri, coniugibus ad deliberandum concesso. Vocatur bimestre, id est duo menses, coniugibus concessi ad deliberandum, an velint religionem intrare, & intra illud tempus, non tenentur debitum reddere petenti, vt habetur cap. ex publico, de convers. coniugat. cuius rationem assignat D. T. hic, q. 61. art. 2. ad 2. propter tria 1. vt interim possit deliberare, de transeundo ad religionem. 2. vt præparentur, quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. 3. ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam; & hoc tempus conceditur pro ingressu, & non pro professione, quia ad hanc, assignatur á Concil. integer annus, quem debet expectare coniux in sæculo manens, antequam alteri nubere possit, & aliquando quadrienium, vt si sponsa duodenis ad religionem transit, cum profiteri nequeat, ante decimum sexum expletum.

Sed an transacto isto tempore, possit quis religionem ingredi, si matrimonium non cõsummavit? Resp. quód potest validé, sed non licité; primúm patet, quia Concilium id statuit, in beneficium religionis, antequam matrimonium consumetur; secundúm constat, quia post illud tempus, tenetur debitum reddere coniugi, & sic nequit sine consensu illius, religionem ingredi. Ille veró, qui non habet animum ingrediendi religionem, potest vti bimestri á iure concesso, nec intra illud tenetur debitum reddere petenti, quia vtitur iure suo, & potest intra illud tempus, animum mutare. Quid autem, si aliquis matrimonium contraheret, animo postea religionem ingrediendi? Dicitur: quód si hoc faceret, cum legitima & vrgenti causa, non peccaret; imó ad hoc aliquando obligaretur, vt in casu quo, sub iuramento sponsalia promisisset, si potest implere absque damno coniugis, & ad statum perfectiorem transire, ad id tenetur, & similiter si fœminam defloraffet, & magna immineret iactura famæ, vel legitimatio prolis; si autem hoc fiat sine iusta causa, est peccatum mortale, quia matrimonium, est traditio perpetua, & sic contra eius naturam facit, qui animum haberet religionem intrandi, cum iniuria coniugis, qui vel alias nuptias tenetur expectare, vsque ad tempus professionis, vel vivere cum coniuge, si á religione discedit, & vtrumque est grave damnum, vt patet.

ARTICVLVS VI.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de consensu Matrimonij. Iuvencula quædam, ad matrimonium adducitur á parentibus cum alio iuvene, eiusdem qualitatis & fortunæ, cum tamen ipsa, ad eius amorem non esset propensa, quia forté diligebat alterum, tempore matrimonij contrahendi, consensum exterius per verba expressit quin animo interius consentiret. Quæritur: quid de Matrimonio isto, sentiendum est? Resp. quód matrimonium illud, validum non foret; sic D. T. hic, q. 45. art. 4. & ratio est 1. quia in omnibus Sacramentis requiritur intentio, vt dictum manet in Quæst. de Sacram. in genere, & sic illa deficiente, Matrimonium validum non est. 2. quia si quis reciperet ablutionem exteriorem, non intendens Sacramentum, sed ludum vel dolum, non esset baptizatus: ergo idem in præsenti; sicut enim se habet ablutio ad Baptismum, ita expressio verborum, ad Matrimonium.

Dices: Quód comparatio ablutionis cum verbis, non est recta, quia ablutio se habet ex parte materiæ, & verba in Matrimonio sunt forma. Resp. quód in verborum expressione, possunt duo considerari, nempé ipsa verba significantia, & actus exprimens illa, a coniugibus procedens, primo modo sunt forma, & secundo modo, habent rationem materiæ; vndé ait D. T. quod sicut pœnitentia non habet aliam materiam, nisi actus sensui subiectos, ita in matrimonio, & sic quando hic asserit, quod expressio verborum, se habet ad matrimonium, sicut ablutio ad Baptismum, summit verba secundo modo, non veró primo modo, & sic possunt habere rationem materiæ & formæ, sub alia & alia ratione.

Si dicas: Si quis contraheret matrimonium exterius, sed interius dissentiendo, compelleretur ab Ecclesia, ad habitandum cum coniuge: ergo matrimonium illud, validum fuit. Resp. quód cum Ecclesia non iudicet de interioribus, sed de exterioribus, ideo matrimonium illud verum censet, & pœnis ad habitandum cogit. *Dices*: sequitur ex hoc, quod Episcopus vices Ecclesiæ gerens, in hoc casu teneretur coniugi præcipere contradictoria; si enim ille confiteretur Episcopo, & declararet se non fecisse matrimonium, ex defectu consensus, Episcopus præciperet ei, quod non cohabitet cum fœmina illa, & si postea Episcopus sedet pro tribunali, præciperet quod habitet, quæ contradictoria sunt. Resp. hoc non esse inconveniens pro diversis foris,

nam

nam in foro conſcientiæ, quod de interioribus iudicat, poteſt præcipi vnum, & in foro contentioſo & exteriori, poteſt aliud præcepi.

Dices: demus quod Petrus, antequam pergat ad contrahendum cum Maria, dixerit duobus hominibus fidedignis: ego vado ad Eccleſiam, & licet proferam verba, animum non habeo interius conſentiendi matrimonio cum illa muliere, tunc ille poſſet probare per teſtes, defectum conſenſus: ergo in eo caſu, Eccleſia male illum puniret, vel ſi hoc faceret, ideo eſſet, quia ſine conſenſu interiori, matrimonium ſubſiſtit. Reſp. quód in eo tunc, ſi Eccleſia illis teſtibus credere velit, id facere poteſt, ſed ſi nolit, poteſt non credere, quia præſumere poteſt, quod licet Petrus, illa verba teſtibus dixerit, poſtea ſententiam mutavit, nec eſt facile præſumendum, quod voluerit mentiri & peierare, & tantam iniuriam Sacramento inferre.

Habetur ex his, quod ſi aliquis, fictè & ſine conſenſu cum aliqua contraxit, & hoc ei nunciet, nec tenetur illa ſtatim credere, nec libera manet ad contrahendum cum alio; ſed aliquando ei credere poterit, & libera ad contrahendum cum alio manere; primùm patet, quia ſuppoſito primo dicto & conſenſu viri, prudenter agit oppoſitum non credendo; ſecundùm conſtat, quia ex aliquibus coniecturis, poteſt colligi, virum conſenſum non præbuiſſe, ſed ſolum ficto animo, vt ſi diceret amicis ſuis, ſe velle fictè contrahere, vel eſſet altioris conditionis ac fœmina, vel ſtatim explicat defectum conſenſus, & in huius ſignum, recipit Ordines ſacros, vel religionem & profitetur in ea, cuius probatio debet conſtare, & id arbitrio prudentis viri metiri.

Quando aliquis fictè cum muliere contraxit, regulariter tenetur ducere illam, veré & ſine fictione, maximè ſi puellam ſeduxit, ei fictè matrimonium promittendo, & hac cautela illa tradidit ei corpus ſuum, tunc enim mortaliter peccaret non contrahendo, quia facit mulieri grauiſſimam iniuriam, ſicut eadem obligatio adeſt, in alijs contractibus, in quibus fictè promittens, tenetur iniuriam & damnum reſarcire. Dixi *regulariter*, quia ſunt aliqui caſus, in quibus vir, nec mulierē vxorem ducere, nec matrimonium perficere tenetur. 1. notabilis inæqualitas ſtatus & qualitatis, quia reſtitutio, debet fieri per æquale, & non per ſuperexcedens, & tunc ſuſpicari poteſt, virum ſolum, quæſiviſſe voluptatē & non nuptias, & quod mulieris damnum, fuit ei moraliter voluntarium. 2. ſi non poteſt licitè cum ea contrahere, quia cum alia contraxit, vel ordines ſacros ſuſcepit. 3. ſi illa virum illuſit, dicendo ſe eſſe virginem, cum veré talis non ſit, quia tunc imbicem ſe deluſerunt, & ſic fit mutua iniuriæ compenſatio. 4. quando ex matrimonio illo, timentur magna ſcandala, & iurgia inſequenda, ſed tenetur vir, fœminam dotare, ob damnum quod fuit perpeſſa, cum iam ſit difficile, nubere cum alio.

Sed quid faciendum, cum aliquis primo fictè contraxit cum vna, & poſtea veré, & cum legitimo conſenſu cum alia, & ab Eccleſia cogitur habitare cum prima? Reſp. quód patienter ferat Eccleſiæ cenſuras, ſed nequit reddere, nec petere debitum coniugale, hoc enim eſſet peccatum adulterij, quia matrimonium illud, non fuit validum cum prima, ſed cum ſecunda; ſi autem cum prima cohabitando, periculum adulterij nequeat vitari, quid faciendum eſt? Reſpondet D. T. loc. cit. ad 3. quód in tali caſu, Eccleſia compellit eum, ad ſtandum cum prima vxore, quia illa iudicat quæ foris apparent, nec decipitur in iuſtitia ſive iure, quamvis decipiatur in facto; ſed ille debet potius excomunicationem ſuſtinere, quam ad primam vxorem accedat, vel debet in alias regiones remotius fugere. Addit Ledeſma, quod veram vxorem ſecum ducat, & primam mulierem ſuadeat, de defectu conſenſus, vel ſi ſecundum matrimonium non conſummavit, ingrediatur religionem. Vid. ſupra dicta, art. 1. diffic. 3. in fine, & caſu 2. de promitente fictè, & ibi dicta, poſſunt applicari fictè conſentienti.

Caſus ſecundus, de conſenſu dubio. Vir quidam, matrimonium cum fœmina in facie Eccleſiæ contraxit, cum tamen ob cognatorum & cognitorum copiam, magnus exiſtiſſet ibi multitudinis concurſus & occurſus, ipſo ſtrepitu conturbatus, dubitat poſtea, an veré conſenſerit, & Matrimonium contraxerit, necne? Quæritur: quid facti, quid iuris? Certum eſt, quod ad valorem Matrimonij, debet coniugi, certo de conſenſu alterius partis conſtare, alias non daretur verus contractus; ſi autem deficit conſenſus mentalis ex parte vnius, ex neutra parte ſubſiſtit matrimonium, quia hoc, in mutua coniunctione conſiſtit. Nec obſtat: quód ſic nullus poterit certo ſcire, alium eſſe verum coniugem ſuum, quia ei non conſtat de intentione alterius; nam probabiliter creditur, non eſſe dolum, niſi dentur ſigna evidentia illius, nam de quolibet præſumitur eſſe bonum, niſi probetur contrarium; quod patet in Baptiſmo, ad quem neceſſaria eſt baptizantis intentio, & vt quis ſit de illa moraliter certus, ſolum requiritur actus exterior, niſi dentur ſigna evidentia non intentionis; ſic D. Thom. hic, q. 45. art. 4. ad 2. & 3 p. q. 64. art. 8. ad 2.

Caſus ergo, procedere poteſt triplicitér, vel vno coniuge dubitante de conſenſu alterius, vel ambobus dubitantibus, vel quando pro vtraque parte, eſt probabilis opinio, quod conſenſerint vel non; circa quod ſequentia dicimus. *Primò*: ſi abſque cauſa rationabili, aliquis contrahentium dubitat de conſenſu alterius, dubium deponat, ex confeſſoris vel ſuperioris iudicio, & tunc poterit licitè, petere & reddere debitum. Ratio eſt: quia in eo caſu, eadem ratio eſt de illo, ac de alijs ſcrupulis, & in

his

his licitum est,contra illos operari, ex consilio superioris vel confessarij ; si autem scrupulum istum non deponit, sed sit in sua conscientia quasi erronea, licet possit debitum reddere , non tamen petere, quia licet ob conscientiam erroneam , exponat se periculo errandi debitum petendo, sed alter cõiux sine rationabili causa,nequit suo iure privari.

Secundó dico: quód si facto diligenti examine, coniux dubitat de consensu alterius coniugis , nequit debitum petere,sed tenetur reddere altero petente,& idem est,quando ambo dubitant de valore matrimonij , diligenti inquisitione facta. Primúm patet.Túm, quia sic videtur diffinitum, cap. dominus, de secund. nupt. de illa quæ rationabiliter credidit,primum maritum esse mortuum,& postea dubitat de hoc , tunc enim non potest petere debitum, & sic idem in casu nostro dicendum est. Túm, qua ex petitione debiti, se exponit periculo fornicationis , & huic non se exponit abstinendo. Secundúm constat,ex eodem cap. in simili casu,de muliere credente obitum viri. Deindé , quia in casu dubij, est eligendum minus malum, & in casu dicto, minus malum est reddere debitum , quia solum est periculum fornicationis, & non reddere, est periculum iniustitiæ,negando alteri quod suum est ; & etiam , quia in dubijs , melior est conditio possidentis, petens autem est in possessione petendi. Tertiúm probatur eisdem rationibus , quæ simul suadent de vtroque, dubitante obligationem reddendi, & non petendi.

Vt autem , hoc plenius intelligatur , sciendum est,quod aliquis potest credere aliquam rem in ordine ad vnum effectum , & dubitare de illa in ordine ad alium , nam si rationes dubitandi sint ita evidentes , vt secundum iudicium viri docti, non relinquant formidinem, tunc, nec potest reddi debitum, nec peti; si autem rationes illæ, ita sint leves,vt nec vnam,nec aliam partem ostendant, debitum reddi & peti poterit ; si verò rationes sint mediocres , ita vt non habeant vim contra alium, benè verò contra se , tunc qui ex eis motus dubitat , tenetur debitum reddere petenti , non tamen reddere potest , quæ doctrina affertur á Navarro in Manual. cap.22. num.56

Sed oppones contra secundum dictum : Ex hoc quod dubitans de valore matrimonij, redderet debitum, exponeretur periculo fornicandi: ergo non potest reddere. Resp neg. ant. quia possessio cum dubio tantum , dat quasi moralem certitudinem, quod est satis, vt qui non dubitat petere possit, & alter reddere ; secus esset , si vnus coniugum alteri dicat,se non consensisse, tunc enim, nec petere nec reddere posset, quia hoc dicens,se præiudicaret,& alter inciperet esse,in possessione malæ fidei, quia alteri teneretur credere,si loqueretur serio & sine ioco. *Dices aliter* contra 3. partem:qui dubitat de consensu alterius coniugis,non habet ius ad petendum debitum : & quia ex dubio ius amittit , & quia nullus habet ius ad peccandum : ergo alter sciens eum dubitare, non potest reddere , ne cooperetur peccato alterius.

Resp. quód qui dubitans de consensu alterius partis, petit debitum , id petit ad quod habet ius; cum enim tantum habeat dubium , & alias possideat , ius habet ; nihilominus tamen , talis petens debitum,mortaliter peccat,vt est probatum. Exemplum est in occulto peccatore,publicé petente Eucharistiam, qui petens mortaliter peccat, licet ius habeat ad sic petẽdum;hoc patet etiam in vxorato, qui habet votum castitatis , qui ad petendum debitum ius habet petens tamen, mortaliter peccat; ita hic est dicendum ; nec cons. aliquid valet, quia tunc dans , reddit id ad quod alius habet ius, vndé reddendo non peccat; id patet,in dante Eucharistiam occulto peccatori,publicé petenti, qui non peccat dando , & in vxorato , reddente debitum coniugi, votum castitatis habenti, si illud petat.

Casus tertius , de consensu parentum. Homo quidam nobilis,vxorem duxit fœminam quandam, æqualis nobilitatis & fortunæ , & hæc vidua erat, quo ad huius parentis notitiam perveniente, restitit ipse , vel ob familiarum vetustam discordiam, vel alio fine occulto,quem ipse pater in corde conferebat.in minas acres contra filiam prorrumpens, quod si tale faceret, amplius faciem eius non erat vissura; quia tamen illa,amore erga iuvenem illum flagrabat nimis, & alias qualitas & fortuna , erat in ambobus æqualis , matrimonium patre renuente contraxit, Quæritur : quid de hoc facto , & similibus sentiendum?Rem tetigimus suprá quo ad sponsalia , art. 2. casu 5. sed quia casus passim occurrit,id modo apponimus,pro eius notitia pleniori. R. ergo,quod certum est,& de fide,tale matrimonium , inscijs vel renuentibus parentibus celebratum validum esse , quod constat ex Trid. Sess. 24. de reformat. cap.1. & ex sacro textu , in quo referuntur plura Matrimonia , sine parentum consensu celebrata,quæ non reprehenduntur,imó laudantur, vt patet in Matrimonio iunioris Tobiæ,& etiam Iacob cum Rachele & Lia,de quo Bellarm. plura testimonia Patrum adducit.

Hoc ipsum habetur expresse,apud D.Tho. hic, q.45. art.5. ad 1. vbi ait : Puella non est in potestate patris quasi ancilla,vt sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum, & ideo secundum hoc quod libera est , potest se in potestatem alterius, absque consensu patris dare ; sicut etiam potest aliquis,vel aliqua,intrare religionem, absque consensu parentum,cum sit persona libera; vbi id resolvit S.D.de filia existente sub patria potestate; igitur potiori iure, id verum est,de constituta extra potestatem patris,de qua casus loquitur. Ratio summitur ex verbis D. T. Túm , quia filij, postquam assequuntur vsum rationis , & habent

ple-

plenam libertatem & ætatem legitimam, obtinent plenum dominiũ suorum corporũ, & actionũ personalium, independenter á volũtate parentũ & sic de eis disponere possunt. Túm, quia hac ratione, possunt filij libere religionem profiteri, sine parentum consensu, & vinculum religionis, fortius est quam matrimonium, quia per illud, dissolvitur matrimonium ratum, vt vidimus.

Dices 1. quód cap. aliter, assignatur vt conditio necessaria ad matrimonium, consensus parentum, alias coniugium, fornicatio, stuprum, & adulterium vocatur. 2. quia in cap. 30. Numer. dicitur, quod parentes, possunt irritare vota filiorum: ergo etiam matrimonium sine illorum consensu contractum, nam promissio Deo facta, perfectior est & fortior. Resp. ad 1. quód ibi, matrimonium contractum sine consensu parentum, dicitur illegitimum, non quia illud sit invalidum, sed quia est contra legem, decentiam & bonos mores, & sic illa conditio solum apponitur, ad licité & honesté celebrandum coniugium; quod si tale matrimonium vocatur fornicatio, non est quia sit formaliter talis, sed solum causaliter, quia arguit inordinatam concupiscentiam, maximé in fœminis; vndé dicitur, cap. honorãtur: non esse virginalis pudoris maritum eligere, non expectato cõsensu parentũ.

Ad 2. quód est disparitas, nam Deus vult quod votum sibi á filijs factum, pendeat á voluntate parentum, hoc autem non vult, de matrimonio filiorum, cum ipse dicat: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Vel dicatur: quód parentes, possunt irritare vota realia filiorum, ante pubertatem emissa ab illis, non verò vota personalia, quæ post pubertatem emmittunt; promissio autem Matrimonij, personalis est, & ideo á parentibus irritari nequit, licet sine illorum consensu fiat. Sed an filij mortaliter peccent, sine consensu parentum, vel eis invitis matrimonium contrahentes? De peccato veniali non est dubium, quia filij sic contrahentes, reverentiam & obedientiam, debitam parentibus lædunt, pacem turbant, & dissensiones inter parentes & consanguineos causant; excipe, quando parentes retrahunt filios á Matrimonio digno & vtili, vt molestum, ægrum, & imprudentem procurent coniugem, vel nimis differant matrimonium filiorum, tunc enim isti, nec venialiter peccant, contra parentes operando.

De peccato mortali, certum est, in illud incurrere filios, si indigne nubunt cum dedecore familiæ, gravia mala, pericula & discordias excitando. Sed præcisé nubendo sine parentum consilio & consensu, servatis reliquis servandis, circa qualitatem & æqualitatem personarum, verius est, non esse peccatum mortale, & id fieri posse parentibus inconsultis; sic habet D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corp. vbi ait: Non tenentur, nec servi dominis, nec filij parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda; & ratio est. Túm, quia in hoc, filij sunt sui iuris. Túm, quia Matrimonium, est obligatio ad perpetuam servitutem, quæ nisi ex propria voluntate suscipiatur, difficile sustinetur. Bené verum est, quod est maximé decens, honestum & decorum, vt filij, consensu & consilio parentum in Matrimonio contrahendo acquiescant, præcipué filiæ. Túm, quia istæ, nequeunt cognoscere mala occurrentia. Túm, quia maximé congruit earum honestati, vt Matrimonio voluntarié non se intrommittant.

Sed an parentes possint præcipere, vel cogere filios ad matrimonium contrahendum? Respondet D. T. hic, q. 47. art. 6. quod non, & hoc intelligitur per se loquendo. Túm, quia hoc petit societatem perpetuam, mutuo amore coniunctam, & sic periculosum est, ad hoc compelli alieno imperio. Túm, quia Matrimonium, est quædam servitus perpetua, á qua sumus natura liberi, & ideo sola voluntate, possumus ei subijci. Diximus per se, nam per accidens, id possunt efficere parentes, in casu quo ad id tenerentur de iure naturæ, vt si filius virginem defloravit, vel eius matrimonium, ad conciliandam pacem communem, & familiarum inimicitias extingendas conducit, quia in his casibus, iuste coguntur filij matrimonium contrahere, & censentur irrationabiliter inviti.

Dices 1. quód pater necessitate compulsus, potest filios traddere servituti, nolentibus ipsis, & sic etiam potest traddere Matrimonio, quod servitus quædam est. 2. Pater spiritualis nempé Papa, potest aliquem compellere ad Episcopatum, in quo datur matrimonium spirituale: ergo etiam pater carnalis, potest compellere filium, ad carnale matrimonium. Resp. ad 1. quód est disparitas. Túm, quia servitus civilis, non exigit amorem sed timorem, & ideo ad illam potest quis cogi, cuius contrarium reperitur in matrimonio, quod mutuum amorem exigit in servitute coniugali. Túm, quia servitus civilis, perpetua non est, cum redimi possit; servitus autem coniugalis, ex natura sua, est perpetua & indissolubilis, quam vocat D. T. quasi servitutem, non quia vera servitus non sit, sed quia illam coniugati, vt servitutem non apprehendunt. Ad 2. quód nisi aliquis cogi posset ad suscipiendum Ecclesiæ regimen, periret Ecclesiasticus ordo, quia sæpé illi qui ad hoc sunt idonei, nolunt suscipere munus nisi coacti, & ideo ad hoc matrimonium spirituale, possunt aliqui cogi, non verò ad corporale matrimonium; sic D. T. hic, q. 47. art. 6. ad 4. & quicquid diximus in hoc casu de filijs, potest applicari proportionaliter servis, qui validé & licité Matrimonium contrahere possunt, absque domini voluntate; de quo agit D. T. hic, q. 52. art. 2. & nos agemus infrá, tractando de impedimentis Matrimonij.

Casus quartus, de consensu per iuramentum. Adolescens quidam, fœminam quandam liberam ad venerem inducebat, ipsa verò efficaciter resistente turpitudinem, vir matrimonium ei promisit, nec tamen illa dictis acquievit, ipse autem vir, vt verbis adderet comprobationem, eadem quæ dixit iuramento firmavit. Quæritur: an illa verba de futuro, addito iuramento, habeant vim constituendi sufficientem consensum ad matrimonium? Rem tetigit D. T. hic, q. 46. art. 1. & negativé respondet. Ratio est evidens: quia iuramentum, est confirmatio dictorum, vt Theologi asserunt, & sic dictorum significationem non mutat: ergo si iuramentum apponitur verbo de futuro, solum confirmabit promissionem, quam tale verbum importat; sed promissio matrimonij, non est eius factio: ergo qui solum promittit, licet iuramento promissionem confirmet, Matrimonium non facit.

Explicatur: id quod futurum est, non est; sed illud iuramentum additum, non facit quod verba non significent consensum de futuro: ergo adhuc Matrimonium non est. Deindé: postquam Matrimonium est perfectum, non est necessarius alter consensus, vt sit matrimonium; sed post iuramentum, advenit alius consensus qui Matrimonium facit: alias frustra juraretur, illud esse futurum: ergo iuramentum, non facit Matrimonium; quod pat. ex cap. requisivit de sponsalibus, vbi dicitur, quod puella quæ iuravit se alteri nupturam, si resiluerit, monenda est potius quam cogenda, quod non diceretur, si iuramentum adiunctum, causaret Matrimonium, quia tunc puella, potius deberet cogi quam moneri; si autem resiluerit sine causa á iuramento, tunc potest cogi ad eius impletionem, præcipué si hoc cedit in bonum commune; secus si aliqua gravia mala, ex impletione timentur, vt ait Soto in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. *Nec obstat*: quód in Cap. si quis divinis, dicitur: Quód si quis divinis scripturis tactis, iuraverit mulieri se eam ducturum, sit illi legitima vxor. Dicimus enim, hoc intelligi, secundum Ecclesiæ præsumptionem, illa enim præsumit quod ita iurans, habet consensum de præsenti, sed hoc non est, quia iuramentum habeat vim, ad efficiendum matrimonium.

Dices: Quid ergo ibi facit iuramentum, sponsalibus additum? Resp. quód non facit novam obligationem, sed solum factam confirmat, & facit gravius peccare, frangentem sponsalia sub iuramento promissa, quam si ita promissa non essent; & vlterius: quód si postea detur causa dissolvendi sponsalia, non dissolvantur absque iuramenti dispensatione, nisi forté factum fuerit inter personas, aliquo impedimento irretitas, tunc enim, quia sponsalia nullius roboris fuerunt, non est necessaria aliqua iuramenti dispensatio. *Si dicas*: sequi ex hoc: quód si quis postquam Matrimonium promitteret Mariæ cum iuramento, contraheret cum Ioanna per verba de præsenti, hoc Matrimonium esset verum, quod videtur absurdum, quia promissio facta Deo ex iuramento, est de iure divino, & sic est maior & alias prior: ergo &c.

Resp. quód obligatio iuramenti, est de iure divino, quando illud est de re licita & possibili, secus si non ita contingat; vndé si obligatio secuta ad iuramentum, facit illud illicitum, non lædit ius divinum, qui non servat iuramentum prius factum, & hoc accidit in præsenti, quia consensus subsequens per verba de præsenti, quo quis transfert dominium sui corporis in aliam, facit illicitum iuramentum præcedens, quod prius licitum erat, quia promissio de alieno, illicita est, sic D. T. loc. cit. ad 1. & q. 53. art. 1. ad 1. *Dices aliter*: carnalis copula post sponsalia, habet vim ad inducendum Matrimonium, quia maius est consentire facto quam verbo: ergo etiam iuramentum quod est fortius vinculum, sufficiens erit ad constituendum Matrimonium.

Ad hoc respondet D. T. ibi art. 2. quod de matrimonio, possumus dupliciter loqui, vel quantum ad forum conscientiæ, & sic carnalis copula, quam sponsalia per verba de futuro præcesserunt, si deficit consensus interior, non perficit matrimonium, quia copula succedit loco verborum & verba sine interiori consensu nihil faciunt, vt suprá vidimus; alio modo summitur matrimonium, quo ad Ecclesiæ iudicium, & quia hoc iudicat per ea quæ foris patent, & nihil expressius significat consensum, quam carnalis copula, ideo hæc quando consequitur sponsalia, matrimonium facere iudicatur, nisi dentur signa expressa, doli vel fraudis. Vndé patet ad id quod dicitur: consentire enim facto, est quid maius ex se secundum rei veritatem, sed non respectu Matrimonij, nisi secundum iuris interpretationem.

Dices: Mulieri defloratæ sub spe Matrimonij, debet damnum restitui, eam in vxorem ducendo: ergo si postea vir contrahit cum alia, tenetur ad primam redire, quod non esset, nisi daretur Matrimonium. Resp. quód in eo casu, sponsus tenetur ducere defloratam, antequam aliam ducat, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa est melioris; altera verò ducta, iam factus est impotens ad solvendam obligationem priorem, sicut filius obligatus ad sustentandos parentes labore suo, ad id non tenetur, si postea ex infirmitate, vel aliter, caruerit brachio. Vndé in casu nostro, sufficit si vir fœminæ de nuptijs provideat, & secundum aliquos, non ad id tenetur vir, si ille est excellentioris conditionis, vel intervenerit evidens signum fraudis, quia tunc potest probabiliter præsumi, quod sponsa, non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.

Inquires: si quis post sponsalia cum aliqua contraxit, & cum ea copulam non habuit, eam tamen habuit postea cum altera, licet non maritali affectu,

ctu, cum qua secunda sponsalia contraxit ante copulam, an cogi debeat ad contrahendum cum prima, vel potius cum secunda? Resp. cum Soto loc. cit. quod cum priori cui dedit fidem, contrahere debet, nam prius dedit fidem fœminæ priori, & sic eam tenetur servare; sic habetur in cap. sicut de sponsalib. quod verum est, licet secunda sponsalia, fuerint iuramento firmata & non prima, quia iniuria secundæ illata, non aufert á priori, ius quod primo habuit; sed pro iuramento facto, est iniungenda pœnitentia viro. Hoc tamen intelligitur, in foro conscientiæ, in quo res agitur occultè, nam in foro exteriori & contentioso, si concubitus cum secunda post sponsalia cum ea, probatus fuerit legitimè, propter præsumptionem, iudicabitur fecisse Matrimonium cum illa, & cogetur ad contrahendum cum illa, in quo sensu forté loquitur, cap. sicut, quod oppositum insinuare videtur.

Casus quintus, de verbis exprimentibus consensum. Forma communis contrahendi Matrimonium, est hæc: Ioannes vis accipere Mariam in vxorem? & si accipit dicit; ita Domine, volo. Accidit ergo nuper, vt Parrochus quidam, in simili negotio putaret, se hoc modo interrogasse: Ioannes, vis accipere Mariam in maritum? & ipse respondit: ita. Nunc coniuges illi, propter discordias continuas, quærunt divortium, mulier autem, ab aliquo rustico de hoc errore admonita, dicit se ad Matrimonium non teneri, eo quod non fuerit in eo contractu, acceptata in vxorem, sed in maritum. Quæritur: quid de hoc casu sentiendum? Resp. tale Matrimonium, validum fuisse. Tum, quia coniuges, illo errore non animadverso, libere intenderunt contrahere, & sufficit hæc vtriusque voluntas. Tum, quia illa forma, non est indispensabiliter necessaria, cum pluries contingat, aliquem contrahere no mine alterius, in loco remoto, qui tamen illa forma non vtitur, nec vti potest.

His additur, quod licet in alijs Sacramentis, periclitetur valor, si in eorũ forma committitur error similis dicto, vt si dicatur in Baptismo: Baptizo te, in nomine matris, vel in consecratione dicatur: hoc est corpus tuum; sed tamen huiusmodi linguæ aberratio, non obstat valori Matrimonij, quod fundatur in natura contractus, in quo attenditur voluntas, & non verba, præcipué quando factum determinatum est, ad præsumendum quid certum. Dicitur illa præsumptio, quod actus sic dicatur gestus, vt valeat & nullitas removeatur, superat omnes alias præsumptiones; cum autem ex vna parte sit certum, matrimonium dividi in præsumptum & verum, & ex alia, nequeat vllum signum adduci, ex quo efficacius præsumatur, veritas dicti Matrimonij, præter relata, licet enim fœmina, iuraret se non consensisse ex animo, non admitteretur ad probationem, contra præsumptiones iuris, ideo tale Matrimonium validum fuit.

Quid autem dicendum, de hoc alio eventu? Contraxerunt duo imbicem consentientes, sed post prolata verba á fœmina, vir paulo ante consentiens, ait se acceptare nolle, talis dissensus superveniens, impedit Matrimonij valorem? Resp. hoc ipso, quod singuli sponsi verba proferant, consensum alterius in Matrimonium acceptant; quia materia Matrimonij, est corporum traditio, & forma, acceptatio consensus alieni, vel iam præstiti á sponso, quando hic loquitur prior, vel præstandi á sponsa, quæ loquitur posterior. Vndé in casu dicto, quando vir dixit se consentire, subintelligitur necessario, coniugis consensum simul acceptare, nam sine tali acceptatione, nequit Matrimonium consistere.

Accedit casus alter, de consensu ficto, præter dicta casu 1. Vir quidam vehementer negat, se veré consensisse in Matrimonium cum Ioanna, nec affectu maritali copulam consumasse, vndé illa relicta ducit aliam, & similiter fœmina, ducit alium virum. Dubium est 1. an Ioanna posset petere & reddere debitum secundo viro? 2. an hic possit petere & reddere, secundæ mulieri? 3. an vir conscius de priori consensu ficto, possit manere cum secunda? 4. an teneatur redire ad primam, si illa eum repetat, relicto alio? 5. an vir primus debeat secundo resarcire aliquod damnum, ex eo cõtractu secutum?

Resp. ad 1. quód Matrimonium primum, fuit verum & validum in vtroque foro, nec posse in illud cadere aliquam dispensationem, vt vinculum separetur, cum sit consummatum, nec potest dubitari, virum consensisse veré, quicquid in contrarium alleget, & sic mulier, secundo viro, nec debitum petere, nec reddere potest; & hoc ipsum ad 2. Resp. cum detur certitudo moralis de valore Matrimonij prioris. Ad 3. quod si vir certus est de sua fictione, & de veró consensu in secundo contractu, potest tuta conscientia, manere cum secunda, & recedere á prima, iuxta dicta casu 1. in fine. Ad 4. quód vir tenetur redire ad vxorem primam, si hæc illum repetit, vel ei resarcire damna, quæ forté incurrit ob præteritam fictionem. Ad 5. nullo modo esse obligatum secundo viro, quia nec vi, nec fraude, nec consilio eum induxit ad accipiendam illam vxorem.

Quænam autem extent probationes, ad suradendum fictum consensum? Resp. 1. quód non sufficit solum dictum viri, licet firmatum iuramento, vt ei præbeatur assensus; standum est enim pro sinceritate illius actus, donec clarissimè probetur fictio. 2. illa certitudo requiritur, vt mulier credat, & possit aliud inire Matrimonium, quæ prudentem virum redderent moraliter certum, de ficto consensu. 3. videtur probabilis coniectura, si vir statim resistat, & dicat se non protulisse verba serio, præcipué si subito, aliud Matrimonium contrahat,

vel

vel sacros Ordines, aut religionem suscipiat, vel sit celsioris qualitatis, vel si mulier honestæ famiæ dicat, se metu patris consensisse. Hæc omnia probabilia sunt, vt etiam diximus suprá; sed re vera, non est dandus locus præsumptionibus, quantumvis vehementibus & multis, adversus valorem solemnis contractus; nam moraliter, talis censetur animus, qualia sunt verba; sic tenent Lessius, Layman, & Gobatus.

Casus sextus, de indissolubilitate Matrimonij. Vir quidam catholicus, vxorem duxit hæreticam, in loco hæresi infecto, sed paucis post nuptias elapsis mensibus, compertum fuit, illam esse cognitam & imprægnatam ab alio, virque res suas postulavit, & ad militiam ea relicta discessit; fœminaque spe reconciliationis amissa, mores pravos suæ patriæ insecuta, alterum virum duxit, & vir similiter aliam vxorem, ignaram Matrimonij prioris, ex qua plures suscepit liberos, postea fœminæ & Parrocho, suam fraudem aperuit. Quæritur: quid circa validitatem vtriusque contractus, sit practicé suadendum? Resp. quód practicé loquendo, secundum Matrimonium esset pronuntiandum nullum, priori coniugi, quia Matrimonium prius, validum & indissolubile fuit, de quo plura poterant adduci exempla Principum, qui ex dispensatione Pontificia, vxores hæreticas sibi copularunt, ritu catholico & indissolubiliter, vt Gobatus refert.

Infertur hinc, quod dictis secundis coniugibus, actus coniugales legitimis coniugibus liciti, sunt illiciti, & sic quia lectus communis, proximam illis actibus occasionem præbet, thorum debet statim separari, sed non tectum. Túm, quia fœmina secunda, fuit ab initio decepta. Túm, propter filios in ea susceptos, & alia incommoda quæ sequi possent, ex separatione habitationis integra & repentina; & licet separato lecto, vna vel alia vice, ex fragilitate labantur, non ideo subito discedere debent, quia rarus casus, & vna vel altera propositi transgressio, debet occasionem illam inter remotas computare, non inter proximas.

Deindé, constito quod prior coniux obierit, poterit superstes, cum alio sine vlla dispensatione coniungi, nam cum in casu proponatur, fœminam secundam, prioris coniugij ignaram, matrimonium licet invalidum contraxisse, facta viro corporis copia, non fuit indé ortum criminis impedimentum; siquidem vt adulterium vel coniugium, illud impedimentum producat, debet vtrique parti, de coniugio constare; ex quo etiam habetur, quod liberi ex illa fœmina procreati, sunt pro legitimis reputandi; & coniuges fient veré tales, renovato consensu, quem prius habere demonstrarunt, quando contraxerunt; si autem fœmina prima sit adhuc superstes, debet etiam in foro externo separari; quia secundæ, nulla potest infligi pœna, cum ob ignorantiam, nulla in ea fuerit culpa.

Huius occasione, potest exagitari: an Matrimonia hæreticorum inter se ipsos, dissolubilia sint? R. negativé, quia hæresis per se loquendo, nihil obstat valori Matrimonij, vt dicetur infrá, cum agamus de impedimento disparitatis cultu; omne autem Matrimonium validum baptizatorum, est etiã indissolubile. Deindé: quia si Matrimonia hæreticorum essent dissolubilia, essent solum contractus civiles & non Sacramentum; hoc autem nequit dici, quia Matrimonium inter baptizatos, veré Sacramentum est, auferens illam civilitatem, & conferens sacrationem indissolubilem, quæ significat æternam Verbi divini cum carne humana, & cum Ecclesia coniunctionem. Demúm, quia omnes Episcopi, Parrochi, & confessarij, catholicorum qui cum hæreticis contrahunt, talia matrimonia pro veris & legitimis reputant, filiosque ab eis procreatos, indubitanter vt legitimos declarant, & ita nuptis, varia Sacramenta impertiuntur, quod non accideret, si Matrimonia illa essent solubilia.

Quid autem sentiendum de matrimonio in quo adest vnus coniux Catholicus & alter hæreticus, de quo loquitur noster casus? Sensit quidam Canonum Doctor, in simili casu, talia Matrimonia hæreticorum, vel inter se, vel cum coniuge catholico, esse contractus civiles dissolubiles; eo quod radix indissolubilitatis, est ratio Sacramenti, quæ matrimonijs hæreticorum deficit, quia nec credunt, nec intendunt Sacramenti rationem, proindeque, esse æqué solubilia, ac fuit olim Matrimonium infidelium: Sed hoc dictum & fundamentum, non est firmum. Túm, quia plures Doctores, rationem indissolubilitatis Matrimonij, aliundé petunt, quam ex ratione Sacramenti. Vndé post legem Evangelicam, nec Iudæis aut infidelibus permittitur repudium, vt dicitur cap. gaudemus de divortijs. Túm, quia licet hæretici non credant, Matrimonium suum esse Sacramentum, non sequitur quod Sacramentum non conficiant, nec recipiant; sicut nec sequitur Baptismum non recipere, qui non credit illum Sacramentum esse. Túm, quia plures hæretici, solum sunt materialiter tales, & animo ita parati, vt si eis esset evidens, contractum Matrimonialem esse á Christo erectum ad rationem Sacramenti, & etiam indissolubilem, forté crederent, iuxta Christi institutionem, & hæc animi dispositio & intentio, debet privato errori prævalere.

Vndé, omnes Episcopi Galliæ, & Magistratus politici, & etiam Pontifices Summi, qui cum aliquibus Principibus dispensarunt vt vidimus, habuerunt generaliter pro indissolubilibus, ea Matrimonia, in quibus vna pars catholica, contrahit cum altera hæretica; si enim solubilia sunt, erunt meri concubinatus quod nemo hucusque est ausus dicere, imó nec cogitare. Dixi *generaliter*, nam si quis hæreticus, contrahit cum expressa intentione,

ne, vel non recipiendi Sacramentum, vel faciendi divortium, ita vt velit, hanc intentionem ingredi rationem contractus, tanquam conditionem sine qua non, contractus non subsistet, quia talis intentio, substantiæ Matrimonij repugnat, & hæc, valorem Sacramenti tollit, vt suprá declaratum manet.

Casus septimus, circa idem. Contraxerunt duo legitimum Matrimonium, ante cuius consummationem, ex vtriusque consensu communi, religionem fuerunt ingressi, ibique solemnem professionem emmisi; deindé, nescio qua occasione nacta, carnaliter fuerunt commixti, ex quo sacrilego concubitu, infans prodijt, qui vt legitimus ab omnibus reputabatur, & vt talis optat, sine dispensatione, ad sacros Ordines promoveri, occulto defectu non manifestato. Quæritur: quid sentiendum circa hoc, & an prius Matrimonij vinculum, fuerit per professionem vtriusque coniugis dissolutum? Respondetur: quód vinculum Matrimonij rati, & non consummati non dissolvitur, quando vterque coniux de communi consensu, religionem ingreditur, & profitetur in ea.

Hæc resolutio, forté aliquibus videbitur nova, sed illa est apud Ang. D. expressa, qui in 4. dist. 27. q.1. art.3.qq.3. ad 1. sic habet, dicendum: quód quando vterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter coniugali vinculo abrenuntiat, & ideo adhuc manet, sed quando vnus tantum vovet, tunc quantum est in se, abrenuntiat vinculo coniugali, & ideo alter absolvitur á vinculo illo; & idem feré eisdem verbis, ait hic, q.61. art.3. ad 1. Vt autem hæc Ang. D. resolutio, pro casu nostro, aliquibus non videatur extranea, pro eius efficaci comprobatione, supponendum est 1. quod vinculum matrimonij, cum solemni professione religiosa non pugnat, vt patet in coniugibus, post consummatum Matrimonium, ex consensu communi professionem, vel vno professente de consensu alterius, servatis de iure servandis.

Secundó est supponendum: quód privilegium concessum coniugibus ad religionis ingressum ante consummatum Matrimonium, non est in eorum damnum accipiendum. Vndé, qui ante consummationem, intra bimestre concessum ad deliberandum, data sufficienti probatione de non consummatione, religionem ingreditur, alio coniuge in sæculo manente, vtitur privilegio illi concesso, iure naturali & divino, & quantum est ex se, renuntiat matrimonij vinculo, vel actioni & iuri, quod in sæculo manens habere poterat, in alterum coniugem in sæculo manentem, & hæc renuntiatio, in ingressu & professione religionis inclusa, affert secum aliud privilegium, respectu coniugis in sæculo manentis, ei debitum naturali iure, quod nempé, pro libito disponere valeat de se ipso, in quocumq; statu, & sic privilegium nunquam in damnum alicuius coniugis debet redundare; licet renuntiatio vnius suspensa maneat, vsque ad eius professionis tempus, in quo completur & consummatur; & illa essentialiter respicit alterius coniugis indifferentiam, ad statum religionis, ad Matrimonium aliud contrahendum, vel ad agendam vitam cœlibatam & hæc indifferentia non stante, nec stat ex parte profitentis coniugis, renuntiatio vinculi.

Hinc efficaciter formatur ratio, ex doctrina D. Thom. De conceptu renuntiationis vinculi Matrimonij, in coniuge religionem profitente, est vt alter coniux in sæculo manens, habeat indifferentiam, ad assumendos status prædictos; sed hæc indifferentia non datur, quando vterque coniux, ex communi consensu religionem profitetur, siquidem ambo sunt ad statum religionis determinati: ergo in casu prædicto, non adest locus renuntiationi vinculi; sed huius renuntiatio á coniugum consensu pendet: ergo si vterq; simul in professionem consentit, nullo modo datur vinculi Matrimonij renuntiatio.

Explicatur amplius, doctrina D.T. in communi consensu coniugum, ad profitendam religionem, non datur renuntiatio matrimonialis vinculi, sed solum renuntiatio sæculi: ergo vinculum Matrimonij, semper manet. Prob. antec. quia ille consensus communis respiciens directé religionem, tollit á coniugibus indifferentiam, ad aliud Matrimonium contrahendum, & ad manendum in vita cœlibata: ergo solum est istorum renuntiatio & non vinculi; sed iuxta Aug. Præcep. consensus ille, in tantum potest esse dissolutio vinculi in quantum est eius renuntiatio, quæ petit indifferentiam ad disponendum libere de se: ergo si talis consensus affert determinationem ad vnum, nempé ad statum religionis, qui ex se est cum vinculo Matrimonij compatibilis, nullo modo indifferentiam relinquit, & sic nec vinculum renuntiat, nec dissolvit; hoc enim non dissolvitur per statum religionis, quia est compatibile cum eo, nec ob renuntiationem, quia hæc non salvatur, absque dicta indifferentia, nec ob mortem vnius, quæ ante professionem non supponitur.

Superest solvere instantiam duplicé, quæ á prima facie videntur efficatiam habere. Prima est: professio solemnis, vnius tantum coniugis, matrimonium ratum dissolvit: ergo potiori iure vtriusque professio; nam professio secundi, nihil roboris aufert ab vnius professione, sed est eiusdem roboris repetitio. Secunda: quia Trident. Sess.24. de Matrim. Can.6. ait: Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit; quod decretum, videtur expresé nostræ resolutioni oppositum. Resp. ad 1. quód privilegium Christi Domini, professione emmissa, con-

fert vires renuntiationi præsuppositæ, & sic non habet locum, nisi quando renuntiatio præcedit; hæc autem non præcedit, nisi quando vnus tantum coniugum professionem emmittit vt vidimus, & tunc solum vinculum Matrimonij dissolvitur; & sic, nec sola renuntiatio sufficit sine professione, nec sola professio, sine renuntiatione; ex quo patet ad 2. Tridentinum enim solum ait, matrimonium ratum dirimi, per solemnem religionis professionem *alterius coniugis*: & hoc est verum; quia tunc proprié datur vinculi renuntiatio. non verò quando ambo coniuges, profitentur ex mutuo consensu, vt diximus.

Tota resolutio nostra, ex eo pendet, quod ambo coniuges simul professi, renuntiant sæculo; sed non vinculo, quia in nullo eorum, manet indifferentia ad alium statum assumendum, sed determinatio, ad religiosum statum. *Si dicas:* quód vterque, nequeunt simul eodem momento profiteri, sed vnus prior alio, & per professionem solemnem vnius, matrimonium ratum dirimitur, vt Concilium docet. Resp. quód licet fieri non possit, vt ambo profiteantur in eodem temporis puncto, sed supposito communi consensu, professio vnius, est consummatio consensus præcedentis, & hic solum fuit ad renuntiandum sæculo & non vinculo; & licet alter non dum professus, liber maneat ad non profitendum (quicquid sit de culpa, si mutat propositum) non ideo statim dissolvitur matrimonij vinculum, sed hic effectus, potest manere suspensus, quousque coniux non dum professus, vel profiteatur, vel redeat ad sæculum; nam privilegium concessum est, in favorē manentis in sæculo, privilegijs autem vtimur cum volumus, & sic, vsque quo coniux non professus, privilegium amplectatur vel renuntiet, illud suspensum manebit. Nec novum est, quod effectus gratiosus, suspensus maneat, pro privilegiati libito & voluntate, toto tempore quo privilegium durat; sicut promissio simplex semel facta, est necessaria prommitenti, libera verò acceptanti, á quo pro libito potest suspendi. Sic acutè discurrit in casu præsenti, Ludov. á Conceptione, & eius dictaminī, Ang. D. doctrina innixi, assentimus & nos, licet ad maiorem securitatem, posset ille, de quo casus loquitur, ab Episcopo dispensari, ex præscripto Tridentini Sess. 24. cap. 6.

Casus octavus, circa idem. Fœmina quedam, repetitis & importunis parentum precibus, verbis etiam asperis, graviterque minacibus, ad Matrimonium cum iuvene, quem exhorrebat vrgebatur; cessit tandem crudeli suasioni, eidemque fuit Matrimonio iuncta, sed animo dissentiente, ita vt dum ante altare iungebatur, mallet mori, quam in tale Matrimonium consentire, quo peracto, fugam in regiones distantes sæpiús meditabatur, nec occasionem reperiebat opportunam; sic per tres annos cum dimidio, viro cohabitavit, sed sui corporis vsum, ei nunquam permisit nec vllum amoris signum demonstravit, sed continuo tale consortium declinare studuit; tādem á viro propter adulterium ab illo notoriè commissum separata, dissolutionem Matrimonij coram iudice petijt, magna iuramenta iungens, in testimonium non consensus. Quæritur: quid de hoc dicendum sit?

Resp. tale Matrimonium, nullatenus dissolvi posse; nam licet metus aut dissensus, esset iustissima dissolutionis causa, si probaretur ea legitimé interveniisse, hoc tamen in casu posito non probatur; nam quamvis metus, facilius vitiet Matrimonium, quam cæteros contractus, & ad eius integram probationem, testes pauciores requirantur, vt ait Menochius, sed nullus credet id convinci, post Matrimonium contractum, illius mulieris testimonio, etiam iurato. Ratio est: quia iuramento suppletorio probationum, non datur locus in foro externo, seu in causa strictè Matrimoniali, vt sentiunt omnes; nec iuramento standum, quando sunt plures & magnæ præsumptiones in oppositum, vt dicunt Mascardus & Menochius, actus autem solemnitas, fundat præcipuam præsumptionem consensus interioris liberi, & contra illum ea solemnitate vestitum, nulla etsi magna præsumptio admittenda est.

Vlteriús, ait Mascardus cum alijs, non probari animum iuramento, cum agitur de re magni præiuditij, cui non arbitror quenquam Doctorum dissentiri posse, maximé in causis criminalibus, cui matrimoniales causæ strictè dictæ comparantur. Licét autem mulier de qua casus loquitur, probaret esse metum sufficientem, ad petendam separationem, huius tamen probationis vim, cohabitatio trienalis infringeret, nam vt dicitur, cap. ad id, de sponsalib. Mora tanti temporis, huiusmodi per testes probationes excludit; quæ decisio, locum habet in vera sententia tenente, contractum á principio irritum, revalidari per mutuum consensum, absque præsentia Parrochi & testium elicitum. Quis enim audiret Monialem, etiam ante primum quinquenium reclamare & iurare, sine alia probatione, se fictè remisisse? Iuramento enim standum non est, in propria causa gravissima, cum præiuditio alicuius tertij, vel communitatis. Nec etiam viri adulterium, posset fœminam iuvare. Tùm, quia ipse allegare poterat illius pertinaciam in negatione debiti, cum hæc fama emanaverit in vulgus. Tùm, quia adulterium, non est causa ad dissolvendum vinculum, sed ad summum ad separādum thorum, vt suprá vidimus.

Quia tamen mulier, vt ait secunda pars, in non consummatione Matrimonij, eius dissolutionem fundabat, dubitari potest: An supposito consensu, per metum gravem extorto, si postea illa, copulam animo maritali habuerit, Matrimonium ratificaret? Dicimus *animo maritali*, quia si esset animo forni-

can-

candi, non esset signum consensus coniugalis;licet in foro externo, semper iudicetur animo maritali esse factam, quia ius non præsumit ibi adesse peccatum. Dicimus ergo: quód per talem copulam, Matrimonium ratificaretur;sic D.T. in 4. dist.29. q.vnic. art.3. qq.2. ad 2. Sanchez, Cornejo,& Salmant. cum pluribus,quicquid dicat Gonet, Disp. 4. num.98. de quo aliquid suprá tetigimus,art.4. casu 2. in fine. Ratio est: quia copula habita libere affectu maritali, est sufficiens signum consensus de novo habiti, in coniuge qui antea coactus fuit.

His addunt Sanchez, Aversa, & Silvester, quod etiam alia signa sufficiunt, ad ratificandum illud Matrimonium.1.si affectu maritali,coniuges se amplexati fuerint.2.si se affectu illo,coniuges appellaverint, vel dona imbicem receperint. 3. cohabitatio, etiam non secuta copula;sed ad hoc requiruntur sequentes conditiones. 1. quód talis cohabitatio sit diuturna, nempé per annum & dimidium, vel arbitrio prudenti mensurata. 2. quód sit spontanea, & metus cessaverit & eius causa, nam si hæc perseverant,non iudicatur esse liberum consensum, ad Matrimonium requisitum.3. quód veré reperiatur consensus, saltim virtualis, qualis censetur reperiri, in ipsa libera habitatione,nam si illa deficit, licet in foro externo, iudicetur validum Matrimonium, sed non in foro conscientiæ; si veró adsit formalis consensus, non requiritur in foro conscientiæ, diuturna cohabitatio, pro Matrimonio perficiendo.

Hæc de copula voluntarié habita, sed quid si illa, sit per metum gravem extorta? Resp. quód per illam, Matrimonium antea nullum, non ratificatur, nec validum efficitur; sic tenent Silvester, Sanchez, Henriquez, Leander, & Salmant. cum alijs, ratio est: Túm, quia in tali copula,non datur signum consensus, sicut nec in Matrimonio metu gravi extorto. Túm, quia in eo casu, metus durat, imó augetur, & eo durante, Ecclesia inhabilitat contrahentes & consensus eorum. Túm,quia iura Ecclesiastica irritantia Matrimonium, attendunt ad bonum publicum, & ad vitanda gravia damna,ex coactione secuta,& sic ad casum quo ex metu consumatur Matrimonium, debent extendi. Vndé inferunt Cornejo, & Dicastillus, quod nec metu mortis, debet quis Matrimonium consumare,quia hoc esset grave peccatum fornicationis,nisi coniux ignoraret, Matrimonium esse nullum, quia tunc ex bona fide excusaretur, vt dicemus casu sequenti.

Oppones 1. quia si talis copula fuit licita,etiam erit validum Matrimonium; si autem illicita, non fuit contractũ ex metu cadente in virum constantem,quia vir constãs,non debet peccatum eligere, vt mortem fugiat. 2. Ecclesia irritavit Matrimonia metu contracta,in favorem patientis, ne ei fiat iniustitia: ergo non irritavit, quando cogitur ad consumandum, alias cogeretur mori vel peccare,& gratia alicui facta, non est in eius dispendium retorquenda. 3. quilibet potest cedere iuri suo, & sic minatus mortem, nisi contrahat, & consumet Matrimonium, potest cedere legi Matrimonium irritanti in eius favorem, & affectu maritali copulam habere, vt vitet peccatum & mortem.

Resp. ad 1. quód in eo casu, datur in patiente metum, duplex consensus, vnus in Matrimonium & alter in copulam; primus, quo eligit Matrimonium vt mortem vitet,& hic cadit in virum constantem, & ideo illud irritum reddit; secundus, quo culpam committit,vt liberetur á morte,& hic est viri inconstantis, & sic compatitur quod Matrimonium sit irritum, & illicita eius cõsummatio. Ad 2. quód Matrimonium ex metu contractum, non solum irritatur in gratiam patientis, sed etiam ob publicum bonum,vt vitentur mala,ex coactione orta, sicut hac ratione irritantur Matrimonia clandestina, & sic licet aliquando sequatur præiudicium alicuius particularis,meliús est quod consulatur bono communi, talia Matrimonia etiam consummata irritando, alias Ecclesia, his inconvenientibus, non sufficienter providisset de remedio. Ad 3. quód nemo potest cedere iuri suo, ob commune bonum concesso, & licet posset,si voluntarié ad hoc moveretur,non veró si per metum ad hoc cogitur, quia iura, matrimonia ex metu facta irritantia, etiam anullant talis favoris cessionem, ex metu factam. Alia plura sunt,de consensu per metum scienda, de quibus iterum agemus, cum de impedimento Matrimonij quod vocatur vis, disseruerimus.

Casus nonus, de Matrimonio, malitiosé annullato. Fœmina coniugata,timens valdé quod á viro suo,ob crimen aliquod occidenda erat, cognovit quod in libro Parrochali, deficiebat folium in quo Matrimonium eius inscriptum erat,& mala fide,Parrochum instruxit, vt iterum in dicto libro, annum, mensem,& diem sui Matrimonij apponeret; Parrochus vir bonus,sine aliqua malitia assensit; mulier autem,malitiosé apposuit tempus coniugij, ita vt á die Nativitatis suæ appareret,Matrimonium suum, fuisse anno vndecimo ætatis suæ contractum; & aliquo tempore decurso, coram Ordinario litem posuit, de Matrimonij nullitate, quo audito,vir eius longe perrexit, videnque condemnandum fore, scripsit vxori, quod finiretur lis, quia ipse volebat cum alia contrahere, pronuntiataque de nullitate Matrimonij sententia, vir contraxit cum alia, & mulier ea mala fide libera, celebravit Matrimonium cum altero, sed pœnitentia ducta, postea remedium quærit. Casus hic, licet quo ad substantiam non sit rarus, bené veró quo ad circumstantias, proclivitatem nostræ naturæ ad malum contestantis, cuius resolutionem &

pra-

practicam, & speculativam apponemus.

Practicé igitur,& quo ad prudentiale iudicium, asserit Ludov. á Concep. se mulieri in simili ferè casu stitisse consultum, vt se amentem fingeret,vel á Dæmone vexatam, cum advertentia tamen, vt sacras reliquias, cruces & alia, non contemneret, nec aliquid ex se indecens efficeret, quo per aliquod tempus perseverante, maritus thorum separavit, & nunquam ad mulierem accedere voluit, quia semper de fictis illis malis, vsque ad mortem fœmina conservavit reliquias, cum debita cautela, in adimpletione præceptorum Ecclesiæ. Alij dicunt, quod mulier potest fieri,bonorum prodiga & dissipatrix, quo visso vir separabit thorum, ei necessaria conferens;sed hoc remedium,á conditione viri dependet. Aliud assignatur remedium, vt potione aliqua mulier defedetur,vt viro exossa reddatur,sed hoc fœminis forté est durum,licet ob tale crimen commissum,iustissimé promeritum.

Deindé,potest mulier,se Prælato suo in confessione manifestare, vt eo mediante, vir suus mittatur ad bellum,aliquo militari officio,pro sui qualitate, & dum hoc disponitur,se quantum possit infirmam fingat, dicens se acribus agitari doloribus, ita vt nec vestes valeat sustinere,quanto magis accessum viri. Denique, poterit mulier viro dicere, quod castitatem voveat, quia ipsa antiquitus promisit, & in vigilia & somno, fuit admonita & exterrita,de eo quod non adimpleverit; hoc aliquando in praxi,optimum eventum habuit,ob docilem viri conditionem, & fœmina reliquum tempus vitæ suæ, in continua meditatione, & asperrima pœnitentia transegit, quod fœminæ tanti sceleris autrici convenit; sed hoc etiam pendet á conditione viri, sicut ab vtroque, practica remedia hucusque assignata, ne scandalum subsequatur,per inopinatam separationem.

Pro resolutione autem speculativa, dato quod in praxi, hæc & alia nequeant proficere remedia, notandum est, impossibilem videri in dicto casu, separationem fœminæ á viro, cum vndique imminet scandalum grave, nec possit allegari aliquod impedimentum dirimens, nec causa divortij; supponimus enim, illud reputatum Matrimonium, fuisse cum debitis circumstantijs contractum, nec vllam dari causam divortij,& alias nequit ligamen verum manifestari, ob damnum fœminæ, & scandalum indé oriundum. Deindé fœmina, nequit sibi imputari peccatum quod non fecit,licet ex eius falsa confessione, scandalum auferretur, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Quid ergo, fieri debet, si scandalum imminet, & ad primum verum maritum, fœmina reddere nequit,nec facile sit habitare cum secundo, quin sit periculo fornicationis exposita? Hoc opus, hic labor est.

Dicendúm est ergo: Quód si mulier se habet mere passivé,nec in delectationem consentit,postquam sæpiús recusavit debitum reddere, & adsit periculum vitæ, quod probabiliter timeri potest, ex continua debiti negatione, nec possit sine scandalo separari, nec ad primum virum legitimum redire, in his angustijs posita in casu prædicto, potest permittere externam sui corporis corruptionem & vsum. Ad hoc asserendum,di cor ex sententia Soti, Navarri, & Rodriguez, quos sequitur Diana, qui asserunt, posse fœminam ad vitandam mortem, pati externam corruptionem sui corporis, in delectationem non consentiendo,sed meré passivé se habendo, quia non tenetur mortem sustinere, dum interius non consentit eiusmodi culpæ, & fecit quod potuit ablato scandalo,ad illam vitandam: ergo si mulier, de qua loquitur casus, nequit sine scandalo á viro separari,& ei mors imminet,ex continua resistentia in raddítione debiti, poterit externam sui corruptionem pati.

Hoc ipsum constat, ex doctrina Ang. D. 2. 2. q.64. art.5. ad 3. vbi ait: Non licet mulieri,se ipsam occidere,ne ab alio corrumpatur,quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, vt vitet minus crimen alienum, nec enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis; constat autem, minus esse peccatum fornicationem vel adulteriũ, quam homicidium, quod est gravissimum, quia sibi ipsi nocet, cui maximam dilectionem debet; est etiam periculosissimum, quia non restat tempus, vt per pœnitentiam expietur; similiter etiam, nulli licet se ipsum occidere,ne consentiat in peccatum, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, præsertim minora,& minus certa, incertum est enim, an aliquis in futurum consentiat in peccatum; potens est enim Deus, hominem quacumque tentatione superveniente, liberare á peccato; hæc D.T. de occisione illata ab ipsa muliere,quæ possunt pro occisione illata ab altero, in casu nostro accomodari; siquidem etiam tunc, corruptionem sui non patiendo,influeret mediaté in sui mortem, quam prudenter timet.

Nec obstat: Quód doctrinæ istæ loquuntur, casu quo fœmina renuit corporaliter quantum potest; sed in casu posito, nullo modo resistit, dormiendo cum præsumpto viro in eodem lecto. Non inquam obstat. Túm, quia nisi ita se gerat, causabit scandalum, & incidet in mortis periculum. Túm præcipué, quia in eo casu, fœmina non se præparat, nec componit ad actum, sed meré passivé se habet, exercendo actionem, per se & directé ad somnum ordinatam, & relinquit se præparari á viro, cuius actio non est illicita, quia bona fide procedit, & sic mulier,peccato non cooperatur;& ratio omnium est: nam quando duo mala inevitabilia occurrunt, minus malum est eligendum;cum ergo ex vna parte,adsit periculum scandali, & metus

tus mortis,& ex alia periculum consensus in cohabitatione, quodminus malum est, huic secundo debet potius se exponere quam alijs. Hoc dico & resoluo pro casu dicto, illud sapientium dictamini subijciendo.

ARTICVLVS VII.

De impedimentis Matrimonij in communi, & de impedientibus.

Prima difficultas: An detur potestas in Ecclesia, ad assignanda impedimenta Matrimonij? Notandum ex suprá dictis,in summa doctrinæ,impedimenta Matrimonij, alia esse impedientia, quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum, quæ sunt quatuor ibi assignata; alia impediunt & dirimunt,quæ continentur in versiculis illis: *Error conditio &c.* quæ convenienter assignantur, vt ait D.Tho. hic,q.50. art.1. cuius rationem eleganter assignat. *Sed oppones*: quód pro alijs Sacramentis, impedimenta non assignantur. Resp. quód etiam alia Sacramenta impediri possunt, si aliquid de eorum essentia, vel solemnitate desit;hoc autem pro Matrimonio specialius est. 1. quia illud,consistit in duabus personis, & sic facilius impediri potest, quam alia Sacramenta, quæ consistunt in vna.2.quia Matrimonium,habet causam in Deo & in nobis, alia verò Sacramenta,pœnitentia excepta, solum in Deo habent causam, & ideo non sunt ita impedibilia, sicut pœnitentia & Matrimonium,& hoc magis,propter rationem primam. 3. quia de alijs Sacramentis, est præceptum vel consilium, vt de bonis perfectioribus, sed de Matrimonio est indulgentia,vt de bono minus perfecto, & ideo plura eius impedimenta assignantur, vt detur occasio proficiendi in meliús;sic D.T.ad 1.

Sed quomodo vinculum Matrimonij, authoritate superiori Dei statutum, & firmatum, possit ab inferiori potestate, impedimenta statuente rescindi? Dicatur: quód Dei potestas superior, relinquit Matrimonium & eius vinculum, pendens á potestate inferiori, quo ad circumstantias, regulationem, & modum, & sic ista,potest assignare impedimenta, vt his vitatis, contractus modo conuenienti fiat. Nec impedimenta ista, opponuntur indissolubilitati Matrimonij;nam impedimenta dicuntur dirimentia, non quia dissolvant Matrimonium, quod semel est legitimé contractum, id enim repugnat eius intrinsecæ indissolubilitati, sed solum præstant, vt Matrimonium cum ipsis contractum,vel potius attentatum de facto,& non de iure, irritum sit ac nullum, in quo differunt hæc impedimenta,ab impedientibus tantum, quia hæc solum faciunt, non vt Matrimonium non fiat, sed vt licitè non fiat, & ideo si quis cum illis contrahit, peccat mortaliter, sed Matrimonium validum est, in dirimentibus verò, non solum peccat cum eis contrahens, sed etiam facit Matrimonium invalidum & nullum; sic D T. ad 6. & 7.

Dico igitur: quód in Ecclesia,datur potestas ad assignanda impedimenta, impedientia & dirimentia Matrimonium pro vt illi ad communem Ecclesiæ, bonum videbitur expedire, quia ad illam pertinet, conservare Reipublicæ pacem, & sic potest præcipere,vt hoc tempore, Matrimonia his conditionibus celebrentur & non aliter, & tunc erunt illicita, si contra hoc præceptum celebrentur;erunt tamen valida. Vt autem Pontifex,hæc impedimenta assignet,debet habere iustam causam, & vrgentiorem, vt impedimenta dirimentia assignet,quam solum impedientia,quia plus requiritur, vt Matrimonium sit invalidum, quam vt sit tantum illicitum, & si assignaret impedimenta sine causa iusta, peccaret mortaliter, quia abuteretur potestate,sibi concessa in ædificationem populi, & non in eius destructionem, & tunc suum decretum, nullam vim haberet, quia prohibitio eorum quæ sunt de iure naturæ,est nulla, si fit sine causa; & resolutio nostra habetur in Trident. Sess.24. Can.4. vbi dicitur: Si quis dixerit,Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta, Matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anathema sit.

Dices 1. Ecclesia nequit mutare, materiam & formam Sacramentorum: ergo nec facere potest, quod sit nullum Sacramentum, cum debita materia & forma celebratum. Resp. quód hoc est speciale Matrimonij, quod non solum sit Sacramentum, sed etiam contractus naturalis, pro cuius legitimitate potest Ecclesia diversas assignare conditiones,iuxta qualitatem personarum & temporum; sicut de facto annullavit Matrimonia clandestina, quæ olim erant valida,ob plura scandala & peccata ex eis exorta;de quo vid.sup. dicta, Art.3.diff.5. Sed notandum, quod hæc potestas Ecclesiæ, non extenditur ad infideles sibi non subiectos,vt constat ex cap. gaudemus de divortijs, & patet ex illo Pauli 1. ad Cor.5. quid mihi de his qui foris sunt iudicare; imó nec eos obligat, licet fiant Christianis Principibus subditi, quia Ecclesia, non habet in eos iurisdictionem spiritualem nec temporalem, quia omnis iurisdictio spiritualis Ecclesiæ super homines, fundatur in charactere Baptismi,per quem sicut eis patet aditus ad Christianam religionem, etiã constituitur primum fundamentum subiectionis Ecclesiæ potestati; si autem infideles illi, fiant Pontifici temporaliter subiecti, impedimenta statuta ab Ecclesia extenduntur ad eos, sicut etiam obligantur legibus, pro alijs contractibus statutis. Episcopi autem intra suam Diœcesim, nequeunt impedimenta dirimentia pro sua Diœcesi statuere, quia hæc est res gravis, ardua,& difficilis,& sic ex natura sua,supremæ potestati Ecclesiæ est reservata.

Quid autem dicendum, de potestate Principum Christianorum? Resp.quód illi potestatem habent,

instituendi suis subditis fidelibus, impedimenta Matrimonium dirimentia, sic tenent Sanchez, Cornejo, Bonacina, Dicastillus, Aversa, Salmantic. & communiter Doctores, & habetur expresse apud D.T. in 4. dist 34. q.vnic. art.1. ad 4. vbi ait: Matrimonium in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ, in quantum est Sacramentum, statuitur lege divina, in quantum est in officium communitatis, statuitur iure civili, & ideo ex qualibet dictarum legum, potest aliqua persona effici ad Matrimonium illegitima, & idem habet hic, q.50. art.1. ad 4. vbi addit: Nec est simile de alijs Sacramentis, quæ sunt Sacramenta tantum; & quia lex naturalis, secundum diversos status, recipit determinationes diversas, & ius positivum etiam variatur, secundum diversas hominum conditiones, in diversis temporibus.

Deindé 4. contrag. cap.78. sic ait: Quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis, est proportionatus agenti; generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua civitate, & etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, vndé oportet, quod huiusmodi generatio á diversis dirigatur; in quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem á natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur, esse naturæ officium, in quantum verò ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi civilis legis, in quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subiaceat regimini Ecclesiastico. Ex his formatur hæc ratio: omnes contractus civiles & humani, in bonum reipublicæ ordinati, debent esse potestati civili Principis subiecti, vt si incipiant esse communitati nocivi irritentur, & sub debita forma & circumstantijs disponantur; sed Matrimonium est contractus civilis & humanus: ergo debet subijci Principis potestati, sicut etiam in alijs contractibus contingit, vt patet in contractibus minorum sine licentia tutoris, & vxoris sine licentia mariti.

Dices: hoc esse verum in alijs contractibus, sed non in Matrimonio, quod est Sacramentum, & res spiritualis, extra omnem potestatem sæcularem constituta. Contra est: licet Matrimonium qua parte est Sacramentum & res spiritualis, non cadat directé sub potestate sæculari & civili, benè verò indirectè, quatenús sub ea cadit ratio contractus, quæ est fundamentum Sacramenti; sed deficiente fundamento, deficit res fundata: ergo, &c. *Si dicas*: hoc videri oppositum D.T. qui hic, q.57. art. 2. ad 4. ait: Quód prohibitio legis humanæ, non sufficeret ad impedimentum Matrimonij, nisi interveniret Ecclesiæ authoritas. Resp. hoc non esse, quia in potestate civili non detur facultas statuendi impedimenta, sed quia illa non vtitur, quia Ecclesia illam sibi reservavit, & D.T. loquitur, supposito huiusmodi Ecclesiæ decreto.

Habetur ex his, quod licet hæc potestas, conveniat sæcularibus Principibus, vsus tamen illius, ab Ecclesia prohibitus est, & si contra hoc præceptum, impedimenta statuere tentant, nihil efficiunt, & Matrimonia á fidelibus cum illis impedimentis contracta validà erunt, quia causas matrimoniales, Ecclesia sibi reservavit, & extraxit á sæculari foro. Si autem huius reservationis, rationem inquiris, hæc est: quia respublica temporalis & eius potestas, est quodamodo Reipublicæ spirituali subiecta, præcipué in illis rebus, quæ sunt cum spiritualibus connexæ, & ad finem supernaturalem ordinatæ. Vndé sicut ars militaris, ad cuius finem aliæ ordinantur, dicitur architectonica, & quasi principatum tenens, respectu artis equestris & fabrilis, idem de potestate spirituali respectu civilis, discurrendum est.

Deindé: quia res spiritualibus coniunctæ, & ad finem supernaturalem ordinatæ, nequeunt convenienter gubernari per potestatem sæcularem, quia requirunt cognitionem plurium, quæ ad ius divinum pertinent, & eruditionem sæcularem excedunt. Vndé Matrimonium, & cognitio impedimentorum eius, ad illud tribunal pertinere debet, in quo de rebus spiritualibus, & eis annexis agitur, sicut hac ratione, ad illud pertinent personæ Ecclesiasticæ, & eorum bona. Sed hoc debet intelligi, de Matrimonio secundum valorem & substantiam, & cognitionem impedimentorum eius; sed non de eius accidentibus, quæ Ecclesia foro sæculari remisit, vt causa dotis, arrharum & donationis inter sponsos. De Matrimonijs autem infidelium, possunt cognoscere Principes quibus sunt subiecti, etiam quo ad substantiam, & eis possunt impedimenta dirimentia statuere, quia illa Matrimonia, non sunt Sacramentum, sed purus contractus civilis, pro quo Princeps sæcularis, potest condere leges; sed non pro Matrimonijs fidelium sibi subditorum, quia hæc sunt Sacramenta, veré spiritualibus annexa, & potestati Ecclesiæ reservata, & sic quo ad tales contractus, fidelcs, non sæcularibus Principibus, sed Ecclesiæ subduntur.

Secunda difficultas: An & quomodo consuetudo, possit nova impedimenta Matrimonij introducere, vel abrogare? Notandum est: nód consuetudo, alia est *secundum legem*, & de hac non est sermo, quia illa, novam legem non introducit nec abrogat, sed legem iam latam firmat & corroborat, alia *præter legem*, quæ aliquid introducit, nec præceptum, nec damnatum, vt si introduceretur, quod intra quintum gradum consanguinitatis daretur impedimentum dirimens; alia *contra legem*, vt quando introducitur, quod est damnatum lege communi, & de his vltimis agimus modo. Deindé est notandum: quód vt consuetudo habeat vim

legis,

legis, & impedimenta dirimentia introducat, debet esse præscripta legitimé, per modum obligationis & præcepti, & non præcisé per modum devotionis & consilij. Ratio est: quia consuetudo habet vim legis, & hæc non obligat, nisi iuxta intentionem legislatoris. Tandem est certum, quod si consuetudo expresé approbetur á superiori, statim habet vim legis, ac si esset ab eo condita; imó etiam si approbetur contra legem, præterito tempore, ad legitimam præscriptionem exacto; hoc autem est, quando superior, potest legem ferre vel abrogare, & ideo nulla potestas creata, nec consuetudo, contra ius naturæ, vel divinum potest prævalere, vt ait D.T. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 1. vndé consuetudines contra hæc iura, dicuntur abusus, & corruptelæ.

Dicendúm est ergo: quód si consuetudo fuerit rationabilis, & legitimé præscripta, & á Summo Pontifice tacité approbata, possunt per illam, nova impedimenta Matrimonium dirimentia introduci. Dicitur *rationabilis*, hoc est, de re honesta, & vtili Reipublicæ. Ratio est: quia consuetudo est quasi lex traddita licet non scripta, lex autem, vt habeat vim, debet esse de re honesta, & reipublicæ vtili, & sic idem debet habere consuetudo. Dicitur: *Tacité á Pontifice approbata*, quia hoc est commune omni legi, quæ si introducitur á Reipublica Principi subiecta, eget tacita huius approbatione, sicut etiam hæc est necessaria, ad statuendas leges, vt ait D.T. loc. cit. ad 3. & cum respublica Christiana, quoad res Ecclesiasticas, vt sunt impedimenta Matrimonij, sit Summo Pontifici subiecta, ideo eget eius approbatione tacita vel expressa, vt eius consuetudo habeat vim obligandi.

Id autem, quod directé asserit resolutio, habetur apud D.Tho. loc.cit. & in D.Aug. in arg. sed contra citato, qui ait: Mos populi Dei, & instituta maiorum, pro lege sunt tenenda; hoc ipsum asserunt Sanchez, Palaus, Suarez, & Salmant. cum pluribus; & ratio est: quia consuetudo legitime præscripta, habet vim legis, vt dicitur cap. final. de consuetud. & specialiter de Matrimonio habetur, cap. 1. de cognat. spir. vbi dicitur. valere Matrimonium, inter filios duorum compatrum, nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet aliter se habere noscatur. Licét autem propter hæc verba, aliqui limitent resolutionem, pro casu, in quo sequatur scandalum; sed hanc limitationem non admitimus, sed si fuerit consuetudo legitimé introducta, & præscripta, sufficit ad nova impedimenta statuenda; & dicitur *legitimé præscripta*, hoc est, per longum tempus durans, quod aliqui relinquunt arbitrio prudentum, alij autem assignant decenium, quia hoc per ius civile, longum tempus reputatur; sed vt detur præscriptio contra ius Canonicum, requiruntur quadraginta anni, vt habetur cap. ad aures, de præscript.

Alij vlteriús volunt, quod vt consuetudo legitimé præscripta, introducat vel abroget, nova Matrimonij impedimenta, vlteriús requiritur, quod sit mixta ex vsu, & consensu frequenti, laicorum & Ecclesiasticorum, & non introducta á solis laicis, maximé repugnantibus Clericis; sed oppositum est verius, nempé posse á laicis solis, sine consensu Clericorum, introduci consuetudinem, quando huius materia, ad laicos ipsos pertinet, vt patet in consuetudine observandi ieiunium, vel diem festum, quæ potest á laicis introduci, quia non vtuntur potestate á se habita, sed eis á Summo Pontifice concessa, quæ tali consuetudini, vim legis Ecclesiasticæ concedit; sic tenent Aversa, Palaus, & Salmant. *Dices*: consuetudo non est contra ius naturale & divinum; ergo nequit reddere inhabiles ad Matrimonium, illos qui iure naturæ & divino, habiles erant. Resp. quód consuetudo, non præiudicat iuri naturali & divino, præcipienti, bené veró permissivé se habenti, & ideo præcepta iuris naturalis & divini, nequeunt consuetudine abrogari, bené veró res illæ, quæ á dictis iuribus non iunt præceptæ, sed permissæ, qualia sunt impedimenta Matrimonij & habilitas personarum, ad illud contrahendum.

Sed dubitabis: An vt iudicetur, Principem approbare consuetudinem Reipublicæ sibi subiectæ, requiratur quod sciens & videns, illam in praxi haberi ab omnibus, non contradicat cum possit? Resp. hoc non requiri, sed solum quod generaliter in eam consentiat; sic tenent authores proximé citati, quod dupliciter explicari potest. 1. quia licet hic Pontifex, vel Princeps particularis, hanc vel illam particularem consuetudinem non approbaverit, iam determinatum est ab Ecclesiastico legislatore, vt quando consuetudo rationabilis legitimé præscribitur, pro lege habeatur; cum autem legislator civilis stabilierit, vt durante consuetudine rationabili per decenium, illa pro lege habeatur, & idem de legislatore Canonico, circa consuetudinem per quadragenium durante, hac duratione pro qualitate rei respectivé decursa, consuetudo pro lege censetur approbata, quin aliam approbationem particularem expostulet. 2. explicatur: quia consensus Principis, semper reperitur in tacita conditione, qua leges promulgantur, vt si vsu accipiantur conscientias ligent, & si contraria consuetudine non abrogétur, vim suam retineat, & alias eam ammittant, & sic consuetudine durante per decenium, transit in legem civilem, & durante per quadrienum, transit in legem Ecclesiasticam, sine vlteriori approbatione speciali.

Tertia difficultas: An consuetudo introducta legitimé, impedimenta Matrimonij iure Ecclesiastico statuta, possit abrogare? Resp. affirmativé; sic tenent Sanchez, Cornejo, Bonacina, Palaus, & Salmantic. cum aliis multis. Ratio est: quia cap. final.

final. de consuetud. dicitur: Quód consuetudo legitimé introducta, potest iuri positivo præiudicare; impedimenta autem Matrimonij, iure positivo statuta sunt. Deindé: quia consuetudo legitimé introducti, habet vim introducendi legem irritantem: ergo etiam habet vim derogandi legem iam statutam, non enim requiritur minor vis, ad introducendam legem novam, quam ad derogandam legem antiquam.

Sed contra hanc resolutionem, sunt instantiæ sequentes. 1. quia in cap. quod super de consang. decernitur, separandos & puniendos esse illos, qui in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxerunt, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quæ potius dicenda est corruptela. 2. vt consuetudo deroget iuri Ecclesiastico, debet esse rationi consona; sed illa consuetudo talis non est. Tùm, quia ibi appellatur corruptela, & lex dicitur rationabilis, quando illam iura non damnant. Tùm, quia nequit præscribi aliquid contra legem, si legislator adijciat, quod nullo vnquam tempore contra illam præscribatur. Tùm, quia l. 3. de iur. reg. tit. 2. dicitur, quod consuetudo non habet vim, si est contra iura statuta. Tùm, quia consuetudo contra legem, foveret peccata mortalia, quibus aliquis in gradibus prohibitis contraxerunt. Tùm, quia præscriptio nequit fieri, nisi per actus ab initio iustos, & bona fide factos, vsus autem contra legem Ecclesiasticam malus est, & nequit á malitia purificari. Tùm, quia illa consuetudo est contra bonos mores, & extensionem charitatis, si aliqui in gradibus prohibitis contraherent. ergo, &c.

Sed hæc omnia, leviter resolutionem increpant. Ad 1. solutio esset facilis dicendo, quod illa verba: non obstante quacumque consuetudine, intelligũtur de consuetudine præterita vel præsenti, non veró de futura in posterum inducenda; sed tamen, quia communis sententia docet, vtramque consuetudinem comprehendi, quando lex, verbis expressis consuetudinem improbat, vt ibi fit; ideo melius. Resp. quód consuetudo per legem reprobata, potest contra legem prævalere, quando nova occurrit causa, quam legislator non cogitavit, quando per legem suam reprobavit consuetudinem, quæ causa nova, tollit malitiam quæ erat in consuetudine, quando fuit reprobata á legislatore; & ratio esse potest: quia illa verba: non obstante contraria consuetudine, non habent maiorem vim, quam ius scriptum, contra quod potest consuetudo introduci, & sic etiam introduci potest contra legem, præcipuè cum malum aliquo tempore prohibitum, progressu temporis, & variatis causis, possit desinere malum esse.

Dices: si hoc esset verum, posset per consuetudinem, eligi in confessorem simplex Sacerdos, sine superioris licentia, licet contrarium determinetur in iure, contrariam consuetudinem reprobante, quod absurdum est. Resp. quód talis electio Sacerdotis simplicis, non solum est contra ius Ecclesiasticum, sed etiam contra ius divinum, exigens in confessore vtramque potestatem, ordinis & iurisdictionis, & præterquam, quod sic statuitur in Trident. potest convinci; ex eo quod si confiteri simplici Sacerdoti, esset solum contra ius Ecclesiasticum, confessio sic facta, esset valida in ratione Sacramenti, licet Sacerdos peccaret contra Ecclesiæ præceptum, quod tamen non ita est, quia Trid. Sess. 14. cap. 7. ait, talem confessionem, semper ab Ecclesia fuisse iudicatam invalidam, quod est signum, illam esse iuri divino contrariam.

Ad 2. instantiam. neg. min. ad 1. probationem dicatur: illam consuetudinem vocari corruptelam in textu illo, quæ sine causa nova est introducta, quod non habet consuetudo, de qua in resolutione loquimur. Ad 2. illud esse verum de illis rebus, quæ non possunt præscribi, nisi ex vi legis, præcedente bona fide, non veró de consuetudine, quæ non est lex specialis, nec requirit bonam fidem, in principio suæ introductionis, sed solum tacitum consensum Principis. Ad 3. quód illa lex, non loquitur de consuetudine, sed de vsu, qui nequit contra iura prævalere, nisi transeat in consuetudinem, tacité á Principe approbatam, alias contrariæ leges, semper retinent vim suam. Ad 4. quód consuetudo legitimé introducta, & á superiori approbata, excusat á culpa, & sic peccata non fovet. Ad 5. quód præscriptio tollit dominium á vero domino, sine illius consensu ex dispositione legis, vt ita lites cessent, & respublica pacificé gubernetur, & ideo opportet, vt præscriptio solum concedatur, possidenti bona fide, quia si possessor malæ fidei posset præscribere, & eius possessio purificari, daretur occasio furandi rem alienam finito tempore præscriptionis; consuetudo autem, dominium á legislatore non aufert, qua vim non habet, nisi accedente illius tacita approbatione, vndé vsus, licet incipiat mala fide, temporis decursu purificatur & fit licitus, & in consuetudinem transit, faciendo quod lex contraria cesset.

Ad vltimam resp. quód hæc consuetudo, non est bonis moribus contraria, quia rationes noviter occurrentes, iustæ & rationabiles, possunt esse maioris momenti, quam extensio charitatis & amicitiæ inter homines, illo modo facta, per tám amplam graduum prohibitionẽ, sicut de facto in iure antiquo, dictæ rationes occurrerunt, quando illa graduum prohibitio restricta fuit, & postea in Trident. restringuntur gradus, publicæ honestatis, & affinitatis, contractæ ex copula fornicaria, & redditur ratio Sess. 24. de Matrim. cap. 2. ex eo quod experientia monstravit, prohibitionum multitudinem, esse animarum saluti nocivam.

Quarta difficultas: Quale sit peccatum, Matrimonium contrahere cum aliquo impedimento? Di-

Dicendum est, quod per se loquendo, est peccatum mortale, sive impedimentum sit dirimens, sive impediens, ita vniformiter Doctores, vt testatur Perez, disp. 22. sect. 2. & 3. Ratio est: quia omnibus impedimentis rectè pensatis, continent gravem materiam, & gravem etiam inobedientiam fundant. Vndé contrahens Matrimonium, cum aliquo impedimento impediente, in primis committit sacrilegium, quia Sacramentum suscipit in peccato mortali, si est ligatus voto, vel non contrahendi, vel intrandi religionem, vel suscipiendi ordinem sacrum, vt asserunt Coronius & Dicastillus, qui ait, illum peccare, & in ipso contractu, & in ipso vsu coniugij petendo debitum, non verò reddendo, nisi in secundo casu, in quo potest si semel consummavit, vt ait prædictus author, etiam petere, saltim si non detur spes filiorum, qui reddant difficiliorem facultatem coniugis, ad religionis ingressum, & etiam cum hoc impedimento solum impediente contrahens, peccat contra iustitiam, si est alligatus alteri per legitima sponsalia, & contra religionem, si tempore interdicto celebret; si autem id faciat, contra expressam & iustam prohibitionem Ecclesiastici superioris, forté peccat contra illam virtutem, ex cuius motivo est interdictum Matrimonium.

Ille autem, qui Matrimonium cum impedimento dirimente contrahit, probabile est, quod sacrilegium committit, quia quantum est ex se, suscipit sacrilege Sacramentum, ponens obicem gratiæ; sic sentiunt Layman, Coninch, & alij; sed verius Hurtado, Sanchez, & Dicastillo asserunt, quod in eo casu, per se loquendo, non committitur sacrilegium, quia tunc nullum Sacramentum conficitur, nec suscipitur, sed impeditur ne efficiatur, sed quia non efficitur id, cui ex institutione Christi convenit ratio Sacramenti, nempè verus consensus, quia sponsi consentire non possunt, in rem quam sciunt esse omnino impossibilem, ideo ibi nulla indigna tractatio Sacramenti reperitur, adeoque, nec per se loquendo datur sacrilegium; sed per accidens potest intervenire indignitas, vt cum quis voto solemni ligatus contrahit, cum intentione consummandi Matrimonium; sicut etiam peccat contra iustitiam, qui habens legitimam vxorem copulatur alteri, cum intentione cohabitandi cum ea, & similiter qui conscius impedimenti, contrahit cum ignaro illius; & etiam contrahens cum impedimento, animo consumandi, peccat contra illam virtutem, cuius intuitu, impedimentum est inductum.

Sed ille qui dubitat, an habeat aliquod impedimentum, si post diligentem inquisitionem, non assequatur veritatem, licité Matrimonium contrahet, vt dicunt Sanchez, & Tamburinus, eo quod ipsi favet privilegium possessionis, nisi forté contra illum stet aliqua præsumptio; & in hoc dubitans de impedimento, ferè se habet eodem modo, ac dubitans an sit legitimus, cui patet aditus ad Ordines sacros. *Nec obstat*, quod sic dubitans Matrimonium periculo nullitatis exponit, & sponsam decipit in re gravi, quæ forté non se obligaret dubitanti, si eius dubium sciret. Dicitur enim, quod tenetur sponsam reddere certiorem de suo dubio, & sic aufertur deceptio. Quis autem erit iudex, in lite de impedimento? Resp. quód quando causa concernit quæstionem iuris, pertinet vnicé ad Tribunal Ecclesiasticum, sed si est quæstio circa factum, probabile est, dari locum præventioni, vt ait Gobatus.

Sed inquires: Quomodo probetur, esse aliquod impedimentum Matrimonij? Resp. quód vnius testimonio credendum non est, vt dicitur in l. Maritus, ff. de quæst. sed tamen, si vnus testis de vissu deponat, subesse impedimentum aliquod, ei potest adhiberi plena fides, quandiu non probatur contrarium, si agitur de Matrimonio solum contrahendo; Parrochi verò, nullo modo se immisceant, in cognoscendis & dirimendis controversijs circa hoc, sed si quid intelligunt, statim ad Ordinarium remittant. An autem sufficiat ignorantia impedimenti, vt hoc non obstet valori Matrimonij? Resp. negativé; sic tenent Sanchez, Hurtado, & Perez. Ratio est: nam valdé differunt, aliquid excusare á culpa, & facere actum validum, de invalido per se. Vndé licet ignorantia excuset á culpa, non autem aufert vim dirimendi, ab impedimentis per legem inductis; & ideo videtur quotidié dispensari, cum illis qui cum occulto impedimento contraxerunt, & similiter iubentur abstinere á copula, donec post notitiam impedimenti, dispensationem obtinuerint.

Hinc sequitur, non rectè sensisse Paludanum asserendo, quod impedimentum criminis, non incurritur ab ignorante; motus ex eo quod lex illud impedimentum statuens, est meré pœnalis; hoc enim verum non est, de impedimento affinitatis, contracto ex fornicatione in secundo gradu, quia notum est, hoc idem impedimentum consurgere, ex copula etiam licita; vndé Diana, pro indubitato habet, quod Matrimonium contractum, cum cognata illius cum qua fuit habita fornicatio, etiã ignorato impedimento inde orto, irritum est; Matrimonium enim, verus est contractus, leges autem statuentes aliquam solemnitatem pro valore contractus, etiam ligant ignorantes, post sufficientem promulgationem.

Vndé fit, quod Matrimonium contractum cum fœmina, post dissoluta sponsalia cum eius sorore, ex communi consensu, etiam impedimento publicæ honestatis ignorato, non subsistit; sic habet Prosper Fagnanus, pro quo adducit expressam Declarationem Congregationis Concilij, sub die 6. Iulij, anni 1638. de qua dubitari non potest; & ratio est: nam sponsalia illa, ab initio fuerunt valida, etsi postea mutuo consensu dissoluta, & ex sponsalibus

semel validis, impedimentum publicæ honestatis resultat, licet illud, primum gradum non excedat, vt ait Trident. Sess. 24. de reformat. cap. 3. & de casu nostro, datur declaratio dicta Romæ facta, & leges irritativæ contractuum, habent suam vim, post promulgationem sufficientem, ad quod sufficit promulgatio in Romana Curia, vt ait Vazquez, nisi Pontifex, aliud expressé statuerit, licet alij sentiant, requiri promulgationem in singulis Diœcesibus de quo in Tract. de legibus, agitur ad longum.

Quinta difficultas: De impedimentis impedientibus. Vidimus in præcedentibus cum D. T. aliqua esse impedimenta Matrimonij puré impedientia, quæ contrariantur his, quæ sunt de solemnitate Sacramenti, non autem efficiunt, quin sit verum Matrimonium, & de his modo agimus. *Nec obstat*: quód omnis coniunctio illicita, dirimi debet, & sic nullum dari debet impedimentum puré impediens, sed simul dirimens. Resp. quód rectè potest Matrimonium fieri validé, & non licité, & hoc contingit in Matrimonio cum impedimento puré impediente contracto, quod verum est, licet contrahens peccet. Exemplum est in eo, qui non ieiunus Eucharistiam consecraret, qui peccaret, contra statum Ecclesiæ operando, & tamen verum Sacramentum perficeret, quia ieiunium consecrantis non est de necessitate Sacramenti; sic D. Thom. hic q. 50. art. 1. ad 6.

Hæc ergo impedimenta: puré impedientia, communiter assignantur duodecim, quinque non oriuntur ex crimine, sed ex alia causa, alia verò septem, sunt ex crimine orta; de quinque primis agimus modo, & de alijs diff. sequenti; illa ergo, his versibus continentur: *Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum; atque catheciſmus, sponsalia iungito votum, impediunt fieri, permittunt facta teneri*, quæ impedimenta, explicantur sic. *Primùm* est Ecclesiæ vetitum, hoc est, prohibitio facta à superiori Ecclesiastico, de Matrimonio contrahendo, & hæc, vel potest esse generalis pro omnibus fidelibus, vt prohibitio contrahendi sine denunciationibus, aut earum dispensatione; vel specialis, vt cum aliquibus iusta causa prohibetur Matrimonium, ad vitandum scandalum, vel aliud grave damnum, vel quia est suspicio impedimenti, & veritas debet examinari, aut etiam quando fit alicui præiuditium, & hæc prohibitio potest esse ad tempus, vt in exemplis positis, vel perpetua, vt qui cognovit vxoris consanguineam, prohibetur ab Ecclesia, vt etiam vxore mortua, eam non ducat.

Secundùm impedimentum est, tempus feriatum, id est certum anni tempus, in quo Ecclesia prohibet Matrimonia, quod tempus post Tridentinum, est ab Adventu, vsque ad Epiphaniam, & á die Cinerum, vsque ad octavam Resurrectionis inclusivé, quia diebus illis, est ieiunio & orationi vacandum, & á vanæ lætitiæ signis, epulis, & convivijs quæ nuptias commitare solent, abstinendum. Sed his diebus, non prohibentur Matrimonia simpliciter, sed solum cum solemnitate, vt patet ex verbis Concilij dicentis: ab Adventu, &c. antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus observari, Sancta Synodus præcipit; in alijs verò temporibus, nuptias solemniter celebrari permittit; de quo etiam extat, Cardinalium expressa declaratio. In omnium ergo sententia, quocumque tempore, licet nuptias celebrare simpliciter, etsi non solemnes, quæ vulgo dicuntur: *Velaciones*. Uid. art. seq. cas. 5.

Plures etiam probabiliter docent, tempore interdicti, posse Matrimonium contrahi sine solemnitate, eo quod Matrimonium, est res ardua, & ad illud contrahendum, homines habent ab ipsa natura plenum ius, & sic credendum non est, Pontificem velle illud impedire, nisi de hoc in suis decretis, expressam mentionem faciat, quin præsumatur prohibitum, in interdicto generali; & hoc videtur colligi, ex cap. Capellan. de ferijs, vbi dicitur, Matrimonium quocumq; tempore contrahi posse, quod explicat glossa, de contractu sine solemnitate. *Nec obstat*: quód tempore interdicti, prohibentur omnia Sacramenta, præter Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, & Eucharistiam, per modum viatici; nam constat ex capite relato, Matrimonium non comprehendi, sub generali prohibitione Sacramentorum, & ideo nisi expressé prohibeatur, non intelligitur cum alijs Sacramentis prohibitum, de quo art. seq. cas. 3.

Tertiùm impedimentum, est catheciſmus, id est cognatio spiritualis, orta ex catheciſmo seu instructione in fide, quæ fit ante fores Ecclesiæ, super baptizandum. Sed licet ex iure antiquo, contraheretur hæc cognatio, quia catheciſmus, est quædam Baptismi professio & initium eius, vel protestatio imperfecta fidei, quam facit patrinus pro parvulo, sicut sponsalia, sunt initium Matrimonij; sed hoc impedimentum, videtur sublatum per Trident. Sess. 24. cap. 2. vbi dicitur, quod cognatio spiritualis, non contrahitur in Baptismo, nisi inter susceptores & baptizatum, & parentes eius, & inter baptizantem & baptizatum & parentes, & nulla ibi fit mentio de catheciſmo, quod si per hoc contraheretur spiritualis cognatio, deberet quo ad gradus regulari per Baptismum, qui est eius mensura, nam lex hanc corrigens, etiam corrigit mensuratum per illam.

Quartùm impedimentum, est sponsalia alicui facta, nam qui cum aliqua sponsalia contraxit, nequit sine peccato mortali, cum alia contrahere Matrimonium, nisi ex iusta causa, priora sponsalia fuerint dissolura. si autem Matrimonium contrahatur cum posteriori, non dissolutis sponsalibus cum prima, illud validum erit, quia sponsalia non dirimunt Matrimonium contractum, sed solum impe-

pediunt contrahendum, sicut alia de quibus modo agimus. *Quintúm* impedimentum est, votum simplex religionis, vel castitatis, aut etiam recipiendi Ordinem sacrum, vel non contrahendi Matrimonium; hoc enim iure naturali, & ex natura voti obligat ad non contrahendum, propter fidem Deo datam, & promissionem ei factam, & sic reddit Matrimonium illicitum, sed non invalidum. Ratio est: quia res alicui promissa, manet adhuc sub dominio promittentis, & potest alteri donari validé, quamvis non licité; votum autem simplex, tantum est promissio facta Deo de corpore proprio, & sic vovens potest illud traddere vxori validé, etsi non licité.

Sed oppones 1. vinculum voti fortius est, quam vinculum Matrimonij, quia illud fit Deo, & hoc homini, & sic videtur impedimentum dirimens, nam vinculum fortius, dirimit debilius. 2. præceptum Ecclesiæ sic obligat, vt si contra ipsum contrahitur, Matrimonium dirimitur, vt si quis contrahit in gradu consanguinitatis ab Ecclesia prohibito: ergo multo magis votum, cuius adimpletio est de præcepto divino. 3. in Matrimonio, potest dari copula sine peccato, hæc autem dari nequit stante voto, nam vt ait Hyer. virginitatem voventibus, non solum nubere, sed velle nubere damnabile est, & sic prima comixtio cum vxore post votum, est mortale, & eadem ratione, omnes aliæ. 4. vir & fœmina, debent esse in Matrimonio pares, ille autem qui facit votum, nunquam potest debitum petere sine peccato, & consequenter, nec reddere potest.

Resp. ad 1. quód votum est fortius vinculum, ex parte eius cui fit, & ad quod obligat, sed quantum ad modum obligandi, Matrimonium est fortius vinculum quam votum, quia per hoc solum fit promissio Deo, & per Matrimonium traditur actualiter vir in potestatem vxoris, & potior est semper conditio possidentis. Ad 2. quód præceptum de non contrahendo cum consanguineis, non est dirimens, quatenús est præceptum Dei vel Ecclesiæ, sed quatenús facit quod corpus consanguineæ, nequeat transire in potestatem sui consanguinei, quod non fit per votum simplex, quod solum est promissio, non obstans actuali traditioni alterius. Ad 3. quód post votum simplex, nequit cognosci vxor sine peccato, semel autem consummato Matrimonio, ex hac suppositione reddita est illicita, non redditio debiti vxori petenti, licet ex culpa sua, & ideo ad hoc non se extendit obligatio voti, quamvis debeat pœnitentia fieri, de non servatione continentiæ. Ad 4. quód post Matrimonium, adhuc tenetur vovens, servare illa ad quæ non est factus impotens, & ideo mortua vxore, debet totaliter continere, & quia ex Matrimonij vinculo, non obligatur ad petendum debitum, nequit petere sine peccato, sed potest sine peccato reddere, postquam est obligatus per copulam præcedentem, sive fœmina petat expressé, sive interpretativé. Nec obstat: quód non sunt pares in Matrimonij actu, quia quilibet potest renuntiare quod suum est; sic D.T. hic, q. 53. art. 1.

Sexta difficultas: De impedimentis ex crimine impedientibus. Impedimenta quæ ex crimine impediunt, septem sunt, & his versibus continentur: *Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris. Susceptus propriæ soboles, mors præsbyteralis. Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem; accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.* Explicantur sic. *Primúm* impedimentum, est incestus; hoc est, quando vir, cum consanguinea vxoris copulam habet, vel vxor cum consanguineo viri, contrahitur hoc impedimentum, quod de iure novo Trident. extenditur ad secundum gradum, si copula sit cum consanguineis vxoris de præsenti; sed si habeatur cum consanguineis sponsæ de futuro, censet Palaus, solum ad primum gradum extendi, nec extra illum, incestum constitui, & vt sit verè incestus, requiritur quod sit scienter commissus, quod sit voluntarius & non violentus, & quod committatur per copulam consummatam; vndé si semen funditur extra fœminæ vas, nec affinitatem constituit, nec incestum inducit, vt dicunt Sanchez, Cornejo, & Palaus.

Sed inquires: An incestus commissus cum proprijs consanguineis, hoc impedimentum generet? Quidam olim, satis ignoranter, affirmativé resolvebat, vt mihi fuit notum; sed negativé respondendum est, quia licet incestus cum proprijs consanguineis, in se sit gravior, non tamen est ita oppositus Matrimonio, sicut si habitus sit cum consanguineis alterius, quia hic impedit vsum coniugij, non veró ille, ex proprijs enim consanguineis, non oritur affinitas, impediens Matrimonij vsum; sed solum ex consanguineis alterius. *Ersi inquiras*: An vxore mortua, incestus commissus cum eius consanguineis, hoc impedimentum inducat? Resp. negativé: quia Ecclesia hoc impedimentum apposuit, in pœnam criminis, quo per incestum cum consanguinea alterius coniugis, impeditur vsus Matrimonij, cum coniuge legitima, & hac mortua, cessat hæc ratio; sic tenent Candidus, Cornejo, & Soto.

Secundúm impedimentum, est raptus sponsatæ & licet sub alia ratione sit impedimentum dirimens vt videbimus, est tamen puré impediens, quando vir alienam sponsam, ex domo proprij coniugis abducit, & hoc delictum, non solum impedit raptorum contrahere cum rapta, sed cum qualibet alia; nam qui alienum Matrimonium fuit aurus perturbare, merito privatur proprio; & non sufficit ad raptum, quod rapiatur sponsa de futuro, sed debet esse de præsenti, quia in iuribus odiosis & pœnalibus, nomine sponsæ, non intelligitur spon-

ſponſa de futuro, ſed de præſenti, quæ ſub eodem tecto cum viro degat; & etiam mulier, ſi raptui conſentit, hoc impedimentum incurrit, non veró ſi illa fuerit raptrix, quia iura ſolum de raptu ſponſæ loquuntur, & non conſiderant caſus raros, qualis eſſet quod fœmina raptrix eſſet. Nec verum eſt, quod dicunt aliqui, nempé hoc impedimentum non incurri, niſi copula ſequatur, nam in textibus in quibus hoc impedimentum inducitur, nulla fit mentio de copula, ſed tantum de ſimplici raptu.

Sed notandum, quod ad incurrendam hanc pœnam, requiruntur quatuor præcipué conditiones. 1. vt ſit violentia, puellæ, parentibus, vel tutoribus eius illata. 2. vt raptus fiat cauſa libidinis, ſive copula ſequatur ſive non, quia raptus proprié eſt ſpecies luxuriæ, vt ait D.T. 2. 2. q.154. art. ſeptimo. 3. quód rapta ducatur de loco in locum, & ex eius vel parentum poteſtate extrahatur, per quod differt raptus á ſtupro, quo puellæ extorquetur copula in eodem loco. 4. quód mulier rapta, ſit honeſta & prædicta, & ſic hanc pœnam non incurrit, qui meretricem, vel fœminam abiecti nominis rapit; quod limitant aliqui, niſi mulier ſit coniugata, & eius vir, leno non ſit, nec inceperit per aliquod tempus, honeſtam ducere vitam.

Tertiúm impedimentum, eſt mors mulieris, quod ſi commitatur cum animo tranſeundi ad alias nuptias, eſt impedimentum dirimens, modo infrá explicando; ſi autem fiat ex ira, odio vel vindicta, eſt tantum impediens, quia ille qui interficit vxorem, ſpe coniugij privatur, quamvis occidat eam in adulterio deprehenſam. An veró illam in eo caſu, occidere liceat? Præſentis inſtituti non eſt; breviter reſpondemus negativé, quod conſtat ex D. Thom. in 4 diſt 37. q.2. art.1. vbi ait: Lex civilis, quaſi licitum computat, quod in ipſo actu, eam interficiat, non quaſi præcipiens, ſed pœnam homicidij non inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto, ad occiſionem vxoris; ſed Eccleſia in hoc, non eſt adſtricta legibus humanis, vt iudicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Eccleſiaſtico iudicio infligendæ, ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per iudicem ſæcularem; & ideo in nullo caſu licet viro interficere vxorem propria authoritate; & idem habet hic, q.60. art.1.

Hoc idem ſuadet ratio 1. quia ſi hoc licitum foret, innumeris fraudibus & maritorum inſidijs viam aperiret; ſi enim vir odio haberet vxorem, & aliquem ſibi haberet offenſum, tentaret eos occidere dicendo, ſe illos inveniſſe in fragranti delicto. 2. quia tale vxoricidium in eo caſu factum, habet annexum periculum proximum peccati, vt fiat animo ſe vindicandi & non legem exequendi. 3. quia apud Chriſtianos plus debet ponderare æterna ſalus animæ, quam honor temporalis tranſitorius; occidere autem reos illos in actuali delicto, eſt evidenter eos exponere periculo damnationis æternæ. Vndé licet in aliquo caſu raro, forté procedi poſſit contra inauditam partem, ob commune bonum, ſed non in caſu dicto, propter rationes aſſignatas; & ideo in cap. admonere 33. q. 2. dicitur: Occidere eam nullatenus debuiſti, non enim Deus vult mortem peccatoris, ſed vt convertatur ad pœnitentiam & vivat; de quo vid. Prado, Tom.2. cap. 20. §.4. Quæ omnia robur accipiunt ex propoſ.19. damnata ab Alex.VII.

Inquires: An eamdem pœnã incurrant mulieres per viricidium? Salmantic. reſpondent negativé. Túm, quia de tali delicto, in iure non fit mentio. Túm, quia mulieres, ſunt magis timidæ, & non ita faciles ſicut viri, ad tale facinus perpetrandum. Sed re vera, affirmativé reſpondendum eſt, quod videtur inſinuari, cap.1. de divortijs, vbi de muliere occidẽte maritum dicitur, quod ipſa inſidiatrix, pœnitentiæ ſit ſubiecta, abſque ſpe coniugij; & ratio eſt, quia lex impoſita pro vno correlativo, extenditur ad aliud, quando eadem in vtroque ratio militat, ſicut militare videtur in viricidio, ac in vxorcidio, quia vtrumque opponitur nexui coniugali; & re vera, quo ad hoc, ſæculo noſtro audivimus, extitiſſe fœminas numero, & qualitate viris crudeliores, quæ incredibili immanitate viros ſuos occiderunt, ex quo patet, ad id quod dicunt oppoſiti authores.

Quartúm impedimentum eſt, quando alter coniugum, vel vterque, prolem ſuam levant in Baptiſmo vel Confirmatione, animo inſidiandi Matrimonio, & negandi alteri debitum coniugale, ratione cognationis ſpiritualis; & ratio eſt: quia merito privatur coniugio in perpetuum mortuo coniuge, ille qui appoſuit impedimentum coniugio quod habebat; ſi autem ob neceſſitatem, filium alterius coniugis levet, hoc impedimentum non incurrit, nec contrahit ſpiritualem cognationem. *Quintúm* impedimentum, eſt mors Præsbyteri; nam cum Præsbyter debeat Matrimonio aſsiſtere, iuſte Matrimonio privatur, qui occidit Præsbyterum, ad quod requiritur, quod homicida ſit de crimine in foro contentioſo convictus, vt habetur Can. Præsbyterum, de pœnit. & remiſſ. peccatorum.

Sextúm impedimentum eſt, pœnitentia publica & ſolemnis, quandiu durat & non amplius, non quia illa ſit crimen, ſed quia in vindictam criminis imponitur, nec decet contrahere nuptias, ſecum lætitiam afferentes, illos qui pœnitentiæ luctui ſunt addicti, eo tempore durante. *Septimúm* impedimentum eſt coniugium cum Monacho ſcienter contractum, eo quod iniuria maxima ſit Chriſto ſponſo, & ideo propter illam, debet imponi perpetua Matrimonij privatio. Hæc ſunt ſeptem impedimenta, quæ proveniunt ex crimine; ſi autem

quis

quis aliquo eorũ ligatus Matrimonium contrahit, non privatur iure petendi debitum, excepto voto & incestu, licet in vtroque casu, debitum reddere teneatur; in alijs verò, non solum tenetur reddere, sed etiam petere potest, quia nulla datur lex id prohibens.

Dubitabis: An omnia impedimenta relata, sint in suo robore, vel sint abrogata ex vsu & consuetudine? Resp. quód excepto interdicto, voto & sponsalibus, de quibus dis. præced. egimus, hæc alia de quibus agimus modo, & proveniunt ex crimine, sunt ablata per consuetudinẽ, quia sæpé cum illis contrahitur, scientibus & consentientibus superioribus, & nullus postulat eorum dispensationem, & sic solum erit peccatum, contrahere cum tribus dictis, non verò cum alijs: sic sentiunt Candidus, Henriquez, Palaus, & Salmant. cum alijs. Episcopus autem, potest dispensare in omnibus his impedimentis, excepto voto castitatis, & religionis absoluto & perpetuo. Primùm patet, quia lex superioris, potest ab inferiori dispensari, quando ita est per consuetudinem introductum, & sic contingit in his impedimentis, quorum dispensatio, introductum est, vt fiat ab Episcopis. Secundùm constat: nam de voto illo, non est introducta consuetudo, imò contrarium ex vsu quotidiano constat, & etiam de sponsalibus, quia per hæc ius tertio acquiritur, cui nequit nisi per Pontificis authoritatem derogari.

Notanter diximus, quod votum sit absolutum & perpetuum. Ratio primi, quia si tantum fuerit conditionatum, impleta conditione, potest Episcopus in eo dispensare, & idem est de voto pœnali, post incursam pœnam, quia reservatio dispensationis, quæ iuri Episcoporum præiudicat, est odiosa, & sic debet strictè interpretari, & sic votum debet esse perfectum, absolutum, & ex affectu ad rem emissum, & ita non est votum pœnale nec conditionatum, quia licet conditione impleta fiat perfectum & absolutum, fuit tamen imperfectum in sui principio & radice. Ratio secundi: quia si votum fuerit temporale, ab Episcopo dispensari potest; & etiam votum servandæ virginitatis, si fuit restrictum ad primum actum venereum, quia hoc non est votum simpliciter, secus si fit sine tali limitatione, quia sic perpetuam continentiam includit, vt ait D. T. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. & etiam potest Episcopus dispensare, in voto absoluto religionis & castitatis, si non est facilis aditus ad Papam ob inopiam voventis, aut alia causa & etiam si sit facilis, datur periculum in mora & præsumi nequit, Pontificem sibi reservasse dispensationem, cum tanto animarum detrimento.

ARTICVLVS VIII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de impedimento occurrente tempore Matrimonij. Fœmina quædam, celebravit sponsalia cum iuvene, post factas denuntiationes, atque intra biduum, solemniter in facie Ecclesiæ, illi tradenda erat. Accedit ad Parrochum, & in Tribunali confessionis manifestat, se aliquot ante mensibus, rem habuisse cum sponsi consanguineo in secundo gradu; addens præterea, non posse á nuptijs resilire, & propter ingentem infamiam indé exorituram, & propter iram parentis, quem timebat ipsam gladio confossurum, ob hanc suæ familiæ maculam, si causam dilationis nuptiarum cognoverit, & tandem omnia ad celebritatem nuptiarum parata erant, vocatis amicis & cognatis ad convivium. Quæritur: quomodo huiusmodi angustijs deberet occurri? Resp. quód forté liceret mulieri, Matrimonium contrahere, sine intentione coniugalis copulæ, dicendo se velle vti bimestri, per iura sponsis concesso, vt intra illud non teneantur reddere debitum; alias enim, si contraheret cum intentione copulæ, peccaret mortaliter, quia haberet animum exercendi actus fornicarios, quod si non habeat tale animum, & fingat se in Matrimonium consentire, peccat peccato mendacij, si autem verè consentit ex gravi metu, probabile est, nec venialiter delinquere, vt ait Sanchez.

Ratio huius est: Tùm, quia præcepta Ecclesiæ, regulariter non obligant, cum periculo mortis. Tùm, quia sic contrahens, non irritat Sacramentum, applicando formam, materiæ incapaci valoris, quia non facit id, cui ex Christi institutione convenit ratio Sacramenti, quia hæc solum convenit contractui valido; sic Perez & Dicastillo. *Nec obstat*: quód Sacerdos peccaret mortaliter, si ob metum mortis, impertiretur absolutionem homini, quem novit esse indispositum; nam ille verè proferret verba propria formæ Sacramentalis, super materiam indebitam; contrahens verò ex metu gravi, non profert verba & signa consensus, & ideo sacrilegium non committit; non enim quilibet consensus, est forma & materia Matrimonij, sed solum consensus legitimus, qui ablatus est ab Ecclesia, si extorquatur per gravem metum.

Nec sequitur consummari posse illud Matrimonium; quia leges Ecclesiasticæ, obligant etiam cum periculo mortis, quando ex earum contemptu, gravia orirentur incommoda; licet autem hæc non oriuntur communiter, si contrahitur ex gravi metu, cum impedimento iuris Ecclesiastici invalidé, benè verò si validé contrahatur, & vlteriùs consummatur; vndé ait Perez, nemine ausurum dicere, fore validum Matrimonium, quod intentato me-

metu mortis celebraretur; sicut etiam asserit ipse cum Hurtado, in nullo casu licere contrahere, cum impedimento iuris naturæ, v.gr. impotentia, quia cum ius naturale sit immutabile, ille operaretur contra ius naturale permanens, & hoc ipso peccaret.

Dices: Quód mulier contrahens modo prædicto, se exponit periculo evidenti patiendi á marito putatitio impudicos tactus, & eos libenter admittendi, & sic nunquam licet, cum tali impedimento ob vllum metum, serio contrahere. Resp. quód fœmina potest & tenetur sæpé, illas turpitudines vitare, & earum proximum periculum; quod si vitare nequit, & grauissimum malum imminet, nisi marito præsumpto cohabitet, poterit ita facere, præcipué si solum adsit periculum illas spurcitias patiendi, non autem positivé approbandi, Doctores enim citati asserunt, licitum esse ad vitandam mortem, vel aliud grauissimum malum, exponere se periculo talia & similia patiendi, & etiam consentiendi, præter intentionem primam tempore contractus habitam. Consulantur suprá dicta, Art. 6. casu 9.

Hoc explicatur dupliciter. 1. ex Legion. lib. 10. de Matrim. cap. 15. num. 5. vbi ait: In casu necessitatis extremæ, is qui est in peccato, ministrare potest Sacramentum sine peccato, si tempus ita vrgeat, vt ministro non sit locus pœnitendi; nam quamvis sit maior virtus religio erga Deum, quam misericordia erga proximum, tamen quia Deo plus placet, vt proximo in cuius vtilitatem institutum est Sacramentum succurramus, quam vt dispositionem alias debitam erga Sacramentum seruemus, ideo tunc, licité & sancte, Sacramentum in peccato mortali celebratur, & celebrari debet. 2. ex ratione quam tangit D.T. 2. 2. q. 30. art. 4. ad 1. vbi ait: Deum non colimus per exteriora sacrificia, aut munera propter ipsum, sed propter nos, & propter proximos, & vult sibi ea offerri propter nostram deuotionem, & proximorum vtilitatem, & ideo misericordia, qua subuenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, vt pote propinquius vtilitatem proximorum inducens; idem ergo in casu nostro dicendum est, vt mulieris infamia vitetur, eiusque honori & vitæ consulatur.

Vel secundó, potest dici ad casum prædictum, quod mulier illa, forté evadet infamiam & mortem, si votum castitatis ad tempus emittit, vt detur locus, ad petendam & impetrandam dispensationem; manifestando enim per confessarium, tale votú ex pœnitentis licentia, vel nuptiæ differentur, vel ad reddendum debitum coniugale, intra illud tempus, vovens non obligabitur. Sed re vera manifestato voto temporali, forté maritus hæc sciens, poterit in cognitionem impedimenti occulti venire; melius ergo erit ei, dicere consanguinois, fœminam obligatam esse ad seruandam castitatem, posteaque obtenta dispensatione (quam Episcopus in casu dicto potest conferre, vt dicitur infrá, art. 13. diffic. 2.) poterunt nuptiæ celebrari: Demúm, confessor quærat, quanta possit honestate á fœmina, an in casu comixtionis cum consanguineo coniugis, semen emisserit, hoc enim requiritur ad affinitatem, vt sentiunt probabiliter multi, cum Sanchez, Hurtado, & Perez, quia hoc modo fit seminum commixtio, & ita plures scrupuli possunt auferri.

Casus secundus, de prohibitione Ecclesiæ. Prælatus quidam, cum varijs medijs tentatis, & pœnis appositis, non posset á Diœcesi sua tollere abusum in Matrimonijs contrahendis, in eo situm, quod aliqui prætextu infirmitatis, vel alio simili, Parrochum ad se vocabant, & eo præsente coram duobus testibus Matrimonium contrahebant in occulto, antequam Parrochus effugere posset, ex quibus Matrimonijs, plura scandala & dissensiones oriebantur, ideo edicto publico, non solum prohibuit, sed abstulit facultatem Parrochis, & alijs Sacerdotibus de eorum licentia, assistendi eiusmodi Matrimonijs, non præmissis de iure præmitendis, alias Matrimonia eo modo contracta, declaravit invalida, & nulla. Quæritur: an id Prælatus validé potuerit efficere?

Resp. Prælatum illum, potuisse vltra pœnas á iure statutas, alias superaddere, ad illum abussum, vel alium similem impediendum, sed non potuit Matrimonium, sic contractum reddere irritum. Ratio est: quia quicquid sit de alijs materijs, in hac tamen, non potest Prælatus ex lege sua, inducere impedimentum irritans Matrimonium, quia hoc, cum sit negotium grauissimum, ex quo grauissima sequuntur inconvenientia, merito reservavit sibi Summus Pontifex, vt authores communiter fatentur; sic habet Cardinalis de Lugo, lib. 1. resp. Moral. dub. 45. num. 1. cui assentitur Sanchez cum alijs. Quo ad prohibitionem Parrochi, ne illi Matrimonio vel similibus assistat, rectè ab Episcopo fieri potest, ad vitanda aliqua gravia inconvenientia inde promanatura; sicque aliquando exequisse vidi, Illustriss. D. D. Laurentium Armengual del Pino, Auxiliarem & suffraganeum Cæsaraugustanum, mei amicissimum, ex cuius allocutione familiari, non pauca hic inserta deprompsi.

Sed circa leges pro Matrimonio seruandas, fatetur Tanerus, Tom. 4. disp. 8. q. 4. num. 14. licitas esse leges Principum, & Vrbium Catholicarum, quibus statuitur, vt si quis gaudere velit hoc vel illo priuilegio, in cælibatu viuat, non habeat vxorē alienigenam, aut mendicate viventem. Ratio est: quia hoc modo, non vsurpatur aliqua propria iurisdictio, nec aliqua lex fertur sub peccato, aut pœna stricté dicta, & ideo, proprié non constituitur impedimentum Matrimonij, sed assignatur honesta con-

conditio, ad certum ministerium in tali familia, vel aliud beneficium non debitum, & qui eam servare non velit, liber evadit. Hinc passim examinandum occurrit, an rectum sit statutum Civitatis decernentis, vt mulier quæ cum aliquo forensi Matrimonium contrahit, sit incapax ex testamento vel ab intestato, omnium bonorum, cuiuscumque civis illius Civitatis?

Sentiunt aliqui, tale statutum non valere, non solum quia restringit libertatem nubendi, cum Matrimonia debeant esse libera, sed etiam quia statuta laicorum, non habent vim circa accessoria Matrimonij, & dependentia ab eo, quia cum illa sit materia spiritualis, ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinet. Sed re vera talis lex, pro irrita non est habenda, nec illa est libertatis Matrimonij diminutiva; vndé legislatores illius Civitatis, non innodantur excomunicatione decreta á Trident. Sess. 24. de reform. cap. 9. quia ibi expressé loquitur, de cogentibus directé, vel indirectè ad Matrimonium, non veró de prohibentibus, vt notant Barbosa & Bonacina; & ratio est: quia leges pœnales, vt est illa á Trident. traddita, non sunt vltra proprietatem verborum extendendæ; prohibitio autem, non comprehenditur sub nomine coactionis; & insuper: quia Matrimonia, non debent esse ex omni parte liberrima, alias Pontifices, tot impedimenta statuendo peccassent; & etiam, quia licet Matrimonium sit quid spirituale quo ad substantiam, non veró quo ad omnes circumstantias, & accidentia illius, & sic potest circa istas aliquid statui á Magistratu sæculari. Vid. dicta, art. præced. diffic. 1.

An veró Matrimonium, contractum contra Pontificis prohibitionem sit invalidum, licet nullum detur impedimentum dirimens? Variant circa hoc authores, apud Sanchez videndi; sed ipse resolvit sequentia 1. sponsalia inita contra Pontificis interdictum, cum decreto irritante licèt generali, & eorum mentionem non faciente, invalida sunt; ratio est: quia sponsalia non sunt res tanti momenti sicut Matrimonium, quod est negotium gravissimum, & ideo illa ad sui irritationem, clausulam specificam in prohibitione non requirunt. Vndé infertur, valida esse sponsalia, contra præceptum Episcopi inita, quia ad istum non pertinet, matrimonium perpetuo impedire, sed tolum ad tempus ex causa iusta; Pontifex veró perpetuo prohibere potest, & de hac prohibitione perpetua, loquitur resolutio, vt per eam irritentur sponsalia. Sed an Pontifex ex iusta causa, possit aliquam reddere perpetuo inhabilem ad Matrimonium, qui alias habilis erat? Resp. quód sic: nam Pontifex in pœnam gravissimi delicti, potest aliquem eo iure naturali privare, sicut etiam potest in perpetuam servitutem redigere, privando libertate á natura concessa, & ita legitur fecisse Vrban. V. post discussionem maturam, cum Bernabone Domino Mediolanensi, & filijs eius, qui Ecclesiæ rebelles erant.

Secundó dicitur: quód si prohibitio Papæ simplex sit, & sine decreto irritante, Matrimonium contra illam contractum, validum est, quia multa prohibentur, quæ facta tenent, & res adeo gravis, vt Matrimonium, nequit per simplicem prohibitionem irritari. 3. dicitur: quód Decretum Papæ prohibitivum Matrimonij, illud non irritat, nisi ad eum specificé referatur, quod patet ex differentia assignata, inter sponsalia & Matrimonium, quod est res magni momenti; si veró Decretum Papæ, faciat specificam mentionem Matrimonij, vel causa est temporalis, & tunc Matrimonium est nullum, non simpliciter, sed quatenús parat præiudicium alicui liti, ob cuius pendentiam, matrimonium ad tempus interdicitur; si veró causa est perpetua, irritum redditur, & iuxta merita causæ iudicandum est, an irritatio sit absoluta, an veró, solum quo ad peculiarem effectum.

Sed tamen, licet causa prohibendi matrimonium sit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem initum sit validum, separandi sunt coniuges ad tempus, in pœnam delicti, ne immunitate pœnæ, iustum præceptum iudicis contemnere audeant; constat ex cap. 1. de Matr. contract. contra interd. Eccles. Nec obstat, quod ibidem dicitur, nempé matrimonium non esse separandum nam intelligitur de perpetua separatione, non veró de separatione ad tempus; quod si detur periculum incontinentiæ, non fiat separatio, sed alia pœnitentia iniungatur. Vndé pendente lite de impedimento, prius matrimonium dirimente, hoc separandum est, dum lis durat. *Si dicas*: quód in cap. laudabilem, dicitur, coniugem accusatum non esse privandum iure quod habet in alium, donec accusatio probetur. Resp. hoc intelligi, nulla lite pendente, sed Ecclesia, matrimonium in eius facie contractú approbante; vel quod non est prohibendus coniugij vsus, quando ante motam litem, est matrimonium contractum, quia tunc possessio est pro illo, & aliud matrimonium prohibetur, dum valor prioris examinatur.

Casus tertius, de tempore interdicti. Fœmina quedam, de matrimonio contrahendo confabulationes habuit, ad cuius completionem omnia erant dispositа, sed accidit eo tempore, vt contingente Clerici percussione, interdictum Ecclesiasticum á Prælato in loco illo poneretur, ob crimen illud. Quæritur: an tali interdicto non obstante, matrimonium contrahi posset? Resp. quod in casu dicto, matrimonium licitè, & validè contrahi potest. Primùm patet, quia sic habet vsus Romanæ Curiæ, vt matrimonium contrahatur quocumque tempore; ea enim sola Sacramenta, censentur tempore interdicti vetita, quæ purè sunt Sacramenta, &

omnino ſpiritualia, Matrimonium autem, eſt contractus naturalis, cui Chriſtus per accidens adiecit Sacramenti rationem; ſic habetur cap. capellanus de ferijs, & in gloſſ. cap. alma mater. & ex eiſdem locis infertur, tale Matrimonium eſſe validum; ſic ſentiunt Covarruvias, & Hugolinus.

An veró in Eccleſia, ſpecialiter interdicto ſuppoſita, poſsint eo tempore, Matrimonium & alia Sacramenta celebrari? Aliqui cum Hugolino, id ſolum de Baptiſmo, & Confirmatione concedunt. Sed verius eſt, omnia Sacramenta celebrari poſſe; ſic tenent Sanchez, & Henriquez cum pluribus, quamvis honeſtum ſit, ea Sacramenta alibi celebrare, ſi commodé poſsit fieri, & conſtat: nam eadem ratio videtur in alijs Sacramentis militare, ac in Baptiſmo & Confirmatione, & ſic omnia ſunt ab interdicti prohibitione libera; ex quo patet, quod etiam denuntiationes fieri poſſunt, hæc enim non ſunt officium divinum, & ſic interdicto non opponuntur. *Nec obſtat*: quód in cap. alma mater non excipitur Matrimonium, ſed ſolum pœnitentia, Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia per modum viatici; Dicitur enim, quod etiam Matrimonium, ex communi Eccleſiæ conſuetudine, iudicatur exceptum, licet ibi ſolum Sacramenta puré ſpiritualia, quæ ad actum ordinis pertinent excipiantur. Quid autem, de tempore ceſſationis á divinis? Reſp. quód etiam tunc, Matrimonium licité & validé contrahitur. Túm, quia ſic habetur, cap. capellanus, citato. Túm, quia vt ait Medina, ſic diffinivit clauſtrum Salmantinum. Túm, quia omnia Sacramenta, tempore interdicti permiſſa, etiam licita ſunt, tempore ceſſationis á divinis, vt ait Navarro.

Si inquiras: An benedictiones nuptiales, poſſint tempore interdicti conferri? Affirmant aliqui, ex eo ducti, quod benedictiones, ſunt acceſſoriæ matrimonio, & conceſſo principali, etiam acceſſorium cenſetur conceſſum; ſicut conceſſa confirmatione tempore interdicti, etiam conceditur chriſmatis confectio, quæ eſt acceſſorium illius; ſed verius eſt, tales benedictiones, eo tempore non poſſe conferri, quia ſunt officium divinum, ad actum ordinis pertinens; cum ſolus Sacerdos poſsit ſponſos benedicere, precibus & officio peculiari ab Eccleſia inſtitutis, & inter Miſſarum ſolemnia; ſic tenent Sanchez, cum pluribus citatis ab eo; hodie autem, tempore interdicti, benedictiones nuptiales conferuntur cum moderatione, nempé ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, excomunicatis & interdictis excluſis, dummodo coniuges, ad intereſſendum divinis habeant privilegium Bullæ Cruciatæ, vt docent Petrus de Ledeſma & Henriquez. Non autem licet eo tempore, benedictiones extra Eccleſiam in oratorijs celebrari, quia conceſsio, ad Eccleſias limitata eſt, & ſic ad loca non debet extendi, præcipué cum conceſsio illa, ſit iuris communis correctiva.

Mains eſt dubium: An tempore ceſſationis generalis á divinis, liceat nuptias benedicere, cum dicta moderatione? Negativa pars eſt verior, quod ipſum nomen ceſſationis teſtatur, quod omnimodam ceſſationem explicat, & ipſa conſuetudo id introduxit; vndé cap. ſi Canonici, decernitur, teneri reſtituere diſtribucionem Canonicis, illum cuius cauſa, ponitur ceſſatio á divinis, quia omnino ceſſando ab officijs, eas non acquirunt, eas tamen veré acquirerent, ſi tunc divina officia, peragere cum moderatione poſſent; & ſic idem de matrimonij benedictionibus diſcurrendum eſt. Deindé, in quatuor feſtivitatibus, de quibus memoratur, cap. alma mater, nempé Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis, quibus addidit Martin. V. & Eugen. IV. feſtum Corporis Chriſti cum ſua Octava, poſſunt nuptiæ publicé, & ſolemniter benedici, quia tunc interdictum ſuſpenditur, & ſola adminiſtratio Sacramentorum vetita reſervatur, benedictio autem nuptialis, Sacramentum non eſt.

An veró ceſſatio á divinis, in illis feſtivitatibus ſuſpendatur, ſicut ſuſpenditur interdictum? Affirmativa pars eſt, probabilior & verior; ratio eſt: quia benigna illa conceſsio, in honorem talium feſtivitatum, non eſt cur ſolum reſtringatur ad interdictum, præcipué cum conceſsio, pro illis tantum feſtivitatibus, parum deroget ceſſationi á divinis. *Ad id* quod ſuprá dicebatur, nempé quod non prohibito matrimonio tempore interdicti, nec benedictiones nuptiales, quæ illi ſunt acceſſoriæ, cenſentur prohibitæ. Reſp. quód illa regula eſt vera, quando eſt eadem ratio in acceſſorio & principali, nec ſpecialis diſpoſitio eſt, pro acceſſorio; ſed de matrimonio & benedictionibus, eadem ratio non eſt, quia illud non pertinet ad divina officia tempore interdicti vetita, bené veró benedictiones nuptiales, pro quibus eſt ſpecialis diſpoſitio, in prohibitione divinorum officiorum, tempore interdicti. Nec eſt idem de criſmate, quod eſt acceſſorium tanquam de eſſentia Sacramenti, & ſolum feria 5. in cœna Domini confici poteſt, & ſi eo die non conficeretur, Sacramentum non poſſet validé miniſtrari, quæ ratio locum non habet, in benedictione nuptiali.

Caſus quartus, de contrahente excomunicato. Quidam filius familias valdé dives, parentibus demortuis, remanſit bonorum hæres, fœminamque qualitatibus parem ſibi ſociandam per matrimo- elegit; cumque magnus pro nuptiarum celebritate præpararetur apparatus, nullis parcendo ſumptibus pro ſolemnitate illa, Clericus quidam ſuæ Parrochiæ, qui forté ſui Capituli procurator erat, alijs familiariter alloquendo dixit, æquius eſſet & rationi conformius vt homo iſte, expenſas funerales patris & matris ſolveret quas adhuc debet, quam quod tám acerbam pecuniæ ſummam, in faſtu va-

no

no consummeret;nec defuit susurro malignus,qui dicta hæc, viro fugereret, & cum casu ei Clericus ille fuerit obuius, exemit gladium atque non leviter vulneravit illum. Quæritur: an sic excommunicatione ligatus,Matrimonium contrahere posset? Resp. tale Matrimonium tempore excomunicationis contractum, esse validum & firmum.

Hoc habetur expresse,in cap. significasti,vbi dicitur,quod vir excomunicatus erat, quia priori matrimonio durante, adhæsit meretrici,relicta vxore, & hac demortua, in vxorem duxit meretricem, absolutione ab excomunicatione non obtenta, & dixit Pontifex,Matrimonium esse firmum,nisi cum eo adulterio,concurrerit Matrimonij promissio,vel mortis alterius coniugis machinatio; sic etiam habet D.T. in 4. dist.39. q.vnica, art.1. ad 5. & alij plures,quos citat Sanchez. Bene verum est, quod contrahens ligatus excomunicatione maioti, ante eius absolutionem,peccat mortaliter;eo quod effectus illius excomunicationis,est privare receptione Sacramentorum sub mortali, quia res hæc gravissima est; & similiter, est culpæ mortalis reus,contrahens matrimonium, ligatus excomunicatione minori,ante eius absolutionem,quia etiam hæc,intercidit sub culpa mortali Sacramentorum receptionem.

Specialis difficultas est:an peccet ille qui scienter, cum excomunicato Matrimonium contrahit? De excomunicato denuntiato & notorio, vt est Clerici percussor, de quo casus loquitur, non est dubium, quia illum vitare tenemur,& mortale est, participare in Sacramentis,cum excomunicato notorio excomunicatione maiori; sed dubium est: quando non est excomunicatus denuntiatus, nec notorius Clerici percussor. Contrahentem cum isto peccare,non explicando qualitatem culpæ,docent Petrus Ledesma & Viguerius, & sic videntur sentire, hanc culpam committi, sive excomunicatus sit vitandus,sive non; ex eo ducti, quod licet ex meritis excomunicationis, solum teneantur fideles,vitare excomunicatum denuntiatum, aut notorium Clerici percussorem,non verò interdicitur ab alijs excomunicatis recipere Sacramenta; sed ex vi legis charitatis, de vitando scandalo, & non cooperandi ad peccatum alterius, obligantur fideles, ad non petenda, nec recipienda Sacramenta, ab excomunicato quocumque modo; quia hic ministrando peccat, & maximus eius favor esset; si absque culpa, Sacramenta ministrare posset, & sic eius culpæ erit particeps, ab eo Sacramentum petens,aut recipiens.

Sed verius est, nullam esse culpam, contrahere Matrimonium scienter, cum ligato excomunicationi maiori, si non sit denuntiatus, nec percussor Clerici notorius; sic Vivaldus & Sanchez; Ratio est: quia Concilium Constantiense, indulsit omnibus fidelibus, vt non teneantur vitare huiusmodi excomunicatos, nec etiam in Sacramentorum receptione, vt sic vitentur scandala & pericula, & subveniatur conscientijs timoratis; sed si esset peccatum cum talibus excomunicatis alloqui, & ab eis Sacramenta petere, eadem pericula, & scrupuli timoratorum sequerentur,nempé si talis excomunicatus,est paratus ministrare, si illum induco, si vrgentem necessitatem habeo;eo præcipuè,quia timorati,plus horrent culpam,quam excomunicationem minorem, á qua eximuntur virtute talis Decreti Concilij Constantiensis, cuius verba sunt hæc: nemo post hac,teneatur abstinere,&c. ex quibus infertur ablatio culpæ, & sic etiam ablatio pœnæ, per modum naturalis sequellæ.

Deindé:quia privilegium illud,concessum est in magnum animarum favorem, ad consulendum timoratis conscientijs, & earum pericula vitanda, & sic potius est amphãdum,ad culpam & pœnam excusandam,quam restringendum ad solam pœnam excomunicationis minoris; lex enim, quantumvis odiosa & pœnalis, est amplianda, quando est in favorem animarum, vt peccata vitentur. *Dices*:prohibitionem non recipiendi Sacramenta á tali excomunicato, nõ oriri á natura excomunicationis,quæ est ablata per Decretum Concil. Constant. oriri autem ex naturali iure,non cooperandi peccato alterius;sed debebat probari, excomunicatum illum sic præventum,peccare Sacramentum ministrando, quod tamen non ita est, nisi cum sponte se ingerit, & sic non peccabit, quando præventus á petentibus administrat, quod videtur intendisse Decretum Concilij.

Si dicas: saltim peccare mortaliter, contrahentem Matrimonium cum ipso excomunicato,quando hic prævenit contrahentem, quia tunc ille mortaliter peccat,& sic contrahens, eius peccato cooperatur. Resp. quód nec in eo casu peccat, contrahens cum excomunicato; non ob excomunicationem,quia illa non est notoria & sic non adstringit fideles,vt excomunicatum vitent; non ex cooperatione ad culpam,quia vtens malitia alterius parati, vt propriæ vtilitati consulat, quando ille poterat actionem exequi rectè, non cooperatur malitiæ illius; vt patet in petente Sacramenta á malo ministro, & etiam in petente pecunias ab vsurario, qui parati erant Sacramenta & pecunias conferre, qui non est particeps eorum culpæ; sic etiam præventus ab excomunicato, vt secum contrahat Matrimonium, non inducit ad peccatum, nam ille si vult, absolutionem potest obtinere, & alter vtitur huius malitia,vt necessitate suæ ad contrahendum consulat.

Ex his habetur:quód contrahere Matrimonium cum excomunicato denuntiato, vel notorio Clerici percussore, duplex est culpa, quando contrahens illum inducit; vna contra prohibitionem Ecclesiæ,vitandi prædictum excomunicatum, quæ in

re diuina & Sacramentis, obligat sub mortali; alia scandali, quia inducit illum excomunicatum, ad committendum peccatum mortale, & vtraque debet in confessione explicari, quia per participationem Sacramenti, non explicatur inductio, quia illa potuit esse sine ista, nec per inductionem explicatur participatio, sed voluntas participandi, quæ suo effectu defraudari potuit; si autem non datur inductio, vnicum est peccatum, contra prohibitionem Ecclesiæ, participandi cum excomunicato. Iuxta dicta ergo, debet ligatus excomunicatione maiori vel minori, præmitere absolutionem illius, ante contractum Matrimonij, sed non tenetur præmitere Sacramentalem confessionem, etsi in mortali sit. Túm, quia solum Eucharistiæ Sacramentum postulat, vt confessio mortalium præmitatur, alia verò Sacramenta, contritionem vel attritionem, bona fide contritionẽ existimatã petũt. Túm, quia Trident. Sess. 24. de Matrim. cap. 1. solum hortatur ad confessionem, & communionem Matrimonio præmitendam, quod est consilium & non præceptum, & hoc nemo negat.

Casus quintus, de tempore feriato. Iuvenis quídam, plures virgines æqualis conditionis sub ficta spe, & promissione Matrimonij corrupit; postmodum vnam duxit vetante Episcopo, & ignorante Parrocho, & ob varios prætextus eos coniunxit Dominica prima Adventus, sed benedictiones nuptiales non contulit, & vetuit ne cum pompa solemni duceretur sponsa in ædes sponsi, sed hæc contempsit vir ille, & cum tubis choreis, & convivijs nuptialibus, Matrimonium celebravit. Quæritur: quid circa hoc sentiendum sit? Nuptias solemnes, quæ vocantur *velaciones*, prohibitas esse tempore feriato, apud omnes est indubitatum, & id ostendunt Tridentini verba supra allata, diffic 5. vbi solemnium nuptiarum prohibitio in eo tempore statuitur; & sic culpa esset lethalis, hoc præceptum violare, nam Ecclesia, rem hanc semper gravem reputavit. Nec audiendus est Bartholomeus Ledesma dicens, hoc secluso scandalo & contemptu, sine peccato mortali exequi posse; quia culpa lethalis in eo casu, non contrahitur ex scandalo aut contemptu, quæ omnibus sunt generalia, ad constituendam culpam, sed ex ipsa natura & gravitate præcepti; sicut etiam alia præcepta Ecclesiastica de re gravi, vt audiendi sacrum & ieiunandi adhuc secluso scandalo, sub mortali obligant. Vndé Sacerdos contra præceptum hoc, tempore vetito nuptias benedicens, gravi pœna puniendus est, sed arbitraria, quia nulla est in iure præscripta; contrahentes autem contra hoc præceptum, in huius pœnam, separandi sunt, toto tempore quo nuptiarum solemnitates sunt interdictæ, nisi detur periculum incontinentiæ in coniugibus, tunc enim, alia pœna æquivalens imponenda est eis.

Sed an Episcopus, possit in hac prohibitione temporis feriati ad benedictiones nuptiales dispensare? Quidam negant, quia prohibitio illa, facta est á Clem. III. & á Trident. & inferior, nequit in lege superioris dispensare; alij affirmant, si detur causa valdé vrgens, cavendo frequentiam populi, & etiam si quis pauperem puellam dotare nolit, nisi statim benedictiones solemnes recipiat. Sed media via incedimus, dicendo: quód iure ordinario, Episcopus dispensare nequit, quod ratio proximé attacta suadet; sed in casu valdé vrgenti, vbi non est recursus ad Papam, id facere potest Episcopus; quia neque Pontifex, neque Concilium, hanc dispensationem sibi reservant, vndé talis casus vrgentissimæ necessitatis potest evenire, vt Episcopus valeat dispensare in tali prohibitione.

Nunc resp. ad casum propositum, quod traductio solemnis sponsæ in sponsi domum, fuit mortale peccatum, vt ait Navarrus, Petrus Ledesma, & Sanchez dicens: Quód nuptiæ tria important, nempé benedictionem coniugum, traductionem sponsæ, & solemnitatem convivij & hoc statutum violantes, mortale crimen committunt; & ratio esse potest: quia benedictiones nuptiales, non prohibentur ratione sui, quia sunt quid spirituale, sanctitati temporis non oppositum, sed solum propter convivia, & alia lætitiæ signa, intervenire solita, quæ mentem avocant á divinis, vt ait D. T. in 4. dist. 32. q. vnica art 5. qq. 4. in corp. Alij mitius loquuntur, & traductionem sponsæ absque solemnitate, culpam venialem vocant, & etiam cum solemnitate, si scandalum cesset, vt ait Veracruz. Verum censeo solas nuptiarum benedictiones esse eo tempore prohibitas sub mortali, nam quotidié videtur, fieri lætitiæ signa, epulas atque convivia; vndé si hæc sint moderata, nulla datur culpa, si detur aliquis excessus, est culpa venialis; si autem sit nimius, sanctitati temporis indecenter præiudicans, & scandalo ansam præbens, erit culpa mortalis.

An verò prohibitum sit, feriarum tempore Matrimonium consummare? Quidam affirmant, quia tunc traductio vxoris interdicitur, & non alia ratione, nisi vt copula carnalis vitetur; quare decernitur, quod celebrantes nuptias his diebus, separentur, ne copula subsequatur, si enim matrimonio consummato, non licet tempore orationis & ieiunij vacare copulæ, multo minus consummare licebit. Alij asserunt, quod feriarum tempore, copula coniugalis speciali præcepto non prohibetur, sed generaliter, quia est orationis & ieiunij tempus, & sic non datur prohibitio, reddendi debitum eo tempore, nec etiam petendi si fiat ad vitandam incontinentiam, vel prolem procreandam, benè verò si fiat causa solius voluptatis, tunc enim erit peccatum mortale.

Sed verius iudico cum Sanchez, nullam esse prohibitionem, consummandi Matrimonium, tempore

pore feriato, & sic prima consumatio, vacat omni culpa ex hac parte, nisi altera prava circumstantia superveniat; tunc enim erit culpa, iuxta qualitatem illius circumstantiæ, sicut esset quovis alio tempore, in quo mala circumstantia occurreret. Moveor ex eo, quod nulla est prohibitio talis consummationis. *Nec rationes* in oppositum allegatæ, aliquid convincunt; traductio enim sponsæ, non interdicitur causa vitandæ copulæ, sed propter vana lætitiæ signa, nuptias comitantia, quæ tempori sancto non congruunt. Deindé: quia si ob temporis reverentiam, esset prohibita Matrimonij consummatio, non minus sanctitas illius maculatur per primam copulam, quam per sequentes, & etiam per copulam sponsæ benedictæ, & tamen oppositi authores, in hoc duplici casu, copulam excusant á culpa. Vndé abstinere á copula tempore orationis, solum est consilium, vt infrá dicetur, & insinuatur á D.T. loco proximé citato, ad 2.

Casus sextus, de impedimento voti. Mulier quedam virgo, cum illam milites ad explendam libidinem quærerent, iamque accederent ad ianuam anguli domus, vbi inclusa latebat, quæ fortiter manebat occlusa, vt eam vi & securibus effringerent, nec vllum adesset medium, vt eorum manus & impetum evaderet, vovit se castitatem perpetuam servaturam, & religionem ingressuram, si á stupro & morte liberaretur, quod evenit ita. Quæritur: quid de hoc facto sentiendum? Resp. 1. fœminam illam, habuisse sufficientem libertatem ad vovendum, quia votum ex iusto metu fuit emissum, imminente periculo; nisi assereret ipsa, quod metu exterrita, quid ageret tunc nescivit, standum enim esset eius dicto, & votum pro irrito haberetur.

Secundó: si fœmina dubitat, se castitatem vovisse, dependenter vel independenter á Religione, non tenetur eam in sæculo servare; sic tenent Sanchez, & Layman. 3. mulier sufficienter suæ obligationi satisfacit, semel religionem intrando, licet postea iustis causis exierit indé; sic enim censetur, feciisse omne id ad quod moraliter tenebatur fœmina, præcipué levis moribus; & cum obligatio voti, sit benignissimé interpretanda, non est fœminæ illi alius scrupulus obijciendus. Hoc votum simplex, impedimentum est puré impediens, non verò dirimens, vt diximus art. præced. diffic. 5. nunc pro eius pleniori captu, sequentia apponimus.

Primùm: Quód vt votum simplex castitatis, aut religionis, Matrimonium impediat, debet habere omnes conditiones necessarias, ad essentialem valorem voti; vndé debet esse emissum libere, sine metu iniuste incusso, in eum finem, vt extorqueretur votum, qui sit metus de malo gravi respectu personæ, cui metum incutitur, alias enim non obligat votum, & aliqui asserunt, esse irritum iure naturæ, alij solum iure Ecclesiastico, vndé dicitur, l. 16. ff. de reg. iuris: Nihil consensui, tám contrarium est, quám vis & metus, quem comprobare, contra bonos mores est; imó practicé, tuta est sententia tenens, votum emissum ex metu iniusto, quamvis levi esse invalidum, vt sentiunt multi, teste Sanchez, & Lessio. *Secundùm*: Quód vt votum validum sit, non debet oriri ex ignorantia antecedente, circa substantiam rei votæ, quia ignotæ rei, nullum datur desiderium nec promissio, quod verum est, licet ignorantia sit vincibilis, nam vincibilitas, non tollit involuntarium; dicitur autem ignorantia antecedens, illa quæ fuit causa voti, quando scilicet quis non vovisset, nisi ea ignorantia laborasset.

Sed quando censetur, ignorantiam versari circa substantiam rei votæ? Resp. quód in casibus sequentibus. 1. quando erratur, circa partem notabilem rei promissæ, vt cum vovisti peregrinationem, quam cogitabas esse iter vnius diei, cum tamen sit dierum octo. 2. cum erratur circa materiam voti, vt si quis promittit ingredi monasterium, quem cogitat habitari á Benedictinis, cum tamen habitetur á Dominicanis. 3. si erratur circa causam finalem, vt si quis audit patrem suum lethaliter decumbere, qui optimé valet, & religionem vovet, ad eius salutem impetrandã. 4. si erratur erga causã formalem, vt si promitis dare centum aureos alicui Monasterio, quod putas egenum, cum sit dives. 5. si error est circa vim voti, vt si cogitetur obligare sub veniali, cum tamen obliget sub mortali.

Tertiùm: Quód quamvis ignorantia circumstantiarum, sæpé nihil officiat ad valorem voti, sæpé tamen etiam officit, quia illæ, multoties sunt tanti momenti, vt cognitæ retrahant feré omnes á vovendo. Vndé sit regula generalis, quod ea rerum mutatio, deobligat promittentem adimplere promissum quæ si ab initio temporis promissionis occurrisset, eam excluderet, aut de illa rogatus respondéret, mentem suam non esse, in eo eventu se obligare. Ratio est: quia promissio gratuita, vt est votum, non plus obligat, quam promittens intendit, in eo autem casu, non intendit se obligare, quia in generali promissione, non comprehenduntur eventus, qui si in speciali essent propositi, exciperetur promissio, sicut nec in generali concessione, non continentur ea, de quibus iudicatur, non esse in specie concedenda; eventus enim dimetiri debent, spectata qualitate mutationis rerum, & collata cum re promissa, & eius circumstantijs.

Hæc digressivé sint dicta, quæ materiam voti concernunt, nunc pro instituto nostro dicitur: quód ligatus voto simplici castitatis aut religionis, nequit sine dispensatione Matrimonium contrahere, licet vrgeatur vehementissimis stimulis carnis, & sit expertus se passim succumbere, nec vires ad resistendum habere; constat ex Ecclesiæ vsu, quæ non existimat, tales eximi á voto, ratione illius difficultatis

tatis antecedentis vel subsequentis, sed esse causam dispensationis. Ratio est: quia materia voti castitatis & religionis, est res gravissima, & maximé Deo grata, ideoque in eius violatione, magnum datur periculum,& sic hoc non est relinquendum cuilibet iudicio,quantumvis moraliter certo, sed superioris expectanda est dispensatio. Ligatus enim his votis,licet vt particularis persona,habeat statum Matrimonij vt salubriorem, non veró vt communitatis pars,cuius bonum vel malum,etiam in personam redundat,nec bonum pensandum est, respectu personæ particularis, sed respectu vtilitatis communis,& pro vt sic,status castitatis est melior & Deo gratior, quandiu superioris dispensatio non extat.

Voti igitur deobligatio, non est cuiuscumque privatæ authoritati permissa, alias innumera scandala in Ecclesia pullularent, quia ob frequentes carnis lapsus, voto postposito, quilibet vovens ad nuptias transiret. Vt ergo voti obligatio cesset,oportet materiam illius,minus bonam reddi voventi, non vt particularis persona est, sed vt est pars communicatis, pensatis omnibus. Exemplum est in abstinentia á carnibus, quæ culpa caret in Carthusiano,in ægritudine constituto,quamvis iudicio medicorum, per illius esum speretur salus; quia licet hoc expedientius foret Monacho, in eo discrimine constituto, vt est particularis persona, vt tamen est membrum strictissimæ & sanctissimæ religionis,consultius illi est á carnibus abstinere,cum propriæ vitæ iactura, vt exemplum christianæ religionis eluceat.

Habetur ex his: quód contrahens scienter Matrimonium, cum habente votum castitatis aut religionis, mortaliter peccat,quia cooperatur alterius peccato, & fit socius & particeps illius; & etiam, quia cum votum illud,sit Matrimonij impedimentum, quod inter duos consistit, vtrumque contrahentem afficit,quia ambo tenentur á contrahendo abstinere, aliquo impedimento stante: *Dices*:contrahere cum excomunicato parato & non denuntiato, nulla est culpa, nec cooperatio in illam, etsi excomunicatus peccet, vt diximus suprá cas.4. ergo idem dicendum, de contrahente cum habente votum, parato id facere. Resp. quód est disparitas, nam excomunicatio, non est speciale impedimentum Matrimonij,sed sicut peccatum mortale, impedit generaliter omnium Sacramentorum receptionem, ratione indignitatis recipientis, ita excomunicatio; votum autem, est impedimentum speciale contractus Matrimonij,& sic impedit ambos contrahentes,ideoq;contractui annuendo committitur peccatum, contraveniendo impedimento.

Casus septimus, circa idem. Homo quidam,ardens desiderio obtinendi á Deo per merita B. Virginis, certam quandam gratiam,perpetuam virginitatem vovit, si precibus Deiparæ, bonum illud assequeretur, & factum est ita, servavitque votum per annos aliquot, quibus elapsis, desiderat Matrimonium contrahere,non plenè sciens, an id sine Dei offensa exequi possit; consulit cum confessario rem totam & ab eo rogat an contrahere possit. Quid consilij ab ipso conferendum est? Hostiensis in summa,de hoc puncto, satis scrupulosé loquitur dicens: Quód habenti votum castitatis & roganti, an possit Matrimonium contrahere? Respondendum est, non posse, & vrgenti amplius, an Matrimonium sic contractum valeat? Responsio est deneganda; nam si respondeatur, invalidum esse, est mendacium, si autem dicitur esse validum,confertur occasio contrahendi Matrimonium cum peccato mortali, & sic respondens, eadem culpa inficietur; alij eum á mortali liberant, sic tenent Veracruz & Silvester, verb. Matrim. 5. q.5. dict.9.

Sed circa hoc, sequentia dico. *Primùm*, quod sic interrogans, prudenter est eludendus vt ait D. Clemens,Epist.3. respondens Origeni quærenti,an misteria fidei, sint omnibus reseranda? Ubi ait: si ingesserit se, & provocaverit nos dicere ea, quæ eum minus rectè agentem, non opporteat audire, prudenter cum debemus eludere, nam nihil omninó respondere, auditorum causa, vtile non videtur. Ratio est: quia lex charitatis, non solum dictat,vt proximo non demus occasionem peccandi, sed vt illum avertamus á culpa. *Secundùm*:nullam esse culpam scandali, nec occasionem peccandi,veritatem respondere, dicendo sic interroganti,quod contrahendo peccat mortaliter,quamvis Matrimonium validum faciat; quia cum veritas debité manifestetur, & gravetur factum,explicando esse culpam, non est occasio ruinæ data, sed accepta,nihil enim proponitur, ex natura sua inducens ad peccatum, sed ex malitia audientis, qui abutitur vera doctrina; alias similiter delinquerent, & occasionem peccati præberent,Doctores hanc doctrinam vulgari lingua scribentes, quæ ab omnibus percipi potest.

Tertiùm: posse dari peccatum, incautæ responsionis,vt si quis videt fragilem interrogare,qui vera doctrina est abusurus,ad contrahendum Matrimonium, cum peccato mortali; tunc enim, potest commodé cautè respondere, veritate celata, & sine mendacio interrogantem eludere, & peccabit, imprudenter & incautè veritatem propalando, & hoc est prudenter eludere interrogantem, vt proximé dicebamus, ad quod interrogantis qualitas debet attendi. *Quartùm*: quód culpa incautæ responsionis, nunquam excedit limites venialis, nisi adsit malitia in respondente; si taliter id faciat, vt interrogans merito credat, eum velle vt postposito voto Matrimonium contrahat;hic enim respondendi modus,esset quedam tacita inductio. Ratio veró, quare extra hunc casum,responsio incauta, solùm sit venialis culpa,est:quia præceptum charita-

tis

tis quale est hoc, non sic rigorosé obligat, ad tantam circumspectionem habendam, quæ maximam prudentiam desiderat, nec facile invenietur ita prudens homo, qui possit commodé fugato mendacio, & tacita veritate interrogantem eludere; tacere autem omnino non expedit, nam interrogatus invrbanus iudicabitur, & interrogantem offendet, & in eo non levem suspicionem tacitæ veritatis generabit.

Qua propter, satius erit interroganti respondere, esse gravissimum, & atrox sacrilegij crimen violati voti, cum illo contrahere, & huiusmodi Matrimonia, exitus sortiri infelices, atque Dei supplicia ex eis orta, posse prudenter timeri, & ita, vertendo & divertendo sermonem in alia, interrogans obliviscetur directæ responsionis; quod si talis prudens diversio non sufficit, vt interrogans ab incepta interrogatione desistat, in respondente veritatem aperte, nullam culpam agnosco; & quis dicet, præcepta charitatis quæ suavissima sunt, obligare sub mortali ad tã prudenter se gerẽdum? Imó vt culpa sit venialis, requiritur vt opportuna se offerat occasio eludendi interrogantem, & valdé commodé, id fieri possit.

Adhuc autem intra limites huius casus, interrogabis: an ei qui venereis tentationibus vexatur, & passim eis sucumbit, nec spes datur per alia media illa evadendi, possit consiliari vt Matrimonium ineat, quamvis sit voto simplici castitatis adstrictus? Negant aliqui satis probabiliter; alij asserunt posse id consuli, quando is cui consulitur, efficaciter determinatus erat, maius malum perpetrare. Sensus meus hic est: quód nempé moraliter loquendo, tale consilium, nunquam licitum est, nec requiritur vt sic consuli possit, quod alter sit efficaciter ad maius malum determinatus, nec sufficit pravus habitus, illum ad frequentes lapsus carnis inclinans, sed necesse est, quod nullo alio modo possit retrahi á maiori malo, nisi minori consulto; & hoc non concurrit in dicto casu: nam voto adstrictus non constituit efficaciter animo, venereis inhærere, sed labitur impulsus pravo habitu & fragilitate; & alias potest alia via retrahi, petita dispensatione, quæ facile conceditur, periculum incontinentiæ allegando.

Sed tamen, si alligatus voto, ita malo inhæret, vt nec dispensationem eius petere vult, nec á venereis desistere, sed omnino paratus esset ad lapsus, in his angustijs, licitum esset ei consulere de Matrimonio contrahendo, ad vitanda maiora mala; sicut homini efficaciter determinato, ad patrandum homicidium, potest consuli percussio vel furtum; & determinato ad committendum adulterium, potest suaderi fornicatio simplex; & assueto, & determinato ad iurandum per Deum, potest consuli, ne per illum, sed per caput suum iuret, quod levius iuramentum est. Vndé ait D. Epiph. lib. 2. contra hæres. tom. 1. hæresi 61. Melius est vnum peccatum habere & non plura; melius est lapsum palam, sibi vxorem sumere, quam quotidiè occultis iaculis sauciari; & D. Greg. lib. 32. Moral. cap. 18. ait: Si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur. Vndé D. T. q. 1. de malo, art. 5. ad 14. excusat Loth á culpa, offerendo filias ad stuprum, quia tolerabilius est, si quis committit minorem culpam, quam maiorem, sic enim, peius Sodomiæ scelus vitavit; & idem pro casu nostro discurrendum est, in quo sunt omnia requisita, ad cohonestandum minoris mali consilium, quia voluntas determinata erat, ad maius malum committendum. Nec est idem de exequente, qui nequit minus malum eligere, quia in se, potest vtrumque vitare, quod tamen non habet in alio, & sic potest ei consulere quod minus malum est, quia directé non intendit suasionem mali, sed retractionem á malo maiori.

ARTICVLVS IX.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

Prima difficultas: De impedimento erroris. Arduam satis aggreditur tractationem, de impedimentis dirimentibus Matrimonium, in quæ plura continentur vtilia, necessaria & scitu digna; impedimentorum numerum assignavimus supra, in summa Doctrinæ, illis versiculis: *Error conditio, &c.* nunc de quolibet eorum sigillatim disseremus, & primo de errore, de quo dubitatur an error personæ, ex natura rei Matrimonium dirimat? Notandum: quód error, alius est circa personam, vt cum Ioanna supponitur pro Matia, alius circa conditionem, vt cum quis cogitat contrahere cum libera, quæ est ancilla; alius qualitatis, cum putat contrahere cum virgine nobili & pulchra, & illa est plebeia, corrupta & deformis; alius fortunæ, cum cogitatur dives, & est pauper, & hic ad errorem qualitatis reducitur; alius est error antecedens, qui dat causam contractui, ita vt sine illo non fieret, vt cum errans non contraheret si veritatem agnosceret; alius concomitans, vt cum errans sic est affectus, vt etsi non erraret contraheret, vt cogitans contrahere cum Maria & est Martha, & nihilominus hoc cognito, æqué libenter contraheret cum ista.

Dicendum est ergo: Quód error circa personam, facit irritum Matrimonium iure naturæ, etiam inter infideles, qui lege naturæ tenentur, nec Ecclesia potest in hoc dispensare. Ratio sumitur ex D. Thom. hic, q. 51. art. 1. & 2. nam qui destruit causam, etiam destruit effectum ex sua natura; sed consensus est causa Matrimonij: ergo quód destruit consensum, etiam Matrimonium destruit; sed error destruit quiditatẽ & essentiã consensus. quia hic est actus voluntatis, qui nequit subsistere absque cog-

nitione quam tollit error: ergo hic de iure naturæ irritat Matrimonium. Explicatur: in alijs contractibus, error circa eorum substantiam, reddit illos iure naturæ irritos, vt si quis vendit pro tritico hordeum, vel pro auro aurichalcum: ergo idem de contractu Matrimonium dicendum est, quod nempé irritatur iure naturæ, per errorem circa substantiam personæ.

Oppones 1. quia coniugium Iacob, cum Lia pro Rachele substituta, validum fuit, & tamen ibi error substantialis circa personam intercessit. 2. alia Sacramenta sunt valida, licet intentio ministri, non feratur in personam certam, dum tamen ad præsentem dirigatur, licet ex errore putetur alia, vt cum quis baptizat vel absolvit Petrum, cogitans esse Ioannem; & idem est in alijs contractibus, quos non vitiat error circa personam, vt si equus vendatur Petro, cogitando esse Paulum, & sic idem de Matrimonio est dicendum. Resp. ad 1. ex D. Tho. loc. cit. ad 4. quod Matrimonium inter Liam & Iacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit, & tamen vterque à peccato excusatur, quia Iacob, maritali affectu accessit ad Liam, & hæc coniugali affectu debitum solvit, cogitans iuxta patriæ consuetudinem, lege primogenitarum fuisse iure copulatam á patre.

Ad 2. resp. quód est disparitas: nam in alijs Sacramentis, effectus non causatur ex intentione ministri directé, sed ex elemento materiali exterius adhibito; vinculum autem coniugale, directé causatur ex consensu, & ideo non est simile. Vel dicitur: quód in alijs Sacramentis, persona se habet solum, vt subiectum cui applicantur, licet non rectè Sacerdos faceret, si suam intentionem in personam determinatam dirigeret; in Matrimonio autem, contrahentes & eorum corpora, sunt materia ex qua Sacramentum conficitur, & ideo sine cognitione personæ, illud non subsistit; ex quo patet disparitas, de alijs contractibus, in his enim, non attenditur persona in particulari, sed res traddita, & persona per accidens se habet, & sic error circa personam, est tantum in accidentibus; in Matrimonio verò, persona in particulari est, de substantia contractus, & ideo non est simile. *Et si* huius rationem quæras, hæc est: quia Matrimonium, exigit individuam vitæ consuetudinem & societatem, & sic intentio contrahentis, dirigi debet, in determinatam & individuam personam, in venditione autem, solum attenditur vtilitas, & vsus rei, quæ æqualiter salvantur, licet personæ sint diversæ, dum non detur variatio substantialis in materia contractus, tunc enim hic destrueretur, sicut si alicui venderetur asinus pro equo, quod est exemplum D. Thom. hic, art. 2. ad 7.

Inquires: An resolutio sit vera, non solum quando datur error prudens circa personam, sed etiam quando est error vincibilis, crassissimus & fatuus? Resp. affirmativé, quia hic non agitur de comitenda culpa, á qua non excusat talis error, sed de Matrimonio contrahendo, quod exigit verum consensum circa personam, quo deficiente ex quocumq; capite, invalidum est; sic tenent Sanchez, Coninch, & Salmantic. *Si iterum inquiras*: An non solum error antecedens dans causam contractui, sed etiam error concomitans, dirimat Matrimonium iure naturæ? Resp. quód sic, cum eisdem authoribus citatis. Ratio est: quia non datur consensus actualis contrahendi cum illa, sed ad summum habitualis, non enim vir illum habet, sed haberet si eam cognosceret, ad Matrimonium autem, consensus actualis & absolutus in personam requiritur.

Dices 1. quód talis error concomitans, non reddit actum involuntarium, quia est maximé conformis voluntati tunc existenti, & sic non irritat Matrimonium. 2. quia talis consensus, censetur interpretativus, cum ita sit contrahens affectus, vt si sciret esse Ioannam, v. gr. cum ea contraheret, & quando scit, de facto complacet, quod est signum consensus interpretativi. Resp. ad 1. quód licet talis error, non faciat actum involuntarium positivé, benè verò negativé, seu non voluntarium; nam facit, quod non detur actualis consensus, ad Matrimonium requisitus. Ad 2. quód tunc non datur consensus interpretativus, quia omnia illa, non denotant extitisse consensum, sed extiturum si sciretur, quod antea ignorabatur.

Dubitabis: Quid dicendum, de errore circa qualitates, & accidentia personæ? Resp. quód si est puté concomitans, non dans causam contractui, Matrimonium non irritat, quia voluntarium ad Matrimonium requisitum, in eo casu non vitiatur, vt si quis contrahit cum paupere vel corrupta, cogitans esse divitem vel virginem, non motus his qualitatibus sed aliundé, Matrimonium validum est. De errore autem qualitatis, etsi antecedens sit, præbens causam contractui, dicendum est, quod Matrimonium irritum non reddit, sic D. T. hic, q. 51. art. 1. in corp. & communiter authores. Ratio est: nam qui solum errat circa qualitates & accidentia, & non circa personam, habet consensum simpliciter voluntarium, circa substantiam & obiectum primarium, licet involuntarium secundum quid, circa accidentia, & ideo Matrimonium validum subsistit; sic etiam plures vitantur lites & tumultus, alias qui contraheret cum aliqua, cuius qualitatem ignorabat, passim diceret, se nunquam contracturum si talia sciviſſet, & sic matrimonia si invalida essent, ex hoc possent dissolvi, quod absurdum est.

Hæc autem resolutio intelligenda est, nisi error qualitatis, refundatur in substantiam personæ, tunc enim, iam esset error personæ, & Matrimonium nullum; sic D. T. loc. cit. art. 2. ad 5. Quando autem error qualitatis, refundatur in substantiam per-

so-

sonæ? De hoc asignat D. Tho. ibi regulam hanc: quando quis sub certa qualitate personæ, non communi sed particulari, apprehendit individuam personam, cum qua hic & nunc vult contrahere, & postea offertur alia, ea qualitate destituta, tunc error qualitatis in personam refunditur, & nullum reddit Matrimonium, vt si mulier vult contrahere cum primogenito Regis, & postea proponitur alter sine hac qualitate, nam solum consentit in personam sibi in mente propositam; si verò independenter á qualitate, concipit & cognoscit ce tam personam, & postea decipitur, non irritatur Matrimonium, quia simpliciter contrahere intendit, cum persona quam cognoscit, quamvis moveatur ex qualitate quam falsò apprehendit. Vndé non approbamus dictum Sanchez asserentis, quod si qualitas non sit determinatè in individuo, non refunditur in personam, vt si fœmina putat se contrahere cum filio Regis, non explicando cuius Regis filius sit, hic error in solâ qualitate sistit. Hoc enim est contra D. T. loc. cit. vbi ait: Si autem directè vult consentire in filium Regis quicumque sit ille, tunc si alius præsentetur ei quam filius Regis, est error personæ, & impedietur Matrimonium; & idem habet in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.

Sed argues contra resolutionem 1. quia error cuiusvis circumstantiæ, reddit actum involuntarium, vt ait Arist. 3. Ethicor. cap. 1. & sic insufficiens erit ad Matrimonium. 2. intellectus solum vult fœminam divitem aut virginem, & sic hoc idem voluntas intendit, quæ apprehensionrm intellectus sequitur. 3. quia illi Matrimonio, dolus causam dedit, & sic videtur irritum iure naturæ; sicut alij contractus huius generis. Resp. ad 1. quód error circumstantiæ, reddit actum involuntarium secundum quid, illum tamen relinquit simpliciter, & quo ad substantiam voluntarium; vt patet in occidente patrem, iudicando esse inimicum, cuius actus est involuntarius secundum quid, in ratione parricidij, voluntarius autem simpliciter, quo ad substantiam homicidij, & idem contingit in errore circumstantiæ, pro contrahendo Matrimonio.

Dices: Qui dat eleemosynam diviti, qui se pauperem fingit, facit eleemosynam nullam, etiam quo ad substantiam, & accipiens tenetur restituere, & tamen error ille, solum versatur circa qualitatem personæ. Resp. quód est disparitas: nam actio illa, licet ex parte affectus donantis, sit actus misericordiæ, in re tamen, vera eleemosyna non est, non præcisé ob errorem qualitatis; sed quia qualitas illa, nempé quod sit verè pauper qui recipit, pertinet ad substantiam eleemosynæ, cuius munus est, sublevare alienam miseriam veram, & non fictam & simulatam, & sic ex parte affectus dantis, erit meritum virtutis, sed ex parte doli recipientis, datur obligatio restituendi; in Matrimonio autem, error qualitatis præcisé, non destruit substantiam consensus, & ideo simul cum illo Matrimonium subsistit.

Ad 2. quód consensus voluntatis, non subsequitur ad apprehensionem, pro vt deseruit ad actum voluntarium omnibus modis, id est, secundum substantiam & accidentia, sed solum ad illam, vt deservit voluntario simpliciter, & secundum substantiam, & hoc modo iam reperitur in consensu Matrimonij stante errore qualitatis, quia intellectus apprehendit substantialia, quæ sunt personæ contrahentes, & in ea consentit simpliciter voluntas, licet nó consentiat in cætera accidêtalia. Ad 3. quód non omnis error & dolus, facit irritos contractus, sed solum ille, qui versatur circa substantiam contractus, qui tamen non datur in Matrimonio, cum solo errore qualitatis contracto, vt vidimus. *Nec obstat*, quód error hic, sponsalia dissolvit, quia minus requiritur ad ea dissolvenda, quam ad irritandum Matrimonium, vt suprá diximus.

Secunda difficultas: De impedimento conditionis. Audivi quendam, in publico examine dixisse, impedimentum conditionis esse, pravam & asperam conditionem habere, quod vocamus: *Mala condicion*; crassissimus quidem & vastus error, si enim hoc ita esset pauci vel nulli essent contrahentes, qui non essent hoc impedimento affecti; & quod est risu dignius, licet ego, qui votum solemne, in sacra Parentis Dominici Religione indignus emmisi, hoc non fuissem Cœli munere donatus, essem ad Matrimonium impeditus; eo quod apud plures (domesticos quidem) numerosis abundem suffragijs, pro testanda prava conditione mea; sed quenam apud vulgus imperitum prava conditio? Audite per digressiunculam. Apud Philosophos dicitur, quod sunt quedam elementa humidæ qualitatis, vt aqua & aer, quæ difficile terminantur termino proprio, facile verò alieno; aqua enim, nec terminum, nec colorem habet; nisi emendicando á corpore sibi adiuncto, ita vt si funditur in vasi quadrato, ipsa quadrata videtur, si in vitidi, viridis, si in rubro, rubra; ecce conditionem hominum, quam impostores stulti optimam vocant, si quis, nullum terminum, colorem, nec dictamen habeat; é contra verò, si elementum naturæ fuerit siccæ, difficile terminatur termino alieno, facile verò proprio, vt in terra & igne cernere licet; hæc apud calumniatores, prava vocatur conditio. Auscultemus Paulum, qui Epist. ad Galat. cap. 4. ait: Cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; conditio itaque servilis ad omnia, instar humidi elementi, sine termino nec colore proprio, conditio parvulorum est, hæcque inscribitur á vulgo, suavis & mitis conditio. O bone Deus! Vos omnes, conditiones hominum sugillantes, hoc scitote de me, quod si conditio affabilis & benigna, in eo stat, quod quis nullum proprium terminum, vel dictamen habeat, nisi iuxta qualitatem

rem sibi adiuncti, cui ad omnia & per omnia, per fas vel per nefas, sine resistentia vlla, respondeat Amen, nunquam inter optimæ conditionis viros me computare poteritis. De conditionibus enim, ego, hoc vnum ex sacro eloquio certo scio, quod vnus est interitus hominis & iumentorum & æqua vtriusque *conditio*. Fateor equidem, & plane fateor quod *conditio* hæc mea, toties decantata, tanquam prædicatum in me transcendens, opera, verba, & cogitationes, adeo est obscura, singularis & rara, vt altera ei par, á *conditione* Orbis hucusque non fuit devisa. Verúm si supremus opifex, á me omnem *conditionem* abraderet, & mihi super *conditiones* varias, optionem conferret, nullam aliam præter meam ipsam liberter eligerem. Veni ergo electa *conditio* mea, vt figam in te thronum meũ; veni vt mecum sis, & mecum labores; veni vt sciã quid sit coram Deo omni tempore acceptum; veni, & in compagibus & medullis meis subintra, in sinuo meo requiesce, de calice meo bibe, strictissimo fœderis vinculo illaquemur, concupitis amplexibus perfruamur. Vale igitur, amabilis dectrix mea; nam pro ea qua erga te intensissima dilectione flagro, diffusam efficerem panegirim, si calamum attramento intingerem. Ad intentum regredior.

Spreto itaque, huiusmodi barbaro dicto; conditio pro vt ad præsens attinet, & Matrimonium dirimit, est conditio servorum, seu conditio & qualitas servilis; & relictis pluribus de conditione servorum, quæ pertinent ad iurisperitos, tribus modis potest aliquis fieri servus. 1. nativitate, vt cum de ancilla nascitur, quia partus, quo ad libertatem & servitutem, sequitur ventrem, seu matrem, quo ad honores verò & dignitates, patrem, vt iura statuunt, & D.T. hic, q.52. art.4. dicit. 2. iure belli, quo iuste captus, fit capientis servus, morte in servitutem commutata, sed hoc locum non habet apud christianos qui ob religionis dignitatem, eximuntur á servitute. 3. emptione, vt cum á se ipso venditur vel ab alio, quæ omnia habentur in instit. §. servi, de iure personar; & quidem certum est: quód si liber contrahit cum servo, quem scit esse talem, Matrimonium validum est: quia tunc non datur deceptio, cedit enim iuri suo, & scienti & volenti, non fit iniuria; sic D.Tho. ibi, art.1. ad 3. vbi ait: Servitus ignorata Matrimonium impedit, non verò servitus scita.

Dicendum est ergo: Quód si contrahens cum errore servitutis, fiat peioris conditionis, vt si liber cum ancilla contrahit, nesciens ancillatum, Matrimonium est nullum; si autem contrahens sit æqualis conditionis, vt servus cum serva, quam putat esse ancillam, Matrimonium est validum; sic D.T. loc. cit. art.1 Ratio primæ partis, assignatur á D.T. ex eo, quod in contractu Matrimonij, debet æqualitas servari, nisi contrahentes cedant iuri suo; in casu autem nostro, non daretur æqualitas, sed inæqualitas maxima, quia liber tradit alteri plenam potestatem sui, non sic autem servus, qui est adstrictus alteri, & potest sæpé impediri, ne debitum reddat coniugi petenti, vel quia obtequijs domini assistit, vel quia ab eo potest longius mitti, & sic nec coniugem potest sociare, nec educationi prolis incumbere: ergo, &c.

Quód autem, si æqualis sit, vel fiat melior, validum sit Matrimonium prob. quia Ecclesia irritans Matrimonium, cum errore servitutis contractum, attendit ne per inæqualitatem fiat iniuria alteri, quam pateretur liber contrahens cum ancilla, nisi iuri suo cedat; sed hoc inconveniens cessat, quando ille fit melioris conditionis, vt si servus contrahit cum libera, quam cogitabat ancillam, & etiam quando non fit peior, vt cum contrahit cum ancilla, quam iudicabat liberam, quia tunc datur æqualitas status, nec ipse subit obligationem maiorem quam altera pars, & sic illi non fit iniuria: ergo, &c. & licet non contraheret si error non esset, hic tamen est circa qualitatem, & non circa substantiam, & sic Matrimonium non irritat, vt patet ex suprá dictis.

Sed dubium est: An Matrimonium liberi cum servo, cum errore servitutis contractum, sit irritum iure naturæ, vel iure Ecclesiastico, ac proindé etiam inter infideles vitietur? Resp. quód tale Matrimonium, iure naturæ non est irritum, licet sit valdé conforme iuri naturæ, quod ab Ecclesia fuerit irritatum; sic D.T. loc. cit. ad 3. vbi ait: Iure positivo determinante est factum, quod servitus ignorata, Matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur, est enim quedam pœna vxoris, quod habeat virum servum, & é converso; idem sentiunt plures quos non cito, sufficit enim Thomas meus, vbicumque loquitur expresé.

Ratio dicti est: Quia illud Matrimonium, non irritatur ratione deceptionis, aut iniuriæ, quia hæc non sunt circa substantiam Matrimonij, sed circa qualitatem accidentalem, servata substantia, quæ est mutua corporum traditio, & licet hæc, non sit omnino plena ex parte servi, est tamen sufficiens ad substantiam Matrimonij, quæ solum obligat reddere debitum, quando non datur impedimentum legitimum, vel est vsus commodus attento statu; nec etiam irritatur, quia bonis Matrimonij contrarietur; alias etiam esset nullum, si servitus esset nota, vel celebraretur coniugium inter ancillam & servum, quia etiam tunc est bonis Matrimonij contrarium, quod tamen nemo dixit.

Oppones 1. ex D.T. hic, q.51. art.2. in corp. vbi assimilat errorem personæ & servitutis, & ait esse de substantia Matrimonij & æquales ad impediendum illud; & q.52. art.1. in corp. comparat errorem servitutis, errori impotentiæ naturalis, sed error personæ aut impotentiæ, dirimit Matrimo-

nium

nium iure naturæ : ergo etiam error seruitutis. 2. quia talis error contrariatur bonis Matrimonij, nempé cohabitationi sociali coniugum, quia potest seruus longe á Domino mitti ; bono prolis, quia eam nequit alere, nec sanctè instruere, quia omnia sua, domini sunt, & ille in eius potestate non est; & bono fidei, quia nequit libere debitum reddere, nisi cũ expeditus sit ab obsequijs dominis: ergo, &c.

Resp. ad 1. quód D.T. non comparat omnino, errorem personæ & seruitutis, sed solum in eo, quod sicut error personæ impedit consensum voluntarium circa personam, ita error seruitutis, circa seruitutem; sed cum hac differentia, quod error personæ, destruit consensum voluntarium, circa substantiam Matrimonij, error verò seruitutis, solum circa qualitatem, qui tantum potest destruere voluntarium secundum quid, & sic Matrimonium non irritat; similiter non assimilat D. T. omnino seruitutem cum impotentia, sed in eo solum, quod sicut impotentia impedit vsum Matrimonij, semper & simpliciter, ita seruitus impedit aliquando, & secundum quid. Ad 2. quód ex eo probatur Ecclesiam rectè egisse, & secundum naturam rerum, tale Matrimonium irritando, non tamen quod sit irritum iure naturæ ; alias etiam irritum esset coniugium serui cum ancilla, quia etiam aliquomodo impedit Matrimonij bona, quod tamen est falsum, vt diximus.

Hæc est substantia doctrinæ, de impedimento erroris conditionis seruilis; nunc pro eius pleniori captu. *Dubitabis* 1. An seruus, validé & licité, possit contrahere Matrimonium, sine domini voluntate? Resp. affirmativé, cum D.T. hic, q. 52. art. 2. Ratio est: quia seruus non est subiectus Domino, in his quæ sunt de iure naturæ, qualis est contractus Matrimonij; vndé sicut seruus, non subditur domino, ad sumendum cibum & somnum, vt conservetur individuum, sine quibus conservari non potest, ita nec ei subditur, in contrahendo Matrimonium, ad quod natura inclinat, ob conservationem speciei. *Nec obstat*: quód seruus domini est, & sic nequit se tradere vxori, quia nemo potest dare alteri, dominum rei non suæ ; dicitur enim, quod seruus est res domini, quo ad ea quæ naturalibus superadduntur, sed quo ad naturalia, vt est Matrimonium, omnes sunt æquales ; sic D.T. ibi ad 1. *Nec* est paritas, de Ordinibus sacris vel Religione, quæ nequeunt á seruo suscipi sine consensu domini. Tũm, quia per sacrum Ordinem vel Religionem, obligatur homo divinis obsequijs, quo ad totum tempus, sed vir solum tenetur debitum reddere, congruis temporibus. Tũm, quia Religio & Ordo sacer, obligant ad opera naturalibus superaddita, in quibus dominus habet serui potestatem; Matrimonium autem, solum ad naturalia obligat, in quibus dominus & seruus æquales sunt, vndé patet disparitas vtriusque.

Dubitabis 2. An si error seruitutis, sit crassus & invincibilis, dirimat Matrimonium iure Ecclesiastico? Resp. affirmativé, iuxta dicta d ff. præcedenti, quia quælibet ignorantia tollit voluntarium, vel saltim facit actum non voluntarium, & sic tollit consensum directum & formalem, & animum cedendi iuri suo ; Matrimonium autem, cum sit res grauissima, petit ex actuali consensu procedere. *Si dicas*: quód Ecclesia irritat illa Matrimonia, ob iniuriam coniugis liberi, quæ tamen non datur, si error est valdé crassus & vincibilis. Resp. quód hic non agimus de vitanda culpa, sed de apponendo consensu positivo, quem talis ignorantia tollit, et si non oriatur ex actu voluntario cedendi iuri suo quo talis deceptio amplectatur. *Nec* error ille assimilatur scientiæ & timori leui; quia hæc licet minuant voluntarium, illud verò simpliciter nõ auferunt; error verò ille, simpliciter tollit voluntarium actuale.

Dubitabis 3. An quando seruus per Matrimonium consequitur libertatem, validum sit Matrimonium, cum ignorantia seruitutis contractum? Tres sunt casus, in quibus seruus per Matrimonium libertatem consequitur. 1. si dominus instrumentum dotale conferat ancillæ contrahenti, etsi contrahat cum sciente ancillatum illius. 2. quando Patronus recipit ancillam in coniugem, vel domina seruum ; quod si Agar dicitur ancilla, post Matrimonium cum Abraham, Gen. 16. hoc est, quia non fuit ad gubernationem assumpta, sed in ministerio domus permansit, vel quia antea fuit ancilla, iuxta scripturæ phrasim, quæ summit præsens pro præterito, sicut dicitur de Magdalena, quod erat in ciuitate peccatrix, quia talis antea fuit. 3. quando Dominus, seruum aut ancillam, Matrimonio tradit libero, seruitutis nescio, aut si non tradat, scit tamen & dissimulat, quin veritatem detegat, de his casibus, & præcipué de vltimo, est dubium speciale.

Verior sententia ait, valere Matrimonium in eo casu; sic tenent Sanchez, Cornejo, Salmant. & Dicastillo. Ratio est: quia iure ciuili, tale Matrimonium est validum; & alias ius Canonicum, huic non opponitur, quia nullus datur textus in contrarium. Deindé: quia ius Canonicum, solum irritat Matrimonium serui cum libera ignara seruitutis; hoc autem, non est Matrimonium serui. Tũm, quia per illud consequitur libertas. Tũm, quia etsi perseueret, est quasi non esset, quia immediatè proximé, per Matrimonium est desitura. *Nec obstat*: quód tale Matrimonium, est serui cum libero, seruitutis ignaro. Dicitur enim: quód verè non dicitur seruitutem durare, quando contrahitur Matrimonium, quia hoc est forma incomposibilis cum seruitute; & in eo instanti, in quo est verum dicere: nunc est Matrimonium, est etiam verum: nunc non est seruitus, sicut quando dicitur: nunc est for-

nis ignis, est verum: nunc non est forma ligni, & in instanti quo dicitur in Eucharistia : nunc est Corpus Christi , est verum dicere : nunc non est substantia panis, eo quod sunt formæ incomposibiles; idem ergo de Matrimonio & servitute dicendum est. Alia sunt de servis & liberis , quæ non Theologorum sunt, sed Iuristarum, quibus discutienda remittimus, & his pro instituto nostro, sumus contenti.

Tertia difficultas: De impedimento voti. Utrum votum solemne religionis , dirimat Matrimonium subsequens iure naturæ ? Certum est, quod Matrimonium subsequens votum solemne religionis, est irritum; sic habetur apud Trident. Sess. 24. cap. 9. quod etiam statuitur á Sanctis Patribus, & Summis Pontificibus; & hoc convenientissimum est: quia religiosi sæculo relicto, ad statum perfectiorem transeunt: ergo Ecclesia rectè providit, ne postea Matrimonium contrahere possint, ne daretur ansa descendendi ad statum imperfectiorem, & ex violatione prioris fidei, scandala orirentur. Difficultas est, quo iure tale votum dirimat Matrimonium subsecutum , an iure naturæ vel Ecclesiastico ? Aliqui cum Paludano, Ricardo, Cayetano, & Scoto aiunt, solum dirimere iure humano Ecclesiastico, alij dicunt, dirimere iure naturæ; sic D.T hic, q. 53. art. 2. vbi ait: Dicendum est, quod votum solemne, ex natura sua habet , quod dirimat Matrimonium contractum; & hæc est nostra resolutio.

Prob. 1. ex Trident. loc. cit. dicente : Si quis dixerit , Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto , anathema sit; cum ergo distinguat, inter irritationem Matrimonij causatam ex ordinibus, & causatam ex voto religionis, hoc ex iure naturæ Matrimonium dirimit. Deindé: quia votum solemne religionis, dissolvit Matrimonium ante validum non consumatum, iure naturæ: ergo multo magis Matrimonium subsecutum. Conseq. pat. Tùm , quia maius est dirimere Matrimonium iam constitutum, quam impedire ne efficiatur. Tùm , qui minor efficacia requiritur, ad dirimendum Matrimonium subsequens , quam antecedens ; Ordo enim facer, dirimit subsequens, & non antecedens.

Explicatur: si votum solemne religionis, non dirimeret Matrimonium ex iure naturæ , sed ex iure Ecclesiastico posset Pontifex, hanc vim á voto solemni auferr , tollendo præceptum Ecclesiasticum, & relinquendo votum in suo subiecto , & efficere quod Monachus, talis manens vxorem ducat , & liberos in Monasterio habeat ; conseq. est falsum: ergo, &c. falsitas consequentis patet ex cap. cum ad Monasterium, de statu Monachor. vbi dicitur: Abdicatio paupertatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo connexa est regulæ Monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex , possit licentiam indulgere. Mai. prob. quia votum solemne castitatis, solum iure Ecclesiastico annectitur statui Clericali, potest Papa , relinquendo Clericum in suo statu, dispensare cum eo, vt Matrimonium contrahat, vel eo contracto vtatur, vt vtuntur Sacerdotes Græci ex dispensatione Ecclesiæ, Matrimonio ante Ordinationem contracto: ergo pariter de voto Religionis dici posset , si solum iure Ecclesiastico Matrimonium dirimeret.

Ratio autem nostræ resolutionis ex D. Tho. desumpta, hæc est: ius naturæ dictat, vt qui rem semel donavit totaliter alteri, & fuit ab eo acceptata, non possit eam alteri postea traddere ; sed per votum solemne Religionis , vovens totaliter donat corpus Deo, & ad perpetuam continentiam obligatur, & id acceptatur á Religionis Prælatis: ergo idem ius naturæ dictat , quod non possit corpus suum, coniugi per Matrimonium donare. Mai. prob. & explicatur: nam ideo Matrimonium ratum, dirimit ex natura sua subsequens Matrimonium, quia per Matrimonium prius , corpus tradditum est vni vxori , & sic nequit ea vivente alteri traddi : ergo idem de voto solemni , per quod quis tradditur Deo dicendum est, ne dicatur, quod tradditio Deo facta, minus roboris habet, quam tradditio Matrimonialis corporis, facta vxori.

Dices : Quód tradditio facta Deo per votum Religionis , non est omnimoda , sed sicut servus voluntarius aut emptituis , non privatur naturali iure Matrimonium ineundi , idem poterit facere professus in Religione , quamvis illicitè. Contra est: nam licet tradditio facta Deo, & Religioni per votum, non sit totalis quo ad omnia, benè verò quo ad caste vivendum ; sed hæc ex natura sua, est incompatibilis cum Matrimonio, quod est tradditio ad copulam carnalem: ergo nostra resolutio subsistit ; vndé exemplum servi, non est ad rem , quia ille, non se traddit Domino ad caste vivendum, sed solum ad exercendas actiones serviles , & sic non privatur naturali iure ad Matrimonium ineundum, per quod á vovente solemniter Religionem distinguitur.

Et si desideras, huius rationem vlteriorem , est: quia religiosus totaliter mancipatur cultui divino, & divinorũ contemplationi, & hoc necessario castitatem includit , & excludit Matrimonium , quod contemplationi repugnat. Tùm, quia contemplatio, spiritibus purissimis fovetur , quos dissipat & consumit vsus venereorum, & sanguinem a corde distrahit, quæ ad mentis attentionem necessaria est, & etiam mentis habetudinem causat. Tùm , quia Matrimonium, multas affert curas & solicitudines, ad placendum vxori, educendos liberos , & providenda vitæ necessaria , quæ totalem tradditionem Deo impediunt, vt dé ait D. Paul. 1. ad Cor. 7. qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo

modo placeat Deo. qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori & divisus est.

Si dicas: Quomodo votum simplex, quod eiusdem est naturæ cum solemni, ex natura sua Matrimonium non dirimit? Resp. quód vtrumque votum, est eiusdem naturæ formaliter, quia respiciunt obiectum, sub eadem ratione formali Religionis, materialiter autem differunt, quia votum simplex, est pura promissio, solemne verò, est actualis tradditio, vt diximus suprá cum D.T. art. præced. diff. 5. *Dices*: vota emissa in inclita Religione Societatis Iesu, post bienium probationis, non sunt solemnia sed simplicia, & tamen in eis, est vera tradditio & acceptatio Ecclesiæ, nam voventes, per illa subijciuntur potestati superioris, ita vt non possint sine á postasiæ labe, ab eo instituto, propria authoritate, sed solum aliena recedere: ergo ea tradditio, non est propria voti solemnis. Resp. quód per illa vota simplicia Societatis Iesu, datur tradditio & acceptatio, non perfecta & absoluta; sed tantum sub conditione, permanendi in Societate, ita vt si voventes illi dimmittantur, maneant liberi á votis, nec talia vota dirimunt Matrimonium iure naturæ, sed solum iure Ecclesiastico, bené verò votum solemne, per quod fit Deo perfecta & absoluta tradditio. *Etsi dicas*: quomodo tradditio & promissio, quæ videntur oppositæ, possunt componi in eodem voto solemni, quod etiam promissio est, iuxta essentiam voti? Resp. quód componuntur circa diversa, nam tradditur arbor, & promituntur fructus; vel clarius, tradditur persona voventis, & promituntur actus, ad voti observantiam necessarij, qui sunt quasi fructus potentiarum animæ nostræ.

Dices adhuc: Quód tradditio Deo facta per votum solemne, ex natura sua Matrimonium non dirimit, quia ab Ecclesiæ acceptatione pendet. Contra est: quia hæc acceptatio non obstat, vt ea facta dissolvatur Matrimonium subsequens ex iure naturæ, quod patet. Túm, quia institutio præbendæ Ecclesiasticæ, pendet ab authoritate Ecclesiæ, & tamen hac supposita, est contra naturæ ius, vendere illam. Túm, quia contractus Matrimonij, pendet ab acceptatione coniugis, & hac præmissa, iure naturæ dirimit Matrimonium subsequens; & sic idem in nostro casu dicendum; & ratio est: quia authoritas Ecclesiæ, non concurrit, quasi statuens, dirimi Matrimonium postea contractum, sed solum quasi acceptans, vt patet in ipso exemplo coniugis, consensum alterius acceptantis.

Sed arguitur contra resolutionem: votum solemne Religionis & Matrimonium subsequens, sunt vincula simul composibilia simul; nam coniugatus, de licentia coniugis, potest solemniter profiteri, etiam post consumatum Matrimonium: ergo votum solemne, non dirimit Matrimonium iure naturæ. Resp. quód illud duplex vinculum, voti solemnis & Matrimonij, est simul composibile, si votũ solemne sequatur ad Matrimoniũ non verò si illud præcedat; exemplum est in impotentia coeundi, quæ si subsequitur ad Matrimonium, non irritat illud, bené verò si præcedit ipsum; & disparitas est: quia Matrimonium contrahens, debet transferre in coniugem, sui corporis potestatem & vsum, quod repugnat si præcedit votum solemne Religionis, quia per illud, vovens perfectè se tradit Deo ad caste vivendum; sed hoc non contingit, si votum ad Matrimonium subsequitur, nam potest coniux per adulterium, amittere potestatem in corpus, vel huic facultatem dare ad Religionis ingressum, cedendo voluntarié iuri suo, & sic nihil est in eo Matrimonio, quod voto solemni præiudicet.

Dices aliter: Quód solemnitas voti, solum est de iure Ecclesiastico, & non de iure naturali, aut divino, vt insinuatur, cap. vnic. de vot. in 6. vbi dicitur, quod voti solemnitas, ex institutione Ecclesiæ est inventa: ergo si dirimit quia solemne, non dirimit iure naturæ. Resp. quód voti solemnitas, alia est substantialis, quæ consistit in tradditione superiori facta & eius acceptatione, alia accidentalis & ceremonialis, quæ consistit in ritu & ceremonia cum quibus tradditio illa fit. Textus ergo allatus, non loquitur de prima solemnitate, sed de secunda, & de hac asserit, esse ex instituto Ecclesiæ. *Si dicas*: quód ibi est sermo, de voto dirimente Matrimonium, & sic loquitur de solemnitate substantiali. Resp. quód ex ea solemnitate deducit textus, quodnam votum solemne Matrimonium dirimit, non tanquam ex substantia sed solum tanquam ex signo, quia ceremoniæ & benedictiones illæ, sunt declarativæ solemnitatis voti.

Dices iterum: Si Pontifex statueret, vota in aliqua Religione emissa, non esse solemnia, nunquam talia essent, etsi vovens se Deo tradderet: ergo etiã solemnitas substantialis voti, ab Ecclesia pendet. Resp. quód sicut Ecclesia potest apponere aliquas qualitates pro habilitandis personis, vt fecit quando Matrimonia clandestina anullavit, & tamen dici non potest, quod valor substantialis Matrimonij ab Ecclesia pendet; ita etiam quamvis votum solemne, quo ad aliquas qualitates, nempé quod sit in tali ætate aut Religione, vel coram tali superiori, pendeat ab Ecclesia, non ideo substantia voti solemnis quo ad essentiam, ab Ecclesia pendet, sed est obligatio de iure naturali & divino.

Quarta difficultas: De impedimento cognationis. Notandum: quód cognatio est triplex, nempé carnalis, quæ per carnis propagationem derivatur; spiritualis, quæ fit per regenerationem in Baptismo & Confirmatione, & legalis, quæ acquiritur per adoptionem legis. *Quo ad primum*, de cognatione naturali, hæc diffinitur hic a D. Tho. hic,

q.54. art.1. *Vinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* Dicitur *vinculum*, quia consanguinei, ab eodem sanguine orti, maiori nexu amoris iunguntur, dicitur *personarum*, id est rationalium, nam bruta, amicitiæ sunt incapacia, vt ait D.Tho. ad 5. Dicitur *ab eodem stipite*, proximo tamen & non remoto, alias omnes essent Adami consanguinei; Dicitur: *carnali propagatione*, & ideo Angeli ad Deum, non datur consanguinitas, quia etsi Deus Angelos produxerit, non tamen propagatione carnali, & idem de Eva respectu Adami; sed B.Virgo & Christus, fuerunt consanguinei, quia hic ex purissimo Matris sanguine fuit conceptus, licet sine comixtione carnali, Spiritus Sancti operante virtute.

Ab stipite autem, quæ est illa persona, á qua aliæ trahunt originem, vt pater respectu filiorum, avus respectu nepotum, deducuntur linea & gradus. Linea est, ordinata collectio personarum, ab vno stipite descendentium, metaphora sumpta á linea, quæ ortum ducit ab vno puncto; gradus veró est, habitudo & mensura distantium personarũ, per quã cognoscitur qua distantia consanguinitatis coniungantur, similitudine accepta á scala. Linea autem est triplex, nempé recta ascendentiũm, vt Patris, Avi, Proavi, &c. & recta descendentium, vt filij, nepotis, pronepotis, &c. & transversalis seu collateralis, quæ est collectio eorum, qui non ducant originem á nobis, nec nos ab illis, sed ambo ab vno stipite originamur, & hæc linea transversalis, adhuc est duplex, alia æqualis, vt quando ambo æqué distant á comuni stipite, vt duo fratres, vel fratrum filij; alia inæqualis, quando inæqualiter distant, vt si comparẽtur fratres cum filio frattis sui; pro cuius captu, authores varias arbores & figuras demonstrant, sed omnia tantisper meditanti, abundanter patebunt.

His positis, tres regulæ assignantur á D.Thom. hic, ad cognoscendos consanguinitatis gradus. *Prima* est, in linea recta ascendentium & descendentium, tot gradibus vnus ab alio distat, vel coniungitur cũ eo, quot generationibus ab eodẽ stipite descendit, vt filius, qui vna generatione descendit á patre, vno gradu ab eo distat; nepos veró distans ab avo duabus generationibus, est cum eo in secundo gradu; quod alij explicant dicendo, quod gradus computantur, per numerum personarum mediantium, stipite ablato, vt inter filium & patrem, dantur duæ personæ, etsi pater demitur qui est stipes, remanet vna persona, & sic vnus gradus. *Secunda* regula; in linea transversali æquali, tot gradibus aliqui distant vel iunguntur, quot distant á stipite communi, vt duo fratres, vno gradu distantes á patre, vno etiam distant inter se. *Tertia* regula, pro linea transversali inæquali; tot gradibus vnus distat, vel iungitur alteri, quibus remotior distat á communi stipite, vt nepos duplici gradu distat ab avo, & ideo patruus, qui est frater avi, duplici gradu distat á nepote.

Certum ergo est, quod in primo gradu lineæ rectæ, nempé Patris cum filia, vel Matris cum filio, Matrimonia cum consanguineis contracta, sunt iure naturæ irrita; vndé ait D.Ambros. ad Paternum pater filiam suam accipiat vxorem, interdictum est naturæ iure, interdictum est lege, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis; & ratio affertur á D. T. 2. 2. q.154. art.9. ex eo quod parentibus debetur naturaliter reverentia, cui carnalis copula adversatur; & sic refert ibi ex Arist. quod quidam equus, qui deceptus fuit, vt matri commisceretur, se ipsum præcipitavit, quasi præ horrore illius fœditatis. Deindé: quia Matrimonium ordinatur, vt duo fiant vna caro; consanguinei autem, in primo gradu lineæ rectæ, iam sunt vna caro, & sic inter illos, Matrimonium iure naturæ est nullum. *Nec est* idem, de alijs actionibus civilibus; quia in his, filius potest esse patri æqualis, & etiam superior, non veró in actionibus naturalibus & domesticis, quæ Matrimonium consequuntur, in quibus, filius semper est inferior parentibus; & notat D.T. quód secundum naturale ius, plus repugnat Matrimonium matris cum filio, quam patris cum filia; quia vxor viro, aliqualiter debet esse subiecta, quod esset magis disonum, in subiectione matris ad filium, quam filiæ ad patrem.

Specialis difficultas est: an Matrimonium consanguineorum, in primo gradu lineæ transversalis, vt inter fratrem & sororem, sit irritum iure naturæ? Negant aliqui, quos Salmant. citant & sequuntur; sed affirmativa pars est verior, vt pote expressa apud D. T. loc. proximé cit. vbi ait: Naturaliter homo, debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens alijs consanguineis, qui ex eisdem parentibus, de propinquo originem trahunt; vndé idem impedimentum, quod agnoscit in primo gradu lineæ rectæ, ob honorificentiã parẽtibus debitam, agnoscit etiam in primo gradu lineæ transversalis. Vndé ait D. August. lib.15. de Civit. Dei, cap.16. quanto antiquius est, vt viri sorores suas coniuges acciperent compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, Religione prohibente. Nec nomine Religionis, summit legem Ecclesiasticam, vt Cayet. vult; subdit enim ibi: Talem licentiam, ita exhorret humana consuetudo, quasi nunquam licere potuerit; qua propter nunquam legitur, quod ab Ecclesia in tali gradu fuerit dispensatum.

Dices: Quód D.T. loc. cit. ad 3. ait: Personæ quæ non coniunguntur per se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam. Resp. hoc probare, fratres & sorores, non coniungi in sanguine, cum dependentia vnius ab alio, sicut filij cum parentibus, vniuntur tamen stri-

strigo nexu, in participatione immediata eiusdem principij, & sic constituunt eandem carnem, vt enim ait Arist. filius est pars patris, & sic fratres sunt vnum in patre, tanquam in tertio & principio vtrique communi, licet coniunctio eorum, non habeat tantam indecentiam, sicut comixtio filij cum parente, quod indicant verba D.T. dicentis: non habent ita ex se ipsis indecentiam.

Oppones 1. fratres in initio mundi, contrahebant Matrimonium cum suis sororibus, nec constat Deum cum eis dispensasse, & sic hoc non est irritum iure naturæ. 2. Abraham Matrimonium contraxit cum Sara sorore sua; & Thamar filia David, dixit Amon fratri suo incestuoso, & cum ea conanti stuprum committere: noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi, quod illa non diceret, nec David fecisset, si Matrimonium inter fratrem & sororem, secundum ius naturæ nullum esset, nam David, tale ius optimé noverat.

Resp. ad 1. quód fratres in exordio mundi, contraxerunt cum sororibus Matrimonium validé, vrgente necessitate, conservandi humanam naturam; nec fuit necessaria alia Dei dispensatio super hoc, quia natura clamabat, vt fratres cum sororibus comiscerentur in Matrimonio; & sic illa necessitate cessante, talia Matrimonia erunt nulla iure naturæ. Ad 2. resp. cum D.T. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. quod Sara non fuit soror Abraham, quasi ex eodem patre aut matre, nati essent; id enim falsum est, quod si Abraham eam vocavit sororem ex patre, & non ex matre, id fecit, quia olim omnes consanguinei fratres dicebantur, vt patet ex cap. 12. Mat. v. 40. & sic vt insinuaret Abrahã Saram esse suam cognatam, ex parte patris & non matris, eam appellavit sororem ex patre, & non ex matre. Vndé in eo dicto, Abraham veritatem celavit, & mendacium non dixit. Ad illud de Thamar. Resp. cum Hugo Cardinali, super illum locum 2. Reg. 13. illam sic fuisse locutam fratri, vt eius manus subterfugeret, & primum libidinis impetum evaderet. Vel dicatur cum Soto, quod repentina & inopinata sceleris immanitate perterrita, verbum illud protulit, non tamen quia crederet, id fieri posse, cum ex lege oppositum sciret.

Quód si aliquæ nationes, Matrimonia fratrum & sororum celebrarunt, vt de Persis dicitur, peccaverunt in hoc, contra lumen naturalis rationis, & contra ius naturæ, vt ait D. T. hic, art. 3. ad 2. sicut peccaverunt in multis alijs, vt in habendo vxores communes, quod faciebant Nomadas, & admitendo adulteria vt honorifica, vt Gindanes exequebantur. *Nec verum est*, Martinum V. cum fratre & sorore ad contrahendum dispensasse; solum enim id fecit, cum affine in primo gradu, nempé cum ea cuius germanam, vir fornicarié cognoverat, vt ait Soto. Textum autem Concil. Eupanens. qui ad hoc citatur, scilicet: si quis germanam vxorem acceperit, debet corrigi sic: si quis germanam vxoris suæ acceperit, vt legitur in Concil. Turonens. 2. cap. 22.

Sed est dubium: An inter omnes ascendentes & descendentes, sit irritum Matrimonium iure naturæ? Affirmat Soto, cum pluribus dicens, quod extenditur ad omnes vsque in infinitum, ita vt si Adamus modo resurgeret, cum nulla fœmina posset Matrimonio copulari; alij hoc extendunt ad diversos gradus; Covarruvias ad vigesimum, Lopez ad septimum; Henriquez ad tertium, Valentia ad secundum. Sed verior sententia est: quód iure naturæ, solum est irritum Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, vt inter patrem & filiam, matrem & filium, non verò in alijs, vt inter avum & nepotem; sic D. T. in 4. dist. 40. q. vnic. art. 3. & hic, q. 54. art. 3. Constat ex cap. gaudemus de divortijs, vbi dicitur, quod infideles ad fidem conversi, non sunt á coniugibus separandi, si in secundo vel tertio gradu contraxerint; & in cap. non debet, dicitur, solum ad quartum gradum consanguinitatis, extendi impedimentum dirimens Matrimonium, & sic non in omnibus gradibus, est irritum iure naturæ.

Ratio etiam id suader: Quia avus & cæteri ascendentes, non sunt principium per se nepotum, sed per accidens, nam accidit filio vt tali, quod suus pater genitus sit ab alio, & solum petit quod á parente oriatur; ideoque omnes sumus filij Adam, licet ipse ab alio parente non fuerit genitus, & sic reverentia avis debita, est per accidens, nec tanta vt obsit vsui coniugij, ita vt reddat nullum, sed ad sumum illicitum; quod etiam patet ex D. Thom. loc. cit. nam quo aliquid plus distat á suo principio, minus coniungitur cum illo, & minorem ei reverentiam debet, minoremq; indecentiam inducit, & sic Matrimonium, iure naturæ irritum non reddit. Vndé illud de Adam, impotente contrahere, cum quolibet sui descendente, falsum est, nam vt ait D. T. q. cit. ad 1. virtus patris, non est ita perfectè in filio, sicut erat in patre, & in nepote minus, & sic deinceps debilitatur, & deficit ita, vt vltra procedere non possit; & sic id non extenditur ad omnes, vsque in infinitum. *Nec obstat*, quod Levit. 18. dicitur: Turpitudinem filiæ, filij tui & nepotis ex filia, non revelabis; hoc enim præceptum fuit ceremoniale illius legis, quæ per legem Christi fuit abrogata; & dato, quod esset præceptum naturale, hoc non habebat vt extensum ad secundum gradum, licet hoc esset illicitum, aliqua tamen vrgenti causa honestabile; sicut etiam Iacob, duxit Rachelem Lia vivente, quod in eodem cap. v. 18. prohibitum erat. quod non faceret, si hoc iure naturæ irritum esset.

Quo ad secundum, de cognatione spirituali, hæc diffinitur sic: Propinquitas personarum, iure Ec-

cleſiaſtico introducta, ex ſuſceptione, vel collatione Baptiſmi & Confirmationis, cuius elegantem rationem aſsignat D.T. hic, q.56. art.2. ad 1. dicens, quod nativitas carnalis, vna eſt in vtero, in quo id quod eſt natum, debile eſt, nec poteſt extra poni ſine periculo, & huic aſſimilatur regeneratio per Baptiſmum, cum aliquis fovendus eſt intra vterum Eccleſiæ; alia ex vtero, quando id quod natum eſt, robur accipit, vt ſine periculo exponatur exterioribus corrumpentibus & huic aſſimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus, exponitur ad publicam fidei confeſſionem, & ſic per vtrumque Sacramentum, cognatio ſpiritualis contrahitur.

An veró per Sacramentum Pœnitentiæ, cognatio ſpiritualis contrahatur? Reſp. quó ! non, niſi improprié &, metaphoricé, ratione inſtructionis & doctrinæ, alias filius Sacerdotis, non inveniret in tota Parrochia, mulierem cum qua contrahere poſſet; & licet peccatum mortale, per pœnitentiam tollatur, eſt ſolum per modum ſanationis, non veró per modum generationis, quod ad cognationem ſpiritualem requirebatur; ſic D. T. ibi ad 8. Sed an fornicatio cum filia confeſsionis, contineat circumſtantiam in confeſsione explicandã? De hoc aliquid ſuprá tetigimus, q. 5. art. 12. caſ. 8. num. 2. audiamus D. T. loc. cit. vbi dicit: Per pœnitentiam contrahitur quodam fœdus, inter mulierem confitentem & Sacerdotem, ſpirituali cognationi ſimilem, vt tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia; & hoc ideo, quia maxima familiaritas eſt, inter Sacerdotem & confitentem, & ob hoc iſta prohibitio eſt inducta, vt tollatur peccandi occaſio; hæc D. Tho. Undé id quod ſæpiús commendavi, iterum repeto, de vitando familiari alloquio inter directores & filias ſpirituales, & maximé de cohabitatione diuturna ſub eodem tecto, á qua, ſicut á facie colubri fugiendum eſt.

Sed iuxta Concilium Tridentinum, duplex ſolum cognatio ſpiritualis contrahitur ex Baptiſmo & Confirmatione, iure tantum poſitivo Matrimonium dirimens. Prima per modum paternitatis, inter baptizantem ſeu confirmantem, qui ſe habet, vt pater & patrinum, qui ſe habet vt mater, gerens vices Eccleſiæ ex vna parte, & baptizatum aut confirmatum ex alia; ſecunda, per modum compaternitatis, inter baptizantem ſeu confirmantem, & patrinos ex vna parte, & parentes baptizati ſeu confirmati ex alia; ſed inter virum & fœminam, tenentes baptizatum aut confirmatum, nulla cognatio, nec impedimentum Matrimonij contrahitur; nam Trident. ait expreſsé, inter alias perſonas, tolli omne impedimentum cognationis ſpiritualis; ſi autem vir teneret proprium filium, & ſimiliter mater, contrahèrent inter ſe cognationem ſpiritualem, quæ impediretur in eis debitum coniugale.

Hoc autem impedimentum cognationis ſpiritualis inter perſonas deſignatas, ſolum incurritur cum ſequentes conditiones adſunt. 1. quód Baptiſmus & Confirmatio, veré & validé conferantur, & ſic ex ceremonijs in Templo factis, ad ſupplendam Baptiſmi ſolemnitatem, non contrahitur, nec etiam ex privato Baptiſmo. Túm, quia tunc in caſu neceſsitatis, non curatur de patrino. Túm, quia licet ſuſcipiat, non ea ſolemnitate facit, quæ ab Eccleſia inſtituta eſt, baptizans autem privaté, & etiam laicus in neceſsitate baptizans, cognationem contrahunt cum puero, quia veré efficiunt Baptiſmum & Sacramentalem actionem. *Nec* eſt idem de parentibus, levantibus filium in caſu neceſsitatis, qui non contrahunt cognationem ſpiritualem cum eo; quia ex hoc impedirentur ab vſſu coniugij, & hæc pœna non debent puniri, ob impletionem præcepti, in caſu neceſsitatis; in alijs veró, id non ſtatuitur vt pœna, ſed vt charitas extendatur ad alios, & ideo ſine culpa poteſt contrahi impedimentum, ſicut iudex puniens reum, ſine culpa fit irregularis.

Secunda conditio eſt: Quód perſonæ illæ ſint capaces huius cognationis, ad quod requiritur, quod ſint baptizatæ, nam cum hoc impedimẽtum, ſit Eccleſiaſtico iure introductum, ſolum comprehendit illos, qui legibus Eccleſiæ ſubiecti ſunt; vndé ſi infidelis non baptizatus, filium matris infidelis baptizaret, non poſſet baptizatam, vxorem ducere, licet ille ad fidem converteretur, quia illa veré impedimentum contraxit, poſſet autem ducere matrem, ſi ambo converterentur ad fidem, quia tempore Baptiſmi infantis, neuter erat capax cognationis ſpiritualis. Tertia conditio eſt: vt patrini teneant, & veré tangant baptizatum vel confirmatum, vel ſaltim de manibus miniſtri ſuſcipiant; ſic enim á Congreg. Cardin. declaratum eſt. Addunt aliqui, quod ſuſcipiens, debet reſpondere catheciſmo; ſed hoc á Trident. non exprimitur, niſi ſola ſuſceptio, ſicut verum non eſt, quod hoc debet fieri per ſe & non per procuratorem; contrarium enim declaratum eſt, á Congregatione proximé citata decernente, quod non procurator, ſed mandans principalis, contrahit ſpiritualem cognationem. Hocque viſſum fuit, in Baptiſmo Angelici Doctoris, in quo Summus Pontifex Honorius III. iuſsit Epiſcopo Aquinati, vt puerum in ſuo nomine, é ſacro fonte levaret, nec ſine myſterio, vt quia ad Eccleſiam ſua ſapientia illuſtrandam oriebatur, ipſe Pater vniverſalis Eccleſiæ, eſſet compater Baptiſmi Thomæ.

Quo ad tertium, de cognatione legali, multa congerunt iuriſperiti; breviter dicimus, quod illa eſt: propinquitas, ex adoptione alicuius in filium proveniens, & contrahitur 1. inter adoptantem & adoptatum. 2. inter adoptatum & vxorem adoptantis. 3. inter adoptantem & vxorem adoptati. 4. inter adoptantem & filios legitimos adoptati, ſaltim

tim

tim vsque ad quartum gradum inclusivé, & eius gradus mensurandi sunt, sicut in cognatione carnali, cuius est imitatio; est etiam inter adoptatum, & legitimos filios adoptantis, vsque ad quartum gradum, non perpetua, sed quandiu adoptio durat, & filij legitimi, existunt sub patris potestate; hæc cognationis species, dirimunt Matrimonium iure Ecclesiastico & civili, sed quia hoc rarissimé accidit, non immoramur in eius explicatione.

Quinta difficultas: De impedimento criminis. Hoc impedimentum, solum afficit coniugatos, & est inductum, in favorem Matrimonij, vt servetur fides inter coniuges, nec vnus machinetur mortem alterius; & solum est introductum iure Ecclesiastico & non iure naturæ, vt ait D. T. hic, q. 60. art. 2. Vndé validum censetur ab omnibus, Matrimonium David cum Bethsabe, post adulterium & homicidium commissum, quia tunc non erat introductum hoc impedimentum; quod modo incurritur ob duplex crimen, nempé homicidium & adulterium, quæ quatuor efficiunt combinationes, nempé homicidium coniugis, simul cum adulterio, homicidium vtriusque consensu perpetratum, sine adulterio, adulterium sine homicidio, cum promissione futuri Matrimonij, & adulterium cum Matrimonio de præsenti, contracto cum complice; & quidem certum est, nullum ex his esse impedimentum dirimens cum alia fœmina, sed præcisé cum illa, quæ est particeps criminis, & idem de fœmina respectu viri.

Dicendum est ergo: Quód occisio coniugis, cum adulterio coniuncta, est impedimentum dirimens Matrimonium, sive vxor propria occidatur ab adultero, sive vir adulteræ; sive adultera occidat virum suum, sive adulteri vxorem; constat ex cap. significasti, vbi hoc expresé deciditur; ratio est: ne coniuges spe Matrimonij cum alia, sibi imbicem machinentur mortem; quod verum est, si vel proprijs manibus mortem inferant, sive alteri consulant vt faciat; non tamen sufficit, vt ratam habeant occisionem factam ab alio, absque sui consursu, etiam si facta fuerit causa illorum, quia ratihabitio seu præsumpta facultas, solum comparatur mandato, in rebus quæ á propria voluntate pendent, vel decernuntur á iure, vt est percussio Clerici; sed ad inducendum hoc impedimentum, non requiritur quod vterque adulter, ad occisionem concurrat, sed sufficit quod vnus eam machinetur, etiam alio nesciente, vt ambo fiant inhabiles, ad contrahendum inter se; tunc enim ambo sunt participes delicti, cum ad adulterium concurrant; & in hoc differt occisio sine adulterio, á facta cum adulterio, quod ad primam, debet concurrere vtraque pars, non verò ad secundam, vt ait Sanchez, Candidus, Dicastillus, & Salmant.

Hinc patet, stulta impugnatio Lutheri & Melanchtonis, Ecclesiam carpentium, eo quod sine iusta causa, hoc impedimentum induxerit, quin potius contra exemplum Davidis, qui Bethsabæ Vriæ, vxorem duxit, cum eius virum occidi fecerit. Sed erronea est omnino illorum increpatio; causa enim huiusmodi impedimentum inducendi, iustissima est, nihil enim atrocius in coniugibus reperiri potest, quam sibi imbicem insidias parare, vel præbere ansam auferendæ vitæ, cum ambo strictissimo amicitiæ vinculo debeant alligari. Ad id quod dicitur, de coniugio David cum Bethsabæ, præterquam, quod id in lege Moysis permitebatur, quod tamen perfectio legis Christi non tolerat, ibi nec adulterium fuit commissum, cum spe & promissione futuri coniugij, post Vriæ mortem, nec hæc fuit ab eis attentata vivente Vria, quæ tamen requirebantur, vt tale impedimentum resultaret; sed mors machinata fuit á David, vt adulterium occultaret, & filium ex eo conceptum, adscriberet Uriæ.

Sed notandum: Quód vt per tale crimen inducatur impedimentum, aliquæ conditiones requiruntur. 1. quód mors fuerit secuta de facto, & non sufficit, quod fuerit intentata vel mandata, si postea ex aliqua causa fuerit impedita, vel si mandans revocavit mandatum, ante occisionem, & hoc innotuit mandatario, licet hic motu proprio homicidium fecerit, non permotus ab adulteris, quia tunc isti, non censentur occisionis causa. 2. quód mors sequatur, non vt cumque, sed ex vi percussionis veneni aut violentiæ, per se vel per alium factæ, & sic non datur impedimentum, si ex aliqua alia causa vel excessu infirmi, aut incuria medici sequatur, nisi medicus fuerit criminis complex, & ex malitia operetur, vt mortem acceleret, vel etiam si alias infirmum, potione aliqua prætextu medicinæ occidat, quod non longe á temporibus nostris accidisse fertur. 3. quod Matrimonium præcedens cum coniuge occisso fuerit validum; alias non datur verum adulterium; vndé si post occisionem apparet, Matrimonium præcedens fuisse nullum ob aliquod impedimentum, possunt complices criminis, Matrimonio coniungi, vt dicunt Sanchez Basilius, Cornejo, & alij. Nec requiritur, quod Matrimonium fuerit consummatum, sed sufficit ratũ, & quod perseveret quo ad vinculum, licet ex aliqua causa, fuerit separatio quo ad thorum.

Quartó: quód adulterium fuerit consummatum, per emissionem seminis viri intra vas fœminæ, sic enim fiunt vna caro, nec sufficiunt aspectus, oscula & tactus obscæni. 5. quód adulterium committatur ante occisionem; si enim Petrus iudicans maritum Ioannæ cito moriturum, quia est æger valde, occidat propriam vxorem, & postea ante mortem mariti, rem habeat cum Ioanna, potest subsecuta morte viri, cum Ioanna contrahere, quia adulterium, non fuit patratum ante occisionem coniugis; sic Basilius, Coninch, & Salmantic. 6. quód

occisio fiat cum animo contrahendi cum complice delicti occisionis vel adulterij, quia hoc colligitur ex fine iuris, nempé ne vnus coniux, machinetur mortem alterius, vt postea cum adultera nubat, quod non sequitur si ex alia causa ad occisionem moveatur; sic D. T. hic, q.60. art.2. & sufficit quod hic animus extet ex parte vnius, quia hoc sufficit ad machinationem; requiritur autem, quod intentio manifestetur exterius, quia Ecclesia nequit punire actum mere internum. Vndé si aliquis occidat virum adulteræ, vt facilius ea fruatur, vel etiam propriam vxorem ob tedium, odium, vel alias causas, potest contrahere cum alia, non participe delicti, & etiam cum adultera, dummodo non præcesserit animus contrahendi, sed aliæ sint causæ occisionis; licet tunc mortaliter peccet, agendo contra statutum Ecclesiæ, vt ait D.T. ibi.

Septimó: quód vterque coniux, sit conscius Matrimonij, cui irrogatur iniuria occisionis & adulterij. Undé si fœmina rem habet cum vxorato, quem putabat solutum, & ille postea occidat suam vxorem, vt copuletur alteri, validum est Matrimonium; nam iura illud annullant, ne spes Matrimonij futuri, sit motivum, machinationis mortis coniugis; & cum mulier nesciebat virum esse coniugatum, non fuit re vera adulterium, nec illa ad occisionem præbuit concursum, nec fuit culpæ huius particeps, & sic nec pœnæ particeps esse debet; & idem est de fœmina coniugata, rem habente cum viro, quẽ cogitabat solutum, & hic suam vxorem occidit, si postea vir adulteræ moriatur, poterit cum adultero contrahere, quia licet illa commisserit adulterium respectu sui mariti, non tamen illud commisit formaliter, contra alium coniugem occisum, & vtrumque crimen, debet perpetrari respectu eiusdem; ita Sanch. Dicastillo, & Salmant.

Secundum crimen, ex quo hoc impedimentum incurritur, est adulterium; circa quod supponimus: quód qui ad imbicem pacisCuntur, de Matrimonio contrahendo, post obitum coniugis eo vivente, licet non detur adulterium, nec mortis machinatio, peccant mortaliter, tám promittens, quám acceptans; ratio est: quia talis promissio vel pactum, motivum præbet, machinandi mortem consortis; & licet talis promissio, nõ secuto adulterio, Matrimonium sequens non dirimat, censetur á iure nulla, quia præbet ansam, parandi insidias coniugi; sicut eadem ratione reprobatur in iure, promissio vacaturi Beneficij, quia datur occasio, machinandi mortem; sic habetur, cap. nulla Ecclesiastica, quod tenent Palaus, Candidus, Leander, Sanchez, Bonacina, Aversa, & Salmant. Vndé obiter nota, quantum detrimenti afferant in republica provisiones officiorum sæcularium, possessoribus viventibus, quas vocamus: *Futura successionis*, ex quibus, an detur ansa desiderandi mortem possessori, vnusquisque iudicet.

Deindé, certum est apud authores citatos & alios, non sufficere solum adulterium, ad causandum hoc impedimentum, nisi iungatur cum occisione coniugis, vel cum promissione Matrimonij futuri, vt habetur cap. significasti. *Nec obstat*: nód cap. vere. 30. q.1. generaliter dicitur, quod nemini licet ducere, fœminam quam per adulterium polluit. Dicitur enim: quód vt textus ille non contrarietur alijs, in quibus expresé petitur occisio, vel promissio Matrimonij cum adulterio, ad inducendum impedimentum, intelligendus est sic: non licet ducere, cum promissione Matrimonij, vel machinatione necis secutæ, alterius coniugis. An veró talis promissio, debeat esse vera & non ficta? Resp. quód sic: nam si solum est ficta, nec est vera promissio, nec tanta datur machinandi occasio, ac si esset promissio vera, & in rebus odiosis, iura stricté sunt interpretanda.

Duplex ergo datur casus, in quo crimen adulterij, hoc impedimentum inducit. *Primus*, quando adulterium coniungitur, cum promissione Matrimonij futuri cum adultero, post coniugis mortem, licet hæc non fuerit ab aliquo eorum machinata; ratio est: quia adulteri, se diligunt ardenter, & ita si faciunt pactum de Matrimonio contrahendo, datur maximum incentivum, ad solicitandam mortem, ideoque voluit Ecclesia, in favorem innocentis, eos inhabiles reddere, ad Matrimonium inter se contrahendum. *Secundus* casus est, quando adulterium committitur, & simul Matrimonium cum adultera contrahitur, licet tale Matrimonium intentatum, sit omnino nullum, vel quia clandestinum, vel quia præcedens Matrimonium durabat, vel ex alijs impedimentis, quia iura, solum attentationem Matrimonij punire volunt; cum sciant in eo casu esse nullum, sic Sanchez, Candidus, Bonacina, & Salmantic.

Sed ad incurrendum hoc impedimentum, requiruntur conditiones sequentes. 1. quód adulterium fuerit consummatum, & Matrimonium cum coniuge innocente validum, modo supradicto, alias non datur adulterium perfectè tale. 2. quód cum patratur adulterium, & fit promissio, vterque adulter, sit conscius Matrimonij alterius, alias non committitur adulterium formaliter. Vndé si adulterium fuit commissum, ante scientiam Matrimonij, & postea eo cognito sequatur promissio, non inducitur impedimentum, benè veró si promissio præcesit scientiam & hac habita sequitur adulterium, tunc enim inhabiles efficiuntur, quia per copulam, promissio ratificatur. 3. quód promissio ista, fiat ante mortem coniugis, vndé si Petrus copulam habuit cum Maria coniugata, vivente eius viro, & post istius mortem, promittat ei Matrimonium, hoc non dirimit illud, quia adulterium & promissio, fieri debent vivente coniuge eius, qui est complex adulterij, iuxta Sotum, qui dicit, neutrum

nem-

nempé promiſsionem, vel adulterium dirimere. ſi aliquod illorum fiat, poſt mortem coniugis, cius qui adulteravit. 4. quód contrahentes non reſilierint á promiſsione ante ſecutam copulam, quæ poſtea ſecuta eſt, abſque nova promiſsione, poſt diſſolutionem antiquæ; vndé ſi aliqui ſibi promittuunt, Matrimonium futurum, poſt mortem coniugis alicuius illorum, & ante ſecutam copulam, diſſolvunt promiſsionem, non dirimitur Matrimonium illorum, etſi poſt diſſolutam promiſsionem ſequatur copula, hic enim non datur adulterium cum promiſsione; ſi autem poſita promiſsione & copula, velint reſilire á promiſsione, non poſſunt contrahere, quia impedimentum dirimens iam fuit poſitum.

Sed quæres cum Soto: Quid ſi coniugatus, fidem Mariæ dedit ſine adulterio, & mortua poſtea vxore, Bertam ducit & non Mariam, & poſt factum Matrimonium iſtud cum Berta, adulteratur cum Maria, eſt ne tunc impedimentum, ita vt mortua Berta, nequeat contrahere cum Maria? Eandem difficultatem movet Silveſter, ad quam vterque reſpondet, in illo caſu, non eſſe impedimentum Matrimonij cum Maria, quia contrahendo cum ſecunda, videtur receſsiſſe á fide primo data Mariæ, vndé cum poſtea copulam habet cum illa, ſolum datur adulterium, quod non eſt impedimentum dirimens, & iſta opinio eſt vera; eſt ergo impedimentum impediens & dirimens, quando vivente coniuge, ſimul dantur adulterium & promiſsio, de Matrimonio inter adulteros futuro, poſt alterius coniugis mortem; & ratio movens Eccleſiam ad iſtud impedimentū ponēdum fuit, ne fide illa, ſeu promiſsione data, mortē coniugis affectantes adulteri eam procurarent.

Sed inquiras: An dicta crimina, inducant impedimentum, infidelibus committentibus illa? R. quód ſi vterque eſt infidelis, quando delictum committunt, ſi poſtea convertuntur ad fidem, poſſunt inter ſe contrahere, quia crimen, extra Eccleſiam commiſſum eſt, & hoc impedimentum, eſt iure Eccleſiaſtico inductum, & ſic tantum ligat ſubiectos Eccleſiæ; ſi verō aliquis eſt fidelis tempore patrati criminis, mortis vel adulterij, cum promiſsione Matrimonij, vterque eſt inhabilis ad contrahendum inter ſe. *Nec obſtat*, quod Eccleſia nequit infidelem punire; nam illum punit indirectē, quatenús inhabilitat fidelem, ad contrahendum cum complice delictū; eo feré modo, quo Eccleſia irritat Matrimonium fidelis cum infideli, non ob impedimentum infidelis, ſed quia fidelis illo impedimento Eccleſiaſtico afficitur, de quo ſtatim agimus.

Sexta difficultas: De impedimento diſparitatis cultus. Certum eſt, Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, eſſe illicitum iure naturali & divino, & ſic independenter ab Eccleſiæ prohibitione mortaliter peccarent ſic contrahentes, communiter & regulariter; ſic D. T. hic, q. 59. art. 1. & dicitur *regulariter*, quia non eſt ita intrinſecē malum, ſicut odium Dei & mendacium, quæ nullatenus honeſtari poſſunt, ſed quia per ſe deformitatem affert, licet poſsit dari caſus, in quo reperiatur ſine illa, & tunc illicitum non erit, vt quando non datur periculum ſubverſionis coniugis fidelis, nec pravæ educationis prolis, & ideo Iacob, vxores duxit filias Laban Gentilis, & in alijs multis ex Scriptura idem conſtat, & id confirmant exempla Sanctæ Ceciliæ, quæ nupſit Valeriano Gentili, S. Monica, Patricio, & S. Clotildis Clodoveo, qui ethnici erant.

Reſolutionem noſtram, ſuadet D. Paulus 2. ad Cor. 6. dicens: Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? & huius cauſa, aſsignatur in Deuter. cap. 7. quia ſeducet filium ſuum, ne ſequatur me, & vt magis ſerviat dijs alienis; ex quo deducitur ratio: quia in eo Matrimonio, daretur periculum ſubverſionis coniugi fidelis, vel incitationis ad peccatum, ob nimiam communicationem, quam Matrimonium affert; & etiam ſequeretur damnum prolis, quæ difficulter poſſet educari rectē & in cultu Dei, ſi aliquis coniugum, ſit inſtructus in ritibus infidelium.

Deindé eſt certum: quód Matrimonium fidelis catholici cum hæretico, illicitum eſt, propter eandem rationem; & ſic docet D. Tho. loc. cit. ad 5. Excipiuntur autem illi fideles, qui habitant in eis Provincijs, in quibus cum hæreticis ſunt commixti, & vnam Rempublicam faciunt, vt in Germania Galia & Polonia, vbi toleratur á Pontificibus, ad ſervandam Reipublicæ pacem, & amicitiam tuendam. Vndé ſi fideles, cum hæreticis habitare poſſunt ſine periculo perverſionis propriæ vel filiorum, Matrimonium licitum erit, vt dicunt Sanchez, Dicaſtillus, & Salmantic. ſed re vera, hoc eſt periculoſum, & ſcandala fidelibus gignit; & ideo ait Palaus, talia Matrimonia eſſe illicita, niſi coniux, ſolum in ſecreto ſit hæreticus, & in publico ſe gerat vt catholicus, ceſſante omnino ſcandalo & periculo, quod arbitrio prudentum relinquendum eſt.

Dicendum eſt ergo: Quód Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, non eſt irritum iure naturali & divino, ſic tenent Salmant. cum pluribus, contra alios, quos patrocinatur Sanchez. Ratio eſt 1. quia ſi id iure naturæ irritum eſſet, ſtatim ac coniux infidelis converteretur ad fidem, eſſet nullum Matrimonium cum infideli contractum, quod falſum eſt, nam vt ait D. Paul. 1. ad Cor. 7. non ſunt ſeparandi tales coniuges, licet aliquis in infidelitate perſeveret. 2. nam Matrimonium, ordinatur ad propagationem ſpeciei, & educationē prolis,

quæ exerceri possunt ex natura sua, existente diversitate fidei inter coniuges. Vndé ait D.T. loc.cit. quód impedimentum, non est disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium, & patet in exemplis adductis, de Sanctis, quæ cum gentilibus contraxerunt.

Oppones 1. textus scripturæ allatos, in quibus videntur matrimonia fidelium, cum infidelibus, iure naturæ prohiberi, 2. quód Matrimonium ex natura rei pugnat in ratione Sacramenti, cum disparitate cultus, quia incapax est illius, qui non est baptizatus, & Sacramentum, vel in vtroque, vel in nullo reperiri deb.t. 3. quia tale Matrimonium, contrariatur bono prolis, quæ poterit faciliter decipi, & ad idolatriam adduci. 4. quia Matrimonium ex natura sua, est in dissolubile, Matrimonium autem fidelis cum infideli, hoc non habet, quia potest fidelis ab infideli recedere, & aliud Matrimonium contrahere, vt suprá vidimus, art.5. diffic.8.

Resp.ad 1.quód illud præceptum divinum irritans Matrimonium, non extendebatur ad omnes infideles, sed ad illos tantum, qui habitabant in terra promissionis, cum quibus erat periculosissimum contrahere, quia ob familiaritatem magnam, Iudæi erant propensi ad eorum ceremonias. Vel dicatur: quód licet præceptum extenderetur ad omnes, pro vt irritans Matrimonia, fuit præcisse legale, quod cessavit per legem Christi, quamvis fuisset morale & naturale, quatenús talia Matrimonia prohibebat, & pro vt sic, modo durat. Ad 2. quód tale Matrimonium, est validum in ratione contractus, etsi non in ratione Sacramenti, sic enim petit in ratione Sacramenti, iure divino, contrahi inter personas eiusdem cultus, & Christus vt sæpé diximus, elevando Matrimonium ad rationem Sacramenti, non abstulit ab eo rationem contractus; Vel potest probabiliter dici: quód tale Matrimonium, est Sacramentum ex parte fidelis, qui est illius capax, non verò ex parte infidelis, qui capax non est. Ad 3. solum probare, tale Matrimonium esse prohibitum iure naturali & divino, sed tamen, quia potest fieri licet difficiliter, quod proles educetur rectè, non est irritum iure naturæ, sicut dicitur de Matrimonio fidelis, cum hæretico, ob eandem rationem. Ad 4. quód posse dissolvi ex privilegio, non est contra indissolubilitatem Matrimonij, vt patet in Matrimonio rato, & non consumato, inter fideles, quod dissolvitur per professionem religiosam vnius coniugis, & etiam inter infideles, est verum in ratione contractus, & licet consummatum sit, potest dissolvi ex privilegio per Baptismum vnius.

Ex his habetur, quod tale Matrimonium, est irritum iure Ecclesiastico, sive ex consuetudine immemoriali Ecclesiæ, á Pontificibus approbata, sive ex aliquo iure scripto, sed cum maximo fundamento in iure naturali & divino, propter instantias proximé solutas, & rationes quibus probavimus, esse iure naturali & divino illicitum. Vndé, licet fidelis contrahat cum catechumena quæ nondum recepit Baptismum est nullum Matrimonium, quia licet illa sit fidelis & forté in gratia, quia tamen Baptismum non suscepit, quod est ianua Sacramentorum, nequit recipere verum Sacramentum, & sic Ecclesiæ irritatio, extenditur ad hunc casum; sic D.T. hic, q.59. art.1. ad 5. vbi ait: Si aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum Matrimonium.

Tandem, Matrimonium catholici cum hæretica, vel hæretici cum catholica, nec iure naturali & divino, nec iure Ecclesiastico est nullum; & idem est dicendum, de apostata schismatico; sic habetur expressé, cap. de divort. & quod non sit irritum iure naturali aut divino, constat ex dictis; quod nec iure Ecclesiastico, patet: quia non datur huius consuetudo, quin potius omnes, in oppositum consentiunt; & ratio irritandi Matrimonium fidelis cum infideli cessat hic, quia inter hæreticum baptizatum & fidelem, per se reperitur verum Sacramentum, vt ait D. T. loc. cit. quem sequuntur Bonacina, Dicastillo, Cornejo, Ledesma, & alij plures quos citant Salmant. *Si dicas*: quód in 6. Synod. gener. Can.72. dicitur: Quód non licet orthodoxum, cum hæretica coniungi, neque orthodoxam cum hæretico, & contrarium vocat irritas nuptias, & nefarium coniugium. Resp. quód Canon ille, est ex eis qui vocantur Trullani, qui post dissolutam Synodum, sunt ab aliquibus Episcopis statuti, & sic nulla pollent authoritate. Vel dicatur: quód licet prioribus sæculis, talia Matrimonia essent irrita, nunc verò id est per contrariam consuetudinem & vsum abrogatum, ratione cuius, lex irritativa dissolvitur; hæc de primis impedimentis, cætera pro distinctione, ad alium titulum reservamus, nunc de singulis dictis, singulos casus apponimus.

ARTICVLVS X.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de impedimento erroris. Rustica mulier, filiam habuit, & nobilis cuiusdam fœminæ, filiolam alteram, quam eadem die pepererat, simul cum sua collactandam accepit; contigit autem, vt é brachijs nutricis elapsa, redderetur facie deformis, indignationemque Dominæ valdé pertimescens, filiolam suam rusticellam loco illius substituit, & post ablactationem, Dominæ illi quasi propriam tradidit, nobili deformata, loco suæ retenta; illaque á Domina educata vt filia, & vt talis copiosé dotata, nobili viro nupsit, á quo prolem suscepit, cum quo nobiliter vixit. Rustica illa, iam senio confecta, de sua salute anxia consilium

lium quærit. Quid in hoc casu faciendum, & de valore Matrimonij iudicandum? An vir fœminæ illius, habeat ius dimittendi eam, allegando impedimentum erroris in nobilitate?

Resp. quód in eo casu, talis error, non præstitit impedimentum per se Matrimonio, quia præcisé ex natura sua, est error in qualitate, qui per se non officit valori Matrimonij, vt diximus suprá; sed per accidens, potuit error ille contractum vitiare, si aliquomodo redundavit in substantiá personæ, iuxta superius dicta, quod ita esset, si vir ille feciſſet cõtractum, ambiendo affinitatem, cum parentibus puellæ nobilis. Sed tamen, quia ille, etiam postquam suam deceptionem cognovit, fœminam servavit, est credibile satis, errorem qualitatis in substantiam personæ non redundasse, sed formam & indolem eius, ei placuisse maximé, ita vt licet non esset eam ducturus, cognito esse plebeiam & pauperem, & non nobilem & divitem, re ipsa consentit modo in eam, quia illis bonis dotibus affectam videt.

Nunc ad circumstantias speciales illius casus, dicimus; mulierem illam rusticam, adhuc in articulo mortis, non esse obligatam detegere suam fraudem, quia nulla lex obligat, ad actus invtiles, præcipué cum ex illis, imminent magna damna & pericula, quales imminebant patenter in casu dicto, inter filias, & parentes earum veros vel putatitios; quod per se loquendo, erat sine vtilitate futurum, quia illa depositio rusticæ, etsi in extremo agone facta, non merebatur plenam fidem, eo quod in rebus magni momenti, præiudicantibus alteri, vnus testis non sufficit, ad plenam probationem; sicut nec credi debet testimonium mulieris, quæ in mortis hora, vnum ex tribus filijs, vt adulterinum declarat, nam ille, qui est vt filius legitimus vocatus & educatus, ius præsumit, quod est vt talis habendus, & idem in casu præsenti dicimus.

Vndé infertur: peccare rusticam illam, si vocatis testibus, suum sensum expressit, quia illi, factum evulgando, absque necessitate nec vtilitate, per se dederunt occasionem ingentium dissidiorum, & offerendi rusticam omnibus diris, eo quod sortem puellarum per summum flagitium commutaverit. Sed an rustica peccaret mortaliter, si timeret mortem á parente filiæ nobilis defœdatæ, & ideo substitutionem feciſſet? Resp. quód sic: quia hæc fuisset facta, puella nobili rationabilissimé invita, quæ nullo modo tenebatur eam servilem conditionem sufferre, vt nutricem suam possit á discrimine mortis eripere, licet illa esset iniuste inferenda; sed circa obligationem succurrendi proximo in mortis periculo constituto, vid. D. T. 2. 2. q. 26. art. 4. & 5. & M. Bañez, super illum locum.

Hinc fit, parentes nec puellam, non fuisse obligatos, ad dandam fidem dictis rusticæ mulieris, propter rationem proximé dictam, debilis illius testimonij. *Si dicas*: quód nemo debet præsumi malus, nec suæ æternæ salutis oblitus, qualis esset illa rustica mulier, si in articulo mortis commisisset mendacium tám pernicioſum. Resp. quód magis credi debent plures præsumptiones & maiores, quam pauciores & minores; est autem maior præsumptio, quod fœmina illa mentiatur, ad consequendam filiæ suæ, nobilem & pinguem hæreditatem, etiam in eo articulo, quam quod per plures annos, in continuo mendacio mortali vixerit, & cum eo, Sacramenta sacrilege receperit; & similiter magis ponderat, quód puella sit per tot annos, vt nobilis educata & nupta, vt plus credatur quod sit nobilis, quam rustica; præterquam, quod fœmina semper producit, varium & mutabile testimonium, & matrum conditio ea est, vt aliquos filios maximé diligant, alios verò maximé odio habeant; sic tenent Lesius, de iust. & iur. lib. 2. cap. 10. num. 51.

Ex his habetur: Quód si maritus in eo casu, agnoscat vxorem suam fuisse veré suppositã; & error qualitatis, fuerit in substantiam refussus, Matrimoniumque declaretur nullum, si ambo vt coniuges convivere volunt, Matrimonium potest revalidari, iuxta superius dicta, Art. 4. cas. 2. & hoc sine præsentia Parrochi & testium. Obtervando autem ea quæ in similibus casibus fieri consueverunt, dicitur: quód consultum erat, vt mulieris illæ rusticæ depositio, partibus manifestaretur. Tùm propter dicta. Tùm, quia ex hoc sequi solent mala, multo peiora prioribus, quod si pater puellæ nobilis, esset vir magna prudentia præditus, & conscientia timoratus, poterat ei res sub silentio summo manifestari, quia sperari posset, illum veram sui filiam susceptum, si non omino nobiliter alendam, saltim ad eius conditionem, & sortem aliqualiter meliorandam.

Quo ad dotem á viro repetendam, dicitur in lege cum hic status, §. 27. verſ. si quis sponsam, ff. de donat. inter virum & vxorem, quod donatio facta vxori putatitiæ, non valet, sed comperto errore, potest reperi á marito, & assignatur huius restitutionis ratio: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit; pater autem puellæ in dicto casu, non contulit dotem fœminæ, quasi extraneæ, sed quasi filiæ, & quotiescumq; in rebus est eadem ratio, etiam est eadem, iuris dispositio; hoc potest esse de iure, at de facto, tale p o praxi non consulerem, quia ex hoc poterant sequi, gravia illa mala superius adducta, quod tamen ex bona vel mala qualitate viri pendet; si enim vxoris indolem maximé diligit, non dubitabit dotem abdicare iam receptum; sed hoc videtur nimis asperum & durum, & si forté tale contingerit, diligenti est maturitate discutiendum: de cætero pro substantia casus, vid. D. T. hic, q. 51. art. 2. ad 5.

Casus secundus, de impedimento conditionis

servi-

servitutis. Quidam servus, de facultate Domini sui Matrimonium contraxit, proindeque obligationem duplicem, & Domino & vxori; taliter autem erat servi obsequijs addictus, vel potius complicatus, vt nullum vel minimum illi residuum esset, pro assistentia vxoris tempus; accidit autem non semel, vt duplex ea obligatio simul instaret, & Domino famulandi, & vxori obsequium, & debitum reddendi. Quæritur: cuinam ex duobus his debebat potius attendere? Casum tetigit D.T. hic, q. 52. art 2. ad 3. & ille procedit, quando nequeunt stare simul, obsequium Domini & vxoris, vt si eodem tempore vxor debitum petat, & Dominus aliquid præcipiat, quod ad debitum reddendum, præstet impedimentum.

Aliqui absolutè, Dominum esse præferendum affirmant. Tùm ex cap. 1. de coniug. servor. vbi dicitur: Servum teneri ad consueta obsequia Domino præstanda, ac si coniugatus non esset. Tùm ex ea regula; qui prior est tempore, potior est iure. Et obligatio servi ad Dominum, prior est, quam obligatio ad vxorem. Alij asserunt, quod vt feratur iudicium, an Domino vel vxori sit favendum, debent attendi speciales circumstantiæ occurrentes, scilicet periculum incontinentiæ vxoris, damnum ex dilatione debiti imminens, detrimentum Domino redundans, ex mora præstandi obsequij. si prius servus, coniugi suæ debitum reddat, & illius ius anteponendum esse, qui maiori necessitate vrgetur, & cui mora, gravius inducit damnum, quæ doctrina in substantia, affertur à D. T. loc. cit. & in 4. dist 36. q. vnica, art. 2. ad 3. Sed quamvis authores cum D.T. distinguant, inter Matrimonium servi, contractum Domino volente, & illo contradicente atque ignorante; sed re vera adhoc discernendum, circumstantiæ debent attendi, & omnibus rite pensatis, iudicari poterit, cui magis servus obedire teneatur, Domino vel vxori, vt D. Thom. ibidem ait.

Si opponas textus á contrarijs adductos, qui fundantur in eo, quod ius Domini in servum, prior est tempore, quam ius vxoris in servum, acquisitum per Matrimonium. Resp. quód antiquius est ius vxoris, & sic cæteris paribus, præferendum est; *Etsi quæras*: Quomodo hoc sit verum, cum prius homo ille fuerit servus, quam vxoratus? Resp. quód dupliciter potest considerari vxoris ius, primo quo ad possessionem actu apprehensam in corpus coniugis, ratione Matrimonij, & sic ius Domini anterius est, quia coniux iam erat servituti addictus, antequam Matrimonium contraheret, & alteri sui corporis potestatem conferret; secundo, quo ad primam originem, ex qua principium traxit, & vires assumpsit, & hoc modo ius coniugis in servum prius est, quia oritur ex naturali iure, ad tradendum libere corpus alteri, quod servitutem præcedit.

Explicatur hoc: si á tempore antiquo hæreditas esset traddita Petro & eius successoribus, cum hoc onere, vt posit ex voluntate Petri & successorum eius, aliquando servitus imponi in favorem tertij, & tempore lapso, quidam Petri successor imponeret seruiturem in Ioannis favorem, Ioannes ille, ius posterius haberet iure Petri & eius successorum, si attendatur apprehensio actualis possessionis iuris, sed haberet ius prius, attento illius origine ex qua vim & robur accepit; nam nititur pacto antiquitus facto, sub quo traddita est hæreditas Petro, quæ cum suo onere, transit in perpetuum ad successores, & sic Ioannes, invito Domino, potest ea servitute vti, quia ius eius in origine, antiquius est; similiter igitur, in nostro casu est dicendum, quod licet actualis possessio corporis coniugis per Matrimonium, sit in re posterior iure Domini, sed est prior quo ad originem & fundamentum, quod est ius naturæ, ad transferendum dominium corporis proprij in alterum, & sic ius Domini cæteris paribus, postponendum est, quin impediat Matrimonij vsum.

Dices: Quód non impedit vsum absolutè, benè verò vsum liberum. Resp. quód cum ex Matrimonio consequatur ius ad illum vsum, & sine isto, Matrimonium sit inane, hoc ipso quod liberum est Matrimonium, etiam vsus est liber; nam vt ait D.T. ibi, quando Dominus servo concessit, vt Matrimonium contraheret, intelligitur ei concessisse, omnia quæ Matrimonium requirit. Vndé habetur, quod speciales circumstantiæ debent attendi, vt cognoscatur cuiusnam ius sit potius, Domini aut coniugis, & illi prius est satisfaciendum cuius necessitas vrgentior est; sed cæteris paribus, nullius necessitate ponderante, potiores sunt coniugis partes, vt sibi postulanti reddatur debitum, quia ius eius, in origine & radice sua, est potius & vetustius, vt vidimus.

Benè verum est, quod hoc est prudenti moderatione, & morali modo temperandum, nam ius coniugis, sive volente Domino, sive renuente, Matrimonium sit contractum, non aufert ius servitutis, vt debita obsequia Domino præstentur, & sic non erit in manu coniugis, ea frequenter impedire, crebra debiti petitione; sicut enim liberum est viro vxore deserta, aliquandiu abesse pro negotiorum expeditione, quin per hoc ius vxoris lædatur, sic etiam Domino licebit, coniugem sibi subiectum in necessarijs occupare, & cum iter agit secum deferre, vt ei ministret, & alibi mittere, causa alicuius negotij expediendi. Tùm, quia id potest facere servus ex voluntate sua, & consequenter etiam ex voluntate Domini. Tùm, quia lex Matrimonij, solum obligat ad redditionem debiti, rationi consonam, quæ iustis & necessa ijs occupationibus non impeditur.

Infertur ex his: quód Dominus impediens Matri-

trimonium servi, vel eum puniens quia contraxit, vel post Matrimonium illud vendit in longinquum, quo vxor illum commodé sequi non possit, mortaliter peccat contra iustitiam, privando coniugem facultate vtendi Matrimonio; sic tenent Sanchez, & Salmant. & ratio est aperta: quia hoc ipso quod servi invitis Dominis, habent ius Matrimonium ineundi, habent etiam ius eo vtendi, alias ius illud esset vanum & inane: ergo sicut Dominus est iniustitiæ reus, si Matrimonium servorum impediat, ita etiam si impedit eius vsum, præcipué cum vt vidimus, ius coniugum in sui radice, sit antiquius, & vetustius iure Domini. Aliqui dicunt, quod si Dominus compelleretur necessitate vrgenti, nec in eodem loco pretium iustum posset invenire, ea distractio servi posset á labe iniustitiæ liberari; sed re vera lex charitatis, & periculum incontinentiæ in coniugibus, maioris ponderis est, quacumque necessitate corporali Domini, aut diminutione pretij, & sic rationi consonum est, vt illa præferatur.

Casus tertius, de impedimento voti. Fœmina quædam, per plures annos in Monasterio vixit, quin solemnem professionem facere vellet; religiosæ autem, nullum munus ei committere volebant, nisi professionem faceret. Accedit tandem illius domus Prælatus & interrogat, an sit parata ob Dei amorem tria emmitere vota, sicut aliæ sorores faciunt? Et illa respondat quod sic, intendens hoc facere suo tempore, & non illo actu; secuta est professio, cum omni ceremonia solemnitatis & lætitiæ, & deindé tempore decurrente, ipsa ex Monasterio profuga, Matrimonium contrahit cum milite. Quæritur: an per actionem illam præcedentem, impedimentum dirimens contraxerit? Hunc casum proponit Lesius in consil. Moralib. verb. Matrimonium casu 5. & ita respondet: Si vera sunt, quæ in facti specie proponuntur, certum videtur, fœminam illam, non contraxisse illa actione impedimentum dirimens Matrimonij coram Deo, quia re vera professionem non fecit, sed simulavit; in foro tamen externo, non parva difficultas ob hæc moveri posset, quia actus isti exerciti, videntur sufficere ad tacitam professionem, sed in foro interno, locum non habet præsumptio, sed nuda veritatis confessio; ex quo concludit, Matrimonium illud postea contractum, coram Deo validum esse, etsi est consummatum, non solum fœminam non teneri, sed nec posse ad Monasterium invito marito redire.

Occasione huius, venit alter casus examinandus, qui talis est: Fœmina sub viri habitu, Monasterium virorum fuit ingressa, animo profitendi quod & fecit, sed cognita veritate, fuit ejecta, & Matrimonium contraxit sine vlla dispensatione, in alia Provintia, ex quo filios genuit; postea de licentia viri Religionem ingressa est, in qua professa est fictè; interim vir eius, intelligens se esse obligatum, vel ad sacros Ordines, vel ad Religionis professionem, hanc emisit in Religione approbata; postmodum mulier, suæ professionis nullitatem probans, ad sæculum redijt. Quæritur: ad quid teneatur? An possit virum suum á Religione revocare, & ille tuta conscientia possit exire?

Si pro casu isto deberet sententia proferri, mutabilis fœmina deberet ad Religionem adstringi, & vir innocens, ab eius obligatione liberari; quod suaderi potest, ex sententia probabili satis, asserente, fœminam quæ se virum fingit, & profitetur in Monasterio virorum, intendens se ad Religionem obligare, manere veré professam; sic sentiunt D. Antonius, Sylvester, Angelus, Tabiena, Armilla, & Comitolus, lib. 2. resp. moral. q. 8. dicens, se ita in facti contingentia, in Italia fuisse consultum; & idem tenent Portel, verb. professio nulla, num. 32. vbi ait: Talem fœminam, eu ifiisse vota essentialia, in quibus essentia Religionis consistit, ad quod se habet per accidens distinctio sexus; & addit, quod fœmina id scienter faciens, propter excomunicationem qua innodatur, ob ingressum in Monasterio virorum, debere á Prælato in Monialium Conventu sub clausura reponi.

Ex his apparet Matrimonij nullitas, & consequenter, nullitas professionis viri, quæ per errorem facta fuit. Prob. hoc secundum: quia vir ille, non præstitit sufficientem consensum ad professionem, vxore non profitente veré, vt fecit in secunda professione; vir enim iudicando se esse obligatum, professus est; & sic præstitit consensum, dependenter ab erronea præsumptione, sibi falsò imposita; sed nec fœmina veré vxor erat, quia antea fuit veré professa, iuxta dictam sententiam, nec vera fuit secunda professio, quia fictè emissa, & quia per primam professionem impedita: ergo nulla est obligatio in viro. Pat. conseq. nam quando principale corruit, etiam accessorium deficit, sed existimatio obligationis in viro, & professio in fœmina tanquam principalia, distributivé deficiunt: ergo vir omnino ab obligatione liberatur. Explicatur: in eo casu professionis viri, datur dolus præbens causam contractui, nempé existimatio obligationis, dependenter á professione vxoris: ergo contractus est nullus, vt expressé statuunt iura de contractibus.

Propter has rationes, videtur quod vir ille, nec obligatione simplicis voti debet adstringi. Ratio est: nam quoties votum ab aliquo pendet, hoc deficiente deficit, sicut si quis invalidé promovetur ad sacros Ordines, ab eo qui se finxit Episcopum, voto castitatis non ligatur, & sic idem dicendum in nostro casu, deficiente enim professionis secundæ valore in fœmina, etiam deficit obligatio voti in viro illi accessoria, & ab ea dependens. Hæc gratia doctrinæ sint dicta; quod si non placuerint, aliter dici potest: quód supposito Matrimonij valore,

nequit fœmina vi um suum ad sæculum revocare, sed ille si vult potest exire, aut de nullitate professionis, intra quinquenium reclamare.

Ratio huius est: quia appositis omnibus á iure requisitis, illa censetur iuri suo cedere, & quamvis cessio hæc intelligatur, secuta professione, quæ hic secuta non fuit, tamen quia hoc, dolo suo factum est, ideo omni iure revocandi virum privatur; si autem vir exire nolit, tenetur fœmina si iuvenis sit, & de incontinentia suspecta, Religionem ingredi, & in ea, veré quantum est in se profiteri, vt dicunt Gofredus, Hostiensis, & Henricus apud Sanchez, lib. 7. disp. 33. num. 26. licet alij cum Navarro asserant, recludendam esse in Monasterio, vt liberetur ab incontinentiæ periculo, & recluso duratura est vsque ad senium, quando incontinentia timeri non possit; si autem votum emisit, cogenda est profiteri, & etiam eo ablato, ait Sanchez cogendam esse, si est conscia iuris, hoc disponentis, quod si inscia fuerit, recluditur in Monasterio modo dicto, quando est iuvenis, id est non quinquagenaria, & timetur incontinentia.

Casus quartus, de impedimento cognationis naturalis. Petrus concubinam habuit, quæ duobus mensibus antequam cum alio Matrimonium contraheret concepit, & de hoc coram testibus se iactavit, & ingresso per octo dies, mense octavo á tempore contracti Matrimonij, peperit filium; postea viri sui tiranidem fugiens, publicé in platea Petrum vocavit ab eo petens, vt ipsam & filium suum, á mariti sevitia defenderet, qua occasione transacta, Petrus occidit maritum, & in domum suam detulit filium, qui publica fama vt suus putabatur; mortuus est Petrus, & ille filius vt suus reputatus, vult Matrimonium contrahere cum Petri consanguinea in secundo gradu, cui apponitur impedimentum; res defertur ad iudicem, summit á matre testimonium, negat illa, & allegat Baptismi librum, in quo filius vt legitimus suus scriptus erat. Quæritur: quid circa hoc sentiendum?

Resp. quód talis filius, potest á iudice per sententiam, vt legitimus declarari, adepta tamen prius dispensatione impedimenti consanguinitatis, pro conscientiæ foro; sic sentit Ludov. á Concep. & testatur se ita in facti contingentia consuluisse, de quo rationes subiungit, & prius supponit, aliquem dici natum in septimo vel octavo, &c. mensibus, qui vel vltima die, vel prima, vel intermedijs, in lucem editur; sic tenent Narbona de ætate, anno primo, q. 6. num. 29. Vndé sufficit primus dies mensis inceptus, vt infans dicatur septimestris vel octimestris; & sic qui primo die mensis in lucem editur, in tali mense natus dicitur, & qui primo die undecimi mensis á tempore contracti Matrimonij oritur, illegitimus dicitur, quod constat ex l. 3. §. post decem, de suis & legitim. hæred.

Ratio ergo responsionis, ex his firmatur: talis filius octimestris fuit, vt ex narrativa, & hac suppositione constat, si fit computatio á die contracti Matrimonij: ergo nequit esse naturalis nec legitimus. Patet conseq. Túm ex plurimis authoribus, quos ipse citat, ex Theologis, iurisperitis & medicis. Túm, quia est sententia valdé probabilis, Oddoni, Christophori de Paz, & Marij Ginebæ, quod pueri octimestres, post octavum á partu diem, non sunt vitales: ergo si puer ille tandiu vixit, octimestris esse non potuit, & alias nec septimestris fuit, nec minus esse potuit, vt omnes testantur & sic concipi non potuit Matrimonio contracto, nec iudicandus est genitus á marito, sed á Petro, nec debet iudex saltim probabiliter, eum vt legitimum declarare, ante obtentam dispensationem.

Vndé iudex per se loquendo, debet illum filium, vt illegitimum iudicare, quod prob. nam ex vtraque parte stat sententia, pro legitimitate vel contra; sed ex alia parte, est plus quam contingens peccatum, necessario in Matrimonio intentato vitandũ ratione impedimenti consanguinitatis: ergo iudex tenetur illegitimum declarare, vel pronuntiare legitimum. Conseq. pat. quia in nullo Tribunali Ecclesiastico, vnquam est visum, relinquere in opinione valorem Matrimonij per sententiam, qualiter relinqueretur data sententia legitimitatis, in circumstantijs prædictis, & sic tenetur iudex quantum est in se de certitudine curare & ambiguitatẽ auferre, ante sententiã obtinendo dispensationem, hoc est vt procedat licitè, non vt aliter factum irritetur Matrimonium, si post datam sententiam, dispensatio obtineatur, sed consecuta ante Matrimonium, est validum in foro externo, ratione sententiæ, & in fero interno, ratione dispensationis.

Extat alia resolutionis ratio, supponendo quod fama impedimenti, plene illud probat, ad effectum impediendi Matrimonium, impedimentum autem plene probatur, per vnicum testem, vt habetur cap. super eo 2. de testib. ratio est: quia hic agitur de peccato vitando, ne impedimento ligati, contrahendo peccent; & licet vnicus testis, de auditu non probet, hoc autem in impedimento consanguinitatis non currit, sed ad hoc sufficit vnus testis cum iuramento; hoc enim in isto impedimento speciale est, nam consanguinitas, sub sensu corporeo non cadit, & ideo efficacem testimonij rationem non exigit; imó speciale est, dum allegatur fornicario cum consanguinea vxoris, vt impedimentum Matrimonij, quod probetur vnico teste, quia agitur de peccato vitando; ex his deducitur ratio: nam in casu dicto, concurrunt omnia testimonia, prædictum impedimentum comprobantia, cum nullum pro parte contraria allegetur, nisi Baptismalis liber, & hic, tot fideles testes, & publicam famam superare non potest.

Si opponas: Ablata dispensatione, convincitur impedimentum in externo foro; sed dispensatio nihil

hil aufert de notitia externa: ergo res eodem modo se habent obtenta dispensatione, ac ante illam. Hoc, difficultatem habet non modicam; sed resp. dist. min. nihil aufert de notitia externa, immediatè & directè, conc. indirectè & mediatè neg. Explicatur: iudex dum potest sine peccato, valet & debet in favorem Matrimonij iudicare; vndè licet liber Baptismi, famam publicam superare non possit, sed simul cum negatione matris, non leve præbet fundamentum, vt posita dispensatione, peccati periculum auferente, possit favorabilis sententia de legitimitate pronuntiari, declarando quod illegitimitatis fama, reducitur ad dictum matris, & asportationem filij in domum Petri, quæ duo purgari possunt, ex vexatione matris, & fœminea inconstantia, ne adulteri ammiteret protectionem, ad quod etiam conducit, filium posse esse septimestrē, conceptum á matre, post primum mensem Matrimonij, licet eius testimonium, contrarium sit. Vndé concluditur, quod ablata dispensatione pro conscientiæ foro, nequit iudex sententiam de legitimitate ferre, benè verò dispensatione consecuta, per quod ad instantiam patet solutio.

Casus quintus, de cognatione spirituali. Vnus ex tribus patrinis, in Baptismo cuiusdam pueri assistentibus, pro baptizato non respondit, sed animo placendi parentibus, infantem tetigit; post longum tempus, amore captus matris infantis, eam carnaliter cognovit, adeoque inter eos carnalis amor invaluit, vt mulier viro suo relicto cum adultero in remotas partes abierit, ex quo ante & post viri sui mortem filios habuit; post hæc, etiam adulter, ad extremam horam accessit, invitumque Parrochum præsentem tenuit, & omnibus testibus ob angustiam, cum ea contraxit, vt filios non adulteros legitimos red leret. Quæritur: an prædictum Matrimonium fuerit validum? Resp. quód Matrimonium illud, non fuit invalidum, ratione alicuius cognationis spiritualis. Ratio est: quia vbi deficit patrini responsio pro baptizato, non contrahitur impedimentum cognationis spiritualis, vt tenet expressé Ludov. á Conceptione, cum pluris quos citat. Tùm, quia ideo mutus non est huius cognationis capax, quia respondere non potest. Tùm, quia patrini responsio, est fideiussio pro baptizato, quæ non datur sine responsione verbali, vt habetur, l. 1. ff. de verb. oblig.

Deindé prob. qui sine intentione contrahendi spiritualem cognationem, puerum verè tenet, vel á sacro fonte levat, hoc impedimentum non incurrit, vt dicunt plures, quos refert Sanchez, Disp. 58. sed in casu dicto, videtur intentionem defecisse, nã solo animo placendi parentibus, ille tetigit infantem: ergo spiritualem cognationem non contrahit. Prob. mai. Tùm, quia ille qui sine animo exercendi Subdiaconatum, manipulum portans, Epistolam cantat cum non sit Subdiaconus, non fit irregularis, vt asserunt cum Sá plures authores. Tùm, nam qui sine intentione lucrandi, vel non efficiēdi opera servilia propter lucrum, illa facit in die festivo, illū nō frangit: ergo idem in casu nostro dicendum est.

Explicatur: potiori iure, aut saltim æquali, connectitur effectus voti cum voto & vovente, ac connectatur effectus tentionis pueri, cum tentione; sed volens vovere, absque intentione se obligandi, non manet obligatus: ergo volens puerum tenere, absque intentione contrahendi cognationem spiritualem, illam non contrahit. Prob. conseq. ideo qui sine intentione se obligandi per votū, non adstringitur per illud, quia intentio secunda non se obligandi, destruit primam intentionem vovendi; sed etiam intentio non contrahendi cognationem, est moderativa primæ intentionis tenendi, quia tentio sine intentione contrahendi, est moderativa intentionis faciendi officium patrini, de cuius ratione est, effici cognatum baptizati, ideoque impeditum, ad contrahendum cum eius matre: ergo talis intentio, impedimentum cognationis spiritualis excussit.

Prob. etiam dicta responsio: nam vel omnes illi patrini á Patre designati, & á Parrocho admissi, simul tenuerunt & levaverunt infantem, vel sigillatim? Si primùm; nullus eorum contraxit cognationis impedimentum, vt probabiliter ait Suarez, quia nullus exercuit munus illud, modo statuto ab Ecclesia, quæ solum duos patrinos permittit; si secundùm; si ille de quo casus loquitur fuit vltimus, non contrahit cognationem, quia iam ministerium exhibitum fuit; si fuit secundus ex designatis & admissis, contrahit ex hoc capite, sed obstant rationes positæ, si non fuit á patre designatus, nec á Parrocho admissus, nullo modo contrahit, vt ait Sanchez cum pluribus: ergo ex hac parte Matrimonium illud non fuit invalidum.

Nec etiam ex defectu testium, nam Decretum Tridentini, de assistentia testium, intelligitur vbi adest copia illorum, vt ait Veracruz, loquens de articulo mortis, & illum sequuntur Vega, & Sanchez. Deindé: quia plures sunt casus in quibus Matrimonium clandestinum, valet sine Parrocho, & testibus, quos supra, art. 3 diffic. 5. retulimus, & vnus eorum probabilis apud plures, ex quibus est Soto, in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. est: quando in articulo mortis quis cōtrahit cū concubina ad legitimā dos filios in concubinatu habitos, tunc enim fieri potest coram testibus sine Parrocho, & sic etiam coram Parrocho sine testibus, quando difficiliter vocari possunt, vt in casu dicto; & si contrarium pro articulo mortis, suprà vt probabilius tenuerimus, art. 4. cas. 3. sed modo id asserimus, quatenús conducit, ad evacuandum impedimentum cognationis spiritualis.

Est etiam circa hanc eandem cognationem spiritualem, alter casus occurrens. Obstetrix in casu ne-

necessitatis baptizavit puellam,sed quia de Baptismo fuit dubitatum,iterum sub conditione patrino designato baptizata fuit & iste bona vel mala fide, cum matre puellæ baptizatæ contraxit. Quæritur: an validé, vel an egeat dispensatione? Resp. quód videtur Matrimonium fuisse validum,licet manente dubio mere negativo, Ecclesia impedimentum cognationis spiritualis præsumat; sic tenent Sanchez, lib.7. Disp.62. q.1. num.5. vbi ait: Absque dubio tenendum est, ex solemni illa Baptismi iteratione, nullam prorsus cognationem oriri,sive in rebaptizante,sive in patrinis,quod conclusum esse in Concil. Rotæ,testatur Mandosius; & rationem dat: quia iura decernunt,ex Baptismo oriri cognationem, eo quod sit regeneratio quædam spiritualis, ille autem posterior Baptismus, nec est veré Baptismus, nec vera spiritualis regeneratio; vndé tenet regula iuris: non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum; & sic in casu dicto, standum est pro libertate patrini, quia nihil est contra illam pro impedimenti possessione; de quo allegat plura subtilia Ludov.á Concep.cas.31.

Nec obstat: Quód est certum,dari impedimentum in obstetrice vel patrino, licet dubium sit,in quonam eorum: ergo vterque debet solvere illud debitum certum, & manere per cognationem impeditus. Resp. quód quando res est omnino dubia in particulari,stat possessio pro libertate,quod comprobatur in simili, nam si quis coeat cum fœmina,habita copula intra vas,& est dubium an seminaverit extra vas, vel intra, iudicanda est affinitas, quia in eo casu, stat præsumptio pro seminatione intra vas,ex communiter accidentibus orta; si autem copula fuerit extra vas, & dubitetur de seminatione intra,tunc stat possessio pro libertate,contra impedimentum quæ doctrina est Sanchez,lib. 7. disp.64. num.9. ergo similiter in casu de Baptismo conditionato est dicendum, cum nihil sit, quod certo possideat cognationis spiritualis impedimentum, contra priorem Baptismum etiam dubium.

Casus sextus de cognatione legali. Nobilis quidam vir,successione orbatus,adoptavit iuvenem legitimé in filium, ipseque postea nupsit, sed breviter obijt vxore relicta, quam adoptans optat sibi Matrimonio coniungi,ficut & fecit:dubitat modo, de eius Matrimonij valore. Difficultas huius casus, potius quam ad nos,pertinet ad iurisperitos, sed quia Ang.D.qui omnia scivit, etiam omnia in præclaris operibus suis tetigit, & de hoc puncto agit hic, q.57. ex ipso sequentia pro casu apponimus,notando:quód cũ tanta sit hominum propẽsio ad suam successionem in posterum propagandam, fuit iure introductum,vt naturalibus liberis orbati, possint suæ successioni consulere, & personas extraneas in liberos adoptare;ars enim imitatur naturam, & eius defectum supplet,& sic adoptio,est quedam legalis, seu artificialis generatio.

Hæc autem adoptio,duplex est,vt ait D.Thom. ibi ad 1. vna perfecta, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & ei succedit, quæ dicitur *arrogatio* alias, imperfecta, per quam in talem potestatem non transit,& dicitur simplex adoptio, quæ in pluribus differũt, 1.in eoquód per simplicẽ adoptionem, adoptatus non transit in potestatem adoptantis, nec est eius hæres ex testamento,benè veró ab intestato,per arrogationem autem, in potestatem transit,instar filij naturalis, & est necessarius hæres ab intestato, & ex testamento, in quarta parte bonorum. 2. quia adoptari potest, qui non est sui iuris, non veró arrogari. 3. quia adoptio fit cuiuslibet iudicis competentis authoritate,arrogatio veró, sola authoritate Principis. 4. quia adoptio,non requirit verbum expressum, benè veró arrogatio, Principe vtrisque interrogante, an velint se imbicem habere, tanquam pater & filius, vndé infans adoptari potest, non veró arrogari.

Vt autem aliquis alium adoptet, sequentia requiruntur. 1. vt adoptans sit sui iuris, & maior 25. alias enim, bona sua nequit administrare. 2. vt sit vir, fœmina enim adoptare non potest,nisi ex privilegio, vt ait D.T. art.3. ad 3. & sic contingit in Regno Castellæ. 3. vt possit naturaliter generare per se, licet per accidens non possit, & sic frigidi nequeunt adoptare, quia sunt naturaliter impotentes, benè veró castrati gladio, quia adoptio est instituta,ad supplendum defectum liberorum,& ideo illis solis conceditur, qui naturaliter generare possunt. 4. vt adoptans,excedat in ætate adoptatum, ita vt possit esse eius pater naturalis, imó 16. annis excedere debet;arrogare veró nequit,qui 40.annos non habet; & potest adoptari masculus vel fœmina, dum sit præsens, absens enim, nec adoptare, nec adoptari potest, etiam per procuratorem.

Est autem dubium:an hæc cognatio legalis,quæ præstat impedimentum Matrimonio, oriatur solum ex adoptione perfecta seu arrogatione, de qua non est difficultas,an etiam ex imperfecta,seu simplici adoptione? Verior sententia est:quód tale impedimentum, solum per arrogationem, seu adoptionem perfectam inducitur; sic videtur insinuari á D.T. loc. cit. vbi ait: Quód adoptio imperfecta, magis est dispositio ad perfectam adoptionem,quã perfecta adoptio;& cum dispositio ad formam,non participet formæ naturam, videtur afferere, quod illa non est simpliciter adoptio, impedimentum inducens; sicut copula inchoata & imperfecta,non inducit impedimentum affinitatis;& expressius id habet ibi Ang.D. art.2. dicens: Quia filius adoptivus, conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis; ideo legibus humanis prohibitum est, inter tales Matrimonium contrahi: ergo sentit,quod sola illa adoptio impedimentum inducit, per quam adoptatus transit in potestatem & familiam

liam

liam adoptantis, quod solum adoptioni perfectæ convenit.

Ratio etiam id suadet. 1. quia iura solum dicunt, contrahi cognationem legalem, per adoptionem quæ talis sit absolutè & simpliciter; hoc autem adoptioni imperfectæ non convenit, nam vt ait D. Thom. solum est dispositio ad veram adoptionem. 2. quia hæc cognatio legalis, introducitur ad similitudinem naturalis, hæc autem necessario petit, vt filius naturalis, sub patris potestate constituatur, & sic etiam cognatio legalis exigit hoc, vt impedimentum inducat. 3. quia tale impedimentum introductum est ad vitandum periculum incontinentiæ, quod imminet inter sic cognatos, ex magna familiaritate; hoc autem solum imminet, quando adoptatus transit in potestatem, & familiam adoptantis, quod fit per adoptionem perfectam, sic tenent Sanchez, Ledesma, Perez, Cornejo, Diana, & Salmantic.

Ex his patet, quid respondendum ad casum propositum. Dicitur enim, quod si adoptio illa fuit simplex & imperfecta, impedimentum non induxit, & Matrimonium adoptantis cum vxore adoptari validum fuit; si autem fuit perfecta adoptio, induxit impedimentum, & reddit Matrimonium invalidum, nisi dispensetur, aut factum cum ignorantia postea detecta, habita dispensatione revalidetur, modo suprá dicto de alijs impedimentis. Ratio huius est: quia ex tali adoptione, oritur specialis amor, & familiaritas inter adoptantem & adoptatum, & eius vxorem & filios, & sic opportuit quod Matrimonium, quod est vinculum mutui amoris ad alios extenderetur, & adoptatus tenetur revereri adoptantem, cui obstat carnalis copula, & similiter ob familiaritatē, periclitatur castitas inter illos; qua propter hæc cognatio, est impedimentum conjugij, eadem ratione proportionali, qua id asseritur de naturali cognatione.

Casus septimus, de impedimento criminis. Conjugatus quidam, promisit virgini, cum ea Matrimonium contrahere post obitum suæ vxoris, si ipsa in adulterium consentiret, recusavit illa, sed eam invitam defloravit; post hæc obijt vxor, & iterum vir fœminæ illi, promisit Matrimonium, quod acceptavit illa; postea ipse, de Matrimonio contrahendo, dedit fidem alteri mulieri, & cum ad hunc effectum fierent denuntiationes, restitit alia fœmimina, objciens fidem ei primo datam, cui vir respondit, se non posse cum ea contrahere, ob impedimentum criminis, quod ex promisione & adulterio cum illa resultavit, factis vivente sua vxore. Quæritur: quid sentiendum de hoc, & pro quo amborum stet iustitia? Licēt videatur clara casus resolutio cōtra virum, apponitur tamen, vt doctrina de impedimento criminis patentius innotescat.

Resp. ergo, virum teneri primam vxorem ducere, quin ad hoc detur criminis impedimentum. Ratio est: quia hoc impedimentum ideo inducitur, vt ipe incundi aliud Matrimonium, non machinetur coniugis mors, vt suprá vidimus; sed finis hic, adæquatè cessat in nostro casu: ergo stare debet vir, promissioni primo factæ. Prob. min. Tùm, quia tantum abfuit mulier illa, á morte vxoris machinanda, quod nec in adulterium consensit, nec promissionem Matrimonij futuri acceptavit, vt dicitur. Tùm, quia iura, cū de machinatione, & promissione loquuntur, ambas æquiparant; vndé sicut ad machinationem, actum perfectum secutæ mortis exigunt, ita etiam in promissione actum perfectum postulant; sed in eo casu, non fuit perfecta promissio: ergo, &c. Prob. min. quia promissio fuit facta, sub conditione consensus fœminæ in copulam, & ipsa non consensit; & vlterius, quia promissio non acceptata, non est perfecta, mulier autem promissionem non acceptavit, & sic ista perfecta non fuit.

Explicantur hæc 1. quia si mulier cui facta est promissio, esset ignara impedimenti criminis, & vitæ vxoris, daretur ei optio ad contrahendum cum viro vxore mortua, etsi adulterium præcessisset: ergo idem est dicendum, quando coacta commissit adulterium, nam quo ad hoc, idem est de ignaro, ac de coacto, vt expressé tenet Sanchez, lib. 7. disp. 79. num. 39. quem Villalobos & alij sequuntur. 2. quia vt fert omnium sententia, deficiente acceptatione ex parte vnius, nullum impedimentum oritur, non enim est vera promissio, si non datur repromissio & acceptatio, vt vidimus suprá, art. 1. dif. 2. & in casu nostro, asserunt aliqui cū Soto, requiri fidem & promissionem iuratam ex parte vnius adulteri, simul cum copula, & nullum istorum extitit in dicto casu, & sic non resultavit criminis impedimentum. 3. quia licet mulier in copulam consentiret, si ad promissionem taceret, adhuc hæc taciturnitas non esset acceptatio, vt ait Sanchez cum pluribus, quanto ergo minus in copulam non consentiendo.

Si dicas: aliquos oppositum sentire, in casu taciturnitatis, inter quos Legionensis, qui pro multis reputatur. Resp. quód non loquitur in casu nostro, quod patet ex verbis ipsius dicentis: illa taciturnitas, cum mutuo & cæco amore inter adulteros, videtur esse, virtualis quedam acceptatio promissionis, & vehemens consurgit occasio machinandi mortem; in nostro autem casu, vbi est cœcus amor, adulterium, nec machinatio, si mulier in copulam non consentit, vt refertur in narrativa? Undé iuxta hanc sententiam, taciturnitas non est virtualis promissio & acceptatio. Nec valet hic illa regula: qui tacet consentire videtur. Tùm, quia hoc tenet, quando id non est nocivum tacenti, qualiter hic esset, cum incurreretur impedimentum dirimens. Tùm, quia cum daretur resistentia copulæ, taciturnitas nihil iuvat; nec etiam

iuvaret, etsi mulier ignoraret damnum, nec censeretur, tunc acceptare tacendo, quia ignorantia iuris, non præsumitur pro consensu, nisi detur aliud signum illius, vndé ibi non intervenit vera promissio, qualis requiritur ad inducendum impedimentum.

Demùm, nec viro adhibenda est fides, quia ipse allegat propriam turpitudinem, & talibus credendum non est, nec illi debent exudiri vt dicitur, l. transact. 30. cap. de transactionib. *Dices*: hoc esse verum, extra casus in iure expressos, casus autem hic exprimitur in iure, in favorem Matrimonij, ad impedimentum vitandum, & sic vt debet adhiberi fides. *Sed contra*, & suppono quod respectu Matrimonij, duplex potest meditari favor, vnus, ne irrite contrahatur, vt sic peccatum vitetur, alter ne obligationes contrahendi voluntarié, ex defectu allegantis turpitudinem, & eius prava voluntate, reddantur invtiles, tunc enim regulariter, iudicatur in favorem Matrimonij contracti aut contrahendi; & similiter est certum, quod vnus testis, de impedimento Matrimonij deponens sufficit, quia agitur de peccato vitando, sed ille debet esse citatus, vel per partē iudici oblatus, nam si se ingerit, est suspectus & repellendus, vt asserunt iura. Undé viro illi, non est adhibenda fides, & quia ille non est testis sed pars, & quia voluntarié se ingerit, & quia propriam turpitudinem allegat; & sic ille, non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, est condemnandus, ad ducendam fœminam primam.

Sed vt plenè cognoscatur, quantum malitia humana, rationis superet metas, accipite pro materia præsenti, casum, vel potius terrificum exemplum, quod audivimus á fidedignis testibus, omni exceptione maioribus. Non longe á temporibus nostris, nec valdé á nostro loco remoté, fœmina quedam, prave ad virum suum affecta, cum altero adulterium commisit, cum promissione Matrimonij futuri, viro demortuo & ne quid crudelitatis deficeret crimini, ambo eius mortem machinarunt, occasione nacta ex ægritudine viri; petijt adultera á complice suo potionem, vt innocentis viri ægrotantis iam, mortem acceleraret, quod cum factum esset, nihilominus tamen, mors secuta non est; exardescit mulieris animus, & iterum ab adultero repetit potionem alteram, & accipit ab eo toxicum activius, quod cum sumpsisset maritus, cum eo etiam mortem deglutivit. Confabulantur postea pessimi adulteri, de suo Matrimonio contrahendo; sed vir fœminæ nunciat, id sine dispensatione fieri non posse, quia criminis impedimento erant irretiti; at mulier contrahendi avida, offert viro pecuniam, ad impetrandam dispensationem necessariam, quam tamen ipse, nec impetravit, nec petijt, sed summam illam, in alijs vsibus consumpsit; finxit tamen, se habere Pontificiam dispensationem, & ea forma ostensa litteris falsis, Matrimonium contractum est; sed pauco peracto tempore, manu pietatis Dei cor viri tangente, ipse accedit ad Parochum, eique denuntiat tot criminum seriem, ac Matrimonij nullitatem. Accurrit ad Episcopum pro dispensatione impedimenti, eo quod occultum erat; & licet ex hac parte, conferri ab eo posset iuxta infra dicenda, Art. 13. diffic. 2. sed valdé ventilatum fuit, an ad hoc teneretur, eo quod vir, fortè vsus fuit tot falsitatibus & sceleribus, sciens potestatem Episcopi, ad dispensandum in crimine occulto; nec ad id bona fides mulieris, videbatur posse suffragari, quæ tot sceleribus paravit iter. Conferebantur hæc, inter viros cordatos, pios & doctos; sed iustitia Dei, quæ nescit patrocinium dare criminibus, ambos gravi præsit infirmitate simul, qua vrgente & mortem minante, tunc Prælatus dispensavit, & hoc facto, crescentibus in vtrisque doloribus & ægritudine, vnus post alium, parva temporis mora intercedente. O mirum! crimina finierunt & vitam. Hæc de impedimento criminis; de disparitate cultus, nullus est specialis casus, qui resolvi non possit ex dictis, sup. art. 5. diffic. 8. & art. 9. diffic. 6. consulantur ibi dicta, quæ ad eius exactam notitiam, sunt satis.

ARTICVLVS XI.

De alijs impedimentis dirimentibus.

Prima difficultas: De impedimento violentiæ, metus, aut vis. Notandùm: quód metus, alius est intrinsecus, á causa naturali & intrinseca ortus, vt metus mortis, ab infirmitate proveniens, alius extrinsecus, proveniens á causa extrinseca, & de hoc extrinseco loquimur; hic autem metus, duplex est, alius gravis, qui dicitur cadens in virum constantem, quem etiam vir constans formidare solet, vt est metus mortis, mutilationis, acerbi cruciatus, amissionis status, honoris, famæ vel bonorum, & hoc, sive hæc mala timeantur in se, sive in filijs, fratribus, parentibus, consanguineis vel amicis, nam propter strictam vnionem cum his, quod eis imminet, propriæ personæ imminere iudicatur, vt ait D. T. in 4. dist. 29. q. vnic. art. 2. ad 2. Metus levis, qui etiam dicitur cadens in virum inconstantem, est qui grave malum non timet, sed leve, quia non est constantis viri, levibus damnis & incommodis conturbari.

Aliquæ tamen requiruntur conditiones, vt metus sit gravis. 1. quód non leviter credatur malum imminere, sed probabiliter & rationabiliter, nam vir fortis, solum ex forti & probabili æstimatione movetur, levis autem, ex debilibus coniecturis, sic D. T. hic, q. 47. art. 2. & constat ex illo Prov. fugit impius nemine persequente. 2. quód incutiens metum, potens sit minas executioni mandare, nam

si

si vir senex, aut debilis, minas incutiat viro forti, hic non erit constans, si metuat. 3. vt talis incutiens metum, sit solitus exequi minas, vel eiusdem generis vel alterius, nec facile minas iactet, & facilius ab executione desistat. 4. quód timens, non possit facile occurrere malis imminentibus, per se vel superiorem, vel amicos, nam inconstans est, qui timet mala, quæ faciliter evadere potest. 5. quód malum quod timetur, sit gravius, eo quod eligitur ad illud vitandum, quia constans sequitur rationem rectam, iuxta quam scit, quid pro quo dimittendum sit vel faciendum, semper autem minus malum, aut maius bonum eligendum est. 6. quód malum quód timetur, sit grave re ipsa, & non solum ex imaginatione falsa.

Demúm est notandum, quod metus hic gravis, potest á causa libera extrinseca inferri dupliciter, vel iuste, vt si iudex cominetur homicidæ mortem, nisi ducat vxorem, filiam aut consanguineam occisi, vt parti satisfaciat, vel iniuste, vt si persona privata, illum metum incutiat; deindé metus potest inferri, ad extorquendum consensum in Matrimonium, & tunc perfectè ordinatur ad illud, vel non ad extorquendum consensum, sed aliquid aliud, & tunc, solum per accidens, ad Matrimonium ordinatur, vt cum quis metu latronis, ducit vxorem filiam viri fortissimi, vt eum á latronibus defendat; hæc sunt generalia metus principia, pro hac & alijs materijs necessario scienda; & quidem certum est, quod nullus metus, á quavis causa naturali proveniat, Matrimonium irritat; sicut nec etiã irritat professionem vel votum, quæ tali metu fiunt, eo quod talis metus, libere á voluntate assumitur, ad imminens periculum evadendum, vt cum quis metu mortis, belli, pestis, aut inferni contrahit; & similiter, si medicus alicui dicat, morituum ex humorum abundantia, nisi Matrimonium contrahat; in omnibus his casibus, Matrimonium est validum & licitum, ob rationem proximé attactam.

Dubitabis 1. Quo iure, Matrimonium ex metu gravi contractum, sit nullum? Resp. quód est irritum iure Ecclesiastico, sed non iure naturæ. Prima pars constat, ex cap. cum locum, & patet: nam professio ex metu gravi facta, est iure Ecclesiastico irrita, vt habetur cap. Prælatus, de his quæ vi, &c. eo quod illa ad sui valorem, exigit perfectam libertatem, quæ vel impeditur, vel totaliter aufertur per metum gravem: ergo idem dicendum de Matrimonio, quod etiam perfectam exigit libertatem ad sui valorem, & sic Matrimonium ex metu gravi factum, est iure Ecclesiastico nullum; vndé inter infideles, potestati Ecclesiæ non subiectos, validum est tale Matrimonium, sicut etiam clandestinum, in ratione contractus. Secunda pars prob. quia tale Matrimonium, non est irritum iure naturæ in ratione Sacramenti, quia alia Sacramenta, metu gravi recepta vel facta, valida sunt; nec in ratione contractus, quia cæteri contractus ex metu facti, non sunt iure naturæ irriti, sed irritandi. Nec ex perpetuitate Matrimonij, quia licet in actione passiva, non detur violentum perpetuum, benè verò cum quis activé se gerit, & simpliciter voluntariè, vt in metu contingit. Nec ratione libertatis, nam etiam iuramentum libertatem requirit, & extortum metu gravi obligat. Nec ratione iniuriæ illatæ, quia aliæ sunt iniuriæ, quæ nequeunt resarciri in eodem genere bonorum, vt si quis metu gravi suscipit Baptismum, qui inducit vinculum perpetuum, & similiter si quis spe nuptiarum, corrumpat virginem, & postea contrahat cum alia, nequit in eodem genere resarciri iniuria, & sic idem dicendum in præsenti.

Dubitabis 2. An mortaliter peccet, qui coactus metu gravi, Matrimonium contrahit? Certum est, inferentem metum peccare mortaliter peccato iniustitiæ, extorquendo ab alio rem difficilem; & peccato sacrilegij, contra reverentiam Sacramenti, & si est Magistratus, incurrit excommunicationem latam á Trident. Sess. 24. cap. 9. ipse tamen contrahens, si verba materialiter proferat, sine consensu verò, solum peccaret peccato veniali mendacij (nisi vteretur amphibologia, & restrictione mentali) quia nec Sacramento, nec proximo facit iniuriam, quia non datur vera materia & forma, nec tenetur in eo casu, verum consensum apponere; & idem est, si nescit aut non advertit, Matrimonium metu contractum esse nullum, tunc enim etsi verum consensum apponat, non peccat, quia cum ignorantia excusat.

Dubium ergo est, quando vim & metum patiens scit Matrimonium esse nullum, & verbis mentem confirmat, verum consensum apponendo, quia vult quantum est ex se, vel sub conditione tacita, si potest. Resp. quód in eo casu, mortaliter non peccat; sic tenent Sanchez, Palaus, Salmantic. & alij plures. Et ratio est, quia Sacramento non facit iniuriam, quia hoc est irritum ratione sui, ex Decreto Ecclesiæ, declarantis materiam non esse aptam, cum illa non sit libera. *Dices*: quód tunc datur mendacium in re gravi, quia dicit verbis se consentire, & non consentit, & hoc peccatum mortale est. Resp. quód illud non est mendacium formale, quia contrahens, quantum est ex se consentit, sed solum materiale, quia materia consensus, apta non est ad Matrimonium. *Si dicas*: Sacerdos conferens absolutionem peccatori, quem scit indispositum, peccat mortaliter, & facit Sacramentum nullum, quia formam applicat materiæ inaptæ: ergo idem dicendum in casu prædicto de metu. Resp. quód est disparitas, nam contrahens non facit Matrimonium irritum, sed apponit contractum ab Ecclesia iam irritatum, quæ tamen non prohibet aliquem conari ad illum metu mortis imminente, alias non esset metus cadens in virum constantem, si per

illud

illud committeretur peccatum, nam hoc est maius malum quam mors, & non est metus viri constantis, quando eligitur maius malum, ad vitandum minus, & hæc, in conferente absolutionem subiecto indispositio, non reperiuntur.

Dubitabis 3. An Matrimonium, ex metu infamiæ contractum, sit nullum? Resp. affirmativé; sic tenent Dicastillo, Palaus, Bonacina, Sanchez, Soto, Veracruz, & Salmantic. Ratio est: nam Matrimonium metu gravi celebratum, est nullum, sicut etiam sponsalia; sed metus infamiæ, iuris vel facti, est gravis; nam famæ amissio, superat amissionem divitiarum, iuxta illud Prov. meliús est nomen bonum, quam divitiæ multæ, & etiam comparatur morti, leg. iusta, ff. de manumissis, & hæc mala gravia sunt: ergo, &c. *Dices*: quód D. T. hic, q. 47. art. 2. ad 3. ait: Quód metus infamiæ non cadit in virum constantem. Resp quód D.T. loquitur, de metu infamiæ levis, cui faciliter occurri potest, vt patet ex eius verbis ibi, nos verò loquimur, de metu gravis infamiæ, cui nequit faciliter occurri.

An verò metus excomunicationis iniustè inferendæ, sit gravis, & Matrimonium anullet? Resp; quód sic, cum Sanchez, & Bonacina. Túm, quia ille potest movere constantem virum, nihil enim ita formidandum, sicut separari ab Ecclesia. Túm, quia gravis pœna est, vivere inter homines, & separari ab eorum consortio. Túm, quia excomunicatio, affert aliquam infamiæ notam, præcipué apud eos qui nesciunt, an fuerit iustè fulminata. *Dices*: quód excomunicatio illata iniustè, non ligat hominem, & sic non est viri constantis, eam timere. Resp. quód etsi non liget in conscientia, & coram Deo, benè verò in foro exteriori, & coram hominibus, & sic ratione scandali cogit, vt homo á divinis, & comunicatione fidelium abstineatur, quod grave malum est; & obiter notandum, quod leve malum respectu vnius, potest esse grave respectu alterius, & sic minus malum sufficit ad terrendam fœminam, aut senem, puerum, vel pusillanimem, quam ad turbandum virum fortem, iuvenem & magnanimum, quæ magnanimitas, speciosum est hominis attributum, vt ait D.T. 2. 2. q. 129. art. 3.

Secunda difficultas: De impedimento ordinis. Aliquid de hoc diximus, art. præcedenti, difficultate 3. agendo de impedimento voti, nunc speciáliora subiungimus, ne quid relinquamus inractum, de quo etiam agit D.T. hic, q. 53. art. 3. & 4. Statuit Ecclesia, quod ordinibus sacris, votum castitatis sit annexum, ex suppositione receptionis sacri ordinis, & ita expressé habetur, in Concil. Cartag. 11. Can. 1. quód votum, ad tria obligat. 1. vt ordinatus in sacris, vxorem non ducat, imó id Matrimonium, non solum illicitum, sed etiam irritum reddit. 2. vt qui ante ordinationem Matrimonium contraxit, ab vxore abstineat, nisi absque illius licentia fuerit ordinatus, tunc enim poterit licité reddere debitum coniugale non autem petere. 3. vt ab omnibus alijs actibus venereis abstineat, alias vltra propriam malitiam eorum, committet sacrilegium, in confessione explicandum.

Huiusmodi autem continentiæ votum, iustissimé ab Ecclesia, ministris eius fuit inductum. 1. quia vt ait Paul. 1. ad Cor. 7. Sacerdotes rebus divinis vacare debent, quod maximé impediretur, per vitam maritalem. 2. quia sic maiorem reverentiam exhibebit eis populus, videns illos ab actionibus sæcularium segregatos, & ideo Sacerdotes Græci, minus honorantur, quia castitati non adstringuntur. 3. vt sic Ecclesiæ ministri, maiorem exerceant in pauperes misericordiam, quod non ita expedite facerent, si haberent filios quibus thesaurizarent. 4. quia alias Ecclesiastici redditus á fidelibus oblati, passim applicarentur vsibus profanis, & dignitates atque beneficia Ecclesiastica, quasi hæreditario iure transmiterentur ad filios, & alia innumera damna pullularent.

An verò annexio voti ordinibus sacris, tantum sit de iure Ecclesiastico, & non de iure divino? R. quód licet suppositio voto solemni castitatis, de iure divino sit eius observatio, sed non est de iure divino, sed solum de iure Ecclesiastico præceptum, quod ordinibus sacris, tale votum annectatur. Constat ex Trident. Sess. 24. Can. 9. vbi dicitur, hoc esse de lege Ecclesiastica vel voto, ideoque potest Ecclesia dispensare, sive votum de non contrahendo, Clericis dispensando, sive præbendo facultatem ad vsum Matrimonij, ante ordines contracti, sive concedendo, vt quis ministret in sacris, & cum vxore vivat; sic D.T. 2. 2. q. 88. art. 11. in corp. vbi ait: Non est essentialiter annexum debitum continentiæ, ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ; vndé videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ, solemnizato per susceptionem sacri ordinis; hoc ipsum dicunt authores plures; sed vnus & vnicus Ang. Doctor, pro decem millibus computatur.

Sed an hæc obligatio continentiæ, sit immediaté de lege Ecclesiastica, vel mediante voto ordinatorum? Hoc secundum est tenendum. Ratio est: quia si ex lege Ecclesiastica, & non ex voto, ea obligatio oriretur, posset Pontifex sine iusta causa, aliquos in communi & in particulari, atali obligatione absolvere, quod absurdum est, nam sic pateret aditus relaxationi, in re adeo sacra, & ad decentiam ministrorum Ecclesiæ multum conducente; assumptum patet, nam qui legem condidit, eam pro libito potest abrogare; quod non accidit ita, si ex voto hæc obligatio consurgit, nam ad dispensandum in voto, requiritur iusta causa, alias dispensatio est nulla; & difficile est, vrgentissimam causam intercedere, ad honestandam dispensationem: vndé cum detur lex Ecclesiastica, prohibens ordinato contrahere Matrimonium, datur etiam præcep-

ceptum de emitendo voto, & ipsum votum, licet duo priora, possint á Pontifice dispensari, non autem tertium.

Rogabis: An fuerit aliquando permissum ordinatis in sacris, Matrimonium inire? Resp. quód non, nec in Ecclesia Latina, nec in Græca. Constat ex 6. Synod. gener. vbi dicitur, de Ecclesia Græca: si quis eorum qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante Ordinationem Subdiaconatus faciat; & semper apud Græcos fuit irritum Matrimonium, post ordinem sacrum contractum, vt rectè probat Azor, cap.24.q.7. Sed est hæc differentia, inter ordinatos in sacris Græcos & Latinos, quod illis licuit post coniugium, ad sacros ordines ascendere, & Matrimonio antea contracto vti, præter tempus quo altari ministrant, quod Latinis est interdictum. Nec peccant Græci Matrimonio vtendo, quia cum lex de cælibatu Sacerdotum, sit Ecclesiastica, & non sit á Græcis recepta, nisi modo prædicto, eos non obligat, præcipuè cum sciente Pontifice, hoc factum sit, de quo D.T. hic, q.53. art.3. in corp.

Sed est dubium: Quibus modis excusetur ab obligatione voti castitatis, ordinatus in sacris? R. quód excusatur 1. si in ordinibus detur nullitas, ex quocumque capite, & tunc poterit, non solum validè, sed etiam licitè Matrimonium contrahere; Ratio est: quia deficiente fundamento, deficit res fundata, & corruente principali, corruit accessorium; votum autem castitatis, fundatur in ordinibus sacris, & sic his deficientibus, etiam deficit illud. Nec est idem, de voto castitatis professionis religiosæ; nam hoc non est accessorium, sed essentiale professioni, & sic licet hæc sit invalida ex quolibet capite, & tunc votum non remaneat in ratione solemnis, Matrimonium irritantis, manet tamen in ratione simplicis impedientis; votum autem est accessorium ordini sacro, & sic hoc deficiente, illud etiam deficit.

Secundó, excusatur ab obligatione voti castitatis, ordinatus ante vsum rationis, & postea, licitè & validè, potest Matrimonium inire. Ratio est: quia ille non tenetur ad castitatem ex voto, quia hoc requirit propriam electionem, quæ ante vsum rationis non reperitur, nec tenetur ex Ecclesiæ lege, quia Ecclesia, non vult obligare ad rem tam arduam, vt est observatio voti castitatis, sine voluntate obligati. Nec est idem, de puero suscipiente Baptismum, ante vsum rationis, qui tenetur ad Ecclesiæ leges; quia illæ sunt omnibus necessariæ ad salutem, & sic iure divino sunt debitæ; & Ecclesia solum cogit baptizatos ad observantiam legum, si hæc non sunt tam arduæ, & difficiles sicut ista, de qua nunc loquimur.

Si quis autem ordinaretur, post vsum rationis, & ante tempus pubertatis, voto castitatis non maneret adstrictus; quod patet á paritate voti solemnis religionis, quod licet magis vrgeat, ideoque sit á Papa indispensabile, vt ait D. T. l. c. suprá cit. ex 2. 2. vtrumque autem statum constituit, & ad rem valdè arduam obligat, & perfectam maturitatem, & vsum rationis exigit; vndé sicut modo ex Trident. Sess.25. cap.15. ad professionem requiritur annus decimus sextus, vt res mature inspiciatur, sic idem requiritur, vt votum sacri ordinis subsistat, vt Sanchez probat, lib.7. disp.30. Vndé ordinatus in vtroque casu præcedenti, nequit licitè in ordinibus ministrare, antequam perveniat ad debitam ætatem, & toto illo tempore, imó & transacto, potest resilire á statu Clericali, nisi factum ratificet, quod si faciat, statim ad votum castitatis tenetur, nec potest iam resilire; & idem proportionaliter discurrendum est de illo, qui ex metu cadente in virum constantem, suscipit ordines sacros; non enim tenetur voto, quod ex metu gravi irritum est, nisi postea Ordinationem ratificet, vel metus fuerit iusta causa incussus, vt si Episcopus aliquem ad ordines adstringeret, ob inopiam ministrorum. Alia plura sunt, de impedimento ordinis, non valdè necessaria pro instituto præsenti, ideoq; illa libenter omittimus. Sequitur impedimentum ligaminis, quod contrahunt coniugati ad nubendum cum alia vxore, priori vivente, de quo actum est, art.3. diffic.8. quin modo, aliquid occurrat speciale superaddendum.

Tertia difficultas: De impedimento publicæ honestatis. Impedimentum publicæ honestatis, quod á D. T. & á iurisperitis, vocatur iustitia publicæ honestatis, diffinitur sic: *Propinquitas personarum, ex sponsalibus vel ex Matrimonio rato non consummato proveniens*; per hoc quod sit propinquitas, convenit cum consanguinitate & affinitate, & per alia verba, differt ab illis, quia affinitas provenit ex copula consumata, & consanguinitas ex carnis propagatione; publicæ autem honestatis iustitia, non solum resultat ex sponsalibus, sed etiam ex Matrimonio rato non consumato, nam si ex sponsalibus, quæ sunt via ad Matrimonium consumatum, tale impedimentum consurgit, multo magis ex Matrimonio rato, quod ad illud proximius accedit, licet hæc potius dicatur, affinitas inchoata, vt D.T. insinuat, q.55. art.4. ad 2. inducit ergo publica honestas impedimentum dirimens, inter cognatos & affines illius, cum quo contrahitur Matrimonium aut sponsalia, iustum enim est, decens & honestum, vt contrahens sponsalia, vel Matrimonium cum aliqua, non contrahat cum eius consanguinea; hoc autem impedimentum, non iure naturæ, sed Ecclesiastico introductum est, vt ait D.T. loc. cit. vndé si quis desponsatus esset ante Baptismum cum aliqua, post Baptismum contrahere posset cum sorore illius.

Dubitabis 1. inter quos contrahatur huiusmodi impedimentum? Resp. quód licet iure antiquo

extenderetur, vsque ad quartum gradum, & etiam ad casum in quo sponsalia, vel Matrimonium invalida essent, hæc tamen iura, propter iustissimas causas, fuerunt á Trident. restricta, Sess. 24 cap. 3. vbi dicitur, hoc impedimentum, ex sponsalibus quavis ratione non validis, non resultare, & solum ad primum gradum extendi; & sic nunc, solum contrahitur impedimentum, inter sponsum, & matrem, sororem & filiam sponsæ, & inter sponsam, & patrem, fratrem & filium sponsi; ex quibus sequitur 1. quód ex Matrimonio rato, inducitur hoc impedimentum, vsque ad quartum gradum, quia sic statuit ius antiquum, quod quãtum ad hoc, non fuit per Trident. immutatum. 2. quód ex Matrimonio invalido, dum tale non sit in præiudicium sponsalium priorum, hoc impedimentum resultat, quia sic disponitur in iure antiquo, á quo recedendum non est, nisi ob ius novum, quod in præsenti non datur; sic Palaus, Sanchez, Cornejo, & Salmantic.

Tertiò sequitur, quod ex sponsalibus invalidis, ex quocumque capite, etiam ex defectu consensus, hoc impedimentum non oritur, nec ex Matrimonio hoc modo invalido; primùm habetur ex Concil. loc. cit. vbi dicitur, hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus, quacumque ratione invalidis; secundùm habetur expresse cap. vnic. de sponsalib. in 6. vbi dicitur: Quód ex Matrimonio nullo ex defectu consensus, hoc impedimentum non oritur. *Nec obstat*: quód in casu invaliditatis sponsalium aut Matrimonij, ex defectu cõsensus, publicè reputantur vt valida, & ideo publicam honestatem induxerunt; nam hoc modo, etiam ex sponsalibus validis sed occultis, non oriretur hoc impedimentum, quod est falsum; & ratio est: quia in vtroque casu, non attenditur ad id quod homines iudicant, sed ad id quod natura contractus exposcit, vt dicunt authores prædicti.

Nec iterum obstat: quód Matrimonium clandestinum est nullum, & tamen ex eo publica honestas resultat, vt dicunt Hurtado, Bonac. & Salmantic. nam est disparitas, quia solum excipitur in iure dicto, Matrimonium directè invalidum, ex defectu consensus; Matrimonium autem clandestinum, non ita est invalidum, sed solum ex defectu solemnitatis, & ideo ex illo, hoc impedimentum resultat. Hinc habetur: quód hoc impedimentum, non oritur ex sponsalibus, aut Matrimonio, contractis per metum; nec ex sponsalibus initis, ante ætatem á iure præscriptam; nec ex Matrimonio ab impuberibus contracto, si malitia ætatem non supplet, quia in his omnibus, iura non censent extare sufficientem consensum, ad Matrimonium requisitum.

Dubitabis 2. An hoc impedimentum publicæ honestatis, sit perpetuum? Resp. quód si oritur ex Matrimonio, semper durat, etiam post mortem coniugis, Matrimonio inconsumato, sicut & illo consummato, durat affinitas; si autem ex sponsalibus oritur, & morte sponsæ dissolvantur, idem est dicendum, quia semper eadem indecentia perseverat, ob quam iura, tale Matrimonium irritarunt. Sed quid si sponsalia, mutuo consensu, aut alia iusta causa dissolvantur? Resp. quód etiá tunc ex eis resultat hoc impedimentum. Aliqui probant, ex eo, quod hoc impedimentum contrahibitur, ex sponsalibus morte dissolutis, & sic etiam ex dissolutis mutuo consensu. Sed hæc paritas, est inefficax: nam qui ante mortem non revocavit consensum, censetur adhuc post mortem servare animum standi promissis, cuius contrarium constat, quando fit dissolutio mutuo consensu. Melius ergo prob. ex eo, quod impedimentum publicæ honestatis, oritur ex sponsalibus validis, quod autem postea dissolvantur, non obstat, quin antea valida fuerint; & ideo licet fit in potestate contrahentium sponsalia dissolvere, non verò se ab impedimento per illa inducto liberare, quia illud ab Ecclesia positum fuit, independenter á contrahentium voluntate, sic Sanchez, Salmant. Candidus, & Dicastillus, cum alijs pluribus. *Nec obstat*, quædam declaratio Card. á Diana adducta, in qua dicitur, quod sponsalia mutuo consensu dissoluta, sunt invalida; hoc enim est verum, sed non officit, vt antea valida fuerint, & instatur in sponsalibus morte dissolutis, quæ invalida sunt, & tamen antea, valida fuerunt.

Dubitabis 3. An ex secundis sponsalibus, hoc impedimentum resultet? Casus est, si quis desponsatur cum vna, & postea desponsatur, aut contrahit cum eius sorore, an possit valide relictis secundis sponsalibus, ad prima redire? Resp. quód ex secundis sponsalibus, nullum oritur impedimentum, quia fuerunt nulla, ex impedimento publicæ honestatis, ex prioribus contracto, & idem est de Matrimonio, quod etiam fuit nullum, & ex Matrimonio nullo, quod præiudicat prioribus sponsalibus, nullum impedimentum consurgit, vt habetur cap. vnic. de sponsalib. in 6. quód si Matrimonium cum secunda est consummatum, nequit contrahi cum prima, quia per copulam, fuit affinitas contracta cum ea; nec cum secunda, quia ratione sponsalium priorum, contractum est cum ea, impedimentum publicæ honestatis; sic Sanchez, Dicastillo, & Salmant.

Sed circa hoc ait Coninch, quod si sponsalia prioria essent dissoluta, induceretur impedimentum per posteriora, & ideo his dissolutis, non posset sponsus si vellet, cum priori contrahere. Sed verius est, contrahere posse, quia etsi sponsalia prioria fuerint dissoluta, semper durat impedimentum ex eis contractum vt vidimus, quod invalida reddit posteriora sponsalia, & ideo ex his, nullum impedimentum resultat; Matrimonium verò cum secunda

da

da contractum, post dissoluta sponsalia priora, induceret impedimentum publicæ honestatis, quia licet fuerit nullum, non erat in præiudicium sponsalium priorum, & solum inferendo præiudicium, non causat impedimentum. Ex his habetur: quòd ex sponsalibus, vel ex Matrimonio conditionatis & incertis, non inducitur impedimentum publicæ honestatis; non ex conditionatis, quia non sunt pura & absoluta, ante conditionem impletam; non ex incertis, quia consensus ad sponsalia, vel Matrimonium exactus, debet esse respectu personæ certæ & determinatæ.

Quarta difficultas: De impedimento affinitatis. Agit de hoc Ang. D. hic, q. 55. eleganter per articulos vndecim, vbi mirabiliter exponit, quicquid pro instituto præsenti potest desiderari. Affinitas ergo, sic diffinitur: *Propinquitas personarum, ex carnali copula proveniens*; ratio est: quia per copulam carnalem, vir & fœmina, fiunt vna caro & vnus sanguis, & sic consanguinei fœminæ, fiunt affines viri, & contra, copula verò ex qua resultat affinitas, debet esse apta generationi prolis, & ad Matrimonium consummandum, quia per hanc solam fiunt coniuges vna caro; sic D. Tho. q. cit. art. 4. ad 2. Hæc affinitas, non solum ex copula licita, sed etiam ex fornicaria resultat, vt ait D.T. ibi, art. 3. & Trident. Sess. 24. cap. 4. & durat in perpetuum, ita vt dissoluto Matrimonio, vel mortua fœmina, cum qua aliquis rem habuit, nunquam potest ille, sine dispensatione nubere cum sorore, aut matre eius: sed per carnalem copulam, consanguinei viri nõ fiunt affines cũ consanguinei fœminæ, nec é contra, licet vir fiat affinis illis & similiter fœmina respectu viri & ideo duo fratres, possunt ducere duas sorores & filius, privignam patris sui, quam vocamus *antenada*, quasi ante Matrimonium nata, quæ est filia fœminæ contrahentis cum patre, quæ dicitur *madrastra*.

In quo autem gradu, affinitas hæc Matrimonium dirimat? Supponimus illud dirimere, quod probat D.T. ibi, art. 6. eisdem rationibus, quibus hoc probaverat de consanguineis, nempé quia affines, maxima familiaritate gaudent, ex qua imminet periculum pudicitiæ, & etiam quia maxima reverentia debetur affinibus lineæ rectæ, ob quam copula inter eos est maximé indecens, ac tandem quia affines, sunt iam amore & charitate coniuncti, & ideo oportet, Matrimonium ad alios extendi, vt amor naturalis diffundatur; hanc rationem D.T. q. 54. art 3. de consanguinitate tangit, dicens: quod inter consanguineos, nova amicitia ex Matrimonio non accresceret, imo multiplicationi amoris fit præiudicium; ex quo patet, quod finis Matrimonij, qui est confœderatio cordium, maximé præiudicatur ex Matrimonio consanguineorum, cum illud per dispensationem contrahitur. Vndé tales dispensationes, vt affines vel consanguinei, possint Matrimonium contrahere, debent vitari quantum possit. Tùm ob rationem dictam, quia fit præiudicium propagationi naturalis amoris. Tùm, quia vt ait Arist. 2. Politic. cum naturaliter homo consanguineam diligat, si additur amor, qui est ex comixtione venerea, fit nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, vt experientia quotidiana testatur; sic D.T. 2. 2. q. 154. art. 9. in fin. corp.

Dicitur ergo: quòd ex iure antiquo, hoc impedimentum extendebatur, vsque ad septimum gradum; sed tunc restricta est affinitas ex novissimo iure Trident. Sess. 24. cap. 4. ita vt affinitas ex copula fornicaria, solum extendatur ad gradum secundum. Tùm, quia frequenter est occulta, & sic plures cum illa contrahebant, & in Matrimonio nullo perseverabant. Tùm, quia non oritur tanta reverentia, amor, & familiaritas ex hac affinitate, imò nulla oritur; sed ex affinitate orta ex copula licita ex legitimo Matrimonio, maxima familiaritas oritur, & ideo hæc ad quartum gradum extenditur. Gradus autem affinitatis, iuxta consanguinitatis gradus numerantur, & sic in eo gradu quo quis, est consanguineus mariti est affinis suæ vxoris, & é converso.

Sed dubium est: An affinitas in aliquo gradu, rectæ aut transversæ lineæ Matrimonium irritet iure naturæ? Certum est, quod ex copula fornicaria, nullum oritur impedimentum, iure naturæ dirimens Matrimonium. Tùm, quia iure naturæ, ex illa nulla nascitur affinitas nec propinquitas, amorem & reverentiam generans, filius enim non reveretur fœminam, quam turpiter cognovit suus pater, & multo minus vitium, qui rem illicitam habuit cum matre. Tùm, quia licet talis copula, produceret affinitatem, hæc esset valdé imperfecta, quæ nulla ratione potest probari, dirimere iure naturæ; & similiter est certum, quod affinitas orta ex copula licita, non dirimit Matrimonium iure naturæ, in primo gradu lineæ transversalis, & sic non est irritum iure naturæ, Matrimonium leviri, id est *de el cuñado*, cum glore, id est *la cuñada*. Vndé visum est, aliquando á Pontificibus talem dispensationem fuisse concessam, vt ait Sanchez, lib. 7. disp. 66. num. 11. & ita fecit Clemens VII. post magnam consultationem, declarando validam, dispensationem á Iulio II. Henrico VIII. Regi Angliæ concessam, vt contraheret cum Catharina, quæ prius fuerat vxor fratris sui Arturi; & Innoc. X. dispensavit cum Casimiro Rege Poloniæ, vt contraheret cum Maria Gonzaga, vxore fratris sui defuncti, quod etiam habetur ex Sac. Scrip. Gen. 29. vbi refertur, Iacob duxisse duas sorores, Rachelem & Liam; sic tenent Sanchez, Candidus, Cayet. & Salmant. cum pluribus.

Dices: Quòd D. Ioannes Baptista, acriter reprehendebat Herodem, quia duxerat in coniugem

vxo-

vxorem fratris sui Philippi, vt dicitur Matth.14. & vt ait Chrysost. tunc erat mortuus Philippus, & non reprehendebatur, quia agebat contra leges Iudeorum, quia his non tenebatur, cum esset Gentilis: ergo quia operabatur contra ius naturæ. Resp. cum D.T. sup. illum loc. Matth. quod tunc Philippus frater Herodis, erat viuus; & id Ecclesia insinuat, in festo decollationis S. Ioann. dicens: Ioannes arguebat Herodem, propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo vxorem. Vel etiam, si esset mortuus, rectè arguebatur, quia licet Herodes esset Gentilis, erat filius cuiusdam Iudæi, vt ait Iosephus, & sic legibus Iudæorum tenebatur.

Dubium est, de primo gradu lineæ rectæ, an Matrimonium cum tali affinitate contractum, iure naturæ sit irritum? vt inter privignum & novercam, id est *antenado, y madraſtra*, vel inter privignam & vitricum: *antenada, y padraſtro*, vel inter socrum & nurum, *ſuegro y nuera*, aut socrum & generum, *ſuegra y yerno*. Aliqui affirmant cum Soto; sed vetior sententia est negativa, quam insinuare videtur D.Tho. 2. 2. q.154. art.9. ad 3. vbi ait: Quó l personæ, quæ ex se non coniunguntur, sed per ordinem ad parentes, non habent tantam indecentiam. Ratio est 1. quia in Concil. Agatens. Can.6. & in Arelat.3. Can. 10. prohibetur Matrimonium cum privigna, & cum noverca á patre relicta, & si antea fuerit contractum, decernit esse sustinendum, & sic iure naturæ, irritum non est, alias nullo modo sustineri posset. 2. quia tale Matrimonium, non opponitur substantiæ & bonis Matrimonij, quia rectè possunt sic affines, sibi debitum reddere, fidem seruare & prolem instruere; alias non est tanta reverentia inter nurum & socerum, aut socrum & generum, vt reddat tale Matrimonium iure naturæ irritum; hoc enim solum habetur in illis, qui esse suum, per se ab alijs recipiunt, vt inter parentes & filios; vndé addit D. T. loc. proximé cit. variatur circa hoc, decentia vel indecentia, secundum consuetudinem & legem humanam vel divinam; sic etiam tenent Cayet. Candidus, Palaus, & alij plures.

Nec obstat: quód ait Paulus 1. ad Cor.5. quod concubitus privigni cum noverca, est fornicatio, qualis nec inter gentes aliquis habet. Dicitur enim, quod loquitur de coniugio cum vxore patris, eo vivente, vt explicat D.T. ibi & constat ex textu dicente, quod talis fornicatio, nec inter gentes audita est; aliquando autem id fuit inter gentes auditum, quod vxor patris mortui, ducta est á filio ex alia vxore genito, vt refert Valer. Max. de Antiocho, qui contraxit cum Stratonica vxore patris Seleuci hoc mortuo, & apud Persas mos erat, vt filius parentis mortui, duceret novercam á patre relictam; & licet ea coniugia, fuerint apud Gentiles rarissima, hoc non est, quia iure naturæ sint irrita, sed quia in illis apparet quædam indecentia, & eadem ratione nunquam legitur, fuisse ad hoc á Sede Apostolica dispensatum, nec vllus Catholicorum, nunquâ tale tentaverit exequi. Sed pro huius complemẽto notandũ est, quod affinitas antecedens, dirimit Matrimonium postea contractum, nam si est superveniens Matrimonio contracto, per copulam illicitam, cum consanguineo coniugis, illud non dirimit, sed tantum impedit eius vsum, ita, vt qui talem incestum committit, iure petendi debitum coniugale privatur, nisi habita dispensatione, quam Episcopus potest conferre, licet non privetur facultate reddendi, ne coniux innocens, puniatur ob alterius delictum, sic D.T. hic, q.58. art.4. in corp.

Quinta difficultas: De impedimento impotentiæ. Impotentia coeundi, quæ hoc impedimentum constituit, est illa, *qua nequit copula maritalis haberi, per penetrationem vasis naturalis fœminei, & effusionem seminis intra illud, ad prolis generationem apti*; circa quod plura congerunt authores, quæ vix possunt claré & honestè proferri, & ideó sola necessariora, Theologico stilo pertractabimus, supponendo quod impotentia, alia antecedit Matrimonium, alia sequitur ad illud, alia est perpetua, alia temporalis, alia naturalis & ab intrinseco, alia accidentalis & ab extrinseco; rursus, naturalis, alia ex defectu caloris, aut membrorum ad vsum coniugij ex parte viri, alia, ex arctitudine partium naturalium fœminæ; alia naturalis respectiva, vt in viro, ad has vel illas fœminas, & non ad omnes, & similiter in fœmina respectu viri, alia absoluta, quo ad omnes fœminas aut viros; item accidentalis, alia á natura, vt in senibus, alia ab homine, vt in eunuchis & membro mutilatis; alia ex arte Dœmonum, quæ dicitur maleficium, de quibus omnibus, breviter agemus.

Dubitabis 1. De impotentia perpetua, absoluta & naturali. Notandúm, quod illa impotentia dicitur perpetua, quæ nullo medicamento vel arte, potest auferri sine miraculo, peccato aut mortis periculo, & licet aliquo ex his modis possit tolli, perpetua est. Vndé, si post contractum Matrimonium, coniux per miraculum, peccatum, aut medicinam inducentem periculum mortis, fiat potens, Matrimonium est invalidum, sed poterit aliud inire, vel illud post acceptam potentiam revalidare; contrahens verò, suæ impotentiæ conscius, mortaliter peccat, quia alteri coniugi, facit iniuriam. Non solum autem est impotentia perpetua, quæ oritur ex debilitate aut frigiditate, sed etiam orta ex nimio calore, & arctatione fœminæ, ratione cuius, emissio seminis antecedit coitum, quia talis copula, non est ad generationem apta.

Dicendúm est ergo: Quód impotentia perpetua, dirimit Matrimonium iure Ecclesiastico, & naturali; de Ecclesiastico pat. ex cap. fraternitatis, de frigidis & malef. De iure naturæ prob. Túm, quia

quia nemo potest tradere dominium rei quam non habet; impotens autem perpetuo, non habet corpus aptum ad vsum copulæ, & sic, nequit illud alteri tradere. Tùm, quia nemo potest ad impossibile obligari, vsus autem Matrimonij in impotenti, impossibilis est, & ideo nequit obligari ad illum. Nec obstat, quod sit diversus vsus á dominio; nam cum impossibilitate vsus, nequit dominium conferri. Undé ait D.T. 3.p. q.29. art.2. quód Matrimonium B.Virginis cum S.Ioseph, validum fuit, quia licet non habuerint vsum coniugij, nec contraxerint in ordine ad illum, ex se potentes erant, & ita exercerent, si Deo placere iudicarent.

Deindé, impotentia temporalis, non dirimit Matrimonium, vt ait D. T. hic, q.58. art.2. quia impotens solum pro aliquo tempore, est absolutè potens; & ideo potest obligari ad vsum coniugij, pro tempore quo potuerit, dum sine miraculo, peccato aut vitæ periculo, ope aut artificio humano, possit auferri; sed peccat mortaliter, conscius suæ impotentiæ temporalis, si contrahit cum illa, nam iniuriam facit alteri coniugi, illius inscio, privando illum, vsu debiti coniugalis; sed si quis est inscius talis impotentiæ temporalis, validé contrahit, tale enim Matrimonium, non est irritum iure naturæ, quia potentia perpetua, non est de essentia Matrimonij; nec etiam iure Ecclesiastico, quia nullum datur ius id asserens, quin potius assignatur tempus, ad summendam experientiam, & si Matrimonium fuerit dissolutum, & constet impotentiam perpetuam non esse, iubetur restaurari. Steriles verò ratione senectutis, vel alia causa, validé contrahunt, quia veré possunt copula maritali coniungi, licet per accidens generare nequeant, ex speciali qualitate & temperamento, & sic parentes Baptistæ, licet essent steriles, validé Matrimonium contraxerunt, vt dicitur Luc.2.

Dubitabis 2. De impotentia ex parte fœminæ. Tunc censetur perpetua impotentia fœminæ, quando in ea, ita sunt stricta pudoris claustra, vt nequeant reserari arte humana, sine vitæ periculo vel peccato; vndé si virgo, suo viro esset arcta & si cognosceretur ab alio, fieret ei apta, illius impotentia censetur perpetua, quia impossibile reputatur, quod sine peccato fieri nequit; id enim possumus, quod licitè possumus, si autem impotentia possit per artem humanam superari, sine periculo vitæ, non dirimit Matrimonium, quamvis mulier incisionem recusat, quia perpetuitas impotentiæ, non attenditur ex voluntate, sed ex natura rei, nec requiritur quod actu tollatur, sed quod tolli possit. An autem mulier arcta viro suo, teneatur pati incisionem, sine vitæ periculo, vt apta fiat? Resp. quód sic, quia ita est necessarium, vt solvat coniugale debitum ex iustitia, & etiam tenetur ex charitate, ad vitandum periculum incontinentiæ in coniuge; sic tenent Sanchez, Cornejo, & Soto; licet aliqui hoc limitent, nisi ex incisione sequatur gravissimus morbus, aut læsio diuturna.

Sed si medici iudicant, fœminam per incisionem, exponi vitæ periculo & postea experimento constaret esse falsum, restituenda esset in Matrimonium, etsi vir duxisset alteram, quia medici fuerunt decepti, & impedimentum cessavit sine miraculo, peccato, aut mortis periculo, & sic Matrimonium primum subsistit, & secundum est nullum; sed si fœmina, mortis periculum fuerit experta per incisionem, & illud evaserit, licet si apta viro, Matrimonium est nullum, quia impotentia perpetua fuit, quæ sine mortis periculo auferri non potuit; at in casu dubij de tali periculo, censendum est illud imminere, & ita Matrimonium esse nullum; sic tenent Palaus, Sanchez, Candidus, & Gutierrez. Impotentia verò fœminæ vel viri, solum respectu huius particularis coniugis, reddit Matrimonium nullum inter eos, licet cum alijs proportionatis validum sit; quia Matrimonium, est contractus inter certas personas, & sic non respicit potentiam coeundi in genere, sed respectu huius personæ in particulari; sic tenent authores citati.

Dices: quód D.Tho. hic, q.58. art.1. ad 5. ait: Quod non potest esse impedimentum naturale viro, respectu vnius personæ, & non respectu alterius. Resp. D.T. loqui, de impotentia naturali frigiditatis aut debilitatis, non verò improportionis, quia frigiditas, indicat naturalem viri debilitatem, & per hanc redditur impotens ad omnes fœminas. *Si dicas*: mulier est frigidior viro & non ideo impeditur á Matrimonio. Resp. quód vir in generatione est agens, & sic maiorem caliditatem requirit quam fœmina, quæ patiens est, ideoque illam non reddit impotentem frigiditas, sicut virum, licet ex alijs causis, vt ex arctitudine, possit impotens esse, de quibus idem est faciendum iudicium, ac de frigiditate viri; sic D.T. ibi ad 6.

Sed fœmina virgo, quæ nequit á debili sene cognosci, qui potest ad corruptam, si possit arte iuvari, sine peccato aut vitæ periculo, id fieri potest. & tunc Matrimonium validum est. An verò fœmina, teneatur apertionem per artem sustinere? Affirmant aliqui suo sensui trahentes D.T. loc.cit. ad 5. sed re vera D.T. solum ait, quod possunt claustra pudoris medicinaliter frangi, & viro coniungi, non verò dicit virginem ad id teneri. Vndé dicimus, quod non tenetur. Tùm, quia per ipsam non stat quod debitum non reddat, nec habet specialem arctitudinem, præter communem, ortam ex virginitate, & ideo non illi sed viro impotenti, debent medicamenta applicari. Tùm, quia fœmina traddit corpus suum ad vsum coniugij, modo á natura destinato, & hic est vt referetur per virile membrum, & non per artificium. Sed si vir solum moveatur ad fœminam pulchram, & non ad

fœdam, hæc tenetur virum suum, blanditijs, & omnibus modis licitis, ad se trahere, & si post trienium hoc non vincitur, impotentia respectu illius fœminæ, perpetua iudicatur; & idem est, si ex repugnantia, vel antipathia, nequeat vir ad certam fœminam excitari, de quo audivimus plura temporibus nostris; sic D.T. loc. proximé cit.

Dubitabis 3. De impotentia perpetua accidentali, & ab extrinseco orta, quæ ex quadruplici capite potest oriri. *Primó* ex defectu ætatis, vt si pueri ante pubertatem contrahunt, quod Matrimonium iure Ecclesiastico est nullum, licet non iure naturæ; primùm patet, quia in diversis iuribus statuitur, quod pueri ante quartumdecimum annum contrahere nequeunt, nec puellæ ante duodecimum; secúndum constat, quia talis impotentia puerorum, solum est temporalis, & possunt se obligare, pro tempore quo possint, si alias sint doli capaces, & obligationem Matrimonij agnoscentes, & quando adest potentia generandi, censenda est sufficiens maturitas discretionis & iudicij, sed quia istæ qualitates in foro externo, non præsumuntur ante pubertatem, ei qui contrahere vult, incumbit probatio iudicij & potentiæ generandi, vel ob copulam habitam, vel effusionem seminis, quam probare possit; quod si forté in pubertate, non habuerunt potentiam ad copulam, validé contrahere possunt, expectando tempus experimenti, quod est in viro annus decimus octavus, & in fœmina decimus quartus, quia tunc plenam pubertatem attingunt, & antea præsumi potest, impotentiam ex fragilitate ætatis provenire.

Secundó, potest hæc impotentia provenire ex debilitate, vt in senibus; hi autem licet decrepiti & sterile, si solo senectutis defectu laborent, validé contrahunt, quia nullus est adeo frigidus qui natura vel arte, non possit ad coitum excitari, & ideo Ecclesia, nullum senem á coniugio excludit, quia licet generare non possint, bené veró consummare, quod præcipué verum est in fœminis cuiusvis ætatis, dum pati possint ingressum viri ad claustra pudoris, ideoque senibus conceditur Matrimonium, vt est in remedium concupiscentiæ, licet non in officium naturæ, sic D.T. loc. cit. Aliqui asserunt, quod quantumvis senes sunt exhausti, contrahere possunt, quia illa est impotentia per accidens; sed hoc falsum est, quia illa est impotentia perpetua, licet proveniat ex accidenti, & hæc dirimit Matrimonium, sicut in illis quibus virilia sunt amputata, vel testiculi præcisi, hoc est, vtroque carentes, nam si solum vnico carent, validé contrahunt, nam possunt verum semen imitere, imó & generare, non veró si ambo testiculi sunt amputati, vel etiam contusi, quia licet aliquando semen emittant, prolificum tamen non est. Moribundus autem in extremis constitutus, validé contrahit, quia veram potentiam generandi habet, licet pro eo tempore per accidens impeditam, & aliquando contrahere tenetur, ad consulendum honori fœminæ, & legitimandam prolem, quam ex illa susceperit.

Tertió, potest hæc impotentia provenire, ex arte Dæmonis, per maleficium, & si est perpetua, reddit irritum Matrimonium, vt ait D.T. loc. cit. art. 2. quia maleficiato est impossibilis copula respectu illius, respectu cuius patitur maleficium, & ad impossibile nemo obligatur; & colligitur impotentiam ex maleficio provenire; si vir erigit virgam, & cum accedit ad fœminam, laxantur organa, hoc enim naturale non est, quousque spiritus inflantes consumantur; deindé, si vir in somnis polluitur, si excitatur ad alias fœminas, & non ad suam pulchriorem illis, aut si fœmina ita sit arcta, vt non possit cognosci á suo viro, bené veró ab alio eiusdem complexionis, vel si vir suus, ei repræsentaretur horrendus, & non alij. & similiter fœmina respectu viri. Hæc autem impotentia dicitur perpetua, si post trienium præfixum, nullo modo potest auferri; si veró possit tolli exorcismis & pœnitentia coniugum, non est perpetua, & Matrimonium erit validum, quia hic effectus, non censetur miraculosus, quia Deus per illa media, regulariter eum producit; si veró per aliud maleficium impotentia removeri possit & non aliter, iudicatur perpetua, quia maleficium, est peccatum gravissimum, & impotentia quæ nequit tolli sine peccato, perpetua est vt vidimus, & habetur apud D.T. in 4. dist. 34. q. vnic. art. 3. ad 3.

Quartó, hæc impotentia, potest Matrimonio supervenire, nam hucusque egimus de antecedenti; si ergo superveniat sive ob frigiditatem viri, aut arctationem fœminæ, vel ex maleficio aut castratione, sive Matrimonium sit consummatum, sive solum ratum, illud non irritat: quia Matrimonium, ex natura sua est indissolubile, nisi ex speciali Dei privilegio dissolvatur, & impotentia quæ reddit personas inhabiles ad contrahendum, non dissolvit Matrimonium contractum, vt Theologi communiter dicunt. Si veró impotentia superveniens sit talis, vt vir ob nimiam frigiditatem aut calorem, nequeat intra vas fœminæ seminare, vel hæc ita sit arcta, vt á viro penetrari nequeat, & hoc experimento constet, non licet eos conari ad copulam cum periculo pollutionis, bené veró sine illo, & similiter licent inter eos, tactus oscula, &c. quia veri sunt coniuges, & licet hos ad copulam quæ impossibilis est, referre nequeant, bené veró ad concupiscentiam sedandam, & benevolentiam fovendam; sed si impotentia superveniens, sit ad effundendum verum semen, non veró ad fœminam penetrandam, licitus est conatus ad copulam sicut antea, ob rationem proximé dictam. Sequitur impedimentum clandestinitatis, ex defectu Parrochi & testium, de quo satis dictum est suprá, art. 3. diffic.

diffic.5. & 6. & ideo nihil dicimus, ne actum reagamus.

Sexta difficultas: De impedimento raptus. De hoc aliquid egimus suprá, art.7. diffic.6. quatenús est impedimentum puré impediens; nunc agimus de illo, vt est impedimentum dirimens. Raptus ergo, vt constituit specialem luxuriæ speciem, est violentia fœminæ facta, causa explendæ libidinis; habetque duas malitias, aliam contra castitatem, & aliam contra iustitiam, cui etiam possunt aliæ malitiæ adiungi, vt stupri si est virgo, adulterij si est vxorata, & incestus, si est consanguinea; & licet ad raptum specialiter sumptum de quo agimus hic, requiratur quod fœmina ducatur de loco in locum, sed ad illum vt est species luxuriæ, id non requiritur, sed quod fœmina per vim cognoscatur, quia sic iniustitia committitur, vt ait D.T. 2. 2. q. 154. art.7. quod si fœmina sit sub cura parentum aut tutorum, licet ipsa consentiat, si non consentiunt illi, datur vera species luxuriæ, quæ est raptus, nam licet fœminæ non fiat iniuria, quia est sciens & volens, fit tamen iniuria parentibus aut tutoribus, quam fœmina remittere nequit.

Specialis autem raptus, de quo in præsenti disserimus est: *Violenta fœminæ abductio de loco in locum causa Matrimonij*; Dicitur *violenta*, quia requiritur violentia physica, per extractionem á domo, vel moralis, per minas sufficientes, ad causandum metum viri constantis; vndé si fœmina consentit, non datur raptus de quo loquimur, sed potius mulieris fuga; si autem dentur minæ nimis prolixæ, incussæ ab eo qui habet superioritatem, & fœmina non audeat ei contradicere, violentiæ comparantur, & sic est raptus; si verò præces sunt alterius generis, raptus non erit; sed si dolo & fraude, mulier consentit in abductionem, raptus non est, quia vis non infertur, & si voluntarium auferatur; sicut non est rapina, quando fraude aut dolo, aliquis rapit alienam rem, sic Palaus, Sanchez, & Dicastillus.

Dicitur *fœminæ*, id est cuiusvis fœminæ, sive sit virgo, sive corrupta, sive vxorata, sive soluta, sive bonæ famæ, sive malæ, quia ad raptum de quo loquimur, non tám attenditur conditio subiecti, quám iniustitia illata, qua destruitur libertas, ad Matrimonium requisita. Verum quidem est quod ad incurrendas pœnas, á iure raptoribus statutas, requiritur quod mulier rapta, sit honestæ famæ, quia ad hoc attenditur qualitas personæ non verò ad raptum. Dicitur: *abductio de loco in locum*, non enim sufficit, quod fœmina cognoscatur per vim, sed quod ducatur ad alium locum, in quo sit sub viri potestate, licet non cognoscatur ab eo turpiter; vndé si postea raptor, pœnitentia ductus, vel alias impeditus fœminam non cognoscit, pœnas raptorum incurrit, quia iam est iniustitia irrogata, & libertas exacta ad Matrimonium impedita, si autem fœmina ducatur ad cameram secretiorem eiusdem domus, vt liberius fruatur, hic non est raptus, nisi abducatur de domo propria, & ponatur in alia, in qua sit sub potestate raptoris. Dicitur: *causa Matrimonij*, quia ad raptum, hæc intentio requiritur; vndé si non ducitur fœmina hoc fine contrahendi, sed vt redigatur in captivitatem, vel alio motivo, non datur raptus, ita Sanchez, & Dicastillo.

Pœnæ autem, á Tridentino pro raptoribus statutæ, Sess.24. cap.6. sunt, quod raptor, & omnes illi consilium aut auxilium vel favorem præbentes, sunt ipso iure excomunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si fuerint Clerici, de proprio gradu decidunt; & tenetur raptor, sive mulierem vxorem ducat, sive non, eam arbitrio iudicis decenter dotare; sed solum inhabilitas ad contrahendum cum rapta & excomunicatio, ipso facto incurruntur; aliæ verò pœnæ, requirunt iudicis sententiam; nam licet regulariter, pœna privativa incurratur, ante sententiam iudicis, nō autem quando magnam acerbitatem vel infamiam perpetuam continet, vt in præsenti contingit; sic tenent Sanchez, Dicastillus, Perez, & Palaus.

Dubitabis 1. An dictas pœnas incurrat mulier, virum rapiens, ad contrahendum cum illo? Resp. negativé; cum authoribus citatis, nam licet aliqui extendant Decretum Concilij, ad fœminas raptrices, quia in ordine ad Matrimonium, sunt correlativæ virorum; sed re vera intentum Concilij, est favere fœminarum fragilitati, quæ magis expositæ sunt violentiæ virorum, & earum raptus accidit frequentius, & rarissimum est, fœminam esse viri raptricem, nec decretum cum sit pœnale, & correctivum iuris communis, est ad fœminas extendendum, sed de viris strictè interpretandum, cum non currat in vtroque, eadem ratio decidendi, vt patet.

Dubitabis 2. An vir incurrat istas pœnas, si consentiente fœmina, eam abducit de domo Patris aut tutorum, resistentibus his? Resp. quod non: Ratio est: quia licet ille verè sit raptor, in ordine ad alios effectus, & vt incurrat pœnas iure communi statutas, quia in hoc solum attenditur ad iniuriam, fœminæ, parentibus aut tutoribus factam, sed Concilium præcipuè intendit violentiam vitare, vt Matrimonium contrahatur libere, ad quod solum requiritur consensus fœminæ, nec memoratur consensus parentum, nec præcipit eis restitui, sed in loco tuto collocari, vt voluntarié deliberet, de consensu vel dissensu, sed si parentes consentiunt in raptum & non fœmina, tunc raptor incurret pœnas á Concilio positas, nec posset illi fœminæ nubere, quandiu est sub eius potestate; sic Perez, Dicastillo, Palaus, & Salmant.

Dubitabis 3. An si raptor fœminam repugnantem ducat, non animo contrahendi, sed solum ad libidinem explendam, dictas pœnas incurrat, &

non

non posit ducere illam, nisi in loco tuto reponat? Resp. negativé. Tum, quia Concilium intendit favere Matrimonio, ne fiat sine libertate, & coercere raptorem, ne cum spe contrahendi, fœminam abducat. Tum, quia Decretum Concilij, est pœnale & correctivum iuris communis, & sic debet restringi, & non extendi; sic tenent authores citati, licet aliqui probabiliter sentiant oppositum, quia quo ad pœnarum incursum generaliter & indistinctè Concilium loquitur. *Sed quid*, si raptor abducat fœminam, quam sibi de futuro desponsaverat? Resp. quód pœnas incurrit, quia fœmina quamvis desponsata, cogi non potest vt fidem servet, quia sic impeditur libertas Matrimonij; sic tenent Cornejo, & Sanchez; sed pars negativa, est etiam probabilis, quia iura assignant pro conditione raptus, quod fœmina quæ abducitur, non sit sponsa raptoris. Nec potest interpretari de sponsa de præsenti, quia textus in cap. lex illa 36. q. 1. & cap. penult. de raptoribus, aperte dicit, quod inter illos, nõ fuerit aliquis tractatus de Matrimonio, quod intelligitur de sponsis de futuro; sic tenent Sanchez, & Salmant.

ARTICVLVS XII.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de impedimento vis seu violentiæ & metus. Fœmina quedam plebeia, in facie Ecclesiæ contraxit, cum viro eiusdem conditionis, & cum illo cohabitavit per annum, sed ab eo postea fugit, allegans impedimentum violentiæ, & metus iniustè illati, quem ex indè probabat, quod cum summè talem virum abhorreret, mater non semel ei dixit, & cum iuramento affirmavit, quod eam vt filiam non erat agnitura, nec præstitura officia materna, nisi viro illi nuberet, addens præterea minas, verbera & ludibria, & licet ipsa tempore contractus, voluerit de violentia reclamare, destitit ex turbatione & ex metu mariti, nec thorum & copulam admisit, nisi ex eisdem causis. Quæritur: quid circa hoc sentiendum? Circa copulam metu extortam, aliquid suprà diximus, art. 6. cas. 8. nunc pro intelligentia pleniori impedimenti vis, seu metus & violentiæ, præter dicta, art. præced. diffic. 1. apponimus sequentia.

Dicendum est ergo, quod si attentis omnibus circumstantijs, metus sit levis, seu cadens in virum inconstantem, licet fuerit causa Matrimonij, illud non reddit irritum; sic tenent communiter authores, quia metus levis secundum iura, reputatur pro nihilo; & ratio est: quia talis metus, iure naturæ Matrimonium non irritat; siquidem nec metus gravis hoc habet. & licet haberet, non esset idem dicendum de metu levi, qui solum leviter minuit coniugum amorem; nec irritat iure Ecclesiastico, quia omnia iura circa hoc, loquuntur de metu gravi, & merito, nam non est proprium viri prudentis & constantis, ex levi damno moveri, ad rem tã arduam aggrediendam: præterquam, quod alias, ferè omnia Matrimonia, possent faciliter irritari, nam metus levis, ex pluribus capitibus posset obijci.

Nec obstat: Quód metus etiam levis, libertatem minuit; dicitur enim, quod minuit leviter, & lædit irrationabiliter, de quo curandum non est; & licet aliquando tantum operetur in pusillanimi, quantum metus gravis in forti, hoc non est per se & ex natura sua, sed per accidens, & ex debilitate subiecti, nisi talibus conditionibus loci & personæ, metus levis incutiatur, quod moraliter gravis iudicetur. *Si dicas*: quód alij contractus, facti ex metu levi, iudicantur nulli; Resp. quód est disparitas, nam metus levis in Matrimonio, propter iniustitiam parti factam, ei relinquit actionem in foro conscientiæ, contra inferentem metum, & hic tenetur accepta restituere; sed in foro externo non habet locum obiectio talis metus, ne pateat faciliter, nullitati & litibus aditus, vt vidimus, & possit faciliter dissolvi, quod est ex natura sua indissolubile.

Interrogabis: An metus reverentialis, sit putandus gravis, ad irritandum Matrimonium? Notandum: quód metus reverentialis, cadit in vxore respectu viri, in filio respectu patris vel matris, in genero respectu soceri, in filia minori, respectu fratris maioris, vel etiam sororis, & etiam in fratre minori respectu maioris, in pupillo respectu tutoris, in Clerico respectu Episcopi, & in subdito respectu Magistratus; qui metus reverentialis, potest meditari dupliciter, vel pro rubore inferiorum ad negandum id quod superioribus placere sciunt, sine alio periculo vel timore, damni vel minæ. nam licet hæc, per se non sufficiant ad Matrimonium irritandum, bené verò metui reverentiali adiuncta; sed ab eis præscindendo, si superior talis est conditionis, quod solum leviter offenditur, ex quo ei denegetur quod petit, metus illius Matrimonium non irritat, nam debet grave malum imminere, quod tunc re vera non imminet, alias quicquid faceret inferior postulatus á superiori, censeretur nullum, quia ex reverentia diceretur factum.

Secundó potest summi metus reverentialis proprié, & est: *Futuri mali existimatio, quod nobis metuimus, ab his in quorum legitima potestate sumus, & quos cultu & honore veneramur.* Vndé ad hũc metũ requiritur, quod ex denegata obediẽtia superioti, timeatur grave malum, vt est habere patrem infensum, male aspicientem, aspere loquentem, licet non dicat opprobria, nec minetur verbera, & si hæc fuerint diuturna, grave malum sunt, præcipuè á patre incussa, licet ab alijs parvipendantur; hic metus reverentialis, & timor illius mali, sufficit ad irritandum Matrimonium, quia est

timor

timor gravis mali,& potest rationabiliter quëlibet movere. & filius vt illud vitet, eligit contra suam voluntatem facere, id quod videt patri suo placere; sic tenent Basilius, Dicastillus,& Sanchez,cum pluribus quos adducit.

Quid autem de precibus, & blanditijs importunis, repetitis & instantissimis, sufficiunt ne ad Matrimonium irritandum? Resp.quód illæ per se, non sunt ad hoc sufficientes, bené verò si adiungantur timori gravis mali,á superiori inducendi;& imminentis;prima pars patet: quia si præces per se ad hoc sufficerent, qui consequeretur precibus ab amico aliquid, factum non teneret & similiter irritum esset,quod Princeps rogatus faceret,& etiam esset nullum Matrimonium factum a puella precibus amasij,quæ omnia sunt absurda; eo quod præces, licet flectant animum, sed non ita cogunt, quod si sunt ab inferioribus,vel æqualibus repetitæ, nequeant resisti facile; & ideo Sanson inconstans iudicatur, quia mulierculæ precibus, contra dictamen rationis, suam fortitudinem manifestavit; secunda pars constat ex dictis, nam timor reverentialis patris rogantis, & imminentis grave damnum,reddit Matrimonium irritum,sicut etiam irrita censetur professio religiosa, repetitis & importunis precibus Patris facta.

Ex his patet, quid respondendum ad casum propositum; dicitur enim, quod talis mulier,debebat á iugo prioris Matrimonij liberari, dando marito putatitio, facultatem transeundi ad alias nuptias, quia re vera mulier vt refertur, satis probavit, se fuisse metu iniusto & reverentiali, gravi æquivalenti, á matre permota,ad tale Matrimonium contrahendum, vt patet manifestè, si expendantur singulæ circumstantiæ, & conferantur cum adducta doctrina; & eidem mulieri daretur facultas transeundi ad aliud Matrimonium,nullo alio existente impedimento; & supponitur in casu, fuisse verum consensum, nam si hic esset fictus, Matrimonium esset nullum ratione fictionis, sed ratione solius metus, consensus non deficit, licet sit mixtus cum dissensu, vel mixtus ex voluntario & involuntario, vt ait D.T. 1. 2. q.6. art.6.

Casus secundus,de impedimento ordinis. Adolescens quidam,Matrimonium contraxit,ætatis suæ anno decimo quarto, computato tempore á die suæ conceptionis, & antequam á decimum quartum perveniret, facta computatione á tempore Nativitatis, quendam virum doctum consuluit: qui ipsum instruxit de Matrimonij nullitate, qua propter, se in aliam Provintiam transtulit, in qua volens ad sacros ordines promoveri, illis fuit insignitus,vigesimo secundo anno incepto, facta similiter computatione, á die conceptionis, postea ad patriam remigrans,tacito sacro ordine, coactus fuit ad vxorem redire,quæ ex illo ignorante filium concepit & peperit. Quæritur: an vir ille, sit in conscientia securus? Resp. quód in eo casu, Matrimonium fuit verum,licet ante annos pubertatis contractum, non quia tempus computatum fuit á die conceptionis (hoc enim difficile est cognitu & dictu, quia ætas non computatur per tempus nativitatis in vtero, sed ex vtero, vt rectè distinguit D.T. hic, q.56. art.2. ad 1.) sed quia malitia supplente ætatem, valet Matrimonium ante pubertatem contractum, vt communiter authores sentiunt; & sic videtur supleviſſe in casu dicto, quod comprobat copula prius habita, cum fœtu secuto, & sic Matrimonium validum fuit.

Standum est ergo, pro casu isto,doctrinæ generali traditæ á D.T. hic, q.53. art.4. quæ reducitur ad dicta hæc. Primó ergo certum est: quód homo coniugatus, nequit prima tonsura, vel quatuor minoribus ordinibus initiari,nisi servatis conditionibus requisitis, vt coniugatus ordinetur in sacris, & Episcopus talem tonsurans, vel tonsuratum ante Matrimonium, ad minores ordines admittens, incurret suspensionem á collatione ordinum per annum. *Dices*:Ecclesiastica iura,plus detestantur coniugium post ordines, quam é contra, vt patet in Sacerdotibus Græcis; sed ordinatus in minoribus,potest vxorem ducere:ergo etiam vxoratus, minoribus initiari. Resp. quód sic statuunt iura, de quo datur ratio apparens, nam Ecclesia noluit ordinatis in minoribus, eam obligationem imponere;sed vxorato prohibuit ordines minores, qui sunt quedam dispositio ad maiores, & qui est incapax formæ, etiam incapax est dispositione ad illam.

Deindé est certum, quod vxorato non licet,sine facultate vxoris, vel interveniente iusto divortio, ad ordines sacros promoveri,vt habetur in iure cap. coniugatus,& ipsa obligatio voti castitatis ordini annexa,id suadet: quia ledit ius sponsæ;quod verum est,non solum de Matrimonio consummato, sed etiam de rato, & Ioan.22. in extravag.antiquæ, de voto, imposuit irregularitatem vxoratis, qui sine licentia vxoris,aut divortio iusto,in sacris ordinantur,quæ pœna durat,adhuc vxore mortua, quousque absolvatur ab illa. *Si dicas*: vxoratus ante consumatum Matrimonium,potest vxore invita religionem profiteri: ergo etiam potest in sacris ordinari. Resp. quód est disparitas: quia professio religiosa, dirimit Matrimonium ratum non consumatum, & sic vxor, nequit repetere virum, nec hic tenetur ipsa petente, ad illam redire, nec ad id potest compelli, & mulier potest cum alio contrahere, cum primum Matrimonium sit dissolutum, sed per Ordinationem sacram, Matrimonium ratum non consumatum non dirimitur, nec vxor potest cum alio contrahere, & sic illi fit iniuria manifesta, & potest virum petere, & hic tenetur redire & ad hoc compelli, & debet vxori reddere debitum coniugale, sed non petere, quia

per votum castitatis in Ordinatione emissum, ab hoc impeditur, sicut etiam impeditur, ab executione ordinis recepti, vt ait D.T. loc. cit.

Inquires: An qui promovetur ad ordines sacros vxore invita, ante Matrimonij consumationem, teneatur religionem ingredi, vt sic, suæ vxori iniustitiam non faciat, & votum possit implere? Affirmant aliqui cum Azor, & Ledesma; sed licet optimé faceret, qui in eo casu ingrederetur religionem, sed ad id non tenetur, quia in extravag. cit. solum dicitur, quod admoneatur á Diœcesano ad id faciendum, quod obligationem non sonat; & etiam, quia multo plus est religionem ingredi, quam continentiam servare, & illud est medium difficilimum, ad quod non debet obligari, qui solum ad minus tenetur; sic tenent Sanchez cum alij. Sed tamen de facultate vxoris, potest coniugatus, licité ad sacros ordines promoveri, vt habetur in illa extravag. sed illa facultas, debet esse libera & spontanea, & non per dolum, fraudem, aut metum gravem extorta, & etiam expressa, quia per hoc, vxor suo iure privatur, & sic eius expressa facultas requiritur; sed si post facultatem & Ordinationem, vir vxorem cognosceret, ambo peccato sacrilegij peccarent, sed non peccato fornicationis, quia nullus eorum accederet ad non suum; ita Suarez, Tom.3. de relig. lib.9. cap.29.

Deindé requiritur, quod vxor talem facultatem conferens, voveat castitatem; sed an teneatur religionem ingredi? Aliqui dicunt, sufficere castitatis votum, quamvis maneat in sæculo, quia de hoc non datur expressum ius; ita Diana, alij verò probabilius dicunt, quod si mulier est iuvenis, vltra votum simplex castitatis, tenetur ingredi religionem, non autem si est senex, hæc enim cum voto, potest manere in sæculo, vt dicunt Sotus, & Sanchez; excipitur quando vir eius, est ad Episcopatum promotus, quia tunc vxor adhuc senex, debet religionem ingredi, propter specialem decentiam status Episcopalis. Sed post mortem viri, nequit vxor in sæculo manens licité Matrimonium contrahere, quia votum castitatis quod emmisit, perpetuum est; An verò tale Matrimonium esset validum? Resp. quód non, quia sic expresse habetur in cap. quia sunt, dist.28. licet enim eius votum fuerit simplex, potest ius Ecclesiasticum in eo casu, eius Matrimonium annullare, sicut fecit; Vir autem, ex iusta causa divortij, vxore inscia vel invita, potest in sacris ordinari, sicut & religionē ingredi, & in eo casu, vxor non tenetur ad castitatis votum, nec Matrimonium ab ea, post mortem viri contractum, esset nullum, quia iura solum loquuntur, quando de facultate vxoris, vir sacros ordines recipit; & si divortium fuit ex culpa viri, aliqui negant, illum posse sine facultate vxoris ordinari; sed si vxor rogata, reconciliari nolit, verius dicunt alij, posse virum sine illius facultate, sacros ordines recipere; sic tenent Salmantic. ex quibus patet, quid ad casum positum sit respondendum.

Casus tertius, de publica honestate. Vir quidam, desponsavit filium suum impuberem, cum fœmina iam nubili, dicente sibi, reservare ius resiliendi, si aliquando facti pœniteret; moritur deindé vxor patris, & hic desiderat nuptias cum fœmina filio desponsata, & ea consentiente, petijt á Sede Apostolica, dispensationem impedimenti publicæ honestatis, dicens filium suum adhuc viventem, cessisse libere suo iure; accedit dispensatio, in qua nulla de renuntiatione filij fit mentio. Quid de casu isto censendum est? Ad huius responsionem resolvendum est prius: an necessaria fuisset illa dispensatio, ad auferendum impedimentum, vt Pater validé & licité posset contrahere? Resp. quód sic, nam alias impuberes, debilitate animi & inconstantia iudicij, persuasi á se vel ab alijs, frequenter ex levissimis causis resilirent, & nemo cum illis contrahere vellet, & idipsum ex varietate muliebris genij timeri potuit.

Sed an sufficerit in dispensatione petenda, exprimere primum gradum, vel deberet addi circumstantia lineæ rectæ? Dicatur: quód cũ Concilium solum exprimat pro impedimento isto publicæ honestatis, primum gradum, non apparet ratio, cur deberet exprimi in petitione & rescripto; sed si exprimeretur, consulerem, quod illud individuum impedimentum, ortum ex linea recta, exprimeretur. An verò deberet exprimi in petitione, quod filius erat superstes? Resp. quód sic: quia Papa in conferenda dispensatione, non solet iuri tertij derogare, & sic in omni eius rescripto, intelligitur clausula: sine præiudicio alterius. Deindé, quia debet Papæ constare, an filius renuntiaverit suo iure, cum authoritate legitimi tutoris, si enim pupillus, nequit sine ista aliquid alienare, quanto minus privare se iure per sponsalia collato, præcipué cum fœmina divite; Pater autem, qui pars erat, nequit esse filij tutor, sed alius debebat nominari, nam contractus clientis cum tutore, sunt iure irriti, & sic etiam est irrita renuntiatio, in favorem tutoris facta, sine alio tutore & curatore.

Sed his relictis, pro speciali casus responsione dico: quód sponsalia illa, fuerunt nulla, & consequenter, ad inducendum impedimentum publicæ honestatis inepta. Ratio est: quia veri contractus, regulariter loquendo, nequeunt claudicare, quod etiam in specie loquendo de sponsalibus impuberum est verum; sponsalia autem dicta, iuxta relatas circumstantias claudicarent, quia teneretur puer, ad expectandos annos suæ pubertatis, cum tamen fœmina, ad expectandum tamdiu non esset obligata, quia actus agentium, vltra intentionem eorum non extenduntur; fœmina autem asseruit, se dum reservavit ius resiliendi si facti pœniteret, id intelexisse, de iure recedendi, duobus, quatuor aut sex

men-

mensibus, post illam promissionem; & deindé dixit, quod si esset interrogata, de expectatione vsque ad annos pubertatis pueri, rotunde & indignata dixisset: illum nolo; quibus sic stantibus patet, eam non esse obligatam sic expectare, cum obligatio hæc, necessario á voluntate pendeat.

Hinc fit, quod nullus contractus intercesserit, inter fœminam & puerum, nam contractus est, vltro citroque obligatio, quæ reperiri nequit, quando intentio fertur ad contradictoria, præcipué cum ad hoc requiratur, quod detur duorum vel plurium consensus circa idem; si ergo ibi, nullus fuit contractus verus & proprius, nec fuit contractus sponsalitius, & sic sponsalia fuerunt nulla, & ad causandum impedimentum in foro interno insufficientia, iuxta Trident. Decretum; imó nec in externo foro essent valida, si fœmina intentionem suam quam declaravit, probare posset, quod sufficienter iuramento probaret, quia in hoc casu sufficiens est motivū ad deferendum reo iuramentum suppletorium probationum. Quód si fœmina ante sponsalia cum puero, dixisset aliquibus, bis aut ter, se non habere aliam intentionem, nisi dissolvendi Matrimonium, quando ei placuerit, aut hæc est opinio communis inter eius cognatos, non video cur iuramento illius non sit deferendum & ei standum, alias nihil operaretur illa clausula reservativa, si nihil tribueret mulieri, vltra ius commune.

Dices: Quód illa verba mulieris dicentis: reservo mihi ius resiliendi, si aliquando facti pœniteam, sunt intelligenda, iuxta leges, quia vnusquisque præsumitur, loqui conformiter ad illas. Resp. hoc verum esse, regulariter loquendo, respectu illorum, qui habent scientiam legis, non verò respectu ignorantium, vel qui ignorare præsumuntur, quia voluntas non fertur in incognitum; mulieres autem, præsertim iuvenculæ, qualis erat illa de qua loquitur casus, præsumuntur leges ignorare; & præterea puer ille, cum esset ruri natus, & fidem Matrimonij, novenis dederit, forté iudex sagax comprehendere poterit, quod non satis sciebat quid promitteret, vel quod metu reverentiali patris fuerit permotus, & vtrumque officit, ne impedimentum publicæ honestatis resultet, vt dicunt Gutierez, & Rebellus, & alij apud Barbosa, in cap. 3. de reform. Matrim.

His rectè sic perpensis, suadendum esset Patri nuptias illas ambienti, quod peteret declarationem nullitatis priorum sponsalium, quæ fœmina contraxit cum filio suo, & hoc potius esset quam petitio, & executio dispensationis. Tùm, quia ex hac Declaratione, nullum scandalum poterat timeri, probante fœmina suam exceptionem, & apud multos non benè sonaret, si pater etiam dispensatione habita, desponsaret sibi, veram sponsam filij sui adhuc viventis, & causam huius siniſtræ interpretationis, non oportet exprimere. Tùm, quia facilius poterat iudex credere, mulierem vera loqui, quam capere quod Pontifex informatus fuerit, de filio adhuc vivente, quin huius mentionem faceret in dispensatione. Vel si dicatur: quód in libello expressé fuit facta mentio filij viventis, & omnissa á referente per oblivionem, tunc dispensatio impedimenti, esset nulla; vel si Pontifex rectè informatus, vtramque gratiam concesserit, scriba Pontificius alteram omisit in rescripto, quod facile credi non potest, de expertis in Curia Romana; & sic dico, quod vel nullitas priorum sponsalium est declaranda, vel recurrendum est ad Papam, pro integra & non mutila dispensatione.

Casus quartus, de affinitate. Vir quidam, honestæ familiæ & facultatum, vxoratus erat, cuius vxor, decessit é vita, appetit ille secundas nuptias, & animum adijcit ad viduam quandam, matrem duarum filiarum iam nubilium, cum tamen etiam ipse, parens esset duplicis filij; vt autem mulieris opes quæ solas filias habebat & non filios, melius in eadem domo iungerentur, simul contractum est Matrimonium triplex, & patris cum vidua, & filiorum cum filiabus illius. Quæritur: an impedimentum affinitatis intercesserit ibi? Notandum, quod affinitas, alia est directa & per se, quæ solū est inter virum & consanguineos mulieris sibi perfectè copulatæ, & é contra; alia est indirecta & per accidens, quæ reperitur inter viri & fœminæ consanguineos, & solum prima affinitas, est proprié & Theologicé talis, secunda verò nihil curanda est, nec de illa, aliqua est ratio habenda.

In huius comprobationem, & ad resolutionem casus, placuit adducere Decretum Innoc. III. quod habetur cap. quod super, de consang. & affin. vbi ait Pontifex: Super eo quod pater & filius, cum matre & filia, cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos, cum duabus sororibus contrahunt Matrimonia, taliter tibi ducimus respondendum: quód licet omnes consanguinei viri, sint affines vxoris, & omnes consanguinei vxoris, sint viri affines, inter consanguineos autem vxoris & viri, ex eorundem scilicet viri & vxoris coniugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos, Matrimonium debeat impediri, ex quibus patet, responsio ad casum positum, nam re vera, nulla affinitas proprié dicta, & consequenter nec vllum impedimentum derivatum fuit, inter filios viri & filias vxoris, quas illi duo fratres, Matrimonio sibi copulari desiderabant; & idem quo ad substantiam habet D.T. hic, q. 55. art. 5. Vndé fieri potest, vt filius ex prima vxore genitus, licitè ducat filiam secundæ vxoris, quam hæc suscepit ex alio viro, vt quotidiana experientia testatur, ita vt sit eadem noverca & socrus.

Pro huius pleniori captu, sciendum est, quod affinitas vt suprá vidimus, oriri debet ex copula perfecta, sive coniugali, sive fornicaria, ex qua possit

sit per se loquendo, sequi prolis generatio, vt communiter asserunt DD. cum D.T. in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. & vt copula talis sit, debet semen viri recipi intra vas naturale mulieris, quia per hanc solam, ambo efficiuntur vna caro, & sic parum ad hoc conducit vasis penetratio, si non datur ibi seminis receptio. Nec fides adhiberetur, nisi in foro conscientiæ, copulam asserentibus, & seminis effusionem negantibus, quia in oppositum stat præsumptio, de eo quod sic regulariter accidit. Ut autem hoc percipi possit, quærat confessarius modeste á fœmina, an ipsa seminaverit, ad quod sufficit si interroget, an tempore coitus, vel paulo ante vel post, magnam voluptatem senserit, etsi dicat quod sic, signum est eam seminasse, secus é contra, licet illud semen, plerumque decidat intra fœminæ matricem, & raro extra corpus, vt medici asserunt.

An veró ad affinitatem contrahendam, requiratur vtrumque semen emmittere, vt ita fiat seminum comixtio? Resp. quód probabilius & communius est, nullatenus semen fœminæ requiri, sed quod solus vir, intra claustra pudoris fœminæ semen mittat, quia vt diximus, affinitas oritur ex copula ad generationem apta, ad quam non requiritur ex necessitate semen fœmineum, vt ait D.T. 3. d. q. 31. art. 5. ad 3. Quód si aliquando dicunt Doctores, ad generationem exigi semen fœminæ, non intelligitur de semine proprié, sed de aliquo loco seminis, nempé de sanguine menstruo, á natura ad generationem parato; vndé ait Sotus, quod semen fœminæ non requiritur, vt Matrimonium dicatur consummatum, & sic nec requiritur ad affinitatem, quia eadem est ratio vtriusque.

Ex dictis inferuntur sequentia 1. quód non contrahitur affinitas, ex copula in qua sola mulier seminat, quia illa non est satis, ad prolis generationem, quod requiritur ad affinitatem vt vidimus. 2. quód nec contrahitur affinitas, ex congressu spadonum intra legitimum fœminæ vas, propter eandem rationem, quia ille non est generationi aptus. 3. quód affinitas non oritur, ex quavis pollutione extra legitimum vas, nec ex osculis, tactibus & similibus, quia per hæc, ceeuntes non fiunt vna caro, & idem dicendum de copula sodomitica, aliud enim est enormitas criminis; aliud veró causare affinitatem. 4. quód affinitas contrahitur, per copulam extra vas, si semen arte aliqua, vel attractione matricis fœminæ, in vas illius subintret, quia tunc fit aptum ad generationem. 6 quód contrahitur affinitas, per copulam habitam cum muliere invita vel dormiente, quia est ad generationem apta, ad hoc enim fœminæ voluntas non conducit; non veró contrahitur per copulam cum fœmina mortua, quia illa, non est satis ad generationem, & idem est, ac si haberetur cum ligno.

Dices contra dicta, quod per effusionem seminis extra vas, probabile est concedi divortium, & per vasis penetrationem consumari Matrimonium, sine seminis effusione: ergo etiam erit probabile, indé affinitatem oriri. Resp. quicquid sit de veritate antecedentis, quod est disparitas, nam per solam vasis penetrationem, fit iniuria fœminæ, & damnum, si liceat transitus ad religionem alteri coniugi, & ideo iura censent Matrimonium consummari, quo adhunc effectum, ne liceat viro, ad religionem transire; insuper talis accessus ad non suam, est violatio fidei coniugalis, & ideo iuxta illam sententiam, sufficit ad divortium; affinitas veró petit, virum & fœminam ita copulari, vt indé generatio possit sequi, quod in copula imperfecta modo dicto non reperitur.

Casus quintus, de impotentia. Plebeius quidam, contraxit Matrimonium cum virgine, quæ cognoscens illum impotentia laborare, petit divortium, & iussu Ecclesiastici iudicis, visitantur ambo, & mulier adhuc deprehenditur virgo, vissa insuper in viro, partis genitalis formatione, eam iudicant breviorem, quam sit necesse ad vas fœmineum penetrandum, & ideo Matrimonium fuit declaratum nullum, & fœminæ data est potestas, nubendi cui vellet, viro autem facta est prohibitio, transeundi ad vllas nuptias; sed multo post tempore lapso, vir iterum in Tribunali Ecclesiastico apparens, petit facultatem nubendi, non cum prima, sed cum alia quam carnaliter agnovit, & ex ipsa prolem suscepit, testem potentiæ suæ, quod comprobatur á fœmina illa, ab ipso cognita, iterum visitatur homo á medicis & vxor sua, & circa illum, pro potentia dissentiunt, in mulieris autem corpore, nullus defectus reperitur. Quæritur: quid circa hoc sentiendum?

Hic & similes casus de impotentia, plus á medicis, quam á Theologis debent resolvi; dicemus tamen, quæ attinent ad nos. Resp. ergo, quod in casu dicto, non poterat mulier compelli, vt virum iterum admitteret, nam vt ipse fatebatur, per annos plures, habuit cum alia fœmina carnale commercium, & sic poterat tanquam adulter repelli, ob decisionem cap. fraternitatis, quæ vt ait Sanchez, extendi non debet, ad partem præditam potentia, si luxurietur, prudenter credens, Matrimonium esse nullum. Nec mulier illa, permittere tenebatur, se vlteriús inspici, siquidem iam accurate á pluribus erat inspecta, quod si illa sponte consentit, habitare cum viro, potest Matrimonium restaurari, quia medici periti iudicarunt, virum esse aptum copulæ; sed tamen iudex salva conscientia, poterat confirmare sententiam prius latam, quia non est credendum viro, toties suam turpitudinem alleganti, & quærenti proprium commodum, desiderando secundum Matrimonium, & respuendo primum. Nihilominus tamen, poterat iterum repeti trienalis experientia á iure statuta, si fœmina his acquiescere vellet.

Di-

Dices, contra primam partem responsionis: quòd in casu prædicto, cessat adulterium, quia uterque coniux, bona fide ob sententiam Ecclesiæ, se reputat solutum. Aliqui dicunt, quod fornicans, dedit operam rei illicitæ, & ideo omnis effectus, etiam præter intentionem secutus, illi est imputandus. Sed hoc verum non est: quia in materia irregularitatis, ex casuali homicidio contingentis, licet aliqui sustineant, homicidium præter spem, & sine culpa secutum, imputari ad irregularitatem, danti operam rei illicitæ, sed verior sententia id negat, nisi opus sit interdictum, quia periculosum, & sic idem in casu nostro, de fornicatione est dicendum. Verius ergo dicitur, quod coniux impotens, hoc ipso quod copulam fornicariam attentavit, quasi potentiam suam experiri volens, iam dedit consensum iniuriæ Matrimonij, quæ poterat ex consumatione copulæ resultare, ex qua instauratur prioris Matrimonij valor, ideoque dabatur adulterij malitia.

Sed circa hoc explicandum est, quomodo debeat fieri instauratio Matrimonij prioris, casu quo medici, in primo examine impotentiæ fuerint decepti, vel id sit detectum ex fornicatione illius, qui impotens putabatur, vt in casu præsenti contingit? Circa hoc, sequentia dico 1. quòd dissoluto Matrimonio ratione impotentiæ viri, si is ad aliud transit, hoc statim dissolvendum est, absque alia probatione, nam cum ille sit declaratus impotens, per Ecclesiæ sententiam, semper stat præsumptio ineptitudinis ad Matrimonium, & etiam, quia si vir est impotens, Matrimonium posterius est nullum, & si talis non est, primum est validum. 2. si impotens ad alias nuptias transit, priori vxore demortua, etiã statim est separandus, quousque probet se potentem, & Ecclesiam deceptam; interim enim, impotentiæ præsumptio, stat contra ipsum. 3. vt instauretur prius Matrimonium, debet legitimé probari, Matrimonij posterioris consumatio, vel etiam fornicatio, nec sufficit hoc tentare, vel desiderare.

Quartò: si mulier per sententiam iudicis, ab impotenti viro separata, est alteri nupta, non est ei lis imponenda, de valore Matrimonij posterioris, sed in eo pacificé relinquenda, donec legitimé probetur, virum fuisse aliud Matrimonium consummatum vel fornicatum, & dum id non probetur, mulier favente Ecclesia, in sua possessione relinquitur. 5. nec in foro conscientiæ, permittendum est huic fœminæ alteri nubere, donec discutiatur an prius Matrimonium sit instaurandum, quia alias exponit posteriorem virum periculo deceptionis, si prius Matrimonium instauretur, & etiam, quia cum non sit in possessione Matrimonij, quod inire tentat, datur iusta ratio desistendi ab illo, donec veritas examinetur.

Videndum autem est, qualis haberi possit plena probatio, de consummatione posterioris Matrimonij, vel copulæ fornicariæ, vt prius Matrimonium instauretur? Resp. quòd cum sententia Matrimonij, non transeat in rem iudicatam, per eam non inducitur præsumptio iuris, contra quam non admittatur probatio. Deindé, ex posteriori Matrimonio, inito á viro frigido, non levis oritur præsumptio de dissolutione prioris, nam si vir ille esset veré impotens, non facilé auderet, ad aliud Matrimonium transire, & licet præsumptio hæc, non concludat, prioris impotentiæ assertionem fuisse falsam, sed alijs indicijs concludet, vt ita prius Matrimonium instauretur, vt si accedit vtriusque coniugis confessio de copula habita, & si fœmina erat virgo, reperitur per aspectum corrupta, & si concepit, & in membro virili, nullus defectus appareat; copula veró fornicaria probabitur ex diversis fœminis, cum quibus habita est, id testantibus, quæ licet sint testes singulares, & de propria turpitudine deponentes, sufficiunt in re tam difficilis probationis, in qua non possunt dari contestes copulæ, nec dantur alij testes oculati, præter illos, cum quibus turpitudo illa commissa est, & in his quæ occultè fiunt, vt est fornicatio, admituntur testes, alias inhabiles, vt ait Malcard. de probat. concl. 1365. num. 1.

Casus sextus, circa idem. Vir quidam iuvenis, dives & nobilis, ardenter amabat fœminam, eatundem conditionum, quam ad nuptias exoptabat, cum tamen ipse, veré conscius esset suæ frigiditatis & impotentiæ, eiusdem etiam fœminam conscium fecit. Quæritur: an inter illos, validum posset contrahi Matrimonium, si mulier quæ potens erat, vellet spontanee cedere iuri suo? Certum est, tales personas, posse inter se vinculum sociale contrahere, ad mutua obsequia sibi præstanda, vt fœmina inserviat viro, & hic illi alimenta ministret, & ad id se obligent, sine periculo incontinentiæ, sicut etiam alij contractus civiles, possunt ita fieri, & coniuges possunt post contractum Matrimonium, si impotentia cognoscatur, & nolint separari, sic amicabiliter vivere; quod constat ex Celest. Pap. cap. laudabilem, vbi ait: Si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non vt vxorem, saltim vt sororem habeat, & idem ex alijs pluribus textibus convincitur.

Sed dubium est: An tales personæ, Matrimonium possint contrahere ita vt nec coniux qui potens est, valeat ad alias nuptias transire? Aliqui affirmant, cum Vivaldo, Diana, & Soto, in casu quo contraherent, non in ordine ad copulam coniugalem, sed in ordine ad societatem amicabilem, & obsequia mutua præstanda; hoc suadere nituntur, ex textibus adductis; sed illi assumptum non probant, quia non de vinculo Matrimonij, sed de vinculo societatis amicabilis, & fraternalis loquuntur. Deindé probant: quia non est de essentia impotentiæ Matrimonium dirimere, alias etiam superve-

niens dirimeret, quod est falsum vt suprá vidimus; sicut quia est de essentia Matrimonij, diversitas sexuum, si mulier erumperet in virum, vt fieri potest & aliquando accidit, hoc Matrimonium dirimeret. Sed nec hoc probat: quia traditio corporis, cum potestate ad copulam, est de essentia Matrimonij in fieri, non verò in facto esse aut conservari, vndé sicut per dissensum nequit dissolvi, ita nec per impotentiam supervenientem.

Aliter probant: quia validé contrahunt, qui per votum continentiæ, mutuo obligantur ad castitatem servandam; & tamen sunt moraliter impotentes. Sed nec hoc quid probat, quia si talis obligatio, deducitur in pactum, irritat Matrimonium, quia est conditio contra illius substantiam, si verò non deducitur, potest transferri dominium corporum, quia datur potentia physica ad vsum seu in iure, vt ait D. T. q. 58. art. 1. ad 4. quæ est de essentia Matrimonij, licet vsus ipse, sit illis impossibilis moraliter. Demum probant, quia D. Tho. hic, q. 52. art. 1. in corp. comparat impotentiam cum servitute, dicens, quod sicut servitus ignorata Matrimonium dirimit, non verò cognita, hoc idem habet impotentia. Sed dicitur, quod D. T. loquitur, non de impotentia perpetua, sed de temporali; quod constat ex ipsa comparatione, servitus enim, non reddit servum impotẽtem ad reddendum debitum, semper & absoluté, sed solum aliquibus temporibus, quibus est á Domino occupatus, & hoc modo comparatur, cum impotentia physica temporali.

Vndé resp. ad casum, quod personæ illæ, licet notitiam habeant impotentiæ, nequeunt validé Matrimonium contrahere; sic tenent Coninch, Gutierrez, Candidus, Dicastillus, Sanchez, Cornejo, & Salmantic. Ratio est: quia nemo potest ad impossibile obligari, quia talis obligatio, esset frivora & nugatoria, nam acceptationem ex se requirit, de essentia autem Matrimonij, est obligatio reddendi debitum, & ius petendi, quæ non datur si est impossibile solui. Nec ille, qui impotentiam scit, potest validé iuri suo cedere, quia Matrimonium, non ordinatur ad bonum proprium contrahentis, sed ad bonum commune; & cum contrahentes, non sint domini bonorum communium, nequeunt iuri suo cedere, quantum ad hoc.

Deindé prob. quia si personæ impotentes, possent validé contrahere, sine collata potestate ad copulam, solum per ordinem ad obsequia mutua vtriusque, etiam potentes hoc modo possent contrahere, imó etiam sic possent contrahere consanguinei, ad caste vivendum, & pater cum filia, in ordine ad vitæ obsequia, quæ absurda sunt satis, vt ex se patet. *Si dicas*: quód non requiritur ordo ad copulam, ad Matrimonij veritatem, vt patet in Matrimonio B. Virginis cum S. Ioseph. Resp. quód non requiritur in coniugibus, animus vacandi copulæ, sed solum tradditio mutuæ potestatis ad illã, quæ in personis impotentibus, est impossibilis, sed reperta fuit in Sacratissimæ Virginis Matrimonio; vt enim rectè asserit D. T. hic, q. 58. art. 1. ad 4. aliquis est impotens dupliciter, vno modo quia non potest solvere de iure, & sic talis impotentia, omnibus modis, facit contractum esse nullum; alio modo, quia non est solvendum de facto, & tunc si sciat ille cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, ostendit quod alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus stat; hoc ergo secundum contingit in B. Virginis Matrimonio, primum verò, in impotentibus reperitur, & sic valdé est dispar vtriusque ratio, de quo plura diximus suprá, art. 5. diffic. 4.

Diximus suprá, tales sic impotentes, posse in vita sociali & amicabili, tanquam fratres convivere; hæc tamen confederatio, maximé periculosa est, quia cum vir & fœmina simul cohabitent, si impotentia est ex parte fœminæ, vir patitur stimulos carnis, á quibus nec fœmina arcta eximitur, & sic facilé provocabuntur ad turpia & idem respectivé; de viro impotente discurrendum est. Sed iudex Ecclesiasticus, non poterit eis sic volentibus socialiter vivere, hoc denegare, cum id illis iura concedant, & solum debent separari, quando incontinenter vivunt, aut in eodem lecto dormiunt, & præcipué hæc cohabitatio non debet permiti, quando illi sunt iuvenes, & ad venerea propensi, tunc enim datur probabilis timor de incontinentia eorum, vt ait Navarro.

Casus septimus, circa idem. Fœmina contraxit cum viro, & cum eo per novem annos perstitit in Matrimonio, quod multoties ambo consummare tentarunt, nec id consequi potuerunt, qua propter, & quia dissensiones, & rixæ non paucæ, inter illos fuerunt exortæ, communi consensu, rem ad Ecclesiasticum Tribunal examinandam deducunt, affirmat de impotentia vnus, negat alter, nec ex dictis eorum, potest aliquid certo sciri. Quæritur quomodo sit in probationibus procedendum? Hæc res, gravissima est, & vt necessariora ritu Theologico accingamus, notandum est: quod iudex, regulariter expectare debet triennium, á iure præfixum, pro impotentia coniugum comprobanda, vt potius superfluas probationes, quam diminutas apponat, quia negotium est grave & arduum, & omni cautela est procedendum, ne dissolvatur Matrimonium validum, vel approbetur irritum.

Dixi *regulariter*, quia quando signa impotentiæ sunt evidentia, nulla temporis mora expectari debet, vt Matrimonium dissolvatur; si verò signa fuerint verisimilia, non desideratur triennium experientiæ, sed iuramentum coniugum, & septimæ manus propinquorum, id est quatuordecim, ex vtróque coniuge septem, iurantium se credere, illos verum fateri. Sed hoc est vtroque coniuge impo-

ten-

tentiam fatente, nam si aleer neget, propinqui illius vocandi non sunt, sicut in favorem fatentis. Signa autem evidentia, vt non expectetur triennium, nec iuramentum propinquorum, hæc sunt. 1. quando virilia, sunt amputata omnino viro, aut ille vtroque testiculo caret, vt ait D. T. in 4. dist. 34. in fine expos. litteræ. 2. si virilia sunt arida omnino, nec valent erigi, vt fœminæ vas possit penetrari, nam membrum aridum, caret virtute motiva, quod si non est ita aridum, quin erigi possit, vir ille, impotens non censetur. 3. si fœmina est ita arcta, facta inspectione medicorum & matronarum, vt capax non sit instrumenti virilis. 4. si aliquis eorum, sit vt impotens, per sententiam á Matrimonio separatus.

Sed dum diximus, quod si de impotentia evidenter constet, non est expectandum triennium, hoc non intelligitur de impotentia orta ex maleficio, quia cum hæc non sit naturalis sed accidentalis, præsumitur quod per media & remedia auferri potest; & cum alias, Dæmon maleficij author, occulté & libere operetur, non sic constat de perpetuitate maleficij, sicut de duratione naturalis impedimenti; ideoque respectu impotentiæ maleficij, debet triennium expectari, nec abbreviari potest, imó tempus arbitrarium potest assignari á iudice vltra triennium, monendo coniuges, vt pœnitentiæ & orationi vacent, vt ita Deus placatus, coerceat Dæmonem, ne maleficio nocere possit; hoc autem intelligitur, quando ante decretum iudicis, cohabitarunt per triennium, se in pijs operibus exercentes, nam si triennium assignatum esset á iudice, illo transacto, non debebat amplius expectari.

Quando extat dubium, an impotentia sit perpetua vel non, & coniuges in iudicio reclamant, in eo debent iurare, se nunquam copulam consummatam habuisse, licet ad hoc sæpiús fuerint conati; & etiam debet adduci septimanus propinquorum, modo suprá dicto, & si non fuerint tot propinqui, ex vicinis debent suppleri, & si isti non fuerint, relinquitur iudicis arbitrio, quot sint necessarij, qui non tenentur iurare, coniuges nunquam fuisse copulatos, sed ita sibi persuadere, vel ab eis audivisse; & si hæc non probent, triennalis experientia debet expectari, non quidem per tempus physicé continuum, hoc enim feré impossibile est, quia coniuges, debent alijs negotijs præter copulam vacare, sed solum continuum civili modo, vt subiecta materia petit; quod tempus computandum est, ab eo tempore, quo primo tentarunt copulam consummare.

Deindé, hoc tempore transacto, requiritur inspectio fœminarum honestarum, quæ sunt peritæ respectu fœminæ, & etiam virorum honestorum, & artis peritorum respectu viri, & si hoc fiat ante experientiam trienalem, & illi iudicent, impotentiam esse moraliter certam, experientia illa non debet expectari, benè veró si sub dubio res sit. Aliqui dicunt, hoc remedium inspectionis fœminarum & virorum, vt invtile & indecens, removendum esse; sic sentit Basilius, & Ludov. á Concep. sed re vera, illud honestatur ratione necessitatis, si alia via nequit impotentia cognosci, & licet ex hoc non possit iudicium certum desumi, iuvat tamen non modicé, vt Ecclesia ad alia remedia possit procedere.

Vt autem matronæ, legitimé de fœminæ virginitate deponant, debent non solum eius vas naturale intueri, sed etiam sagaciter manibus tentare, sicut medicus per tactum pulsus, de febri meliús certioratur; nam cum res hæc, sit difficilis probationis, virginitas enim cum sit qualitas naturalis semper præsumitur, debet in eius examine, maxima diligentia adhiberi, ne fœminarum fraudibus detur locus; illæ enim varijs remedijs vtentes, frequenter virginitatem effingunt. Matronæ autem dicere solent, quod quedam debilis tela, collo matricis apposita, impediens ne digitus mitatur intus, & etiam arctitudo colli matricis, sunt signa virginitatis; sed hæc fallacia sunt; nam vt ait Fragosus, tela illa, vix in vna ex millibus reperitur; & etiam ad collum matricis contrahendum & corrugandum, plura extant remedia. Vndé sanum consilium est, iudicem præcipere matronis, antequam fœminam inspiciant, & de eius virginitate deponant, vt in balneo aquæ, competenter calidæ, vas lavent, vt si forté glutino fuerit artificiosé constrictum, id ex liquefactione deprehendatur.

Sed an liceat medicis, experimentum hoc summere de membro viri, illud aqua calida respergendo vt erigatur, & eius longitudo possit agnosci? Resp. quód videtur illicitum esse, in viro omnino soluto, quia constans est Theologorum dictum, quod sicut in nullo casu, licitum est soluto, procurare directé seminis emissionem, ita nec licitum est directé procurare motum carnalem, seu commotionem genitalium, quæ ex natura sua, ad seminis expulsionem ordinatur; sed videtur permitti posse illi, qui Matrimonio iunctus est, de cuius potentia dubitatur, vt in eo summatur dictum experimentum; id tamen maxima reflexione exequendum est, solum directé intendendo inspicere membri constitutionem, licet inde per accidens, & præter artis intentionem sequatur, seminis effusio; idem in simili dicunt Salmant. de habente copulã fornicariam, qui potest ante seminationem desistere, licet indé per accidẽs pollutio sequatur. Sic habẽt tract. 9. cap. 15. punct. 6. num. 83. & idem ait Sanchez, de osculis & amplexibus coniugum, ex quibus præter intentionem pollutio sequitur part. 6. tract. 6. resol. 37. sic rem hanc Gobatus resolvit, quod an sit verum, iudicent alij. Hæc & dicta, art. præced. diffic. 5. sufficiant de impotentia, omnia munda mundis reliquendo; cætera discutiẽtur á Medicis,

ARTICVLVS XIII.

De Annexis Matrimonio.

Prima difficultas: De potestate dispensandi, in impedimentis Matrimonij. Tria restant examinanda pro integro complemento tractatus de Matrimonio, nempé potestas dispensandi in impedimentis illius, debitum coniugale & eius vsus, & divortium coniugatorum & illius causæ, nunc de potestate dispensandi agimus, acturi de reliquis in sequentibus; & quidem certum est, quod impedimenta, iure divino aut naturali Matrimonium dirimentia, vt sunt error personæ, ligamen, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu lineæ rectè, & forté votum solemne, per nullam creatam potestatem valent dispensari; nam licet Summus Pontifex, possit ex speciali concessione Dei, dispensare in Matrimonio rato & non consummato, vt suprá vidimus, quamvis eius indissolubilitas sit de iure naturæ, sed hæc exceptio non facit regulam, vt possit in alijs quæ sunt de iure naturæ dispensare, quia talem facultatem, á Deo recepisse non constat, & idem de voto (solemni excepto, de quo postea) ad eius enim dispensationem, habet potestatem á Deo, cuius nomine obligationem remittit.

Sed oppones, si Summus Pontifex dispensare, non posset in impedimẽtis dirimentibus secũdũ naturæ ius, esset quia non habet potestatatẽ suprá ius naturæ, sed ista ratio non obstat, quia etiam obligatio proveniens ex voto simplici castitatis, v. gr. vel religionis approbatæ, est de iure naturæ, vt dicunt Doctores omnes, & tamen in ea dispensat Summus Pontifex, vt experientia patet: ergo illa ratio non obstat.

Resp. neg. min. nisi addatur, quod non tantũ secundum se dedecet ea non implere, sed etiam continent perfectam, & omnimodam indecentiam, talia sunt fornicatio, quod filij non venerentur parentes, quod pater cum filia, aut soror cum fratre nubat; in his enim, dispensare non potest Pontifex, non præcisé quia sunt contra ius naturæ, sed quia cum hoc, continent maximam, & omnimodam indecentiam; in alijs enim, quæ sunt contra ius naturæ, quæ non continent dictam omnimodam indecentiam, dari potest iusta causa, quæ illi indecentiæ imperfectæ præponderet, vt sic iusté Summus Pontifex in eis dispenset; talis est residentia Episcopi in sua Diœcesi, quæ est de iure naturali & divino, in qua Pontifex dispensare potest, & talis est obligatio voti simplicis, in qua etiam Pontifex dispensat. Vel dicatur: quód illa dispensatio voti, non aufert obligationem legis naturæ, sed est quadam explicatio, de eo quod in casu particulari non obligat, ex defectu circumstantiarum, & sic, non tám est dispensatio, quám declaratio materiæ non convenientis; sicut in simili de lege dicitur, cuius dispensatio non est, vt ei non obediatur, sed declaratio, vt hoc quod erat lex, in hoc casu particulari, & sub his circumstantijs, lex non sit; fidelitas enim, Deo vel homini debita, non obligat absoluté, sed quando subest debitis circumstantijs, alias locum habet dispensatio, per declarationem nullitatis materiæ; sic D. T. 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2.

Dices: hoc modo, etiam posset Pontifex dispensare, in voto solemni religionis, declarando nullitatem eius materiæ, quod opponitur D. T. loc. cit. art. 11. Resp. quód declarando nullitatem materiæ, etiam Pontifex potest dispensare in voto solemni, per interpretationem æqui & boni, & declarando, illum qui fecit votum, eo non teneri, quod credendum est, Papam aliquando fecisse, sed hoc non est proprié dispensare, nam dispensatio vocatur, cum manente voto integro, aliquis liberatur ab eius obseruatione, quod respectu voti solemnis, Papa facere non potest, & hoc est quod D. T. negat loco prædicto, quod nempé absoluté, nequit Papa in hoc dispensare; cuius ratio est: quia id quod semel est cõsecratum & sanctificatum Domino, nequit in alios vsus converti, quod patet. Túm, quia sic statuitur, cap. vlt. Levit. Túm, quia Ecclesiæ Prælatus, nequit facere, vt res semel consecrata perdat consecrationem, vt quod calix consecratus integer manens, consecrationem ammitat, nec quod Sacerdos consecratus, fiat non consecratus, licet possit ei executionem ordinis impedire; sed anima per votum solemne perfectè consecratur Deo: ergo integro manente voto, nequit ab eius obligatione liberari, bené veró eius materia destructa, sicut destructa materia calicis, eius consecratio deperditur.

Si dicas 1. quód Pontifex, pluries in voto solemni dispensavit, vt legitur de Ramiro Aragoniæ Rege, & de Casimiro Rege Poloniæ. 2. quód Papa dispensat in voto solemni paupertatis, in illis qui post professionem, ad Episcopatum assumuntur, & illud eiusdem rationis est, ac votum continentiæ. 3. quia potest vrgere necessitas boni communis, vt est pax Regni, quæ magis præponderat, quam bonum particulare vnius, voto adstricti. Resp. ad 1. quód historiæ illæ, communiter vt fabulosæ censentur. Vel si veræ sunt, illa non fuit voti dispensatio voti, sed declaratio nullitatis materiæ, modo dicto. Ad 2. quód religiosus ad Episcopatum assumptus, non dispensatur in voto paupertatis, sed tantum fit administrator, bonorum communium Ecclesiæ, sicut nec absolvitur á voto obedientiæ, licet per accidens non teneatur obedire, quia superiorem non habet, sicut idem est de Prælato, in suo Monasterio. Ad 3. quód periculum rerum humanarum, debet auferri per res humanas, non ve-

ró

ró per hoc quod res divinæ, in vſſum humanum convertantur; ille autem qui emmiſsit votum ſolemne, totaliter eſt mortuus mundo & vivit Deo, & ſic propter humanum bonum, non debet ad vitam humanam revocari; ſufficiant hæc obiter dicta, longiorem huius diſcuſsionem, pro tractatu de voto relinquendo.

Hoc ſit dictum, de impedimentis iure naturali & divino, Matrimonium dirimentibus, in quibus Papa diſpenſare non poteſt. Sed in alijs impedimentis, dirimentibus, ſecundum ius Eccleſiæ, poteſt Pontifex diſpenſare, quod certiſsimum eſt: quia Summus Pontifex, habet ſupremam poteſtatem in terra; ſuperior autem, qui legem poſuit, poteſt eam abrogare, & aliquos ab eius obligatione eximere. Bené verum eſt, quod ſi hæc diſpenſatio fit ſine cauſa, eſt valida, ſed á peccato illum & diſpenſatum non excuſat. Ratio primi eſt: quia lex de his impedimentis, tám in fieri, quám in conſervari, pendet á voluntate Pontificis, vt á ſupremo legislatore; & ſic ſtatim, ac ille diſpenſat, eſt valida diſpenſatio; ſicut qui prodige bona ſua diſpenſat, veré dominium transfert, & factum tenet, licet ſic diſpenſando peccet. Nec eſt idem de voto, cuius diſpenſatio, ſi confertur á Papa ſine cauſa, valida non eſt; quia aliud eſt diſpenſare in voto, aliud veró in lege, á ſe, ab æquali aut inferiori lata; quia ad primum, requiritur iuſta cauſa vt validé fiat, nam Pontifex remmitit obligationem voti nomine Dei, & Deus non vult remmiti, niſi iuſta cauſa intercedente, vndé ſine illa, diſpenſatio non valet; ad ſecundum veró non requiritur iuſta cauſa, vt validé fiat, ſed ſolum vt licité fiat, quia ab eius voluntate pendet, ſicut legem condere, illam abrogare, vel ab ea aliquos eximere.

Quód autem Pontifex peccet, ſi hoc faciat ſine cauſa, patet, quia licet in eo caſu, auferatur ius poſitivum, manet tamen vis legis naturalis, quæ dictat ne quis abſque cauſa, á reipublicæ oneribus eximatur, quia omnis pars tenetur ſe conformare cum toto, niſi contrarium ſuadeat cauſa iuſta, cuius ratio aſsignatur á D.T. 1. 2. q. 97. art. 4. ex eo quod legislator, ob curam boni communis, non debet in ſua lege irrationabiliter diſpenſare, alias erit diſpenſator infidelis & imprudens. Hoc autem peccatum, iuxta veriorem DD. ſenſum, tantum erit veniale per ſe, quia quod vnus á lege eximatur & non alius, ex natura ſua, non videtur inæqualitas gravis, nec læſsio gravis boni communis; ſic tenent Sanch. & Salmãt. Similiter etiam diſpenſationem petens ſine cauſa, peccabit iuxta gravitatem peccati, ſuperioris diſpenſantis, quia eius peccato cooperaretur, & occaſionem daret, niſi rem vt eſt in ſe illi exponeret, illam ſuo iudicio relinquendo, quia tunc ſi non certo ſciret, diſpenſationem fuiſſe ſine cauſa collatam, poſſet ea licité vti, ſi autem hoc ſciret, ea vtendo peccaret, ſed non graviter ſecluſo damno vel ſcandalo, vt dicunt authores prædicti.

Sed notandum: quód validitas diſpenſationis, ſine cauſa iuſta collatæ, ſolum tenet, quando illa confertur á Pontifice, nam Epiſcopus, vel alij ex delegatione Papæ diſpenſantes, ſine iuſta cauſa, id non tantum illicité, ſed etiam invalidé facerent. Ratio eſt: quia diſpenſatio collata á Pontifice, in iure naturali & divino, ſine iuſta cauſa, non ſolum eſt illicita, ſed etiam invalida: ergo idem dicendum de diſpenſatione Epiſcopi in legibus Pontificijs. Pat. conſeq. quia ſic ſe habet Epiſcopus, & alius inferior reſpectu Pontificis, ſicut Pontifex reſpectu Dei, quia vtrobique, legislator eſt ſuperior, & diſpenſator inferior, & nunquam præſumitur ſuperiorem velle, quod inferior in ſua lege diſpenſet, niſi ex iuſta & vrgenti cauſa; & idem eſt, cum Epiſcopus diſpenſat in impedimentis ſolum impedientibus, vel in lege ieiunij, aut obſervantiæ feſtorum, quæ diſpenſatio eſt nulla, niſi adſit iuſta cauſa.

Secunda difficultas: An aliqui ex Pontificis delegatione, habeant poteſtatem diſpenſandi, in omnibus, vel aliquibus impedimentis Matrimonij, iure Eccleſiaſtico ſtatutis? Dixi *ex delegatione*, quia certum eſt, quod per ſe & iure ordinario, id fieri non poteſt. Vndé nec Epiſcopus in ſua Diœceſi, nec Legatus in ſua Provintia, ſic poſſunt diſpenſare, ex ea generali regula, quod inferior, nequit ex vi ſuæ poteſtatis, in legibus ſuperioris diſpenſare, niſi ex illius conceſsione; & ex hac, Commiſſarius Generalis Cruciatæ, habet poteſtatem diſpenſandi, in impedimẽto affinitatis, orto ex copula illicita, cum his qui bona fide, ſaltim ex parte vnius, coram facie Eccleſiæ, & præmiſsis denuntiationibus contraxerunt, admonita alia parte, inſcia de impedimento; & etiam poteſtatem habet, ad legitimandam prolem, quamvis mala fide ex parte vtriuſque ſuſceptam, in ordine ad omnes effectus, civiles & Eccleſiaſticos, nam ſi datur bona fides ex parte vnius, proles iure communi legitimatur. Hanc eandem poteſtatem habet Nuncius Apoſtolicus, in terris ſuæ Legatiæ, ad diſpenſandum, ante & poſt contractum Matrimonium, in impedimento publicæ honeſtatis, & etiam ad legitimandam prolem modo dicto, & ad diſpenſandum in omnibus, in quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt, quia id poteſt Nuncius in ſua Provincia, quod Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Specialis difficultas eſt, de poteſtate Epiſcopi, quo ad diſpenſationem impedimentorum; circa quod dicendum eſt: quód poſt contractum Matrimonium, poteſt Epiſcopus diſpenſare, in impedimentis iure Eccleſiaſtico dirimentibus, in caſibus ſequentibus 1. ſi detur neceſsitas vrgens, & non ſit facilis aditus ad Papam, aut eius vices gerentem, vel ob paupertatem contrahentium, vel ob di-

distantiam. 2. quando impedimentum est occultum, & Matrimonium publicum. 3. quando coniuges nequeunt sine gravi scandalo separari. 4. quando imminet illis, periculum incontinentiæ, infamiæ, vel alterius gravis mali. Ratio est: Tùm, quia ex epiqueya benigna, & generali regula, in casu extraordinario, & vrgentis necessitatis, in quo non facilé patet aditus ad superiorem, potest inferior dispensare in eius lege. Tùm, quia non est credibile, Summum Pontificem velle, animas in his laqueis manere, cum non possunt Romam ire nec mittere; præcipuè cum ipse sciat, id á Doctoribus verbis & scriptis traddi, & ab Episcopis in praxi haberi & non contradicat, quod tacitæ facultatis signum est; sic tenent Sanchez, Salmant. & communiter authores.

An verò, vt Episcopus dispensare possit in omnibus prædictis casibus, requiratur quod coniuges bona fide contraxerint? Resp. quód non requiritur bona fides ex parte vtriusque, benè verò ex parte vnius. Ratio primi est: quia stante bona fide ex parte vnius, Matrimonium bona fide contrahitur; præterquam, quod æquum non erat, vt malitia vnius, alteri noceret; nec credi potest, Ecclesiam velle innocentem punire, privando illum remedio necessario, ob culpam alterius. Ratio secundi; quia sic habetur in Trident. Sess. 24. cap. 5. quia mala fide contrahentes, indigni sunt, vt Ecclesiæ benignitatem experiantur, alias daretur occasio, vt hac spe celebrarentur Matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus. *Nec obstat*, quod Concil. præbet Episcopis facultatem, dispensandi in casibus occultis, qualis est hic; nam hoc intelligitur, quando contrahentes illos sponte non incurrerunt, qualiter contingit, bona fide deficiente.

Sed notandum: quód vt dicatur, aliquem mala fide contrahere, non sufficit quod habeat cognitionem facti, vel speculativam, v. gr. quia scit se rem habuisse cum consanguinea coniugis, vel habere consanguinitatem cum vxore, sed requiritur quod habeat scientiam iuris, hoc est quod sciat, per talem affinitatem aut consanguinitatem, incurrere impedimentum dirimens Matrimonium, alias bona fide contrahere diceretur; nam ad malam fidem requiritur cognitio practica & speculativa, vt ait M. Bañez 2. 2. q. 68. art. 6. dub. 5. imó nec sufficit, quod ignorantia sit vincibilis aut crassa, dum non fuerit affectata, vt quis dicatur mala fide contrahere, nam tunc datur mala fides, quando quis operatur scienter, & sic operari non dicitur, qui cum ignorantia etiam culpabili operatur; sic Candidus, Sanchez, Navarro, & Salmant.

Deindé dicimus: quód Episcopus, nõ solum potest dispensare, in impedimentis dirimentibus gravi causa vrgente in casibus dictis, post contractum Matrimonium vt revalidetur, sed etiam ante contractum, vt contrahatur. Undé, si mors immineret, & esset necessarium Matrimonium, ad legitimandos filios, vel vitandam fœminæ infamiam, aut damna & scandala gravia & similia, potest Episcopus in impedimentis dirimentibus dispensare, & idem est, si fœmina sit parata ad contrahendum tali die, & in ipso aut præcedenti confitetur, & dicit se rem habuisse cum consanguineo coniugis, in primo aut secundo gradu, & dilatio Matrimonij, esset causa gravis infamiæ, vel suspicionis delicti gravis, nec posset alia via præcaveri, nisi Matrimonium celebrando, posset Episcopus, in affinitate dispensare, facta per confessarium prudenti diligentia, vt notavimus suprá, art. 8. casu 1. Ratio autem dicti est: quia in eo casu, gravis necessitas vrget, & id bono communi reipublicæ expedit, & animarum spirituali saluti; sic tenent Cornejo, Sanchez, Bonacina, Palaus, & Salmant. Similiter potest Episcopus dispensare, in impedimentis Matrimonio supervenientibus, quæ impediunt debiti petitionem, vt sunt votum simplex castitatis affinitas, cognatio spiritualis, vt coniuges sibi imbicem debitum reddant, quod certum est apud Doctores.

Vt autem plenè sciatur, quando in casibus prædictis, potest Episcopus dispensare, in impedimentis dirimentibus Matrimonium, cum illis qui bona fide contraxerunt, notandum est: quód in tribus casibus, id facere potest, licet ei non concedatur expressa facultas. 1. ratione consuetudinis præscriptæ, quia illa facit valere dispensationem, alias non valituram. 2. ratione vrgentis necessitatis, vel vtilitatis noviter emergentis, & tempore constitutionis, incogitatæ verisimiliter. 3. quando Canón dicit, posse fieri dispensationem, licet hoc expressé non indulgeat. Undé patet, Episcopum dispensare posse, in casibus positis in resolutione, quia in illis, iuxta consuetudinem præscriptam, Episcopi dispensant, & supponitur dispensationis necessitas & vtilitas, quia tunc censetur, Summum Pontificem dispensare velle, vt ait Silvester verb. dispens. q. 9. num. 15.

Deindé, Episcopus secundum ius commune, potest dispensare in impedimentis non dirimentibus, excepto voto castitatis & religionis, ita communiter Doctores; Ratio est: quia ablata reservatione á Pontifice facta, potest Episcopus secundum ius commune in sua Diœcesi, in his quæ sunt iurisdictionis, quicquid potest Pontifex in tota Ecclesia, quia in sua Diœcesi est Princeps, & habet omnem potestatem necessariam, ad eius rectam administrationem; & in ordine ad dicta impedimenta, nulla est facta reservatio á Papa, & sic Episcopus secundum ius commune, potest in eis dispensare. 2. quia licet hæc facultas, non exprimatur in iure, exprimitur tamen pro Episcopis, facultas dispensandi in impedimento ex incestu orto, quando est incontinentiæ periculum, vt ex pluribus textibus constat, & illa ex paritate rationis, extenditur a Doc-

to-

ctoribus, ad omnia alia delicta, ex quibus oritur impedimentum puré impediens, vt ait Navarro, cap.23. num.84. Excipiuntur autem duo vota prædicta, in quibus licet videatur similis rutio, non potest Episcopus, dispensare, præcipué quando sunt absoluta & non pœnalia, quia nec Pontifex in eis dispensat, nisi ex gravi & vrgenti causa. Sed potest Episcopus dispensare, ex iusta causa, in voto non nubendi, & ingrediendi religionem non approbatam.

Demúm, Vicarius Generalis Episcopi, nequit dispensare in dictis impedimentis, ex facultate generali sibi concessa, sed potest ex commissione particulari Episcopi. Ratio primæ partis est: quia facultas dispensandi in prædictis impedimentis, conceditur Episcopo á iure, ob eius authoritatem, quã tamen Vicarius Generalis non habet, ex vi facultatis generalis ei concessæ; ratio secundæ partis: quia vt habetur in iure, potest iudex ordinarius delegare, in his quæ sunt iurisdictionis, qualis est facultas dispensandi in impedimentis dictis; ideoque ex particulari commissione Episcopi, qui iudex ordinarius est, potest eius Vicarius Generalis dispensare. Qualis autem sit Vicarij Generalis iurisdictio, ex commissione illi ab Episcopo facta, debet inferri, quia si conceditur facultas ad aliquos casus, specialem commissionem exigentes, & in fine additur, omnem suam authoritatem conferri, ad omnes casus intelligitur data, maximé si expressi in commissione, sint gravissimi; & idem quod dicitur de Episcopo, dicendum est de habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, respectu suorum subditorum, vt sunt Patriarchæ, Primati, Archiepiscopi, & Legati Summi Pontificis in sua Provintia, quia omnes isti, habent eandem potestatem in suos subditos, ac Episcopus in suos.

Deducitur 1. ex dictis, quod vt dispensatio á Comissario Cruciatæ, pro foro conscientiæ collata, sit in dicto foro legitima, sequentes conditiones requiruntur. 1. quód Matrimonium cum illo impedimento, iam sit contractum, & servata in illo forma á Trident. præscripta, non solum quo ad substantialia, contrahendo coram Parrocho & testibus, sed etiam denuntiationibus præmissis, quia si hæc omnituntur culpabiliter, nequit Comissarius Cruciatæ, in illo Matrimonio dispensare, vt ait Rodriguez. 2. quód impedimentum sit occultum, id est non deductum ad forum contentiosum, nec sit talis fama eius, quod ex Matrimonio, absque Pontificis dispensatione contracto, possint scandala suboriri; quod si post dispensationem detegatur impedimentum, non est necesse ad Papam recurrere, quia vt populo & externo foro satisfiat, sufficiet Comissarium declarare se dispensasse, de quo amplius dicemus, art. sequenti casu primo. 3. quód in principio contractus, Matrimonium fuerit celebratum bona fide, saltim ex parte vnius contrahentis, qui tunc temporis, illud impedimentum ignorabat, sicut diximus suprá, de Episcopo dispensante.

Deducitur 2. quód facultas Comissarij ad dispensandũ, aliquomodo est strictior, ea quæ in Episcopo residet, & aliquomodo amplior; est strictior, quia Comissarius, in solo impedimento affinitatis, ex copula fornicaria orto, dispensare potest, vt ait Rodriguez, & hoc solum, quando Matrimonium est contractum; Episcopus vero, in casu vrgentis necessitatis, potest dispensare in omnibus impedimentis, etiam dirimentibus, secundum Ecclesiæ ius, vt dictum manet; est amplior, quia Episcopus nequit dispensare, quando facilis est recursus ad Papam, vel eius Legatum, vel ad alium habentem á Pontifice potestatem; Comissarius veró dispensare potest, etsi Pontifex sit præsens, quia talis limitatio, non ponitur in eius concessione. Sed nota: quód cum hæc potestas, tám Episcopi, quám Comissarij Cruciatæ, solum sit eis collata pro foro interno & conscientiæ, non debet fieri dispensatio publicé, nec explicari debent nomina eorum, cum quibus dispensatur, ne impedimentum fiat publicum, sed tacitis eorum nominibus, debent expediri litteræ, vt fit in sacra pœnitentiaria secreta, vel etiam absque litteris, intimari dispensatio.

Tertia difficultas: De causis ad validam, & licitam dispentationem exactis. Diximus in præcedentibus, quod dispensatio, á Pontifice sine causa collata, est valida, non veró licita, quæ autem sic confertur ab Episcopo, vel alio delegato Papæ inferiori, nec licita, nec valida est. Nunc ergo examinandum est, quænam sit causa, reddens dispensationem validam & licitam? & quidem regulariter, dispensatio concedi debet, ob publicum bonum, non tamen id semper requiritur, nec ita expedit, sed multoties potest dari per se & directé, propter bonum privatum, licet hoc solum indirecté ad bonum publicum ordinetur; vndé ait D.T. 1. 2. q.97. art.4. in corp. quód ratio sufficiens dispensandi in præcepto est, ne impediatur maius bonum privatæ personæ. Vrgentior autem causa requiritur, quando impedimentum magis obstat Matrimonio, & ideo maior causa requiritur ad dispensandum in gradu proximiori consanguinitatis, aut affinitatis quam in remotiori, & magis pro consanguinitate, quam pro affinitate, vt ait Palaus, & Coninch.

Sed tamen, investigare in particulari, quænam causa pro vnaquaque sufficiat, difficile est, & prudentum arbitrio relinquitur, quia á pluribus circumstantijs temporis, loci & subiectorum dependet, quæ omnia debent attendi, & præsertim dignitas personarum, quia dispensare cum illis, pertinet ad bonum commune Reipublicæ & religionis, vt ait D.T. 2. 2. q.63. art.2. ad 2. & etiam inter causas debet numerari, ipsius concedentis

dig-

dignitas, quia sicut decet eum esse liberalem, in cõferendis aliis muneribus, non motus á causa extrinseca, sed ab intrinseca sui excellentia, idipsum de expediendis dispensationibus ab eo postulatis dicendum est, sufficiens enim causa est, dignitas Principis, vt concedat eas gratias, quæ ex sua libera voluntate pendent, vt Dicastillus ait.

Discurrendo igitur in particulari, de causis pro dispensationibus Matrimonialibus, plures assignantur á Doctoribus, nos verò apponemus aliquas, ex quibus aliæ possunt arbitrio prudentum excogitari. Prima est, concordia parentum aut consanguineorum, quæ aliter consequi non potest; eorum enim concordia, maximé bono communi deservit, cui attendere debet dispensans, quia particularium pax, non parum commune bonum extollit, & hoc dispensationem facilitat, vt ait D.T. loco proximé cit. Secunda, scandalum quod timetur si Matrimonium factum separatur, vel si iam tractatum non fiat, quod scandalum est, iurgia, inimicitiæ & periculum incontinentiæ, ob iuventutem contrahentium, quia vt proximé vidimus ex D. T. sufficit vt præceptum dispensetur, inducere maius bonum, aut vitare maius malum particularis personæ. Tertia, si quis ex consanguinea, vel affine prolem habuit, vel de hoc sit præsumptio, quod intelligitur, quando id factum fuit, sine intentione movendi Pontificẽ, ad facilius dispensandum. Quarta, defectus dotis competentis, cum extraneo sibi æquali, quia ad bonum publicum & commune confert, quod fœminæ defectu dotis, non maneant innuptæ, aut nubant inequali, quia per primum, incontinentiæ periculum tollitur, & per secundum, discordijs ex Matrimonijs inæqualibus oriri solitis obviatur. Huic causæ reducitur, periculum cadendi, quando bona pars patrimonij fœminæ, aut iam acquisiti, aut ad quod illa ius habet, implicatur litibus, & hominem non habet qui ad litem cum solicitudine attendat, & negotium vt proprium agat, tunc enim, si consanguineus ille, est valdé necessarius ad hoc, potest dispensari, quia per hoc attenditur pietati ad fœminam subveniendam. Quinta, conservatio alicuius illustris familiæ, in eodem sanguine, aut regni successione, nam ad bonum commune videtur pertinere, illustres familias conservare.

Sexta, si cognatus dotet cognatam suam pauperem, vel si dives & nobilis, cognatam pauperem ad Matrimonium petat, quia hoc, etiam pertinet ad pietatem. Septima, quod á Magnis Principibus postuletur, quia Ecclesiæ convenit, illos habere acceptos & beneficiatos, hoc enim redundat, in commune bonum. Nomine autem Magnorum Principum, non solum intelliguntur Reges, sed etiam Titulati, Barones, & personæ nobiles atque opulentæ, vt praxis communis fert. Octava, quod persona dispensationem petens, vel parentes eius, sint benemeriti de Ecclesia, vt hæc de obsequijs sibi factis, se gratam ostendat. Nona, impositio pijoperis, in subsidium Ecclesiæ, quæ est quedam compensatio Beneficij. Decima, si maior populi pars, est fœminæ consanguinea, ita vt difficile cum extraneo possit contrahere. Aliqui hanc causam sufficientem non reputant, si in locis vicinis, sint viri, sanguine & bonis fœminæ equales; sed re vera durum esset, fœminam cogere, vt contrahat extra locum suum, vbi patris, matris & consanguineorum solatio destituta, vitam gerat acerbam, & ita censetur declaratum á Congreg. Card. die 18 Novemb. anni 1570. ad instantiam Archiepiscopi Mediolan. Alias causas addunt Doctores, sed præcipué reducuntur ad assignatas.

Habetur ergo ex dictis, quod dispensationes cum aliqua ex his causis collatæ, validæ sunt & licitæ, sine causa verò, non licitæ sed validæ; cuius contrarium contingit, in impedimento orto ex voto, cuius dispensatio, si absque causa confertur, nec valida est, nec licita, ob rationem attactam suprá, diffic. 1. in fine, tunc enim dispensaretur in alienis bonis, á superiori voluntate, nempé Dei pendentibus, quod irritum est, & etiam invalidum, sicut si economus, dispensaret bona domini, contra huius voluntatem, dominium non transferret. Aliquæ autem causæ, assignantur á Doctoribus, vt dispensatio impedimentorum, quæ ex voto perveniunt, valida sit & licita, quarum aliquæ se tenent ex parte materiæ voti, aliæ verò ex parte voventis. Ex parte materiæ, prima est, quando iudicio prudentum res promissa, facta est inutilis aut mala, vel maioris boni impeditiva, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 10. in corp. & ad 3. Secunda, quando dubitatur an votum obliget, ob defectum materiæ, vel animi se obligandi, vt si vovens simul promiserit castitatem & religionem, & sit anceps an castitatem, dependenter á religione voverit, á religionis voto est iam liber; quando autem votum est certum, & animus se obligandi est dubius, vel dubium exoritur, an votum obliget, ratione debitæ materiæ vel finis, aut alicuius circumstantiæ, tunc occurrentis, tunc votum obligat; vndé in dictis casibus, hoc dubium, erit sufficiens causa ad dispensandum.

Deindé, ex parte voventis, sunt aliquæ causæ, moventes ad dispensandum. Prima est, voventis levitas, in voto emmittendo, vt si votum emmisit absque matura & prudenti deliberatione; & sic in votis puerorum ante pubertatem emissis, hæc sola causa, est sufficiens ad dispensandum, quia semper præsumitur, esse in illis imprudentiam & levitatem in vovendo, cum adhuc non sint matura deliberatione prædíti; & idem dicendum, quando quis vovet, ex metu mortis vel nocumenti gravis, quia si ille plenam deliberationem aufert, est sufficiens dispensandi causa, præcipué si metus iniustè in-

incutitur ad extorquendum votum, quicumque sit metus, licet non cadat in virum constantem, nec plenam deliberationem tollat, quia tunc votum non fit ex animo, ob iniuriam voventi factam; & omnium ratio est: quia votum, est actus religionis, obligans in perpetuum, sub peccato mortali, nisi aliud obstet, & sic debet fieri cum matura & plena deliberatione, maximé quando fit de re gravi, & sic levitas vovendi, est causa sufficiens dispensationis, & hæc cedit in honorem Dei, qui solum actiones perfectas, & deliberatas admittit.

Secunda causa, est periculum non adimplendi votum, quod oritur ex statu voventis, in quo difficile votum servare potest, vt si coniugatus voveret castitatem, tunc enim adest sufficiens causa, vt dispensetur cum eo, ad petendum debitum, non veró vt alias, sacrilegé non peccet, si cum alia muliere fuerit fornicatus, vel vt illo Matrimonio soluto, liceat ei ad aliud transire. Ratio primi est: quia tunc dispensatio illa, cedit in Dei honorem, & Ecclesiæ vtilitatem, quia illa facit, vt homines laqueis non irretiantur; ratio secundi, quia periculo ex illo statu consurgenti, satis occurritur, per dispensationem ad petendum debitum, & sic necesse non est, nec sufficiens causa, vt dispensetur cum eo, ne sacrilege peccet contra votum, si cum alia muliere fornicatur, vel vt soluto Matrimonio, contrahat cum alia.

Tertia causa est, maxima difficultas implendi votum, ita vt vehemens probabilitas adsit, transgressionis illius, quia alias obligatio, quæ pro charitate inducitur, contra charitatem militaret, nam tunc votum huic, non solum non esset vtile, sed potius ei deserviret, vt sacrilegijs implicaretur per eius violationem, quod non est intelligendum, de periculo vnius aut alterius transgressionis, quia tunc vtilius esset votum, ad hominem illum continendum, ne facilé labatur; sed quia probabiliter iudicatur, voventem ita esse male affectum ad votum, vt timeatur, illud sæpiús transgressurum; & hoc sive periculum transgressionis, oriatur ex passione voventis, quæ obseruantiam voti difficilem reddat, sive ex malitia & pravo habitu illius, quibus ita afficitur, vt hic & nunc, nequeat sine difficultate ingenti, lapsus vitare, quamvis ex malitia aut negligentia, pravus ille habitus fuerit acquisitus, quia tunc, vt aliqui sentiunt, datur sufficiens dispensandi causa, nam eo habitu posito, & magna fragilitate coniuncto, votum factum est viribus voventis impar & inutile, & solum deserviret ei, ad augenda pericula & peccata. Vndé ait Navarrus, esse sufficientem causam ad dispensandum, si vovens castitatem ita luxuriatur, ac si non vovisset; eo feré modo, quo si quis est constitutus in occasione violandi iuramentum non ludendi, quia est iuvenis, & in loco in quo nequit ludum prætermittere, quin rusticus iudicetur, sufficientem habet causam, vt dispensetur cum illo, vt ait Alcozer, lib. de ludo, cap. 13. concluf. 8. nam vtilitas etiam privata voventis, est sufficiens causa dispensationis, quod intelligitur de voto simplici.

Quarta causa est, debilitas corporalis, vt si quis religionem vovit, & executionem per multos annos distulit, vsque ad senectam, cum iudicatur, labores religionis ferre non posse, cum eo potest dispensari. Quinta causa est, necessitas boni communis, vt si quis castitatem, vel religionem vovit, & ad pacem communem reipublicæ expedit vt nubat, quia tunc bonum commune, præponderat vtilitati privatæ, nam in eo casu, dispensatio est conferenda; ad quod non refert, an causa obstet ex natura sua, vt infirmitas, vel ex malitia hominum excitetur, vt si bellum ciuile, sedari non possit, nisi puella habens votum continentiæ, nubat; sic sentit Cayet. 2. 2. q. 88. art. 12. quæ notari debent pro praxi dictorum in tertia causa ex parte voventis, de illo qui ex malitia sua, difficilem se reddidit ad implendum votum.

Quarta difficultas: Quænam taciturnitas veri, aut expressio falsi, dispensationem irritam & subreptitiam reddat? Notandum est: quód rescripta seu litteræ superiorum, vt Summi Pontificis, & aliorum Principum, alia sunt iustitiæ, quæ ad lites forenses terminandas obtinentur & committuntur, alia sunt gratiæ, quæ ad beneficia Ecclesiastica vel dispensationes, aut quasvis alias gratias habendas impetrantur; & inter hæc rescripta, aliqui discrimen constituunt in eo, quod si sunt iustitiæ, & sic per subreptionem impetrentur, id est tacita veritate necessario explicanda, sive falsum ad rem attinens dicendo in narrativa, non statim sunt irrita, nisi per exceptionem elidantur, id est, donec aduersarius contra quem sunt obtenta excipiat, allegans subreptitia esse, quod non habent rescripta gratiæ; ratio differentiæ est: quia in rescriptis iustitiæ, semper est aliquis, qui cupit ea esse irrita, & ille supponitur vigilans, vt illa possit irritare, & sic necesse non est, quod rescribens, ob alios defectus, ipso iure statim irritet, quia hoc postea fieri potest; contra rescripta verò gratiæ, nemo agit, & ideo si per subreptionem habentur, ipso iure irrita sunt, quia tunc omnino euertitur concedentis intentio; non agimus modo, de rescriptis iustitiæ, sed gratiæ, quæ ad dispensandum impedimenta sunt necessaria.

Sed notandum est: quód duplex causa, communiter á Doctoribus assignatur, ad gratiam concedendam; alia motiva, seu finalis principalis, alia impulsiva, seu finalis minus principalis; finalis principalis, seu motiva dicitur illa, quam rescribens præcipué attendit, & ex qua mouetur, vt postulata concedat, & sine qua nullo modo, vel non nisi cum certis conditionibus concederet; impulsiva est, ob quam rescribens, facilius gratiam con-

cedit, sed ita vt sine illa, eodem modo esset concessarus, iuxta rectam rationem & merita causæ, si autem vnica solum assignetur causa, illa est iudicanda principalis & motiva, quia nequit præsumi altera; quando veró plures causæ afferuntur, illæ dicuntur finales, quæ moraliter loquendo, intrinsecé afficiunt rem dispensandam, & dispensationem reddunt iustam & rationabilem, vt sunt omnes positæ, diffic. præcedenti, ex quibus si plures concurrunt, & vna sola regulariter movet dispensatorem, aliæ iudicabuntur puré impulsivæ, præcipué cum solum extrinsecé afficiunt dispensandum, vt si allegetur quod ille est vir pius, sapiens, amicus, virtuosus, &c.

Dicendum est 1. Quód quando in impetratione gratiæ aut dispensationis, aliquid tacetur, quod ius exprimi iubet, aut Curiæ Romanæ stilus fert, aut quando res falsó expressa, vel veritas tacita, ad causam finalem spectant, gratiæ & dispensationis concessio, irrita est & nulla, quamvis illa expressa, forté eadem facilitate, superior gratiam, aut dispensationem concessisset, & hoc, etsi ignoranter illa qualitas tacita fuerit. Prima pars prob. quia in eo casu, illud quod tacetur, exigitur á iure pro forma actus illius: ergo taciturnitas reddit actum nullum. Prob. consq. quia in his etiam minimis, observanda est forma ad vnguem: ergo hac deficiente, etiam deficit actus; sicut deficiente qualibet alia forma, deficit res per ipsam constituta. Secunda pars prob. quia stilus Curiæ Romanæ facit ius, vt patet ex cap. quam gravi, de crimin. falſ. & cum á tali stilo recedendum non sit, vt multis probat Mascard. de probat. concl. 1317. num. 51. idem iudicandum est de tali stilo, ac de iure, aliquid exprimendum præcipiente.

Dices: Quód taciturnitas illius, quod secundum stilum Romanæ Curiæ iubetur exprimi, vitiat dispensationem in foro externo, sed non in foro conscientiæ. Sed contra: quia Decius, Menochius, Rebuffus & alij, vtrasque qualitates æquant, nempé qualitatem ex iure, & qualitatem ex stilo Curiæ Romanæ exprimendam; sed taciturnitas illius, quod ius exprimi iubet, facit irritam dispensationem, in vtroque foro: ergo etiam taciturnitas illius, quod fert stilus Curiæ Romanæ. Tertia pars prob. quia quando res falsó expressa, aut veritas tacita, ad causam finalem spectant, superior motus fuit, ex mero errore, ad dispensationem concedendam; & dispensatio ex errore procedens subreptitia est.

Quarta pars prob. quia etsi ea expressa, forté eadem facilitate concederetur á superiori gratia, licet maiori compensatione adiuncta, vel cum alijs limitationibus; sed negari non potest, quod illa concessio, alia fuisset ab ea, quæ modo per errorem conceditur: ergo modo facta, omnino fit per errorem, & sic erit nulla, licet ea expressa, eadem facilitate concederetur gratia. Vltima pars prob. quia ignorantia quælibet illa sit, licet aliquomodo excuset á culpa, sed non iuvat actum, nec facit quod hic non corruat, si forma necessaria deficiat: ergo in casu nostro, licet ignoranter taceatur illa circumstantia, dispensatio erit nulla. Nec dicas: quód taciturnitas illa excusat, licet ex ignorantia culpabili procedat, dummodo ignorantia crassa non sit, vt in excomunicatione constat; est enim disparitas, quia excomunicatio incurritur ob inobedientiam & contumaciam, quæ non sunt, vbi adest ignorantia non crassa, dispensatio veró deficit, quando non servatur forma, ad eius valorem exacta, & ex defectu intentionis concedentis, quam non supplet ignorantia, quantumvis inculpabilis sit, vndé patet vtriusque disparitas.

Dicendum est 2. Si gratia aut dispensatio concessa, est divisibilis, tunc expressio falsi, vel taciturnitas veri, etiam spectantis ad causam finalem, solum irritat illam partem, quæ re cognita non fuisset concessa, vel concessa non esset eodem modo, sed cum restrictionibus; si tamen id factum sit, fraude & dolo petentium, tota concessio nulla est, in pœnam malitiæ. Prima pars prob. ex cap. sup. litter. 20. de rescriptis, quod necessario in hoc sensu debet intelligi, & non quando expressio falsi, vel taciturnitas veri, solum versantur circa causam impulsivam; nam totus ille textus loquitur, de expressione falsi aut suppressione veri, quo ad causam conducentem ad valorem rescripti; sed hoc non convenit causæ puré impulsivæ, sed solum causæ finali: ergo de ista & non de illa est sermo.

Deindé prob. quia ratio subreptionis in dispensatione tacita veritate, oritur ex ignorantia istius in concedente, & sic in eo datur, defectus voluntatis concedendi, nam ignorantia, voluntatem aufert; sed subreptio, ex defectu causæ impulsivæ, solum retardat á tam facili concessione, & non irritat pendentia á gratuita concedentis voluntate, nec aufert voluntarium, ad illorum valorem requisitum, sed id solum efficeret defectus causæ finalis, quæ omnino retraheret ab illa concessione, vel efficeret vt aliter concederetur, vt pat. ex l. cum tale, §. falsam causam, ff. de condit. & demonstrat. ergo vera est minor. Secunda pars prob. ex eodem, cap. super litteris, vbi absoluté & distincté loquitur textus, quando adfuit fraus aut dolus, tunc enim ait, vitiari totum tescriptum, & ita communiter intelligunt DD. caput citatum.

Dicendum est 3. Quando nihil tacetur, eius quod ius aut stilus Romanæ Curiæ iubent exprimi, & res falsó expressa, aut veritas tacita, solum spectant ad causam impulsivam, non redditur subreptitia gratia aut dispensatio, licet scienter id factum sit á petente. Ratio vtriusque partis est: quia in eo casu, nihil essentialiter oppositum gratiæ aut dispensationi tacetur, aut dicitur; & si illud scien-

ter

ter fiat; quia licet in mendacio sit delictum, si tamen non sit circa causam conducentem ad valorem rescripti, illum non destruit; exemplum est, in eo qui mentitur in confessione, circa rem necessario non confitendam, aut detegendam in illa, qui licet mendacij simplicis sit reus, sed per tale mendacium, etsi scienter commissum, confessionis valor non auferetur: ergo idem in casu præsenti dicendum est.

Dices: Quód rescripta, seu litteræ dispensatoriæ, includunt semper, hanc tacitam conditionem: si præces veritate nitantur, vt dicitur, cap. 2. de rescript. & huius signum est, quod Pontifex, prius narrat in eius litteris, ea quæ pars petens proposuit, & statim subdit: si ita est, dispenso: ergo si ita non est, Summi Pontificis intentio, non est dispensare, licet causa sit tantum impulsiva, & sic dispensatio nulla erit. Resp. conditionem illam ita intelligi, quod preces circa causam finalem ita sint, vel veritate nitantur, quia solus defectus circa istam irritat gratiam, non verò defectus, circa causam puré impulsivam.

Ex dictis infertur 1. Nullam esse dispensationem illius, qui proponit se votum religionis emmisisse, cum tamen votum emmiserit, perseverandi in religione, quia tacuit intrinsecam qualitatem, ad substantiam voti pertinentem; ita Ludov. Lopez, Cayet. & Navarro; si tamen proposuit se voviisse religionem, cum tamen voviisset, se futurum religiosum, quia vtrumque votum, solum verbis differt, & in re idem est, & ad solum ingressum bona fide, ad experiendum obligat, si nihil aliud intendat vovens, dispensatio est valida. *Infertur* 2. Quód si quis petit dispensationem in voto castitatis, quia ei imminet periculum lapsus, ob gravissimas tentationes, quibus continuo vexatur, & simul vt possit ducere vxorem cognatam suam, quia hæc, aliter non reperiet virum dignum se, si prima causa sola sit vera, obtenta dispensatione, potest vxorem ducere, si bona fide processit, non verò cognatam, quia ex hac parte, deficit causa finalis dispensationis; si autem mala fide processit, neutrum potest, vt pat. ex dicto cap. sup. litter. ad quod non debet expectari sententia iudicis, sed ipso iure, talis dispensatio est nulla, vt patet ex differentia, inter rescripta iustitiæ & gratiæ, suprá posita, quia nullitas dispensationis, non est pura pœna, sed legislatoris voluntas.

Infertur 3. Quód si quis petat facultatem dispensandi in aliquo casu, non exprimendo illum, quia credit Prælatum, facultatem non concessurum, si casus exprimitur, invalida est illa facultas si desit iusta causa dispensandi, vel saltim dubia sit; quia tunc Prælatus, talem facultatem dispensandi, per errorem concedit, quam teneretur negare, si veritatem cognovisset. *Infertur* 4. Validam esse dispensationem, quamvis commissus sit error in nomine petentis: quia error non vitiat rescriptum, quando de corpore constat, vt pat. ex cap. significe. de rescript. vbi ratio decisionis est: quia si ex nullo adiecto poterat constare, de persona contra quam est rescriptum impetratum, illud valeret, si ex alijs circumstantijs, constaret de illa persona, vt dicunt ibi, Innoc. num. vnic. Felinus & alij.

Aliqui hoc limitant, quando persona cui est dispensatio impetrata, nota est concedenti, & datur error in nomine petentis. Sed tamen, quando ex alijs circumstantijs non constaret, á concedente esse spectatam personam sibi notam, & habitam fuisse specialem eius rationem, ad dispensationem concedendam, & solum esse attentam equitatem causæ (quod præsumi debet sic fieri á Prælatis, quando adsunt iustæ causæ dispensandi) dispensatio valida est, licet impetrantis erretur nomen. Ratio primi: quia tunc concessio, restringitur ad istam personam in particulari. Ratio secundi, quia in eo casu, non personam, sed merita personæ & iustam causam attendit Prælatus, quod patet in omnibus Sacramentis, Matrimonio excepto, quod personam omnino determinatam respicit, quia ordinatur, ad individuam vitæ consuetudinem.

Infertur 5. Quód aliter dicendum est, quando erratur in Diœcesi, cuius erat ille cui dispensatio impetratur, vt si dicatur illum esse Diœcesis Tirasonensis, cum tamen sit Oscensis, & facta est commissio officiali Diœcesis Tirasonensis, tunc enim concessio nulla est, quia non erratur in nomine, qualiter erraretur dicendo Officialem veræ Diœcesis appellari Paulum, cum appelletur Petrus, sed erratur dicendo, petentem esse talis Diœcesis, cum sit alterius, & tunc virtute petita est commissio, Officiali Diœcesis Oscensis, & huic nolunt Pontifex commitere, quia concessio involuntaria fuit, vt pote ex errore orta; & licet, si petita esset pro verò Ordinario Tirasonensi, ei committeretur, de facto tamen, nec pro illo est petita, nec ei commissa, vndé cum illa sit per errorem facta, est nulla.

Infertur 6. Irritam esse dispensationem, quando id in quo est dispensandum, proponitur vt dubium, cum tamen sit certum, quia tunc est error, in substantia rei dispensatæ, quia Prælatus solum dispensat in voto dubio, v.gr. & non in voto certo, quæ vota, valdé differunt inter se. *Infertur* 7. Quód ad dispensationem in Matrimonio contrahendo, necessario debet explicari, in quo gradu consanguinitatis vel affinitatis, se contingunt contracturi, & an propinquitas sit in linea recta vel obliqua, quia in gradibus propinquioribus, est difficilior dispensatio, & maiorem exigit causam, & nunquam debet credi, Pontificem in his voluisse dispensare, nisi hoc ipse asserat, suppositá declaratione graduum, á petentibus facta.

Infertur 8. Quód valida est dispensatio, quamvis falsa sit causæ expressio, quando hæc verè expressa

pressa facilius dispensatio consequeretur, vt si aliqui haberent impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis in secundo gradu, & de illo impetrassent dispensationem, qua obtenta, postea invenirent, se esse in tertio gradu, consanguineos vel affines; ita Ledesma & alij. Ratio est: quia qui concedit id quod difficilius est, etiam concedere iudicatur, id quod est facilius in eodem genere; vt si quis haberet gratiam á Summo Pontifice, ad habendum aliquod Beneficium & diceret in petitione, illud esse Curatum vel Dignitatem, gratia illa valida esset, si postea inveniretur esse Beneficium simplex, dummodo hoc fuerit factum, absque omni dolo, & sic idem dicendum in nostro casu.

Quinta difficultas: De obligatione coniugum, ad sibi reddendum mutuo, debitum coniugale. Certum est, coniuges non teneri, ad petendum sibi mutuo debitum, quia hoc pertinet ad ius eorum, quo possunt renuntiare, cum nemo teneatur iuri suo vti; sed per accidens multoties tenētur, specialiter vir, debitum petere vxori, vt ait D.T. hic, q.64. art.2. in casibus sequentibus. 1. quando vxor licet expresé non petat per verba, benè veró tacité, per signa voluntatem exprimentia. 2. quando vir prudenter credit, vxorem petituram, & ipsam ob ruborem non audere desiderium suum explicare. 3. si ex nativa propensione vxoris, id suspicetur vir; & licet vir habeat votum castitatis, aut contraxerit affinitatem cum vxore post Matrimonium, vel etiam cognationem spiritualem, potest in casibus dictis petere debitum, quia hæc non est proprié debiti petitio, sed virtualis redditio.

Hoc ipsum, quod dicimus de viro respectu vxoris, dicendum est de vxore respectu viri, licet re vera, sit rarius in viro abstinere á petitione ob ruborem, quod si contingerit, & id suspicetur mulier, ipsa petere tenetur, cum ambo sint in actu conjugali pares; & idem est, cum coniux sibi vel alteri cognoscit imminere periculum incontinentiæ, quod petendo potest vitare, vt ait D.T. ibi ad 1. quæ obligatio magis vrget vxores, quando viri ad alias fœminas, se facile divertunt, nisi cum vxore libidinem expleant, & tunc vxor hoc prudenter timens, debet se viro offerri, & illum blanditijs trahere, vt á peccatis illum retrahere possit. Peccat ergó coniux mortaliter regulariter loquendo, negando debitum alteri coniugi, expresé vel tacité petenti, nisi ex iusta causa excusetur; quia ad id tenentur ambo ex iustitia, ex vi contractus Matrimonialis; vndé ait D. Paul. 1. ad Cor. 7. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, sic D. Thom. ibi, art. 1.

Diximus, *regulariter*, quia possunt dari casus, in quibus non sit peccatum mortale denegatio debiti. 1. si non petitur, vt debitum ex iustitia, sed benevole & amicabiliter. 2. si non intendatur obligare, sed rogare sicut amicus ab amico. 3. si non enixe & instanter petatur, sed remissé, & facilé negationi acquiescat. 4. si non exasperetur nec tristetur ob negationem. 5. si frequentius quam par est, alter petat, vel etiam petitus aliquantulum differat; licet consultius sit, preces importunas non expectare, sed servato pondere & mensura, petenti acquiescere; in omnibus his casibus, potest debitum negari, dum in alio coniuge, absit periculum incontinentiæ. Hinc fit, quod peccat mortaliter coniux, qui per illicita media, se impotentem facit ad reddendum debitum; sicut etiam, qui se impotens facit, ad solvenda debita civilia; vndé qui vivendo luxuriosé, impotentem se facit ad reddendum vxori debitum rationabiliter, præter malitiam adulterij, incurrit aliam contra obligationem non se inhabilitandi, ad reddendum debitum vxori; sic D.T. loc. cit. ad 3.

Hinc habetur, quod coniux qui pœnitentia nimia, vel ieiunijs valdé attenuatur, ita vt non possit reddere debitum, si hoc advertit, peccat contra iustitiam, quia cum præcipitur aliquid, etiam præcipitur id, quod á præcepti adimpletione avertit; vndé coniuges excusantur á ieiunijs, si per hæc ad vsum Matrimonij redduntur inhabiles. Tùm, quia lex iustitiæ quæ est naturæ, debet legi Ecclesiasticæ prævalere. Tùm, quia Ecclesia non vult, sua præcepta impleri, cum alterius præiudicio; si veró ieiunia & alia exercitia sint moderata, & sine fraude fiunt, peccatum non sunt, quia licet per illa possit coniux fieri minus potens, non veró absoluté impotens; nec debet ab eis abstinere, cum detrimento spirituali, vt conservetur potentior & robustior, si enim abstineri nō debet ab exercitijs corporalibus moderatis, licet per hæc aliquatenus debilitetur, quanto minus ab spiritualibus exercitijs, vt protectui animæ attendat? Hoc idem proportionaliter dicendum, de vxore respectu viri, si enim per ieiunia, & exercitia nimia, se deformem reddit, & fit viro exossa, debet abstinere ab illis, non veró si sunt moderata, nec illam deformant, sed aliquatenus debilitant, quod si vir hinc occasionem summat, alias se divertendi, hæc occasio, non est ab vxore data, sed á viro accepta. Tutius autem est, quod coniuges, abstinentias, ieiunia & etiam peregrinationes non faciant devotionis causa, nisi de mutua inter se licentia.

Diximus etiam, quod *ex iusta causa*, possunt coniuges, sibi imbicem debitum non reddere; causæ autem iustæ, sunt hæc. 1. si periculum vitæ, aut gravis infirmitatis imminere timeatur, vt his sit coniux oppressus, secus si periculum aut infirmitas, levia sunt. Ratio primi est: quia ordo naturæ petit, vt prius curetur de proprio individuo, quam de generatione prolis. ideoque natura, de superfluo alimenti, ad nutritionem individui requisiti, semen ad generationem destinavit. Ratio secundi: quia fœminæ, vix á levibus infirmitatibus liberantur, vt

sunt

sunt dolor capitis, dentium molarium, & similes, & ideo propter has, á redditione debiti non excusantur, licet leve subeant incommodum; sicut nec excusatur quis á debitis civilibus, licet ex solutione, subeat leve detrimentum. His addit Sanchez, quòd coniux, febri vel dolore gravi laborans, non tenetur ad reddendum debitum, licet sit in alio coniuge, periculum incontinentiæ. Tùm, quia talis obligatio intelligitur, salva incolumitate personæ. Tùm, quia alter non est in extrema necessitate spirituali, quæ sola debet propriæ corporali saluti præferri.

Secunda causa iusta, ex qua coniux non tenetur debitum reddere alteri coniugi est, si hic sit leprosus, vel morbo Gallico, aut alia contagiosa infirmitate laboret, ita vt Medicorum iudicio, timeatur periculum infectionis gravis; quia non debet coniux, cum tanto incommodo sui, petitioni alterius satisfacere, nisi forté ante contractum Matrimonium, sciret illum tali morbo laborare, tunc enim iuri suo cessit; & in eo casu, potest debitũ reddere, licet timeat infici, quia regulariter infectio non est mortalis, alias enim gravissimum fieret onus Matrimonij; & idem est, si timeretur periculũ infectionis prolis, quia melùs est proli sic esse, quam nullo modo esse, vt ait D. Tho. art. 1. ad 4. quem sequuntur Bonacina, Sanchez & Dicastillus.

An verò licitum sit coniugi, negare debitum petenti, ne multiplicentur filij? Resp. quòd vel coniuges habent facultates, ad alendos decenter filios iuxta statum suum, vel non? Si primum, peccant negando debitum, & quia coniugi faciunt iniustitiam, & quia privant Matrimonium suo fine, qui est generatio prolis; si secundum, videndum est, an sint iam plures filij, an coniuges sint in ætate, vt possint alios filios procreare, an detur in aliquo periculum incontinentiæ; si enim non extent plures filij, & vxor ratione ætatis sit sterilis, vel detur in aliquo periculum incontinentiæ, non excusatur, sed obligatio iustitiæ & charitatis vrget; si autem é contrario contingat, non tenetur coniux debitum reddere, quando ad filiorum sustentationem non habet possibilitatem, sicut etiam magna difficultas & incommoditas, á debitis civilibus solvendis excusat; ita Sanchez, Dicastillo, & Salmant.

Rogabis: An mulier quæ in partu, filios mortuos edere solet, peccet negando debitum coniugi petenti? Resp. negativé, quia edendo filios mortuos, ipsa periculo mortis exponitur, & ex hac causa á redditione debiti excusatur, vt diximus, si verò immineat illi periculum incontinentiæ, poterit reddere & petere. Tùm, quia non est certum, quod semper sit paritura filios mortuos. Tùm, quia non constat, ipsam concepturam, & fœtum vsque ad formationem esse deducendum. Tùm, quia licet hæc omnia constarent, posset exponi incommodo illi, ad vitandum grave periculum incontinentiæ, quia licitum est minus malum eligere, vt vitetur maius; sic tenent Bonacina, Sanchez, Dicastillus, & Salmanticenses.

Sed est aliud dubium: an coniux possit reddere debitum alteri coniugi, illicitè petenti? Aliud est iniustè petere, & aliud illicitè; nam iniustè petit, qui ius petendi non habet, illicitè verò, qui habet ius, sed est prohibitus vti illo, & illicitè petere, stat dupliciter, aut ex parte personæ, quia prava intentione movetur, vel ex parte actus, quia petit cum periculo impediendi generationem; & quidem certum est apud omnes, quod iniustè petenti, vt si est factus affinis, per fornicationem Matrimonio supervenientẽ, non tenetur reddere altera pars, quia ille est privatus iure petendi in pœnam delicti; potest tamen reddere si vult, quicquid dicant alij, quia ob alterius culpam, non privatur innocens, iure petendi & reddendi; sicut si dubius de valore Matrimonij, debitum petit, alter non tenetur reddere, quia ille per dubium amisit petendi ius, sed reddere & petere potest alter, quia non est iure suo privandus ob dubium alterius, sic Sanchez, Bonacina, & Salmantic.

Dubium est: an coniux teneatur reddere debitum, coniugi illicitè petenti ex parte personæ? Resp. quòd sic; ratio est: quia petens illicitè, habet ius petendi, & sic negans, operaretur contra ius in re gravi. Explicatur: si Petrus, pecunias apud Paulum reponat, & eas petit ab eo, vt luxuriosè vivat, illum fraternè monendo, tenetur eas reddere, quia ius habet ad hoc; ergo idem in casu nostro dicendum est. Nec ideo coniux reddens, cooperatur peccato, quia ille exercet actum Matrimonialem licitum coniugatis, licet ex malitia alterius coniugis vitietur; modo quo qui petũt pecunias ab vsurario, vel Sacramenta á pravo ministro non peccant, quia faciunt actum ex se licitum, licet ex malitia alterius depravetur.

Dices 1. coniugi iniustè debitum petenti, potest ab altero denegari, vt si affinis sit ex copula incestuosa, vel ex alia simili causa impeditus: ergo idem dicendum, si petat illicitè. 2. si Petrus petit gladium, quem apud alium deposuerat, ad occidendum hominem, alter non teneretur reddere, quia vsus illius malus esset: ergo idem dicendum, de petente á coniuge debitum illicitè. 3. bonum spirituale, debet corporali præferri; sed aliquando non tenetur coniux reddere debitum, ad vitandum malum corporale grave sui vel prolis: ergo multo minus, quando ex redditione sequitur damnum spirituale in petente. 4. coniux nequit debitum reddere alteri coniugi, quando petit illicitè ex parte actus, vt si petat in loco sacro, modo indebito, &c. ergo nec quando petit illicitè ex parte personæ.

Resp. ad 1. quòd est disparitas, nam quando quis iniustè petit, est privatus iure suo, vt patet in

casibus suprá assignatis, & etiam quando petit intra bimestre, & ideo tunc alter coniux, non operatur contra ius si neget, & sic licitè negare potest; quando verò illicitè petit, non est iure privatus, sed solum prohibitus vsu, & ideo tunc qui negat, contra ius operatur. Ad 2. quód in eo casu, tenetur quis ex charitate proximi, homicidium vitare, & sic etiam tenetur gladium non conferre; sed in nostro casu, nemini facit iniuriam debitum reddendo, imó illam faceret negando, quia operaretur contra ius alterius, vndé patet disparitas. Ad 3. quód coniux non habet dominium suprá proprium corpus, & ideo, nequit eius salutem perdere, nec potest debitum petere, cum gravi damno corporali sui; sed in animam, habet dominium morale, quia Deus reliquit illum, in manu consilij sui, & sic ius habet petendi, cum præiudicio illius, nec propter illud potest negare. Ad 4. quód actus pendet ab vtroque coniuge, & ideo si ille est illicitus, hoc habet ex parte vtriusque, circumstantia verò personæ, solum pendet ab vno, & sic potest petitio esse illicita ex parte vnius, & non ex parte alterius.

Sexta difficultas: Quót modis, actus coniugalis vitiari possit? Notandum: quód actus coniugalis, ex natura sua bonus est & meritorius, sed per accidens & ex circumstantijs, vitiari potest. Primó ratione pravi finis, licet sic petenti, teneatur alter coniux debitum reddere, quia hic concurrit ad illud, vt est actus bonus, licet petens ex pravo fine peccet, iuxta finis malitiam; si hæc est gravis, peccat mortaliter, & si est levis, venialiter, licet raro apponatur pravus finis pertingens malitiam lethalem. Deindé: si coniuges copulentur, moti á quolibet bono Matrimonij tanquam á fine, intendendo fidem sibi servare, Sacramentum perficere, aut prolem generare, nec venialiter peccant, quia hæc omnia, sunt bona & laudabilia; si verò prolem & successionem intendant, ibi sistendo & hoc ad Dei cultum non ordinando, erit peccatum veniale, quia intentio, non debet sistere in bono naturæ, sed in bonum Sacramenti referri, vt ait D.T. in 4. dist. 31. q. 2. art. 2. ad 1.

Nec erit peccatum veniale, copulam exequi, ad sedandam concupiscentiam, quia suppositá hominum fragilitate licitum est hoc intendere, tanquam finem secundarium, non excluso fine primario; vndé ait D. Paul. 1. ad Cor. 7. Propter fornicationem (vitandam, vt ait D.T. ibi) vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaqueque suum virum. *Dices*: quód Apostolus, hoc dicit, propter indulgentiam, vt indicant verba sequentia, & sic videtur ibi esse aliquam culpam, quia vbi hæc non est, nihil indulgetur. Resp. quód verbum indulgere ibi, non significat remittere peccatum, sed aliquod indulgenter permittere, & patet, quia Apostolus, non indulget aliquid præteritum, sed futurum, quod respectu culpæ, fieri non potest, vt diximus, q. 5. art. 4. casu 3. Vel etiam indulget, tanquam minus bonum, nam qui volunt perfecti esse, debent ad evangelica consilia conari, vndé ait Apost. ibi: Si nupserit virgo non peccavit, tribulationem tamen carnis, habebunt huiusmodi; ego autem vobis parco; quod non dicit, quasi parcendo culpam, sed indulgendo infirmitati, & consulendo tribulationes carnis cavere, vt ibi ait D.T.

An verò copula maritalis, ob solam voluptatem, & delectationem, peccatum sit? Resp. quód si talis delectatio sumitur, vt applicatio voluntatis ad moderatum vsum Matrimonij, & non vt finis movens, nec peccatum veniale est; sicut nec delectatio cibi moderati, ad salutem necessarij; si verò habeatur vt finis actus coniugalis, erit peccatum veniale; vndé ait D. Aug. lib. de bon. coniug. cap. 6. coniugalis concubitus, generandi causa, non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, culpam habet venialem; cui consonat prop. 9. ab Innoc. XI. damnata, hoc ipsum asserens; quod si concupiscentia, limites Matrimonij excedit, vt congrediens cum vxore, aliam sibi figuraret, vel ita esset delectationi affectus, vt eodem modo accederet ad vxorem, si sua non esset, peccaret mortaliter, vt ait D. Thom. loc. cit. art. 3.

Deindé ex parte temporis, dicunt aliqui, esse illicitam copulam diebus festivis, vel ieiuniorum, in quibus Eucharistia, vel est sumenda vel sumpta; sed licet hoc sit consilium salutare, vt tunc coniuges vacent orationi, vt ait D. Paulus loco dicto; hoc tamen fieri potest absque peccato, quia de eo nulla est prohibitio, & licet aliqualis diversio esset ab Ecclesiæ fine, sed finis legis sub lege nõ cadit vt ait D. Tho. 1. 2. q. 93. art. 3. ad 2. & ideo petere & reddere debitum his diebus, illicitum non est, nisi forté id fieret, in contemptum festi vel ieiunij, tunc enim, esset mortale peccatum. Sed tamen valdé consultum est, post copulã á comunione abstinere; vndé asseruit Hyer. quicumque vxori debitum reddit, de carnibus agni, comedere non debet; sed hoc á peccato excusabitur, si fit ob aliquod Matrimonij bonum, quia per hoc compensatur indecentia ex copula orta; si verò copula fiat ex nimia concupiscentia, erit peccatum veniale, eodem die Eucharistiam summere, quia indé sequitur distractio & hebetudo mentis, vt ait D.T. 3. p. q. 80. art. 7. ad 2. si verò detur causa iusta, vt est magna solemnitas, Iubileum, notæ periculum, aut devotio specialis, á culpa excusant. Similiter decens est, ob reverentiam, in die sumptionis Eucharistiæ á copula abstinere, & sic petere debitum, erit culpa venialis, non verò reddere, quia hic est actus iustitiæ, quæ Deo placet.

Deindé, ex circumstantia loci, potest copula vitiari. 1. si fiat in loco publico, & tunc erit peccatum mortale. Túm propter scandalum videntium. Tũm, quia etsi scandalum non detur, est valdé in-

de-

decens, propter inhonestatem tali actui annexam; & idem est, de tactibus inter coniugatos, qui peccaminosi erunt magis aut minus, iuxta qualitatem eorum, & fragilitatem aspicientium, quod per iudicium prudentum pensari debet; sic ait D.T. hic, .64. art.7. & cum eo Sanchez, Ledesma, & alij. 2. si copula fiat in loco sacro, ob reverentiam debitam illius sanctitati. Sed an sit peccatum mortale, copula coniugalis, ratione huius circumstantiæ? Variant Doctores; sed quod verius iudicamus est, quod si talis copula fiat sine necessitate, est illicita & sacrilega, secus si ex necessitate fiat, vt si coniuges, diu in Ecclesia permanere cogantur, nec extra facilé possint exire. Ratio primi est: quia etiam licita sanguinis effusio, absque necessitate in Ecclesia facta, sacrilegium est, vt si iudex ibi reum puniret, & sic idem dicendum, de effusione seminis alias licita. Ratio secundi: quia præcepta Ecclesiæ, in casu necessitatis non obligant, vndé potius locus sacer veneratur, si coniuges copulantur ad incontinentiam vitandam, vt dicunt Sanchez, Suarez, Covarruvias, & Salmant. Sed est adhibenda maxima cura, vt copula, secretissimé fiat, ne scandalum indé sequatur.

Quid autem intelligitur per locum sacrum, vt copula in eo habita sit sacrilegium? Resp. quód locus ad hoc, non ita extenditur, sicut ad effectum immunitatis, quia ad hoc omnia loca sacra sufficiunt, non verò ad inducendum sacrilegium; soluni ergo Ecclesia consecrata aut benedicta, & omnis locus ab Episcopo deputatus, ad officia divina, vel fidelium sepulturam, nomine loci sacri ad hunc effectum intelliguntur, & Ecclesia summitur pro spatio á tecto ad pavimentum, & ab ara maxima vsque ad extremum oppositum, in quo comprehenduntur Capellæ & chorus, quæ vnum Ecclesiæ corpus constituunt; & similiter Cœmenterium, claustra religiosorum, & sepulturæ subterraneæ, dicuntur locus sacer, quo ad hunc effectum; alia verò loca, intra vel extra Ecclesiam, vt dormitorium, cellæ, tribunæ, sacristia, oratoria non benedicta, Ecclesiæ atria, turris & campanile, loca sacra non reputantur, nec copula in eis habita, est sacrilegium; sic tenent Sanchez, Henriquez, Ledesma, & Salmantic.

Tandem, copula potest esse illicita inter coniugatos, ratione modi coeundi, vt si id faciant sedentes, stantes, præpostere & pecudum more, vel si vir sit succubus & fœmina incuba, quod est peccatum saltim veniale grauissimum, ideoque acriter reprehendēdum est coniugibus, nisi eos iusta causa excuset, vt periculum abortus, damnum fœtus, nimia pinguedo viri, & debilitas fœminæ, quæ nimis ex hoc grauaretur; sic tenent authores prædicti. An verò sit peccatum mortale, aliquo ex his modis inordinatis coire? Resp. quód non, per se loquendo, vt tenent Salmant. cum decem & octo authoribus primæ classis. Ratio est: quia inordinaté quærere voluptatem in vsu Matrimonij, solum est culpa venialis, si eius finis principalis seruatur, qui est generatio prolis; & quocumque ex modis dictis, seruato vase legitimo, potest sequi prolis generatio, nam semen, non mittitur in matricem fœminæ, per descensum, sed per attractionem, vt ait D.Tho. quodlib.6. art 18. sicut cibus quocumque modo intret per os, ad stomachum atrahitur, vt nutritioni deserviat. Diximus *per se*, quia per accidens, potest esse peccatum mortale, inordinatus modus coeundi, si adsit periculum, vt semen extra vas naturale fundatur, quod ab experientia potest dignosci, quia opponitur fini, ad quem natura destinavit semen, & insuper datur ibi, adulterij circumstantia, quia non seruatur coniugi fides, de corpore illi casté custodiendo, vt dicunt Sanchez, Bonac. & Salmant.

Septima difficultas: De alijs actibus, coniugibus licitis vel non. Notandum, quod ex copula coniugatorum, potest prolis damnum imminere, vel ante conceptionem, vt si ambo vel aliquis non seminent, vel post conceptionem, vt si comixtio fiat, quando mulier est gravida, lactans vel menstruata; quoties aliquid efficitur, per quod semen sine generationis privatur, est peccatum mortale contra naturam, vt si fœmina potionem sumat ne concipiat, ipsa & conferens, peccant mortaliter, vel si statim post semen receptum erigitur, vel emmittit vrinam, aut aliud faciat, animo semen extra fundendi; non verò si hoc faciat, ex aliqua necessitate; sed de hoc non debet esse nimis anxia, vt post coitum maneat immobilis, aut resupina, quia semel recepto semine, ita clauditur os matricis, vt nec cuspidem acus recipiat, vt ait, Sanchez, Dicastillus, & Henriquez.

Dubitabis 1. An sit peccatum, ad vxorem accedere, quando est in menstruo naturali? Dicitur *naturali*, id est per singulos menses iuxta fœminarum consuetudinem eveniente; quia si est fluxus sanguinis perpetuus aut frequens, nullum est peccatum, ad vxorem eo tempore accedere. Resp. igitur: quód accedere ad vxorem tempore menstrui, est peccatum, non mortale, sed veniale. Ratio primi est: quia hoc non suadetur ex damno prolis, eo quod futura sit monstruosa vel infirma. Tùm, quia raro, eo tempore fit conceptio, nam fluxus menstrui, obstat retentioni seminis in matrice, vt ait Arist. lib.1. de gener. animal. cap.19. Tùm, quia etsi conciperetur proles cum illis defectibus, melius esset illi tali modo esse, quam nullo modo esse, vt suprá vidimus ex D.T. Ratio secundi: quia in actu eo tempore exercito, datur specialis turpitudo, & indicium incontinentiæ, non expectando tempus aptum ad generationem, nisi detur incontinentiæ periculum, vel timor ne vxor, viro exossa reddatur. Tenetur autem vxor reddere, nisi precibus

bus moderatis,posit avertere virum. *Nec obstat*: quód non est obligatio reddendi, quando datur in actu turpitudo illicita ; nam solum est illicita venialiter, & ad hoc mulier non concurrit, sed exercet actum,ex natura sua bonum & debitum;sic tenent Salmant. cum pluribus quos ipsi citant.

Dubitabis 2. An sit peccatum , accedere ad vxorem gravidam? Resp.quód si datur periculum abortus, est peccatum mortale,ob damnum imminens proli innocenti ; si verò tale periculum non datur, peccatum non est, alias Matrimonium,esset onus gravissimum, si toto tempore quo est gravida vxor, deberent coniuges á copula abstinere. *Si dicas*: quód tunc nequit fieri generatio,& sic prodigetur semen , quod peccatum est. Resp. quód ex natura concubitus, potest sequi proles, etsi per accidens non sequatur, vt patet exemplo senum & sterilium; sic D.T. in 4, dist.35. in expos. litteræ. Vndé probabilius est, quod nec erit peccatum veniale, tunc petere & reddere,quia hoc nullibi prohibitum est, & quia alias Matrimonium , esset laqueus maximus, si tanto tempore coniuges simul condormirent , & sic pluribus venialibus peccatis exponerentur;quod si aliquando Sancti PP. oppositum dicunt , hoc est intelligendum de consilio, vel si detur damnum fœtus ; sic tenent Sanchez, Dicastillus, & Salmant.

Hoc ipsum proportionaliter est dicendum, de viro accedente, ad vxorem filium lactantem, quod nempé non peccat mortaliter , quia proles potest alteri lactanda committi,vel si hoc non possit præ inopia , nullum indé proli damum evenit, vt experientia docet; & licet aliquod eveniat,dum non sit notabile,non debet per medium,tám arduum præ caveri , ex quo Matrimonium quod est concupiscentiæ remedium , verteretur in animæ laqueum, per longam abstinentiam á concubitu ; sed si immineat notabile damnum proli , vt est exiccatio vberum matris , vel suggere lac damnosum,quando filius nequit alteri lactandus tradddi,excusatur mater á debiti redditione. Vndé nutrices, quæ filios aliorum lactandos suscipiunt , peccant si ex copula cum maritis suis , timeant grave damnum illis inferre,& postea id cognoscentes,occultant ne expellantur. *Nec* eis iuvat ad hoc, incontinentiæ periculum; quia si consensu mariti , parvulum lactandum suscipiunt , ille pro eo tempore,iuri suo cedit, vel si non, discedant á lactatione,vt satisfaciant iustitiæ viri.

Dubitabis 3.An coniuges,debeant in copula simul seminare,ita vt vterque recedere non debeat, antequam seminet alter? Resp.non esse peccatum, quod vir post seminationem , se á copula retrahat, licet mulier non seminet , nec id procuret , quia eius semen,ad generationem non requiritur , vt ait D. T. 3.p. q.31. art.5. ad 3. Sed tamen erit conveniens,vtrumque seminare, quia fœminæ semen,ad fœtus formositatem requiritur ; & ideo potest illa immediatè post copulam , se ad seminationem tactibus excitare , postquam vir recesit , quia hoc est complementum actus coniugalis, pertinens ad perfectionem prolis; si autem contrarium contingat , quod fœmina iam sit excitata , & adest probabile iudicium seminationis, peccaret mortaliter vir,á copula recedendo ante sui seminationem,quia coitus est consummatus ex parte fœminæ, vel proximus consumationi , & vir esset causa , vt semen privaretur suo naturali fine ; sed ab hoc,iusta causa posset vir excusari, vt si post seminationem fœminæ,immineret viro grave periculum,vel á fera,vel ab inimico , quod tamen metaphysicum est , vel si aliquis tunc intraret cubiculum,vt decentia servaretur , licet daretur periculum fundendi semen extra vas, quia hoc accideret præter intentionem, & ex causa iusta ; sic tenent Sanchez , Dicastillus , & Henriquez.

Dubitabis 4.An coniugibus sit licitum,inchoata copula , recedere ab illa , quando nemo eorum seminavit?Resp.quód si non datur periculum fundendi semen, & hoc fit mutuo consensu, non erit peccatum saltim mortale, recedere incheata copula: quia vir iniuriam non facit , nec proli nec fœminæ , hac non seminante, recedendo; non proli, quia non habet ius, vt hic & nunc generetur,sicut si coniuges, nollent copulam habere ; non fœminæ, quia ipsa in eo consentit vt supponimus, vndé illa incepta , penetratio vasis , reputanda est sicut alij tactus , qui liciti sunt inter coniuges , secluso periculo pollutionis ; si enim invita fœmina , hoc faciat vir, mortaliter peccabit,tanquam si negaret debitum, quia ex vi Matrimonij, debetur fœminæ, copula, quæ sit apta generationi. An verò virum desistere, postquam fœmina seminavit, sit novum peccatum, in copula fornicaria ? Resp. quód non, & consultius erit, quovis tempore recedere , quia tota continuatio actus,illicita est; nec ex hoc fit iniuria fœminæ,quia non habet ius ad copulam;nec proli, quia tali modo non debet fieri , & licet detur periculum fundendi semen extra vas,vir tenetur recedere, quia faciebat actum iniustum,& pollutio secuta , est involuntaria & præter intentionem , & procedit á causa iusta ; sic tenent Diana, Sanchez, Aversa, & Salmant.

Dubitabis 5. An coniugibus sint licita verba amatoria , tactus & aspectus, sine ordine ad copulam? Resp. quód sic,non stante periculo pollutionis, licet sint circa partes occultiores,erunt tamen veniale peccatum, si ob delectationem fiunt, nullum verò,si fiant ad amorem fovendum, quia Matrimoninm,præbens ius ad copulam, quæ est quid maius, etiam ius præbet ad hæc,quæ sunt minus; alias cum sit tanta coniugum societas , & multoties nequeant copulam habere , pluribus periculis peccandi essent expositi; sic tenent authores citati.

Ma-

Maius dubium est: An hæc sint licita ad fovendum amorem, cum periculo pollutionis prævisſæ? Resp. quód non, nisi valdé remoté in pollutionem influerent, vt amplexus & oscula cõsanguineorum, post longam absentiam; ratio est: quia tales actus ex se, pollutionem inducunt, quæ est contra naturam. *Nec* obstat: quód tunc coniuges dant operam rei licitæ; quia occasionaliter illicita est, ratione prævisionis peccati eventuri; sic tenent Soto, Cayet. Salmant. Dicastillus, & alij; & ex hac eadem doctrina patet, non esse licitos tactus vnius coniugis, cum se ipso, in absentia alterius, quia per se tendunt ad pollutionem inducendam. Sed inter sponsos de futuro, tales actiones ad captandam benevolentiam, sine periculo pollutionis, sunt peccatum veniale; si in signum amoris, nullum peccatum, sic Salmantic. quia sponsalia sunt inchoatio Matrimonij, & sic reddunt licitos actus, qui sunt copulæ inchoatio. Excipitur, si sunt valdé turpes, aut in partibus secretioribus, vel cum commotione carnis, tunc enim, sicut copula licita non est, nec illi sunt liciti hoc modo, nisi forté ad vitandam inurbanitatis notam, & ad consuetam amoris significationem exprimendam.

Dubitabis 6. An sit peccatum mortale, delectatio morosa coniugum, de copula habita vel habenda, quando illa de præsenti nequit haberi? Aliqui affirmant, alij negant, & omnes sunt notæ classis authores. Sed nos, sub distinctione sic respondemus: Si delectatio, est in voluntate aut appetitu, sine commotione carnis, aut alteratione spirituum generationi deservientium, nec aliqua titillatione, non est peccatum, quia est delectatio de obiecto licito; nec hoc modo illa delectatio est inchoata pollutio, vt volunt authores affirmantes. Sed si delectatio fiat, vt fit frequenter, cum illa commotione & titillatione, est peccatum mortale, sicut etiam in vidua, de copula præterita, & in sponsa, de futura. Ratio est: quia illa delectatio, non ordinatur ad copulam habendam, quia tunc est impossibilis; nec ad fovendum amorem, vt patet, & ideo sistitur in pura delectatione illicita; Matrimonium enim, non dat ius corporum, nisi in ordine ad generationem, vel ad id quod deservit ad illam, vt est mutuus amor & benevolentia, & vtrumque deficit in casu dicto. Vndé asseruit D. Ambr. nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij.

Octava difficultas: De divortio & eius causis. Divortium, nihil est aliud, quam separatio coniugatorum, non quidem quo ad vinculum, quod nulla causa fieri potest, cum Matrimonium sit ab intrinseco, & ex natura sua indissolubile, vt suprá vidimus, sed solum quo ad thorum & habitationem, quod potest fieri, vel ad tempus, vel in perpetuum, & hoc secundum, propriè divortium est; & quidem, posse virum dimmitere vxorem, quo ad thorum & habitationem, ob crimen adulterij, certum est, hoc enim indicavit Christus Mat. 5. & 19. & D.T. hic, q. 62. art. 1. & ius naturæ hoc dictat, nam frangenti fidem, non est fides servanda; & etiam mulier, potest dimmitere virum adulterum, quia ambo sunt pares, in obligatione servandi fidem coniugalem, & sic etiam in iure faciendi divortium, ob coniugis adulterium; & constat ex Apostolo 1. ad Cor. 7. vbi ait, quod si vxor á viro discesserit, manebit innupta, aut viro suo debere reconciliari, quod supponit adulterium coniugis, quod sit iusta causa discedendi.

An verò teneatur vir, vxorem adulteram dimmitere, ita vt mortaliter peccet, cum illa cohabitando, & ei debitum reddendo vel petendo? Resp. quód si illa de culpa fuerit emmendata, vir non tenetur eam dimmitere, vt ait D.T. ibi, art. 2. si autem fuerit pertinax, & in adulterio perseverans, tenetur vir ab ea recedere per se, sub peccato mortali; sic D.T. loc. cit. quem plures authores á Salmant. citati sequuntur; sic habetur expressé in cap. si vir, vbi dicitur: Si vir sciens vxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, & vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps, & hoc ipsum dicitur, cap. 18. Proverb. qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens; sed Doctorum varietas sita est, in assignanda causa, ex qua in viro, hæc obligatio dimmittendi vxorem adulteram oriatur?

Dicendum est: quód talis viri obligatio, non consurgit ex adulterio, sed ratione correctionis fraternæ faciendæ, vel scandali vitandi. Ratio primi est. Túm, quia innocens, potest remmittere offensam. Túm, quia divortium, est pœna delicti, ad quam non tenetur innocens, sed potest iuri suo & favori cedere. *Nec* dicas: hoc oriri ex eo, quod proles sit incerta; nam si hoc esset verum, etiam teneretur vir discedere, quando vxor est emmendata, quia per adulterium antecedens, etiam sequitur incertitudo prolis; consequens autem est contra D.T. loco dicto, & contra omnes authores. Ratio secundi est: quia viro, qui caput est, incumbit obligatio corrigendi vxorem, & correctionis loco, obligat separatio, quando datur spes profectus, nec est alia corrigendi via, vt ait D.T. ibi; ratione scandali etiam obligat, ne detur suspicio, quod vir crimen patrocinatur, & officium atque infamiam lenonis gerit, alijs pravam occasionem præbendo; sic tenent Sanchez, Sotus, & Basilius.

Sed notandum, quod vir non obligatur ad separationem, ex capite correctionis fraternæ, quando iudicat quod per divortium, non solum non emmendabitur vxor, sed peior fiet á sua custodia egressa, & liberius luxuriæ effrenatè vacabit, vel etiam si lites, infamia, vel incontinentiæ periculum ipsi redundent; præcipuè cum possit verbis &

aspera correctione, atque strictiori custodia, illam admonere, nam vt ait D.Thom.art.2.ad 1. peccatum fornicationis in vxore potest corrigi, non tantum tali pœna, sed etiam verbis & verbere. Nec ex capite scandali, tenetur vir recedere, quando adulterium est occultum, quia tunc non datur scandalum, vel si est notorium, sufficit quod vir dicat vicinis, se in eo non consentire, sed curare omnibus vijs emmendationem;& si adhuc scandalum non cessat,non tenetur vxorem repellere,cum damno sui vel domus, vel si adest incontinentiæ, rixarum vel sumptuum periculum, quia cum tanto incommodo, non tenetur vitare scandalũ cuius non est causa, & sic raro casus occurret,in quo attentis circumstantijs,teneatur vir ob adulteriũ vxoris facere divortium.

Diximus,quod in casu pertinatiæ vxoris in crimine,tenetur vir eam dimmitere *per se*, nam per accidens, in aliquibus casibus, ad hoc non tenetur vir, vt ait D. T. loc. cit. art.1. & licet septem casus assignet,præcipui reducuntur ad quatuor.*Primus* est: si vterque coniux,adulterium commisit, quia tunc iniuria vnius, per alterius iniuriam compensatur.Sed non sufficit, vt vnus recedere possit, quod ipse tantũ semel aut bis adulteraverit, & alter per plures vices, quia causa divortij, quæ est fractio fidei coniugalis,attenditur ex criminis qualitate, & non ex numero delictorum; & idem est, si crimen vnius est publicum,& alterius secretum, nam quo ad causam divortij, pares existunt, & sic neuter habet ius, reclamandi contra alium; sic D. Thom. art 6. ad 5.

Dubium autem est,si vnus emmendetur,& alter in culpa perseveret, an ille contra istum, habeat ius petendi divortium? Resp.quód si emmendatus alium moneat, & iste contemnit & relabitur,potest emmendatus recedere, & divortium postulare:quia si ambo reconcilientur, & postea vnus relabitur, innocens potest recedere, vt fatentur omnes; sed idem est, casu quo vnus emmendetur, hic enim offert alteri reconciliationem per admonitionem, quam reus non vult admitere cum teneatur,& illi terminum præteritæ compensationis imponit,quod iuste facere potest;& sic, non datur locus compensandi præsens delictum,cum præterito alterius iam emmendati, & ideo se habent vt reconciliati, & novum adulterium ab vno commissum,præbet alteri ius recedendi; sic tenent Sanchez, Henriquez, Coninch, & Salmant.

Secundus casus,in quo propter adulterium,non datur ius in coniugibus ad divortium, est quando vir, adulterij vxoris est particeps (& idem de vxore respectu viri) vt si vxorem prostituat, & vile munus lenonis exerceat,vel det adulterandi facultatem,vel crimen vitare non curet cum possit;non quia scienti, & volenti non fiat iniuria; quia fit iniuria Sacramento, nec est in manu viri, vt in hoc cedere possit,nec corpus vxoris est sub eius dominio,vt illud in adulterijs possit expendere;sed quia æquum nõ est, quod vir obijciat vxori peccatum, de eius consensu commissum, nec ideo illi debitum neget, nec eam á se repellat. Excipiuntur autem aliqui casus,in quibus vir sciẽs adulteriũ vxoris, non iudicatur consentire. 1. si dissimulat prudenter vt certior fiat, & remedia opportuna apponat. 2. si causam remotam adulterij dedit, vxorem aspere tractando, é domo ejciendo, vel alimenta negando, propter quod adulteravit ipsa, nisi forté vir,eo animo fecerit,vt per vxoris prostitutionem, sibi abundanter provideret, quod malum, non semel præsens sæculum vidit.

Tertius casus est: quando mulier, solum materialiter adulterium commisit,& idem de viro proportionaliter, nempé si dolo aliquis intraret ad illam,se maritum simulans, vel fœmina ad virum, se fingens vxorem; vel si cogitans probabiliter,virum absentem esse mortuum, aliud Matrimonium contraheret & consummaret, vel si per violentiam fuit cognita,quia in omnibus his,fidem non fregit, sed involuntarié deliquit. De metu etiam gravi,ait Sanchez, quod fœminam non excusat,quia potius deberet mortem subire, quam adulterium perpetrare. Sed quicquid sit de hoc,charitas petit,vt vir non tanto rigore á se avertat vxorem, quæ magis timore mortis, quam amore alterius violavit thorum coniugale. Si autem mulier, cogitans virum mortuum, fornicata fuerit extra secundum Matrimonium,poterit vir suus eam repellere,præcipué si gravida est,aut prolem habet, quia iniuriosum est & valdé durum, mulierem & prolem fornicariam admittere,licet fidem coniugij,formaliter non violaverit. *Dices*: vir cogitans vxorem mortuam, & extra secundum Matrimonium luxurians, nequit ab vxore repelli: ergo nec é contra, vir vxorem. Resp. quód est disparitas, quia non est ita indecorum vxori, virum admittere, quia cum alia est copulatus, sicut indecorum est viro, cum simili fœmina, sic fornicante cohabitare.

Quartus casus est, quando innocens,post adulterium,sibi reconciliavit adulterum; quia per hoc iuri suo cessit, & iniuriam remisit; sed si post reconciliationem relabitur reus,dimmiti potest,quia per illam, Matrimonium est restitutum ad pristinũ statum, in quo per adulterium, acquirit alter ius dimmitendi; & etiam, si reconcilians antea innocens,postea labitur, potest á reconciliato dimmiti, quia tunc non datur compensatio iniuriæ, quia prior ab altero irrogata, per reconciliationem fuit dimmissa;quæ dimmissio, potest fieri verbis,si hoc expressé dicatur,vel factis, si conscius adulterij,voluntarié copulam habeat cum adultero, quia hoc videtur esse,sufficiens inditium remmissionis, vt ait D. T. in 4. dist.35. quæst. vnic. art.1. & etiam sunt remmissionis signa, degere in eadem domo,

com-

comedere in eadem mensa, & præcipuè, si adsint oscula & tactus, quæ omnia sunt specialia amicitiæ signa.

Dubitabis: An facto divortio per sententiam iudicis, possit coniux innocens si velit, alterum cogere, vt ad se redeat, & hic teneatur redire? Certum est, posse ambo redire si velint, & per mutuum consensum, Matrimonium reducere in pristinum statum, quia iudicis sententia, vsum coniugij non prohibuit, sed illum favorem innocenti concessit; nec innocens tenetur amplius, ad adulterum redire, licet hic sit emmendatus, quia prior iniuria & fidei fractio, dedit ius recedendi in perpetuum. Verum quidem est, quod licet ad hoc innocens non teneatur, sed charitas & honestas petit, vt emmendatum recipiat, quando id commodè fieri potest, & alterius saluti expedit. Resp. ergo quæsito: quòd si innocens vult reconciliari alteri, potest, & hic tenetur redire, altero petente. Ratio est: quia sententia data est, in favorem innocentis, & in pœnam adulteri: ergo ille potest petere, & hic tenetur redire, quia nunquam acquisivit ius recedendi in perpetuum, nisi summendo statum incompossibilem, cum Matrimonio, de licentia coniugis; sic D.T. loc. prox. cit. art. 6. ad 3.

Sed quid si coniux innocens, post divortium fuerit adulteratus? Resp. quòd licet per hoc, desinat esse innocens, non tenetur redire ad alterum, hoc petente; ratio est: Tùm, quia iam negotium transit in rem iudicatam, & tempus appellationis præterijt. Tùm, quia sententia divortij, absolutè fuit lata, in pœnam adulteri, & non sub conditione, si innocens caste vivat, & hic ab omni servitute liberatur. Tùm, quia post sententiam, reus amisit ius contra alterum, quod per huius culpam posteriorem non reviviscit. Sed tamen iudex, sine instantia patris, potest & tenetur eos coniungere, ad vitandum scandalum, præcipuè si adsit incontinentiæ periculum. *Nec obstat*: quòd adulter per sententiam, non amisit ius in corpus alterius, ne carnem suam cum alio divideret, stante Matrimonij vinculo. Dicitur enim, quod non amisit ius radicale, ratione vinculi remanentis, amisit verò ius proximum, & sic solum erit iniuria illius, quod coniux ius radicale alteri tribuat, aliud Matrimonium celebrando, non autem quod carnem suam actu dividat, se alteri commiscendo. Nec sequitur, illum fornicando non esse adulterum; quia licet non faciat iniuriam coniugi, quæ ius proximum perdidit, facit tamen iniuriam Sacramento, & eius vinculo sicut proximè diximus, de viro permitente adulterium vxoris; sic D. T. loc. cit. ad 4.

ARTICVLVS XIV.

Praxis Doctrinæ præcedentis.

Casus primus, de dispensatione impedimentorum. Vir quidam, naturæ & fortunæ mediocris, emisit votum castitatis, sed tempore decurrente, fœminam earundem qualitatum exoptavit ad nuptias, ad quas contrahendas, Papæ dispensationem super tale votum solicitavit & obtinuit; novissimè autem mortua fuit vxor, antequam filios haberet, sanguinis & opum successores. Quæritur: an virtute dispensationis iam habitæ, posset secundo Matrimonium inire? Responsio affirmativa facilis esset, si Pontifex eo fine dispensasset, vt vir ille successionem haberet, quia alias foret inutilis dispensatio, si contingente morte modo humano, illa cessaret, vt ex se patet; & idem dicendum, si fœmina mortua relinqueret filium & hic statim moreretur, & similiter si nasceretur filius eunuchus, & mater absque alijs liberis obiret; nam tunc isti filij, ad propagandam Patris familiam, essent nati quasi non nati.

Deindè: quia idem est, non nasci ad aliquem fidem intentum, ac ita nasci, vt intentus finis consequi non possit saltim de iure; qua propter nequit absolutè dici, virum habere vxorem, quo ad Matrimonij vsum, qui eam habet ita impeditam & infirmam, vt ea vti non possit, & similiter fœmina dicitur orphana, & parentibus orbata in ordine ad legatum orphanis relictum, quæ parentes habet ita impeditos, vt in nullo possint eam adiuvare; & consequenter, qui filium habet ad propagationem ineptum, absolutè dicitur filijs destitutus; ideoque, si talis dispensatio data fuisset, pro fine successionis, illa non cessaret, habito filio mortuo vel eunucho. Idem proportionaliter dicitur, si dispensatio collata fuit, in remedium concupiscentiæ, quia etiam vxore mortua, maneret vir in eadem occasione peccandi peccato incontinentiæ, & cum ad hoc esset concessa, ne reddatur frustranea, debet extendi ad totum tempus, in quo periculum incontinentiæ durat.

Sed demus, dispensationem illam, obtinuisse effectum, aut finem à concedente intentum, in eo casu, vi prioris dispensationis, defuncta vxore potest vir alias nuptias celebrare? Resp. quòd potest iterum, & iterum contrahere, habita prius operum commutatione per Bullam Cruciatæ vel Iubilæum; sic tenet Ludov. à Concep. cuius ratio est: quia Papa tunc dispensans, vel vt melius dicam, facultatem contrahendi concedens, commutavit viro illi votum castitatis, in alia opera ei iniuncta. & cum horum operum commutatio, non sit Pontifici reservata, sicut est votum, rectè potest vir ille commutationem commutationis voti castitatis obtine-

re,per Bullam aut Iubilæum. *Dices*: quód Pontifex, solum pro vna vice commutavit votum. R. quód ly *pro vna vice*, potest applicari ad votum commutatum, & non ad Matrimonium celebratum; hoc est, quod si Petrus mortua eius vxore, alio voto se adstringat, non valet prima dispensatio pro secundo voto, nec etiam commutatio.

Sed licet dicamus, quod ly *pro vna vice*, ad coniugium refertur,& sic vir ille nequit contrahere itefum,absque Pontificis voluntate, hæc tamen in Iubilæo, vel Bulla virtualiter continetur; & ratio est: quia sub illis favoribus,continentur omnia vota, quorum prior reservatio cessavit, qualiter cessavit in voto relato pristina reservatio,per commutationem; præcipuè,quia reservatio est odiosa, & sic debet restringi, & Bulla & Iubilæus, sunt Principis privilegium, & ideo debent ampliari,sicut ampliata censentur in præsenti casu; quia votum castitatis in Bulla exclusum, est illud quod nullam patitur exemptionem, qualiter patitur in præsenti, post factam commutationem priorem,& ideo perfectam non continet castitatem, atque adeo, in Bulla censetur inclusum.

Quid autem dicendum, si quis scienter, cum impedimento dirimente contraxit, & postea fuit ad forum contentiosum deductum, & semiplene probatum, an possit ab Episcopo dispensari, concurrentibus his quæ art. præced. diffic. 2. retulimus, vt Episcopus dispensare possit? Notandum: quód occultum dicitur, quod á maiori parte viciniæ,in qua saltim sunt decem,non est cognitum, vt authores asserunt; nec dicitur, ad forum contentiosum deductum,quia est iudici denuntiatum; sed quia pars, a iudice citata est, nam á citatione incipit iudicium, cum per confessionem, aut negationem partium, lis contestetur, quod in sola denuntiatione non reperitur. *Dico ergo*: quód est valdé probabile, Episcopum in eo impedimento dispensare posse;quia ibi cessat ratio,cur delicta,ad forum contentiosum deducta,prohibentur dispensari,ne videlicet iudicialis eorum punitio impediatur, sic tenent Henriquez,Reginaldus,& Sanchez.

Deindé: quia potestas Episcopis concessa, est Principis beneficium, & sic latè debet interpretari, & extendi ad prædictum casum, qui iuxta authores prædictos, sub ratione occulti comprehenditur.Demùm: quia iuxta sententiam probabilem, potest Episcopus absolvere á voto simplici castitatis occulto,eo quod reservatio Tridentini est odiosa, & ad solos casus publicos extenditur, & sic idem dicendum, quo ad dispensationem prædicti impedimenti, cum solum obliget iure humano, votum verò iure divino, & in vtroque casu, ambo in ratione occulti continentur.

Hæc autem omnia, percipientur meliùs, reflexionem faciendo, super casum sequentem, quem audivimus á testibus ocularibus primæ notæ, quibus plena fides debet adhiberi. Accidit apud cuiusdam Regis Curiam, vt fœmina quedam, ob sui eximiam pulchritudinem, repetitis & vehementibus suasionibus,á iuvene quodam induceretur ad venerem, sed ipsa honestè semper, rogationibus & donis, manus clausit & obturavit aures,vt pudicitiam suam immaculatam custodiret;sed infrunitus homo, magis exardescens furentis libidinis æstu, ipsam compulit per vim, intra domum eius, in qua furtivè est ingressus, vt lascivis suis desiderijs assentiret,minando si renueret,quod ei crimen maximum erat impositurus; expavit ipsa, hinc indé respiciens, vel Dei offensam, vel suæ famæ iacturam, & inter hæc, angoribus fluctuans, pessimo viri desiderio consentire decrevit, & ita eius fuit vehemens expleta libido.

Sic relicta fœmina, ipsa fuit in lachrimas amaras effusa, quod cum á sorore videretur, illi solatij causa,totam pandit historiam,vt si forté decursu temporis agnosceretur gravida, ad occultationem criminis iuvaretur ab ipsa;non pluribus mensibus peractis, ad nuptias expetitur á viro, qui cum æqualis esset sanguinis & fortunæ, Matrimonium breviter tractatum & conclusum fuit; cum autem celebrarentur nuptiales epulæ, inter invitatos,accedit ad mensam vir ille, qui cum ea fuit turpiter comixtus; fœmina desponsata, inopinato eventu devisso infremit, & turbatur animo, anxietate crescente, dum audivit quod criminosus ille pessimus, sponsum suum, vt fratrem salutavit, vt ei de novo statu congratularetur. Post dies paucos, viro suo totum eventum exponit, ex quo noverunt illi,Matrimonium suum nullum fuisse,quia cum impedimento primi gradus affinitatis contractum est.

Accedunt ad Prælatum pro dispensatione, eo quod impedimentum occultum erat, & licet ab aliquibus iam nosceretur satis, illi tamen reputabantur valdé pauci, respectu vastitatis loci, & tamen pro maiori securitate, illis coniugatis persuasũ est,vt dispensationẽ á sacra Pœnitentiaria secreta solicitarent,quod factum est ita, eaque fuit obtenta. Rebus ita dispositis,& Matrimonio revalidato, nescio qua occasione,mulier illa soror vxoris, cum viro istius litem assumpsit, super quandam bonorum partitionem,ei obijciens, quod verè coniugatus non erat,quia cum affinitatis impedimento, cum eius sorore contraxit; res ad tribunal deducitur, sed petitio ab Ecclesiastico iudice repellitur, & quia strepitu dicto,res ad aures plurimorum devenit, consilium datum est coniugatis illis, vt dispensationem publicam á Pontifice postularent, quia licet re vera, iam esset impedimentum ablatum per primam dispensationem, secunda visa est necessaria,ad vitanda plura scandala & iurgia, quòd ita factum est,& deinceps illi coniugati, in suo Matrimonio permanserunt quieti.

Ca-

Casus secundus, circa idem. Duo cognati in secundo gradu lineæ transversalis, petierunt dispensationem, ad contrahendum Matrimonium, & causam allegarunt, ex eo quod fœmina, non inveniebat virum sibi æqualem, quia pauper erat, eo quod licet haberet opes multas, erant tamen sub lite, in qua potentem & nobilem virum habeat collitigatorem: factum est tandem, quod hic quia senex erat, infirmatus moreretur, ex quo fœmina pacificé, in possessionem bonorum intravit. Quæritur: an cessante illa causa, ante contractum Matrimonium, dispensatio corrueret, vel adhuc valida subsisteret? Notandum: quód causa debet durare, quando dispensatio expeditur, licet quando fuit petita, forté non daretur, & hoc intelligitur de causa motiva finali, non de impulsiva, vt suprá dictum est.

Ad casum dicunt aliqui, quod si causa minuitur, sed pro maiori parte perseverat antequam Matrimonium contrahatur, dispensatio est valida, quia maior causa requiritur, ad dispensationis concessionem, quam ad eius anullationem. Sed verius est & probabilius, quod si causa cessat antequam suum effectum sortiatur, dispensatio propter illam obtenta, est valida; sic tenent Sanchez, Palaus, Suarez, Dicastillus, & Salmant cum pluribus alijs, & constat ex reg. iuris in 6. reg. 73. vbi dicitur: Factum legitimé retractari non debet, licet casus postea eveniat, á quo non potuit inchoari, quod etiam tribus exemplis convincitur. 1. quia si irregularis dispensatur ad ordines suscipiendos, ob eius vel parentum paupertatem, vel ob indigentiam ministrorum, dispensatio durat, etsi cessat causa, ob quam fuit obtenta. 2. si habens votum religionis, dispensatur ob debilitatem virium, licet postea fiat robustus, durat dispensatio, alias vexaretur scrupulis, nesciens quãdo haberet sufficiẽtes vires. 3. si mulier vxorata, haberet votum castitatis, & obtineret eius dispensationem, ob periculum incontinentiæ, etiam hoc cessante, votum non revivisceret, alias esset scrupulis plena, pro vsu Matrimonij.

Et ratio horum est: quia gratia dispensationis consummatur, quando per illam fit relaxatio legis, vel aufertur vinculum per legem introductũ: ergo si tempore concessionis, extat vera causa, licet postea cesset, dispensatio valida subsistit, nec obligatio extincta resurgit. *Nec obstat*: quód deficiente causa motiva, deficit conditio sub qua dispensatio est collata, & ita etiam dispensatio deficit; nam dispensatio illa, fuit absoluté collata, & á nulla conditione dependet, nec in ea dicitur; si causa ob quam est expedita subsistit. *Dices*: si quis obtinet dispensationem, ad edendas carnes, ob debilitatem virum, si postea robustus fit, cessat dispensatio. R. quód est disparitas: quia quando actus ad quem dispensatur, habet tractum successivum, est quasi multiplex virtualiter dispensatio, pro diversitate temporum, in quibus actus poni debet, & ideo si in aliquo non datur causa, dispensatio est nulla, & huius generis est ieiunium, & comestio carnium; dispensatio verò ad Matrimonium contrahendum, est pro actu instantaneo, & sic si datur causa tempore dispensationis, hæc semper valet, licet causa postea cesset. Vndé habetur pro casu nostro, quod dispensatio illi fœminæ collata, existente causa paupertatis tempore expeditionis, semper subsistit, licet postea cesset paupertas.

Pro huius complemento, sciendum est, quid intelligatur nomine pauperum, in Matrimonialibus dispensationibus? Notandum: quód paupertas vel allegatur per se, vt causa finalis dispensationis, quia nequit extra cognationem, alter sponsus aut sponsa reperiri; vel per accidens, seu causa dispensationis gratis obtinendæ, quia paupertas impedit, ne fiant sumptus requisiti, ad impetrandam dispensationem, vel ad pergendum in Romanam Curiam; quæ duplex paupertas, aliquando coniungitur, & aliquando separatur, quia sunt aliqui, quibus non deficiunt opes ad sumptus, sed desunt ad inveniendum æqualis conditionis coniugem, & é contra, aliqui non habent facultates pro sumptibus Romæ factis, bené verò ad reperiendum coniugem conditionis æqualis. Dicitur ergo: quód illa fœmina dicitur pauper, in ordine ad impetrandam dispensationem, per se & absoluté, quæ non habet dotem sufficientem, ad nubendum æquali, extra propriam cognationem vel affinitatem, sed vel debet manere innupta, vel nubere inutili, inæquali, molesto, & filijs onerato; & etiam reputatur pauper, licet habeat patres opulentos, sed nolentes eam sufficienter dotare, licet multum speret, nam spes alit agricolas, sed non efficit divites.

Quisnam autem vir dicatur pauper, ad obtinendam dispensationem? Resp. quód vt ait Barbossa, in opusc. verbo pauper: omnis ille pauper dicitur, qui vivere simpliciter, aut mediocriter non potest, nisi ei subveniatur; & licet habeat congruam sustentationem, attento statu personæ, videtur indigere; & etiam si fœmina, nequit aliter congruenter dotari, quæ dotis congruitas attenditur ex nobilitate, facultatibus, & loci consuetudine; in aliquibus enim regionibus, vt Neapoli contingit, pro fœmina nobili, quatuor millia ducatorum sunt dos incongrua; sed in Suevia est dos sufficiens, mille & quingenti ducati; deindé dicitur, fœminam habere dotem incongruam, quæ nequit sufficienter se alere ex redditibus, nisi vendat vinum & triticum, quæ pro sustentatione congrua vendi non solent; & etiam in materia dispensationis gratis impetrandæ, qui agricultura, opificio, aut arte liberali alitur, & etiam ille, qui plures filias nubiles habet, vt ait Barbossa.

Quares: An ad paupertatem contrahentium sufficiat, quod alter tantum eorum pauper sit, vt ve-

rificetur clausula: propter eorum paupertatem, aut si veré sint pauperes? Resp. quód sic. Ratio est: nam dispensatio intelligitur, secundum naturam actus, quæ talis est, vt dispensatio fiat communibus expensis. Vndé clausula: propter eorum paupertatem, idem est, ac propter paupertatem eos præmentem, & quando vnus est pauper, eius paupertas, etiam præmit divitem; præterquam, quod verba pluralis numeri, sæpé in iure accipiuntur singulariter, quod præcipué in causa Matrimoniali locum habet, quia hæc ordinatur ad individuam vitæ consuetudinem peragendam, & ideo paupertas vnius, censetur alterius; sicut in simili dicebamus suprá, quod Parrochus vnius coniugis, censetur alterius, propter eandem rationem.

Casus tertius, circa idem. Vir quidam, cum consanguinea sua intra tertium gradum, contrahere desiderabat, & vt rem facilius concluderet, obtinuit á fœmina, sui corporis vsuram, á cognatisque culpa detecta, ne fama mulieris denigrata maneret, atque adeo non facilé Matrimonium inveniret, in petitione dispensationis convenerunt, & ita factum est, sed tamen, nulla in supplicatione facta est mentio copulæ incestuosæ. Quæritur: an hæc taciturnitas, dispensationem vitiet? Notandum: quód copula illa, tripliciter haberi potest, primo ex fragilitate humana, sine vllo tractatu Matrimonij, secundo habito tractatu Matrimonij, sed absque spe facilioris dispensationis obtinendæ, tertio præcedente Matrimonij tractatu, simul cum spe & intentione, facilius dispensationem obtinendi. Deindé, copula potest evenire ante dispensationem & post illam, antequam ordinarius præcum veritatem cognoscat, & post expeditionē ab Ordinario.

Duplex datur casus responsio, & vtraque satis probabilis. Aliqui cum Diana, Palao, Sanchez, Garcia, & Layman dicunt: Quód si incestus fuerit commissus inter consanguineos, scienter ex parte vtriusque, ante expeditionem dispensationis, & consumatus fuerit, secundum regulas exactas ad copulæ consummationem, debet fieri mentio copulæ, si occulta fuerit, in sacra Pœnitentiaria occultè, tacito nomine contrahentium, & exprimendo gradum consanguinitatis, pro quo petitur dispensatio; si verò copula fuerit publica, exprimi debet in petitione, quia tunc non datur scandalum, sed potius satisfactio illius, quod suadent. Tùm, quia sic fert Romanæ Curiæ communis stilus, qui obtinet vim iuris; & ita Congreg. Card. declaravit, vt ijdem authores testantur. Tùm, quia quando veritas narrata, facit quod dispensatio concedatur diverso modo, vel cum limitatione eius suppressio, reddit involuntariam concessionem amplam & absolutam; copula autem Papæ narrata diversimodé ille confert dispensationem, vel exigens maiorem pecuniæ summam, vel iniungens maiorem pœnitentiam.

Sed verior sententia est, quod stando in iure communi, talis copula ante dispensationem habita, exprimi non debet; ita Sanchez, Dicastillus, Ledesma, Henriquez, Perez, & Salmant. cum pluribus alijs. Ratio est: quia incestus, ex se non indiget dispensatione, quia non est impedimentum dirimens; & forté nec impediens, cum sit consuetudine abrogatum, & ab Episcopo dispensari potest, quod si non dispensetur, non reddit Matrimonium irritum, nec dispensationem difficiliorem reddit, imó faciliorem, cum ob talem causam, facilius obtineri soleat; nec ex iure præcipitur declarari, quia nullus de hoc datur stilus, nec consuetudo; nam licet plures ob securitatem, copulam exprimant, alij á gravibus Doctoribus moniti eam tacent. Nec obstat: quód cum onere, & pœnitentia, obtineatur dispensatio expressa copula, quia hæc non est causa motiva dispensationis, sed pœna delicti commissi.

Nec etiam obstat Cardin. declaratio, quia aliqui volunt, illam solum vim habere pro foro exteriori; alij dicunt, quod hoc fuit declaratum, non tanquam probabilius, sed tanquam tutius & securius; alij denique asserunt, quod solum tempore Pij V. fuit talis declaratio apposita, quia ipse declaravit, se nolle talem dispensationem concedere; nisi manifestaretur circumstantia copulæ. Ex his deducunt authores, nostram sententiam tenentes, quod dispensatione concessa, & Episcopo remissa, vt examinet, an preces veritati nitantur, si interroget contrahentes, an habuerint copulam incestuosam? Possunt negare, etiam præstito iuramento, quia talis interrogatio est superflua, & non iuridica, & sic non tenentur ad illam respondere, vel dicere, quod non habuerunt, retinendo in mente: *Vt tibi dicamus*, quod verum est, licet in decreto dispensationis sit illa causa: nisi inter eos fuerit copula, quia hoc intelligitur de publica, & non de secreta, quia hæc clausula adiecta, iuxta naturam dispensationis est interpretanda, & dispensatio non petit, quod illa circumstantia explicetur.

Sed quid, si copula fuerit habita, ea intentione, vt facilius obtineretur dispensatio? Resp. quód si copula, vel eius infamia, sit causa vnica dispensationis obtinendæ, talis intentio debet exprimi; quia Ecclesia semper abhorruit, malitiosas & fraudulentas machinationes, contra eius præcepta, & tunc Pontifex difficilius dispensat, maiorem pœnitentiam iniungit, & copiosiorem pecuniæ summam exigit, vt sic homines, á tali delicto arceantur; sed si intentio illa, solum fuerit mente concepta, nec exterius manifestata, exprimi non debet, vt dicunt Palaus, & Hurtado; quia talis intentio, potestati Ecclesiæ non subiacet; & etiam, si exterius manifestetur intentio, si copula fuerit occulta, potest secreto per sacram Pœnitentiariam obtineri dispensatio, copulam manifestando, & nominibus contra-

trahentium tacendo,& declarando dispensationem á Pontifice petendam.

Quód si in petitione dispensationis,apponantur aliæ causæ sufficientes, sicut taceri potest copula ante prehabita vt diximus, ita etiam potest taceri mala fides, qua fuit commissa; quia tunc dolus, contrahentibus non patrocinatur, cum extent aliæ causæ, pro dispensatione obtinenda, præter infamiam ex copula, & malam eius fidem, & hæc circumstantiæ solum debent exprimi, quando apponuntur vt causa vnica, ad obtinendam dispensationem;& hoc idem est dicendum, quando assignantur aliæ causæ sufficientes, & copula & eius infamia, solunt sunt causa impulsiva; & præcipué, si non præcedit Matrimonium, de præsenti contractum, & mala fide consummatum, quia tunc intentio illa exprimi debet, vt colligitur ex Trident. Sess.24. cap.5.

An verò, quando in petitione dispensationis, apponuntur plures causæ,aliæ veræ, aliæ falsæ,dispensatio valida sit? Resp. quód si ex omnibus illis vnica causa integratur,talis concessio nulla est;nam quælibet ex illis causis, est insufficiens, & sic falsificata vna, corruit fundamentum concessionis; si autem quælibet causa seorsim,est sufficiens ad movendum Pontificem, licet vna sit falsa,dispensatio subsistit; quia quando concurrunt plura, quæ de iure non sunt necessaria, copulativa resolvitur in disiunctivam, & sic vna causa existente vera, concessio est valida. Nec pro hac requiritur, generale vel speciale mandatum, illius cui gratia fit; sicut idem de Beneficijs dicitur; sed requiritur,quod ab ipso, vel ab alio, in eius nomine acceptetur; & si impedimentum, vtrumque coniugem afficiat, sufficit quod dispensatio impetretur pro vno, quia tunc censetur ablatum impedimentum pro alio;nisi forté impedimentum afficiat ambo, sine mutua dependentia, vt si vterque, votum castitatis emisit,tunc enim debet impetrari dispensatio pro vtroque, nam quo ad hoc non connectuntur.

Casus quartus, de modo manifestandi impedimenta pro dispensatione. Volebat quis Matrimonium contrahere,cum fœmina, cum qua ex duplici capite, nempé ex patre & matre consanguineus erat, vel etiam habebat duplicem affinitatem,quia fornicatus fuit, cum duabus fororibus eius. Quæritur:an in petitione dispensationis,sufficiat declarare, gradum consanguinitatis vel affinitatis, quin manifestetur, quod ille provenit ex duplici capite? Certum est,quod vt dispensatio sit valida, debent manifestari omnia impedimenta, quæ valori Matrimonij possunt obstare, vndé si detur inter contrahentes consanguinitas, affinitas, crimen machinationis,vel adulterij, cum promissione futuri Matrimonij,omnia hæc debent explicari, & non sufficit quod fortius manifestetur, quia tunc, non obtinetur dispensatio aliorum; in affinitate verò,non requiritur quod explicetur, an oriatur ex copula fornicaria vel coniugali, quia vtraque est eiusdem rationis;sed gradus in omnibus debet exprimi,quia quo propinquior,difficilius dispensatur,maior summa exigitur, & maior compensatio imponitur.

Ad casum ergo, respondent aliqui, quod sufficit exprimere vnum impedimentum, in gradu propinquiori, quia omnes illi tituli, vnicam consanguinitatem, vel affinitatem constituunt; sic tenent Basilius, Henriquez,& alij plures. Sed verius est,debere explicari impedimentum illud ex diverso capite proveniens, ita sentiunt Dicastillo, Sanchez, Palaus, & alij quos citant,& sequuntur Salmant. Ratio est:quia quando propinquitas ex pluribus capitibus oritur, maior est, quam si solum oriatur ex vno,& est diversa totaliter, quia constituit diversas relationes,diversa extrinseca respicientes,vel saltim vnicam cum diversis gradibus, quorum vnus potest tolli, alio manente, & ideo difficilior est dispensatio in illo casu, quam si impedimentum oriretur ex vnico tantum capite, & vrgentior ad illud requiritur causa, & dispensatus respectu vnius, non censetur dispensatus respectu alterius.

Nec dicas: Quód impedimenta illa, accidentia sunt,quæ si sint distincta numero, nequeunt in eodem subiecto recipi; nam licet physicé sint tantum vnum, sed moraliter & æquivalenter sunt diversa, ratione diversi termini quem respiciunt;nec est idem de affinitate, orta ex multiplici copula, quia hæc est respectu vnius, & sic moraliter non multiplicatur; & idem dicendum, de dispensatione voti pluries repetiti,quod explicari non debet, quia hoc novum votum non est, sicut nec est nova irregularitas, in excomunicato ministrante in sacris,si semel ob talem culpam, irregularis factus est.Sed an stante inæqualitate graduum lineæ collateralis,ita vt vir sit in secundo, & fœmina in tertio,sufficiat exprimere remotiorem? Dicitur *collateralis*; quia si propinquior est in recta linea in primo gradu, hic explicari debet, licet alter sit in gradu remotiori.

Dicitur ergo: quód post Motum proprium Pij V. expeditum, anno 1566. die 26. Augusti, sufficit quod explicetur gradus remotior,obtentis litteris declaratorij, propinquioris gradus. Ratio est: quia quando datur inæqualitas,in linea transversali, tot gradibus censentur aliqui distare inter se, quot remotior distat á radice,vt suprá vidimus;litteræ autem declaratoriæ requiruntur,ad vitandum scandalum vulgi, iudicantis debere exprimi gradum proximiorem; & ideo si impedimentum est occultum, & non datur scandalum, illæ litteræ non requiruntur; imó etiam, si publicum sit impedimentum, & dispensatio petatur, literarum omnissio, dispensationem non vitiat, nec peccat qui ommittit eas obtinere, nullo scandalo subsecu-

to, vt ait Sanchez, Basilius, Dicastillus, & Salmant.

Sed adhuc est dubium, an si in aliquo, plura impedimenta concurrunt vt consanguinitas, affinitas, votum, &c. possit peti dispensatio de vno, non facta mentione de alijs, & postea de cæteris seorsim, vel debeant omnia impedimenta simul manifestari? Aliqui dicunt, posse divisim peti; sic Navarre, Henriquez, Vega, Dicastillus, & alij apud Salmant. Alij asserunt, debere simul exponi, ita Sanchez, Diana, Leander, Palaus. Sed media via incedendum est dicendo; quod si impedimenta simul sumpta, maiorem indecentiam afferunt, debent exponi simul, quia tunc redditur difficilior dispensatio; quis enim negare potest, difficilius esse dispensare cum vno, vt contrahat cum consanguinea, cuius sororem carnaliter cognovit, quam cum duobus, in quibus hæc impedimenta reperiuntur? Sicut difficilius est, dispensare cum vnico, habente sex impedimenta, quam cum sex personis, in quibus inveniuntur sparsa, si verò impedimenta disparaté se habent, & coniunctio vnius cum altero, eius indecentiam non auget, vt si coniungitur votum cum consanguinitate, non est necesse, vtrumque simul manifestare; imó si detur iusta causa separari possunt, vt si vnum est publicum, & aliud occultum, & infamiam posset adducere, vt si quis contrahit cum consanguinea, cuius sororem occulté cognovit, ne contrahentes diffamentur, quod servatur, iuxta Romanæ Curiæ stilum, vt ait Aversa.

Inquires: An habita dispensatione vnius impedimenti, si necesse sit petere alam, debeat mentio fieri dispensationis prioris? Resp. quód si impedimentum prius dispensatum, est diversæ rationis, vt si prius fuit votum, & posterius affinitas, vel si est eiusdem rationis, non oritur ex crimine, vt in consanguinitate, affinitate vel voto, non requiritur quod prioris dispensationis fiat mentio; quia nec per hoc redditur difficilior dispensatio, nec Papa movetur ad negandam secundam, quia concessit primam; si verò impedimentum ortum fuit, ex crimine machinationis vel adulterij, cum promissione Matrimonij, necesse est explicare dispensationem priorem, quia ex repetito crimine, redditur difficilior dispensatio, & ob reincidentiam, redditur subiectum indignum Ecclesiæ benignitate, & merito retrahitur Pontifex, á secunda dispensatione concedenda, nisi maiori pœnitentia imposita, vel pinguiori pecuniæ summa exacta; sic tenent Palaus, Suarez, Coninch, & Salmant.

Casus quintus, de debito coniugali. Quidam vir, contraxit Matrimonium cum fœmina, cuius sororem antea carnaliter agnoverat, sciens hoc impedimentum esse, annullans Matrimonium. Quæritur, quomodo hic se gerere debeat, circa debiti petitionem & redditionem? Præcipue, si alter coniux ignarus est nullitatis Matrimonij, nec ipsi potest impedimentum manifestari, quia sequantur magna damna & scandala, infamia vel periculum mortis, ex tali manifestatione, & alias cominetur á iudice Ecclesiastico, vt debitum reddat. Certum est, quod conscius certo de nullitate Matrimonij ratione impedimenti præcedentis, sibi noti, non potest debitum petere, quia ad hoc ius non habet; vndé casus reducitur ad debiti redditionem.

Resp. quód certo cognoscens impedimentum annullans Matrimonium, non potest coniugi reddere debitum, licet immineat ei, mortis vel infamiæ periculum, vel ab Ecclesia censuris compellatur, quæ falsæ præsumptioni nituntur, circa Matrimonij valorem. Ratio est: quia talis debiti redditio, esset fornicatio, cum esset accessus ad non suam, quæ in nullo casu est licita, cum sit intrinsecé mala, & iuræ naturæ prohibita, quæ nulla causa potest honestari; in quo differt á rebus malis iure humano, quæ non sunt mala in omni eventu, & sic in illis, potest eligi malum minus, vt vitetur maius, quod in actionibus intrinsecé malis non reperitur; alias posset mulier, cui periculum mortis imminet consentire in fornicationem, ad evadendam mortem, quod nullus dixit; sic D.T. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. qq. 4. in fine, quem sequuntur plures authores, á Salmant. relati.

Oppones: Iudex potest occidere hominem, quem novit reum, iuxta allegata & probata, licet iuxta suam scientiam privatam, illum innocentem cognoscat: ergo etiam coniux potest accedere ad coniugem, si eius Matrimonium est validum, iuxta allegata in iudicio, licet invalidum sit, iuxta scientiam suam particularem, cum æqué malum sit innocentem occidere, quam ad non suam accedere. Resp. quód plures authores, negant ant. dicentes, quod in eo casu, nequit iudex illum quem certo scit innocentem occidere, sed causam ad superiorem deferre, & iuxta hoc, argumentum est nullum. Sed quia contrarium tenet D.T. 2.2 q. 67. art 2. aliter dicitur: Quód est disparitas: nam cognoscere vxorem, convenit homini, vt est privata persona, & ideo ad hoc debet informari scientia privata, & sic contra illam, nequit accedere ad non suam; at iudicare (verba sunt D.T.) pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publica potestate, & ideo informari debet in iudicando, non secundum hoc, quod ipse novit, tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit, tanquam personæ publicæ; & idem habet solut. ad 4. de quo vid. Prado, Tom. 2 cap. 23 §. 4. á num. 30. In eo igitur casu; coniux vel longe fugiat si potest, vel dispensationem Episcopi procuret, quam posse conferre in eo casu, diximus suprá, vel religionem ingrediatur, si non consummavit Matrimonium, vel divortium petat, si detur sevitia vel adulterium, vel de alijs remedijs, de consilio prudentis viri sibi provideat.

Quid

Quid autem faciet confessor, conscius impedimenti illius, qui laborat ignorantia iuris vel facti; vt si mulier confitetur, se fornicatam fuisse cum consanguineo coniugis, ante contractum Matrimonium, cum ignorantia iuris illud irritantis? Resp. quód si ignorantia est vincibilis, debet confessor fœminam monere, quia talis ignorantia non excusat á culpa, & hoc licet non speret monitionem pro futuram, quia forté decursu temporis, illa stimulis conscientiæ agitata resipiscet; si autem ignorantia, est invincibilis, & Matrimonium bona fide contractum, confessarius sciens impedimentum, & iudicans suam admonitionem profuturam, sine damno nec scandalo, & credens quod dispensatio, potest faciliter obtineri; & non datur periculum incontinentiæ. tenetur coniugem certiorem facere, quia ad eum spectat pœnitentem instruere, nec permittere quod in eo statu permaneat, cum tam gravi animæ detrimento, ex quo sequitur, diuturna series actionum contra legem.

Quód si crederet admonitionem nõ profuturam, imó timeret quod fœmina á Matrimonio resiliret, si esset nullitatis conscia, vel essent aliæ difficultates & perplexitates, vel periculum incontinentiæ, vel continuandi mala fide Matrimonium, in quo bona fide vivebat, non debet eam monere. Sed re vera difficile est, quod coniugatus velit á Matrimonio resilire, vel in eo invalido cognito, mala fide perseverare, & sic possunt prudenter apponi remedia pro Matrimonio illo revalidando, quæ assignantur suprá, art. 4. diffi. 2. nec enim credi potest, quod eis voluntarié resistere velint coniugati christiani, á confessario admoniti, super Matrimonij contrahendi, vel contracti nullitates, vel impedimenta. Si veró scrupulus oriatur de valore Matrimonij, postquam fuit bona fide contractum, consilio prudentis viri debet deponi, nec propter leves coniecturas, suo iure in petendo, & reddendo debito privari.

Casus sextus, circa idem. Vir quidam coniugatus erat, cuius vxoris soror, ob familiaritatem nimiam, satis frequenter, in sororis domo ingrediebatur, & in sua vir istius, qui eius ardens amore, ad venerem provocavit; restitit primo ipsa, sed crescentibus precibus importunis, forteque donis superadditis, crimini consensit, & cum sororis viro copulata fuit. Quæritur: an vir ille, amisserit ius petenti debitum? Notandum: quód post Matrimonium contractum, impedimentum ad petendum debitum, ex triplici capite potest oriri, vel ex voto castitatis, ab vtroque, vel ab aliquo eorum emisso, vel ex affinitate orta de novo, ex fornicatione cum consanguineo alterius coniugis, vel ob cognationem spiritualem, ortam ex Baptismo vel confirmatione, in quibus levat vel tenet coniux, filium communem vel alterius; & quidem certum est, quod coniux culpatus, tenetur reddere innocenti petenti, quia hic ob culpam alterius, non debet suo iure privari; casus ergo est, an qui crimen illud commisit, privetur iure petendi?

Resp. quód ille, qui incestum consummatum commisit, cum consanguinea vxoris suæ, in primo aut secundo gradu (quia in his solum duntaxat contrahitur affinitas, orta ex copula illicita) privatur iure petendi debitum, non solum quia commisit adulterium, sed specialiter ex eo, quod evaserit suæ vxoris affinis, in eo gradu qui ab Ecclesia statutus est, ad privationem iuris petendi debitum, & idem dicendum est, de vxore fornicante cum consanguineo viri, in primo vel secundo gradu. Excipitur tamen casus, quando coniux in his peccavit, cum ignorantia iuris vel facti, vt si nesciebat hanc esse pœnam, ab Ecclesia impositam, vel etiam ignorabat, personam cum qua commiscebatur, esse in tam propinquo gradu, sui coniugis consanguineam; & ratio est: quia privatio iuris petendi debitum, est gravissima pœna, & non est iustum, vt incurratur ab ignorante illam.

Sed an si coniux incestum committat, sciente, consentiente, & suadente alio coniuge, vterque privetur iure petendi debitum? Aliqui affirmant: quia innocenti conceditur in iure, petendi ius: ergo si vterque est in culpa, vterque iure privatur; sed hoc argumentum non est efficax, quia in pœnalibus & odiosis, non arguitur á contrario sensu, vt dicunt Hurtadus, Coninch, & Dicastillus, & alias nullo iure statuitur, quod culpam consentiens, aut præcipiens, tali iure privetur, in re tam gravi & periculosa, vt est coniuges vivere simul, & non posse mutuo debitum petere & reddere, hoc enim esset inter flammas existere, & non comburi, & sic dicendum, quod consentiens culpam, iure petendi non privatur; sicut nec etiam privatur tali iure, committens incestum cum consanguinea propria, quia licet hoc sit gravius peccatum, non tamen causat affinitatem, ex qua resultat impedimentum ad petendum debitum, vt iam diximus suprá.

Si autem vterque coniux, commisit incestum cum consanguineo alterius, ambo privantur iure petendi, & sic nec petere, nec reddere possunt, sed debent separari, nisi sint absque periculo incontinentiæ, & velint sicut fratres simul commorari, vel etiam dispensationem obtineant, quam potest Episcopus conferre, & quilibet confessor approbatus de illius facultate; de regularibus modo non ago; nos Dominicani, pro huiusmodi dispensatione, id in praxi habemus, quod non ad superiorem nostrum regularem, sed ad Episcopum pro obtinenda facultate recurrimus, quæ semper est petenda, nomine pœnitentium suppresso. Impedimentum autem petendi debitum in incestuosis, resultat etsi copula fuerit occulta, quia illa sufficit ad affinitatem causandam, alias nunquam privatio iuris daretur, cum sæpé copula secreto habeatur. Neq

requiritur ad hoc sententia iudicis, quia talis pœna oritur ex natura rei, ex ipso incestuoso actu, ratione cuius commixtio cum coniuge, redditur incestuosa.

An veró mulier per coactionem cognita, á consanguineo viri sui, privetur iure petendi debitum proprio viro? Resp. quód si cognita est ab eo per vim absolutam, quæ dicitur violentia, cum fœmina in tali actu non commisserit culpam, non est digna pœna, & ideo á iure Ecclesiastico non privatur, iure petendi debitum, si autem ex metu gravi consenserit in copulam, se aptando ad illam voluntarié, & præbendo alteri facultatem vtendi corpore suo, licet mortaliter peccet, quia potius deberet subire mortem, quam committere incestum; sed in eo casu, non privatur iure petendi debitum. Ratio est: quia credi non potest, Ecclesiam tam gravi pœna punire, illos qui ex metu gravi coacti, suam legem non servant; sicut etiam excusantur ab Ecclesiasticis censuris & pœnis, qui ex metu gravi, aliquid faciunt contra legem. Sed si metus levis fuit, privat iure petendi debitum, quia talis metus parum æstimatur in iure; sic tenent Bonacina, Henriquez, & Salmant.

Quo ad impedimentum ex cognatione spirituali ortum, certum est peccare mortaliter coniugem, levantem in Baptismo, vel tenentem in confirmatione, filium communem, vel alterius coniugis quia valdé est conforme rationi, quod pater spiritualis, distinctus sit á carnali, vt ait D. T. 3. p. q. 67. art. 8. ad 2. si veró talem filium in necessitate baptizaret, ne sine Baptismo decederet, nec peccaret, nec iure petendi privaretur; quia non est rationi consonum, vt sustineat pœnam, qui non commisit culpam, imó egit id ad quod tenebatur. Si autem officium patrini ex necessitate exerceat, verius est non peccare, nec privari iure petendi debitum, quia licet patrinus, non sit ad Baptismum necessarius, est tamen exactus ad perfectam significationem adhibendam; sic D. T. loc cit. Si veró extra necessitatem, scienter est patrinus filij communis, vel alterius coniugis; aliqui sentiunt, privari iure petendi debitum; sed ait Sanchez, oppositum esse magis pietati conforme, & videtur colligi ex cap. si vir, de cognat. spir. Nec obstat: quód innocens non spoliatur iure suo, & sic nocens spoliari debet; quia non tenet argumentum á contrario sensu, præcipué in odiosis & pœnalibus, vt est privatio petendi debitum; sic tenent Salmantic. cum pluribus.

Casus septimus, de divortio. Vxoratus quidam, suæ obligationis oblitus, vitijs erat maximé deditus, nã in adulterijs versabatur, in ludis familiæ substantiam consummebat, & non semel vxorem ictibus graviter percutiebat, ex quo huic non paucæ oriebantur afflictiones. Quæritur: an propter hanc causam, posset fieri divortium? Notandum ex Trid. Sess. 24. Can. 8. quod Ecclesia iustè statuit, vt ex gravibus causis, possent coniuges, illius authoritate quo ad thorum vel cohabitationem separari; & licet Christus apud Mat. 5. & 15. assignaverit pro causa divortij adulterium, solum fuit locutus de causa regulari, præter quam aliæ plures possunt reperiri; sed non quælibet sufficiens est, alias passim lites & iurgia, inter coniuges orirentur, & sic debet esse crimen officiosum, & perniciosum coniugi, vt ait D. Thom. in 4. dist. 39. q. 1. art. 6.

Crimina ergo, propter quæ potest ad tempus divortium fieri, vt dicunt iura & authores, sunt tria, nempé hæresis, & quævis apostasia á fide; scandalum & incitatio ad peccatum, cum periculo animæ vel corporis & levitia coniugis, sive hæc reperiantur in viro, sive in fœmina, nam quo ad hoc, vterque paris conditionis est. Primùm ergo crimen est hæresis, & propter hoc, potest coniux á coniuge separari, vt dicitur cap. vlt. de convers. coniugator. & ad Titum 3. ait Paul. Hæreticum hominem, post vnam & secundam correctionem devita, quæ separatio intelligitur, quo ad habitationem, thorum, & debiti negationem, vinculo excepto, & si adhibita diligentia, non extet periculum subversionis. Tùm, quia periculum semper imminet, & hæresis, vt cancer serpit, & facilé inficere potest, coniugem vel filios. Tùm, quia absoluté & simpliciter, hoc ab Ecclesia statutum est, in pœnam infidelitatis; & in hoc delicto (quidquid sit de alijs, de quibus postea dicemus) propria coniugis authoritate, potest fieri separatio, quia hoc est á iure statutum, cum regulariter, detur periculum perversionis.

Licét autem alter coniux in hæresim cadat, non datur compensatio delicti; ratio est, quia hoc statuitur á iure, in pœnam delinquentis, á qua non eximitur, ob delictum alterius. Nec est idem de adulterio vnius, quod compensatur per adulterium alterius, vt diximus art. præced. diffi. & nam est disparitas, quia divortium conceditur ex causa adulterij, in favorem coniugis innocentis, quo iure privatur, qui fregit fidem adulterando, & sic datur compensatio vnius delicti per aliud; sed ob hæresim statuitur divortium, propter periculum infectionis, & in pœnam delinquentis; quod si tale periculum cesset, potest coniux innocens cum hæretico reconciliari, & cedere iuri quod habebat, ad petendum divortium, vel redire ad illum post factum divortium.

An veró facta separatione, possit innocens in divortio permanere, nec teneatur redire ad hæreticũ ad fidem conversum petentem reconciliationem? Certum est, quod si reus pœnitet ante separationem, & convertitur ad fidem, nequit fieri divortiũ; quia tunc non est contumacia, nec periculum infectionis; si autem post divortium resipiscit, dicitur: Quód si separatio facta est propria authoritate coniugis innocentis, tenetur hic redire ad consortium alterius ad fidem conversi, vt dicitur expressé cap. de divortijs; & sic in eo casu nequit co. iux catholicus, assumere statum cum Matrimonio incompossibi-

fibilem,sine alterius licentia, & si hoc facit,potest á coniuge repeti,& ei debet restitui,& tunc potest reddere debitum,sed non petere,nec mortuo coniuge,potest ad alias nuptias transire;sic tenent Basil. Sanchez,& Salmant.si verò separatio fuit facta authoritate Ecclesiæ,non tenetur coniux innocens,ad reum emendatum redire,& potest statum incompossibilem cũ Matrimonio,illo invito sumere,quia in pœnam hæresis, licet vinculum permaneat, sed perpetuo privatur Matrimonij vsu,quia ob perpetuam infamiam,ex iudicis sententia ortam,esset nimis onerosum ei adhærere.

Secundum crimen,ob quod potest fieri divortium,est scandalum,vel grave periculum animæ vel corporis,vt si coniux morbo contagioso laborat,si est furiosus, & timetur, quod magnum damnum inferat coniugi, si est maleficus,aut energumenus; quia non tenetur coniux, cum tanto damno sui, conservare illesum ius alterius; quod præcipué est verum,si detur animæ periculum vt si vir vxorem prostituat,vel ad id cogat,adducẽdo viros ad illam, & solam cum eis relinquendo, si sodomiticé illi iungi conatur, vel alia crimina, vt furtum vel homicidium committat; & fœmina timeat ne á iudice puniatur,vt complex delictorum; in his ergo casibus,potest á viro discedere,si admonitus neglexerit corrigi,quia quilibet tenetur anteponere omnibus, suam salutem spiritualem. Hoc autem divortium, solum ad tempus conceditur, & ideo si coniux emendetur ante separationem, nequit alter ab eo discedere, bené verò si causa & timor semper durent,& hoc fieri potest ante sententiam iudicis,propria cuiusq; authoritate,& quia divortium non est perpetuum,& quia imminet periculum,ita Aversa, Trullench, Sanchez, & Salmant.

Tertium crimen,ob quod potest divortium fieri,est sævitia alterius coniugis,á quo malum timetur,quod præcipué est in fœmina respectu viri, licet illa sit causa sevitiæ mariti, ob adulterium vel aliud crimen,quia adhuc retinet ius se tuendi.vt á crudelibus vexationibus liberetur. Quód si viri adhuc ex causa gravi,non debent vxores suas ictibus obtundere,quanto minus nulla causa vrgente? Vndé maximé doleo de pluribus,á viris crudeliter pertractatis, illæ enim debiles sunt, nec possunt facilé se defendere; ad quod meditentur viri, quod vxor data est ei in sociam & non in servam,ideoque fœmina,seve tractata potest quærere divortium quod non est perpetuum,sed temporale,quousque de opportuno remedio possit provideri,qua propter innocens,nequit adhuc post latam sententiam divortij,ordines sacros suscipere,vel in religione profiteri, & si hoc facit, tenetur ad coniugem emendatum redire,& debitum reddere,sed non petere,nec mortuo coniuge, ad alias nuptias transire, vt suprá dicebamus.

Hæc autem separatio potest fieri propria authoritate,si iudex nequeat facilé adiri,& datur periculum in mora,quia ius naturale defensionis propriæ, iuri alterius debet prævalere; secus si possit ad iudicem facilé adire, & sevitiam probare, nec detur periculum in mora. Si autem sevitia est talis, vt non possit applicari remedium,& timor semper vrget,potest fieri divortium perpetuum;dantur enim aliquæ causæ, quæ vix potest certo credi, omnino cessasse, nam insanus & furiosus, potest facilé iterum insanire; veneficus, præcipué fœmina ob eius levitatem, faciliter revertetur ad culpam, crudelis non facilé pacificabitur, nec energuminus,erit de facili ab hac miseria liber. Tandem,qui semel coniugi venenum propinavit, alterum non certiorabit de emendatione, vt possit cum eo tuto comedere & habitare. Qua propter,miratus sum non semel, quomodo fœminæ viro conferentes venenum,possunt post eius mortem,aliud reperire maritum,criminis conscium.

Quæ autem sevitia,ad divortium sufficiat? Resp. quód non solum præterita, ex gladio aut veneno deducta,sed etiam futura,quæ moraliter timetur,si gravis est,& eius timor,cadat in virum constantẽ, non autem si est levis;sed illa quæ respectu fœminæ inferioris conditionis censetur levis respectu nobilis & honestæ iudicatur gravis, vt est comminatio mortis,verbera iniusta,vulneratio,alapæ,malum in se ipsa & in fœtu,sive hoc timeatur á viro,sive ab eius consanguineis, & idem dicitur de viro respectu fœminæ. Sed dubitabis: an ob ebrietatem fœminæ,possit á viro fieri divortium? Casus,paucis ab hinc diebus,mihi cõsultus est;& dicitur:quód sola ebrietas, per se & formaliter, non præstat causam divortij viri,sicut nec fœminæ ob viri ebrietatem, sed per accidens,potest esse divortij causa 1.si vxor deducat virum in periculum vitæ,vel gravis mali, nec possit facilé cohiberi.2.quando impedit ne vir habeat bonos famulos,vel ancillas.3.si in ebrietate filios graviter cedit.4.si iudicio medicorum,ebrietas facit vt mulier non concipiat,vel proijciat fœtus immaturos,quæ omnia,prudentis viri arbitrio, debent dimmetiri.

Casus octavus,de authoritate faciendi divortium. Fœmina quædam vxorata,in maximis angustijs posita erat,ob adulteria mariti,ludus & alia huiusmodi,in quibus absque mensura, domus substantiam & filiorum alimenta consumebat,quæ omnia erant certa & facilé probabilia,ad faciendum divortium. Quæritur: quia authoritate, possit in his casibus, perpetuum divortium fieri? Duo notanda sunt. 1. quód si separatio est solum quo ad thorum,& non quo ad habitationem,nempé negando debitum,potest innocens conscius de adulterio alterius id facere,vt ait D.T.hic,q.62. art.3. Tùm,quia negat debiti,est actio privata, quæ publicam authoritatem non petit. Tùm,quia fidem frangenti, non debet fides servari, ad quod requiritur moralis certitudo adul-

adulterij,nec ſufficit probabilis coniectura,ob quã alter non eſt iure certo privandus.2.eſt notandum: quód ſi in eo caſu,reus divortio conſentit,nec reclamat poteſt innocens propria authoritate ſeparari, quia ſcienti & volenti non fit iniuria, quod præcipué eſt verum, in adulterio notorio , quod nullo modo poteſt celari.

Caſus eſt,an coniux innocens,poſsit adulterum dimmittere propria authoritate,altero reclamante & reſiſtente?Variæ ſunt authorũ ſententiæ; ſed verior eſt,quod ſi adulterium eſt publicum & notorium, nec poteſt vllo modo celari,vt ſi iudici eſt notum, vel ab adultero confeſſum,vel ille publicé cũ adultera moratur, vel ex ea gignit filium,in longa abſentia viri ſui,vel alia ſimili via fit patens,tunc poterit innocens,ante iudicis ſententiam recedere,ſecus ſi delictum occultum eſt,quia tunc ſeparari debet per Eccleſiæ ſententiam ; ſic tenent authores plures, quos citant Salmant. & conſtat ex cap. ex parte,de ſponſalibus vbi dicitur:nemini licet,vxorem,niſi ex manifeſta cauſa fornicationis dimmittere, & idem habetur cap. ſignificaſti de divortijs.

Ratio autem eſt:quia quando adulterium eſt notorium,non fit iniuria coniugi diſcedendo,quia cũ delictum ex infamia publicetur,ex ſeparatione non ſequitur ſcandalum,imó ex cohabitatione ſequeretur;ſi veró crimen eſt occultum,per ſeparationem publicaretur,ad quod nemo habet ius authoritate propria,nec poſſet ſcandalo indé ſecuto occurri,cũ Matrimonium publicum eſſet,nec cauſa ſeparationis conſtaret. Undé ſtante delicto publico, poteſt authoritate propria ſeparatio fieri,ſi veró eſt occultũ,debet iudicis sẽtẽtia expectari.Nec obſtat,quod in pluribus textibus iuris dicitur,quod non eſt cõpellendus vir,recipere vxorem quæ ab ipſo receſsit & fornicata eſt,ſi autem neceſſaria eſſet iudicis ſententia, compellendus eſſet; dicitur enim, quod illi textus loquuntur,de adulterio publico,non de occulto,& ſic cum dicto noſtro non pugnant.

Sed oppones 1. Quód Chriſtus dedit facultatem dimmittendi vxorem,cauſa fornicationis,vt patet ex cap.5.& 19.Mat.2. quod S.Ioſeph,propria authotitate voluit dimmittere B.Virginem 3 quia ipſa natura Matrimonij petit,vt frangenti fidem,nulla expectata ſententia,fides non ſervetur, quo ad debitum & habitationem. R.ad 1.quód Chriſtus illam facultatem conceſsit,ſed non declaravit,an publica vel privata authoritate,hoc fieri poſſet Ad 2.quód S.Ioſeph,voluit B.Virginem dimmittere,non quaſi ſuſpectam de fornicatione,ſed ob reverentiam ſanctitatis eius, timens cohabitare ei ; nec eſt paritas, quia tunc ex adulterio,non ſolum procedebatur ad divortium,ſed ad lapidationem, non autem nunc, quando agitur iudicio Eccleſiæ;ſic D.T.hic, q.62. art.3.ad 2. Ad 3. quód frangenti fidem in occulto, etiam in occulto non debet fides ſervari per actionem privatam,qualis eſt negatio debiti, ſed ſi fides publica frangitur, etiam ſeparatio debet per actionem publicam fieri,quo ad habitationem.

Dubitabis:Quomodo in caſu dicto,poſsit coniux innocens ſtatum incompoſsibilem cum Matrimonio aſſumere,vel ordines ſacros, vel profeſsionem religioſam recipiendo?Reſp.quód id poteſt coniux innocens poſt legitimam ſeparationem,etiam invito alio,vt habetur cap.veniens de converſ.coniug. nec debet repeti,nec reſtitui, quia legitimé ſtatum illum ſuſcepit,& per legitimum divortium,ab omni iure alterius fuit abſolutus,manente ſemperMatrimonio quo ad vinculum,niſi conſummatum nõ eſſet,quia hoc per profeſsionem diſſolvitur,niſi de communi conſenſu,vterque coniux religionem profiteatur,iuxta ſuperius dicta,art.6.caſ.7.Nec reus in ſæculo manens,tenetur religionem ingredi,vel caſtitatem vovere,quia hoc ſtatuitur in iure, quando vnus coniux,ordines ſacros, aut religionem aſſumit de facultate alterius,non veró, quando datur iuſta cauſa divortij;nec innocens poteſt amplius,cũ adultero reconciliari,quia legitimé aſſumpſit ſtatum,cũ Matrimonio incompoſsibilem;ſed ſi poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum,cognoſcit fœminam á qua ſeparatus eſt,ſacrilegium commitit,quia contra votum caſtitatis operatur,ſed non peccat peccato fornicationis,quia non accedit ad mulierem non ſuã. Hunc autem ſtatum ordinis ſacri vel religionis,poteſt coniux innocens aſſumere propria authoritate, ſi adulterium publicum eſt, & notorium, ſecus ſi eſt occultum, iuxta dicta ſuprá.

An veró adulter,poſt ſeparationem legitimam, poſsit ordines ſacros, vel profeſsionem religioſam ſuſcipere,inſcio coniuge innocente,& ſine eius conſenſu? Reſp. quód id facere poteſt,ſi innocens aſſumpſit ſtatum irrevocabilem,quia iam non poteſt invitari ad reconciliationem; ſi veró innocens ſtatum irrevocabilem non aſſumpſit,nequit reus,illo repugnante,aut reconciliari volente, alium ſtatum aſſumere;ſic D.T.in addit.q.62.art.6.ad 3.quia adhuc poſt latam ſententiam divortij,poteſt innocens cum adultero reconciliari, & hic tenetur ad illum redire,ne quod ſtatutum eſt in favorem innocentis, cedat in eius præiudicium.Sed tamen de conſenſu innocentis,poſt legitimam ſeparationẽ,poteſt adulter,illos ſtatus aſſumere,nec hoc facto,poteſt ab alio repeti,nec ei reſtitui,quia iuri ſuo iam ceſsit;innocens veró,in ſæculo manens,non tenetur religionẽ ingredi, nec emmitere votum caſtitatis, quia hoc ſtatuunt iura ; quando id fit de licentia alterius, & Matrimonium manet illeſum,non veró quando datur iuſta cauſa divortij , ſicut in ſimili dicebamus proximé, de reo adultero manente in ſæculo, alias innocens , peioris conditionis eſſet quam nocens, quod abſurdum eſt ; & his ad laudem Dei , ſuæ Sanctiſsimæ Matris & Angelici Doctoris,Quæſtionem ſigillamus & Librum.

IN-

INDEX QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, DIFFICVLTATVM ET CASVVM, HVIVS LIBRI.

QVÆSTIO I. Præambula, de principijs generalibus dicendorum, *fol.* 1.
Art. 1. De essentia & divisione moralitatis, *ibi.*
Art. 2. De essentia & divisione virtutis, *f.* 3.
Art. 3. De natura & divisione peccatorum, *fol.* 5.
Art. 4. De essentia & divisionibus conscientiæ, *fol.* 6.
Art. 5. De legibus, *fol.* 8.

QVÆSTIO II. De Sacramentis in genere, *fol.* 9. Doctrinæ Summa, *ibi.*
Art. 1. De essentia & necessitate Sacramentorum, *f.* 11. *Prima difficultas.* An Sacramentum, sit in genere signi vel causæ? ibi. *Secunda diffic.* Quam rem sacram significent Sacramenta, *f.* 12. *Tertia diffic.* Vtrum Sacramentum, semper sit aliqua res, vel signum sensibile, *f.* 14. *Quarta diffi.* Vtrum Sacramenta, debeant constare rebus & verbis, à Deo determinatis, *f.* 15. *Quinta diffic.* An constent ex illis tanquam partibus essentialibus, *f.* 16. *Sexta diffic.* Quæ mutatio materiæ vel formæ, destruat valorem Sacramenti, *f.* 17. *Septima diffic.* De necessitate Sacramentorum, *fol.* 18.
Art. 2. De effectibus Sacramentorum, *f.* 20. *Prima diffic.* An Sacramenta novæ legis, causent gratiam ex opere operato, ibi. *Secunda diffic.* An causent gratiam physicé instrumentaliter, *f.* 22. *Tertia diffic.* Quando Sacramenta causent gratiam. *f.* 24. *Quarta diffic.* Vtrum omnia Sacramenta, possint causare primam gratiam, *f.* 25. *Quinta diffic.* Quid addat gratia Sacramentalis, suprà habitualem, *fol.* 26. *Sexta diffic.* De charactere Sacramentali, *fol.* 27.
Art. 3. De institutione & Ministro Sacramentorum, *fol.* 29. *Prima diffic.* Vtrum Christus potuerit communicare Ministris, potestatem instituendi Sacramenta, ibi. *Secunda diffic.* Quinam sint Ministri Sacramentorum, *f.* 30. *Tertia diffic.* An ministrans Sacramenta in peccato mortali, peccet mortaliter, *f.* 32. *Quarta diffi.* Vtrum ad valorem Sacramenti, requiratur intentio Ministri, *f.* 33. *Quinta diffi.* An requiratur intentio mentalis, *fol.* 35. *Sexta diffic.* Qualis debeat esse hæc intentio, *fol.* 36.
Art. 4. Praxis Doctrinæ huius quæstionis, *f.* 37. *Casus* 1. de determinatione verborum, ibi. *Casus* 2. circa idem, *f.* 38. *Casus* 3. circa idem, ibi. *Casus* 4. de intentione Ministri, *f.* 39. *Casus* 5. circa idem, ibi. *Casus* 6. de Ministro Sacramentorum, *f.* 40. *Casus* 7. circa idem, *fol.* 41. *Casus* 8. circa idem, *f.* 42. *Casus* 9. circa idem, *f.* 43. *Casus* 10. circa idem, ibi. *Casus* 11. circa idem, *f.* 44. *Casus* 12. circa idem, *f.* 45. *Casus* 13. circa idem, ibi. *Casus* 14. de subiecto Sacramentorum, *f.* 47. *Casus* 15. circa idem, ibi.
QVÆSTIO III. De Baptismo & Confirmatione, *fol.* 49. Doctrinæ Summa, ibi.
Art. 1. De Sacramento Baptismi, *f.* 50. *Prima diffic.* De essentia & institutione Baptismi, ibi. *Secunda diffic.* De præcepto Baptismi, *f.* 51. *Tertia diffic.* De materia

ria Baptiſmi.*f.* 53. *Quinta diffic.* An Baptiſmus poſsit iterari, *f.* 54. *Sexta diffic.* Vtrum ritus Baptiſmi conferendi, ſit conveniens, *f.* 55. *Septima diffi.* An pueri Iudeorum, debeant invitis parentibus baptizari, *f.* 56. *Octava diffic.* An Baptiſmus fictè ſuſceptus, producat ſuum effectum recedente fictione, *f.* 57. *Nona diffic.* Quomodo Baptiſmus ſanguinis, ſuppleat vicem Baptiſmi aquæ, *f.* 58. *Decima diffic.* De Miniſtro & patrinis Baptiſmi, *f.* 60. *Vndecima dif.* De neceſſitate Baptiſmi, *f.* 61. *Duodecima diffi.* De circumciſione, *f.* 63.

Art. 2. Praxis Doctrinæ præcedentis, ibi. *Caſus* 1. de Materia Baptiſmi, ibi. *Caſus* 2. circa idem, *f.* 64. *Caſus* 3. circa idem, ibi. *Caſus* 4. circa idem, *f* 65. *Caſus* 5. circa idem, *f.* 66. *Caſus* 6. circa idem, ibi. *Caſus* 7. de Miniſtro Baptiſmi. *f.* 67. *Caſus* 8. circa idem, *f.* 68. *Caſus* 9. de forma Baptiſmi, *f.* 69. *Caſus* 10. de Miniſtro neceſſitatis, *f.* 70. *Caſus* 11. de impoſitione nominis *f.* 71. *Caſus* 12. de neceſſitate Baptiſmi, *f.* 72. *Caſus* 13. de ſubiecto Baptiſmi, ibi. *Caſus* 14. circa idem, *f.* 73. *Caſus* 15. circa idem, de mõſtris, *f.* 75. & de pueris expoſitis, *f.* 76.

Art. 3. De Sacramento Confirmationis, ibi. *Prima difficultas.* De eſſentia & inſtitutione Confirmationis, ibi. *Secunda diffic.* De Materia Confirmationis, *f.* 77. *Tertia diffic.* De forma Confirmationis, *f.* 78. *Quarta diffic.* De Miniſtro Confirmationis, *f.* 79. *Quinta diffic.* De ſubiecto Confirmationis, *f.* 80. *Sexta diffic.* De præcepto Confirmationis, *f.* 81.

Art. 4. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 82. *Caſus* 1. de materia Confirmationis, ibi. *Caſus* 2. circa idem, ibi. *Caſus* 3. de Miniſtro Confirmationis, *f.* 83. *Caſus* 4. circa idem, *f.* 84. *Caſus* 5. circa idem, *f.* 85. *Caſus* 6. de ſubiecto Confirmationis, *f.* 86. *Caſus* 7. circa idem, ibi. *Caſus* 8. de effectu Confirmationis, *f.* 87. *Caſus* 9. circa idem, *f.* 88. *Caſus* 10. de Patrino Confirmationis, ibi.

QVÆSTIO IV. De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ. Doctrinæ Summa, ibi. *f.* 90.

Art. 1. De eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ, *f.* 92. *Prima diffic.* Pro quo ſupponat Sacramentum Euchariſtiæ, ibi. *Secunda diffic.* Quænam ſit virtus cauſativa gratiæ in Euchariſtia, *f.* 94. *Tertia diffic.* De vnitate Euchariſtiæ, ibi. *Quarta diffic.* De neceſsitate Euchariſtiæ, *f.* 96. *Quinta diffic.* De inſtitutione Euchariſtiæ, *f.* 97.

Art. 2. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 98. *Caſus* 1. De veritate Euchariſtiæ, ibi. *Caſus* 2. circa idem, *f.* 99. *Caſus* 3. circa idem, *f.* 100. *Caſus* 4. de eſſentia Euchariſtiæ, *f.* 101. *Caſus* 5. de nominibus Euchariſtiæ, ibi. *Caſus* 6. de neceſsitate Euchariſtiæ, *f.* 102. vbi de Communione quotidiana.

Art. 3. De Materia & forma Euchariſtiæ, *f.* 103. *Prima diffic.* An panis & vinum, ſint materia Euchariſtiæ, ibi. *Secunda diffic.* An ſit neceſſaria appoſitio vtriuſq; ſpeciei, *f.* 104. *Tertia diffic.* Qualis debeat eſſe panis, *f.* 105. *Quarta diffic.* An quælibet quantitas poſſit cõſecrari, *f.* 106. *Quinta diffic.* An aqua infuſſa calici, convertatur immediatè in ſanguinem Chriſti, *f.* 107. *Sexta diffic.* De forma Euchariſtiæ, *f.* 109. *Septima diffic.* Quid intelligatur nomine corporis, *f.* 110. *Octava diffic.* An omnia verba conſecrationis calicis, ſint de eſſentia formæ, *f.* 111. *Nona diffic.* An verba conſecrationis referantur ſolum recitativè, *f.* 112. *Decima diffic.* Quando verificentur verba conſecrationis, *f.* 113.

Art. 4. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 114. *Caſus* 1. De materia Euchariſtiæ, ibi. *Caſus* 2. circa idem, *f.* 115. *Caſus* 3. circa idem, ibi. *Caſus* 4. de vino Euchariſtico, *f.* 116. *Caſus* 5. circa idem, *f.* 117. *Caſus* 6. circa idem, *f.* 118. *Caſus* 7. circa idem, *f.* 119. *Caſus* 8. de præſentia materiæ, *f.* 120.

Art. 5. De converſione Euchariſtica, *f.* 121. *Prima diffic.* Quiſnam ſit terminus formalis huius converſionis, ibi. *Secunda diffic.* De præſentia Chriſti in Euchariſtia, *f.* 122. *Tertia diffic.* Quænam ſint in Euchariſtia & quomodo, *f.* 123. *Quarta diffic.* An poſt conſecrationem, ſubſtantiam panis & vini anihiletur, *fol.* 125. *Quinta diffic.* An poſt conſecrationem, maneat in Euchariſtia ſubſtantia panis, *fol.* 126.

Art. 6. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 128.

Casus 1. De conversione Eucharistica, ibi. *Casus* 2. circa idem, *f.* 129. *Casus* 3. circa idem, *f.* 130. *Casus* 4. circa idem, *f.* 131. *Casus* 5. circa idem, ibi. *Casus* 6. de motu Christi, *f.* 132. *Casus* 7. de vermibus genitis in Eucharistia, *f.* 113. *Casus* 8. de præsentia Christi in Eucharistia, *fol.* 134.

Art. 7. De effectibus Eucharistiæ, *fol.* 135. *Prima diffic.* An causet gratiam, ibi. *Secunda diffic.* An causet adeptionem gloriæ, *f.* 136. *Tertia diffic.* Quo tempore gratiam conferat, *f.* 137. *Quarta diffic.* Vtrum ambæ species conferant maiorem gratiam, *f.* 138. *Quinta diffic.* An peccatum veniale, impediat eius effectū, *f.* 139. *Sexta diffic.* An possit dari accessus neuter ad Eucharistiam, *f.* 140.

Art. 8. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 141. *Casus* 1. De experimento per Eucharistiam summendo, ibi. *Casus* 2. de vrione Eucharistiæ, *f.* 142. *Casus* 3. de effectu corporeo, *f.* 143. *Casus* 4. de gratia collata, *f.* 144. *Casus* 5. de sumptione pro defunctis, *f.* 145. *Casus* 6. de effectu spirituali, *f.* 146. *Casus* 7. circa idem, ibi.

Art. 9. De vsu & Ministro Eucharistiæ, *f.* 147. *Prima diffic.* An solus homo iustus possit Christum Sacramentaliter manducare, ibi. *Secunda diffic.* Quòd peccatum committat, in mortali communicans, *f.* 148. *Tertia diffic.* An qui existit in peccato mortali, teneatur confiteri, ante sumptionem Eucharistiæ, *f.* 150. *Quarta diffic.* De dispositionibus ex parte corporis, *f.* 151. *Quinta diffic.* De subiecto Eucharistiæ & eius fructu, *f* 153. *Sexta diffic.* De obligatione summendi Eucharistiam, *f.* 154. *Septima diffic.* De præcepto summendi Eucharistiam, *f.* 155. *Octava diffic.* De Ministro Eucharistiæ, *f.* 157. *Nona diffic.* An Eucharistia debeat negari peccatori petenti, *f.* 158.

Art. 10 Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 160. *Casus* 1. De confessione præmittenda communioni, ibi. *Casus* 2. De ieiunio requisito, *f.* 161. *Casus* 3. De suscipientibus Eucharistiam, *f.* 162. *Casus* 4. De vomitu, *f.* 163. *Casus* 5. De repetita sumptione, *f.* 164. *Casus* 6. De Ministro, ibi. *Casus* 7. De forma non consecrata non porrigenda, *f.* 165. *Casus* 8. De abstinentia à sumptione, *f.* 167. *Casus* 9. De celebratione frequenti, *f.* 168. *Casus* 10. De præcepto sumptionis, *f.* 169. *Casus* 11. circa idem, *f.* 170. *Casus* 12. circa idem, *f.* 171.

Art. 11. De sacrificio Missæ, ibi. *Prima diffi.* An Missa sit verè & propriè sacrificium, ibi. *Secunda diffic.* In qua actione consistat sacrificium Missæ, *f.* 172. *Tertia diffi.* A quibus & pro quibus offeratur, *f.* 178. *Quarta diffic.* Quos effectus habeat, *f.* 174. *Quinta diffic.* An sit valoris simpliciter infiniti, *f.* 175. *Sexta diffic.* De stipendio Missæ, *f.* 176. *Septima diffic.* De requisitis ad celebrandum, *f.* 177. *Octava diffic.* De cæteris requisitis, *f.* 178.

Art. 12. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 180. *Casus* 1. De valore sacrificij, ibi. *Casus* 2. De offerentibus sacrificium, *f.* 181. *Casus* 3. De loco sacrificij, *f.* 182. *Casus* 4. De oratorijs, *f.* 183. *Casus* 5. De vestibus Sacerdotalibus, *f.* 184. *Casus* 6. De altari, *f.* 185. *Casus* 7. De ceremonijs Missæ. *Casus* 8. De reductione Missarum, *f.* 188.

QVÆSTIO V. De Sacramento Pœnitentiæ, *f.* 190. Doctrinæ Summa, ibi.

Art. 1. De Pœnitentia, vt est Sacramentum, *f.* 192. *Prima diffic.* An Pœnitentia sit verum Sacramentum, ibi. *Secunda diffic.* Pro quo supponat Sacramentum Pœnitentiæ, *f.* 193. *Tertia diffic.* De materia Sacramenti Pœnitentiæ, *f.* 195. *Quarta diffic.* De forma, *f.* 196. *Quinta diffic.* De necessitate Pœnitentiæ, *f.* 198. *Sexta diffic.* De institutione Pœnitentiæ, *fol.* 199.

Art. 2. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 200. *Casus* 1. De materia remota Pœnitentiæ, ibi. *Casus* 2. circa idem, *fol.* 201. *Casus* 3. De peccatis dubijs, *f.* 202. *Casus* 4. De reiteratione Pœnitentiæ, *fol* 204. *Casus* 5. De forma Pœnitentiæ, ibi. *Casus* 6. circa idem, *f.* 206. *Casus* 8. circa idem, *f.* 208.

Art. 3. De Pœnitentia, vt est virtus, *f.* 209. *Prima diffic.* An pœnitentia sit virtus specialis, ibi. *Secunda diffic.* An pœnitentia, sit species iustitiæ, *f.* 210. *Tertia diffi* An sit compensatio iustitiæ, pro pœna & cul-

culpa, *f.* 211. *Quarta diffic.* An sit virtus moralis supernaturalis infusa, *f.* 212. *Quinta diffic.* De subiecto Pœnitentiæ, *f.* 213. *Sexta diffic.* An principium Pœnitentiæ sit ex timore, *f.* 215.

Art. 4. Praxis præcedentis Doctrinæ, *f.* 216. *Casus* 1. De peccatis occurrentibus, ibi. *Casus* 2. De peccatis remissis, *fol.* 217. *Casus* 3. De peccatis futuris, *f.* 218. *Casus* 4. De pœnitentia de penis, *fol.* 219. *Casus* 5. De peccatis alienis, *f.* 220. *Casus* 6. De proposito, *f.* 221. *Casus* 7. De tempore Pœnitentiæ, *f.* 222.

Art. 5. De effectibus Pœnitentiæ, *fol.* 223. *Prima diffic.* An sine pœnitentia possit remmiti peccatum, ibi. *Secunda diffic.* An remissa culpa per pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ, *f.* 224. *Tertia diffi.* De remissione venialiū, *f.* 226. *Quarta dif.* An ad hoc requiratur gratia, *f.* 227. *Quinta diffic.* Quomodo remitantur venialia, per Sacramenta, & Sacramentalia, *f.* 228. *Sexta diffic.* Quomodo remitantur post hanc vitam, *f.* 229.

Art. 6. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 230. *Casus* 1. De remissione mortalium, ibi. *Casus* 2. circa idem, *fol.* 231. *Casus* 3. circa idem, *f.* 232. *Casus* 4. De fœditate venialis, *f.* 233. *Casus* 5. De aqua benedicta, *fol.* 234. *Casus* 6. De B. Maria Magdalena, ibi. *Casus* 7. De habitu vitiorum in recenter iustificato, *f.* 235.

Art. 7. De reditu peccatorum, & recuperatione virtutum, *fol.* 236. *Prima diffic.* An peccata per pœnitentiam remmissa, per sequens peccatum redeant, ibi. *Secunda diffic.* An merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant, *f.* 237. *Tertia diffic.* In qua proportione reviviscant, *fol.* 239. *Quarta diffic.* An actus remissi vivificantes merita, mereantur distinctum augmentum gratiæ, ac actus ferventes, *f.* 240.

Art. 8. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 242. *Casus* 1. De reditu peccatorum, ibi. *Casus* 2. De innocenti & pœnitenti, *f.* 243. *Casus* 3. De ingratitudine recidivantis, *f.* 244. *Casus* 4. De quantitate reatus, ibi. *Casus* 5. De reviviscentia meritorum, *f.* 245. *Casus* 6. circa idem, *f.* 246. *Casus* 7. De operibus mortuis, *fol.* 247.

Art. 9. De contritione & eius obiecto, *fol.* 248. *Prima diffic.* In quo consistat essentialiter contritio, ibi. *Secunda diffic.* An differat essentialiter ab attritione, *f.* 249. *Tertia diffic.* An attritio sufficiat, ad Pœnitentiam fructuosè recipiendam, *f.* 250. *Quarta diffic.* Quænam attritio ad hoc requiratur, *f.* 251. *Quinta diffic.* De præcepto contritionis, *f.* 252. *Sexta diffic.* An hoc statim obliget, post commissum peccatum, *f.* 254. *Septima diffic.* An de singulis mortalibus, requiratur singularis contritio, *f.* 256. *Octava diffic.* De quantitate contritionis, *f.* 257.

Art. 10. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 258. *Casus* 1. De obiecto contritionis, ibi. *Casus* 2. De tempore contritionis, *f.* 259. *Casus* 3. circa idem, *f.* 260. *Casus* 4. De contritione venialium, *f.* 261. *Casus* 5. De quantitate contritionis, *f.* 262. *Casus* 6. De duratione contritionis, ibi. *Casus* 7. De veritate contritionis, *fol.* 263. vbi de occasione proxima. *Casus* 8. De varijs eventibus circa idem, *f.* 265. vbi multa inculcantur.

Art. 11. De confessione, *f.* 267. *Prima diffi.* An confessio sit de iure divino, ibi. *Secunda diffic.* De præcepto Ecclesiastico confessionis, *f.* 268. *Tertia diffic.* Quando obliget præceptum cõfessionis, *f.* 269. *Quarta diffic.* De integritate confessionis, *f.* 271. *Quinta diffic.* An debeant confiteri circumstantiæ notabiliter aggravãtes, *f.* 273. *Sexta dif.* An possit pœnitens, personam complicis revelare, *fol.* 275. *Septima diffic.* An possit dari confessio Sacramentalis valida & informis, *f.* 276. *Octava diffic.* An confessio informis debeat iterari, & quando consequatur effectum, *f.* 278.

Art. 12. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 280. *Casus* 1. De præcepto divino confessionis, ibi. *Casus* 2. De præcepto Ecclesiastico, *f.* 282. *Casus* 3. De examine conscientiæ, *f.* 283. *Casus* 4. De confessione informi, *f.* 284. *Casus* 5. De confessione generali, *f.* 285. *Casus* 6. De integritate confessionis, *f.* 286. *Casus* 7. De circumstantijs aperiendis, *f.* 288. *Casus* 8. De circumstantijs in particulari, *f.* 289. vbi plura in particulari. *Casus* 9. De con-

conditionibus confeſsionis, *fol.*292.
*Art.*13.De ſatisfactione,*f.*293.*Prima diffic.* An homo poſsit de condigno ſatisfacere pro pœna temporali peccati mortalis,ibi. *Secunda diffic.*Quæ conditiones requirantur ad ſatisfactionem,*f.*294.*Tertia diffi.* Per quæ opera poſsit fieri ſatisfactio, *fol.* 296. *Quarta diffic.* An ſatisfactio ſit pars pœnitentiæ, & quem effectum cauſet, *f.* 298. *Quinta diffic.* Vtrum vnus homo, poſsit ſatisfacere pro alio, *f.*299. *Sexta diffic.* An confeſſor teneatur, ſatisfactionem imponere pœnitenti,*f.*300. *Septima diffi.* An vnus confeſſor poſsit commutare pœnitentiam ab alio impoſitam,*f.*301.
*Art.*14. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 302. *Caſus* 1. De opere ſatisfactorio,ibi. *Caſus* 2. De ſatisfactione pro defunctis,*f.* 303. *Caſus* 3. De pœnitentia publica, *f.* 304. *Caſus* 4. De modo imponendi ſatisfactionem, ibi. *Caſus* 5. De ſatisfactione acceptanda, *fol.*306. *Caſus* 6. De modo eam implendi, *f.*307. *Caſus* 7. De ſatisfactione oblita, ibi. *Caſus* 8. De ſatisfactionis applicatione,*f.*308.
*Art.*15. De Miniſtro Pœnitentiæ,*fol.*309. *Prima diffic.* An ſolus Sacerdos, ſit pœnitentiæ Miniſter, ibi. *Secunda diffic.* An poteſtas ordinis diſtinguatur á poteſtate iuriſdictionis, *f.*310. *Tertia diffic.* Quiſnam dicatur proprius Sacerdos, *fol.*312. *Quarta diffic.* Quiſnam ſit Miniſter delegatus Pœnitentiæ,*fol.*313. *Quinta diffic.* De approbatione Miniſtri,*f.*315. & ibi plura de hoc. *Sexta diffic.* A quo Epiſcopo debeat approbatio conferri, *fol.* 317. *Septima diffic.* De Miniſtro pœnitentiæ in articulo mortis, *f.* 318. *Octava diffic.* An poſsit fieri confeſsio Sacerdoti abſenti, per litteras vel internuntium,*fol.*320. *Nona diffic.*De ſigillo confeſsionis,*f.*322.
*Art.*16. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 325. *Caſus* 1. De Miniſtro confeſsionis, ibi. *Caſus* 2. De approbatione Miniſtri, *f.*326. *Caſus* 3. De diſcretione Miniſtri, *f.*327. *Caſus* 4. De confeſſore fatui,ſurdi & muti, ibi. *Caſus* 5. De pœnitente linguæ ignotæ,*f.*328. *Caſus* 6. De confeſſario ſcrupuloſi,*f.*329. *Caſus* 7. De abſolutione conferenda vel neganda, *fol.* 330. *Caſus* 8. De ſigillo confeſsionis,*fol.*331. *Caſus* 9. circa idem, *fol.* 333.
*Art.*17. De Animarum Directoribus, *fol.* 335.*Prima diffic.*Quas qualitates debeant habere Directores, ibi. *Secunda diffic.* Quenam prudentia ſit eis neceſsaria, *fol.* 336. *Tertia diffic.* Quenam ſint animarum genia. *Quarta diffic.* De modo cognoſcendi,& diſcernendi revelationes, *f.* 339. *Quinta diffic.* Quæ facere debet director, cum anima eius directioni primo exponitur, *f.*341. *Sexta diffic.* An viri ſacri,debeant fœminarum vitare conſortia,*f.*342.*Septima diffic.* An fœminarum Directores, debeant earum familiaritatem fugere,*f.*343. *Octava diffic.* An cum fœminis nomen ſanctitatis habentibus, liceat Directoribus familiarius agere, *f.* 345. *Nona diffic.* Quenam ſacra dicta veritati traditæ ſuffragentur, *f.*348. *Decima diffic.* Quomodo diſſolvantur effugia oppoſita, *fol.*349.
*Art.*18.Praxis Doctrinæ præcedentis,*f.*351. *Caſus* 1.De vitando fœminarum conſortio, ibi. *Caſus* 2. De everſis viris per mulieres,ſub pietatis colore, *f.*352.*Caſus* 3. circa idem,*f.*353. *Caſus* 4. circa idem, ibi. *Caſus* 5. De ſacris viris ob praxis mulierum frequentiam,in turpia prolapſis,*f.*354. *Caſus* 6. circa idem, *fol.* 355. *Caſus* 7. circa idem, ibi. *Caſus* 8. circa idem,*f.*356.*Caſus* 9. circa idem,*f.*357. *Caſus* 10. circa idem, *f.*358. *Caſus* 11. De mulierum deceptionibus circa ſpiritualia,*f.*359. *Caſus* 12. circa idem, *fol.* 360. *Caſus* 13. circa idem, *f.*361.
*Art.*19. De Caſuum reſervatione, *fol.*362. *Prima diffic.* Quinam poſsint reſervare peccata, ibi. *Secunda diffic.* Quæ peccata reſervari poſsint,*f.*364.*Tertia diffic.*Quæ poſsint à Prælatis regularibus reſervari, *f.*365.*Quarta dif.* Quis habeat poteſtatē ordinariam, abſolvendi á reſervatis, *fol.* 367. *Quinta diffic.* De poteſtate regularium abſolvendi á reſervatis,*f.*368. *Sexta diffic.* An ſuperior teneatur concedere facultatem abſolvendi à reſervatis,*f.*370. *Septima diffic.* An Prælatus poſsit facultatem conferre abſolvendi à reſervatis,cum gravamine comparendi poſtea, *fol.*372. *Octava diffic.* Quomodo gerere ſe debeat Prælatus & Confeſſor, ad abſolutionem

 refer-

reſervatorum, *folio* 373.
Art. 20. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 374. *Caſus* 1. De reſervatis in alio Epiſcopatu, ibi. *Caſus* 2. De puero comitente reſervatum, *f.* 375. *Caſus* 3. De reſervato effectu ſecuto, *f.* 376. *Caſus* 4. De Bulla pro regularibus, *f.* 377. *Caſus* 5. De eadem pro non reſervatis regularium, *fol.* 378. *Caſus* 6. De facultate negata à ſuperiori, *f.* 380. *Caſus* 7. De reſervatione hæreſis, *f.* 381. *Caſus* 8. De modo abſolvendi hoc crimen, *f.* 382.
QVÆSTIO VI. De Extrema-Vnctione, & Ordine, *f.* 384. Doctrinæ Summa, ibi.
Art. 1. De Extrema-Vnctione, *fol.* 386. *Prima diffic.* An Extrema-Vnctio, ſit verum Sacramentum, ibi. *Secunda diffic.* De Materia Extremæ Vnctionis, *f.* 387. *Tertia diffic.* De forma Extremæ-Vnctionis, *f.* 389. *Quarta diffic.* De effectu Extremæ-Vnctionis, *f.* 390. *Quinta diffic.* De eius effectu primario, *f.* 392. *Sexta diffic.* De ſubiecto Extremæ-Vnctionis, *f.* 393. *Septima diffi.* De Miniſtro Extremæ-Vnctionis, *f.* 395. *Octava diffic.* De neceſſitate Extremæ-Vnctionis, *f.* 396.
Art. 2. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 397. *Caſus* 1. De Materia Extremæ-Vnctionis, ibi. *Caſus* 2. De forma, *f.* 398. *Caſus* 3. De neceſſitate, *f.* 399. *Caſus* 4. De ſubiecto, *f.* 400. *Caſus* 5. De Miniſtro, *f.* 401. *Caſus* 6. circa idem, *f.* 402. *Caſus* 7. De repetitione, *f.* 403. *Caſus* 8. De effectibus, *f.* 404. *Caſus* 9. De obligatione Parrochi, *f.* 405.
Art. 3. De eſſentia Sacramenti Ordinis, *fol.* 406. *Prima diffic.* An Ordo ſit verè Sacramentum, ibi. *Secunda diffic.* Quot ſint Ordines, *f.* 407. *Tertia diffic.* De Materia & forma Ordinum minorum, *fol.* 409. *Quarta diffic.* De Subdiaconatu & Diaconatu, *f.* 410. *Quarta diffic.* De Preſbyteratu, *f.* 412.
Art. 4. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 413. *Caſus* 1. De natura Ordinis, ibi. *Caſus* 2. De prima tonſura, *f.* 414. *Caſus* 3. De connexione Ordinum, *f.* 415. *Caſus* 4. De Materia Ordinis, *f.* 416. *Caſus* 5. De eius contactu, *f.* 417. *Caſus* 6. De vnione Materiæ cum forma, *f.* 418. *Caſus* 7. De Epiſcopatu, *f.* 419.
Art. 5. De Miniſtro & ſubiecto Sacramenti Ordinis, *f.* 420. *Prima diffic.* Quiſnam ſit eius Miniſter, ibi. *Secunda diffic.* De proprio Epiſcopo, Ordines vel facultatem conferente, *f.* 422. *Tertia diffic.* Quis poteſt præbere Dimmiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos, *f.* 424. *Quarta diffic.* De alijs requiſitis, conferentium & ſuſcipientium Ordines, *f.* 425. *Quinta diffic.* De ſuſcipientibus Ordines, *f.* 526. *Sexta diffic.* De alijs qualitatibus ordinandorum, *fol.* 428. *Septima diffic.* De titulis ad recipiendos Ordines. *f.* 430.
Art. 6. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 432. *Caſus* 1. De Miniſtro Ordinis, ibi. *Caſus* 2. circa idem, *f.* 433. *Caſus* 3. circa idem, *f.* 434. *Caſus* 4. de Dimiſſorijs, *f.* 435. *Caſus* 5. de ſuſcipientibus, *f.* 437. *Caſus* 6. de illegitimis, *f.* 438. *Caſus* 7. de ætate ordinandorum, *f.* 438. *Caſus* 8. de titulo ad Ordines, *f.* 440. *Caſus* 9. circa idem, *f.* 441.
QVÆSTIO VII. De Sacramento Matrimonij, *f.* 442. Doctrinæ Summa, ibi.
Art. 1. De Sponſalibus, *f.* 445. *Prima diffic.* Quæ requirantur, ad valorem ſponſalium, ibi. *Secunda diffic.* An in ſponſalibus, poſsit quis prommittere validè, quin alter repromitat, *f.* 446. *Tertia diffic.* An promiſsio ſimplex, obliget ſub mortali, *f.* 447. *Quinta diffic.* Quæ qualitates requirantur, in prommittente ſponſalia, *fol.* 449. *Quinta diffic.* Quæ obligatio oriatur ex ſponſalibus, *f.* 450. *Sexta diffic.* Quot modis ſponſalia diſſolvantur, *f.* 452. *Septima diffic.* De alijs cauſis diſſolventibus, *f.* 454. *Octava diffic.* Quando per ingreſſum religionis, vel ſimplex votum caſtitatis, diſſolvantur ſponſalia, *f.* 456.
Art. 2. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.* 458. *Caſus* 1. de vinculo ſponſalium, ibi. *Caſus* 2. de promiſsione ficta, *f.* 459. *Caſus* 3. de libertate promiſsionis, *f.* 460. *Caſus* 4. de verbis ad ſponſalia, *f.* 461. *Caſus* 5. de habilitate ad ſponſalia, *f.* 462. *Caſus* 6. de obligatione ſponſalium, *f.* 463. *Caſus* 7. de ſponſalibus conditionatis, *f.* 464. *Caſus* 8. de diſſolutione ſponſalium, *f.* 465. *Caſus* 9. de iudice ſponſaliũ, *f.* 466
Art. 3. De eſſentia Matrimonij, *f.* 467. *Prima diffic.* In quo conſiſtat formaliter Matri-

trimonium, ibi. *Secunda diffic.* An sit verè Sacramentum, *f.*469. *Tertia diffic.* An Matrimonium per Procuratorem inter absentes celebratum, sit verè Sacramentum, *f.*471. *Quarta diffic.* De Ministro Matrimonij, *f.*473. *Quinta diffic.* An Matrimonium clandestinum sit validum, *f.* 474. *Sexta diffic.* De Parrocho, & denuntiationibus, *f.*475. *Septima diffic.* De alijs ad essentiam Matrimonij pertinentibus, *f.*478. *Octava diffic.* De vnitate Matrimonij. *f.*479.

*Art.*4. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.*481. *Casus* 1. de necessitate Matrimonij, ibi. *Casus* 2. de modo revalidandi Matrimonium nullum, *f.*482. *Casus* 3. de Matrimonio clandestino, *f.*483. *Casus* 4. de qualitatibus Parrochi pro Matrimonio, *f.*484. *Casus* 5. de modo præsentiæ illius, *f.*485. *Casus* 6. de Denuntiationibus, *f.*486. *Casus* 7. de secundis nuptijs *f.*487.

*Art.*5. De consensu & vinculo Matrimonij, *f.*488. *Prima diffic.* An possit dari Matrimonium, sine verò & mutuo consensu, ibi. *Secunda diffic.* Quisnam consensus requiratur, *f.*490. *Tertia diffi.* An impleta conditione de futuro, Matrimonium transeat in absolutum, sine consensu novo, *f.*492. *Quarta diffi.* De obiecto consensus, *f.*493. *Quinta diffic.* An Matrimonium sit indissolubile iure naturæ, *f.*496. *Sexta diffic.* An Matrimonium ratum non consummatum, possit à Pontifice per dispensationem dissolvi, *f.*498. *Septima diffic.* An tale Matrimonium, possit dissolvi per professionem religiosam, *f.*499. *Octava dif.* Quomodo dissolvatur Matrimonium infidelium, per conversionem vnius eorum ad fidem, *f.*501. *Nona diffic.* De alijs ad Matrimonium pertinentibus, *f.*502. vbi de repudio, de bonis Matrimonij, & de bimestri.

*Art.*6. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.*504. *Casus* 1. de consensu Matrimonij, ibi. *Casus* 2. de consensu dubio, *f.*505. *Casus* 3. de consensu Parentum, *f.*506. *Casus* 4. de consensu per iuramentum, *fol.*508. *Casus* 5. de verbis pro consensu, *fol.*509. *Casus* 6. de indissolubilitate Matrimonij. *f.*510. *Casus* 7. circa idem, *fol.*511. *Casus* 8. circa idem, *fol.* 512. *Casus* 9. de Matrimonio malitiosè anullato, *f.*513.

Art. 7. De impedimentis Matrimonij in communi, & de impedientibus, *f.*515. *Prima diffic.* An detur potestas in Ecclesia, ad assignanda impedimenta Matrimonij, ibi. *Secunda diffic.* Quomodo consuetudo, possit impedimenta introducere vel abrogare, *fol.*116. *Tertia diffic.* An consuetudo possit abrogare impedimenta ab Ecclesia statuta, *f.*517. *Quarta diffic.* Quale peccatum sit, Matrimonium contrahere cum aliquo impedimento, *f.*518. *Quinta diffic.* De impedimentis impedientibus, *f.*520. *Sexta diffic.* De impedimentis ex crimine, *f.*521.

*Art.*8. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.*523. *Casus* 1. de impedimento occurrente tempore Matrimonij, ibi. *Casus* 2. de prohibitione Ecclesiæ, *f.*524. *Casus* 3. de tempore interdicti, *f.*525. *Casus* 4. de contrahente excomunicato, *f.*527. *Casus* 5. de tempore feriato, *f.*528. *Casus* 6. de impedimento voti, *f.*529. *Casus* 7. circa idem, *f.*530.

*Art.*9. De impedimentis dirimentibus, *fol.* 531. *Prima diffic.* de impedimento erroris, ibi. *Secunda diffic.* De impedimento conditionis, *f.*533. *Tertia diffic.* De impedimento voti, *f.*536. *Quarta diffi.* De impedimento cognationis, *f.*537. *Quinta diffi.* De impedimento criminis, *f.*541. *Sexta diffic.* De impedimento disparitatis cultus, *f.*543.

*Art.*10. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 544. *Casus* 1. de errore, ibi. *Casus* 2. de conditione servili, *f.*545. *Casus* 3. de voto, *f.*547. *Casus* 4. de cognatione naturali, *f.*548. *Casus* 5. de cognatione spirituali, *f.*549. *Casus* 6. de cognatione legali, *f.* 550. *Casus* 7. de crimine, *folio* 551.

*Art.*11. De alijs impedimentis dirimentibus, *f.*552. *Prima diffic.* De violentia & metu, ibi. *Secunda diffic.* De Ordine, *f.*554. *Tertia diffic.* De publica honestate, *f.*555. *Quarta diffic.* De affinitate, *f.*557. *Quinta diffic.* de impotentia, *f.*558. *Sexta diffic.* De raptu, *f.*561.

*Art.*12. Praxis Doctrinæ præcedentis, *f.*562. *Casus* 1. de violentia & metu, ibi. *Casus* 2. de impedimento Ordinis, *f.*563. *Casus*

ſus 3. de publica honeſtate, *f.* 564. *Caſus* 4. de affinitate, *f.* 565. *Caſus* 5. de impotentia, *f.* 566. *Caſus* 6. circa idem, *f.* 567. *Caſus* 7. circa idem, *f.* 568.

Art. 13. De Annexis Matrimonio, *fol.* 570. *Prima diffi.* De poteſtate diſpenſandi impedimenta, ibi. *Secunda diffic.* De poteſtate diſpenſandi ex delegatione, *f.* 571. *Tertia diffic.* De cauſis ad validam & licitam diſpenſationem, *f.* 573. *Quarta dif.* Quæ taciturnitas veri aut expreſsio falſi, anullet diſpenſationem, *f.* 575. vbi plura de hoc. *Quinta diffic.* De obligatione reddendi mutuo debitum in coniugibus, *f.* 578. *Sexta diffic.* Quot modis actus coniugalis vitiari poſsit, *f.* 580. *Septima dif.* De alijs actibus, coniugatis licitis vel non. *f.* 581. *Octava diffi.* De divortio & eius cauſis, *f.* 583.

Art. 14. Praxis Doctrinæ præcedentis, *fol.* 585. *Caſus* 1. de diſpenſatione impedimentorum, ibi. *Caſus* 2. circa idem, *f.* 587. *Caſus* 3. circa idem, *f.* 588. *Caſus* 4. de modo manifeſtandi impedimenta, pro diſpenſatione, *f.* 589. *Caſus* 5. de debito coniugali, *fol.* 590. *Caſus* 6. circa idem, *f.* 591. *Caſus* 7. de divortio, *f.* 592. *Caſus* 8. de authoritate faciendi divortium, *fol.* 593.

Lector optimé. Tractatum de Cenſuris, quem in Libri fronte prommiſsi, hic deficientem invenies, ſed id feci. Tùm, quia nimis ſum laſſatus, in opere hoc, à me ſolo ſine vllo prorſus adiutorio confecto. Tùm, ne Tomus nimis excreſceret, & hac eadē ratione, ommititur modo Alphabeticus rerum index, maxima & lenta egens contemplatione, in qua modo, quia fortè turbine rerum præmor, aſſiduè verſari non poſſum; ſed in fine ſecundi Libri favente Deo, prommitto tibi, Indicem vtriuſque, ſatis abundantem exponere.

LAVS DEO.



S
103

6.387